






BREVES

TRACTATVS,

VNIVERSAM DOCTRINAM SACRAMENTORVM ECCLESIÆ, TAM IN GENERE, QVAM IN SPECIE COMPREHENDENTES.

AVCTORE MAGISTRO D. PETRO DE OCHAGAuia, & Mauleon, Nauarro Falcensi, in Alma Ecclesia Salmantina Canonico Magistrali Lectorali.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVErendissimum Dominum D. Fr. LVDOVICVM DE ALIAGA, pro sacra fide in Hispania Generalem propugnatorem, pro PHILIPPO III. à sacris Confessionibus præfectum, & pro senatibus status, & belli Consiliarium.



CVM PRIVILEGIO REGIO.

SALMANTICAE,

Ex officina Antoniæ Ramirez Viduæ, anno Domini M.DC.XIX.

TASSA.

YO Pedro Mõtemayor del Marmol, escriuano de Camara de su Mageſtad, y vno de los que en ſu Real Conſejo reſiden, doy fee que auiendoſe viſto por los Señores del dicho Real Conſejo, vn libro que con ſu licencia fue impreſſo, compueſto por el Maeſtro Ochagauia y Mauleon, Canonigo Magiſtral de la Igleſia Catedral de Salamãca y ntitulado de *Sacramentis ingenere, & ſpecie.* Taſſarõ cada pliego del dicho libro à cinco marauedis, el qual parece tiene ciento y nouẽta y tres pliegos y medio, ſin principios y tablas, que al dicho reſpeto montan nouecientos y ſeſenta y ſiete marauedis, que hazen veynte y ocho reales y quinze marauedis, y al dicho precio mãdaron ſe vendieſſe cada cuerpo del dicho libro y no à mas, y que eſta fee de taſſa ſe põga al principio del. Y para que dello conſte de mandamiento de los dichos Señores del Conſejo, y de pedimiento de la parte del dicho Maeſtro Ochagauia. Di eſta fee en la Villa de Madrid, à doze dias del mes de Otubre de 1619.

Pedro Montemayor del Marmol.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET

REVERENDISSIMVM DOMINVM D.F.LVDOVICVM DE ALIAGA, PRO SACRA FIDE IN HISPANIA Generalem propugnatorem, pro Philippo III. à sacris Confessionibus, pro Senatibus status, & belli Consiliarium.



MNIA, quæ natura constant (Illustrissime Domine) quò minora in se sunt, eo maiori propensione magnarum rerum propinquitatem, protectionemque desiderant, vt ea se ratione à contrarijs tueantur incursibus, a quibus propriam ruinam meritò vident imminere. Quamobrem hoc meum opus multis de causis minimè maximo indiget protectore, quo impugnantium telis facile possit resistere; & quidem in hoc genere duo sunt contraria potissima, alterum inuidia, detractio alterum. Et licet, vt verum fatear, opus hoc vt pote parui momenti ne quidquam possit inuidiam timere, atque ita ex hoc capite patronum non desideret (*quia vt præclare* D.Greg.Magnus lib.5. Moral. Inuidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus, paruulus itaque est, qui inuidia occiditur, quia nisi inferior ipse existeret, de bono alterius nō doleret. *Et verè hoc considerauit* Diogenes Laert. de vita, & moribus Philosophorum, fœlicitas semper subiecta est inuidiæ. Sola ergo miseria inuidia caret) *attamen eo ipso detractionem magis timere debet: Quam vt fortissimum hostem timere docet Spiritus sanctus his verbis:* Prouer.4. Remoue à te os prauum; & detrahentia labia sint procul a te *& contra quam vix vllas latebras inuenit:* D.Hieronym. Dum ad Celantiam scribens ait, rarum inuenies, qui irreprehensibilem vitam suam exhibere vellit, vt is non libenter reprehendat alienam. *Contra hunc ergo hostem mihi patronum ac tutelarem quærenti, statim sese mihi vestra Illustrissima obtulit dominatio, a qua mei opusculi optatum patrocinium iure optimo possem expectare, cum illud omnibus nominibus vestra illustrissimæ deberi dominationi haud difficile quisque possit perspicere. Si enim elucubrationes istæ ab eo sunt elaboratæ, qui quondam insignijs fuit condecoratus Collegij Maioris Salmanticensis D. Bartholomæo sacri, quæ dimus semper fuit seminarium virtutis, prudentiæ, literarum, & nobilitatis, quibus Ecclesia Catholica vehementer floruit, & nostra Hispania magnopere fuit condecorata, vestrã illustrissimam implorant dominationem, quæ ob proprias virtutes, scientias, & prudentiam ac nobilitatē semper collegia huiusmodi amauit, protexit, & pijssimo nostro Regi ex animo cōmendauit. Quod si hoc etiam opus canonici est olim Magistralis Lectoralis almæ Ecclesiæ Legionensis, Ecclesiæ in quam religiosissimæ, & pijssimæ, cuius sanctitatem in capitibus totus veneratur orbis, & cuius eximias animi dotes in filijs hodie Hispaniam gubernantibus omnes agnoscunt, & nunc etiam Canonici Magistralis Lectoralis almæ Ecclesiæ Salmantinæ, quæ propter inuiolabilem obseruantiam cultus diuini, & propter professionem virtutis, literarum, & nobilitatis multis fuit sæculis celeberrima, vestræ illustrissimæ dominationis patrocinium exclamat, quod Ecclesiæ Cathedralis sæpius fuerunt expertæ. Et tandem si liber iste Sacramentorum doctrinam continet fidei*

Christianæ firmißimum fundamentum, & animarum expiationi saluberrimam medicinam, iure optimo eius auxilium supplex ex postulat, quem tota Hispania vt Generalem fidei defensorem, & Maistas nostra Catholica vt proprium veneratur pœnitentiarium.

Accedit tandem ad hæc id, quod ego in magnis mei honoris gradu constituo, scilicet me fuisse sanguine coniunctũ cũ Illustrissimo illo Principe domino Cardinali Iabierr, (cuius anima æternis, ò vtinam, perfruatur delicijs) qui vestræ illustrissimæ dominationis merita sæpius nostris Regibus commendata in altiori contendit fortunæ loco collocari. Cuius Principis grati erga me animi non leuem significationem, & singularia amoris indicia vestra illustrissima dominatio aliquando mihi Lermæ patefecit. Inopinatus tamen eius è vita discessus ab eo vitam, ab Hispania solatium, & ab eius consanguineis communem parentem abstulit, inter cuius mortis lacrymas hoc nobis miseris solatium inuenire potuimus, & debuimus, vestræ illustrissimæ dominationis auxilium nunquam nobis defuturum, cui Illustrissimi Cardinalis, dum viueret, semper ex animo ad fuit patrocinium.

Ob hæc, & ob multa alia, quæ libenter silentio prætermitto, vestram Illustrissimam dominationem enixe oro, vt hos primos mei ingenij fructus solita benignitate suscipiat, & sub amplissimis suis alis protegat. Quod si in illis multa inueniantur immatura, vestræ Illustrissimæ dominationis benignitas, quæso, libenter ignoscat perspiciens primos plantarum fructus minus esse gustui delectabiles, quam sequentes; & si denique in his meis laboribus multi defectus appareant, vestra Illustrissima dominatio occulos ab eis non auertat, quia dum illi ad talem, ac tantum patronum confugiunt, maximi Inquisitoris censuram, doctissimi magistri documenta, & pijssimi patris correctionem exoptant, vt ea ratione in offenso possint decurrere pede, & animarum saluti, ac Dei honori inseruire, quem ex animo de precor, vt vestram Illustrissimam dominationem diu in columem, & felicem seruare ad commune reipub. Beneficium, ad sanctæ fidei exaltationem, & ad Dei nostri gloriam pro infinita sua pietate dignetur. Salmanticæ 24. Octobris, Anno Domini 1619.

Illust. V. D. humilis Capellanus,

Magister Ochagauia, & Mauleon.

ERRATAS.

PAG.7.col.2.lin.7.nisi.dig.a nis.pag.27.col.2.lin pen.intelligi.di.intelligit.pag.38.col.2.lin.1.Sacramentum.dig.Sacramentorum.pag.46.col.1.lin.47.lauant.dig.leuaret.pag.49.col.lin.2.precur.di.probatur.li.3.prebabatur.di.probatur.p.64.co.1.lin.25.autumnabit.dig.autumabit.pa 72.co 2.li.55.tanum.di.tantum.pag.75.co.2.li.22.iat.di.ita.pag.91.col.2.lin.19.à autem.di.autem à.pag 96.co.1.di.30.poterum.di.posterum.pa.102.co.2.li 18.canone.di.canon.p.111.col.2.li.17.spiritu.di.spiritus.p.139.col.1.di.4.reperere.di.reperire.pag.140.col.2.li.39.graitam.dig.grattam p.148.col.2 li.15.dibictum.di.debitum.p.194.col.2 li.9.men.cra.dig.memoria.p.200.col 2.li.24.iter.dig.iterum.pag.104.col.2.li.51 obseruauit.di.obseruabit.p.216.co.2.li 4.pontificia.di.Pontifi i.p.285.co.1.li.9.sentiti.di.sentiunt.p.305.col.1.li.16.dimanat.di.dimanant.p.307.col.1.lin.20.vitam.di.& vitam p.341.co.2.li.9.corporis.di.corpus p.344.co.1.li.17.dominationem.di.denominationem.p.376.co.2.li.41.abiectum dig.obiectum.p 408.co.2.li.32.sacramentu.dig.sacramentum.p.417 co.2.li.8.pares.di.patet.p.428.col.2.li.41.ist di.isto.p.457.co.2.li.4.fctu.di.effectu.p.476.col.2.li.46.haben.di.haberet.p.479.co.1.li.antep.tenet.di.tenent.p 480.co.2.li.35.in.di.non.p.482.co.1.li.4 illam.di.illum.p.488 co.1.li.41.abstitundu di.abstinendum.p.491.co.1.li.53.homo.di.home.p.489.co.1.li.34.persiciendorum.di.praeficiendorum p.503.co.1.li.19.dectu.di.defectu.p.544.co.2 li.52.eduactio.di.educatio.p 548.col.1.li.7.contrahabere.di contrahere p.569.co.1.li.vlt.valere.di.valet.p.574.co.2.li. antep.Ecoeo.di.Episcopo.p.584.co.1.li.2.contraditione.di.conaitione.p.593 co.2.li.3.leui di.magui.p.610.col.1.li.35.benedictionis.di.beneditiones.pag.650.co.2 li.26.gerendum.di.generandum.p.658.co 2.li.4.antecerat.di.antecedat.p.665 co 1.li.11.Pontifici,feciam di.Pontificis,etiam p 670.co 2 li.44.masculeum.di.masculum.p 725.co.2.li.20.impedimenti.dig.impedienti.p 652.col.2.lin.5.dig.iuuenis.pag.736.col.1.lin.13 aig.peruersionem.

Con estas Erratas està impresso este libro, *De Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis*, conforme à su original: En testimonio de lo qual lo firme. En Salamanca oy seys de Setiembre, del año 1619.

El Corrector, &c. Manuel Correa de Montenegro.

APROBACION.

HOc opus quod inscribitur tractatus de Sacramentis in genere, & in specie compositũ à sapientissimo M. don Pedro Ochagauia de Mauleon Canonico Salmanticensi mihi cõmissum ab Illustrissimo Domino don Frãcisco de Mendoça Episco Salmãticensi diligenter euolui. Nec euoluisse pœnituit, reperi equidem hominem plane doctũ, in colligendis Doctorum placitis diligentem, in examinandis rationũ momentis acutum, inferendã sententia fecurum, quẽ pari voluptate, & fructu legent, qui in scholasticis disputationibus ætatem ponunt, & qui regendis sedandisque conscientijs incumbunt. Hij quidem nihil de sacramentorum materia hoc in opere desiderabunt optima methodo, & breuitate digestum. Hæc propter hunc librum prælo dignissimum censeo, auctoriq; suo nomine omnium gratias rependo ob suos vtiles Ecclesiæ labores, datum Salmanticæ in hoc nostro Collegio Regali Societatis IESV, die 13, Iunij Anno Domini 1618.

Valentinus de Herice.

E L R E Y.



OR quanto por parte de vos el Maestro Ochogauia y Mauleon, Canonigo Ma
gistral de la Iglesia Catedral de la Ciudad de Salamanca, nos fue hecha relacion
que auiades compuesto vn libro intitulado *de Sacramentis in genere, & specie*,
que era muy vtil, y desseauades saliesse à luz suplicandonos os mandasemos dar
licencia para imprimirlo, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los
del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que por
la Prematica por nos vltimamente hecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acorda-
do que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razõ, y noa tuuimoslo
por bien, por la qual os damos licencia y facultad para que por tiempo y espacio de diez años
primeros siguientes, que corren y se cuentan desde el dia de la fecha de ella en adelante, vos ò
la persona que vuestro poder vuiere y no otra alguna, podays imprimir y vender el dicho li-
bro intitulado *de Sacramentis in genere, & spetie*, que de suso va echa menciõ por su original, que
en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado y firmado al fin de Pedro Montemayor de el
Marmol, nuestro escriuano de camara de los que en el residen. Y con que antes que se venda le
traygays ante ellos juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impression es-
ta conforme à el, ò traygas fee en publica forma como por Corrector por nos nombrado se vio
y corrigio la dicha impression por el original. Y mandamos al impressor que imprimiere el di
cho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas que vn solo libro con su
original al Autor, ni à otra persona à cuya costa se imprimiere para efecto de la dicha correciõ
y tassa, hasta que antes y primero este corregido el dicho libro por los de nuestro Consejo, y
estando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, y se-
guidamente ponga esta nuestra cedula, y la aprobacion que del dicho libro se hizo por su mã-
dado, y la tassa, y erratas sopena de caer he incurrir en las penas, y prematicas destos nuestros
Reynos q̃ sobre ello disponen, y mãdamos q̃ durante el tiẽpo de los dichos diez años, persona
alguna sin la dicha vuestra licencia no pueda imprimir, ni vender el dicho libro sopena que el
que lo imprimiere, y vendiere aya perdido y pierda todos y qualesquier libros, moldes, y apa
rejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la qual di-
cha pena sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la perso-
na que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara. Y mandamos à los de nues-
tro Consejo Presidente, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nue-
stra casa y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Asistente, Gouernadores, Alcal-
des mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iusticias qualesquier, de todas las Ciudades, Vi-
llas, y Lugares destos nuestros Reynos, y Señorios, y à cada vno en su jurisdiciõ, que vos guar-
den, y cumplan esta nuestra cedula, y contra ello no vayan, ni passen en manera alguna, sope-
na de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Dada en Belada à
veynte y siete dias del mes de Octubre de mil y seyscientos y diez y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Pedro de Contreras.

PRAEFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.



MVLTIS ab hinc annis, candide Lector, ſelectiori vigilantiſsimi tunc mei præſulis, inſigniſque mei capituli Salmantini iudicio, & huius Academiæ patrum conſilio ductus in hac Salmantina Curia literaria Sacramentorum tractatus publice dictandos non ſigne magna animi alacritate ſuſcepi. Cogitaui lætus materiæ magnitudinem, & eius ad fidem fouendam, ad ſpem diuinam erigendam, & ad charitatem in animis reparandam, perpendi neceſſariam cognitionem. Sed communem de hac re in Scholaſticis multorum ignorantiam admiratus (ob quam ſæpius à ſacris ordinibus, & ab animarum curis ſuſcipiendis non ſolum excluduntur, ſed etiam exſibilantur) non potui vehementer non dolere; & quem rei excellentia, & proprij ingenij imbecilitas deprimebant, ſpes diuini auxilij ſecundum illud *Iacobi, epiſt. Canonica, capit. 1. Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, & communis fructus ſpes magnopere erexerunt. Vnde contigit, vt per aliquot annorum curricula non ſine magno labore, & ſudore adhibitis in euoluendis antiquorum, & recentiorum libris, in huius ſcholæ inſignium Magiſtrorum ſcriptis intelligendis, & aliarũ Academiarum Doctoribus per literas conſulendis, nec ſine magno ſtudio comparato in eligendis ſæpius, ſed quandoque in excogitandis doctrinis quantum ad mores vtilioribus, & ſecurioribus, & quantum ad ſacram Scripturam, & ſacros Canones attinet aptioribus, hanc materiam ſim proſequutus. Et auditorum populatim ad meas lectiones audiẽdas deſiderijs creſcentibus ad finem vſque fauente Deo rem perduxi. Sed cum elucubrationes aliquot pro temporis viciſsitudine, & priorum auditorum abſentia quaſi in tenebris (& vt verum fatear) meritò quidem, deliteſcerent, & ad poſteriorum, quamuis ſolicite quærentium manus venire non poſſent; eorum efficacia vota, & quod maius apud me eſt, eruditiſsimorum virorum, qui eas perlegerũt, cenſuræ, & petitiones, vt eas omnes in mediam lucem profunderem, non alliccere modo, ſed etiam impellere potuerunt.

Diui Thomæ, cuius ego doctrinam vt Angelicam veneror, & cuius ingenij acutiem ſingularem, & maturitatem pro ſedandis conſcientijs mirabilem libenter in hoc lib. amplector, articulorum literam non conſtituo, neque eorum concordiam ſatis notam diſcutio, tum, vt breuitati conſulam, tum etiam, ne ab inſtituto meo, cuius ſtatim apparebit ratio, ne latum quidem vnguem diuellar.

Non ignoro, hiſce noſtris temporibus multos, doctiſsimosque Magiſtros, quibus me longe inferiorem reputo, varios Sacramentorũ edidiſſe libros, & illis magnopere materiam hanc illuſtraſſe, & Reipub. Chriſtianæ non modicam vtilitatem attuliſſe; ob hoc tamen ab inſtituto meo reſilere non potui. Dum enim illud *Zachei, cap. 19. D. Lucæ*, ante oculos propono, qui cum ſtatura puſillus eſſet, & à turba impediretur, ne Chriſtum videre poſſet, in arborem Sycomorum aſcendit, vt eius gratiſsimo frueretur aſpectu, ſimul hanc in animo ſpem concipio, fore, vt, licet ſim ingenij viribus humilis (Zacheus enim humilem reſonat) aliorum tamen ſupre-

supremis ingenijs, & altis considerationibus veluti arboribus, & ramis innixus Sacramentorum abstrusa mysteria, & reconditas difficultates cum distinctione specu lari, & alijs non sine vtilitate explicare possim; quim etiam mei instituti in hac re non iniucunda ratio vires ad hunc laborem subeundum animosque subijciũt. Video namque grauissimorum auctorum indefessos, & omni laude suppares labores, & quosdam propter diffusum calamum à longe suspici, prope tamen neque primis labijs degustari, alios vero propter nimiam in dicendo breuitatem minus, quam decet, perpendi. Contemplor sane quosdam in suis scriptis res tantum morales descripsisse, & eos Theologiæ professoribus minime placuisse, & alios res tantum Theologiæ Scholasticas penetrare voluisse, & vos Iurisperitorum votis minime annuisse; video paucissimos more Scholastico de omnibus Sacramentis disputasse, & maxime interesse auditoribus in re ita graui vnius præceptoris doctrinam sequi. Ideò mediam quandam viam sectatus mediocrem breuitatem cum ea, qua potui claritate, & rerum moralium diffusiorem sermonem cum mediocri Scholasticarum disputationum notitia (id enim mei muneris, & cathedræ ratio, & auditorum vtilitas efflagitabant) non contemnendo labore coniunxi.

Auctorum cõgeriem in multis non curaui, vbi non de auctoritatum, sed de rationum momentis certatum est, eos tamen elegi veritatis propectores, quos ad propugnandum validos, & ad veritatem sequendam promptos inueni, neque etiam cum Doctoribus disputaui, an consequenter, vel non consequenter loquantur, frustra enim in his tempus conteri semper iudicaui, vt Lectoris amici profectui prospicerem, quem proinde exoratum esse velim, vt si quid minus laude dignum, æqui bonique consulat, si quid autem ea dignum inueniat, totum id in Dei laudem referat; cui soli teste *Paulo 1. ad Timot. 1. Honor, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.*



TRACTATVS VNICVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.



PRO Sacramentis Ecclesiæ defendêdis nullis seculis defuerunt, qui ingenij viribus streнuè decertarêt, vt *D. Ambros. lib. de Sacramentis, Cyril. Hierosoly. in Catechesi. Cyprian. lib. 1. epist. 12. Hugo Victorinus, lib. 1. p. 9. Magister Sentent. lib. 4. à principio,* vbi Scholastici rem hanc latiùs prosequuntur, *D. Thom. 3. part. à quæst. 60. Caiet. ibidem. Vvald. tom. 2. de Sacramentis, Roffens. de refutatione articul. Lutheri. a. 1. Ruard. in articulis Louaniensibus, art. 1. Alanus lib. de Sacramentis in genere, Eckius homil. de Sacramentis, Osius in confessione, cap. 37. Belarm. tom. 2. à principio, Petrus de Soto, de institut. Sacerd. Nauar. in Summa cap. 22. Cano. in relect. de Sacramentis, Syluest. & Armilla, verbo Sacramêtum. Petrus de Ledesma in Summa per varia. cap. Suarez, 3. tomo in 3. p. Vazquez, 2. tom. in 3. parte & 3. tomo in 3. p. D. Thom. Sotus, tom. 1. in 4 Sententiar. in principio, Enrequez in Summa, tomo 1. & 2. cum alijs multis, quos ipse refert, tomo 1. lib. 1. in principio, D. Antonin. 3 tom. Summæ Theologicæ, tit. 14. Reginald. 2. tomo, Praxis pœnitent. Coninc. titulo de Sacramentis,* de quo re sæpius mêminerunt concilia sacra vt *Florent., sub Eugenio IIII. Session. vltim. Trident. multis in locis, & iura canonica in Decretalibus titulo de Sacrament. non iterandis titulo de Sacra vnction. titulo de Baptismo, capit. ad abolendam, de hæret. in Decretis de consecrat. dist. 4. & de consecration. distinct. 2. & 1 quæst. 1.*

A

B

C

QVÆSTIO I.

Quot modis vsurpetur nomen, Sacramenti.

QVÆSTIONEM hanc meritò constituimus, tanquam reliquarum omnium exordium, vt nominis, de quo in futuro habendus est sermo, indagata prius etymologia, & natura, facilior ad rem per nomen significatam aditus pateat.

Sacramentum, vt de se notum est, dicitur à sacro, seu re sacra, propterea quod aliquid sacrum sub eo latêre, vt posteà constabit, necesse est. 1

Sacramenti nomen multis sine dubio rebus adaptari solet. Primò enim ab antiquis temporibus conuenire dignoscimus pignori cuidam à litigãtibus reposito in loco sacro, vt optime expendit *Cardin. Belarmin. 2. tom. lib. 1. capit. 8.* si enim fidem habeamus, *Varroni lib. 4. de lingua Latina, propr finem,* mos fuit Roman. vt cum duo apud eos de causa aliqua contendere vellent, vterque deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pont. finita verò causa, qui victor euadebat, depositum suum recuperabat, qui verò victus, depositum suum in pœnam iniustæ litis amittebat, & in ærarij publici vtilitatem conuertebatur. Secundo modo adaptatur nomen hoc Sacramentum cuilibet iuramento: in qua significatione hoc nomine vtuntur ex Iurisperitis, *Bartol. in Auth. Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, num. 6. Conarrun. capit. Quamuis pactum, 1. part.* ex sanctis Patribus *D. Hieronym. epist. 1. ad Eliod. & Tertuliam. lib. ad Martyres cap. 3. & ius Canonicum, 22. quæst. 4 canone qui Sacramento, & ius simile, C. si aduersus venditionem l. 2.*

Tertio modo vsurpatur Sacramentum pro re aliqua secreta, vt *Sapientiæ 2.* Secundum hanc significationem dicitur, *Nescierunt Sacramenta Dei,* id est, secreta. In quo etiam sensu, *Tobiæ 12.* habetur sic: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Quarto gaudent nomine Sacramẽti res, quæ significant aliquid occultum, & hominum captum superans, quod ex

duobus Sacræ Scripturæ locis aperte liquet. Primò enim dum *ad Ephes.5.* loquitur Paul. de coniugio nostrorum primorum parentũ: *Subdis, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; quæ verba iuxta *Hieronymum, & Chrysostomum, & OEcumenium super illum locum*, ita sunt intelligenda, vt prædictum coniugium iure optimo Sacramentum nuncupetur in quantum rem illam absconditam, & supernaturalem significat, scilicet, coniunctionem supernaturalem Christi cum Ecclesia. Secundò, *ex Paul. epist. 2. ad Thessalon. capit. 2. in hac verba. Nam mysterium iam operatur iniquitatis* (vbi mysterium idem est, quod Sacramentum.) Si enim super hunc locum consulamus *Chrysostom. Theophilat. Ambros.* Et alios, facile inueniemus, Apostolum ibi per mysterium iniquitatis intelligere persecutiones Ecclesiæ primitiuæ ab Imperatoribus, & hæreticis excitatas, quia significabant persecutiones excitandas ab Antichristo in nouissimis diebus.

3 Vltimo propius ad nostrum propositum vsurpatur nomen Sacramenti pro quodam signo sensibili repræsentante nobis gratiam sanctificantem animarum. Quæ significatio exprimitur *in cap. sacrificium. de consecratione dist. 2. & in Concilio Lateranen. sub Innocent. III. & communiter in Concilijs Florent. & Trident. & in scriptis Sanctorum Patrum, quos refert Vazquez, 2. tom. in 3. p. disp. 128.*

QVÆSTIO II.

Quæ conditiones requirantur ad rationem Sacramenti.

1 POSTQVAM in præcedenti quæst. de nomine Sacramenti disputauimus, restat modo de ipsa re disputatio, secundũ autem constantem Doctorũ sententiã multa requiruntur ad rationem Sacramenti. Primũ vt sit signũ, est autem signũ *ex D. Aug. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 1. res præter speciem, quã ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cogitationem venire*. Qua ratione fumus est signum ignis, & vestigium est signum animalis, & quidem quod Sacramẽta sint signa, aperte nos sacra Scriptura docuit, *dum Genes. 17.* Circuncisionem, quæ erat Sacramentum legis antiquæ *Vocauit signum fœderis, & ad Rom. 6. Baptismum appellauit signum sepulturæ, & resurrectionis*. Tũ prętereа *D. Aug. in lib. de Catechizandis rudibus, cap. 26. vocat Sacramenta signacula.*

2 Secundò requiritur ad rationem Sacramenti, vt signum illud sit sensibile, ita vt aliquo sensu externo percipiatur (vbi non loquimur de Sacramento pro Angelis constituto, respectu quorum si daretur Sacramentum, posset esse signum spirituale, vt notauit *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 128. cap. 4.* Sed tantum loquimur de Sacramento hominibus adaptato; ita sentiunt sancti Patres, *vt Dionys. cap. 1. Ecclesiasticæ Hierarc. & Aug. loco citato, & Chrysost. homil. 83. in Matth. & Scholastici cum Magist. in 4. dist. 1. & D. Thom. 3. p. q. 60. art. 4.* Probatur hæc pars primo ratione *D. Chrysost. homil. 60. ad Populum.* Quia homo est visibilis, & corporeus, indiget ergo adminiculo rerum corporearum, & sensibilium, vt illis quasi manu ducatur ad inuisibilia cognoscenda, sed gratia animæ, ad quam significandam instituta fuere sacramenta, est insensibilis, & incorporea: vt ergo sacramenta eam ad amussim homini significent, debẽt esse sensibilia. Secũdò probatur ratione desumpta *ex Greg. Nazian. & Greg. Nisseno in oratione de Baptismo*. Quia homo constat corpore, & anima, vt patet *ex Symbolo Athanas.* ergo tenetur eũ colere non solũ rebus spiritualibus, vt Spe, & Fide, sed etiam rebus sensibilibus, qualia sunt Sacramenta; etiãsi huic resolutioni contra dicant *Ocan in 4. q. 1. col. 1. & Enriq. in Summa, to. 1. lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 2.* Dum asserunt, posse à Deo rem spiritualem in Sacramentum nobis constitui.

Tertiò Sacramenta non debent esse signa naturalia, quale est fumus respectu ignis, sed sunt signa tantum voluntaria liberè à Deo assumpta ad significandum aliquid, quod natura sua non significabant. Hanc veritatem docuerunt *D. August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 3. Scotus in 4. dist. 1. q. 2. §. de 3. principali, Duran. q. 1. nu. 11.* Quod ex eo satis patet, quia res sensibilis, qualem supra probauimus esse Sacramentum, nequit esse signum naturale rei spiritualis, & supernaturalis, qualis est gratia. 3

Quartò reperitur in Sacramentis (licèt id non requiratur necessariò) res, in quibus Sacramenta consistunt, quandam ex se habere naturalem analogiam, & similitudinẽ cum re ipsa sacra, quam significant, vt in baptismo ablutio exterior corporis, in qua situm est Sacramentum, quandam similitudinem habet cum ablutione macularum animæ, quæ est res sacra in Sacramento baptismi causata, & similiter patet in alijs Sacramentis. Sed licèt hæc similitudo reperiatur in rebus, quæ Sacramenta sunt, nihilominus tamen necessaria fuit diuina institutio, vt res illæ, quid sacrum, & sanctum significarent, nam similitudo prædicta tanta non est, vt possit natura sua sufficiens esse ad significandum, quid sacrum, quod indicatur à *D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 2. & à Magist. in 4. dist. 1.* Dum defendunt, Sacramentum esse signum rei sacræ, sine institutione enim diuina res, quæ Sacramentum est, signum esse non potest. 4

Contra hoc tamen sunt duo argumenta. Primum est, quia forma absolutionis: Ego te absol 5

uo à

uo à peccatis tuis, & forma consecrationis Eucharistiæ: *Hoc est enim corpus meum.* Ex impositione hominum significant rem sacram: ergo non indigent institutione diuina, vt sint signa rei sacræ. Huic tamen argumento optime respondet *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 128. cap. 4.* Aliud esse voces illas significare in Sacramento, verbi gratia, pœnitentiæ, remissionem peccatorum, siue verum, siue falsum sit illum causari, aliud verò diuersum esse illas significare remissionem peccatorum, verè productam in anima, si nullus obex ex parte pœnitentis cōstituatur, quod enim voces illæ significent talem remissionem peccatorum, habent ex sola hominum impositione, quod verò eam significent verè operando illam in anima, habēt ex diuina institutione.

6 Secundum argumentum fit, quia ex dictis videtur sequi Sacramentum formaliter consideratum esse ens rationis, siquidem eius ratio ex Dei institutione dependet. Huic argumento quidam recentiores respondent, rationem Sacramenti non consistere in ente rationis, sed in extrinseca denominatione, communis tamē resolutio, cum *Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. & cum Vazquez loco citato.* Concedit huic argumento rationem signi, seu Sacramenti si formaliter cōcipiatur, in ente rationis sitam esse, quod enim res aliqua propter impositionem diuinam, seu humanam assumatur ad aliquid significandum, quod natura sua non significabat, non indicat in ea aliquem respectum realem, sed tantum respectum rationis per nostram considerationem efformatum.

7 Quinto reperiemus in Sacramentis tanquā quid necessarium ad eorum constructionem esse sacra non solùm ex parte rei significantis, sed etiam ex parte rei significatæ: esse sacra ex parte rei significantis patebit, inductione discurrenti per omnia Sacramenta, deinde verò probatur ex eo, quia Sacramenta veteris legis erant verè sacra, quia per illa ordinabantur homines ad cultum Dei: ergo Sacramenta nouæ legis multo illis perfectiora etiam debent esse sacra; quod verò res significata per Sacramenta debeat esse sacra, patet: Primò, quia, vt postea videbimus, per omnia sacramēta significatur gratia sanctificans, quā quid potest esse sacratius? res ergo, quam significant Sacramenta, absque dubio sacra est. Idem etiā secundò patet, quia in Sacramento, id, quod significat, sacrum est, vt probauimus: ergo id, quod significatur, etiam debet esse sacrum, neque enim credendum est, rem sacram à Deo assumi ad rem profanam significandam.

8 Sextò requiritur ad rationem Sacramenti, vt indicarunt *Vazquez disp. citata, & Belarm. 2. tom. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 9.* Et hoc tanquam quid præcipuū, & essentiale significatio gratiæ iustificantis. Probatur primo,

A hæc veritas ex *Euge. IIII. in Decreto fidei, quod est post vltimam Sessione. Concil. Florent. §. 5. Ecclesiasticorum.* Vbi, dum vellet Pont. naturam Sacramentorum antiquæ, & nouæ legis nobis ante oculos proponere, eandem in ordine ad significationem gratiæ his verbis adstruxit, *Illa enim* (nempe antiquæ legis Sacramenta) *nō causabant gratiam, sed eam solum dandam esse per Passionem Christi figurabant. Hæc vero nostra & continent gratiam, & eam digne suscipientibus cōferunt.* In quibus verbis Eugen. sine dubio est sermo de vera sanctitate interna animæ, non de legali sanctitate, quia istam legalem non solùm significabant antiqui Sacramenta, sed etiam conferebant. Erat autem sanctitas legalis mundities quædam corporalis secundùm existimationem legis, quia lex ob aliqua opera

B homines reputabat immundos. Constat secundò hæc pars, quia, vt sequenti quæst. dicemus, sacramēta nouæ legis, & antiquæ vnivocè sunt Sacramenta, sed Sacramenta nouæ legis propriè significant gratiam iustificantem: ergo, & Sacramenta antiquæ legis eandem significant. Minor probatur quoad Sacramenta nouæ legis, quia huiusmodi Sacramenta verbis ipsis, quibus conficiuntur, exprimunt animæ sanctitatem, verbi gratia, Sacramētum baptismi medijs illis verbis: Ego te baptizo, &c. Et Sacramentum pœnitentiæ medijs illis: Ego te absoluo à peccatis tuis. Et idem esto iudiciū de formis aliorum Sacramentorum. Quod si verba

C Eucharistiæ: *Hoc est corpus meum*, non resonant immediatè sanctificationem animæ, sed ipsum Domini corpus, significant tamen illam remote ex eo, quod dominicum corpus non vtcunque significant, sed vt est spiritualis refectio animæ media gratia iustificationis producta.

Septimo, & vltimo necessum est ad rationē Sacramēti, illud esse vt ceremoniā durabilē, & perpetuā institutū. Hanc conditionē vt necessariā exigunt *D. Tho. 1. 2. q. 102. a. 5. & Aug. li. 19. cōtra Faust. c. 1.* Hoc probatur quoad Sacramenta antiquæ legis, *ex c. 12. Exod. vbi Sacramēta antiqua dicuntur ritu perpetuo seruanda.* Et de Sacramentis nouæ legis hoc idem constat *ex 1. ad Corint. 11. vbi instituens Paul.* Sermonem de Eucharistia (& eadē est ratio quoad hoc de alijs Sacramentis nouæ legis) sic ait: *Quotiescunq; manducabitis panē hunc, aut calicē bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Id est ritus hic recipiendi corpus, & sanguinem Domini, quo mortis eius fit cōmemoratio, non est temporalis, sed vsq; ad finem sæculi duraturus. Ex defectu autem huius cōditionis illa insufflatio 9

D Christi in Apostolos, cū *Ioā. 20. Dixit Iesus Accipite Spiritum sanctum*, non extitit Sacramētū, licèt rem sacrā significauerit, quia eiusmodi ceremonia nō fuit instituta, vt in Ecclesia perseueraret. Ob quam etiam rationem transitus Israël per mare Rubrum, nullatenus fuit Sacramentum

tum, licèt regenerationem spiritualem medio baptismo nostris temporibus operatam significauerit.

10 Omnes prædictæ conditiones, si eas rectè inspicias, & attente perlustres Sacramenta noua, & vetera, apte conueniunt vtrisque Sacramentis.

QVÆSTIO III.

In quo consistat vera definitio Sacramēti, & an ea communis sit Sacramētis antiquæ, & nouæ legis.

1 PRIMA sententia est aliquorum asserētium Sacramentum non posse definiri, pro cuius defensione displicet allegare *Ocan. Maiorem, & Ricardum in 4. dist. 1. quia, vt aduertit Vazq. 2. tom. in 3. p. disp.* 127. c. 2. Nullus eorum hanc sententiam secutus est, placet tamen pro ea referre *Belarm. 2. tom. lib. 1. de Sacramentis in genere cap.* 10. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex vulgari illa propositione, ens per accidens non posse definiri, quæ locum habet *apud Arist. li. 7. Metaphys. t. 4. in medio.* Vbi Arist. soli substantiæ, vt homini, & equo videtur definitionem tribuere; sed Sacramentum est ens per accidens, quia componitur ex verbis, & rebus, vt postea demonstrabimus, & ex significatione gratiæ, quæ omnia necessario cōstituunt vnum per accidens, cuius modi est paries albus: ergo non potest definiri.

2 Sit tamen prima conclusio. Hanc esse optimam definitionem Sacramēti in communi. Sacramentum est signū rei sacræ sanctificātis nos. Ita definiunt Sacramentum *D. Tho. 3. p. q. 60. a. 2. Caie. ibid. Sot. in 4. dist. 1. q. 1. a. 2.* Et alij; quæ definitio inter omnes alias merito principē locum obtinet, quia totam essentiam Sacramenti apprimè adæquat, in ratione enim signi conuenit Sacramentum cum omnibus signis tam naturalibus, quàm artificialibus, ratione verò illius particulę rei sacræ, differt Sacramētum ab alijs signis, quæ sacra nō sunt, qualia sunt tuba in bello, & vestigium animalis. Per illam autem particulam, sanctificantis nos, tanquam per vltimam differētiam distinguitur optimè Sacramentum ab alijs signis sacris, vt à sacrificio, & ab vsu aquæ benedictæ, quæ licèt repræsentēt rem sacram, non tamen repræsentant gratiam iustificantem, ad cuius significationem Sacramenta ordinantur.

3 Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur cum *Suarez 3. tom. in 3. p. disp. 1. sect. 4.* Sacramenti naturam non esse æque perfectè vnam, ac naturam hominis. Vnde minime posse ita exactè, & propriè definiri, ac hominē, nihilominus tamen non esse tam improprie vnum per accidens, ac cumulū lapidum, vbi tantū reperitur rudis, indigestaq; moles, habet namq; Sacramentum suum genus cōpositionis, & vnitatis, propterquam definitionem exigit; res si quidem, quæ habent vicē materiæ, vt ablutio in baptismo, & verba, quæ induunt rationem formæ, vt in baptismo: Ego te baptizo, &c. cōiunguntur inter se veluti corpus, & anima, & vtraque in hoc vnum conueniunt, quod significent gratiam regenerantē, quando enim ens peraccidens includit aliquē ordinem rerū optimè potest definiri, vt probe cōsiderauit *Vazquez 2. to. in 3. p. disp. 128. c. 2. & vt acute deduxit ex Arist. 7. Metaphys. c. 4.* his verbis fauente nostræ doctrinæ, *Quare & albi hominis erit oratio, & definitio.* Sed homo albus est ens peraccidens ad modum Sacramenti, cum ergo Arist. homini albo nō deneget definitionem, cur nos sine rubore eam denegabimus Sacramentis?

4 Si ad secundum quæstionis punctū gradum facere velimus, facile inueniemus Doctores recentiores defendētes Sacramenta noua, & antiqua non vniuocè, id est eodē modo esse Sacramenta, sed analogicè, id est per ordinē, quē aliqua eorū ad alia includunt, sicut medicina dicitur sana per ordinē ad sanitatem animalis, quā ipsa operatur; fundamentū huius sententiæ illud est, quia de ratione Sacramenti videtur causare aliquam sanctitatem, sed antiqua Sacramēta tantum causabant sanctitatem legalem, & noua producunt veram sanctitatem animæ, nō sunt ergo vniuocè Sacramenta. Patet cōsequētia, quia sanctitates significatæ per hæc Sacramenta non sunt vniuocè sanctitates: ergo neq; Sacramenta sunt vniuoce Sacramenta.

5 Alijs verò, *vt Belar. 2. tom. lib. 1. de Sacramētis in genere, cap. 12. & Suar. loco citato, sect. 2. dicto. 2. & nouissime Coninc. tom. de Sacramentis, q. 60. art. 4. dub. 1.* placuit ad rationem Sacramenti non solum esse necessariam significationem sanctitatis interioris animæ, sed etiam causalitatem alicuius sanctitatis, siue legalis, siue interioris animæ. Ex quo colligunt Sacramenta antiqua, & noua vniuocè esse Sacramenta. Probatur verò primò de ratione Sacramenti esse causare aliquam sanctitatem, nam de Sacramētis antiquis aperte id constat, *Exod. 28. & Leuit. 8.* vbi ea dicuntur consecrare, sanctificare, aut initiare, quæ verba operationem sanctitatis denotant. De Sacramentis vero nouæ legis apparebit, quæst. 12. huius tract. esse verè productiua gratiæ. Secundò probatur hæc veritas ex eo, quod nomen ipsum Sacramenti aperte indicat aliquam operationem, sicut & nomina vestimentum, & calceamentum, sed hæc operatio non potest contingere circa aliquid aliud nisi circa sanctitatem, ergo de ratione Sacramenti esse videtur, sanctitatem aliquam efficere.

6 His tamen minime obstantibus sit secunda conclusio. De ratione Sacramenti prout commune consideratur ad Sacramenta antiquæ

tiquæ, & nouæ legis, tantum est significare gratiam animæ sanctificatiuam, & non conferre aliquam sanctitatem, aut interiorem animæ, aut legalem. Hanc conclusionem tuentur *D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 2. in corpore, & ar. 1. in solutione ad primum* (vbi sententiam, quam in 4. sentent. docuerat, in hanc meliorem commutauit) *& Domin. Sot. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. ad medium, Vazquez, loco citato 14. 5.* Fundamēta huius conclusionis duo potissima sunt. Primum desumitur *Ex Eugen. IIII. in Decreto fidei, quod est post vltim. Session. Concil. Florent. §. 5. Ecclesiasticorum.* Vbi naturam Sacramenti antiquæ legis in eo solùm constituit, quod significet gratiam, quæ per mortem Christi danda erat, non verò in ea causanda: ergo ad rationem Sacramenti nō est necessaria causalitas gratiæ, sed sola significatio eius. Secundum fundamentum sit, quia si ratio Sacramenti consisteret in conferenda aliqua sanctitate, siue animæ, siue legali, sequeretur exinde Sacramenta antiqua, & noua, non denominari vniuocè Sacramenta. Patet sequela: quia sanctitas interna, & sanctitas legalis non conueniunt vniuocè in ratione sanctitatis, cum sanctitas legalis tantùm sortiatur denominationem sanctitatis extrinsecè, & per ordinem ad sanctitatem interiorem animæ, quam significat; quemadmodum medicina dicitur sana extrinsecè, & per ordinem ad sanitatem animalis, quam producit, pari ergo ratione Sacramenta antiqua, quæ secundùm Authores secundæ sententiæ sunt collatiua sanctitatis legalis, & noua, quæ conferunt gratiam interiorem animæ vniuocè conuenire in ratione Sacramenti nequaquam possunt.

7 His respondetur argumento primæ sententiæ. De ratione Sacramenti in communi considerati non esse producere aliquam sanctitatē, sed tantum esse signum illius.

8 Ad primum argumentum, secundæ sententiæ, respondendum existimamus, ex illis locis sacræ Scripturæ tantùm colligi, Sacramēta antiqua cōtulisse sanctitatem legalem, quod nos non abnuimus, nullatenus verò posse colligi, rationem Sacramenti sitam esse in communicanda aliqua sanctitate siue animæ, siue legali. Secundum verò argumentum ex eo facile soluitur, quod inter nomina, quæ eodem modo terminantur, aliqua significant actionem, aliqua verò minime; quare, licèt nomen vestimētum, quod eodem modo terminatur, ac Sacramentum, significet actionem induendi, at Sacramenti nomen, vt rectè notauit *D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 1. ad primum*, non operationem sanctitatis, sed solam eius significationem sibi vendicat.

9 Ex sententijs hæreticorum, & contra nostrā primam conclusionem multa, & plurima argumenta adducit, & soluit *Belarm. 2. tom. lib. 1. de Sacramentis in genere, à cap. 13. vsque ad 17.* Quibus omnibus contendunt *Lutherani, & Caluinistæ* probare, Sacramenta non esse signa gratiæ, quibus Deus eam promiserit futuram, aut præsentē, sed tantùm esse quædam sigilla, seu signacula promissionis à Deo factę circa aliquam gratiam. Ex quibus argumentis tria tantùm adducemus, quæ nostrum propositum propius attingunt.

Primum argumentum sit *Caluini, lib. 4. cap. 14. institutionum, §. 5.* desumptum ex illis verbis *Pauli ad Romanos cap. 4.* Vbi loquens Paulus de circuncisione data Abrahæ, in hæc verba prorupit: *Accepit signum circuncisionis signaculum iustitiæ fidei.* Vbi solùm videtur denotare circuncisionem collatam esse signum gratiæ antea communicatæ, non eius, quæ de præsenti, vel in futurum communicanda esset. Sed huic argumento optimè satisfit cum doctrina *Belarmin. loco citato, cap. 17.* asserentis circuncisionem solùm fuisse signaculum iustitiæ fidei ante eam possessæ ab Abrahām, quia erat futurus pater omnium credentium, & hoc officiū nōn esse sortitam circuncisionem respectu aliorum, neque in eo constitisse naturam Sacramenti circuncisionis, sed in significanda gratia futura. 10

Secundò argumentantur *Lutherani*, ex illis verbis *Diui Petri in sua 1. epist. Canonica, & vos similes formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Vbi sine dubio loquitur Diuus Petrus de baptismo, & ex eo loci colligunt Lutherani, baptismi Sacramētum esse solùm sigillum promissionis Dei, & gratiæ existentis in anima ante baptismi receptionem. Respondetur tamen, Diuum Petrum in illis verbis tantùm voluisse nobis significare iustificationem animæ correspondentem baptismo non consistere in externa ablutione corporis. Sed in interna ablutione animæ, quam internam ablutionem vocat Diuus Petrus interrogationem bonæ conscientiæ per figuram metonymiam, in qua per effectum significatur causa, ideò autem sic appellat baptismum, quia ex baptismo rectè suscepto oritur in anima nostra mira quædam tranquillitas conscientiæ, & rectum testimonium nostræ iustitiæ, medio quo cum interrogamus conscientias nostras, Vtrùm fruantur gratia Dei? illæ cum morali certitudine respondent. Se credere eo dono non destitui. Cuius loci ampliorem disputationem si quis desiderauerit, consulat *Vazquez 2. tomo in 3. p. disp. 131. cap. 5.* 11

Tertiò impugnant nos hæretici, licèt expugnare minime possint, testimonijs aliquorum sanctorum Patrum, qui non raro Sacramenta appellant sigilla, seu signacula, quo modo loquendi non videtur significari, Sacramenta esse signa gratiæ per illa collatæ, neque illis vllo modo promissæ. Hæc tamen Catholicos 12

minime vrgent: neque Apostolicam doctrinā labefactare queunt, neque enim sancti Patres vocauerunt Sacramenta sigilla promissionum Dei, nam dum ex illis quidam Sacramenta dicunt esse signacula, id tantum contendunt ex eo prouenire, quia obsignant fideles, & eos distinguunt ab eis, qui fideles non sunt. Hac ratione loquuntur *Basilius in exhortatione ad baptismum. Et August. lib. 19. contra Faustum, cap. 11.* Dum verò alij vocant Sacramenta signacula, ex eo est, quia continent in se rem sacram, id est gratiam. Ita loquitur *August. in lib. de Catechizandis rudibus, cap. 26. imò Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 12. appellauit baptismum sigillum fidei*: quia qui baptizatur, baptismo tanquam quodam aperto signo ostendit se fidelem esse.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm Sacramenta perficiantur verbis, & rebus tanquam materia, & forma.

1 IN præsenti disputatione non dubitamus, an omnia Sacramenta constent rebus, & verbis, etiamsi de Sacramentis nouæ legis præcipuus sermo instituatur, vt enim in tractatu de Eucharistia in principio videbimus, hoc admirabile Sacramentum, quod permanens est, & in sacrario à fidelibus reseruatur, licèt producatur verbis ex illis tamen nequaquam componitur, sed tantummodo ex speciebus Sacramentalibus, & corpore, ac sanguine Christi coalescere cernimus.

2 Sit in hac quæstione prima conclusio, quam eleganter notarunt, *Suarez 3. tomo in 3. p. disp. 2. sect. 1. & Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. 129.* Antiqua Sacramenta non perficiebantur verbis, ita docuit, *D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 6. ad vltimum argumentum.* Probatur hoc dupliciter. Primò, quia in veteri Testamento, vbi præscribitur ritus Sacramentorum nulla fit mentio verborū. Nam quamuis, *Leuitici 4. dicatur, & orabit pro eo Sacerdos.* Id est pro eo, pro quo offertur sacrificiū, tamen hæc oratio nō ponebatur, vt pertinens necessariò ad sacrificium, sed ad maiorē vtilitatē sacrificij. Secūdò probatur ratione, *D. Thom. ibidē*, quia Sacramenta vetera erant quædā signa obscura gratiæ: ergo non indigebant verbis, quæ sunt signa clara gratiæ.

3 Secunda conclusio, Sacramenta nouæ legis rebus perficiuntur, & verbis. Ita docet, *D. Tho. 3. p. q. 60. art. 6. & cum eo communiter Theologi in 4. dist. 1.* Probatur primò: quia hoc etiā colligitur quantum ad aliqua Sacramenta ex scriptura, & quantum ad alia ex traditione Ecclesiæ. De baptismo dicitur, *Matthæi 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex quo loco colligit Ecclesia, necessum

A esse in baptismo, & aquā vti, & inuocare totam Trinitatem. De Eucharistia constat *Matthæi 26.* requirere ad sui consecrationem pro materia panem, & vinum, & pro forma verba illa: *Hoc est corpus meum*, in consecratione panis, & *Hic est sanguis meus*, in cōsecratione Calicis. Et quod Extremavnctio perficiatur rebus, & verbis patet *Iacobi 5. cap.* Vbi oleum ponitur pro eius materia, & orationem deprecatoriam pro forma apponi manifestum est. De alijs verò Sacramentis, de quibus non aperte loquitur scriptura, clarissime docet Ecclesiæ sanctæ traditio (quæ in re tanti momenti decipi non potest) ea perfici verbis, & rebus. Probatur secundo, ex *Eugenio IIII. in Decreto fidei misso ad Græcos, vt est in Concilio Florentino, post Sessionem vltimam, §. 5. Ecclesiasticorum.*
B Vbi cum numerasset omnia Sacramenta nouæ legis, addit hæc verba: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri.* Ratio à priori, quare ita instituta sint Sacramenta est voluntas Dei, ita res ordinare volentis, cum tamen posset illas aliter ordinare. Ratio verò, propter quam congruit, ita Deum res ordinasse, desumitur, *ex D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 6.* Nam res sensibiles ideò adhibitę sunt in omnibus Sacramentis tam nouis, quàm antiquis, quia sunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum diuinum. In lege autem gratiæ ideò addita sunt verba, quia Sacramenta legis gratiæ vt perfectiora requirunt verba, quæ
C expressius, & clarius multò, quam res, significant effectum gratiæ.

Contra hanc secundam conclusionem insur- 4
gunt difficilia argumenta. Primum est: quia Sacramentum confessionis solis verbis perficitur, vt verbi gratia, confessione pœnitentis, & absolutione Sacerdotis, quæ duo verbis fiunt, non rebus. Secundum argumentum est de Sacramento matrimonij, quod quidem solis verbis perficitur vtriusque coniugis explicantibus interiorem animorum consensum. Tertiū est: quia matrimonium aliquando fit solis nutibus, quæ res sunt, & non verba, vt cum muti inter se contrahunt: ergo doctrina illa generalis, quod scilicet Sacramenta perficiantur verbis, & rebus in his duobus Sacramentis locum
D non habet. Ad hæc argumenta quidam hæretici respondebant. Hæc duo non esse Sacramenta, ducti futili quodam fundamēto, scilicet, Sacramenta vendicare sibi loco materiæ rem ita materialē, quæ & manibus cōtrectari, & oculis percipi possit, *Durand. verò in 4. dist. 1. q. 3. n. 8.* existimat secundā cōclusionē non esse vniuersaliter verā. Sed ijs omnibus reiectis defēdēda sane est secūda cōclusio, & à nobis explicanda. Sic autē explicatur, vt cū dicimus, omnia sacramenta perfici rebus, & verbis, per res, nō intelligamus in omnibus Sacramētis res aliquas ma-

teria-

teriales, & tãgibiles, seu res, quæ nõ sint verba sed res ipsas, vel aliquid quod habeat vicẽ rei, seu materiæ, quale est verbũ, quod dicitur aliquãdo materia, quia respectu formæ Sacramẽtorũ est quid imperfectum, inchoatum, & informe sicut est materia, vel corpus respectu hominis. Vnde patet verificari de Sacramento Pœnitentiæ, & matrimonij nostrã conclusionem, quia licèt oris confessio, quæ est materia pœnitentiæ, sit in se verbũ, & non res, gerit tamẽ vicem rei, & materiæ in quantum subijcitur, & perficitur per formam absolutionis, sicut corpus ab anima perficitur. (Quãuis hoc Sacramẽtum semper constet re pro materia, scilicet, interno animi dolore) & licèt matrimoniũ solis verbis perficiatur aliquando, in eo tamen verba explicantia traditionem corporum gerunt B vicem materiæ, reiq́; quia cõplentur per alia verba, quæ habent rationẽ acceptationis, quibus contractus matrimonialis impletur. Imò si aliquando solis nutibus fiat matrimonium, nutus illi, quatenus continent acceptationes corporum, dicuntur forma, & esse loco verborum, quia supplent vicem verborum. Cui solutioni non vult acquiescere *Pater Vazq. 2. tomo in 3. p. disp. 129. c. 3.* quantum ad matrimoniũ celebratum solis verbis. Inquit enim, matrimonium semper perfici rebus, vt materia, quia materia matrimonij secundùm istum authorẽ sunt corpora contrahẽtium. Sed doctrina hæc falsa est, vt docuimus in tractatu 1. q. 1. de matrimonio annis præteritis; ibi enim docuimus, corpora cõtrahentiũ nullo modo esse materiã C matrimonij, sed verba ipsa habẽre rationẽ materiæ, & formæ, quod latius probare, ad hunc locum non pertinet, nostram tamen solutionẽ & defendunt antiqui Theologi, & recentiores: ex antiquis *D. Tho. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. & dist. 14. q. 1. art. 1. & Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 6. §. at vero, ad 1. ex recentioribus, Belarm. 2. to. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 18. Suarez 3. tom. in 3. p. disp. 2. sect. 1.*

5 Sit tertia Conclusio: Sacramenta perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Ita loquuti sunt primò Scholastici *cum Hugone de Sancto Victore, lib. 1. de Sacramentis, p. 9. cap. 2. in fine*, & desumpserunt ex *Augustin. tract. 80. in Ioannem asserente, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vbi per elemen D tum intelligitur res, quæ est Sacramentum, vt in baptismo ablutio, verbi gratia. Hæc enim, quia perficitur per verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et quia determinatur ad significandam ablutionẽ animæ, cũ antea non significaret, nisi corporis mũditiam. Ideò dicitur se habẽre vt materiam, & quia verba prædicta perficiunt, & determinãt ablutionẽ dicuntur se habẽre vt formã, sicut in rebus artificialibus lignum: Ex quo fit imago, dicitur materia, quia perficitur per figuram

A imaginis, & figura ipsa dicitur forma, quia perficit lignum, & determinat ad B EATAM MARIAM repræsentandam, cum antea nihil significaret. Nostram conclusionem apertè docet *Eugenius IIII. loco citato*, & probatur ex facta explicatione huius conclusionis, & vt rectè notat *Vazquez loco citato, capit. 2.* Hæc materia, & forma in Sacramentis consideratur solum ex parte quasi materiali, & ex parte eorum, quæ Christus ad nouam significationem sacramentalem gratiæ assumpsit, vnde res, & verba secundùm suas significationes naturales prius considerantur inter se, veluti materia, & forma, & postea hoc, quod componitur ex his duobus, se habet vt subiectum respectu significationis sacramentalis gratiæ: quæ significatio se habet, vt forma totalis: vt in homine reperitur corpus, quod est materia, & anima, quæ est forma eius partialis, & etiam reperitur humanitas, quæ est forma quædam totalis. Significatio verò sacramentalis gratiæ, quæ est relatio rationis, est simplex, & nõ cõposita ex vna significatione sacramentali rerum, & ex alia verborum. Vt bene vidit, *Caietan. 3. parte quæst. 60. art. 6.* quia res secundùm se, & verba secundùm se non significant gratiam sacramẽtaliter, sed vtrunque simul.

Quæret verò aliquis primò. An ita sint intrinseca materia, & forma Sacramentis, vt pro illis supponant ex æquo, an verò pro forma sola, vel materia? In qua re, vt certa ab incertis separemus, sit quarta conclusio. Res, & verba intrinsecè, & essentialiter requiruntur ad rationem Sacramenti, *Ita docet D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 6. ad 2. & Theologi in 4. distin. 1.* Probatur dupliciter. Primò quia totum illud requiritur ad rationem Sacramenti, quod necessarium est ad significandam gratiam, sed ad eam significandam, vt vidimus, in §. præcedenti, necessaria sunt verba, & res, ergo hæc sunt necessaria Sacramentis ad essentiã. Probatur secundò, quia totũ illud est essentiale in Sacramẽtis, quod significat gratiam: & totũ illud significat gratiã in eis, quod illam causat, sed tã res, quàm verba causãt gratiã, vt patet in Baptismo: ergo significant eam, ac per consequẽs sunt de essentia Sacramenti. An verò cum dicimus Sacramentum; hoc tantũ supponat pro rebus, vel pro verbis, sub iudice lis est. 6

Sotus in quarto dist. 3. quæst. vnica art. 1. Aut alibi non negauit, vt aliqui immeritò illi tribuunt, verba esse partem Sacramentorum. Sed cõtendit, Sacramentum supponere pro materia, & rebus connotata forma verborum, sicut album sumitur directè pro corpore connotata albedine. Et *Scotus* etiam, vt aliqui immeritò illi tribuunt; non etiam negat, res, & verba esse partes essentiales Sacramentorum, *in 4 dist. 3. quæst. 1. sed solum* contendit, nomen Sacramenti Baptismi non supponere pro sola 7

ablutione, aut verbis, sed pro vtroque, & idem ait de Sacramento Pœnitentiæ, *in 4. dist. 8. q. 1. §. Hic sunt tria.*

8 Sit ergo quinta conclusio. Sacramēta, quæ consistunt in vsu, & actione, & non permanēt actione præterita, qualia sunt omnia Sacramēta, præter Eucharistiā; vt in Baptismo: verbi gratia. Qui solùm durat dū, fit ablutio, & proferuntur verba, & non postea, illud, quod dicitur Sacramentum, non est sola materia, aut solùm forma Sacramenti, sed totum compositū ex materia, & forma. Probatur, quia illud ore pleno dicitur Sacramentum, cui conuenit significare gratiam sanctificantem nos, sed hæc significatio, neque conuenit materię soli, neq; formæ soli, sed vtrique simul, vt de se patet: ergo tantùm vtrunque simul dicitur Sacramētum. Sacramenti verò Eucharistiæ ratio, quæ non consistit in vsu, sed permanet transacta cōsecratione, conuenit soli materiæ consecratæ, scilicet, speciebus panis, & vini continentibus sub se corpus, & sanguinem Christi, non verbis consecrationis. Probatur, quia solùm istæ species significant immediatè gratiā sanctificantem nos per modum refectionis spiritualis, & verba consecrationis immediatè solùm significant corpus, & sanguinem Christi, & mediatè gratiam sanctificantem: ergo tantū species, & non verba sunt Sacramentum: quia id, quod est Sacramentum, debet immediatè significare gratiam sanctificantem. Et confirmatur: quia finitis verbis consecrationis, & multo post tempore manet in pyxide totum integrum, & perfectum Sacramentum Eucharistiæ, sed non remanent verba, sed tantū species consecratæ: ergo solum species consecratæ sunt Sacramentum Eucharistiæ.

9 Ad argumentum Soti respōdetur. Hoc nomē, albi, directè supponere pro solo corpore, & indirectè pro albedine, at verò nomen hoc Sacramentum directè, & ex æquo supponere pro rebus, & verbis in Sacramentis, quæ consistunt in vsu.

10 Quæret aliquis secundò, an ita sint necessaria verba, & res in Sacramentis, vt simul debeant concurrere? Hanc quæstionem quidam volunt reseruare in proprios tractatus Sacramentorum, sed hic, vbi disputamus de Sacramentis in genere propriam sedem habēte videtur. Circa quam quidam dicunt, necessariū esse, vt antequam finiatur materia: verbi gratia, ablutio in Baptismo, perficiatur tota verborum forma, ita sentit *Gloss. in cap. detrahitur, 1. quæst. 1.* Alij verò dicunt, oportere quidem, vt antequam finiatur materia, incipiat forma, vel è contra, vt ita concurrant simul saltim secundum aliquam sui partem, ita indicat, *Caiet. tom. 1. opusculorum tract. 26.* Probantur istæ sententiæ: quia cum ego profero verba Baptismi, *Ego te baptizo.* Non videntur esse vera, nisi simul, quandò finiantur verba, actioquoq; baptizandi finiatur, aut simul coniūgatur aliquid materiæ cum aliqua parte formæ. Sed tamen respondetur, primò cum *Soto in 4. dist. 3. q. 8. §. quando antè forma, & cum Suar. loco citato, sect. 3.* Non posse metaphysicè, & strictim designari quanta debeat esse hæc propinquitas, sed eam esse moraliter considerandam, ita vt non fiat magna interpollatio, & vt ex modo, quo adhibentur materia, & forma iuxta humanum modum concipiendi intelligatur, formam vniri materiæ, & è contra. Et idem dicendum est de coniūctione verborum formæ inter se. Secundò respondetur. Non requiri, quod forma perficiatur antequam finiatur materia, neque quòd aliqua pars formæ perseueret quando durat materia, vel è contra. Quod contendunt duo priores modi dicendi. Primò: quia sine causa introduceretur magnus scrupulus in veritate, & certitudine Sacramentorum. Secundò probatur: quia Apostoli vna die tria millia hominum baptizabant, quod nō possent præstare, si ita strictè res perpenderentur, vt pars materiæ cōiungeretur cum parte formæ. Tertiò: quia vt optime notauit *Sotus loco citato*, sermones morales non id requirunt. Qui enim phyalam ori admouens (exempla sunt Soti) ait, Ego bibo, & continuo bibit, simul cēsetur id dicere, & facere. Et similiter, si prius dicat Crucem osculor, & statim osculetur: ergo simili modo, si quis prius dicat, Ego te baptizo, &c. & postea statim abluat, sine dubio baptizat. Tertio respondetur pro diuersitate Sacramentorum diuersam requiri propinquitatem inter res, & verba, nam quādo res, seu materia est actio ministri, & indicatur per pronomen demonstratiuum, aut per verbum indicatiui modi, vel imperatiui, vt in Baptismo, Cōfirmatione, Extremavnctione, & in Sacramēto Ordinis, tunc requiritur, vt materia & forma moraliter simul fiāt, in Sacramēto vero Matrimonij tanta requiritur simultas inter traditionem, & acceptationem corporum vtriusque coniugis, quanta necessaria est inter emptionem, verbi gratia, & venditionem, ad celebrandum contractum emptionis, & venditionis. In Sacramento verò Pœnitentiæ, quod exercetur per modum iudicij, & per modum prolationis sententiæ, sufficit ea simultas, quę moraliter sit satis, vt idem iudicium peragi, & per sentētiam perfici, ac difiniri intelligatur. In Sacramento verò Eucharistiæ aperte requiritur; vt patebit in proprio tractatu, vt panis, & vinum, quæ sunt materia, circa quam fit consecratio, sint præsentia Sacerdoti, quando proferuntur verba consecrationis.

Sit sexta Conclusio. Fides Catholica docet, 11 præter verba, quibus Ecclesia vtitur pro forma in administratione Sacramentorū non esse alia verba necessaria, neque concionis, neque exhor-

exhortationis ad populũ, vel alterius generis: Hoc probatur. Primò ex perpetua Ecclesiæ nostræ traditione, quæ semper ita obseruauit. Secũdò probatur, *Ex Eugenio IIII. loco citato*, vbi solùm assignat prædicta verba pro formis Sacramentorũ, in re autem ita clara nõ est amplius nobis morandum, neque cum hæreticis disputandum, præsertim cum instituti ratio nostri id non exigat. Videantur in hac parte *Belarmin. 2. tom. lib. 1. cap. 19. & 20. & Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 129. cap. 4.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm res, & verba Sacramentorum ita sint à Deo determinata, vt ministri ea mutare non possint?

HAEC quæstio vnum supponit, & alterum quærit. Supponit, esse à Deo determinatum, qualis sit materia, & forma Sacramentorum. Et quærit, an ministri Sacramentorũ possint aliquid mutare in materia, & forma eorum.

1 Circa id, quod in quæst. supponitur, antiqui extiterunt hæretici, qui materiã, & formam Sacramentorum inuertebant, ac præcipuè apud Gnosticos, de quibus loquitur Epiphanius hæresi 26. Omnes tamen nihilominus, res & verba, seu formam, & materiam determinata habère volebant, & communiter non recedebãt à verbis Euangelicis, vt apparet *in Augustin. lib. 7. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 25. in illis verbis. Facilius inueniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.* Cæterum *Lutherus*, omnium hæreticorum audacissimus, *lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo* (licèt id postea retractauerit) asserit, non requiri determinata verba in baptismo, sed eum esse validum, dum modo tradatur in nomine Domini, quem errorem probauit *Brentius in suo Catechismo, capit. de Baptismo.*

Sit tamen, prima Conclusio de Fide: Sacramenta constant determinatis rebus, & verbis ex diuina institutione, ita vt ea mutare nõ liceat. Hanc sententiam latè explicant, & defendunt *Belarm. tom. 2. lib. 1. de Sacramentis in genere, c. 21. Vazq. 2. to. in 3. p. disp. 129. c. 1. Suar. 3. tom. in 3. p. disp. 2. sect. 3.* Hæc conclusio quãtum ad Sacramenta veteris legis est certa, & quantum ad Sacramenta nouæ legis (hic tamẽ non loquimur de Sacramento legis naturæ, de quo postea disputabimus) de Sacramentis ergo veteris legis verum est, res, in quibus ipsa consistebant, fuisse determinatas, nam in circumcisione constat, *ex Genes. 17.* ab ipso Deo fuisse determinatum quid, quo modo, & quo tempore faciendum esset. Agni paschalis ritũ

A fuisse à Deo determinatum, *patet ex capit. 12. Exodi.* Quod idem de multis alijs Sacramentis facilè potest probari in lege antiqua, vt de sacrificijs, & de sanctificatione Sacerdotis. Et quidẽ nemini dubium esse debet, quin Deus posset Sacramenta instituere non determinãdo eorum res, aut verba, sed illa in hominum arbitrio constituendo; de facto tamen hæc omnia esse determinata patet. Primò ex Ecclesiæ traditione. Secundò, quia hæc Sacramenta perfectissima sunt, vti causatiua gratiæ: ergo conueniens fuit, vt res, & verba eorum à Deo determinarentur ad eorum perfectionem ordinandam. Tertiò probatur, quia ea, quæ pertinebant ad Sacramenta legis scriptæ, erant determinata ita, vt mutari ab hominibus nõ possent, B vt quæ ad circuncisionem, & sacrificia, & alia Sacramenta attinebant: ergo ea, quæ pertinent ad Sacramenta nouæ Legis, quæ multò sunt illis perfectiora, conueniens fuit ab ipso Deo determinari; tùm etiam quia ad maiorem vnitatem, & pulchritudinẽ Ecclesiæ Catholicæ pertinet, ea, in quibus consistunt Sacramẽta, quæ sunt quasi Ecclesiæ fundamẽta, à Deo esse determinata, vt essent eadem apud omnes fideles, aliàs si arbitrio hominum relinquerentur, essent varia, & diuersa: ergo credendum est, Christũ res, & verba, in quibus existit essentia Sacramentorum, apertè determinasse.

Secunda Conclusio. Christus non determinauit materiã, & formam Sacramentorũ eodẽ modo in omnibus sacramentis. 2 Hæc conclusio C explicanda solũ est, & hinc facilè patebit: nam loquendo de forma verborum in sacramento matrimonij, forma solùm est determinata in genere, & in cõmuni, quæ posita est in signis exprimentibus verum consensum, quæ signa, quia aliquando sunt verba, aliquando nutus, aliquando literæ, quæ multùm differunt inter se, ideò forma solũ est vna in genere. At verò in alijs sacramentis forma est determinata in specie, quia verba sunt determinata in specie, secundum significationem formalẽ, vt in baptismo forma consistit in verbis exprimentibus ablutionem in nomine Trinitatis. Loquẽdo verò de materia Sacramentorũ, hæc est determinata secundum speciem in baptismo, & extrema vnctione; vt in baptismo materia est D aqua elementalis, quæ eadem est vbique, & in Extrema vnctione oleum est materia, quod idem est in toto orbe. In alijs verò Sacramentis materia solum est determinata in genere, vt verbi gratia, in Sacramento cõfessionis materia est dolor communis ad attritionem, & cõtritionem, quæ differunt in specie, in cõfirmatione Balsamum, quod secundum aliquos cõtinet in se multas species Balsami. Vnde cum dicimus Sacramenta habere determinatã materiam, & formam intelligitur in genere, vel in specie.

3 Quæret vero aliquis,an materia, & forma Sacramentorum ita sint à Deo determinata, vt determinatio facta sit pro tota Ecclesia militante taliter, quod materia, & forma, quæ in vna parte Ecclesiæ, vt in nostra Hispania sufficiunt pro valore Sacramenti, sufficiant ad eu dem valorem pro tota Ecclesia. Et quidem hæc quæst.nullam habet difficultatē,si loquamur de ritibus, & ceremonijs accidētalibus. Vt quod baptismus fiat per immersionem,vel aspersionem, & quod consecratio Eucharistiæ fiat in pane azymo, vel fermentato, nam huiusmodi ceremoniæ in Sacramentis valde diuersæ sunt secundum diuersas partes Ecclesiæ, vt discurrenti facile patebit. Sed quæst. hæc procedit de ritu illo, qui in vna parte Ecclesiæ sufficit ad valorem Sacramenti,an ille ipse in alia parte sufficiat ad valorem. Neque hæc quæst. nodum habet indissolubilem, loquēdo de necessitate præcepti,nam certum est, quemlibet debere seruare in ceremonijs Sacramētorum ea, quæ in illa parte Ecclesiæ,in qua commoratur, posita sunt sub præcepto. Vt si in Episcopatu Salmantino cadat sub præcepto per immersionem baptizare, eo modo omnes Salmātini debent baptizare; sed hæc locum habet de rebus, & verbis Sacramentorum, an res, & verba, quæ quibus in vna parte Ecclesiæ valet Sacramentum, valeat etiam in alia. *Qua in re Innocentius IIII.in cap.1.de Baptismo,& Felinus in cap.quæ in Ecclesiarum. de constitutione, num.* 26.& alij Iurisperiti docent in Eucharistiæ Sacramento sufficere Græcis pro materia panem azymum, & Latinis sufficere panem fermentatum,ita vt panis fermentatus, qui inter Græcos satis est ad valorem Sacramenti, non sit satis inter Latinos, & item Græcos verum efficere baptismum cum illa forma verborū, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Latinos verò cum eadem non cōficere Sacramentum.

4 Dicendum tamen nihilominus est, eandem materiam, & eandem prorsus formam, quæ in vna parte Ecclesiæ satis est ad verum constituendum Sacramentum,inqualibet parte sufficere ad idem Sacramentum,licèt quilibet teneatur seruare ritum accidentalem suæ Ecclesiæ,vt Græcus tenetur consecrare in fermentato,& Latinus in azymo. Hæc pars est communis inter Theologos. Probatur verò primò, quia hæc Sacramenta instituta sunt, vt Christi populus in vnum religionis nomen congregaretur. Vnde necessum fuit,vt vna esset pro omnibus institutio. Secundò probatur, quia si idē Sacramentum in diuersis partibus Ecclesiæ requireret diuersam materiā,& diuersam formā, vel hoc esset ex institutione Christi,vel Ecclesiæ. Nō Ecclesiæ, quia Ecclesia nequit aliquid disponere circa materiam, & formam Sacramentorum. Nō Christi, quia sicut Christus v- A nam instituit Ecclesiam, ita vnicam fecit institutionem Sacramentorum pro tota Ecclesia, quia hoc conueniens fuit ad eius vnitatem ostendendam; alias diei posset, pro diuersis temporibus diuersa etiam instituisse Sacramenta, quod est absurdum.

Contra hoc tamen difficile quoddam pugnat argumentum, quia in matrimonio, quod Sacramentum est, materia, quæ in vno tempore sufficit, in alio non est sufficiens, vt personæ, quæ ante Concilium Tridentinum erant habiles ad matrimonium contrahendum sine parrocho,& testibus,& modo sunt aptæ, vt in Gallia, post Concilium, & vbi Concilium est receptum, vt in Hispania, *vt patet ex Sessione 25. cap.1.de reformatione Matrimonij*, non sunt habiles sine præsentia parrochi, & testium: ergo materia, vel forma, quæ in vna parte Ecclesiæ satis est, in alia non est satis. Ad hoc argumentum communiter respondetur. In matrimonio posse duo considerari, & rationem contractus naturalis, qualis est permutatio vnius vestis pro alia,& rationem Sacramenti. Materia Sacramenti matrimonij tantū est legitimus contractus naturalis,& hunc Christus instituit pro materia, quam nequit Ecclesia immutare, vt nequit Ecclesia ordinare, vt legitimus contractus inter virum, & vxorem non sit Sacramētum matrimonij; at verò materiam contractus naturalis; vt quod istæ personæ sint habiles, vel illæ cum hac conditione, vel cum illa, Christus non determinauit, sed reliquit arbitrio Ecclesiæ,& hanc immutauit in Concilio Tridentino Ecclesia. In alijs verò Sacramentis, quorū materiæ non sunt contractus naturales subiecti Reipublicæ, sed res naturales, vt aqua, oleū, &c. non potest materias mutare Ecclesia. 5

Restat examinare secundum punctum quæstionis. An aliqua mutatio facta à ministro circa materiam, vel formam Sacramentorum noceat substantiæ Sacramenti, & aliqua non. Circa quod punctum, prima sententia asserit, nullum omninò effici Sacramētum eo ipso, quod minister addat aliquid formæ Sacramenti tanquam necessarium, quod necessarium non est, nempe volens introducere nouum ritum, & errorem in Ecclesia. *Ita docuerunt Antoninus, 3.p.tit.14.cap.13.§.3. Adrianus in 4.quæst.2.de Baptismo,§.ad videndum, versiculo: sed difficultas est.* Exemplum constituit *Antoninus loco citato*, eius, qui in forma Sacramenti baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti, adderet, & in nomine Beatæ VIRGINIS. Existimans tale additamentum ad essentiam Sacramenti pertinere. Pro qua sententia allegatur, *D.Thom.3.p.quæst.60.art.8. dum sic inquit. Si quis velit per additamentum, vel diminutionem introducere ritum, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videri huiusmodi ministrum conficere Sacramentum.* Hæc tamen sententia, vt optimè nota-

notauit *Vazquez 2.tom.3.p.disp.129.cap.6.* defendi non poteſt, ita generaliter, & vt iacet. Quod exinde facile cõſtat, quia ſecundũ multos grauiſsimos Authores, qui ita id referunt, Græci in baptiſmo mutant noſtram formam ſic dicentes. Baptizetur ſeruus Chriſti Petrus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Introducentes in hac forma ſuum errorem, quo credunt Latinos non rectè, & valide baptizare dicẽdo. Ego te baptizo in nomine, &c. Quia hæc forma ſignificat vim baptiſmi prouenire à miniſtro, & tamen Eccleſia noſtra Latina ſentit, baptiſmum Græcorum ſic miniſtratum valere, & Græci conſecrant Euchariſtiam in pane fermentato credentes nos non conficere Sacramentũ dum in azymo conſecramus: ergo, quod miniſter velit introducere ſuum errorem, non ſufficit ad inualidandum Sacramentum.

7 Secunda ſententia eſt *Soti in 4.diſt. 1.q. 1.a. 8.* Aſſerentis ſi quis mutet formam verborum in Sacramentis, ſeruet tamen eandem ſignificationem ſubſtantialem, verum efficere Sacramentum, quamuis velit introducere aliquem errorem, dummodo error ſit in ritu tolerato ab Eccleſia, quod ſi non ſit in ritu ab Eccleſia tolerato, non eſſe verum Sacramentum. Quod aſſerit propter Græcos, qui in Sacramentis volunt introducere ſuos errores, in ritu tamen ab Eccleſia Latina tolerato, & ideò verum efficere Sacramentum. Probatur hoc, quia cum Eccleſia tolerat illum ritum, miniſter bene poteſt habêre intentionem Eccleſiæ Catholicæ cum ſuo priuato errore: aliàs non. Hæc tamen ſententia merito ab aliquibus deſeritur, tùm quia quod ritus, in quo miniſter vult introducere ſuum errorem, toleretur ab Eccleſia, nihil operatur ad hoc, vt Sacramentum ſit validum, vel inualidum, quia hæc toleratio, vel prohibitio Eccleſiæ procedit ex iure humano, & voluntate humana Eccleſiæ: at intentio Eccleſiæ neceſſaria ad Sacramenti valorem non pendet ex voluntate humana Eccleſiæ, ſed ex inſtitutione Chriſti. Quam Græcus eodem modo haberet in Sacramentis, ſiue toleraretur ritus ſuus, ſiue non, quis hoc neget? Tum quia, vt poſtea conſtabit, ſi quis baptizaret in nomine etiam Beatæ VIRGINIS, non quidem contendendo ipſam eſſe Authorem Sacramentorum, ſed eius inuocationem eſſe eſſentialiter neceſſariam, tanquam adiutricis, vere baptizaret, & tamen eius ritus non toleratur ab Eccleſia: ergo, quod ritus toleretur ab Eccleſia, vel non, nihil nocet Sacramentis.

8 Tertia ſententia eſt aliorum, qui dicunt in eo caſu, quo miniſter Sacramenti vellet introducere nouum ritum in Eccleſia vera, & vniuerſali, eſſentialem mutando, vel detrahendo aliquid in forma, quod non mutet ſenſum eius eſſentialem, tunc non efficere Sacramentum, quia non poteſt habêre intentionem faciendi, quod facit Eccleſia vera, & vniuerſalis. Cum verò vult introducere ritum in Eccleſia particulari, vt Græci volunt introducere in Eccleſia Latina, putantes eam eſſe falſam, tunc poſſe eũ valide conſtituere Sacramentũ, quia poteſt habêre intentionem Eccleſiæ vniuerſalis, & veræ, quam ipſe putat non decipi. Hoc tamẽ diſcrimen nullum eſt, quia ille Græcus in Eccleſia vera, & vniuerſali vult introducere ſuum errorem, ſi quidem illum vult introducere in Eccleſia Græca, & Latina, & ſentit ſuam ſolam formam eſſe veram, & vniuerſalem, vnde ſi altera vtatur vniuerſalis Eccleſia, eam decipi.

Quarta ſententia eſt. Tunc effici verum Sacramentum, quando miniſter mutat aliquid formæ volens introducere aliquem errorem circa formam, ita tamen, vt retineat generalem aliquam intentionem faciendi id, quod facit vera Eccleſia, quæcunque illa ſit. *Ita ſentiunt Dur. in 4.diſt.3.quæſt.2.num.4. Palud.quæſt.1.nu.* 15. Quæ ſententia vera eſſe poteſt, ſi intelligatur iuxta ea, quæ explicabimus in noſtris concluſionibus. 9

Pro quibus intelligendis notandum eſt, mutationem formæ multis modis fieri poſſe. Primò ſola corruptione vocabulorum, nulla alia addita forma, de qua loquitur *Zacharias Papa in epiſt.4. Decretali, & refertur à Gratiano, capit. retulerunt, de conſecrat.diſt.*4. Nempe: Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta. Secundò additis vocibus mixtis cum illis, quæ pertinent ad formam, vt ſi quis dicat in baptiſmo: In nomine Patris omnipotentis. Tertiò poteſt fieri mutatio addita integra oratione communi formæ, vt cum dicunt Græci. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quartò variato modo, vt imperatiui fiat, quod erat indicatiui, qua ratione loco Latinæ formæ in baptiſmo; Ego te baptizo. Dicunt Græci, Baptizetur ſeruus Chriſti. Quintò mutando verba vnius linguæ in verba alterius. Sextò vt ponantur verba diuerſa, quæ ſignificent eaſdẽ res, vt ſi in forma baptiſmi loco Patris, & Filij ponãtur verba Genitor, & Genitus. Septimò poteſt contingere mutatio per tranſpoſitionẽ verborum, vt, baptizo te ego. Octauo per interpollationem, vt ſi quis poſtquam dixit: Ego te baptizo, ante alia verba de alijs rebus loquatur. Vltima mutatio eſſe poteſt ſi omnia verba formæ mutarẽtur in alia ſigna, nutus, vel ſcripturam, quos modos enumerant *Diuus Antoninus loco citato, & Suarez 3.tom.3 part. diſp.2. ſect.4.* 10

Sit ergo tertia concluſio. Si mutatio fiat per ſolam corruptionem verborum, ita vt ex communi modo concipiendi hominum denotetur id, quod ſine corruptione aliàs ſignificaretur, vt in illa forma, de qua loquitur *Papa Zachar.* tunc verum fiet Sacramentum, niſi miniſter velit 11

velit introducere aliquem errorem, & illud significare in verbis formæ, vt si per illa verba. Filia, & Spiritua sancta significare velit aliquam filiam Dei, & aliquam fœminam sanctam, tunc enim propter duas causas est nullum Sacramentum, tùm quia verba relata ad intentionē proferentis non sunt forma Ecclesiæ, sed contraria formæ Ecclesiæ, tùm etiam, quia tunc nullomodo adest intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Quia Ecclesia non intendit baptizare in nomine filiæ Dei, & alterius fœminæ sanctæ, sed in nomine Filij, & Spiritus sancti, quæ sunt duæ personæ Trinitatis. Vnde quando Zacha de prædicta forma asserit loco citato, Sanctissime frater, si ille qui baptizauit non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt supra fati sumus, baptizans dixisset, nō possumus consentire, vt de nouo baptizetur. Illud sic est intelligendum, baptismum cum prædicta forma corrupta valere, cum quis non vult introducere errorem in illa forma, sed ex ignorantia procedit.

12 Quarta conclusio. Cum verbis formæ miscētur alia verba, tunc, si cum illis verbis retineatur Catholicus sensus formæ, etiam si fiat cum animo introducendi nouum errorem in forma non pugnantem cum vero sensu, aut etiamsi fiat cum aliquo errore sola mente retento, valet baptismus. Exemplo res patefiet, Baptizat quis sic. Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filij sapientis, & Spiritus sancti paracleti. Valet baptismus, licèt baptizans credat illa additamēta omnipotentis, &c. Esse essentialiter necessaria, & licèt credat, personas Trinitatis esse inæquales, & Patrem esse maiorem Filio. Patet, quia tunc forma est vera, & intentio potest esse vera faciendi id, quod facit vera Ecclesia. Quod si additamentum tale sit, quod per illud destruatur sensus formæ, non valet baptismus, vt si quis dicat. Baptizo te in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c. Patet quia tunc non adhibetur forma Ecclesiæ, Arriani tamen verum conficiunt baptismum, licèt credant. Filium Dei esse minorem Patre, quia id in forma Sacramenti non explicant.

13 Quinta conclusio. Cum additur aliquid formæ, vel illud est verum, vel falsum: si verum, & quod non destruit sensum formæ, etiamsi addatur cum intentione introducendi nouum errorem, valet Sacramentum, vt valet consecratio Græcorum. Sic, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Probatur, quia tunc possunt concurrere omnia necessaria, ad Sacramenti valorem. si verò additamentum sit falsum, & reddat falsa verba formæ Sacramentalis, non fit Sacramentum, siue ex ignorantia, siue ex malitia id fiat. Vt si quis in consecratione diceret: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis non tradetur,* & ratio est, quia forma est falsa, & in hoc sensu A vera est doctrina *D. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 8. in corpore asserentis, quod si quis in forma consueta baptismi addat. In nomine Beata Virginis, vel illam particulam, in nomine denotat baptismū conferri eadem authoritate Virginis, ac Trinitatis, & tunc non fit baptismus, quia redditur falsa forma, vel illa particula denotat, innocare Virginem, vt adiutricem ad construandam gratiam baptizati, & tunc verum est Sacramentum.* Et quia verba sunt ambigua, in nomine Virginis, ideò ex intentione ministri pendet valor baptismi, quia dependet significatio formæ, vt benè *D. Thom. loco citato*, quidquid neget esse verba æquiuoca *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 129. cap. 7.* Imò etiam si aliquid detrahatur à forma, quam quis putat esse veram, etiamsi habeat animum intro B ducendi nouum errorem, si tamen maneat verus sensus formæ, valet Sacramentum, Si quis habeat intentionem saltim conditionalem faciendi, quod facit Ecclesia, vt si ita dicat. Ego credo formam pœnitentiæ nihil valere sine inuocatione Trinitatis (quæ sine dubio valet) volo tamen sine ea absoluere, etsi fortè sine ea aliquid facit Ecclesia, volo facere, quod facit Ecclesia.

Sexta conclusio. Si verbum indicatiui mutaretur in aliud temporis verbum, tunc si maneret idem sensus formæ, maneret Sacramentum quamuis minister vellet introducere suum errorem si haberet intentionem veræ Ecclesiæ, vt potest habêre: Cum priuato enim errore, quem quis habet, Ecclesiam Latinam, vel C Græcam decipi in aliquo casu, bene potest cōpati, quod habeat intentionē faciendi id, quod facit vera Ecclesia: imò faciendi id, quod facit Ecclesia, quam credit errare, vt si Græcus Sacerdos crederet in azymo non valere consecrationem, posset in eo valide consecrare cum hac intentione, si fortè Ecclesia Latina in azymo aliquid facit, volo facere, quod ea facit, ita docent communiter recentiores Theologi. Vnde valet baptismus Græcorum sub illis verbis: Baptizetur seruus Christi. Quæ sunt modi imperatiui, quod si non maneat verus sensus, nō manet Sacramentū, vt si quis loco illius, Absolno te, diceret, Absolueris per modum deprecantis, & in modo optatiuo, non valet absolutio, quia iste modus non est aptus ad ferendam D sententiam, qualis in absolutione fertur. 14

De alijs verò modis facilis esse potest resolutio, nam si mutatio in forma solum fiat ex lingua Latina, verbi gratia, in Hispanā, valet baptismus sine dubio, quod de se patet, si verò mutatio ea fit, vt nomina varientur, non verò sensus, tunc in Sacramento baptismi destruit Sacramentum, quando loco Patris, & Filij ponitur genitor, & genitus, quia cum hoc fit Sacramentū professionis fidei, debet proferri sancta Trinitas in verbis communioribus inter homines, qualia sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, 15

ctus. In alijs verò Sacramentis generaliter iudico non vitiari Sacramentum, si tamen verba, in quæ commutatur forma, idem significarent ex communi hominum vsu, & impositione, & non ex peculiari institutione proferentis, vt si in Sacramento Eucharistiæ loco illius verbi, corpus quis vellet prolibito suo apponere tēpus nihil efficeret, quamuis per tempus corpus intelligeret. Si autem mutatio fieret septimo modo supra explicato transponendo, seu inuertendo ordinem verborum inter se, tunc valebit Sacramentum dummodo sensus verborum substantialiter non varietur. Octauo modo potest aliquid variari in forma Sacramentorum per interpollationem, & tunc ista est obseruāda regula: quod si tāta sit interruptio proferentis, vt priora verba non dicantur cum posterioribus moraliter coniungi, non cōficitur Sacramentum. Cum verò moraliter coniungūtur, fit sine dubio Sacramentum: quod si vltimo modo verba mutari contingat, vt in nutus aut scripturam, tum valebit Sacramentū matrimonij, vt suo loco explicabitur, quia eius materia est contractus, qui non solum verbis, sed etiam nutibus, & scripturis optime celebrari potest. Reliqua tamen Sacramenta non perficiuntur nutibus, & scriptura, sed solis verbis, tanquam forma, vt rectè ***Eugen. IIII. in Decreto fidei misso ad Græcos, quod est in Concilio Florentino post. Sessione vlt. §. 5. Ecclesiasticorum.***

16 Vt tota ergo doctrina de mutatione formæ Sacramentalis breuiter comprehendatur, statuamus duas regulas cum ***Vazq. q.ex. 2. tom. in 3. p. disp.*** 129. ***cap.*** 7. prior sit: Cum mutatio quovis modo facta talis est, vt relinquat verū sensum formæ, neq; ex additamēto aliquo falso, aut diminutione illum corrumpat, licèt minister velit introducere nouum errorem in verbis formæ, si tamen habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia vera, quæcunque illa sit, verum perficietur Sacramentum. Secunda regula sit: Quoties mutatio, quæcunque illa sit, corrumpit verum sensum formæ, & in hoc introducitur error, siue scienter; siue ignoranter, quamuis expresse cōtendat facere id, quod facit Ecclesia vera, quæcunque illa sit, non constituit verum Sacramentum, tum quia defuit vera forma necessaria, tùm etiam, quia iste talis cum non adhibeat formam, qua vtitur vera Ecclesia, non habet sanè intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, vt de se patet. Et hac ratione tota hæc rèsquantum ad mutationem formæ satis definita manet. Sed quæres, quale peccatum sit mutare formam? Ad hoc respondetur cum ***Petro de Ledesma in Summa de Sacramentis in communi, cap.*** 1. Mutare formas Sacramentorum, ex natura sua esse peccatum mortale, nisi ex aliqua causa excusetur, & mutare formam, ita, vt sensus eius totaliter mutetur, esse peccatum mortale: quia committitur sacrilegium in

A re graui. At verò mutare formam, cum nō mutetur sensus, si fiat notabilis mutatio, est peccatum mortale; vt cum dicitur: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, &c. Si autem mutatio sit leuis, vt cum in baptismo tollitur particula, & mutatio est solùm peccatum veniale, qui tamē vult introducere nouum ritum in Ecclesia cōtra id, quo illa vtitur, grauiter Ecclesiam contemnit.

Difficultas verò breuis remanet circa mutationes materiæ, circa quas respondetur primò. 17 Cum mutatur substautialiter materia, vt cum loco aquæ in baptismo apponeretur vinum, tunc nullum est Sacramentum. Probatur: quia sicut destructo corpore, quod est materia hominis, destruitur homo, ita destructa materia

B Sacramenti destrui quoque Sacramentum necesse est. Respondetur secundò, cum materia tantùm mutatur accidentaliter, tunc Sacramētum validum est, vt cùm aqua frigida mutatetur in calidam in baptismo. Patet: quia manet id, quod est de substantia baptismi, vt, quamuis mutetur homo ex frigido in calidum, ex nigro in album, semper tamen manet homo. Respondetur tertiò, cum materia, quæ adhibetur ad conferendum Sacramentum, neque est eadem secundùm nomē, neque secundum rationem considerata prudentum hominū existimatione cum ea, quæ recepta est ab Ecclesia, & à Christo Domino instituta, tunc mutationem esse essentialem, & Sacramentū esse nullum. Probatur: quia ad conficiendum Sacra-

C mentum requiritur materia à Christo Domino instituta, neque enim vllus hominum, aut tota Ecclesia valet aliam materiam introducere: Sed cum prudentes, & docti homines iudicant eam materiam, quæ adhibetur in Sacramē tis esse diuersam nomine, & ratione, non adhibetur materia à Christo Domino nostro instituta, ergo tunc sine dubio nullum redditur Sacramentum, neque video hac in re posse aliam regulam, aut plus concisam, aut plus specialē assignari. Vnde cum sufficienti fundamento asseremus in materia baptismi aquam rosaceā non esse materiam Sacramenti baptismi, quia differt nomine, & ratione ab aqua elementali, quæ est materia Sacramenti, & addit ***Pater Coninc. tomo de Sacramentis, quæst. 60. art. 8. dub.*** 1.

D In duobus casibus posse aliquem vti forma dubia cum conditione, si verum sit Sacramētum. Primò cum Catholicus existimat formam cōsuetam in Ecclesia esse hanc, in nomine genitoris, &c. & aliquis illi minaretur mortem, nisi ea vtatur. Secundò cū puer est in mortis periculo, & nemo adest, qui sciat formam certam.

QVAES-

QVÆSTIO VI.

Vtrùm sacramenta fuerint necessaria ad salutem.

HAEC quæst. & potest agitari de sacramẽtis, antiquis, & nouis, & de necessitate institutionis eorũ. An fuerit Deo necessarium, sacramenta veteris, & nouæ legis instituere, & supposita necessitate eorũ potest examinari, an sacramentis vti sit nobis necessarium ad salutem?

1 Rursus prænotandũ est cum communi sententia Philosophorum, & Theologorum duobus modis contingere aliquid necessarium esse ad aliud: vno modo simpliciter, quia sine eo nõ potest illud aliud obtineri, vt alæ sunt necessariæ ad volandum, quia sine ijs volatus auium exerceri nõ potest. Alio modo secundũ quid, seu ad melius esse necessũ est, vt equus est hoc modo necessarius ad iter agendum. Quia, licèt sine eo possit iter agi, at non commode, & vtiliter, sed cum magno labore. Primo modo sunt ad salutem necessaria gratia, fides, & præcepta diuina, quia sine ijs, & eorũ obseruatione salutem æternam consequi nemo potest. Secundo modo dicuntur esse necessaria ad salutem opera consilij, vt votum continentiæ, paupertas perpetua, &c.

2 Deinde necessarium ad salutem est duplex aliud necessitate medij, quia est medium necessarium ad consequendũ finem salutis, aliud necessitate præcepti, quia à Deo fuit imperatum homini. Cuius distinctionis meminere, *Durand. in 4. distinct. 9. quæst. 2. num. 6. Sotus in 4. distinct. 2. quæst. 6. art. 4.*

3 In qua quæst. 1. supponendum est, institutionem sacramentorum tam veteris, quam nouæ legis non fuisse Deo necessariam, qui & potuit humanum genus minime cõdere, aut illud alijs infinitis modis sine sacramentis ad salutẽ perducere.

4 Secundo supponendum est, omnia sacramẽta tam antiqua, quam noua esse necessaria ad salutem secundum quid, idest vtilissima. Res est certa, sed aliquibus rationibus probatur. Prima, vt essent signa, quibus discernerentur fideles ab infidelibus, & quibus colligaretur populus Dei, & quibus etiã vt sacris ceremonijs coleretur Deus. Ratio secunda est, vt homines his signis exterioribus facilius excitarentur ad salutem, & deuotionem.

5 Sit prima conclusio. Sacramenta antiqua (excepto remedio, seu sacramento legis naturæ, de quo postea erit sermo) non erant necessaria necessitate medij ad salutem. Hæc conclusio patebit ex secunda conclusione, in qua explicabimus, quid requiratur ad hanc necessitatem. Et facile perspicietur, id huiusmodi sacramentis non competere. Attamen ista sacra- A mẽta fuerunt necessaria necessitate præcepti, quia vt patet ex multis locis veteris testamenti, præcepta fuerunt populo Israel.

Sit secunda conclusio. Si loquamur de sacramentis legis Euangelicæ, duo sunt necessaria ad salutem necessitate medij, scilicet baptismus, & pœnitentia. Probatur, quia ad salutem duo sunt necessaria vt media, iustificatio, seu liberatio hominis à peccato. Et perseuerantia in gratia vsque ad finem vitæ, & ad hoc, vt aliquid sit necessariũ ad salutem necessitate medij, necesse est, vt aliquid horũ causet in re, vel in voto, Baptismus autem, & pœnitentia causant in re, vel in voto primam iustificationem: Ergo sunt necessaria necessitate medij ad salutem. Minor probatur, quia, vt sacramentum aliquod causet primam iustificationem in anima, B & expulsionem peccatorum in re, vel in voto, requiritur, quod habeat mutuam successionem cum contritione, in qua includitur votum, seu, quod idem est, desiderium recipiendi sacramentum. Quæ successio stat in hoc, quod cùm sacramentum illud, quod dicitur ita habere cõnexionẽ cum contritione, potest suscipi, suscipiatur, & habeat vim iustificandi; & cum non potest suscipi, contritio loco illius iustificet. Sed baptismus, & pœnitentia talem habent cum contritione connexionem, vt hæc in re suscepta suppleant vices contritionis, & iustificent hominem, sicut & illa, si adesset, iustificaret, & cum hæc non suscipiantur in re propter aliquod impedimentũ, contritio suppleat C vices eorum, & loco illorum hominem sanctificet. Ergo hæc duo sacramenta sunt necessaria necessitate medij ad salutem. Doctrina hæc, & discursus desumuntur, *Ex Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 169. cap. 1.* Imò addo, hæc duo prædicta sacramẽta esse necessaria necessitate præcepti. Hoc apertum est, & suis locis probabitur. Quia omne, quod est necessarium necessitate medij ad salutem, est nobis positum in præcepto, sicut salus ipsa posita est sub præcepto. 6

Sit tertia conclusio. Reliqua sacramenta nouæ legis non sunt necessaria necessitate medij: patet, quia non causant primam iustificationem nostram in re, vel in voto suscepta eo modo, quo diximus, esse necessarium in præcedenti cõclusione. Præterea neque causant per- D seuerantiã in gratia vsque ad finem vitæ, quod sufficeret ad hoc, vt essent necessaria eo modo, quia non eam causant in re suscepta, quia continget perseuerare in gratia eum, qui nullum sacramentum eorum suscepit; vt si quis in adulta ætate baptizatus moreretur, statim post baptismum, cum non potuisset aliud suscipere sacramentum. Neque causat eam perseuerantiã aliquod eorum sacramentorum in voto susceptum, quia desiderium recipiendi ea sacramenta, quod quis habet, dum in casu prædicto baptiza- 7

A baptizetur, non est causa perseuerandi in gratia,& moriendi in ea,sed volūtas sola Dei volentis eum ex hac vita extrahere, eum quod malitia mutaret intellectum eius, ergo ea sacramenta non sunt necessaria necessitate medij, sunt autem aliqua eorum necessaria ex præcepto Dei,& non omnia eodem modo, nam aliqua sunt præcepta toti Ecclesiæ,& non singulis,vt ordo,& matrimonium,alia singulis,vt sacramentum Eucharistiæ. *Ioannis* 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis. Alia vero sacramenta,vt Cōfirmatio,& Extrema vnctio, non sunt necessaria etiam ex præcepto.

QVÆSTIO VII.

Vtrum in statu iustitiæ originalis, quem Adamus habuit,& in eo,quem posteri haberent eo non peccante,futura essent sacramenta.

1 IN propositis difficultatibus non quærimus,an Deus in his statibus posset sacramēta instituere, cum apertum sit, id Deo esse possibile, cum non habeant intrinsecam repugnantiam cum his statibus sacramenta aliqua,vt bene notauit. *Suar. 3. tom. in 3. p. disp. 3. sect. 3. cum Durand. in 4. dist. 1. q. 2. nu. 9. & Alexand. 4. p. q. 1. n. 2. art. 1.* C Quoniam, sicut postea dicemus,quemadmodum fuerunt aliquæ congruentiæ, ob quas non conueniebat in statu innocentiæ Adami esse sacramenta, ita essent aliæ etiam congruentiæ, ob quas conueniens esset, ea sacramenta tunc institui, vel ob quas conueniens esset,in statu innocētiæ posteriorum ea esse, si Deus vellet tunc ea ordinare; quod autem illis temporibus congrua essent sacramenta,probatur, quia duobus modis prosunt sacramenta; vno modo ad significandum, alio modo ad causandam gratiam, vtroque autem modo possent tunc prodesse. Primo enim prodessent vt signa, tum ad exprimendam, & profitendam interiorem fidem, quæ in eo statu esset, tum ad excitandam memoriam, D & affectum circa aliqua mysteria per ea repræsentata, neque enim tunc memoria esset in actuali consideratione omnium rerum, sed rebus,& signis ad eam excitaretur, tum etiam ad consensionem, & vnitatem hominum eiusdem religionis medio cultu exteriori, quo Deus ab illis coleretur. Quod si sacramenta considerentur secundum quod sunt causa augmenti gratiæ ex vi operis externi, & ex opere operato, vt sic essent valde conuenientia illis statibus; tum etiam, quia causare

A Deum gratiam cum rebus sensibilibus, & materialibus, conuenientissimum est ad Diuinā sapientiam ostendendū, siquidem in isto modo coniungendi res inferiores sensibiles cum superioribus gratiæ animæ, elucet Diuina sapientia, elucet etiam in sacramentis diuina potentia,in quantum cum rebus ita abiectis,qualis est ablutio corporis, verbi gratia, causare rem ita magnam,qualis est gratia. Tertio relucet ibi diuina bonitas in quantum in rebus ita facilibus, quales sunt aqua in Baptismo, & Oleum in Extrema Vnctione,constituit Deus nostram iustificationem,ad quæ attributa Dei pro illis statibus ostendenda, vtilia essent sine dubio sacramenta. Ex hoc tamen non licet nobis asseuerare futura esse sacramenta tūc, quia B non ex eo, quod nobis videantur conuenientia pro eo statu, possumus dicere, futura esse. Vnde, *Cùm D. Thom. quæst. 61. art. 2. in corpore ait in statu iustitiæ originalis non fuisse necessaria sacramenta*, idest non fuisse cōuenientia; vt Doctores ibi explicant, ipse se explicat dicēs ibidem, *Neque in remedium peccati, neque in quantum sacramenta ordinantur ad animæ perfectionem.* Quod vltimum intellige, quia non debebat tunc anima à rebus materialibus perfici, veluti in pœnam peccati, ob alios tamen fines proxime explicatos conuenietia essent sacramēta. Solum ergo quærimus,an sacramēta futura essent in eo casu,quo Adamus non peccaret,& eius posteri nascerentur in iustitia originali,considerata solum, & recte expensa cōnexione earum rerum inter se, quas Deus de facto esse decreuit; in qua sacramenta videmus dependere ex aduentu Christi, & data nobis fuisse occasione peccati.

2 Secundo supponendum est hanc quæst. non procedere de alijs sacramentis,quæ Diuina potentia posset instituere in eo casu,quo Adamus non peccaret,sed de his sacramentis, quæ modo habemus, an eodē modo essent futura, quo nunc sunt, nam de alijs non licet nobis diuinare,quod recte aduertit, *Vazquez 2. tomo in 3. p. disp. 530. cap. 3.*

3 Tertio supponēdum est. Licet hac in re sint inter se oppositæ sententiæ, vt videre licet in expositoribus, *D. Thom. super 3. p.* Si Adamus non peccaret,Christum non venturum neque D passibilem,neque impassibilem, ita docuerūt. *D. Tho. 3. p. q. 1. art. 3. Caiet. & recentiores Thomistæ ibidem, Cap. in 3 sent. dist. 1. q. vnica art. 1. conclus. 1. D. Bonauent. art. 2. q. 2.* & alij multi. Hoc probatur primo testimonijs Sanctorū Patrū, *Irenæus enim lib. 5. aduersus Hæres. cap. 14. sic inquit. Si caro saluanda non esset, nequaquā Verbum Dei carnē assumpturū: August. in Psal. 36. cōcione 2. sic ait. Si tu ò homo non dimitteres Deum, nō fieret pro te Deus homo.* Secūdo probatur ex eo, quod canit Ecclesia loquendo de Beata VIRGINE. *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquā*

fores

fores tanto digna filio. Et ex eo, quod eadem A Ecclesia canit in benedictione cerei Paschalis. *O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat*, & in Symbolo Nicæno de Christo dicitur, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis*. Omitto multa alia testimonia Patrum in fauorem huius rei, quæ videri possunt apud *Vazquez super dictum art. D. Thom.* Probatur hoc ratione, quia de Dei voluntate, & dispositione non possumus nos loqui aliter, quam secundum ordinem, quem res habent inter se, ita, vt dicamus Deum velle vnam rem pendere ab alia, & non esse sine illa, quia vna res non est sine alia, vt Deus vult Filium aliquem esse in rerum natura, quia voluit Patrem esse in rerum natura, etsi Pater non extitisset, B recte diceremus, quod Filius non existeret, sed Deus Optimus Maximus, ita res ordinauit de facto, quod Incarnationē sui filij voluerit dependētet à peccato Adami: ergo eo nō existēte credere debemus, quod non veniret Christus.

4 Circa primum punctum, quod in hac quæstione quæritur, an fuerit aliquod sacramentum pro primis parentibus, quandiu ipsi fuerunt in statu iustitiæ originalis, sit prima conclusio. In eo statu nullum fuit sacramentum, aut sacrificium. Probatur primo, quia nihil de hac re scriptum legimus in scriptura, contra verò statim post naturam lapsam legimus, *Genesis* 4. Sacrificia Abel, & Cain. Secundo probatur, quia, vt bene notauit, *Suar. 3. tomo in 3. parte disput. 3. sect. 3.* Tempus illud nostrorum parentum priorum ante peccatum C fuit breuissimum, & Deus id præsciuit: ergo non est credendū, quod pro tam breui tempore sacramenta instituit, omnia enim alia sacramenta pro lōgo quodā tēpore instituit. Tertiò quia sacramēta omnia etiam ante Christum instituta, vt omnes concedunt, instituta fuere ex meritis Passionis Christi: nihil autem fuit concessum, vt videre licet in *Vazquez 1. tomo disput. 12. cap. 2.* Adamo per Christum ante peccatum, quod etiam patet ex præsupposito huius quæstionis: ergo nullum sacramentum fuit institutum pro illo statu; fuit quidem in eo statu matrimonium inter Adamū, & Euam dicente *Adamo Genesis 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Veruntamen D illud non fuit sacramentum in eo sensu, quo nunc loquimur de sacramento pro signo, scilicet, rei sacræ sanctificantis nos: quod si illud matrimonium appellauit *Paulus ad Ephesios* 5. Sacramentum dicens, *Sacramentum hoc magnum est*. Non est sermo ibi de sacramento in eo sensu. de quo modo loquimur, prout est signum gratiæ, sed in alio, scilicet, vt significat aliquam rem occultam, & supernaturalem, scilicet, coniunctionem Christi cū nostra Ecclesia.

Circa secundum verò quæst. punctū, *Suarez, loco citato*. Primo dicit, non satis nobis cōstare, an perseuerante statu iustitiæ originalis in posteris Adæ, futura essent sacramenta, an non, quia non satis constat, quid tunc Deus decerneret, ex cuius voluntate pendet, esse, aut non esse sacramenta. Secundo asserit iste auctor, in eo casu, si coniecturis agendum sit, futura fuisse aliqua sacramenta. Tertio assignat sacramenta, quæ tunc essent, ex his septem, quæ modo habemus, inquit enim, Baptismum tunc non futurum, quia iste iustificat homines natos in peccato, tunc autem omnes nascerentur in statu gratiæ. Secundo excludit confirmationem, quia hæc datur ad roborandos fideles contra Tyrannos, tunc autem non essent Tyranni, præterea pro statu prædicto non admittit matrimonij sacramentum, quia hoc datur ad superandos concupiscentiæ motus, qui tunc non essent, tunc enim non peccaretur ex Passione, sed ex malitia. De Eucharistia verò dicit tunc futuram esse, quia causat in animi mirabilem vnionem eius cum Christo, & quia minime pendet à peccato. De sacramento Ordinis incertum iudicat, tunc fore. De sacramento verò pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis videtur sentire iste auctor tunc non fuisse futura, quia occasionem acceperint à peccatis. Hæc tamen sententia salua pace tanti viri vera non est, tum in eo, quod supponit in eo casu, quo Adamus non peccaret, & posteri essent in statu iustitiæ originalis, futurū esse aliquod sacramentum, tum in eo, quod tunc admittit Eucharistiam, & non admittit sacramentum Ordinis, cum primum necessario pendeat à secundo in fieri. Si enim tunc Sacerdotes non essent, quis, quæso, Eucharistiam conficeret? An illa semper veniret è Cœlo delapsa, an quilibet etiam laicus, & non ordinatus posset eam conficere? Quod de nostro statu affirmant recētiores Hæretici. Neutrum videtur credibile, tum etiam, quia secundum istum auctorem homines illi peccarent aliquando, cur ergo non instituerentur tunc sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismi, & Extremæ Vnctionis ad delenda peccata? Tum etiam, cur tunc non esset confirmatio ad augendam gratiam originalem, in qua nascerentur homines, & ad alacrius profitendam fidem exterius, & coram Tyrannis, qui tunc ex malitia possent esse; & essent iuxta istum Doctorem. Licèt enim tunc Tyrannis non oriretur ex desiderio honoris, & pecuniarum, cur non oriretur ex superbia, sicut peccatum primi Angeli peccantis, & non ex passione, sed ex malitia?

Sit ergo secunda conclusio. Adamo non 6 peccante, & existentibus Filijs eius in statu iustitiæ

iustitiæ originalis, & innocentiæ nullum esset futurum sacramentum ex iis, quæ sunt in nostra lege Euangelica, vel fuerunt in lege naturæ, aut in lege scripta. Hæc sententia defenditur ab omnibus scholasticis antiquis, & peculiariter à *D. Thom. in 4. distin. 1. artic. 2. quæst. 2. Ricard. eadem distin. 1. art. 2. quæst. 1. Paludano quæst. 3. conclus. 2. Soto quæst. 2. artic. 2. & Caietan. super quæst. 61. 3. partis artic. 2. ad finem, Hugone de Sancto Victore tomo 3. lib. 1. de Sacramentis, part. 9. cap. 3.* Probatur autem ratione hæc pars, quia vt patet ex tertio notabili Adamo non peccante Christus non veniret, Christo autem ad nos non veniente non essent prædicta sacramenta, quæ in mundo instituta sunt, quia omnia ex meritis Christi ortum habent, ergo vera est nostra conclusio. Quod verò omnia sacramenta habuerint ortum ex meritis Christi, per se manifestum est, & præterea probatur ex illo loco vulgari Apocalypsis. 3. *Agnus occisus ab origine mundi*: Per quem ostēditur omnia merita, & omnes gratias collatas hominibus à mundi primordijs ex Christi meritis siue futuris, siue præteritis, siue præsentibus proficisci: imo etiam si Adamo non peccante Christus veniret impassibilis, sacramenta tamen, quæ de facto communicata sunt mūdo, non tunc extarent, quia dependebant ex meritis passionis Christi, quæ passio tunc non esset.

7 Quæret tamen aliquis primo, an Adamo non peccante, & posteris nascentibus in iustitia originali, nihilominus aliqui eorum peccarent? Ad quod respondetur, neque posse nos affirmare aliquos peccaturos, neque non peccaturos, quia ad hoc requiritur hoc, quod est posteros peccare, vel non peccare, connexionem aliquam habere cum eo, quod est, non peccare Adamum, non est autem talis connexio, licet valde credibile sit, inter tot homines aliquos peccaturos, sicut & Adam peccauit?

8 Quæret aliquis secundo. Si Adamus non peccaret, & posteri peccarent, an futurum esset aliquod sacramentum in remedium peccati? Ad quod respondetur primo de Dei misericordia facile presumi posse, instituturam aliquod sacramentum remissiuum peccatorum in eo casu. Secundo respondetur, non posse nos affirmare, tunc futurum tale sacramentum, neque affirmare, non futurum, quia neutra pars habet connexionem ex se cum eo, quod supponitur, scilicet, quod Adamus non peccaret, & eius posteri peccarent. Ad hoc autem, vt propositiones formatæ cum suppositione, & cum particula, si sint veræ, requiritur, vt subiectum habeat connexionem in se cum prædicato, vnde ideo hæc propositio. Si Sol luceret, dies esset, vera est, quia hoc, quod est, diem esse, habet dependentiam ab hoc, quod est Solem lucere: hæc vero propositio. Si Petrus dormit, ego studeo, falsa est, vt colligitur ex acuta doctrina, *Vazquez secundo tomo in tertiam partem disput. 130. capit. 4.* quia vnum non dependet ab alio; imo, & hæc est falsa. Si Petrus dormit, ego non studeo, neque enim vnum dependet ab alio.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm in statu legis naturæ fuerit aliquod remedium ad delendum peccatum originale paruulorum, quod esset sacramentum.

PRO intelligentia vera huius propositæ quæsti. aliqua sunt notanda. Primum est, ab orbe condito vsque ad nostra tempora tres fuisse à Deo ordinatos status ad salutem fidelium. Primum legis naturæ, qui durauit ab Adamo vsque ad Moysem. Secundum legis scriptæ, qui durauit à Moyse, qui in monte Sinai accepit legem à Deo in tabulis lapideis scriptam vsque ad Christum. Tertium legis Euangelicæ, qui durabit à Christo, vsque ad finem mundi; & quidem non dicitur prior status legis naturæ, quia in eo solum habuerint homines cognitionem naturalem Dei, & sola præcepta naturalia, quia, vt optime docuit, *D. Thom. 3. part. quæst. 61. artic. 3.* Semper in Ecclesia Dei fuerunt præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis. Dicitur ergo lex naturalis non, quia in ea tantum essent præcepta connaturalia gratiæ, & ei necessaria, nam Adamo existente in statu iustitiæ originalis imposuit Deus præceptum de non comedendo de ligno scientiæ boni, & mali, quod non erat connaturale, seu necessario annexum gratiæ, sed tantum dicitur status legis naturæ ad differentiam legis scriptæ, quia in lege scripta præcepta Dei erant expressa in Sacris Scripturis, at vero in ea lege non erant præcepta Dei in scripturis posita, sed per diuinam inspirationem cordibus impressa. Primo loco agemus de priori statu. Secundo de secundo statu. Tertio loco de tertio statu.

Secundo notandum est, ideo nos in hac quæst. minime efficere mentionem adultorum legis naturæ, quia respectu eorum nullum aliud extitit remedium, vt à peccato originali, & ab actualibus mundarentur, nisi contritionis, & charitatis actus. Ita docuit, *Vazquez 2. tom. in 3. part. disput. 165. cap. 3.* Citans pro hac parte, *Alexandrum, Scotum, & Durand.* Vnde quia ille status imperfectus erat, nō habebat

ira facilia remedia ad iustificationem, atque A modo habemus gaudentes Sanctissimis Sacramentis.

3 Tertio notandum est, remedium paruulorum, si aliquod fuit, non potuisse, vt bene notat *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 4. sect. 1.* Ad hiberi per propriam eorum dispositionem, quia agimus de illis antequam ad statum ratio nis deuenirent, in quo statu non sunt capaces alicuius actus humani liberi, & meritorij, vt patet.

4 Quarto notandum est pro intelligentia huius, & aliarum quæst. sequentium, peccatum originale esse maculam quandam interiorem animæ, quam omnes homines contrahunt in instanti suæ generationis in vtero matris in pœnam præuaricationis Adæ nostri primi B parentis, qui comedendo pulchrum illud pomum à Deo sibi prohibitum, totam nostram naturam deprauauit priuando eam pulchritudine gratiæ, quæ in omnes homines erat transfeenda, per quam culpam omnes nascimur filij iræ, & inimici Dei *Secundum illud Pauli ad Romanos 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertransijt. In quo omnes peccauerunt.*

5 Non desunt nostris temporibus viri docti, qui sentiant plane in statu legis naturæ non habuisse paruulos infantes remedium aliquod, quo mundarentur à culpa originali, vnde omnes eos damnatos esse. Quod probatur dupliciter. Primo, quia si aliquod esset remedium C ad iustificationem paruulorum maxime sola fides parentum, vt postea dicemus, sic autem melioris essent conditionis paruuli illius temporis, quam nostri temporis euangelici, quia facilius esset, illos iustificare media sola fide interiore parentum, quam modo medio baptismo, ad quem necessaria est aliqua pars aquæ. quæ aliquando non inuenitur. Secundo probatur, quia, cum tale remedium ex sola Dei voluntate penderet instituentis illud, deberet nobis de tali institutione aliquo modo constare, vel ex scriptura, vel ex diffinitione Ecclesiæ, vel ex traditione Ecclesiæ, sed nullo capite ex ijs constat hæc intentio, ergo non est concedenda.

6 Sit tamen prima conclusio. In statu legis D naturæ, & ante circuncisionem fides parentum à peccato originali iustificabat paruulos. Ita tenent communiter Scholastici cum *Magistro in 4. dist. inc. 1 cap.* Quæritur autem. Quos longum esset recensere. Ita docuit, *D. Augustin. lib. 5. contra Iulianum Pelagianum, capit. 2. post medium. Sic scribens. Neque ideo tamen credendum est, & ante datam circuncisionem famulos Dei, quando quidem in eis erat mediatoris fides in carne venturi nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis.* Vbi fidem mediatoris videtur assignare pro causa iustificatiua. Idem docet, *Gregor. III. libro Moralium capit. 3. aliàs 2. ibi. quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres; vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij. Beda lib. 1. in Lucam, cap. 8. vbi loquens* de hominibus, qui extiterunt ante circuncisionem, sic ait. *Sine victimis hostiarum se, suosque ab originali peccato, sed certe sola fide saluabant. Hugo de sancto Victore lib. 1. de sacramentis part. 12. capit. 2.* Vbi sermonem instituens de tempore circuncisionis sic ait. *Masculi, qui morte præuenti ad octauum diem peruenire non poterant, & ob hoc sine circuncisionis sacramento ab hac vita recesserant sola fide parentum cum ablutionibus, & sacrificijs interuenientibus non improbabiliter saluati esse existimantur.* Ergo antequam circuncisio institueretur, idem quoque dicendum erat. Probatur ergo hæc conclusio ratione. Prima sit, quia alienum videtur à diuina misericordia, quæ vult omnes homines saluos fieri, in illo statu legis naturæ nullum prouidisse remedium miseris paruulis, qui sine actione propria peccatum contraxerunt. Quam rationem expressit *Innocentius Tertius in capite Maiores de baptismo, & eius effectu*; Vbi loquitur de remedio promisso paruulis ad delendum peccatum originale, & sic ait. *Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire aliquod remedium procurauerit ad salutem.* Secunda ratio sit, quia priuare homines remedio necessario ad salutem, alienum etiam videtur à diuina prouidentia, quæ omnibus in quolibet statu tribuit necessaria ad salutem.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Difficilius tunc fuisse remedium fidei parentum pro paruulis, quàm modo remedium baptismi; tum quia minus cognoscebatur illud ab hominibus, quàm modo baptismus, tum etiam quia tunc necessaria erat fides supernaturalis, quæ difficilis est; & modo satis est cum baptismo intentio faciendi id, quod facit Ecclesia sine fide formata, aut informi. Ad secundum argumentum respondetur, prædictum remedium constare ex prædictis rationibus, quibus adducti sunt sancti patres ad id asserendum. 7

Restat modo videre an simul cum fide parentum requireretur in illo statu signum aliquod externum, explicans eam fidem. Aliqui dicunt, requiri quidem licet non conueniant in eo explicando. Ita sentiunt *Durandus in 4. distin. 1. quæst. 8. Scotus quæst. 6. Adrianus in 4. quæst. vltim. de Baptismo §. ad rationes ante in oppositu ad* 3. & alij Probatur primo, *ex Augustino loco citato.* Vbi docet paruulis adhibi- 8

adhibitum fuisse remedium medio sacramento, quod quidē sonat aliquod signum sensibile. Probatur prætereà ratione, Prima sit, quia si paruulis non esset necessarium signum sensibile pro sacramento iustificante, neque adultis esset, adultis autem necessarium fuit, vt supra vidimus in testimonio, *D. Gregorij.* Secunda quia, cum constemus corpore, & anima, necesse est, non solum Deum colere animo, & fide, sed etiam signis corporalibus. Tertia quia in lege veteri quando pueri iustificabantur per signum externum circuncisionis, fœminæ etiam aliquo signo externo iustificabantur, at hoc non erat aliud, quā remedium legis naturæ, ergo hoc non constat sola fide, sed etiam signo visibili aliquo. Quarta ratio sit, quia fides ministri solum poterat prodesse paruulis per modum meriti, vel per modum sacramenti: non per modum sacramenti, quia ad hoc nullum signum sensibile fuit à Deo institutum, ergo per modū meriti, sed fides ministri aliquādo erat informis, & sine charitate, quæ non sufficit ad merēdum aliquid alteri, ergo solum prodesse poterat, vt erat fidea Ecclesiæ per eum applicata, quæ applicatio fieri non poterat sine aliquo signo externo.

Sit secunda conclusio: Sola fides parentum paruulos iustificabat, & à peccato mundabat, nec ad hoc requirebatur aliquod signū externum. Ita docuit expresse, *D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 6. quæstiuncula 2. & 3. part. q. 70. art. 4. ad secundum. Quod si D. Thom.* alicubi docet, homines illius temporis aliquibus signis externis vsos esse ad colendum Deum; non ideo id dixit, quia tale signum esset necessariū ad iustificationem paruulorum sed, quia eis eo vti placebat. Hanc sententiam veluti sancti Thomæ propriam sequuntur, *D. Bonauentura in 4. dist. 1. 2. part. distinctionis art. 1. quæst. 2. Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. alterum vero dubium. Et Vazquez 2. tomo in 3. part. disput. 165. cap. 3.* Hoc etiam colligitur ex testimonijs citatis in prima conclusione, ex *D. Gregor. & Beda.* Qui soli fidei maiorum hanc iustificationem tribuunt. Et probatur ratione, quia tale signum externum necessarium ad dictam iustificationē neque apparet in Sacra Scriptura neque, in sanctis patribus, vt patet, neque aliquod habet fundamentum in ratione, vt patebit soluendo oppositas, vel in definitione, aut traditione Ecclesiæ, neque requiritur ad aliquod attributum Dei manifestandum, ergo non est concedendum. Vnde patet in lege naturæ non fuisse aliquod sacramentum propriè dictum ad iustificandos paruulos, quia non fuit ad hoc aliquod signum sensibile à Deo institutum, sed signa, quæ tunc erant, tantum erant sacramenta lato quodam modo, tum, quia non erant à Deo instituta, sed inuenta ex institutione interiori hominum, & non ad significandam gratiam, sed ad ordinandam fidem, & cultum erga Deum deseruiebant, vt bene notat *Vazquez 2. tomo in 3. part. super quæst. 61. D. Thom. art. 3.* Constabat autem Ecclesiæ de iustificatione paruulorum ex testimonio parentum, quamuis in applicatione fidei nullum fuisset signum.

Quæret vero aliquis. Primo qualis fides requireretur ad iustificandos paruulos, & quidem dubitari non potest, an requireretur fides habitualis, vel actualis, nam certum est requisitam fuisse fidem actualem, qua puer commendaretur Deo per merita Christi vēturi. Sed difficultas esse potest, an fides sola in homine peccatore, & non existente in gratia sufficeret ad salutem. *Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. in præsentiarum* Ait fidem solam patrum sine charitate fuisse sufficientem ad saluandos paruulos eorum, quia non iustificabat per modum meriti, sed per modum sacramenti, sicut & baptismus iustificat, sed in baptismo non requiritur fidea ministri cum charitate coniuncta, ergo neq; in illis patribus requirebatur. *Durand. vero in 4. dist. 1. quæst. 8. n. 7.* Censet, in lege naturæ fuisse necessariam charitatem in Ecclesia, vt paruuli iustificarentur, non vero in ministro applicante illis suam fidem. Ad hoc tamen respondetur, potuisse Deum soli fidei parentum sine charitate promittere gratiam paruulorū, sicut promisit soli baptismo, etiam si baptizās existat in peccato mortali, sed credendum non est, Deum statui legis naturæ ita imperfecto dedisse tantam perfectionem, vt sola fides parentum circa Christum venturum sine charitate paruulos suos iustificaret, tum etiam, quia patres citati in prima conclusione id indicant, *Vt Augustin.* Qui hanc efficaciam tribuit fidei famulorum Dei iustorum. *Et Beda*, vt legenti patebit, loquitur de eadē fide, vnde non sufficiebat etiā charitas Ecclesiæ, nisi ea esset in ministro. Ita docet, *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 165.* sed placet sententia *Soti*, & præter rationē in ea allatā. Ad id adducor, quia si necessaria esset ad iustificationem paruulorum fides formata, maximo periculo exponeretur salus paruulorum, quia difficile est, ministrum in gratia reperire, imò secundum communem, & valde probabilem Scholæ sententiam, fides parentum paruulis applicata ita illis prodesset, vt ex certa lege, & infallibiliter omnes infantes eo ipso, quod illis erat applicata fides iustificarentur, sicut, & modo omnes paruuli eo ipso, quod baptizantur, iusti fiunt; si enim salus, & iustificatio paruulorum non sequeretur infallibiliter ex fide illis applicata, sed ad eum modum, quo salus corporis sequitur ex orationibus iustorum, non esset totaliter, & perfecte prouisum bono spirituali paruulorum, quia posset aliquando non sequi iustificatio applicata fide: quod durum videtur.

Secundo quæret aliquis, an prædicta fides 11

deberet esse necessario parentis, an sufficeret cuiuslibet alterius, & an vtriusque, vel vnius tantum parentis. *Vazquez loco citato, cap. 4.* sentit, ad omnes indiscriminatim pertinuisse applicationem illius remedij, tam ad parentes, quam ad extraneos. Quia nō videt aliquod fundamentum, ob quod potius hæc cura demandāda esset vni, quam alteri circa paruulos; veruntamen respondetur, ad parentes primo loco, & in defectum illorum ad alios, qui curam illorū habebant pertinuisse suam fidem applicare paruulis. Probatur, *Ex Beda dicto 1. lib. in Lucā cap. 8.* Vnde dum sermonem instituit de hominibus adultis ante tempora circuncisionis viuentibus inquit, *Suos ab originali peccato, seu certe sola fide saluabant.* Vbi nota verbū illud suos, quod denotat aut filios, aut suæ curæ demandatos, vt pupillos. Tum etiam probatur ex cōmuni modo loquendi, secundum quem ex fide parentum dicuntur iustificati paruuli, sententiaque est *Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 4. sect. 2.* Tū etiam probatur ex *Hugone de sancto Victore, libello 1. de sacramentis, part. 12. cap. 2.* Vbi fide parentum saluos putat paruulos. Et probatur ratione, quia infans necessario debet esse sub cura parentis, vel alicuius alterius tutoris, & cum propriā volontatem non habeat, regendus est in his, quæ ad corpus, & animam spectant, voluntate parentis, vel tutoris, vt patebit in tractatu de baptismo. Et vt seruatum fuit in alijs remedijs paruulorum à Deo institutis in lege veteri, & noua, ergo ad certum quoddam genus personarum, & non ad omnes sine differentia pertinebat applicatio fidei circa paruulos. Tum etiam, quia si applicare hoc remedium ad omnes sine vllo discrimine pertineret, facile posset puer sine remedio perire, quia hoc vitium, maxime proprium est hominum, vt quod ab omnibus possidetur, ab omnibus negligatur: primo autem loco hæc cura ad patrem pertinebat, vt ad caput familiæ, & secundo ad matrem, & non requirebatur, vt ambo simul suā fidem applicarent, sicut neque nunc requiruntur plures baptizantes in vno baptismo.

12 Tertio quæret aliquis, quomodo esset applicanda prædicta fides paruulis? respōdetur, hoc non contigisse ex eo, quod fides parentum communicaretur filijs, sed ex eo, quod parentes offerrent filios suos Deo, credendo Christū venturum, & ex eius meritis omnem salutem nostram prouenire.

13 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum, ad primum, *Ex August. loco citato.* Respondetur. Augustin. non appellasse sacramentum fidei signum aliquod externum, quod antiquos iustificaret, sed mysterium secretum, & absconditum fidei, quod scilicet habeat vim iustificandi. Ad primam rationem dicimus. In statu legis naturæ neque pro paruulorum, neque pro adultorum iustificatione institutum esse aliquod sacramentum, vel signum sensibile. Vnde, cum *Diuus Gregorius dixit, pro adultis valuisse virtutem sacrificij.* Solum hoc dixit, quia medio eo oblato pro adulto placabatur Deus, & tribuebat ei contritionē, qua iustificaretur. Ad secundā rationem dicimus concedendo conueniens esse naturæ nostræ, Deum colere, & fide, & signis externis, non tamen inde probatur Deum alligasse in lege naturæ iustificationem alicui signo externo. Ad tertiam rationem, in qua tangitur virtus iustificandi circuncisionis, ex dicendis circa circuncisionē patebit solutio infra. Ad quartam rationem respondetur: fidem parētum iustificasse paruulos per modum sacramenti, & per modum meriti: per modum sacramenti, quia sicut sacramenta in non ponentibus obicem infallibiliter operantur suum effectum gratiæ, ita etiam fides illa gratiam causabat in paruulis, per modum etiam meriti eam causabat, quia requirebatur, vt applicans eam fidem haberet fidem super naturalem, vt posset illam gratiā alteri mereri media fide.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm in statu legis naturæ fuerit aliquod aliud sacramentum?

CANO *in relectione de sacramentis in genere, part. 3. & pater Nuño 3. part. quæst. 61. art. 3. docent* in lege naturæ fuisse alia sacramenta, præter illud, quod deseruiebat iustificationi paruulorum. Probatur hæc sententia dupliciter. Primo quia in ea lege reperiebatur cultus Dei, nō solum in iustificatione paruulorum, sed etiam in iustificatione adultorum, ergo reperiebantur sacramenta non solum pro iustificatione paruulorum, sed etiam adultorum. Secūdo probatur, quia ex eo, quod sacramenta instituerentur, pro adultis multæ vtilitates poterant nasci, scilicet augmentum gratiæ, & gloriæ, & peculiaria auxilia Dei ad speciales virtutes adquirendas, & ad specialia pericula vincenda, credendum ergo est de diuina liberalitate, ea Deum instituisse. Tertio probatur, *ex D. Thom. 3. part. q. 61. artic. 3.* vbi inquit, post peccatū in lege naturæ fuisse sacramenta, ergo aliquod aliud fuit præter sacramētū institutum pro paruulis. Quarto probatur quia in lege naturæ fuerunt multa sacrificia, ergo multa sacramēta. Quinto probatur, quia in lege naturæ in familia Melchisedech, fuit sacrificium ex pane, & vino, vt habetur, *Genesis 14.* quod proprie fuit sacramentum, vt patet ex *D. Thom. 3. part. quæst. 61. art. 3. ad. 3.*

2 Sit prima conclusio, in lege naturæ fuerunt varij cultus Dei sensibiles, & externi, qui omnes, vt optime aduertit *Sayro in tomo de sacramentis*

mentis in genere lib.3.cap.3. ad tria capita reducũtur, ad decimas, ad sacrificia, & ad oblationes, quorum omnium significationes videri possunt in isto authore. Probatur: Quia lex naturalis, cuius lumẽ signatũ est super nos, docet omnes homines, vt eo ipso quod à Deo optimo maximo corpus acceperint, in tãti beneficij iustam recognitionem eum colant, & venerentur ritibus, & ceremonijs externis, & corporeis, ergo tales ceremoniæ sine dubio extitere- A

2 runt in ea lege. Qui cultus in generali erant propter rationem allegatam de iure diuino naturali, quamuis isti cultus in particulari, vel illi solum dependerent ex iure positiuo, & ex ordinatione Ecclesiæ, quæ ad ostendendã suam vnitatem debebat eos cultus præfigere, & præsignare, ne cultuum varietas Ecclesiæ pulchritudini noceret.

3 Sit secunda conclusio. In lege naturæ ante circuncisionẽ (in hoc enim sensu loquimur) nullum fuit proprie sacramentum: ita docuerunt *Sotus in 4.dist.1.quæst.2.art.3.& post conclusionem 5.& dist.2. quæst.1. artic. 4.&.solutiones. Et 9.ex eadem 1.& Ledesma 1.part.4. quæst.2.art.3.& nouissime Vazquez 2.tom.in 3.part.super quæst.61.D.Thom.art.3.* Probatur hæc conclusio, quia sacramentum proprie dictum, vt supra docuimus, debet esse signũ gratiæ sanctificantis nos, id est debet significare interiorem sanctitatem, & gratiam animæ, sed hanc nõ possunt significare signa externa natura sua, vt patet, neque ex institutione hominum, sed ex institutione diuina, ergo nullum fuit in lege naturæ sacramentum; quod eam gratiam non possent signa externa ex impositione hominum significare, probatur, quia, licet reuera cognita ab hominibus gratia per aliquam reuelationẽ possent instituere aliquod signum ad eam significandam, hoc tamen non sufficiebat ad constituendum sacramentum, sed præter hoc requirebatur, quod vel causarent gratiam, vel requirebatur aliqua promissio facta illis ceremonijs à Deo, media qua gratia aliquo tẽpore certo, & infallibiliter daretur: De qua promissione nõ constat, ad quæ duo requiritur diuina institutio, & non sufficit humana: hoc autem supposito probatur, tunc nullum fuisse sacramentum in lege naturæ, quia non constat nobis, aliquod extitisse signum externum à Deo constitutum ad significandum gratiam.

4 Ex his ad argumenta in oppositum respondetur, ad primum dicimus concedendo, in illa lege fuisse verum cultum Dei exteriorẽ ab hominibus inuentum, quia iste neque requirebat institutionem Dei, neque promissionem gratiæ, sed solam cognitionem diuinæ maiestatis, at vero non erat sacramentum, quia nullo signo externo erat promissa gratiã. Ad secundum dicimus potuisse quidem ea sacramenta in ea lege multis nominibus esse vtilia, non tamen inde sequitur à Deo esse instituta, quia ille status erat imperfectus, & ita non petebat sacramenta ita perfecta. Ad tertium D. Thomæ respondetur, eum vocasse in ea lege sacramenta actus externos religionis ex solo iudicio legis naturalis interius à Deo inspiratos. Qui tamen solum sunt sacramenta lato modo in quantum sunt signa rei sacræ, scilicet, cultus interioris Dei. Ad quartum respondetur concedendo, in lege naturæ fuisse multa sacrificia ex iudicio naturali hominum inuenta, non tamen fuisse sacramenta, quia ad sacrificia non requiritur institutio Dei promittẽtis gratiam illis signis externis, & hæc necessaria est ad sacramẽta. Quæ institutio nobis minime constat. Ad vltimum Respondetur, sacrificiũ Melchisedech nõ fuisse proprie sacramentum, sed latiori significatione, quia licet Melchisedech, per suum sacrificium panis, & vini nouerit sacrificium incruentum Christi, & gratiam illius ex peculiari aliqua reuelatione, non satis est, vt factum illud dicatur sacramentum, sed præter hoc requirebatur illud factum ita à Deo institui, vt apud omnes communiter gratiam significaret, quod non contingit facto Melchisedech. Ob quem defectum, vt bene notauit *Vazquez, 2.tom.in 3.parte, super quæst.61.art.3.* non fuit sacramentum manna, licet fuerit figura Eucharistiæ. Neque trãsitus maris Rubri, licet fuerit figura baptismi, hæc enim omnia figuræ proprie, at sacramenta improprie dicuntur. B

C

QVÆSTIO X.

Vtrùm sacramenta veteris legis vim habuerint iustificandi paruulos, & adultos.

NON est dubium, quin in lege scripta multa fuerint, & varia sacramentorũ genera. Hoc definit *Eugen. IIII. in Decreto de sacramentis in Concilio Florent.* Quæ omnia, *D.Thom.1.2.q.102.art.5.* Ad tria videtur capita reducere; quædam enim pertinebãt ad consecrandos Sacerdotes, quædam ad recognoscenda beneficia Dei, quædam vero ad expiationem peccatorum. Probatur, quia sacramentũ est signum rei sacræ sanctificantis nos, sed antiquitus erant plura signa sacra gratiæ cõferendæ per Christum, ergo erãt plura sacramenta, & non quomodocunq;, sed proprie dicta, & à Deo ad significandã gratiam instituta. Hæc autẽ Sacramenta ad multos fines in illa lege fuerunt vtilia. Primò vt patet ex *Augustin. lib.19.contra Faustum, cap.11.* vt populos Dei in vnam Rempublicam, & in vnum populum à Deo selectum coniungeretur, & ab alijs secerneretur, signis quibusdam visibilibus, D

sicut; & ipse populus erat visibilis. Secundò, vt docuit *August. super Psalm.* 83. Vt his ceremonijs visibilibus excitarentur fideles ad auidius, & alacrius Christum expectandum, quem illa Sacramenta figurabant. Tertiò, teste *D. Thom. tertia parte quæst.* 61. *artic.* 3. *ad secundum*, vt quia iuxta incrementa temporum creuerat etiam fides Christi, ideò essent signa expressa, & determinata Christi, & eius gratiæ.

2 Inter hæc autem Sacramentorum genera celebre fuit illud circuncisionis, de quo fit mentio, *Genes.* 17. Quo abscisso præputio hominis, gratia sine dubio figurabatur, quæ, vt denotat *D. Thom. tertia parte quæst.* 70. *artic.* 3. Conuenienter fuit facta in parte generatiua, vt significaretur rectè, Christum ex Abrahami semine nasciturum, & conuenienter etiam fuit præfixus octauus dies circuncisioni: quia ante illum caro pueri erat nimis delicata, & puer nimis tener, & posset puer circuncisus periculo exponi, & ex iusta causa non obstante præcepto postponi poterat, vt patet de filijs Israël in Deserto, vbi non sunt circuncisi, nulla verò causa poterat anteponi.

3 Et quidem omnia antiqua Sacramenta solùm erant necessaria necessitate præcepti respectu populi Iudaici, non verò necessitate medij ita, vt sine his non posset populus aliquis saluari, inter Gentiles enim multi fuere fideles, vt Sanctus Iob, & alij, qui sine illis Sacramentis salui facti sunt.

4 Duplex autem est, vt patet ex communi doctrina Theologorum modus iustificandi homines, vnus ex opere operato, vel operando, alius ex opere operantis; iustificari ex opere operantis est efficere aliquod opus secùndùm legem, ex auxilio Dei, quod habeat vim impetrandi remissionem peccatorum, impetrando spiritum compunctionis, & doloris peccatorum, quo peccata deleatur, si homo sit in peccatis, aut quo medio opere in gratia fit, & crescat hominis sanctitas iam possessa. Iustificari verò ex opere operato nihil aliud est, quàm efficere aliquod opus, quod ex institutione Dei habeat virtutem conferendi gratiam, vel remittendi peccatum, quam aliàs non haberet, prout est opus factum secundùm legē etiam ex auxilio Dei, vt videre licet in Sacramentis nouæ legis. In adultis ergo, à quibus Sacramenta dignè suscipiebantur antiqua, de fide est, ea causasse augmentum gratiæ in anima ex opere operantis, quia erant opera sancta facta ex auxilio Dei, & in statu gratiæ. Et vt definit *Concilium Trident. Sessione 6. cap.* 10. huiusmodi opera sanctificant homines.

5 Controuersia verò non est de omnibus antiquis Sacramentis, an hæc gratiam causarent ex opere operato, sed solùm est de circuncisione. Licèt enim *Paludanus de Sacramentis ministratis à Sacerdote in lege scripta*, vt de aqua lustrationis, doceat, cōtulisse gratiam ex opere operato, & ex gratia Dei, nullus tamen alius Scholasticorum concessit tantam vim Sacramentis antiquis, excepta circuncisione, sed aliqui expresse eam negarunt, vt notat *Vazquez. 2. tom. in primam secundæ disp.* 184. *cap.* 1. Vnde loquēdo de sola circuncisione, difficilē habet quæst. nostra exitum.

De qua re fuerunt variæ opiniones, quarum meminerunt *Alexand. 4. p. quæst. 4 num. 7. ar. 4. & S. Thom. quæst. 62. 3. p. art. 6. ad 3. & quæst. 70. art. 4.* Quidam enim dixerunt, per circuncisionem auferri quidem peccatum, nontamen gratiam conferri, refutat autem *D. Tho. art. 4. citato*, hanc opinionem ex eo, quod non remittitur peccatum, nisi per gratiam, vt patet ex illo *ad Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Secunda opinio fuit aliorum asserentium per circūcisionem deleri peccatum infusa gratia, non tamen communicari effectus positiuos gratiæ, quam opinionem impugnat D. Thom. quia prior est effectus positiuus gratiæ, quam negatiuus, saltem in genere causæ efficientis, vt Theologi loquuntur, vt prius est in calore, quod reddat calidum lignum, quam, quod expellat frigus, posterius namque sequitur ex priori tanquam ex causa. Tertia sententia est aliorum asserentium per circuncisionem, & deleri peccatum, & gratiam conferri, non tamen communicari istos effectus, qui sunt concupiscentiam reprimere, & tentationes vincere. Sed hanc sentētiam refutat D. Thom. ex eo quia minima gratia sufficit ad omnes istos effectus in homine causandos, si ergo gratia per circuncisionem infunditur, etiam vincuntur cum ea omnes tentationes diaboli, ac concupiscentia reprimitur, quæ doctrina vera est de gratia actuali, & habituali cum auxilio Dei efficaci. 6

Relictis verò his sententijs, quæ nullam habent probabilitatem, duæ restant his temporibus inter se pugnantes sententiæ. Prima est eorum, qui dicunt, per circuncisionem antiquitus remitti peccatum, & conferri gratiam paruulis, non quatenus circūcisio erat opus legis antiquæ, vel legis naturalis, quasi lex ex se hāc vim haberet, sed quatenus per circuncisionem, sicut per Sacramentū Christi merita ex pacto Dei operabantur. Ita docuerunt *D. Bonauent. in 4. dist. 1. art. 3. q. 3. Scotus eadem dist. q. 6. Dur. q. 7.* & alij multi. Probatur primo ex Patribus Ecclesiæ, *Author enim Sermonis de Circuncisione apud Cyprianum*, ait, *omni tempore fuisse remedium contra originale peccatū*, & in lege Moysis indicat fuisse circuncisionem. *D. Aug. lib. 16. de Ciuitate Dei, capit. 27. & lib. de nuptijs, & concupiscentijs, capit.* 11. Et alibi colligit, peccatum originale traductum in posteros Adæ 7

ex

ex illo, *Genesis 17. Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit*, (& vt ipse legit secundum translationem 70.) 8. *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quem locum intelligit. *D. Augustinus*, de paruulis, ex quo loco plane colligitur, pueros saluari per circuncisionem in se receptam, siquidem damnabantur eam non recipiendo; alioqui si nihil prodesset circuncisio, eodem modo damnarentur, circuncisi. Huic sententiæ subscribere videtur *Gregorius Magnus lib. 4. moralium, cap. 3. aliàs 2.* & refertur *in canone. Quod autem, de consecratione, distinct. 4.* his verbis. *Quod antem apud nos valet aqua Baptismatis; hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis*, & tandem, *Bernardus in Ep. 77.* sic loquitur, *At verò quis nesciet, & alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem, & semini eius circuncisionis sacramentum in hoc ipsum traditum est.* Postremo hæc sententia probatur ex *Innocent. III. in cap. maiores, de Baptismo, & eius effectu*, Vbi assignans differentiam inter Baptismum, & circoncisionem sic inquit, *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circuncisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad Regnum Cælorum.*

8 His tamen non obstantibus sit prima conclusio. In circuncisione infundebatur gratia paruulis sine vlla dispositione eorum. Quod in circuncisione infunderetur gratia probatur, quoniam paruuli, qui circuncisi ante vsum rationis moriebantur, sine vllo alio remedio externo saluabantur, vt patet: ergo in circuncisione gratia infundebatur paruulis, quia sine ea nemo saluatur. Quod verò gratia infunderetur sine dispositione vlla paruuli, patet, quia loquimur de paruulis ante vsum rationis, hi autem tunc non sunt capaces alicuius actus boni, per quem disponantur ad gratiam recipiendam.

9 Secunda conclusio. Circuncisio nullam efficaciam habuit ad conferendam gratiam ex se, sed tantum fuit signum exterius gratiæ eius, quæ in ipsa conferebatur à Deo. Quod fuerit signum gratiæ in ipsa collatæ probatur, quia, vt omnes concedunt, circuncisio fuit verum sacramentum: ergo signum alicuius gratiæ, non autem alterius, nisi gratiæ in ipsa circuncisione collatæ. Quod verò circuncisio non fuerit causa gratiæ ex se, docent ex Patribus, *Iustinus in Dialogo cum Trifone Orig. lib. 2. contra Celsum, Athanasius, in oratione in illud, Omnia mihi tradita sunt, Chrysostomus, homilia 27. in Genesin, & alibi Cyprianus lib. primo, contra Iudæos, capit. octauo, Ambros. Epistola 72. Hieronymus in capit. tertium, ad Galat.*

A Ex Scholasticis eandem sententiam sequuntur. *Diuus Thomas 3. part. quæst. 62. artic. 6. ad 3. & quæst. 60. articulo quarto, Canus relectione, de sacramentis in genere, par. 5. Cardinalis Bellarminus, tomo secundo, lib. secundo, de effectu sacramentorum, capit. 13. & sequentibus, & Vazquez alios allegans, secūdo tomo primæ secundæ, disputatione 184. cap. 3.* Quæ conclusio ex triplici capite probanda est. Primo ex scriptura. Secundo ex authoritate Ecclesiæ. Tertio ratione. Ad primum caput deuenientes audiamus *Paulum ad Roman. 3. cap.* Sic exordientem, interrogate: *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circuncisionis? Vbi* duo quærit. Primum, in quo excelleret populus Iudaicus populo Gentilico. Secundo

B quam vtilitatem perciperent ex circuncisione circuncisi; ad vtrumque autem respondet Paulus vnico contextu sic, *Multum per omnem modum. Primum quia credita sunt ei eloquia Dei*, Vbi particula. Primum, denotat idem quod potissimum, non idem, quod primum in ordine, quia postea non enumerat alia priuilegia circuncisionis. Sentit ergo Diuus Paulus circuncisionem gratiam non contulisse, quia si eam conferret, hoc esset potissimum eius priuilegium, non autem illud, quod eloquia Dei illi populo essent communicata; *D. Paul. præterea ad Galat. 4. cap.* Antiquas ceremonias, inter quas numerat circuncisionem, dicit esse, *Infirma, & egena elementa*; quod non diceret Paulus si cir-

C cuncisio causaret in anima gratiam. Probatur deinde conclusio authoritate Ecclesiæ, nam *Concil. Trident. sess. 7. Canone 2.* sic inquit, *Siquis dixerit, ea ipsa nouæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.* Sed sic est, quod si circuncisio gratiam conferret, quæ erat sacramentum antiquæ legis, tantum differret à sacramētis nouæ legis, quia erat diuersa ceremonia: ergo iuxta Concilium dicendum est circuncisionem gratiam non cōferre, vt differat in alio, præterquam in exteriori ceremonia. *Et Eugen. IIII. in decreto fidei misso ad Græcos; quod est in Concil. Floren. post vltimam sessionem, §. 5. Ecclesiasticorum*, hanc doctrinam his verbis definiuit, *quæ scilicet, sacramenta nouæ legis multum à sacramentis diffe-*

D *rant antiquæ legis, illa enim non causabāt gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* In quibus verbis sine dubio loquitur Pontifex de circuncisione, & eam cōprehendit in sacramētis antiquæ legis, tū quia ea licet fuerit inuēta à Deo, ante legem scriptam, tamen mansit sub statu legis scriptæ, & aliàs Pontifex non assignasset differentiam inter noua sacramenta, & inter circuncisionem, neque inter noua

sacramenta, & inter omnia sacramenta antiqua; quod non est dicêdum, neque valet, quod ibi Pont. voluit negare rircuncisioni vim iustificandi ex opere operato, id est ex Passione Christi præterita ante circuncisionê, non vero vim iustificandi ex Passione Christi futura, nam contra est. Quod si hoc voluisset Pont. non negaret absolute sacramrnta antiqua, inter quæ comprehendit circuncisionê, causare gratiam, tum, quia aliàs parui momenti esset differêtia assignata ab Eugen. inter antiqua, & noua sacramenta, si noua ex Passione Christi præterita, & antiqua ex Passione Christi futura gratiam causabant.

10 Vltimo probatur ratione hæc conclusio. Prima sit, quia, si circuncisio instituta esset in remedium peccati originalis. *Genes.17.* Et illa verba. Masculus, cuius præpurij caro, &c. De paruulis & adultis intelligerentur, sequeretur, sicut modo iustifirantur adulti per Baptismum cum sola attritione, quia Baptismus est sacramentum mortuorum, & primarie institutum ad remittendum peccatum, ita etiam circuncisionem iustificasse adultos cum sola attritionr suorum peccatorum existentes, quia primario fuisset instituta in remedium peccatorum, & sacramentum mortuorum, quod non est direndum. Secunda ratio sit, si circuncisio ex se esset instituta ad conferendam gratiam, eam conferrrt adultis, etiam iustificatis, sicut Baptismus modo gratiam confert adultis, qui antea sint prr côtririonê iustificati: vnde circûcisio gratiam rôtulissrt Abrahamo, at Abrahamus gratiâ nô recepit ex circûcisione: ergo circôcisio gratiam non côtulit; quod Abrahamus gratiam non receperit ex circuncisione, probatur, *Ex Epist. Pauli ad Rom. cap.4. vbi ostendit Abrahamum circuncisum iustificatum fuisse & fide, & de fide, quæ reputata est ad iustitiam ei*, inquit, *quomodo ergo reputata est, in circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio, & signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio*, sentit ergo circûcisionem non fuisse gratiæ causam, sed signum gratiæ, seu iustitiæ, vt ex loco isto probant, *Chrysostomus loco allegato, & Tertul. lib. contra Iudæos, cap.2. & 3.*

11 Trrtia côclusio, in circûcisione dabatur gratia, non virtute ipsius circûcisionis, quasi esset causa gratiæ, vel conditio illius ex primaria institutione, vel secundaria, (vult enim, *Coninc. t. de sacramentis, quæst.62. art.6.* Conditionrm fuisse rircuncisionem) sed tantum virtute fidei, quæ in tali signo debebat applicari. Hoc probatur primo ex *D.Thom.3.p.quæst.62. art.6. in corpore*, Vbi postquam probauit differentiam interr sacramenta vrteris legis, & nouæ, quod sacramenta veteris legis gratiam non conferrent, & nouæ conferrent, addit hæc verba. Er tamen per fidem Passionis Christi iustificabantur antiqui Patres; sicut & nos; sacramenta autem veteris legis erant illius fidei quædam protestationes. Probatur secundo, quia ante institutam circuncisionem sola fides parentum sufficirbat ad causandum gratiam in paruulis, ergo etiam post circuncisionem, neque enim minoris virtutis effecta est fides post rirruncisionem, quàm antea esset. Quinimo peioris conditionis effecti essent homines in lege scripta, vbi maiotis dilectionis signa Deus ostendit suo populo, quàm in lege naturæ, quia in lege naturæ sola fides non alligata alicui signo externo, & quæ facile applicari poterat, iustificabat, & in lege scripta præter fidem requireretur circuncisio, quæ non semper adhiberi possrt, aut sine aliquo periculo. Quod vero non fuerit circuncisio conditio ad causandam gratiam, neque causa etiam ex secundaria intentione, probatur ex doctrina Pauli citata in secunda conclusione. Ad Rom.3. vbi Paulus nullam aliam vtilitatem in circuncisione cognoscit, quàm, quod per eam credita sint populo eloquia Dei.

Ad argumenta in oppositum. Respondetur ad primum desumptum ex Sanctis Patribus dicimus. Primo probabile esse eos sentire circuncisionem causam gratiæ fuisse olim. Secundo dicimus illos sic esse explicandos, vt velint in circunrisione dari gratiam, non ratione circuncisionis tanquam causæ, sed ratione fidei parentum, quæ vere erat causa iustificationis. Ad illum locum, *Genes.17.* Ex quo videtur colligere August. vim iustificandi in circuncisione, respondetur. Eum non esse intelligendum in illis verbis. *Quia pactum meum irritum*, De transgressione Adami, sed de actuali peccato adultorum, qui non circuncidunt pueros, sicut est illis præceptum, vt explicat *Caiet. in eum locum.* Et verba illa, peribit anima eius de populo suo, non denotant mortem æternam, sed temporalem, quia trâsgressor separandus erat à populo, vt notat, *Vazquez 1. tomo in prima secundæ, disputatione 130. cap.2.* Qua ratione locus iste non probat, circuncisionem habere vim iustificandi. *Ad Innocentium in cap. maiores.* Respondetur Pontif. tantum curare in circuncisione causari gratiam, non vero an causetur ab ea tanquam causa. Tum etiam, quia vt bene *Vazquez secundo tomo in prima secunda, disputatione 184. cap.2.* Licèt Pontif. sentiat, circuncisionem esse causam gratiæ, id tamen non definit, quia nihil ab eo fuerit quæsitum de circuncisione, frd de Baptismo, & doctrinam circuncisionis solum adducit pro ratione, vel pro exemplo, non vt definitionem, quia Pontifices solum definiunt id, quod interrogatur ab eis. 12

Quæret verò aliquis. Si circuncisio nô erat causa 13

causa gratię in paruulis, vt quod dabatur in infantili ætate, nō melius erat, adultā ætatem expectare, in qua melius cognosceretur significatio huius mysterij? Ad hoc respondetur. Ideò circuncisionem datam fuisse in illa ætate, vt à principio natiuitatis quilibet consecraretur Deo, & signaretur signaculo Dei, tanquā ouis gregis à Deo dilecti, & electi.

14 Quæres secundo, an adulti in circuncisione consequerentur gratiam, & quo modo eam cōsequerentur? Ad hoc respondetur cum *Suarez 3 tom. in 3 p. disp. 10. sect. 1. & Cano relect. de Sacramentis p. 5.* Adultos iustificatos esse in circūcisione non ratione circuncisionis, sed ratione contritionis, & ex opere operantis, neque enim alius modus extitit, quo homines adulti in lege veteri iustificarentur, nisi ex vi contritionis; quia enim paruuli habere non poterāt contritionem, vel aliam dispositionem propriam ad gratiam ante vsum rationis, ideò diuina largitas prouidit eis remedium fidei parentum, quo nihil operantes iustificarētur ex opere operato: at verò adulti, qui operari benè poterant, non nisi ex vi suorum operum gratiam consequebantur primam, vel augmētum eius.

15 Alia multa poterant hic quæri de circuncisione, vt de tēpore, loco, ministro, &c. Quæ ad nostrum propositum minime pertinere videntur, de quibus videantur **D. Thom. 3. p. q. 70.** & eius Expositores ibi, solùm hic aduertere licet, circuncisionem fuisse ianuam aliorum Sacramentorum, sicut baptismus est ianua Sacramentorū nouæ legis, vt patet ex discursu *Exodi, & Leuitici.* Mulieres autem quæ non poterant circūcidi, pertinebant ad eum populū, & erant capaces Sacramentorum ratione originis, & parentum.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm in lege gratiæ sint Sacramenta, & an sint perfectiora antiquis?

16 ALIQVI fuerant hæretici, qui omnia Sacramenta de modo tollerent, *vt Ascodruitæ, vel Ascodrupetæ, vt scribit Theodoret. lib. 1. Hæreticarum fabularum, cap. 13.* & etiam eundem errorem docuerunt discipuli, & sectatores cuiusdam *Marci, vt Irenæus refert lib. 1. Aduersus hæreses, capi. 18.* & quidam hæretici dicti *Cathari*, ex nouis Manicheis, qui tempore *Alexandri III.* in Gallia cæperunt, & qui damnati sunt ab *Alexandro III. in Concil. Lateran. 1. p. cap. 27.* Eundem errorem docuerunt, & in eodem errore fuere *Fratricelli, & Beguini, vt ait Ioannes XXII. in Extrauagan. Sanctæ Romana, de religiosis domibus.* Fundamenta huius erroris possunt esse duo. Primū

A illud, quod refert *Theodor. loco citato, ex Ascodruytis,* his verbis. *Non oportere diuina mysteria, quæ sunt inuisibilium signa per res, quæ videntur peragi, neque in corporea per sensibilia, & corporea.* Secundum est, quia contra perfectionem legis gratiæ procedere maxime videtur, vt seruiamus Deo sub elementis mundi huius, & vt adueniente veritate per Christum vmbris, & figuris vtamur.

Sit prima conclusio de fide. In lege Euangelica sunt multa Sacramenta à Deo instituta. 17
Res est aperta, & quæ ideò non eget longa probatione. Probatur autem *ex Eugen. IIII. in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post vlt. Session. & ex Trident. Session. 7. per totam.* Vbi hęc veritas aperte definitur. Rationes verò
B congruentes, ob quas conueniens fuit, huiusmodi Sacramenta institui, desumuntur ex *August. lib. 15. contra Faustum, capit. 11. & ex Damasceno lib. 4. de Fide, cap. 14. & ex Leone Papa, Sermone 4. Quadragesi. & ex D. Thom. 3. contra gentes c. 19.* Quæ rationes supra traditæ sunt dum de Sacramentis antiquis disputaremus, nam eędem multò fortius hic militant. Prima sit, quia homini cōnaturale est cognoscere in visibilia per visibilia, & ita ad diuina mysteria valde adiuuatur signis sensibilibus Sacramentorū. Secunda sit, quia homo constat corpore, & anima; ergo sicut Deum colit actibus spiritualibus, vt fide, &c. debet etiā Deū colere actibus corporalibus, & corporeis rebus, qualia sūt Sacramēta. Tertia sit, quia homo post peccatū
C primi parentis mansit expoliatus gratia, & subiectus peccatis, ergo maxime indiget Sacramentis nouis, quibus & peccatum auferatur, & gratia causetur in anima. Quarta sit, quia status legis Euangelicæ medium locum obtinet inter statum legis scriptæ, & inter statum gloriæ, sed in statu legis scriptæ promittebatur vita gratiæ, nam Sacramenta legis scriptæ, vt docuit *Eugen. loco citato.* Gratiam dandā per Passionem Christi figurabant, & in statu gloriæ perfectissimo modo, id est inamissibili possidetur vita gratiæ, ergo in statu legis Euāgelicæ deber hæc vita dari, licèt possit amitti, quę ratio desumpta est *ex Eusebio Emisseno, homil. de Transfigurat. in Sabbathum, post Dominicā 1. Quadragesimæ.*

D Circa secundum quod in quæst. quæritur, 18
sit secunda conclusio, Sacramenta nouæ legis sunt perfectiora Sacramentis antiquæ legis. Hæc conclusio de fide est, atque ita definita videtur *In Concil. Florent. in tractatu de Sacramentis, & in Trident. Session. 7. can. 2.* quàm eleganter nobis expressit *August. lib. 19. contra Faustum. cap. 13.* Vbi nostra Sacramenta præfert antiquis per hoc, quod sunt virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Probatur primò, quia si perfectissimum nostrorum Sacramentorum cōparemus cum perfectis-

fectissimo Sacramento legis antiquæ, hæc veritas maximè elucescet, quia inter omnia Sacramenta antiqua principē locum obtinuit Sacramentū agni Paschalis, quod tamen solùm continebat in se quandam figuram, & repræsentationem Christi Domini nostri. Inter nostra verò Sacramenta præcipuum est Sacramentum Eucharistiæ, quod excellit agno Paschali, sicut figuratum excellit figuræ: nam continet in se ipsum Christum. Secunda ratio excellentiæ est, quia Sacramenta antiqua solùm significabant gratiam, & non eam causabant, at verò Sacramenta noua significant, & continent gratiam. Tertia ratio excellentiæ est, quia Sacramenta noua data sunt populo per Christum, at verò antiqua data sunt per manus Moysis. Quarta ratio excellentiæ est, quia antiqua Sacramenta non aperiebant ianuam Regni Cœlorum, sed homines iusti, qui in statu legis naturæ, & legis scriptæ moriebantur, in sinu Abrahæ detinebantur donec debitum nostræ naturæ pretio sanguinis Christi solueretur. At verò Sacramenta legis Euangelicæ ianuam regni Cœlestis aperiunt, ita vt iusti in hoc nostro statu è vita decedentes, si pro culpis personalibus sufficienter satisfaciāt, statim regno Cœlorum potiantur.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm Sacramenta noua legis conferant gratiam ex opere operato?

1 IN proposita quæst. non dubitamus, an Sacramenta noua sint causæ principales gratiæ, vel non, vt nobis imponit *Caluinus, lib. 4. instit. cap. 14. §. 17.* Omnes enim Catholici vno ore fatentur, Sacramenta non esse causas principales, sed instrumenta gratiæ, quia sunt res naturales, & sensibiles, & ideò nequeunt causare principaliter gratiam supernaturalem & spiritualem.

2 Quidam hæretici, licèt credant, Sacramenta esse à Christo Domino instituta, affirmant tamen, ea esse nullius efficacitatis, hanc hæresim tribuit *Damascen. lib. de hæresibus Massilianis.* Omnes etiam hæretici nostri temporis in hoc conueniunt, vt Sacramēta nouæ legis gratiam non conferant, aut enim dicunt, Sacramenta solùm excitare fidem, & commouere nos instar picturæ, qua visa excitamur, sicut docuit *Kemnit. in 2. p. examinis Concilij Tridēt. pag. 111.* Vel docent, Sacramenta nihil efficere in nostra iustificatione, sed fidem, vt asseruit *Luther. lib. de captiuitate Babylonica, capit. de Baptismo,* aut dicunt, Sacramenta esse signacula diuinæ voluntatis, sicut docuit *Melancthō. lib. de locis, cap. 22.* Vel dicunt Sacramenta solùm testificari nobis ea, quæ diuina largitate nobis donata sunt, sicut docuit *Caluin. lib. 4. institut. cap. 14. §.*

A 17. quibus modis destruere conatur virtutem, quam nostra Sacramenta habent in ordine ad iustificationem.

3 Circa modum etiam causandi gratiā in nostris Sacramentis ex opere operato, varie errant hæretici, quidam enim, vt *Caluin. in Antidoto Concilij Trident. Sessio. 7. can. 8. & Kemnit. 2. p. examinis pag. 115.* reprehendunt istum modum loquendi, ex opere operato, *Luther. vero in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo.* Et alij hæretici exponunt hunc modum causandi gratiam, vt vis operis operati excogitata fuerit à Catholicis ad excludendam fidem, in Sacramentis, & pœnitentiam in Sacramentis, & in iustificatione.

4 Cum viris doctis in sua facultate concessum B sit, vt pulchre notauit *Vazquez 1. p. disp. 109. cap. 5.* Nouos loquendi modos inuenire, vt res, de quibus disputant, melius explicent, ideò Scholastici Theologi isto modo loquendi, scilicet, quod ex opere operato Sacramenta operentur gratiam, vsi fuerunt breuitatis, & disciplinæ causa, & *Concil. Trident. Session. 7. can. 8.* hæc vocabula scholæ vsurpauit, vnde ea defendenda sunt. Quid verò significent illo modo loquendi, optime docuit *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 131. cap. 1.* omnes enim hoc volunt significare, nempe Sacramentorum causare gratiam iustificantem in recipiente ipsum sine vlla dispositione, vt contingit in baptismo respectu paruuli, aut si recipiens Sacramentum sit adultus, plus gratiæ recipiat virtute Sacramenti, C quam ratione propriæ dispositionis reciperet, ita vt Sacramēta vel augeant gratiam in adulto, si eam iā habet, quod augmentū ei non daretur sine Sacramento propter hanc solam dispositionem, vel gratiam nouiter causent, quæ non consequeretur ex vi solius dispositionis recipientis Sacramentum, qui modus causandi gratiam opponitur alteri modo eam recipiendi ex opere operantis, qui consistit in hoc, quod quis recipiat primam gratiam iuxta mēsuram suæ contritionis, & dilectionis Dei, vel quod crescat in gratia habituali iustificante iuxta mensuram boni operis, quod exercendū est in gratia: ita vt vltra meritum de condig- D no nihil detur iuxta istum modum operis operātis, cur autem modus iste iustificandi Sacramentorū dicatur ex opere operato varij varie explicant, nobis autem sic explicandus est. Sacramenta dicuntur iustificare homines ex opere operato, quia non iustificant propter meritum operis ministri, qui confert Sacramētum, scilicet, quia in collatione Sacramenti quatenus exercetur à ministro non consideratur, vt causet gratiam Sacramentum, quod sit bona, & meritoria apud Deum, sed solùm consideratur collatio illa Sacramenti, quatenus exhibitio est Sacramēti, & in virtute Authoris instituentis siue benè, & ob bonū finem, siue male,

&

& ob malam finem exerceatur, dum modo
fiat ex intentione faciendi id, quod facit Eccle
sia. Vnde Sacerdos conferens Sacramentum
absolutionis ex auaritia reyera absoluit à pec-
catis, licèt ipse auaritia irretitus maneat.
Sit prima Conclusio: Sacramenta legis E-
5 uangelicæ conferre gratiam non ponentibus
obicem. Hæc conclusio est de fide, ea verò pro
batur primo ex scriptura, nam *Ioannis 1. capit.*
Ioannes Baptista respōdet de se ipso, baptizo in aqua,
& de Christo asserit: *Hic est, qui baptizat in Spi-*
ritu sancto, & Lucæ 3. idem *Ioannes* dixit: *Ego*
quidem aqua baptizo vos, de Christo verò inquit
Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Sed
baptismus Ioannis excitabat fidem Christi vē
turi, vt patet ex *Actorum cap. 19.* imò si fieret in
B gratia, augebat gratiam ex opere operantis, ve
luti bonus, & meritorius: ergo baptismus
Christi, qui est idem cum eo, quo nos vtimur,
non tantùm excitat fidem, sed etiam causat gra
tiam in suscipiente, & nō tantum ex opere o-
perantis, sed etiam ex opere operato. Quia ibi
Ioannes Baptista præfert baptismum Christi
baptismo suo, quæ præcellentia in alio nō stat,
nisi in hoc, *Caluin. hæreticus in caput. 3. Matth.*
Ad hoc testimonium respondet, eandem fuis-
se efficacitatem baptismi Ioannis, & Christi,
sed differentiam à Ioanne assignatam in hoc si-
tam esse, quod Ioannes solùm exterius appli-
cabat aquam, at verò Christus operabatur gra-
tiam in anima, sed hæc responsio absurda est, &
aperte conuincitur ex *Actorum 19. vbi Paulus,*
C iussit baptizari baptismo Christi eos, qui bap-
zati erant baptismo Ioannis, quod frustraneū
erat, si isti duo baptismi eiusdem erāt virtutis:
verba *Pauli ibi relata* hæc sunt, *Ioannes baptiza-*
uit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum,
qui venturus esset post ipsum vt crederent, & po-
stea subditur, *his auditis, baptizati sunt in nomine*
Domini Iesu. Nec valet, quod illi fideles non
fuerunt denuo baptizati, sed quod receperunt
Spiritum Sanctum per manus impositionem,
nam contra est, quod expresse dicitur eos fuis-
se baptizatos, & postquam *Lucas cap. illo 19.*
dixit: *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Sta-
tim ponit tamquam quid diuersum impositio-
nem manus, dicens: *Et cum imposuisset manus*
illis, præterea de baptismo dicitur *Ioānis 3 Ni*
D *si quis renatus fuerit ex aqua, & de Spiritu sancto,*
non potest intrare in regnum Dei. Quem locum
Patres omnes Ecclesiæ intelligunt de baptis-
mo, *vt Iustinus in Apolog. 2. Ambros. lib 3. de*
Spiritu sancto, cap. 11. Hierony. in caput. 36. Eze-
chiel. Et alij plures, ex quo loco deducitur, bap
tismum esse regenerationem spiritualem in Fi
lium Dei, quod fit media gratia, & non solùm
excitando fidem, quia hoc aliis modis fit, qui-
bus homo non dicitur regenerari. Tum etiam
ex Actor. 2. hæc veritas manifestè deducitur
ibi: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque*
A *vestrum in remißionem peccatorum.* Et de Eucha-
ristia dicitur *Ioann. 6. Qui manducat hunc panem,*
viuet in æternum. Quem locum esse intelligen-
dum de manducatione reali Eucharistiæ, vide-
bimus in materia de Eucharistia. De Sacramē
to pœnitentiæ dicitur, *Ioann. 20. Accipite Spi-*
ritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remit-
tuntur eis. Et de Sacramento Ordinis dicitur,
2. Epist. ad Timoth. c. 1. Admoneo te, vt resuscites
gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuū
mearum. Et de Sacramento Extremę vnctionis
dicitur: *Iacobi 5. Et oratio fidei saluabit infirmum,*
& si in peccatis est, dimittentur ei. Ex quibus locis
cōstat in scriptura, Sacramētis his tribui remis
sionem peccatorum, & collationem gratiæ; &
eadem est ratio de alijs Sacramentis nouæ le-
B gis, vt de Matrimonio, & Confirmatione, quia
in hac parte conueniunt omnia Sacramenta no
uæ legis inter se.
Secundò probatur hæc conclusio ex Eccle- 6
siæ traditione, quæ constat ex sanctis Patri-
bus, qui de hac re vniformiter loquuntur, tam
Latinis, quàm Græcis, quos latè refert *Vazq.*
2. tom. in 3. p. disp. 31. cap. 4. Vnde hanc verita-
tem definierunt *Eugen. IIII. in Decreto fidei*
in Concilio Florentino post Session. vltimam §. 5.
Ecclesiasticorum, & Concil. Triden. Sessio. 7 can. 6.
Tertiò veritas hæc probatur rationibus. Pri
ma sit, quia verba, quibus vtimur pro forma in 7
Sacramentis baptismi, & pœnitentiæ, cum sint
à Christo Domino instituta, debent esse vera,
sed vt sint vera, debent efficere id, quod signi-
C ficant, alias essent falsa: ergo cum significent
verba baptismi, Ego te baptizo in nomine Pa-
tris, & Filij, & Spiritus sancti, ablutionem ani-
mæ interiorem: & verba illa, Ego te absoluo à
peccatis tuis, remissionem peccatorum, teve-
ra vtrumque efficiunt per infusionem gratiæ;
at cum reliqua Sacramenta in causanda gratia
sint paria, ex his sequitur, ea etiam causare gra
tiam. Secunda ratio sit, quia vt patet ex *Con-*
cilio Carthag. 4. can. 76. Arausicano 1. can. 12. &
Leone, epist. 91. ad Theodorum. Sacramenta bap-
tismi, & absolutionis possunt conferri iis, qui
constituti sunt in mortis periculo, licèt vi mor
bi oppressi non habeant vsum rationis, dum-
modo certi simus, eos antea desiderasse ista Sa-
cramenta, sed in illis hæc Sacramenta non ex-
D citant fidem, quia non sunt capaces vsus ratio-
nis, ergo si causant iustificationem in anima, vt
supponunt hæretici, hoc non est remote me-
dio actu fidei, sed proxime causando gratiam
in anima. Tertia ratio sit, quia Sacramenta eā-
dem vim habent siue dentur in illa lingua, quā
quis intelligit, qui recipit Sacramentum, siue
in alia, quam ille non intelligat, vt patet ex Lu
theranis, & Caluinistis, qui admittūt vt Chri-
stianos eos, quos nos baptizamus in lingua La
tina, quam sæpe non intelligit is, qui baptiza
tur: ergo nō operantur per modum cōcionis,
&

& excitando fidem, quia adhoc deberent conferri iu lingua ab omnibus intellecta, sed causando gratiam in anima.

8 Sit secunda conclusio de fide. Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Probatur primò, *ex Concil. Trident. Session. 7. can. 8. de Sacramentis in genere*. Vbi sic dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non conferre gratiam ex opere operato, anathema sit.* Secundò probatur, *ex Aug. lib. 4. de Baptismo, cap. 24.* Vbi dicit, *Ipsum Sacramentum per se ipsum multum valere*, & ex *Cypriano sermone de Cœna Domini*, dicente *Sacramenta quantum in se est, sine propria virtute esse non posse.* Qui modi loquendi significant, Sacramenta causare gratiam ex opere operato. Tertiò probatur, quia qui Sacramenta suscipit, aliquid aliud recipit in anima gratiæ sanctificantis ratione ipsius Sacramenti, præter id, quod reciperet ratione solius suæ dispositionis, & boni operis, aliàs frustra Sacramenta, & essent instituta ad iustificationem, & frustra reciperentur: ergo causant gratiam ex opere operato, quia vt vidimus in principio huius quæst. ad causandam gratiam ex opere operato nihil aliud requiritur, quam quod eam operetur aliquid vltra meritum recipientis. Neque verò Sacramẽtorum priuilegio derogatur vllo modo ex eo, quod Sacramenta tantũ causent gratiã in non ponẽtibus obicẽ, quia cõmune est omnibus causis etiã naturalibus, vt propter passi resistentiam, in quo operaturæ sunt, impediantur ab agendo. Quæ conclusio intelligitur de gratia prima, vel secunda: omnia enim Sacramenta vel causant primam gratiam liberando hominẽ à peccatis, vt contingit in baptismo, vel secundam, augendo amplius gratiam, quam in anima inueniunt, vt patet de Sacramento Confirmationis collato paruulo post baptismum, & ante vsum rationis, in quo casu primam gratiam nõ cõfert, sed collatam auget. Imò certum est, omnia Sacramenta conferre augmentum gratiæ, si hominem inueniant iam in gratia constitutũ, probatur aperte *ex Tridens. Session. 7. can. 7.* Vbi dum sermo est de Sacramentis nouæ legis, sic dicitur: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, sed aliquando, & aliquibus, etiam si rite ea suscipiant, anathema sit.* Sed sic est, quod ille, qui in gratia constitutus recipit baptismũ, & alia Sacramenta, ritè ea suscipit: ergo cum non recipiat primam, recipit secundam. id est augmentum gratiæ, aliàs peioris esset conditionis, qui sine peccato accederet ad baptismum, quam ille, qui cum peccato ad eum accederet, (quod absurdũ est sine dubio) si primus gratiã non reciperet, & eam reciperet secundus.

Sit tertia conclusio. Aliqua Sacramenta, vt baptismus, & pœnitentia sunt instituta ad causandam primam gratiam ex primaria intentione Dei. Probatur, quia per se sunt instituta ad tollendum peccatum, baptismus ad tollendum peccatum originale, & pœnitentia ad tollendũ peccatum actuale, sed peccatum non tollitur, nisi per primam gratiam: ergo sunt per se instituta ad causandam primã gratiam. Imò eam aliquando conferunt, vt si quis cum sola attritione accedat ad ea recipienda Sacramenta, quod suis locis latius videbitur; reliqua verò Sacramenta per se, & ex primaria intentione Dei, non sunt instituta ad causandam primam gratiam, sed ad eam augendam, quod suis locis videbitur, & modò breuiter probatur, quia aliàs essent instituta ad tollendum peccatum, & benè quis accederet ad ea recipienda cum sola attritione, quod tamẽ nemo audebit diceret vt de Eucharistia per se manifestum est: ergo tantùm sunt per se, & primo instituta ad causandum augmentum gratiæ.

Sit quarta conclusio (licèt alij sentiant oppositum) alia Sacramenta, præter baptismum, & pœnitentiam, etiamsi dicantur Sacramenta viuorũ, secundariò tamen, & per accidens sunt instituta ad causandam primam gratiam. Ita docet *D. Thom. multis in locis*, vbi de huiusmodi Sacramentis disputat, quem sequuntur eius discipuli, *& Suarez 3. tom. in 3. p. disp. 7. sect. 2.* Probatur hoc duplici ratione. Prima sit, quia Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, hoc est existentium in peccato mortali, & sine vita gratiæ, quæ quidem de se & primariò instituta sunt ad causandam primam gratiam, aliquando conferunt augmentum gratiæ, vt quando conferuntur homini iam existenti in gratia, & peccatis exonerato, ergo etiam Sacramenta, quæ dicuntur viuorum, hoc est eorum, qui habent vitam gratiæ in anima, possunt aliquando dare primam gratiam, & iustificare hominem à peccatis per accidens, & secundariò, si ea recipiens existimet, se esse in gratia inuincibiliter, & nõ sit, & si habeat saltem attritionem peccatorũ. Cõfirmatur hoc, quia si ille, qui inuincibiliter crederet, se esse in gratia, cum revera non sit, accederet ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum viuorum, nõ peccaret, quia excusatur ignorantia inuincibili, & si aliàs haberet attritionem peccatorũ ex parte sua, non repugnaret, quod gratiam reciperet, quia in Sacramento pœnitentiæ cum hac sola dispositione sufficienter gratia recipitur, tùm etiam ex parte Sacramenti non est hoc impossibile, quia cum primus gradus gratiæ, qui dicitur prima gratia, & habet expellere peccatum mortale ab anima, sit eiusdem rationis cum alijs, sicut Sacramenta causant alios gradus gratiæ, qui dicuntur, secunda gratia, sic etiam possunt causare primum, ergo sequitur, Sacramenta viuorum saltim secundariò, & per accidens esse instituta ad causandam primam

mam gratiam, quod quidem valde pium est, & dignum misericordia Dei, & ideò amplectendum à nobis.

11 Sit quinta conclusio. Sacramenta omnia in eadem perfectione, & augmento, ac eodem modo, scilicet, ex opere operato, quo conferunt gratiam habitualem iustificantem, conferunt etiam virtutes supernaturales Theologicas, vt Fidem, Spem, & Charitatem, & virtutes supernaturales morales, vt temperantiam, fortitudinem, & iustitiā infusas. Probatur primò ex *Côcil. Trid. Sef. 6. can. 7.* vbi definitur, ***homines iustificari per susceptionem gratiæ, & donorum.*** Per quæ dona videntur intelligendæ prædictæ virtutes. Et confirmatur, qui dat formam, dat consequentia ad formam, id est proprietates, quæ habent connexionem cum ipsa forma, vt qui causat ignem in ligno, causat calorem, qui proprius est ignis, & cum eo connexus, sed Sacramenta dant gratiam, ergo conferunt alias virtutes supernaturales, quæ habent necessariā connexionem cum gratia. Vnde etiamsi quis disponatur ad recipienda Sacramenta intensius per actum fidei, verbi gratia, quam per actum charitatis, & gratiæ, nihilominus virtute Sacramētorū non adipiscitur maiorem fidem, quam gratiam, sed omnia hæc recipit in æquali gradu, tùm quia Sacramenta primariò sunt instituta ad causandam gratiam, & ad causandas supernaturales virtutes secundariò, vt ad causandam fidem, &c. Quare in eadem gradu, & in eadem perfectione, in qua causant alias virtutes, causant gratiam, tùm etiam, quia actus supernaturales fidei non causant physicè habitum fidei, sed meritoriè, sic autem, quia primò merentur gratiam, vt primum premiū nostrorum bonorum operum in hac vita, & secundariò fidem, & alias virtutes infusas supernaturales, ideò primariò datur gratia, id est principaliter, & secundariò, id est, minus principaliter aliæ virtutes donantur, & in eodem istæ gradu donantur, quo donata fuit gratia.

12 Sicut nos veritatem catholicam supra probauimus ex scriptura, ex Patribus, & ratione, ita etiam hæretici eam labefactare contendunt ex scriptura, ex Patribus, & ratione. Primum argumentum ex scriptura desumitur ex *Habacuc 2. & ex Paulo ad Roman. 1.* vbi dicitur, ***Iustum ex fide viuere***, tùm etiam ***ad Rom. 4.*** dicitur ***Credidit Abrahā Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.*** Sed in his locis tribuitur iustificatio fidei, ergo non est tribuenda Sacramentis. Sed ad hæc facilis est responsio: cum enim dicitur, iustum ex fide viuere, hoc ita intelligendum est, iustum iucundā hic vitam degere, etiamsi multis tribulationibus concutiatur, quotidie firmiter expectando ea, quæ à Deo promissa sunt. Ad alium verò locum scripturæ respondetur. In illo tribui iustificationem nostram fidei, nō tanquam causæ, sed tanquam radici, & principio, & dispositioni, in quo sensu loquitur de fide in ordine ad iustificationem; *Concil. Trid. sessio. 6. can. 6.* Hoc tamen non exclodit, quod Sacramenta sint causæ efficientes gratiæ.

Secundum argumentum est ex *Marci vltim.* ibi: ***Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*** Nam si ei; qui nō credit, etiamsi baptizetur, salus denegatur, ergo fides, & nō Sacramentū baptismi causat gratiam. Sed respondetur, ex illis verbis solùm colligi, baptismum non iustificare sine fide, hoc tamen non prouenit ex eo, quod fides sit causa iustificationis, sed quia est necessaria dispositio ad eam. 13

Tertium argumentum est ***Lutheri in lib. contra Coclaeum.*** Vbi dicit, doctrinam esse August. non Sacramento, sed fide Sacramenti nos iustificari, sed falsum est, hanc doctrinam esse Aug. oppositum enim asserit ***August. epist. 23.*** 14

Quartum argumentum est ***August. lib. Quæstionum, noui Testamenti, quæst. 59.*** vbi sic dicitur: ***Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum Ecclesiæ poterit consequi, qui se per aquam, nō per fidem commutari credit.*** Sed respondetur primò, lib. illum non esse Augustin. quia continet aliquos errores, vt notat ***Vazquez 2. tomo in 3. p. disp. 131. cap. 6.*** Secundò respondetur ibi per fidem solùm intelligi virtutem quandam spiritualem; quam habet baptismus ad tollenda peccata, vocat enim ille Author iuxta phrasim August. fidem obiectum fidei, quod creditur, scilicet virtus illa, quæ creditur esse in Sacramentis, iuxta ***Vazquez loco citato.*** 15

Quintum argumentum est desumptum ex ***August. lib. 3. Quæstionum in Leuiticum, quæst. 84. in illud Isaiæ 4. cap. in illa die, &c.*** vbi dicit: ***Sacramenti ministrum præbere Sacramenta exterius, vt aquam; Deum autē præbere inuisibilem gratiā.*** Ergo gratia non datur per Sacramenta, aliàs etiam minister eam daret, quod negat iste sanctus Pater. Sed respōdetur, eo modo loquendi nullo modo negari, saltem instrumentaliter Sacramenta causare gratiam, & ministrum in dio Sacramento, sed tantùm significari, solùm Deū esse causam principalem gratiæ, non verò Sacramenta, aut ministros eorum. 16

Sextum argumentū fit ***Caluini lib. 4. institut. c. 14. §. 14.*** In hunc modū, qui docent Sacramēta iustificare, separant homines à Deo; & faciunt, vt in spectaculo rei corporeæ acquiescant, non in ipso Deo. Respondetur nos nō separare homines à Deo, sed trahere ad Deum, quia non dicimus, Sacramenta habere vim ex natura sua ad iustificandum, sed à Deo prouenire totam virtutem. Vnde ex hoc moueri debent homines ad laudandam diuinam prouidētiam, & Sacramentorum authorem, illumque amandum. 17

Septimum argumentum est, quia eodem modo 18

modo iustificant animas verbum Dei, & Sacramenta, sed verbum solùm iustificat excitãdo fidem, ergo, & Sacramenta eodem modo iustificãt. Quod eodem modo hæc duo iustificẽt probatur, quia sicut scriptura dicit, Sacramenta iustificare, ita dicit verbum iustificare: *Ad Roman. 1. Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Sed respondetur, scripturam, & verbo Dei, & Sacramentis tribuere vim iustificandi, sed non eodem modo, nam verbum solùm iustificat excitando fidem, & deuotionem media qua tandem gratiam iustificantem consequamur, at verò Sacramenta iustificant causando per se immediatè gratiam.

19 Octauum, & vltimum argumẽtum est, quia Sacramenta sunt res crassæ, & materiales, ergo non possunt animam penetrare, quæ spiritualis est, neque in ea causare gratiam mundantẽ à peccatis, quia ad hoc deberent habere in se aliquam vim, quam non habent. Nõ spiritualem, quia ea non posset in eis recipi. Nõ corporalẽ, quia hæc non sufficeret ad causandum effectũ spiritualem gratiæ, ergo Sacramenta non causant gratiam. Ad hoc tamen respondetur, Sacramenta, licèt sint res materiales, agere tamen in animam, non tanquam causas principales, & per virtutem propriam in se ipsis receptam, sed tanquam instrumẽta assumpta ad producẽdam gratiam ex virtute in Deo existẽte, quod qua ratione contingat Sacramentis, an tanquã instrumentis physicis, vel moralibus, postea explicabimus.

20 Hic disputant aliqui recentiores de aliquibus quæstionibus, quas ex proprijs locis extrahentes hunc tractatum difficilem, & longũ reddunt, quæ melius in suis locis agitabuntur. Primò enim disputant de dispositione necessaria ad effectum Sacramentorum recipiendum, de hac enim re cõmodius in suis locis agetur, dum de singulis Sacramentis fit disputatio, requiruntur enim diuersæ dispositiones secundũ diuersitatem Sacramentorum. Secundò inquirunt, an Sacramenta æqualem semper gratiam conferant, verum hæc res facilis est, & ita longa disputatione non eget, nullus enim dubitare potest, quin homini melius disposito maiorem semper gratiam idem genus conferat Sacramenti, quæ autem fit melior dispositio, suis locis videbimus. Tertiò disputant, vtrùm Sacramenta in voto solùm, & desiderio suscepta conferant gratiam ex opere operato, an solùm in re suscepta, de hac tamen re ex professo disputabitur in tractatu de Eucharistia, certum tamen est, causare gratiam ex opere operato non conuenire Sacramentis in voto solũ susceptis, nisi in re ipsa suscipiantur. Quartò pertractant, an Sacramenta operentur gratiam in tempore, vel in instanti, sed de hoc puncto statim agemus in hoc tractatu. Quintò in isto tractatu inuestigare contendunt, an Sacramẽta, quæ semel suscepta non operantur gratiam in anima propter aliquam prauam dispositionem recipientis, recedente ea fictione, & dispositio ne gratiam producant, sed hoc punctum latè examinabitur Deo dante in tractatu de Sacramento Baptismi.

QVÆSTIO XIII.

Quæ sit gratia Sacramentalis, quam cõferunt nostra Sacramenta.

IN hac re variæ sunt Doctorum sententiæ, 1 *Paludanus in 4. dist. 2. quæst. 3.* asserit, gratiã Sacramentalem esse quandam qualitatem in anima permanentem, seu habitum quẽdam distinctum à gratia habituali gratum faciente, eandem sententiam, vt notat *Sot. in 4. dist. 1. q. 3. art. 2.* tenuit *Capreolus 4. dist. 1. quæst. 2. a. 3. ad quartum, Durand. contra 3. conclusionem.* Addens in Sacramentis, quæ imprimunt characterem, ipsum esse gratiam sacramentalem.

Alij verò dicunt, gratiam communiter dictã à gratia sacramentali solùm differre in modo, quia gratia Sacramentalis datur per Sacramentum, & gratia communiter dicta alijs vijs communicatur. 2

Alij, *vt Bonauent. in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 6. & Ricardus eadem dist. art. 4. quæst. 4.* Docent, gratiam Sacramentalem eandem esse secundũ substantiam cum gratia communiter dicta, solùmque ab ea differre ratione effectus, quia ordinatur ad curationem animæ, nam omnia Sacramenta instituta sunt, vt essent animæ medicamenta. 3

Nuño, 1. tom. 3. p. super art. 2. quæst. 62. dist. 3. contendit gratiam Sacramentalem esse entitatem realem, & esse quendam modum gratiæ iustificantis, quia scilicet, gratia iustificans in quantum confertur per Sacramenta, habet, vt sit potentia quædam producens effectum proprium Sacramenti, & talem gratiam Sacramẽtalem ait esse diu permanentem in anima, sicut ipsam gratiam. Hoc vltimũ probat iste author, quia idcirco prophetæ non prophetabãt, quoties volebant, quia gratiæ prophetiæ non important aliquid permanens in homine, sed solùm auxilium Dei, quo Deus modo vult concurrere ad prophetandum, & postea non vult; sed habens gratiam Sacramentalem vtitur illa, quoties vult, ergo illa residet permanenter in anima. 4

Sit prima conclusio. Singula Sacramẽta producunt in anima suas proprias gratias Sacramẽtales distinctas secundùm diuersitatem Sacramentorum, ita indicat, *D. Thom. 3. p. quæst. 62. art. 2.* Probatur, quia quodlibet Sacramentum ordinatur ad suum proprium, & peculiarem finem, vt baptismus ad regenerationem spiritualem 5

tualem, & vt homo fiat membrum Christi, Cõfirmatio, vt fit miles Christi, &c. Ergo causat in anima proprium effectum, quo medio consequatur ille finis, qui effectus dicitur gratia Sacramentalis.

Secunda cõclusio. Gratia Sacramentalis nõ
6 est habitus aliquis distinctus à gratia, & ab alijs virtutibus, ita indicat *D. Thom. loco citato*, dum vocat: *Gratiã sacramentalẽ auxiliũ*. Et docet *Sot. in 4. dist. 1. quæst. 3. a. 2.* & alij recentiores. Probatur, quia si daretur talis habitus vel esset collocandus in anima, vel in potentijs. Nõ in anima, quia in ea est collocãda tantùm gratia sanctificans. Non in potentijs, quia in istis solùm sunt collocandi habitus, qui sint principia operationum: Sed ad exercendas operationes proprias Sacramentorum sufficiunt habitus gratiæ, & aliarum virtutum, quæ infunduntur in Sacramentis, ergo gratia Sacramentalis nõ est habitus distinctus à gratia, & ab alijs virtutibus, & hinc facile refutatur sententia Patris Nuño dicentis, gratiam Sacramentalem esse modum quẽdam, quo gratia fit potens ad causandos effectus Sacramentorum, quia ad hos effectus sufficient gratia, & virtutes, quæ cum ea infunduntur in Sacramentis, ergo non requiritur talis modus. Tùm etiã, quia inintelligibile est, gratiam per talem modum se extendere ad producendos plures actus, quam antea, sicut fides, verbi gratia, etiamsi ei addatur quilibet modus, non potest se extendere, nisi ad exercendos actus fidei, non verò Spei, aut Charitatis, ad exercendum autem actus proprios gratia sine modo sufficiens est, vt de se patet, modus ergo ille impertinens est.

Tertia conclusio. Gratia Sacramentalis, &
7 gratia communiter dicta sunt idem habitus, seu eadem entitas gratiæ, ita docet *D. Thom. 3. p. quæst. 62. art. 2. Caietanus ibidem, Sot. in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 2. & Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 131. cap. 7.* Vnde gratia Sacramentalis per hoc solùm differt à gratia communiter dicta, quod gratia Sacramentalis est ea, quæ datur per Sacramenta, & quæ ex intentione, & promissione Dei instituentis Sacramẽta habet ordinem, & ius ad quædam peculiaria auxilia Dei, quibus consequatur finis proprius Sacramentorum, gratia verò communiter dicta est ea, quæ datur extra Sacramenta absque hoc ordine ad auxilia prædicta. In quo dicendi modo fatendum est ex vi Sacramentorũ, & ex vi institutionis eorum conferri homini aliqua auxilia gratiæ, aut efficacia, aut sufficiẽtia prout Deo placuerit, quæ auxilia nihil aliud sunt, quam quædam sanctæ cogitationes, & quidam motus subitì voluntatis ad peculiares fines Sacramentorum consequendos communicati. Hanc conclusionem docet *D. Bernard. in sermone de Cœna Domini ante medium*. Vbi assignat diuersas Sacramentorum gratias per respectum ad

A diuersa auxilia. Probatur deinde, quia gratia ex eo, quod Sacramentalis sit, aliquid addit supra gratiam communiter dictam, non habitum aut modum, vt vidimus in secunda conclusione, ergo aliquid per modum actus.

Hæc verò auxilia, vt optime notauit *Vazq. loco citato*, ita conferuntur per Sacramenta, vt 8
etiam extra Sacramenta conferantur. Cum enim hoc Deus possit efficere, nullo modo negandum est, neque etiam dicendum, cum hæc auxilia dantur extra Sacramenta, & non ex vi Sacramenti, suscepti in re, dari ex voto Sacramenti, nam votum Sacramenti vel est desideriũ recipiendi illud expressum, vel implicitum, in clusum in cõtritione, & dilectione Dei, in qua cum includatur voluntas seruandi omnia præ-
B cepta, etiam includitur voluntas recipiendi Sacramenta, quæ obligant sub præcepto, at cum Sacramento non dum suscepto dantur nobis hæc auxilia, non est dicendum, quod dantur ex desiderio Sacramenti, ergo neque ex voto. Hanc gratiam Sacramentalem in Sacramẽtis, quæ iterari non possunt, homo recuperat, si per peccatum amittatur, eum homo postea ad statum gratiæ redit, ne iure ad auxilia ita necessaria perpetuo priuetur. Et eadem est ratio de matrimonio, quod viuente vtroque coniuge non potest repeti, propter eandem rationẽ, quia liberalis Deus non vult homines tanto bono priuare, quod valde necessarium est ad onera matrimonij subleuanda.

Ad argumentum Patris Nuño respondetur, 9
C eum, qui adquirit gratiam Sacramẽtalem, non posse ea vti quoties vult, sed tantùm adquirit ius virtute Sacramenti, vt talia auxilia dentur à Deo opportuno tempore.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis sint instrumenta ad causandam gratiam physicè, an alio modo sint causæ?

HAEC quæstio valde controuersa, & difficilis est inter Theologos Scholasticos antiquos, & recentiores, & diffusa satis propter Philosophicas, & Meta-
D physicas contentiones, sed quia instituti nostri tantùm est, res Metaphysicas breuiter attingere, resque morales ad longum resecare, ideo breuiter huius quæstionis campum percurremus, remittentes illos, qui eum diutius velint peragrare, ad Patrem *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 9. sect. 2. & ad Dominicum Sotum in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. & ad Nuño 1. tom. super 3. p. quæst. 62. a. 1. difficultate 7. & ad Suarez 3. to. in 3. p. disp. 9.*

Pro intelligentia verò quæst. quædam notanda sunt. Primum est, Sacramẽta esse causas 1
instru-

instrumẽtales gratiæ, & non principales. Probatur hoc, quia causa principalis est illa, quæ est æquè perfecta, aut perfectior suo effectu, vt calor est causa principalis alterius caloris, quia est æquè perfectus cum illo, & sol est causa principalis caloris, quia est perfectior illo; causa verò instrumentalis est illa, quæ est imperfectior suo effectu, vt calor ferri candentis est causa instrumẽtalis ignis producti in stupa, sed sacramenta, cum sint entia naturalia, & corporea, sunt imperfectiora gratia, quæ est spiritualis, & supernaturalis, ergo sunt causa instrumentalis, & non principalis gratiæ.

2 Secundò notandum est, instrumentum esse illud, medio quo aliquid fit, vt ferra dicitur instrumentum artificis, media qua ille efficit statuam. Hoc autem instrumentum duplex est aliud Physicum, aliud morale: Physicum est illud, quod ex se influit in effectum operando illum per virtutem in se manẽtem, vt serra est instrumentum artis, quia ex se, & ex propria natura, & aptitudine deseruit ad efficiendam statuam, instrumentum verò morale, vt eleganter notauit *Vazquez 3. p. quæst. 13. art. 2. dub. 3.* In eo consistit, vt à Deo tanquam causa principali, & Physica, ac moraliter operante ex sua libera voluntate impetret aliquid, ita quod Deus ex vi promissionis factæ illi instrumento, posito illo illud efficiat, quod promisit, qua ratione orationes Sanctorum, & reliquiæ eorum solent dici instrumenta moralia ad patranda miracula.

3 Prima sententia in hac quæst. est eorum, qui dicunt sacramenta non esse instrumenta Dei ad physicè producendam gratiam in anima, sed solum causam, seu conditionem, sine qua Deus illam non conferret, hanc sententiam sequuntur *Gabriel in 4. dist. 1. art. 2. conclusione. 7. Durand. ibidem quæst. 5. num. 19. & alij.* Fundamentum huius sententiæ illud videtur esse, quod hac via rectè defenditur, excellentia sacramentorum, rectèque explicantur Sanctorũ Patrum testimonia, qui nostris sacramentis tribuunt efficacitatem gratiæ. Hæc tamẽ sententia meritò nõ probatur Authoribus alijs, quia parum defendit excellẽtiam sacramentorum, vt sic enim non possent dici sacramenta causæ gratiæ, conditio enim alicuius agentis requisita ad agendum non dicitur esse causa effectus, vt approximatio ignis ad ligna non dicitur esse causa combustionis eorum?

4 Secunda Sententia est *Enrici quodlibeto 4. q. 37.* Asserentis non esse aliquam virtutem supernaturalem in sacramẽtis ad productionem gratiæ, quæ est creatio, esse tamen sacramenta instrumenta gratiæ, quia in se continent Authorem gratiæ, & ad eorum tactum Deus gratiam operatur, sed hæc vix est intelligibilis sententia, nisi denotet, sacramenta esse causas morales gratiæ, vt nos postea dicemus.

A Tertia sententia est *Scoti in 4. dist. 1. quæst. 5. & ad primam quæst.* Vbi primò dicit, non esse cõcedendum, in sacramentis nouæ legis esse aliquam actionem, qua attingat gratiam, vel dispositionem aliquam, ac si diceret, vt notat quidam Author nostri temporis, sacramenta nouæ legis, neque esse gratiæ causas, neque instrumenta physica ad productionem illius. Secundò dicit, sacramenta esse quodam modo causas agentes, seu instrumentarias, quia sunt dispositiones proximæ ad gratiã, omnis autem proxima dispositio ad formam dicitur instrumentum ad eam producendam, quod probatur exemplo meritorum, quæ dicuntur instrumenta ad gloriam per hoc, quod sunt dispositiones ad eam, & exemplo motus, quem appellat instrumentum in ordine ad terminum, quia est dispositio ad illum. Hanc autem rationem instrumenti asserit conuenire sacramentis, per hoc, quod Deus assistit illis ad producendam gratiam ratione promissionis à se factæ sacramentis. Sed hęc sententia omninò falsa est, in eo quod asserit, sacramenta nostra esse causas gratiæ, per hoc, quod sint dispositiones ad gratiam. Nam contra est, quod si sacramenta essent dispositiones ad gratiam, vel essent dispositiones naturales, vel morales. Non naturales, vt de se patet, quomodo enim ablutio exterior corporis potest esse dispositio naturalis ad gratiam? Non etiam morales, quia alias sacramenta deberent cõstare actibus illius, qui recipit sacramenta tanquã partibus essentialibus: Quod licèt in sacramẽto pœnitentiæ cõtingat, quod constat actibus pœnitentis, & in sacramẽto matrimonij, quod cõponitur ex verbis vtriusque cõiugis; at in alijs sacramentis nõ reperitur hoc, vt in baptismo videre licet, qui solis verbis ministri, & ablutione ab eo facta cõstat. Neq; obstat, dicere, in sacramẽtis semper requiri aliquam dispositionem ex parte recipientis, vt in baptismo requiritur dolor de peccatis, vel saltim requiritur receptio libera sacramentorum. Nam contra hoc est, quod baptismus collatus paruulis eodem modo causat gratiam in illis, ac baptismus collatus adultis in adultis, at in paruulis nulla reperitur huiusmodi dispositio, quia non sunt capaces alicuius actus liberi, & meritorij, ergo non sunt causæ sacramenta gratiæ per hoc, quod sint dispositiones ad eam.

B

C

D

6 Quarta sententia est eorum, qui dicunt sacramenta nostra esse instrumenta physica Dei, non quidem ad producendam proxime gratiam ipsam, sed ad producẽdam quandam dispositionem ad gratiam, quam vocant ornatum. Hanc sententiam secuti sunt *Paludan. in 4. dist. 1. quæst. 1. conclus. 2. Capreol. quæst. 1. art. 1. concl. 3. & alij.* Quod autem sacramenta sint instrumenta physica ad causandam gratiam, probatur, quia sacramenta, vt supra vidimus, sunt

causæ gratiæ, sed non satis videtur concedere, A esse causas, sine quibus non, vt supra vidimus, ergo debent esse instrumenta physica gratiæ, quod autem proxime non producant gratiam ipsam tamquam instrumenta physica, sed ornatum, probatur, quia gratia non est forma, quæ educitur de potentia animæ, sed quæ creatur, sed ad creandum non potest assumi instrumentum physicum, ergo tale instrumentum debet assumi ad causandum ornatum. Sed hæc sententia falsa est, vt sentiunt *Scotus loco citato, & Dominicus Sotus in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1.* Ex triplici autem capite refellitur primò, quia anima de se est capax gratiæ, ergo non indiget ea dispositione ad recipiendam gratiam. Secùdò, quia illa dispositio aut est naturalis, vel supernaturalis: naturalis esse non potest, quia alias B non esse posset dispositio accommodata ad gratiam, quæ supernaturalis est, vel est supernaturalis, & ita sicut Sacramenta non possunt producere gratiam, quæ supernaturalis est, ita neque possunt producere illam dispositionē, vel si eam dispositionē possūt producere, cur nō possunt producere ipsam gratiam. Tertiò, quia si ad recipiendam gratiā in anima esset necessaria aliqua dispositio, quia gratia est supernaturalis, ergo ad eam dispositionem recipiendam, quæ etiam est supernaturalis esset necessaria alia dispositio, & ad aliam alia, & sic fieret processus in infinitum, qui nullo modo est admittendus.

7 Quinta sententia est aliorum, qui dicunt, Sacramenta non esse instrumenta ad producendam gratiam, sed ad hoc, quod ea vniatur animæ nostræ. Ita docet *Sotus loco citato in solutione tertij argumenti*, quod probat exemplo vnius hominis, qui quidem est causa alterius hominis non per hoc, quod producat animam eius, quia hæc à solo Deo creatur, sed per hoc, quod attingat vnionem eius cum anima. Sed hæc sententia defendi non potest, tùm quia supponit gratiam in anima creari, quod falsum est, & alibi in materia de gratia ex professo refellendum. Tùm quia gratia, cū sit accidens, & dependeat in fieri, & conseruari à subiecto, eadem actione, qua vnitur, producitur. Vnde si Sacramenta sunt apta ad eam vniendam, sunt apta ad eam producendam. Quod diuersum est ab anima, nam anima, neque dependet in fieri, neque in conseruari à corpore; sed apta est separata à corpore existere. Vnde diuersa actione producitur ab ea, qua vnitur corpori.

8 Sexta sententia est eorum, qui dicunt, Sacramenta nostra esse instrumenta physica ad causandam gratiam ipsam immediatè, ita *Caietanus tertia parte quæst. 62. artic. 4. & in quarto.* Et recentiores Theologi huius ætatis: quorum fundamenta inferius afferemus, dum contra nostram sententiam argumenta proponamus. Sed etiam hæc sententia est falsa. Probatur dupliciter primo, quia hoc proprium est Sacramenti baptismi, vt dicemus in tractatu de Baptismo, vt operetur gratiam recedente fictione, & quando non est, at in hoc casu non potest esse instrumentum physicum gratiæ, quia nihil operatur physicè, quando non est, ergo neque in alijs casibus, neque in alijs Sacramentis concedendum est, Sacramenta esse instrumenta physica, nam debemus semper eundem modum operandi in Sacramentis omnibus concedere, & non modo vnum, postea verò alium. Secundò probatur, quia si Sacramenta sunt instrumenta physica ad gratiam causandam, sequitur manifestè, vel quod illam causent in tempore, si causent, quando sunt, vel in Instanti, quando non sunt. Vtrunque autem videtur absurdum loquendo de efficacia instrumenti physiti. Probatur, quia si Sacramenta causent gratiam quando sunt, sunt quidem in tempore, quia habent esse cum motu, vt contingit in ablutione, & in prolatione verborum, ergo causant gratiam in tempore. Hoc autem omnino falsum est, quia gratia, quæ producitur tota simul, vt homo, fit in instanti, si verò gratia producitur in instanti, vt illa exigit natura sua; hoc est impossibile vt à Sacramento fiat, quia tunc non est Sacramentū, ergo neque potest producere physicè gratiam: nam sicut non potest esse instrumentum physicum, quod non dum est productum, ita neque illud, quod iam præterijt, C quia sicut vnum non habet esse, ita neq; aliud. Huic argumento varijs modis respondent Theologi aliqui, sed insufficienter sanè, quos longum esset refellere. Quorum refutatio videatur *apud Vazquez 2. tomo in 3. p. d. sp. 132. cap. 4.* quia philosophica est valde.

His suppositis sit conclusio. Sacramenta nostra sunt instrumenta moralia ad causandam gratiam. Hanc conclusionem defendunt 9 *Melchior Canus in relectione de Sacramentis in genere, quarta parte post sextā conclusionē, Caninc. tomo de Sacramentis; quæst. 62. artic. quarto dubio vnica: & Vazquez loco citato capit. 5.* Qui multos antiquos Doctores pro hac sententia allegat, pro ea tamen referri potest *D. Thom tertia part. quæst. 62. artic. 4. in solutione ad primum.* D Ibi: *Sicut in ipsa voce sensibili est quadam vis spiritualis ad excitandam intellectum hominis in quantum procedit à conceptione mentis, & hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis in quantū ordinantur à Deo ad effectum spiritualē.* Vox enim humana solùm habet vim ad excitādum nostrū intellectum media impositione hominum, & moraliter; ergo, & Sacramenta eodem modo habent vim producendi gratiā. Fuerunt autem Sacramēta, & sunt instrumēta moralia ad causandam gratiam eo modo, quo

A Christi humanitas medijs suis meritis operata est miracula ambulando super aquas, suscitando mortuos, cæcos illuminando, & eo modo, quo Apostoli medijs suis orationibus, & meritis fuerunt instrumenta Dei ad varias sanitates corporis efficiendas, & ad dæmones expellendos, quod totum contigit per modum impetrationis. Est tamē inter hæc discrimē, quod Sacramenta non impetrant ex meritis eorum, qui ea ministrant, nam quamuis ministri sint in peccato mortali, & inimici Dei conferunt gratiam recipientibus Sacramenta. Vnde ex solo verbo promissionis Dei, quo promisit ad pręsentiā Sacramentorū, se daturum gratiā infallibiliter, per hoc solū Sacramenta impetrant à Deo gratiā, cum ministrantur, & per hoc solū gratiā causant. B Humanitas vero Christi, & Apostoli ex suis meritis impetrabant à Deo miracula, quæ patrabant; is autem, qui impetrat aliquid ab aliquo quacunque ratione, & illud, quo impetrat, rectè dicitur instrumentum causæ principalis, non physicum, quia per hoc nō influit in effectum, sed morale. Probatur hæc cōclusio rationibus. Prima; quia ista efficacitas moralis in Sacramentis facilis est ad intelligēdum, & alia efficacitas physica maximas, & inexplicabiles patitur difficultates, ita vt hæreticis tribuat occasionem irridendi, & detrahēdi nostris mysterijs fidei, ergo efficacitas moralis defendenda nobis est, præsertim, si modo loquendi scripturæ, & sanctorum Patrū satisfaciamus. Huic autem modo loquendi rectè satisfacere possumus, C nam scriptura, & Patres eodē modo loquuntur de Sacramentis, ac de sanguine, & passione Christi in ordine ad causandam nostram salutem, & nostrā iustificationē, sed effusio sanguinis Christi, & tolerantia laborū eius in passione non sunt causa physica nostræ salutis, sed moralis, quia iā præterierūt, & non sunt, & nihil potest causari physicè imò neque dependere ab eo, quod non est, vt late probat *Vazq. a to. in 3. p. disp. 133. cap. 3.* Ergo etiam nostra Sacramenta nō sunt causa physica, sed moralis iustificationis humanæ, quod autē scriptura, & Patres eodē modo de his loquantur, patet. Nam prima *Ioā. 1.* dicitur: *Et sanguis Iesu Christi Filij eius emūdat, nos ab omni peccato, & Apoc. 1. dicitur: Lauit nos à peccatis nostris in sā*-D *guine suo.* In quibus locis sanguini Christi tribuitur emundatio à peccatis, sicut etiā Sacramentis nostris tribuitur hæc virtus in scriptura. Secundò probatur, quia si Sacramēta essent instrumēta physica ad causandā gratiam, deberent in se habêre aliquam virtutem realem, & intrinsecā, qua gratiam operarentur, at hæc virtus neque explicari potest, neque aliquo fundamento concedi, ergo Sacramēta non sunt instrumenta physica. Tertia ratio sit, quia humanitas Christi perfectiori modo concurrebat ad miracula, quam Sacramenta ad gratiā producē-A dam, sed humanitas Christi solū fuit instrumētum morale miraculorū, ergo etiam Sacramenta solùm sunt instrumenta moralia gratiæ. De humanitate Christi id probatur, quia humanitas Christi eijciebat dæmonia ex corporibus, & cogebat ea, ne loquerētur, quod nō alio modo factum est, quam per imperiū, quod est genus causæ moralis. Tùm etiam Christus ambulauit super aquas sine eo, quod mergeretur, quod nō alia via factū creditur, nisi penes hoc, quod Deus negauerit cōcursum aquis, ne fluerent, dū corpus Christi super illas ambulabat. Ad quem concursum denegandū non concurrit humanitas, vt instrumētū physicū, quia nullum instrumentū physicū assumitur ad denegā dum concursum, ergo humanitas Christi ad pa-B tranda miracula concurrebat vt instrumētum morale, quare etiam Sacramenta vt instrumenta moralia ad causandam gratiam concurrunt. Quarta ratio sit, quia verba Sacramentorū solum sunt causa gratiæ ratione significationis, quā habent ex diuina institutione. Et hæc est tota ratio, cur illa verba operētur in anima gratiam, & non alia, quæ posset Deus assumere ad eundem effectum, at hæc ratio tota est moralis, ergo verba Sacramētorū solum sunt causa moralis gratiæ: quare & totum Sacramentum operari solùm dicetur moraliter, quia materia & forma, ex quibus tantum res coalescit, imo & ipsum totum eo modo operatur.

16 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad tertiā sententiam contendentē proba-C re Sacramenta esse causas instrumentarias gratiæ ex eo, quod sunt dispositiones ad eam, dicimus, exēpla, quibus id contendit probare, nullam habêre vim ad suum propositū, nam merita nostra non dicuntur equidem causæ gloriæ, quia sunt dispositiones ad eam, sed quia sunt causæ morales gloriæ, quibus ex gratitudine secundùm aliquos, secundùm alios verò ex iustitia debetur gloria, dū modo opera sint facta in gratiæ statu, & sint in se bona, & procedant ex auxilio, & gratia Dei, & motus non est dispositio ad terminū, sed via ad illum, quod erat alterum exemplum oppositæ sententiæ.

18 Argumentis quartæ sententiæ satisfaciamus. Ad primum dicimus, quod licèt non sit satis cōcedere Sacramentis esse conditionem, sine qua D non gratiæ, non tamen ob hoc debemus cōcedere esse instrumenta physica, sed satis est esse moralia. Ad secundū argumentum, in quo cōtenditur, Sacramēta esse instrumēta ornatus, & nō esse instrumenta gratiæ, quia gratia nō educitur de potētia animæ, sed creatur. Respōdetur, multo verius esse gratiā educi, & nō creari id est produci cōcurrēte anima, & adiuuāre ad eius productionē in genere causæ materialis.

In fauorem verò sextæ sententiæ, & contra nostram conclusionem pugnant quædam argumenta, quæ adducit *Suarez in cōfirmationem suæ*

partis

partis 3. tom. in 3. p. disp 9. sect. 2. Primum argumentum desumitur ex modo loquendi Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Scripturæ sacræ, secundùm quem tanta tribuitur Sacramentis efficacia, vt ad eam defendendam non satis sit, eis cōcedere causalitatem moralem, nisi eis concedamus causalitatem physicam. De baptismo enim dicitur, eum regenerare hominem, *vt Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & Actor. 2.* dicitur, per eū remitti peccata, ibi: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Præterea *Concilium Tridentinum, & Florentinum, docent Sacramenta gratiam continere, & conferre*, vt supra vidimus, *& Concilium Senonense in Decretis fidei, cap. 10.* dicit, *Sacramenta habere vim diuinæ gratiæ conferendæ.* Præterea inter Sanctos Patres, *Syluest. Papa apud Nicefor. lib. 7. historia, cap. 33.* Sic loquitur ad Constantinum: *Hæc aqua Imperator diuina virtute per inuocationem viuificæ Trinitatis concepta, sicut exterius corpus hominis abluit, ita etiam interius animam mundat. Et Leo Papa epist. 4. cap. 6. dicit, baptismo datam esse virtutem, & potentiam renouandi, & regenerandi hominem. Chrysost. Homil. 35. in Ioannem sic ait. Futurum erat baptisma plenum maximæ potestatis, & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum*, & similia habentur *de consecratione dist. 4. & 2.* Et in eundem modum loquendi conuenientes refert, *Suarez ibidem*, plures Sanctos Patres. Sed ad hoc argumentum optimè vt solet respondet acutissimus *Vazquez a. tom. in 3. part. disp. 132. cap. 6.* Hunc modum loquendi optime defendit asserendo Sacramenta esse tantùm instrumenta moralia, quia tam causa moralis, quàm physica satis proprie, & vsitate dicuntur efficientes, & efficere. Tùm etiam, quia etiam Apostoli possunt dici effecisse sanitates corporis, & alia miracula, cum tamen secundum Authores oppositæ sententiæ non fuerint in ordine ad hæc instrumenta physica, sed moralia.

13 Secundum argumentum sit, quia in forma absolutionis Sacerdos dicit: Ego te absoluo à peccatis. Ergo, vt verba sint vera, debet efficere id, quod significat, at non efficiet, si solū cōcurrat moraliter ad causandam gratiam, media qua absolutio fit, nisi etiam concurrat physicè, ergo Sacramenta, medijs quibus operatur Sacerdos, sunt causa instrumentalis physica gratiæ. Sed ad hoc respondetur, Sacerdotem verè dici absoluere à peccatis, quāuis solùm sit causa moralis impetrando à Deo absolutionē medijs Sacramētis, sicut & medicus verè dicetur, hominem à lepra mundare, quāuis eam nō auferat physicè, sed moraliter medio suo consilio & iudex sua sentētia, vt instrumēto morali, magis dicitur reum occidere, quam tortor.

14 Tertium argumentum sit, quia humanitas Christi operata est miracula, vt instrumentum physicum Dei, ergo & Sacramenta eodem modo operantur gratiam, quia scriptura eodem modo loquitur de humanitate Christi, & de Sacramentis. Sed respondetur ad hoc, humanitatem Christi fuisse instrumentum morale ad opetanda miracula, vt vidimus in confirmatione nostræ sententiæ.

Quartum argumentum sit, quia quod Sacramenta causent gratiam vt instrumenta physica maxime conducere videtur ad ostendendam 15
dignitatem Sacramentorum, & diuinam potētiam, quia est perfectior modus causandi, & mirabilior. Sed respondetur, negari non posse modum operandi physicè gratiam esse præstātiorem, quam modum operādi moraliter, & in quo magis elucet diuina potentia; ob hoc tamen non est concedendus ille modus Sacramētis, quia in eis impossibilis est, quia non habēt vim aliquam in se saltem inchoatam, media qua gratia aliquo modo ab eis pēdeat, atque eis indigeat, sine hac autem dependentia, vel exigētia nullus effectus producitur physicè ab aliqua causa, vt alibi est probandum.

QVÆSTIO XV.

Quid sit character, & in quo subiecto sit?

HAEC quæst. quantū ad vtramq; partem satis metaphysica est, & longius 1
disputatur ab Scholasticis, à nobis vero breuiter examinabitur, mittētes eos, qui de hac re latiorē desiderāt sermonem *ad Vazq. 2. to. in 3 p. disp. 134. & ad Suar. 3. to. in 3 p. disp. 11.* Hic aliqua supponenda sunt. Primū est characterem esse signū quoddam spirituale animæ, quo homines Christo consignantur, vt milites duci, vt mēbra capiti, vt ministri Sūmo Pont. ad eum modum, quo character Romanus cōsignabat milites Cæsari, & Gallicus Regi Francorum, & ad eum modum, quo pecudes consignantur, ne suo domino pereant, quærimus ergo in quo consistat eius essentia.

Secundò supponendum est. Ob tria officia posse exigi charactetē, quæ maxime sunt necessaria in hominibus. Primū est, vt eos aptos 2
reddat ad cultū diuinū. Secundū vt cōfigurare possit Christo. Tertiū vt distinguat ab alijs hominibus. Primū officium præstat character vel reddendo homines aptos ad recipienda Sacramenta, vt contingit in Sacramēti baptismi charactere, vel reddēdo eos habiles ad ministrādū alijs Sacramēta, vt videre licet in Sacramēti Ordinis charactere, vel reddendo homines aptos ad profitēdā fidē, vt appatet in charactere impresso per Sacramentum Confirmationis. Secūdū officium oritur ex primo, quia enim potestas supradicta deriuatur à Christo, & est quædam

dam participatio potestatis, quam Christus vt summus Sacerdos habet in Sacramenta omnia, ideò character configurat homines Christo, & magis similes eos facit, quã sint illi, qui eo charactere insigniti non sunt. Ex hoc autem rectè intelligitur tertium officiũ characteris, qui est distinguere homines inter se, nam per characterem distinguuntur baptizati à non baptizatis, confirmati à non confirmatis, & ordinati à non ordinatis, etiam transacto Sacramento.

2 In hac quæstion. variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima *Durand. in quarto, distin. 4. quæst. 3. numero 11. & Guillirlm. Parisien. in tractatu de Baptismo, capit. 1.* Asserentium, characterem esse solam relationem rationis, per quam homo ex institutione diuina designatur ad sacras actiones. Probatur primò, quia cum sola relatione rationis satis verificantur omnia, quæ Ecclesia de charactere pronuntiat, ergo in ea sola constituendus est character. Hanc sententiam erroris insimulant *Bellarmin. tomo 2. lib. 2. de Sacramentorum effectu, capit. 19. & Suarez 3. tomo in tertiã partẽ disput. 11. sect. 2.* Et vt ego sentio, merito quidem, est enim contra *Innocent. III. in cap. Maiores. de Baptismo.* Vbi ita concludit, tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ nõ inuenit obsistentem. Et idem definit *Eugen. IIII. in Concil. Florentin. in Decreto fidei, 6. 5. Ecclesiasticorum, & Tridentin. Session. 7. can. 9. de Sacramentis.* Relatio verò rationis non propriè dicitur imprimi, & tamen Concilium propriè loquitur, sine dubio, ergo expresse definitum manet, non esse characterem positum in relatione rationis. Rectè video *Vazquez 2. tomo in 3. part. disput. 134. cap. 2.* Noluisse hanc censuram Durand. inurere, sentiens rectè posse de charactere verificari, quod animæ imprimatur, licèt sit tantùm relatio rationis, nam peccatum dicitur imprimere animę maculam, & tamen macula solùm est relatio rationis, in ordine ad actum præteritum non retractatum, & ita in Sacramento Ordinis dicitur recipi in anima, & conferri animæ potestatem quandam in ordine ad Sacramenta conferenda, & tamen hæc potestas est solùm relatio rationis, qua homo ad certa ministeria deputatur. Sed ad primum respondetur, maculam impropriè, & largo modo dici imprimi animæ. Ad secundum respõdetur, illam potestatem esse ipsum characterẽ, vt postea cum *D. Tho.* docebimus. Et ita ratione characteris optime verificari de illa, quod imprimatur animæ.

3 Secunda sententia esse posset in hac parte, characterem esse relatione m realem, quæ tribuitur *Scoto in 4. distin. 6. quæst. 10.* Sed hæc sententia omninò falsa est, quia relatio per se primò, nunquam producitur, sed consurgit ad productionem alterius rei, vt ex Schola Philosophorum, *& Arist. quinto Physicorum, cap. 3.* suppono, at per Sacramenta imprimentia characterem per se primò producitur character, imò ipse solus producitur, vt cum adest obex gratiæ, ergo non est relatio realis.

Sit prima conclusio. Character est qualitas absoluta in anima, & ab ea realiter distincta. Ita docent communiter *Theologi vt S. Thom. 3. part. quæst. 65. artic. 2. Caiet. ibidem D. Bonauent. in 4. dist. 6. p. 1. art. 1. quæst. 5. & alij.* Quod sit qualitas probatur, quia non est substantia, cum dicatur à Concilijs imprimi animæ, quod non dicitur de substantia, sed de accidenti. Neque est quantitas, quia est in anima, in qua non potest recipi aliqua quantitas mollis, neque est relatio, vt proxime visum est, neque aliud accidens, vt patet, ergo est qualitas. Quod sit etiã realiter distincta ab anima probatur ex modo eodem loquendi Conciliorum, quæ dicunt, characterem in anima imprimi, quod denotat distinctionem realem. 4

Secunda cõclusio. Character non est in quarta specie qualitatis, in qua sunt formę, seu figuræ, vt triangulus. Patet ex *D. Thom. 3. p. q. 63. a. 2. ad 1.* Quia figura seu forma solùm est in rebus quãtis, & non in spiritualibus, at character est spiritualis, non est ergo figura aut forma. 5

Tertia conclusio. Character non est in tertia specie qualitatis, in qua sunt passio, & passibilis qualitas, quæ conclusio est contra *Antisiodorensem, lib. 4. tract. 3. cap. 2. vers. ad id, quod quæsitum.* Vbi asserit, esse characterem in tertia specie, quia est lumen quoddam spirituale animæ, contra hoc enim est, quod si esset tale lumen, potius esset habitus, vel potentia ad operandum, & ita potius ad primam speciem qualitatis, in qua sunt habitus, vel ad secundam in qua sunt potentiæ, pertineret, quam ad tertiã. 6

Multi Theologi docuerunt, characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis, in qua consistunt potentiæ, quia ipse, vel est potentia passiua physica ad recipienda Sacramenta, vt contingit in charactere Baptismi, vel est potentia actiua physica ad profitendam fidem, vt videmus in charactere Confirmationis, vel ad exercendum aliquod ministerium in Ecclesia, vt patet in charactere Ordinis. Fundamentum huius sententiæ duplex esse potest. Primum, quia character neque pertinet ad quartam speciem qualitatis, neque ad tertiam vt vidimus in nostris conclusionibus, neque ad primam, quia deseruit ad operandum, ergo pertinet ad secundam, in qua sunt potentiæ. Secundum fundamẽtũ est, quia per characterẽ, vt patet, homo cõstituitur potẽs ad aliquid, ad quod antea non erat, ergo est sine dubio potentia. 7

Verũ hæc sententia sustinenda nõ est. Primò de charactere baptismi. Secundò de alijs. Quã tum ad primum sustinenda nõ est, primo, quia in secunda specię qualitatis nõ ponuntur potẽ- 8

tiæ

tiæ passiuæ, sed tantùm actiuæ, vt patet *ex Aristotel. cap. de qualitate in prædicamentis*, cuius verba optimè ponderat *Vazquez disp. illa 134. cap. 3.* Secundò refutatur hæc pars ex eo, quod si character baptismi esset potētia passiua physica, vel ea esset ad recipiendum Sacramentum, & hoc non, quia Sacramentum est quid materiale, vt in cōfirmatione vnctio, & ita in corpore recipitur, vnde ad hoc recipiendum nihil deseruit character, qui est in anima. Vel esset ad hoc, vt character aliorum Sacramentorum, & gratia recipiatur in anima medio charactere baptismi, & hoc non, quia hæc omnia immediatè in anima recipiuntur, & nullo modo requirunt, quod antecedat characterem baptismi, nisi ex diuina institutione. De alijs verò characteribus non pertinere ad secundam speciem qualitatis, in qua ponuntur potentiæ physicæ actiuæ. Probatur primò, quia in ea specie solùm collocantur natiuæ potentiæ alicuius substantiæ ad operationem, vt patet *ex Aristotel. loco citato*, at isti characteres non sunt natiuæ potentiæ animæ, & ipsi connaturales, sed extrinsecus à Deo productæ supra animæ naturam. Secundò etiam reprobatur huiusmodi potentia actiua physica comparando istos characteres in ordine ad effectus ipsos, quos possent habêre. Character enim confirmationis posset considerari in ordine ad professionem fidei coram Tyranno, hæc autē non oritur physicè ex charactere, sed tantùm ex habitu fidei, & ex auxilio Dei, vnde ille, qui non recipit Sacramentum confirmationis, eodem modo potest fidem profiteri. De charactere verò ordinis probatur, nam in primis character minorum ordinum, & Subdiaconi, ac Diaconi non requiritur ad exercendum physicè ministerium proprium eorum ordinum, vt ad claudendas portas Ecclesiæ, canendum Euangelium, &c. Quia hæc physicè possunt à laicis exerceri. Sed solùm requiritur vt quid morale ad hoc vt hæc ministeria sine peccato fiant. De charactere Sacerdotis, & Episcopi id etiam probatur, quia iste character posset considerari. Primò in ordine ad conficienda Sacramenta, quæ conferunt, & efficiunt Sacerdos, & Episcopus. Et in ordine ad hæc nō est potētia physica prædictus character, vt ad absoluendū verbi gratia, vel ordinandos viros, quia actiones ipsæ externæ, in quibus consistunt hæc Sacramenta, si tantum loquamur physicè, bene poterunt à laicis prestari, licèt tunc non essent Sacramenta, quia non haberent id, quod morale est, scilicet significare, & causare gratiam ex Christi institutione. Præterea istæ personæ alios habent effectus, scilicet efficere consecrationem panis, & vini in Eucharistia, gratiam in anima causare, & causare characterem Sacramentorum, Confirmationis, & Ordinis, quæ Episcopus potest conferre. Nihil autem

A horum operatur character Sacerdotis, vel Episcopi, vt principium physicum, non consecrationem, quia hæc fit per sola verba, & tantum moraliter, verba autem non procedunt physicè à charactere ordinis, quià eadem quātum ad physicam entitatem potest proferre laicus. Deinde neque operatur physicè gratiā, vel characterem in alio homine, cui ministrat Sacerdos, vel Episcopus Sacramentum, quia ad istos effectus sufficiens est Sacramentum ipsum, quod ei confertur.

Quarta conclusio: Character est qualitas 9
pertinens ad primam speciem qualitatis, quia est habitus quidam, seu dispositio, quā anima disponitur nō in ordine ad operationem physicam, sed vt in se bene se habeat, sicut sanitas B est quædam dispositio, qua corpus bene se habet sine ordine ad aliquam operationem. Ita docent *Suarez disputat. citata sect. 3. & Vazquez disp. citata cap. 3.* Probatur hæc conclusio à sufficienti partium enumeratione, quia character vt supra vidimus, est qualitas, sed non restat alia species, ad quam possit pertinere, nisi habitus, seu dispositio, ad eam ergo pertinet.

Hactenus dicta procedunt de charactere lo 10
quendo physicè, & secundum suam entitatem realem, & naturalem, quod si character consideretur moraliter, vt sic, est potentia quædam. Ità docet *Diuus Thomas tertia parte, quæst. 63. artic. 2. in corpore*, quem sequuntur in hac parte *Suarez, & Vazquez locis citatis*. Est autem potentia moralis per hoc, quod sit signum quod- C dam ex diuinā ordinatione ad hoc destinatum, vt qui illo insignitus fuerit, aptus sit moraliter ad aliquid recipiendum, vel ministrandum, vel efficiendum. Probatur, quia per characterem baptismi, verbi gratia, datur homini facultas ad recipienda alia Sacramenta, quę alias nō poterat recipere, & per characterem Episcopalem potest homo ministrare Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, quæ alias ministrari minime poterant, hæc ergo aliqua potestas est, non physica, vt probatum est, ergo moralis. Verum, quia hæc potentia physica non est, sed moralis, ad secundam speciem qualitatis, in qua solùm ponuntur potentiæ physicæ, vt patet *ex Aristot. loco citato*, non potest pertinere directè, sed reductiuè, & indirectè: D Et hoc tantùm, vt credo, voluit *D. Thom. loco citato*. Dum asserit, reduci ad secundam speciē qualitatis characterē, quia scilicet habet quandam cum potentia naturali intellectus, vel voluntatis similitudinē, quam doctrinam *D. Tho.* immerito deseruit *Vazquez loco citato*.

Ad argumenta autem in oppositum respon- 11
detur, ad argumentum primæ sententiæ dicimus constituēdo in sola relatione rationis characterem non posse defendi, vt supra vidimus, ea quæ de eo enuntiant Cōcilia. Ad argumenta alterius sententiæ, quæ contendebat, characte-

rem esse potentiam, respondetur. Ad primum dicimus esse habitum quendam, si consideretur physicè. Ad secundum dicimus, per characterem constitui hominem potentem non physicè, sed moraliter, & ita non esse potentiam physicam, qualis reqniritur ad secundam speciem qualitatis. A

12 Circa secundum punctum, quæstion. in quo quærimus subiectum characteris, quidam dixerunt, eius subiectum esse voluntatem, ita sentit *Scotus in quarto distin. 6. quæstion. 11. §. dico ergo*. Probatur dupliciter primò, quia dispositio ad aliquam formam debet esse vbi est forma, sed dispositio ad gratiam est character, ergo cum gratia sit in volūtate, character quoque debet esse in voluntate. Secundò probatur, quia character est quoddam signum obligationis, qua obligamur ad legem Dei obseruandam, sed obligatio nostra residet in voluntate, ergo & etiam signum obligationis. B

13 Secunda sententia docet, characterem esse in intellectu. Ita docent *Dominicus Soto, in 4. distin. 1. quæst. 4. art. 4. Ledesma in 1. p. 4. quæst. 4. art. 4.* & alij Thomistæ. Probatur primò, ex *Diuo Thoma 3. part. quæst. 63. artic. 4.* Secundò, quia character est potestas ad recipiendum, vel tribuendum alijs ea, quæ sunt diuini cultus, qui in quadam fidei professione consistit, sed fides est in intellectu, ergo in eodem debet esse character,

14 Tertia sententia est eorum, qui dicunt, characterem esse in intellectu, & in voluntate. Ita docet *Bonauentura in 4. distin. 6. prima parte art. 1. quæstion. 3.* Probatur, quia character animam nostram ad similitudinem Dei conformat, ergo ibi debet constitui, vbi est similitudo Dei, at hæc similitudo est in intellectu, & voluntate, ergo character est in intellectu, & voluntate. C

15 Sit prima conclusio. In hoc puncto anima est subiectum, quod recipit in se characterem. Ita colligitur ex *Eugenio Quarto in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino, post Sessionem vltimam, §. quinto Ecclesiasticorum, & ex Tridentin. Session. 7. can. 9. de Sacramentis.* Vbi dicitur, per aliqua Sacramenta characterem in anima imprimi. Et probatur, quia character est accidens, & ita debet esse in aliquo subiecto substantiali, & cum sit quid spirituale, debet esse in subiecto spirituali. At non est aliud subiectum spirituale, nisi anima in homine, ergo debet esse in anima, difficultas verò est, an in ea sit immediatè, an verò media aliqua, potentia. D

16 Circa quam difficultatem sit secunda conclusio. Si character consideretur secundùm suam entitatem intrinsecam, & realem, & physicè, est in essentia animæ proxime, & non media aliqua potentia. Ita defendunt *Marsilius in 4. quæst. 4. artic. 1. ad secundum dubium, & Bellarmin. 2. tomo lib. 2. de effectu Sacramentorum, capit. 1.* Probatur primò, quia *Concilia Florentinū, & Tridentinū.* Asserunt, characterem imprimi in anima absolutè, & simpliciter, ergo intelligendum est, in ea esse non alio mediante, alias in eo esse diceretur, quod mediaret. Secundò probatur, quia cum potentiæ animæ, vt intellectus, & voluntas, sint natura sua ordinatæ physicè ad operationem, nihil debet in illis constitui, quod non sit principium alicuius operationis physicum, at character, vt supra vidimus, non est principium physicum alicuius operationis. ergo non est in aliqua potentia, sed immediate in anima disponens, illam in ordine ad se, vt bene se habeat. Est verò character in potentijs iuxta *D. Thom. 3. parte, quæst. 63. art. 4.* Non ratione suæ entitatis, sed ratione gratiarum, quas Deus recipientibus characterem confert, vt munus, ad quod per characterem destinantur, possint ritè exequi, vt bene notat *Conin. super eum locum, D. Thom. tomo suo de Sacramentis.*

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ responde tur, characterem non esse dispositionem physicam ad gratiam, quia sine eo potest gratia recipi in anima, vt patet in catechumeno, qui ante receptionem baptismi iustificatur, in quo gratia relucet, & character nō apparet. Sed est tātum dispositio moralis, hæc autem benè potest esse in alio subiecto ab eo, in quo est forma, ad quam disponit, sicut fides est quædam dispositio ad gratiam, & tamen fides est in intellectu, & gratia in voluntate. Ad secundum argumentum respondetur, quod licèt character sit signum obligationis animæ ad seruādam legem, non satis est, vt dicamus, ipsum esse in potētia, quæ est principium seruandi legem, scilicet in voluntate. 17

Ad primum argumentum, secundæ sententiæ desumptum ex D. Thom. respondetur, illum posse benigne interpretari, dum in solut. Ad tertium ait, characterem esse in intellectu, voluit enim esse in intellectu moraliter, quia character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus, qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa, & ideò oportet, quod sit in intellectu, in quo est fides. Sicut actus charitatis est vt in subiecto inhæsio nis in voluntate, & physicè loquendo, at verò moraliter est in toto homine, quia totus homo dicitur mereri per illum actum, ac Deum diligere. Ad secundum dicimus characterem non esse principium physicū in ordine ad recipienda, vel ministranda ea, quæ sunt diuini cultus, sed morale, & ita non debet esse physicè in intellectu, sed moraliter. 18

Ad argumentum tertiæ sententiæ respondetur, illud nullam vim habere, quamuis enim character nos conformet Deo, non tamen ob 19

hoc

hoc debet esse in intellectu, & voluntate. Vbi est similitudo Dei, quia in his potentijs nihil est, nisi actus earum, vel quod principium earum est, at character nihil est horum.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm aliqua Sacramenta characterem imprimant, & an ille sit indelebilis?

1 IN præsenti non dubitamus de Sacramentis antiquis, ex his enim nullum imprimebat characterem. Ita docuit *D. Thom. 3. p. quæst. 63. art. 1. & Bellarmin. 2. tom. lib. 2. de Sacramentorum effectu, cap. 19.* Probatur primò, quia illa quantum est de se, sæpe poterant repeti, ergo non imprimebant characterem. Secundò probatur, quia character ordinatur ad recipienda, vel ministranda opera supernaturalia Sacramentorum; nulla autem opera Sacramentorum veteris legis erant supernaturalia, quia non operabantur gratiam de se, ergo antiquitus nullus erat character in anima.

2 Secundò non dubitamus, an in Christo aliquis character fuerit, nullus enim sine dubio fuit, vt sentit *Diuus Thom. tertia parte quæst. 63. artic. 5.* Probatur ratione, quia character est signum quoddam eorum, qui sunt serui, milites, & subditi, & ab aliquo superiore recipiuntur ad aliquod ministerium, Christus autem est dux, & Dominus, ergo non habuit characterem. Secundò, quia character datur, vt aliquis consignetur Deo; at Christus erat ipsa vnione Hypostatica consignatus, ergo non egebat charactere, totum ergo procedit quæstio de Sacramentis nouæ legis respectu hominum.

3 Aliqui hæretici negarunt, characterem, vt *Ioannes V vicleffus libr. 4. trialogi. capit. 15. vt refert V valden. tomo secundo, qui est de Sacramentis cap. 109. Caluinus in Antidoto Conc. Trid. Sessio. 7. can. 9. & alij.* Probant suam audaciam ex eo, quia in scriptura, aut in sanctis Patribus nulla fit mentio characteris.

4 Sit tamen prima conclusio de fide Catholica. Aliqua Sacramenta nouæ legis imprimunt characterem. Hæc veritas aliquo modo, licèt non omninò clare ex scriptura patet. Primum testimonium scripturæ est *ex Epistol. 2. ad Corinth. capit. 1.* in illis verbis, *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos.* Vbi per hæc verba, signauit nos, intelligitur character baptismi, de quo est ibi sermo, quem passim appellant Sancti Patres signum. De qua relegantur *Ambros. libro 1. de Spiritu sancto capit. 6. & Theodoret. in hunc locum.* Secundum testimonium est *ad Ephesios 1.* ibi: *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis.* Vbi est sermo de baptismo, qui datur per fidem, & illa particula, Signati estis, exponitur de signaculo, quod accipitur in baptismo, id est de charactere, *à Chrysostomo, Theophilato, Hieronymo, & Beda super eum locum.* Quæ tamen loca Interpretes Scripturæ diuersimode interpretantur, & ita non habent magnam vim. Secundò, probatur conclusio ex Patribus Ecclesiæ nostræ: *Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione in Catechesi. 5. magnum est.* Ita ait: *Magnum est sane propositum hoc baptisma captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile.* Vbi baptismus

B definitur per effectus suos, vt patet, & cum pro effectu huius ponitur signaculum indelebile, sermo est sine dubio de charactere, quia nullus alius effectus est baptismi, qui deleri non possit: *Basilius Homilia 13. ex varijs ad populum ante medium.* Loquens de baptismi effectu, sic inquit: *Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit? Augustin. epistol. 23. in medio*, sic ait: *Nam si Christiani baptismi Sacramentum, quod vnum, atque id ipsum est, etiam apud hæreticos valet, & sufficit ad consecrationem, quamuis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat, quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem.* Characterem confirmationis agnouit *Augustinus secundo contra litteras Petiliani, capit. 104.* vbi sic

C *inquit: Et in hoc vnguento Sacramentum chrismatis multis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis.* Vbi cum loquatur de Sacramento Chrismatis, loquitur de Confirmationis Sacramento, quod habet pro materia chrisma, & cum dicat manere in hominibus pessimis, planè loquitur de effectu eius, qui est character, qui non destruitur destructa gratia. Hæc loca contra hæreticos sufficient. Si enim illi his conuicti testimonijs dicant, dari characterem baptismi, & confirmationis, etiam concedent characterem ordinis, quia istud Sacramentum, sicut & alia duo iterari nequit.

D Tertiò probatur hæc conclusio, ex perpetua Ecclesiæ traditione. Quartò probatur, quia hæc veritas expresse definita est ab *Innocentio Tertio in capite Maiores de Baptismo, & eius effectu, ab Eugenio Quarto, in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post Sessionem vltimam, & quinto Ecclesiasticorum in fine, & à Tridentino Sessione 7. can. 9.* Quintò probatur conclusio ratione, quia Baptismus, Confirmatio, & Ordo reiterari non possunt, vt omnes fatentur exceptis Anabaptistis, ergo sequitur imprimere characterem in anima indelebilem, 5

qui repeti non potest, ne duplex character eiusdem rationis frustra sit in anima, consequentia probatur, quia si character deleri posset, sicut gratia, ergo quemadmodum remedia ad causandam gratiam sæpe repetuntur, scilicet contritio, & confessio, ita etiam remedia ad causandũ characterem repeti possent, quod nullo modo admittendum est.

6 Huic argumento respondet *Caluin.lib.4.institut.cap.*18.§.19. Ideò baptismum repeti non posse, quia est ingressus Ecclesiæ, & quædam fidei initiatio, sicut autem vnus est Deus, in quem credimus, vna Ecclesia in quam ingredimur, ita vnus debet esse baptismus, sed hæc solutio vera non est, quia qui ingreditur Ecclesiam per baptismum, potest exire per hæresim, tùm etiam, qui fide initiatur, potest eam amittere, ergo tunc repeti posset baptismus, omisimus alias solutiones hæreticorum ad nostram rationem inuentas, quia nullius sunt valoris, & eas satis refellit *Bellarmin.2.tom. lib.2. capit.*22.

7 Secũda conclusio. De fide est, characterem esse indelebilẽ. Ita diffinitur in prædictis Cõcilijs allegatis in prima cõclusione. Ratio à posteriori est, quia sacramenta, quæ imprimunt characterem, non possunt reiterari, signum est ergo, characterem esse indelebilem. Secundò probatur à simili: quia character est quædã cõsecratio animæ, sed consecratio Ecclesiæ, v. erbi gratia, ex Ecclesiæ statuto tandiu durat, quãdiu durat Ecclesia ipsa, ergo characterem diu durat, quamdiu anima durat. Ratio huius à priori est, quia character non habet contrarium, vt pa ret, neque est in subiecto corruptibili, neque conseruatur à causa creata, neque desinit conseruari à Deo, quia Deus res, quas condidit, nõ destruit, nisi exigẽtibus causis naturalibus vel moralibus secundis, ergo nõ potest destrui. Et quidem non dicitur character indelebilis, quia de potentia Dei absoluta non possit deleri, sed quia sub ea lege à Deo infunditur, vt quamuis homo peccet, vel fidem amittat, vel aliquid aliud faciat, characterem non amittat.

8 Quæret tamen aliquis. Primò an character ita sit indelebilis, vt post hanc vitam maneat? Respondetur, hoc non esse definitum, probabilius tamen esse, manere quidem, ita docent *Sanctus Thomas 3.p. quest.63. art.5. ad tertium*, & alij multi allegati à *Vazquez q.2.tom.in 3.p. disp.*134. *cap.*5. Probatur, quia si Christianus mortuus resurgeret, non baptizaretur iterum, neque confirmatus confirmaretur, nec ordinatus ordinaretur, & tamen antea absolutus à peccatis, iterum post resurrectionem absolueretur à nouis peccatis, & vnctus antea Extremavnctione iterum vngeretur, ergo signũ est, characterẽ in illis mansisse, non in his. Ad quid enim Deus priorem destrueret, & alium produceret? Ad aliquos autem fines manet post mortem character, in iustis enim manet ad eorum gloriam, & laudem, quia his armis muniti mundum vicerunt, sicut etiam post mortem curant homines, vt vexilla, quibus ab hostibus victoriam reportarunt, integra permaneant, & non destruantur, in damnatis verò manet character ad eorum ignominiam, quia scilicet, tam fortissimis armis muniti, ita turpiter victi sunt.

9 Placet doctrina *Vazquez loco citato*, vbi addit, licèt maneat character in alia vita, in ea tamen non manere potestatem Sacerdotalem, neque in anima separata, neque in anima coniuncta cum corpore post resurrectionem generalem futuram esse talem potestatem. Probat primo hoc, quia alias posset homo in alia vita consecrare panem verbis prolatis, & à peccatis absoluere, quod nullus concedet; tùm etiam probat, quia cum potestas Sacerdotalis Christi conueniat ei natura sua, manet in Christo in alia vita in æternum, quamuis sit sine vlla functione, neque dicitur esse frustra cum sit à natura. Cum verò alijs hominibus conueniat ista potestas Sacerdotalis per participationẽ, frustra ea esset in alia vita, si nunquam est reducenda ad actum, vt revera non est reducenda. Propter quas rationes dicẽdum arbitror, characterem ordinis esse quidem aliquam potentiam moralem ad actus ordinis exercendos, nõ quidem proximam, & cum qua possit sufficiẽter actus ordinis exerceri, sed remotam, & radicalem annexam naturæ characteris, cum qua sola non valeant actus ordinis, vt consecratio, vel absolutio, sicut homines in alia vita manẽt in potentia remota ad merendum, quia rationales sunt, non tamen in proxima, quia viatores non sunt in valle hac lachrymarum commorantes.

10 Tertia conclusio. Tria solùm Sacramẽta imprimunt characterem baptismus, confirmatio, & ordo. Hæc conclusio est de fide, & expresse continetur in prædictis Concilijs. Probatur primò, quia hæc tria tantùm Sacramenta semel recepta iterum repeti non possunt, signum ergo est, imprimere characterem indelebilem. Secundò probatur, quia per hæc tria Sacramẽta accipit homo nouam potestatem, ac deputatur nouo ministerio, & quodam modo statum mutat, quare accipit nouum signaculum. In baptismo enim fit homo mẽbrum Christi, & accipit potestatem ad recipienda Sacramẽta. In confirmatione constituitur homo miles Christi, & accipit robur ad pugnandũ ex officio pro fide. In Sacramento ordinis fit homo dux huius Christianæ militiæ, & accipit potestatem distribuendi alijs bona Christi. At verò in alijs Sacramentis non mutatur hominis status, neque homo deputatur nouo ministerio, sed vel alitur spiritualiter, vt in Eucharistia, vel accipit medicamentum cõtra morbos peccato-

catorum, vt in pœnitentiâ, vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, vt in Extremavnctione, vel accipit remedium cõtra concupiscentiam, vt in matrimonio, ergo tria tantùm prædicta Sacramenta imprimunt characterem in anima.

11 Secundò quæres, an character sit in omnibus eiusdem rationis, & respondetur. Primò, nos nescire non posse, an possit intendi, & remitti, quamuis nullum videam inconueniens in eo quod pronunciemus à Deo posse remitti, & intendi, defendendo tamẽ hoc ex nostris operibus, aut dispositione non prouenire. Secũdò respõdetur, characteres collatos per diuersa Sacramenta in specie esse diuersos in specie, & ita vnum esse alio perfectiorem. Ille autem tunc erit perfectior, qui confertur per Sacramentum perfectius. Quãdo verò Sacramenta collata sunt eiusdem speciei, vt plures ordines presbyterales, vnus character non est alio intensior, vel perfectior, etiamsi vnus cum meliori dispositione accedat ad recipiendum Sacramẽtum, quam alius. Quia sicut ex nostra bona dispositione non dependet in sui productione, ita etiam ex meliori dispositione non pendet in sui augmento. Probatur à posteriori, quia omnes Sacerdotes ordinantur ad idem ministerium; & vnus non habet maiorem potestatem, quam alius. Cuius signũ est quod ad recipiendum characterem, nulla dispositio requiritur in recipiente, nisi tantùm voluntas recipiendi Sacramentum, vnde hæreticus cum ea voluntate recipit Sacramentum, & characterem, licèt non gratiam.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum soli Christo fuerit communicata potestas Sacramentorum ita, vt puro homini non possit communicari?

CVM Sacramenta vetera aliquam cum nostris Sacramentis affinitatẽ habeant mirum non est, si aliquid de illis obiter attingamus.

1 Supponendum ergo est primò, Sacramenta omnia legis Mosaicæ instituta fuisse proximè à Deo, nam licèt lex, & quæ in ea continebantur, dicantur per Angelos ordinata, *ad Galat. 3.* Hæc non ita intelliguntur, quasi fuerint ipsi latores legis, sed quia fuerint Interpretes legis cum Moyse, cui eam explicarunt, in lege autem naturæ non fuit aliquod Sacramentum, vt supra vidimus.

2 *Caluin. in Antidoto Concilij Trident. Seßion. 7. can. 1. & Kemnit. in 2. p. examinis.* Quia existimant, tantùm esse vera Sacramenta baptismũ, & Eucharistiã, ideò ea sola dicunt esse à Christo Domino instituta, alia verò ab alijs, quod probant ex *Cyprian. in sermone de Ablutione pedum*, vbi hanc doctrinam videtur significare.

Supponendum est secundò, licèt aliqui dicant, non esse ab Ecclesia definitum, omnia Sacramenta esse à Christo immediatè instituta, definitum tamen id esse sufficienter. Probatur ex *Concil. Triden. Seßion. 7. can. 1.* vbi sic dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Quæ verba intelligi de institutione immediatè à Christo facta, propter duas coniecturas probatur. Prima sit, quia ille canon, vt rectè ponderat *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 135.* contra omnes hæreticos nostri temporis additus est, et tamen non omnes negant, omnia septem Sacramenta remotè fuisse à Christo instituta. Secunda sit, quia si aliquod Sacramentum non esset immediatè à Christo institutum, sed remotè, & mediantibus Apostolis, esset Sacramentum vnctionis, quia apud nullum alium, nisi apud *Beatum Iacobum*, eius inuenimus mentionem, de isto autem Sacramento *Trident. definit*, non esse à Iacobo institutum; sed à Christo. Vt patet *Seßion. 14. can. 1.* de Extremavnctione, ergo Concilium intelligit omnia Sacramenta esse à Christo immediatè instituta. Pro hac sententia allegantur à *Vazquez loco citato, Ambros. li. 4. de Sacramentis, cap. 4. & August. epist. 118. ca. 1.* Vbi 2. licèt duo tantum Sacramenta baptismi, & Eucharistiæ numeret, non propter ea alia Sacramenta excludit, sed ea tantùm enumerat, quia non erat sui instituti, omnia numerare; sed tantùm exempli gratia hæc adducit, vt probet Sacramenta esse à Christo instituta. Secundò probatur; quia Sacramenta antiqua fuerunt à Deo instituta immediatè, vt de circuncisione patet *Genesis 17.* & de alijs constat *ex Exodo, & Leuitico*, ergo etiam Sacramenta legis Euangelicæ, quæ multo sunt perfectiora illis, sunt à Christo immediatè instituta. Tertiò probatur, quia Deus non dicitur institutor Sacramentalium Ecclesiæ; vt aquæ benedictæ, &c. quamuis ea instituerit Ecclesia per potestatem à Deo acceptam, sed Deus dicitur institutor Sacramentorum nouæ legis, ergo ea immediatè instituit. Ad testimonium Cypriani, cuius hæc sunt verba: *Ipse summus Sacerdos sui est sacramenti institutor; & Author, in cæteris homines Spiritum sanctum habere Doctorem.* Respondetur, hæc vltima verba non denotare cætera Sacramenta, præter Sacramentum Eucharistiæ esse ab hominibus instituta. Sed ea esse tradita ab Apostolis tanquam à Scriptoribus sacris Spiritu sancto dictante, & Sacramentum Eucharistiæ esse à Christo traditum, omnia tamen immediatè sunt instituta Christo.

Tertiò supponendum est, Christum solùm suscepisse ex Sacramentis à se institutis Sacramentum Eucharistiæ. Ità tenet communis opinio, cum *D. Thom. in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. q.* 4

3. ad 3. Probatur, quia hoc sacramentum nullã dicit imperfectionem, reliqua vero aliquã dicunt, ergo credendum est, recepisse sacramentum Eucharistiæ, & non alia, & certũ est, Christum ministrasse Eucharistiam iuxta Euangelistas, & multorum etiam probabilior tenet opinio, Ioannem Baptistam, & Virginem Mariã, & Apostolos à Christo esse baptizatos.

5 Quarto supponendum est, quadruplicem fuisse in Christo potestatem, alteram authoritatis, alteram cooperationis, alteram excellentiæ, alteram ministerij.

6 Quinto supponendum est. Dupliciter posse sacramenta institui: vno modo ita, vt instituens sacramenta propria virtute connaturali sibi gratiam conferat, & hoc non potest conuenire creaturis, vt patebit in Prima conclusione, alio modo ita vt instituens habeat potestatem designandi aliquod signum sensibile ad conferendam gratiam, & quod ad præsentiam illius Deus conferat gratiam; de quo infra erit sermo in conclusione tertia.

7 Sit prima conclusio. Potestas autoritatis, quæ in hoc cõsistit, vt quis virtute propria, & independenti ab alio superiori gratiam conferat, soli Deo conuenit, & creaturis nullo modo potest cõuenire. Probatur, quia solus Deus operatur sine dependentia ab alio superiore, omnes vero creaturæ cum dependentia necessaria à Deo exercent suas operationes.

8 Secunda conclusio. Potestas cooperationis, per quam quis præparat materiam ad effectum agentis principalis, licet non directe attingat illum, vt natura nostra præparat materiam ad recipiendam animam rationalem, licet eam non producat, sed ea producatur à solo Deo, talis, inquam, potestas potest ministris Ecclesiæ conuenire, vel merendo hominibus primam gratiam, seu primam vocationem, qua disponantur ad recipienda sacramenta, vel conferendo sacramenta, quibus gratia confertur.

9 Difficultas vero est, an potestas sacramenta instituendi communicari possit alicui creaturæ. *Scotus ait in 4. dist. 1. quæst. 3.* & *de secundo dico.* Quam sequitur, *Vazquez 2. tom. in 3. part. disput. 135. cap. 2.* Institutionem sacramenti proprie nulli creaturæ posse conuenire; probat suam sententiam Scotus quia ad hoc, vt quis dicatur instituere sacramenta, tria requiruntur. Primum designare signum sensibile gratiæ. Secundum quod tale signum gratiam causet. Tertium quod eam causet certo, & infallibiliter; Sed hæc omnia non possunt creaturæ conuenire, præsertim illud de infallibilitate, nam hoc requirit Deum esse obligatum ratione suæ promissionis ad dandam gratiam, ad quod nullus potest Deum obligare, sed ipse solus se obligare potest, ergo nullus, nisi solus Deus potest sacramenta instituere.

10 Et quidem certum mihi est, posse Deum tantam gratiam donare alicui puro homini, vt de congruo mereatur gratiam dandam per aliqua sacramenta, licet non posset tam de condigno mereri, quia gratia tantum est semẽ propriæ gloriæ, vt patet alibi probandum; Et certum est posse Deum hominem in tanta dignitate constituere, vt eius nomine inuocato sacramenta conferantur, & causent gratiam, quia hæc duo nullam habent repugnantiam inter se cum homine.

Sit tertia conclusio. Puro homini potest Deus communicare potestatem instituendi sacramenta, secundo modo adducto in quinto supposito huius quæstionis, ita docuit, *D. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 4.* Qui cum *art. 2.* ait sacramentum à solo Deo institui posse, loquitur de institutione sumpta, primo modo explicato in 5. supposito huius quæstionis. Et eandem conclusionem tenet, *Sot. in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 4. & 5. et forsan hic.* Probatur cõclusio quia instituere sacramẽta eo modo, quo loquimur, nihil aliud est, quam designare aliquod signũ sensibile, quod gratiam significet, & causet in anima ex promissione Dei. Sed Deus potest eam potestatem communicare puro homini, vt ipse pro sua voluntate designet tale signũ, & quod illud conferat gratiam ex voluntate Dei ita ordinantis, nam in hoc nulla apparet repugnantia, ergo potest homo instituere sacramenta. 11

Sit quarta conclusio. Potestas simplicis ministerij conficiendi, scilicet, sacramenta nouæ legis, & ea ministrandi communicata fuit de facto à Christo hominibus. Conclusio est de fide, quam defendit, *D. Thom. 3. part. quæst. 64. ar. 1.* Et late prosequitur, *Faytolib. de Sacramentis in communi 2. cap. 2. quæst. 9. Probatur ex Paulo 1. ad Corinth. 4. Sic dicente, Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Id est data est nobis in ministrandis sacramentis magna potestas. 12

Sit quinta conclusio. Christus in quantum Deus habuit potestatem authoritatis circa sacramenta, non tamen in quantum homo, potestas vero cooperationis conuenit Christo, vt homini, potestas instituendi sacramenta designando aliquod signum sensibile ad conferendam gratiam, cuius præsentiæ Deus promiserit collationem gratiæ, conuenit etiam Christo vt homini. Hæc potestas instituendi constat ex modo loquendi conciliorum, & patrum, & hæc de facto non fuit communicata alicui creaturæ, potestas tandem ministerij circa sacramenta legis Euangelicæ (de qua loquimur) cõuenit Christo in quantum homini, vt vidimus in secundo supposito. Quæ conclusio amplius probanda non est, quia ex dictis in tota hac quæst. satis liquet. Potestas vero excellentiæ in ministerio sacramentorum in eo consistens, vt quis tanquam minister condigne mereatur designare 13

designare materiam, & formam Sacramentorum, & quod Sacramentum innocato eius nomine gratiam conferant, conuenit humanitati Christi, ratione vnionis hypostaticæ. Vnde alteri creaturæ puræ hoc non potest conuenire merendo id de condigno, & ad æqualitatem, sed tantùm de congruo, & de bene esse, quia gratia habitualis, per quam homo purus meretur, solùm efficit meritum de condigno respectu gloriæ, quia est semen eius: respectu verò aliarum rerum solùm efficit meritum de congruo.

13 Sed quæres iam quod diximus potestatem simplicis ministerij conuenire hominibus, qua ratione sint causa gratiæ in anima productę per Sacramenta, & characteris. Et respondetur primò esse causas instrumētarias tantū morales, & non principales effectus Sacramentorū, qui sunt gratia, & character. Patet quia ministri nō alio modo concurrunt, quam medijs Sacramentis à se collatis, Sacramenta autem respectu horum effectuum solùm sunt, vt supra vidimus causæ instrumentales morales, ergo etiam ministri eo tantùm modo sunt causæ. Secūdò respondetur, ministros Sacramentorum ita concurrere ad effectus Sacramentorum, vt ipsi nō alio peculiari concursu instrumētario concurrant, quam Sacramenta ipsa conficiendo, & ministrando, quibus tales effectus sunt promissi. Patet quia omnis alius concursus omninò superuacaneus est. Tertiò respondetur, verè dici de ministris Sacramentorum, quod nos iustificent. Probatur *ex Concil. Trident. Session. 14. cap. 1. & 6. vbi dicitur, datam esse à Christo, Ioan. 20. Sacerdotibus potestatem absoluendi, & detinendi peccata.* Et eodem modo loquendum sane est de ministris aliorum Sacramentorum, quia illis Christus dedit potestatem eodem modo ad effectus aliorum Sacramentorum. Quartò licèt *Paludan. in 4. dist. 5. quæst. 1. in secunda opinione, quam sequitur,* dicat ministros Sacramentorum concurrere ad effectus eorum remote, sicut ille, qui applicat ignem ligno, concurrit tantùm remote ad combustionem. Respondetur tamē cum *Vazquez loco citato, cap. 3.* Ministros istos ad gratiam, & characterem, & alios effectus eorum Sacramentorū, qui in vsu consistunt (quale est baptismus, & alia Sacramenta, præter Eucharistiam) rectè dici, quod concurrant proximè. In Sacramento tamen Eucharistiæ, solùm concurrunt proximè ad efficiendam consecrationem, ad gratiam verò animæ remote, quia ad istam solæ species consecratæ concurrunt efficienter. Quod à simili probatur, quia sicut serra, & motus, quo ipsa mouetur, nō sunt duo instrumenta, sed vnicum tantùm, ita minister, & Sacramentum sunt vnicum tantùm instrumentum gratiæ, & characteris, & ipsius Sacramenti constitutio est actio præuia ipsius ministri. Secundò probatur, quia sicut humanitas Christi, & eius tactus, medio quo sanabat infirmos, sunt vnicum tantùm instrumentum sanitatis. Et humanitas proxime dicebatur operari sanitatē, licèt medio tactu operaretur, ita etiā de ministro, quòd medio Sacramento gratiam operatur, dicendum est. Tertiò probatur à simili, quia sancti viri proxime, & immediatè dicuntur esse causæ morales sanitatis animæ, & corporis, licèt eam tantùm operentur impetrādo eam à Deo medijs suis orationibus, ergo etiam ministri Sacramentorum immediatè dicuntur operari gratiam, & alios effectus, quia eos impetrant à Deo medijs suis Sacramētis. Vnde exemplum *Paludan.* non est ad rem, quia cum ille, qui applicat ignem ligno, non eum producat vllo modo, ideo non dicitur proxime comburere lignum; at ille minister Sacramenta efficit tunc, quando illa operantur gratiam, & ita dicitur proxime, & immediatè causare gratiam.

Ad argumentum *Scoti*, quo contēdebat probare, potestatem instituendi Sacramenta non posse vllo modo conuenire creaturæ, respondetur, quod licet nulla creatura possit Deum obligare ad promittendam gratiam signis sensibilibus, ipse tamen Deus potest se obligare ad dandam gratiam per signa ab homine inuenta, vel Angelo, & hoc sola sua spontanea promissione, qua præstita, & inuentis ab homine signis sensibilibus, sine dubio affirmari posset, purum hominem esse quidē verum Sacramentorum institutorem. 14

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum idem Sacramentum hominibus eodem modo dispositis æqualem semper gratiam conferat?

QVIDAM vt *Paludan. in 4. dist. 4 quæst. 1. art. 2. num. 9. & art. 1.* dixerunt per baptismum hominibus adultis conferri inæqualem gratiā iuxta inæquales dispositiones eorum, at paruulis diuersis etiam dari per baptismum diuersam gratiam, & inæqualem, quando ante vsum rationis decessuri sunt ex hac vita. Quia cum illi vocentur ad supplendos defectus eorum Angelorum, qui de cœlo cum Lucifero ceciderunt, quemadmodum illi fuerunt inæquales in gratia, ita pueri debent esse in ea inæquales, neque enim plures sunt futuri homines prædestinati, quam sint Angeli lapsi, neque pauciores. Sed hæc sententia falsa est, vt postea ex nostra cōclusione patebit. Tùm quia assumit falsum, dum dicit æqualem esse numerum prædestinatorum hominum, cum nemero Angelorū prauorum, aut eosdem gradus gloriæ, quos amise- 1

amiserunt Angeli, reparandos esse per homines, hæc omnia enim vt bene, *Dominicus Sotus, in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 6.* Nullum habent fundamentum, sed ex eo dicitur sedes Angelorum malorum reparandas esse per homines beatos, quia sicut multi Angeli ceciderunt, ita etiam multi homines beatitudinem consequentur. A

2 Alij vt, *Scotus in 4. dist. 4. quæst. 7.* Dicunt, per baptismum conferri, quantum est ex virtute baptismi, æqualem gratiam paruulis, & adultis inæqualem iuxta inæqualitatem dispositionis. Addunt tamen simul cum gradibus gratiæ, quæ correspondet baptismo, dari alios gradus gratiæ adultis quidem ratione electionis ad gloriam, qua à Deo electi sunt, ad quam non peruenirent per gratiam baptismalem; & paruulis ratione meritorum baptizantium, vel adstantium. Hæc tamen sententia omnino falsa est, quia introducit quendam modum iustificandi extra communem & ordinariam potentiam Dei, qui est ex diuina solum voluntate, vel ex merito ministrorum sacramentorum, cum tamen Deus solum homines iustificet aut medijs sacramentis, aut medijs proprijs operibus, vt de se patet. B

3 Sit prima conclusio, sacramenta ex opere operato æqualem gratiam causant in omnibus paruulis, qui nõ habent vsum rationis, & æqualē etiā produceut in omnibus adultis, qui cũ dispositione æquali ad sacramenta recipiēda accedunt. Ita sentiunt. *S. Thom. 3. part. quæst 69. art. 8. D. Bonauent. in 4. dist. 4. art. 2. q. 3. § his præmissis. Dominicus Soto loco citato §. circa conclus. 2.* Qui, licet de solo baptismi effectu loquantur, idem tamen sentire debent de alijs sacramentis, quorum eadem est ratio, quantum ad hoc, & baptismi. Probatur primo, *Ex Trid. sess. 6. cap. 7.* Vbi diuersitas gratiæ receptæ per baptismum refertur in diuersam dispositionem recipientium illum, his verbis. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam spiritus partitur singulis prout vult.* Vbi nõ denotatur Deum pro sola sua voluntate hominibus æqualiter dispositis aliquando maiorē gratiam vni, quam alteri tribuere, sed denotatur, solam voluntatem Dei esse principium distribuendi hominibus dona gratiæ quibus ad recipiēda sacramenta disponantur. Doctrinam autem Concilij expresse tradit, *Dam. lib. 4. de fide cap. 10.* C D

5 Secunda conclusio. Sacramentum collatum per meliorem ministrum non confert ex opere operato maiorem gratiam, quam collatum per malum ministrum. Ita docent de baptismo. *August. lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 20. sub finem, Nazianzen. in oratione ad sanctum baptisma, quæ est 4. post medium.* Atque ita docet generaliter de omnibus sacramentis, *D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 1.* Quæ conclusio cõmuniter sic probatur, quia sacramenta nõ operantur gratiam in virtute, & potentia ministri, sed Christi instituentis, ergo siue minister sit bonus, siue malus, semper tamen gratia sacramentalis eadem conferatur: minister autem bonus ad hoc conducere poterit, vt orationibus suis impetret ei, qui recepturus est sacramenta, auxilium gratiæ à Christo, quo melius disponatur ad gratiam recipiendam extra sacramenta, vel cum sacramentis.

QVÆSTIO XIX.

Quid requiratur in ministro sacramentorum potestatis, vt debitè ea ministret.

SIT prima cõclusio. Minister debet habere potestatē ad cōficiēda sacramēta. Probatur, quia si quis non initiatus sacro presbyteratus ordine à peccatis absolueret, & sacrilegium committeret, & sacramentum nul lum conficeret; si quis autem dubius, & anceps maneat de sua potestate, non debet procedere ad sacramentum conficiendum, quia exponit se periculo nihil præstandi. Quando vero essent probabiles opiniones circa hanc potestatem, tunc, si se offerret casus extremæ necessitatis, in qua exercenda esset potestas sacramentorum, in fauorem proximi, posset quis eam exercere, ne proximus sine remedio pereat sequendo in hoc opinionem probabilem, & etiam minus probabilem, & minus tutam. Extra articulum vero necessitatis sequenda esset opinio securior, quia proximis semper debemus securiora remedia adhibere ex lege charitatis. 1

Secunda conclusio. Ad ministranda sacramenta præter potestatem requiritur aliqua iurisdictio, vt ordinaria pastorum, aut delegata. Probatur, quia ad pastores Ecclesiæ pertinet pascua suis ouibus ministrare, sed sacramenta Ecclesiæ sunt præcipua pascua Ecclesiæ, ergo ea ministranda sunt à pastoribus Ecclesiæ. Hæc autem iurisdictio aliquando requiritur ad valorem sacramenti, vt contingit in sacramento pœnitentiæ, quod dum ministratur, requirit iurisdictionem, aliàs nullum erit. Aliquā do solum requiritur, vt sacramentum sine peccato ministretur; vnde Episcopus ordines conferens in aliena Diœcesi, sine licencia ordinarij illius Diœcesis, licet veros ordines conferat, peccat tamen mortaliter; de quo infra in proprijs sacramentorum tractatibus latior erit sermo. 2

Antequam tertiam statuamus conclusionē, notandum est, ad aliqua sacramenta requiri essentialiter ministrum esse consecratum, ad alia vero minime id requiri. Requiritur sane conse- 3

cratio

eratio ad Eucharistiam, pœnitentiam, & extremam vnctionem, ad confirmationem, & ordinem, ad reliqua vero sacramenta ministranda, vt ad matrimonium, & baptismum, non est necessaria consecratio.

4 Sit tertia conclusio. Minister consecratus, qui in peccato mortali aliquod sacramentum conficit, ad quod est consecratus, peccat mortaliter. In hac conclusione omnes authores cōueniunt (& licet dissentiant in eo, quod aliqui ad sacramenta conficienda requirant confessionem, alij contenti sint sola contritione. Verum tamen est, ad nullum sacramentum conficiendum necessitatem esse confessionem, quia eam non requirit præceptum naturale, quia confessio non est de iure naturali, neque diuinum, aut humanum, quia de his non nobis constat). Probatur conclusio ex cap. vltim. de temporibus ordinationum, vbi adulteri, periuri, homicidæ, & falsum testimonium dicentes prohibentur, ne in susceptis ordinibus ministrent. *Et in cap. vltim. de cohabitat. clericorum.* Definit Pontifex. *Quemlibet clericum pro mortali peccato quoad se ipsum esse suspensum.* Id est nō posse in susceptis ordinibus ministrare sacramenta conficiendo. Vnde ex his locis patet, esse mortale peccatum conficere sacramenta ministros consecratos in peccato mortali, quia est prohibitum ab Ecclesia, & est materia grauis res prohibita.

5 Imo hoc præceptum de digne ministrandis sacramentis non est solum humanum, eo quod non tantum per illud obligatur homo ad non ministrandum sacramentum in peccato mortali exteriori, sed etiam in peccato mere interno, ad quod non se extendit iurisdictio Ecclesiæ, secundum illud commune proloquium, nō habent latentia peccata vindictam. Sed etiam est diuinum, & cum non sit positiuum, quia de eo non constat nobis, est diuinum naturale ortum ex ipsa institutione sacramentorum. Quidam autem recentiores, vt. *Suar. 3. tomo in 3. part. disp. 16.* Id præceptum colligunt ex eo, quod homo sit ad ministranda sacramenta consecratus, & ad id muneris gratiam acceperit, qua abutitur, si sacramenta in mortali cōficiat. Sed hæc ratio nullius momenti mihi videtur cum *Vazquez. 2. tom. in 3. part. disp. 136. cap. 2.* Ex eo, quia aliàs, qui iam confirmatus fidem profiteretur in mortali, ad quam gratiam accepit, peccaret mortaliter, quod nullus admittit, tum etiam, quia alias coniugati, qui in mortali exercerent actus coniugales cū in debitis circunstantijs, peccarent mortaliter, quia gratiam acceperunt in matrimonio ad rectum vsum Matrimonij. Huiusmodi autem præceptum optime deducitur iuxta, *D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 6. in corpore, & ad 1.* Ex eo, quia, si minister sacramentorum ministraret ea in peccato mortali non recte conformaretur cum Deo, qui Dominus est, & author sacramentorū, & sanctificationis nostræ, neq; cū sacramētis ipsis, quæ sunt instrumenta sanctitatis, quibus necessum est conformari. Probatur quod nō cōformaretur, quia Deus eatenus est causa sanctitatis, quatenus in se sanctus est, & sacramenta ex eo sunt causa sanctitatis, quia sunt à Deo consecrata, & ordinata ad assimilandum nos Deo in sanctitate, ergo ministrans sacramenta in peccato mortali neque Deo, neque instrumentis sacramentorum conformis redditur.

Hinc autem sequitur tam laicum, quam sacerdotē ministrantē baptismum etiam sine solemnitate, & in peccato mortali, cum datur tēporis spacium ad procurandam iustificationē, quia id contingit extra ægritudinem baptizandi, vel; quando morbus non valde vrget, peccare mortaliter propter rationem supra allatam ex D. Thom. quia vt erque est Dei minister, sacerdos quidem primarius, & laicus secundarius, & per accidens in defectum Sacerdotis, vterque autem debet & Deo, qui est principalis causa gratiæ, & sacramentis, quæ sunt eius instrumenta, conformari; (Quidquid aliqui recentiores immerito sentiant, negantes istud peccatum, cum istæ personæ sine solemnitate baptizant). Cum verò aliquod sacramentum necessarium ad salutem in casu extremæ necessitatis vrgentis ministratur, quando non datur locus contritioni, etiam si quis in peccato mortali illud ministret, siue sit ad id muneris consecratus, siue non, excusatur à peccato mortali indigne ministrandi. Ita *Angelus in summa, verbo baptismus. num. 10. Adrianus in 4. quæst. 3. de baptismo §. ad rationes ferundas.* Nā, quamuis dignior virtus sit religio erga Deum, quæ petit eius sacramenta digne tractari, quā misericordia erga proximum, quæ petit in extremè necessitate sibi remediū adhiberi, Deo tamen plus placet, quod succurramus tunc tēporis proximo; quam, quod debitam habeamus dispositionem ad sacramenta ministranda, vt optime docuit, *D. Thom. 2. 2. quæst. 30. art. 4. ad 1.* Quia, cum sacramentum sit institutum in remedium proximorum, ratio ipsa postulat, vt vrgente ea necessitate non attendamus ad procurandam iustificationem nostram cum damno proximi, sed quod nostra relicta iustificatione, quæ non vrget, succurramus proximo adhibendo illi sacramentum etiam cum nostra praua conscientia.

Secundò sequitur, ministrum existentem in peccato mortali non posse ministrare sacramēta, quæ nō sunt necessaria ad salutē etiā ei, qui animam agit, quia tunc potius debet sibi in necessitate gratiæ cōstituto consulere, quā proximō non in digenti sacramento; loquor autem de sacramentis non necessarijs ad salutem tūc temporis, quando præcesserunt alia sacramenta ad 7

ta ad salutem necessaria, vt verbi gratia, cum A ægrotus receperat Sacramentum confessionis, & solum ei dandum est Sacramentum Extremæ vnctionis, ad maiorem abundantiam gratiæ, tunc Extremam vnctionem nemo potest ministrare consistens in mortali. Quãdo verò ægrotus nullum aliud Sacramentum recipere potuit, nisi Extremæ vnctionis, tunc Sacramẽtum hoc valde est necessarium, vt saltem per accidens ei, qui existimat, se habere contritionem, & non habet, nisi attritionem, conferat primam gratiam, & in hoc casu, si vrgente necessitate non posset minister præ angustia temporis habere contritionem, posset quidem in mortali ministrare Extremã vnctionem. Quia tunc Extrema vnctio posset esse ad salutem necessaria?

8 Tertio sequitur ex ratione supra allata ex *D.Tho.q.64.art.6.in corpore,& ad* 1. Eum, qui in peccato mortali præbet alicui Eucharistiam consecratam, peccare mortaliter. *Ita docet Conint.tomo de Sacramentis quæst.64.art.6.dubio* 1. ratione diuersa motus, & bona, quia sanguinẽ Dei, vel corpus dispensat. Neque oppositum docet *D.Thom.in 4.dist.5.quæst.2.art.2.quæstiũcula 4. ad* 2. Quidquid contradicat *Vazquez*, motus ex eo, quod tunc Sacerdos tantum applicat actiua passiuis.

9 Quarto sequitur, etiam si aliqui dicant, peccare mortaliter Episcopum cõficientem Chrisma, & Ecclesiam consecrantem, dũ in mortali existit, *Vt Ioan.Medin.cap.de pœnit.tract.5.q.6.* & alij dicant, diaconum cantantem Solemniter Euangelium in mortali, & subdiaconum canentem eodem modo Epistolam peccare mortaliter, vt *Sylucst.verbo clericus 2. initio proxime ante quæst.1.§.8.debet esse.* Placet tamen sententia, *Vazquez loco citato.cap.4.* Asserentis prædictas personas in his casibus non peccare mortaliter, neque venialiter. Probatur. Ad huiusmodi ministeria in statu gratiæ exercenda nullũ præceptum obligat, neque positiuum diuinum, vel humanum, vt constat, neque naturale, quia nulla ratio efficax ad id cogit, imò nullo modo peccat propter eandem rationem, qui Hostiã consecratã de vno loco ad alium transferret, vel de terra lauaret in mortali. Solũ vrget contra hoc, *Caput vlt. de temporibus ordina.* D Vbi cum quæsitum esset de Sacerdotibus, & de alijs clericis, vtrùm impediendi essent propter crimina in susceptis, vel suscipiendis ordinibus ministrare. Respondet, *Gregor.IX. Si non pœnituerint monendi sunt ac sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis ordinibus etiam nõ ministrent.* Sed respondetur, hoc caput non posse indiscriminatim de omnibus Clericis intelligi, aliàs etiam Clerici minorum ordinum peccarent mortaliter, si in mortali sua ministeria exercerent. Quod nullus concedet, sed Sacerdotibus ibi prohiberi ministerium sui ordinis in mortali constitutis alijs, vero Clericis in mortali constitutis solum prohiberi sub mortali ascensum ad ordines superiores propter receptionem Sacramenti, quod si in mortali suscipiatur, nefas est. Et hac ratione intelliguntur, & coaptantur illa verba, non debent ij post pœnitentiam in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri. Illa verò verba citata, in susceptis ordinibus non ministrent, intelliguntur de solis Sacerdotibus, quibus ministeria suorum ordinum prohibentur sub mortali, non verò alijs Clericis.

Quinto sequitur, concionari in peccato mortali secluso scãdalo, nullum esse peccatum. Ita tenent authores nostri temporis cum *Dominico Soto in 4.dist.1.quæst.5.ar.6.* Probatur, quia B nullus obligatur ad concionandum in statu gratiæ præcepto aliquo positiuo diuino, vel humano, quia de eo non nobis constat, neque præcepto aliquo naturali quia non vrget ad illud statuendum aliqua ratio, ergo etiam si in peccato mortali concionetur quis, nullum in hoc peccatum committet. 10

QVÆSTIO XX.

Vtrùm fides, & probitas necessaria sit in ministro, vt Sacramentum ab eo collatum validum sit. C

1 ANTIQVITVS multi errarũt existimant s fidem necessariam esse in ministro Baptismi, vt ille ab eo collatus valorem sortiatur. Ita prauè senserunt aliqui in Asia apud *Iconium*, vt memorat, *Euseb. lib. 7. hist. Ecclesiast.cap.4.5.& 6.* Atque idem placuit *Cypriano in Concil. Africano.* Vt narrat *Euseb.eodem, lib. cap.* 2. at quamuis sententia, *Cypriani à Cornelio Papa* refutata sit, ipse tamẽ *Cyprianus*, in sua sententia permansit, quia potuit in ea re ignorantia inuincibili laborare. Eãdem sententiam docuerunt multi hæretici, vt *Donatistæ, contra quos disputat, D.August.in quibusdã libris.* Et alij hæretici dicti Apostolici, quorũ meminit. *D.Bernad.serm.66.in cant.* Et alij hæretici, quos refert, *Vazquez 2.tom.in 3.p.d.137.c.1.* D 2

Ad huius quæst. intelligentiam prænotandum est, in ea nos minime disputare de ministro non baptizato, licet enim iste baptizare posit, vt postea videbimus in materia de baptismo. Nequit tamen alia Sacramenta ministrare. Nõ matrimoniũ, quia in eo idẽ est minister, & recipiens; quia verò, qui baptizatus non est, recipere nullatenus potest Sacramentum Matrimonij, quod necessario supponit Baptismum, ideo non potest illud sibi ministrare, alia vero sacramenta ministrare nequit nõ baptizatus,

tus,quia ad ea ministranda requiritur Sacerdo
tiū, cuius capax nō est, qui characteris baptis-
mi honorē non fuit adeptus,solùm ergo proce
dit quæstio de ministro baptizato . qui sit hæ-
reticus, vel alio peccato lethali irretitus inue-
niatur,an huiusmodi minister valide Sacramē-
ta conficiat.

3 Sit conclusio de fide . Sacramenta collata à
ministro baptizato,siue sit heresi,siue alijs mo
ribus infecto, valida sunt, dum modo veram il
le materiam, & formam , & veram intentionē
faciendi, quod facit Ecclesia semper obseruet.
Huiusmodi veritatē vt catholicam definierūt
Siricius Papa epist. 1 *.quæ est ad Himerium,cap.* 1.
Innocent.I.epist. 22. *ad Episcopos Macedoniæ,&*
Gregorius Magnus lib.9.epistolarum,epist. 61 *. &*
Concilium Nicænum, 1 *.can.* 19. Vbi Paulianistæ B
iubētur rebaptizari, cuius reddit rationem *In-*
*nocent.I.epist.22.cap.*5.his verbis : *Quia Paulia-*
nistæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti
minime baptizabant. In quo Concilio, cum tan-
tum iubeantur baptizari illi, qui ab hæreticis
Paulianistis baptizati sunt, & non illi,qui bap
tizati sunt ab alijs hæreticis , plane sequitur,
Concilium sensisse , validum esse baptismum
collatum ab alijs hæreticis, alias omnes bapti-
zatos ab hæreticis iuberet Concilium iterum
baptizari. Circa quod Decretum Concilij ex-
pendenda est ratio supra adducta ab Innocent:
scilicet ex eo Paulianistarū baptismū inualidū
esse, quia veram formā in eo minime seruabāt.
Vbi Innoc. nō reddit rationē inualidi baptis-
mi,hæresim ministri , sed defectum substantia- C
lem formæ Sacramentalis. Præterea hæc veri-
tas nouissime definita est *in Concil. Trident. Ses.*
7. can. 12. *de Sacramentis*, his verbis: *Si quis di-*
xerit, ministrum in peccato mortali existentem, mo
do omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiē
dum,aut conferendum pertinent, seruarit, non con-
ficere, aut conferre Sacramentū, anathema sit. Vbi
per peccatum mortale intelligitur sine dubio,
quoduis peccatum etiam hæresis , vt ex can.
proxime adducendo constabit , *can. vero* 4. in
quo Concilium agit de baptismo,nostram ve-
ritatem prorsus definit quoad baptismum atti-
net (& eadem est ratio de alijs Sacramētis) his
verbis: *Si quis dixerit , baptismum , qui etiam da-* D
tur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spi-
ritus sancti, cum intentione faciendi id , quod facit
Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.

4 Probatur secundò, conclusio traditione Ec-
clesiæ, quæ ab antiquis Apostolorum tempo-
ribus ad nostra vsque sæcula inuiolabiliter di-
manauit. Tertiò probatur, quia valor Sacramē
torum non pendet ex sanctitate ministri, quia
ille solùm se habet vt instrumētum quoddam
in ordine ad conficienda Sacramenta , sed ex
Deo,qui Author est Sacramentorum , & causa
principalis eorum, sed Deus,& idem est in se,
& eodem modo concurrit cum ministris Sacra

A mentorum siue sint bōni , siue praui ad confi-
cienda Sacramenta,ergo Sacramentum eodem
modo validum est siue à bono, siue à prauo mi
nistro conficiatur. Vltimò roboratur hæc veri-
tas vulgari doctrina *Concilij Florent. post Sessio.*
vltim.§.5.Ecclesiasticorum. Secundum quam sa
cramenta tribus perficiuntur, materia , forma,
& intentione ministri, sed hæreticus, & quili-
bet alius prauus minister potest adhibere verā
materiam , & formam , vt ex se patet , imò, &
veram intentionem, vt quæstione quinta hu-
ius tractatus vidimus,his ergo adhibitis verum
sine dubio conficiet Sacramentum. 5

Sed contra nostram catholicam doctrinam
aliqua insurgunt argumenta. Primum desumi
tur ex illis verbis *Ecclesiast.* 34 *.ab immundo quis*
B *mundabitur?* At hæreticus, & quilibet alius pec
cator immundus est sordibus suorum pecca-
torum , nequit ergo medio etiam Sacramento
abstergere ab alijs peccatorum sordes media
animarum iustificatione. Sed huic argumento
peruia est solutio penes hoc,quod sanctitas Sa
cramentorum nullo modo dependet ex mini-
stro,qui tantùm est instrumentum sanctitatis,
sed ex Deo,qui est Author principalis eius. Si-
cut enim peritissimus artifex cum instrumen-
to valde inepto solet opus efficere perfectis-
simum, ita Deus cum prauo ministro operatur
gratiam in animā,in quo magis relucet Dei in-
finita potentia. Illud vero Ecclesiastici sic est
intelligendum , immundum suo contactu cō-
tendentem alicuius rei sordes abluere, oleum,
C & operam perdere, quod nostro proposito ne
quaquam nocet,nam sacramenta non tangunt 6
animam vt eam abluant.

Secundum argumentum sit , quia Christus,
*Ioann.*20.dum Discipulos suos iudices consti-
tuit peccatorum,dixit: Accipite Spiritum san-
ctum , quorum remiseritis peccata, remittun-
tur eis,ac si necessarium esset accipere Spiritū
sanctum, & gratiam ad delenda peccata media
absolutione sacramentali , sed ille, qui non est
in gratia,non habet Spiritum sanctum,ergo ne
quit valide absoluere. Sed huic difficultati fa-
cile satisfit ex eo , quod Christus non dedit
tunc gratiam Spiritus sancti sanctificantem,vt
necessariam ad conficiendum Sacramentum,
D sed vt digne illud conficerent,licèt concesserit
gratiam Spiritus sancti , scilicet potestatem ad 7.
delenda peccata,vt necessariam.

Tertium argumentum est, quia solius Eccle
siæ est Sacramenta conficere , at hæretici sunt
extra Ecclesiam , ergo non possunt ea confice-
re. Respondetur negando ad solam Ecclesiam
pertinere administrationem Sacramentorum.

Quartum argumentum est desumptum *ex*
Can.46. Apostolor. alias 45. Vbi dicitur Episco-
pum,vel Presbyterum,qui hæreticorum bap-
tismum,vel sacrificium admiserit , deponi iu-
bemus. Sed ad hoc respondetur, ibi, vel solùm
pro-

prohiberi hæreticis administrationem Sacramentorum, vel quod admittatur baptismus eorum, qui vere non baptizant cum vera materia,& forma,vt apparebit inspicienti canonem ibi sequentem.

9 Quintum argumētum robur accipit ex Sanctis Patribus. *Ambros. quippe lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 4. in medio.* Sic execratur baptismum hæreticorum. *Est enim in aliquibus aqua mendax, non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit, & Athan. ser. 3. contra Arrianos, de eodem baptismo,* Sic loquitur. *Qui quæso igitur non plane vanum at inutile fuerit baptisma, eo quod ab illis datur* (Scilicet hæreticis) *Cum id non nisi species sit, & inane simulacrum?* Ex quibus verbis videtur colligi, baptismum ab hæreticis collatum nullum esse. Sed hæc non cogunt, à nostro proposito recedere: prædicti enim Sancti Patres in his locis loquuntur de baptismo, quem recipiūt hæretici ab alijs hæreticis, quitametsi valorem sortiatur, quia tamen propter obicem hæresis gratiam minime confert, quinimo ob obicem sacrilegæ recepti nis recipiens grauiter delinquit, ideo pronuntiauit, *D. Ambros. huiusmodi baptismum pollucre animam, & D. Athanas. affirmauit esse inane simulacrum.*

QVÆSTIO XXI.

Quis sit debitus minister Sacramentorū.

1 MARTINVS Lutherus in lib. de Missa priuata abroganda sentit omnes, solosque baptizatos posse esse ministros Sacramentorum, tamet si ad vitandam cōfusionem non oporteat, omnes ministros esse. Imo etiam sentit, Angelos, & dæmones posse esse ministros Sacramentorum. Probatur hoc. Primo, quia efficacia Sacramenti non pendet ex qualitate personæ ministrātis illud, sed ex verbo Dei, ergo quilibet baptizatus potest illud ministrare. Secundo probatur, quia quilibet baptizatus habet Spiritum Sanctum: vbi autem est spiritus, ibi potestas est, & libertas, ergo omnes homines habēt potestatem ministrandi Sacramenta. Tertio probatur, *ex August. lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 15. dicente. Quod attinet ad baptismi sanctitatē adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat sine per se ipsum donā te Deo, siue per Angel. Quartò quia 1. Petri 2.* Omnes Christiani dicuntur Sacerdotes, illis verbis. *Vos antē gens electā regale Sacerdotiū. Quinto. 1. ad Corint. 11.* Omnibus traditur potestas consecrandi, ibi. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Sexto.* Quia in Ecclesia non est aliud sacrificium, nisi mortificatio corporis, sed hæc conuenit omni fideli, ergo omnis fidelis est Sacerdos.

2 Sit prima conclusio de fide. Solus homo potest ministrare Sacramenta secundum legem ordinariā Dei, & non Angel. Ita sentiunt omnes Scholastici cū *D. Tho. 3. p. q. 64. ar. 7.* Et probatur 1. ex traditione Ecclesiæ. Secundo probatur, quia ministerium Sacramentorū dependet ex verbo Dei, & ex eius institutione, & ordinatione, sed Deus nunquam instituit Angelos ministros Sacramentorum, vt patet, at homines instituit, cum *Matth. 28.* dedit illis potestatem baptizandi dicens, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Lucæ 22.* Dedit illis potestatem consecrandi, dicens, *Hoc facite, in meam commemorationem, & Ioannis 20. Dedit potestatē,* Hominibus absoluendi à peccatis sub illis verbis. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et ex traditione Ecclesiæ habemus, traditam esse hominibus potestatem ad alia sacramenta, ergo hoc ministerium Sacramentorum solis hominibus, & non Angelis, vel bonis, vel malis traditum est.

3 Secunda conclusio, de fide. Ad ministranda valide Sacramenta, excepto Baptismo, & Matrimonio, non sufficit minister Baptizatus, nisi simul etiam sit rite ordinatus. Constat hoc primo ex traditione Ecclesiæ, quæ alijs non committit administrationem eorum Sacramentorum, quasi eos iudicans incapaces talis ministerij. Secundo constat conclusio ex *Concilio Trid. sess. 7. canon 10.* Vbi error Lutheri his verbis refellitur. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Quæ verba adaptanda sunt alijs Sacramentis excepto Matrimonio, & Baptismo.

4 Argumentis Lutheri restat satisfaciendum. Et quidem primò respondemus, ad primum efficaciam Sacramentorum minime dependere ex qualitate ministri, vt ex authoris qualitate, dependere autem tanquam ex ministro à Deo ordinato ad valorem Sacramenti ex homine ministrante Sacramentum. Quod rectè potuit à Christo institui, imo quod ita instituerit, ex Ecclesia magistra didicimus. Secūdo respōdemus efficaciam Sacramentorum non pendere vnquam ex qualitate id est, ex bonitate vel malitia ministri, at aliquando pendere ex qualitate id est, ex consecratione ministri, vt in Eucharistia conficienda apparet. Secundo vero argumento respondemus. Omnes quidem Baptizatos accipere Spiritum Sanctum virtute Baptismi, si cum debita dispositione ad eum recipiendum præparentur, non tamen omnes Baptizatos habere potestatem ministrandi omnia Sacramenta. *Paulus enim 2. ad Corinth. 3.* Nequaquam pronunciauit. *Vbi spiritus, ibi potestas, sed vbi spiritus, ibi libertas;* Quin potius idē *Paul. ad Ephes. 4.* Sic asseruit. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, &c.* Ac si aperte pronuntiaret, in Hierarchia Ecclesiastica non omnes eadem potestate potiri. Ad tertium argumentum dicimus, Augustin. tantum loqui

loqui de lege extraordinaria, & de absoluta Dei potentia, secundum quam potest Angelus esse minister Sacramentorum, quod pulchre etiam notauit, *D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 7.* Vbi addidit, in eo casu, quo Angelus bonus conferret aliquod Sacramentum, illud iudicandum esse ratum, si vero illud conferret dæmon, tale Sacramentum non esse in Ecclesia admittendum, donec alia via de potestate à Deo ei collata constaret. Quarto vero argumento satisfacimus penes hoc, quod *D. Petr.* Vocauit omnes Christianos Sacerdotes largo quodam modo, quia præstant bona opera, quę largo modo sunt sacrificia, quatenus Deo placent, & in eius redundant honorem. Ad Quintum argumentum desumptum, *ex Paul. 1. ad Corinth. 11.* Respondetur, ea verba dirigi ad B omnes Christicolas, diuersa tamē ratione. Ad Sacerdotes quidem, quia efficiunt commemorationem Christi, eiusque passionis dum consecrant. Ad laicos vero, quia eiusdem passionis memoriam recolunt, dum corpus Christi sacramentaliter recipiunt. Ad sextum patet ex dictis solutio, mortificationem corporis esse solum largo modo sacrificium per hoc, quod corpus inedia, & alijs laboribus afflictum, & rationi subijcitur, & Dei gloriæ emancipatur, præter hoc tamen Sacrificium, aliud est in Ecclesia longe excellentius, ad quod conficiendum peculiares homines sunt à Deo instituti.

QVÆSTIO XXII.

Quæ intentio sit necessaria ad ministranda Sacramenta, & ad ea recipienda.

1 MARTINVS *Lutherus impudentissimus quidem hæreticus in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo,* Cogitauit, ad essentiam Sacramenti intentionē ministri non requiri, sed ad id sufficere res, & verba Sacramentorum, etiam si irrisorie, & iocose dicantur, quem errorem secutus fuit, *Caluinus, in antidoto Concilij Trid. ad can. 11. de Sacramentis sess. 7.*

2 Sit prima conclusio secundum fidem Catholicam certa. Ad valorē Sacramentorū præter res, & verba, quæ vendicant sibi locum materiæ, & formæ, necessaria est in ministro intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Apparet hæc veritas primo, *In Triden sess. 7. can. 11. de Sacramentis, ibi: Siquis dixerit, in ministris dū Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltim faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit,* Secundo apparet in *Eugen. IIII. &* A *in decreto fidei, quod est post vlt. sess. Concilij. Florent. §. 5. Ecclesiast. ibi, hæc omnia Sacramēta* (Loquitur autem de Sacramentis nonæ legis) *Tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Quæ testimonia ita aperte confirmant istam conclusionem, vt alia adhibere minime sit necessarium.

Et quidem, licet inter Catholicos constans res sit, prædictam intentionem ad valorem Sacramentorū requiri, non tamen omnes eodem modo explicant, quid intelligatur per illam intentionem faciendi; quod facit Ecclesia. 3

Catherinus in opusculo de intentione ministri Sacramentorum, ludit auit, hanc intentionem in eo sitam esse, quod minister seruet exterius ritum Ecclesiæ in rebus, & verbis adhibendis, quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti, præter hanc vero nullam aliam intentionem requirit iste author in ministro Sacramentorum. Quam sententiam docuit, *Sylu. in summa, verbo baptismus 3. quæst. 12.* Hæc sententia corroboratur primo authoritate Sāctorum Patrū, nam, *D. Thom. 3. part. quæst. 64. art. 8. ad 2.* Defendit, ad valorem Sacramentorum sufficere, proferre verba, in quibus exprimitur intentio Ecclesiæ. *Et D. Chrysost. hom. 85. in Ioan.* Ita loquitur. *Sacerdos & linguam, & manus præbet.* Vbi non fit mentio alicuius alterius intentionis ad valorem Sacramenti necessariæ, Imo *Nicolaus I. in can. à quodam Iudæo. De consecrat.* C *dist. 4.* Dum loquitur de baptizatis à quodam Iudæo, de quo dubitabatur, an esset paganus, vel Christianus, his verbis respōdet. *Ii profectò si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicus in actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (vnum quippe, idemque est, vt sanctus Ambros. exponit, quia non illorum) sed eius est, rebaptizari non debent.* Vbi pro hac sententia ponderandum est, Pontificem solum curasse de verbis formæ, & non de alia intentione baptizantis. Dum ergo minister applicet veram materiam, & formam Sacramentalem, reliquam intentionem superuacaneam videtur iudicasse Pontifi. Præterea, *Angust.* fauet huic sententiæ, *libro septimo de baptismo, contra Donatistas, ca. 53.* & refertur, *de consecrat. dist. 4. can. soles.* Cuius D hæc sunt verba. *Nequaquam dubitarē, habere eos baptisma, qui vbicumque, & à quibuscumque illud verbis Euangelicis consecratum sine suā simulatione, & cum aliqua fide accepissent.* vbi *August.* Nō postulat aliam intentionem, nisi intentionem adhibendi materiam, & formam. Secundo probatur hæc sententia ratione, quia Deus Optimus Maximus posset ita Sacramenta instituere, vt sola exhibitio materiæ; & prolatio formæ ad Sacramentum sufficeret sine alia intentione interiori, & hæc institutio multo magis conueniens fuit, ergo credere debemus,

bemus, ita esse Sacramenta instituta. Quod A autem iste modus instituendi Sacramenta multo sit congruentior patet. Primò, quia in negotijs hominis, quæ per ministros fiunt, non requiritur aliqua specialis intentio ex parte ministri, nisi ea, qua aliquid efficit, vel loquitur iuxta præceptum sui domini, ergo in Sacramentis, quæ ab hominibus fiunt, vt à ministris Dei, dicendum est, nihil aliud ex parte eorum requiri, nisi applicationem materiæ, & prolationem formæ. Secundò probatur, quia significatio signi exterioris, quale est materia, & forma Sacramentorum, non pendet ex intentione ministri, sed Dei, ergo dum adhibetur materia, & forma, est verum Sacramentum, licèt minister nihil aliud intendat, nisi eorum applicationem. Tertiò pro B batur, quia, si præter intentionem applicandi materiam, & formam Sacramentorum requireretur alia intentio ministri interior, sequeretur accedentes ad Sacramenta non esse certos de valore eorum, quia non sunt certi de tali intentione. Quartò probatur, quia vt refert *Euseb. lib. 10. Historiæ cap. 14.* Athanasius puer per iocum baptizauit alios pueros, & solùm videtur habuisse intentionem applicandi exterius materiam, & formam, & tamen ille baptismus approbatus fuit ab Alexandro Alexandriæ Episcopo, & ab alijs Episcopis, ergo non requiritur alia intentio, nisi applicandi materiam, & formam.

5 Secunda conclusio. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio illa materialiter sumpta C applicandi materiam, & formam Sacramentorum exterius, sed præterea exigitur necessariò intentio formaliter sumpta efficiendi Sacramentum, vel aliquam ceremoniam sacram, vel faciendi id, quod facit Ecclesia, vel alia intentio similis. Hanc conclusionem meritò putant esse de fide *Suarez, 3. tomo in tertiã partẽ disp. 13. sect. 2. & Vazquez 2. tomo in tertia parte disp. 138. capit. 3.* Hæc conclusio definita est in *Concilio Tridentino Sessio. 7. can. 11. de Sacramentis in genere.* Vbi dicitur, *Ministros Ecclesiæ, dum Sacramenta conficiunt, debere hanc intentionem sortiri, scilicet, faciendi id, quod facit Ecclesia.* Ex quo testimonio sic argumentor contra Catherinum. Iste canon editus fuit contra aliquẽ errorem hæreticorum, vt omnes alij canones, D nulli autem hæretici negarunt, esse necessariã intentionem Ecclesiæ in Sacramentis, nisi Lutherus, & alij, quos in principio huius quæstionis citauimus: hi autem non damnantur ex eo, quod alias res, & alia verba ab his, quibus Ecclesia nostra vtitur, vtantur, vt patet ex verbis Concilij: neque damnantur ex eo, quod negent intentionem adhibendi materiam, & formam Sacramentorum, quia hanc ipsi admittunt, ergo ex eo damnantur, quod dicunt, verum confici Sacramentum, dum modo adhibeantur materia, & forma, quamuis iocose id fiat. Ex eo enim ipso negant, esse necessariam aliam intentionem, nisi eam, quæ applicat exterius materiam, & formam Sacramẽtorum. Definit ergo Concilium esse aliam intentionem necessariam, præter intentionem, applicandi materiam, & formam. Secundò probatur ratione, quia actiones, quibus fiunt Sacramenta, ex se sunt indifferentes ad hoc, vt ordinentur ad ludum, vel ad aliquem verũ effectum, & vt ordinentur ad vsum profanum vel sacrum. Vt ergo sint sacræ, debent determinari per intentionem agentis, & ministri, medio, quo Christus, & Ecclesia operatur Sacramenta. Tertiò probatur ratione, quia si ad valorem Sacramenti sufficeret intentio adhibendi easdem res, & eadem verba, quæ Christus adhibuit, sequeretur, mimum in scena irrisionis gratia lauantem puerum, & dicentem illa verba, Ego te baptizo, &c. Verum efficere Sacramentum, quod absurdum est, & cedit in dedecus Sacramentorum.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. 6 Ad primum dicimus *D. Tho.* pro nostra esse sententia *q. 64. art. 10. & a. 8. ad 2.* contra nos non sensisse, sed in illis verbis solùm voluisse, vt recipiens Sacramentum certior fiat valoris Sacramenti, sufficere, quod videat ministrum vtentem verbis, & materia Ecclesiæ, hinc enim credere debet, illum debitã habuisse intentionem. Vt enim dicamus, *D. Tho.* directè respondisse argumento secundò hoc modò intelligẽda est solutio, vt benè notauit *Suarez super istud argumentum; de D. Chrysost. & Nicolao.* Dicimus illos non negasse esse necessariam intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia in ministro Sacramentorum. Ad *D. August.* respondetur cum *Suar. loco citato*, quidquid cõtra dicat *Vazq. loco citato cap. 4.* eum non negasse in ministro intẽtionem faciendi id, quod facit Ecclesia, necessariã esse, præter illam, quæ inuenitur in applicatione materiæ, & formæ. Ad secundũ dicimus, potuisse Deum instituere Sacramenta non requisita prædicta intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, negamus tamẽ eum fuisse modum conuenientiorem institutẽdi Sacramenta. Nam licèt ea intẽtione requisita non simus certi de valore Sacramentorũ, & aliquando possimus ex malitia ministri, & ex defectu talis intentionis frustrari fructu Sacramenti, hoc tamẽ minus inconueniens est, quã quod Sacramentum non per modum ceremoniæ sacræ instituatur, sed quod possit fieri iocose, & in scena. Ad illud de ministro negotiorum respondetur, quod cum ille est merus nũcius, tunc satis est intentio exequẽdi sibi imperata, at verò, cum ei datur potestas ad peragenda negotia, requiritur etiam intentio quædam interior prudens, & humana peragendi negotia distincta ab intentione exterius res exequendi,

quædi, & quia minister Sacramentorum se habet hoc secundo modo, ideò intentionem distinctam ab ea, qua applicat materiam, & formam necessariò requirimus. Ad illud de significatione materiæ, & formæ, quæ reperiuntur in Sacramentis, respondetur, eam significationem dependêre ex intentione Dei tanquam Authoris instituentis Sacramenta, & ordinantis significationem eorum, nihilominus tamen etiam dependêre ex intentione ministri tanquam instrumenti exequentis id, quod Deus instituit, non vt instrumenti nudi, sed moralis, & humano more operantis. Id verò, quod obijciebatur in eo casu, quo exigeretur illa intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, non fore homines certos de valore Sacramentorum, friuolum est, in his enim rebus moralibus non debemus exigere certitudinem matematicam, sed tantùm moralem, in eo sane consistentem, quod minister adhibeat exterius materiam, & formam Sacramentorum, & non constet nobis de aliqua intentione contraria valori Sacramentorum. Ad tertium respondemus *D. Athanas.* verè baptizasse cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, & propterea eius baptismum fuisse approbatum; licèt finis remotus Athanas. in eo baptismo fuerit iocosa quædam recreatio. Dupliciter enim possumus considerare iocosum baptismum. Primò ita vt finis baptismi sit ludus, ac humana recreatio, ad eam tamen consequendam assumatur verus baptismus tanquam medium. Secundò ita, vt non solùm finis sit iocosus, sed etiam baptismus propter eum assumptus iocose, & ludibrio, ficteque adhibeatur. Et quidem in primo casu iocosus baptismus veram rationem baptismi continet, & iste baptismus contigit Athanas. In secundo vero casu non reperitur verus baptismus, sed tantùm quædam fictio, simulatioq; baptismi.

7 Tertia conclusio. Etiam in recipiente requiritur intentio non solùm recipiendi rea, & verba Sacramentorum, sed etiam recipiendi aliquid sacrum, vel id, quod recipiunt fideles, vel aliquid simile, vt verum suscipiatur Sacramentum. Hanc conclusionem omnes cōcedere tenentur, & nullus negauit. Quæ tamē intentio in Sacramento Eucharistiæ, quæ suam essentiam habet in facto esse, & nondum fit aut recipitur, & nullo modo dependentem à recipiente, minime est necessaria ad valorem eius, in alijs verò Sacramentis, quorum esse tantùm est in fieri, & dum recipiuntur, huiusmodi intentio ad valorem eorum exigitur.

Quæ conclusio, ne frustra tempus teneramus, probata manet ex rationibus secundæ conclusionis.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur voluntas expressa efficiendi illud, & quod hac dirigatur ad certā personam, & an eadem requiratur ad recipiendum Sacramentum?

ACTIO Sacramentalis debet esse voluntaria, seu libera, neque enim amentes verum efficiunt Sacramentum, etiamsi adhibeant materiam, & formam, vt ex præcedenti, quæst. satis liquet. Difficultas verò præsens in eo consistit, quæ nam voluntas requiratur directa, vel indirecta, actualis, vel virtualis.

Pro quo dubio intelligendo notandum est, voluntariū duplex esse, aliud directū, aliud verò indirectū: voluntariū directū est illud, quod procedit ex directa voluntate, & desiderio sui, & non ex voluntate, aut desiderio alterius rei. Voluntarium verò indirectum illud dicitur, quod non procedit ex voluntate directè tendente in illud, sed solùm ex affectu, & desiderio directo alterius rei; vt cum quis sciens se solere in ebrietate constitutum homines occidere, nihilominus vult se inebriare. Iste directè tantùm vult ebrietatem, indirectè verò ipsa homicidia. Rursus voluntarium in triplici constituendum est differentia, aliud enim est actuale, aliud habituale, aliud tādem virtuale. Actuale est illud, in quod voluntas fertur hic & nunc, voluntarium habituale est illud, circa quod præcessit aliquod desideriū, ex eo tamē neque res, quæ dicitur voluntaria, neque aliquid, quod ordinem habeat ad illam, nascitur; sed tantùm manet quædam consuetudo operādi eiusmodi rem, voluntarium verò virtuale est illud, circa quod præcessit voluntas talis naturæ, vt ex ea, vel quis incipiat operari rem, quam desiderat, vel aliquid aliud habens connexionem cum re ipsa.

Sit prima conclusio. Voluntariū directū requiritur necessariò ad essentiam Sacramenti, indirectum verò nequaquam sufficit. Conclusio est communis inter Doctores, probaturque ratione, quia vt vidimus præcedenti quæst. ad valorem, & essentiā Sacramenti requiritur intentio applicandi materiā, & formā Sacramentorū, nō vtcunq; sed quatenus sunt ceremoniæ sacræ, & vt fiat id, quod facit Ecclesia. Sed voluntas indirecta, qua quis cognosceret, se solitū esse in ebrietate baptizare cū vera materia, & forma, solū fertur in materiā, & formam materialiter, & non formaliter, quatenus sunt ceremoniæ sacræ, ergo voluntarium indirectū non sufficit ad essentiam Sacramenti, quinimo, licèt minister Sacramenti præuideret, se dum ebrius est, solitum esse applicare materiam

teriam,& formam sacramentorum cum intentione expressa faciendi id, quod facit Ecclesia, nihilominus tamen Sacramentum non conficeret, quia voluntas illa, prout in ebrietate reperitur, nec est humana, nec libera, quia tunc nullus adest rationis vsus requisitus quidem ad libertatem voluntatis. Deinde voluntas illa, quatenus oritur ex priori voluntate inebriandi se, non sufficit ad valorem Sacramenti, quia cum prior illa voluntas inebriandi se non tendat etiam indirectè, & secundariò in materiam, & formam Sacramentorum, vt sunt ceremoniæ sacræ, sed in eas nude, & materialiter consideratas, neque etiam respicit voluntatem secundam, quæ reperitur in ebrietate, vt obiectum morale, aut vt humanam actionem & sacram, sed vt quid materiale, & naturale, cum hac ergo voluntate indirecta ve ta ratio Sacramenti coalescere nullatenus potest. Præterea, neque voluntas illa præterita conficiendi Sacramentum virtualiter manet in ea operatione, quæ in ebrietate exercetur, quia illa operatio non est humana, quia vt intentio præterita virtute dicatur manere, in aliqua actione exteriori, illa actio exterior debet esse humana, alias continentia illa virtualis non esset humana, vt requiritur ad conficienda Sacramenta. Ita sentit *Vazquez in fragmento matrimonij disp.5. capit. 3. quod continetur in 4. tom. eius ad 3. partē.*

3 Secunda conclusio. Voluntas habitualis non sufficit ad valorem Sacramenti. Confirmatur hæc veritas primò, quia Sacramentum debet procedere à volūtate faciendi id, quod facit Ecclesia, sed voluntas habitualis de se non intendit efficere id, quod facit Ecclesia, quia est voluntas mere naturalis, cum consuetudo sit altera natura, & quæ potest carere omni prorsus libertatis genere, ergo huiusmodi voluntas non sufficit ad valorem Sacramenti. Secundò probatur. Hæc voluntas proueniens ex habitu, & consuetudine, potest esse in dormiente, & amente, qui tamen non possunt cōficere Sacramentum, ergo ea non sufficit ad valorem Sacramenti. Ita sentiunt *Vazquez 3. tom. in 3. p. disp. 138. cap. 6. Suarez 3. tom. in 3. p. disp. 13. sect. 3. & Nuño super quæst. 64. 3. partis articulo 7.*

4 Tertia conclusio. Voluntas virtualis faciēdi id, quod facit Ecclesia, ex qua quis incipit operari actionem Sacramentalem, vel aliquid quod habet connexionem cum ea, sufficiens est ad valorem Sacramenti. Hanc conclusionē docent *D.Thom. 3. p. q. 64. art. 8. ad tertium, Scotus in 4. dist. 6. q. 6. §. distinguitur, & Caiet. in eo art. D.Thom.* Exempli gratia, ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia in administratione sacrificij Eucharistiæ se confert in Ecclesiam Sacerdos, & sacras vestes induit, & missam inchoat, etiamsi dum profert verba consecrationis non habeat intentionem expressam faciendi id, quod facit Ecclesia per naturalem obliuionem, & inconsiderantiam, nihilominus cū ea intentione dicitur ea proferre, & sacramentum verum efficiet. Probatur primò, quia tūc illa voluntas prior in suis effectibus moralibus, scilicet in accessu ad altare, & in inchoatione missæ, vt in suis virtutibus dicitur manere. Secundò probatur, quia si ex naturali incōsiderantia sacramentum celebratum nullū esset, maximis exponeretur periculis sacramentorum administratio, quod de diuina misericordia non est præsumendum: patet quia talis inconsiderantia sæpe contingit.

Sit quarta conclusio. Circa secundum punctum, quæst. cum *Dominico Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. §. postremum denique.* Si minister velit expresse nulli alteri Sacramentum ministrare, nisi Petro, verbi gratia, tunc si aliqua persona supponatur, Sacramentum nullum est. Probatur, quia tunc non adest intentio conferendi Sacramentum, sine intentione autem Sacramētum nullum est. Communiter tamen minister in hoc male procedet, quia tenetur habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ communiter intendit Sacramentum ministrare ei, qui præsens est, siue sit Petrus, siue Ioannes, nisi sit aliqua iusta causa ministrandi potius Sacramentum vni, quam alteri, quia vnus est sufficienter dispositus, & non alter. 5

Quinta conclusio. Cum eodem *Soto loco citato,* sit hæc. Si minister velit Sacramentum ministrare ei, qui præsens sibi est, putans esse Petrum, cum tamen sit Ioannes, valet quodlibet Sacramentum, vnico excepto Sacramento Matrimonij, quod cum errore personæ non compatitur. Huius differentiæ ratio petenda est ex tractatu secundo de Matrimonio. Vbi sermo erit de impedimento erroris, quia scilicet persona est circunstantia substantialis respectu contractus matrimonialis, quare error illius facit matrimonium inuoluntarium secundum substantiam, ac per consequens omninò nullum. At verò circunstantia personæ, quod sit Petrus, vel Ioannes non est substantialis in alijs Sacramentis, vnde error illius non efficit irrita alia Sacramenta. 6

Hic quæritur à quibusdam, vt à *Reginald. secundo tomo praxis pœnitent. lib. 28. capit. 5.* An ad Sacramenta conficienda requiratur intentio absoluta, vel sufficiat conditionata. Sed huius rei examinatio in hoc loco non est necessaria, sed alibi propriam sedem habebit dum de forma absolutionis in primo tractatu de Sacramento Pœnitentiæ disseremus, quæst. 7. & dum in tract. de Matrimonio secundo de conditionibus matrimonij disputemus. 7

Disputati etiam solet, quodnam sit subiectum capax Sacramenti, sed ad hoc respondet *Vazquez loco citato, cap. vlt.* Hoc non indigere 8

modo

modo lõgâ discussione, nam solùm homines viatores sunt capaces Sacramentorum, quia pro illis solis sunt à Deo instituta, qualis autem viator capax sit cuiuscumque Sacramenti, ait Vazquez, in singulis Sacramentis videndum esse. Imò in singulis Sacramentis etiam videndum est, qualis nã dispositio ad recipienda ea requiratur. Hic enim longum esset, & extra propriam occasionem, & locum in hìs immorari, hoc tamen aduertere oportet ad valorem Sacramentorum, quæ recipiuntur, ab adultis hominibus (excepto Sacramento Eucharistiæ, cuius valor non pendet ex voluntate suscipiẽtis) requiri voluntatem directam, & actualem, vel virtualem recipiendi illa, tanquam ceremonias sacras, quod eodem modo probandum est, quo in hac quæst. & præcedenti probauimus, esse in ministro necessariam intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Quod in suscipiente requiratur voluntas suscipiendi Sacramenta ad hoc, vt ea valida sint. Probatur, quia sicut ad suauem dispositionem Dei spectat, non iustificare adultum, neque gratiam ei cõferre, vel augere sine eius consensu, ita ad eandem prouidentiam spectat, vt nullus adultus per Sacramenta initietur, & consecretur sine proprio consensu. Sufficit autem ad aliqua cõsensus extortus, metu graui, vel leui, iusto, vel iniusto, dummodo verè adsit, vt colligitur ex *cap. maiores de Baptismo, §. vltimo*, imò vt bene, *Conine. tom. de sacramentis, quæst. 64. art. 8. dubio 5.* Qui aliquando ratione vsus est, inualide suscipit Sacramentum, post amissum vsum rationis, quod nunquam expetiuit. Est hoc commune inter Doctores, & conueniens fuit, ita Christum sua Sacramenta instituere, vt per ea nemo ratione vtens consecretur, nisi aliquo modo cupiens ea. Et probatur, quia qui adhæret religioni contrariæ Christo virtualem habet auersionem à Sacramentis Christianis, & obicem, quem dicit, impedire effectum Sacramentorum, *Innocent. III. cap. Maiores de Baptismo*, ergo necessaria est intentio recipiendi Sacramenta ad valorem eorum.

9 Quæri præterea hic solet ab aliquibus, vtrùm à ministro prauis moribus affecto, siue excommunicato, siue suspenso, vel alia censura, vel impedimento Ecclesiastico irretito licitum sit Sacramenta recipere. Quam quæst. hic aliqui admittere nolunt, quia ad eam dicunt, debere præmitti rationem scandali, & intelligentiam extrauagantis ad euitanda scandala, sed ne hic omnino lux auferatur, sit subsequens quæstio.

QVÆSTIO XXIIII.

Vtrùm peccatum committatur petendo Sacramentum ab indigno ministro, & ministrando illud indignè petenti?

SVPPONENDVM est, neminem posse licite petere Sacramentum ab eo, qui non potest licite illud dare. Probatur, quia quod non potest licite fieri, non potest licite peti, quia esset cooperatio ad malum, quærimus ergo in primo puncto, an cum quis scit, quod aliquis minister collaturus est Sacramentum in statu peccati, cùm tamen bene possit licite ministrare, possit ab eo Sacramentum petere.

2 Secundò supponendum est, dupliciter posse aliquem priuari, ne petat Sacramentum à ministris Ecclesiæ. Primò; quia minister est affectus aliqua censura. Secundò, ne eum inducat ad peccatum, quem scit ex sua malitia datu rum Sacramentũ in statu peccati, à quo si vult, potest facile exire.

Prima conclusio. Solùm prohibemur post extrauagantem ad euitanda scandala, petere Sacramentum ab ijs ministris, qui sunt in suis censuris publice, & nominatim denuntiati, aut sunt notorij Clerici percussores. Quam conclusionem latius examinare attinet ad tract. de censuris, *Vide Suar. tom. de censuris.* 3

Secunda conclusio. Quando adest grauis quædam necessitas recipiendi Sacramentum, possum illud petere à ministro, quem scio esse in peccato, & collaturum Sacramentum ex sua malitia illicite, quia neque conteretur, neque confitebitur, cum tamen possit Sacramentum licite dare. Probatur. Tunc dare Sacramentum non est de se malum, & de suo obiecto, sed potest bene fieri; si minister disponatur, ergo quamuis male dispositus det, possum permittere malitiam eius propter meum graue commodum. Ad quod non requiritur extrema necessitas Sacramenti, aut nimis grauis, sed rationalis. Et quidem quando quis habet ex suo officio ministrare Sacramenta, vt parochus; qui semper tenetur esse bene dispositus ad ministranda Sacramenta, aut est paratus ad danda illa cuilibet petenti, tũc sufficit, vt quis excusetur à peccato petendi Sacramentum communis necessitas, vel vtilitas, quæ nascitur ex receptione Sacramentorum. At quando quis non tenetur ex officio ministrare Sacramenta, neque est paratus ad ea ministranda, tunc quidem vt petatur ab indigno ministro requiritur necessitas implendi præceptum Ecclesiasticum, vt recipiendi communionem tempore paschali, vel saltim grauis vtilitas nõ differen- 4

di nimium Sacramentum Confessionis, vel communionis, v. g. Probatur hoc vltimū, primò, quia ille tenetur tunc ministrare ex misericordia, sicut parrochus ex iustitia, exemplo eius, qui petit mutuū ab vsurario, qui quidem excusatur à peccato, etiamsi petat ab aliquo, qui exacturus est vsuras, & qui paratus nō est ad mutuandū, dummodo rationabilis causa intercedat, quāuis non sit extrema, vel grauis necessitas. Ratio verò generalis huius est, quia cū illa petitio ex se non sit occasio peccandi, neq; sit mala, neq; habeat speciem mali, non habet rationem scandali actiui, etiam respectu hominis non parati. Ad vitandum autem scandalum passiuū nō tenemur cum tanto rigore, & ideò ex rationabili causa permitti potest, & quidē, licèt ipse minister teneatur ex officio ministrare, aut sit paratus ad ministrandum, qui ex sua malitia indignè ministrabit Sacramentum, tamen, si ego possum sine vllo detrimento meo ab alio petere sacramentum, qui sine peccato dabit illud, lex charitatis Dei, & proximi tunc obligat, vt auferam occasionem ruinæ proximi, & irreuerentiæ sacramenti, & vt proximi in ea necessitate miserear. Ita docet *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 18. sect. 1. & Petrus de Ledesma in Summa de Sacramentis in genere, cap 6.*

5 Obiter tamen hic quæres, an ille, qui ministrat Sacerdoti, verbi gratia, indignè celebrāti, cum possit ille dignè celebrare, & ex sua malitia ita celebret, peccet. Respondetur, non peccare, quia actio ministri ex se mala non est, & circunstantia malitiæ ministri est valde extrinseca. Hoc tamen intellige, quando vitare cōmodè non potest ministerium illud, vt quia famulus expelletur à domo, vel quia causabitur scandalum, si minister se excuset à ministrādo, Ita *Suarez loco citato*.

6 Ad petendum autem ab aliquo licitè sacramentum, non est necesse, mihi constare, illum esse optime dispositum, quia ad me non attinet, id examinare, sed sufficit, me nescire, ministrum esse male dispositum. Imò quamuis ego sciam, ministrum paulo ante peccasse, si tamen non sit in diuturna occasione peccandi, quia facile potest ille de suo peccato conteri, sine scrupulo possum ab eo petere sacramentum. Ita *Suarez loco citato*. Quod probatur à simili de alijs casibus, in quibus cum proximo, vel loquendum est, vel cum eo aliquis contractus celebrandus, vel aliquod aliud negotium præstandum. Vt enim tunc communicatio sit mihi licita, satis est, si ego nesciam, illum praue vsurum mea communicatione, licèt positiue non cognoscam, ea bene vsurum. Quorum tota ratio est, quia si maior inquisitio requireretur, redderetur impossibile, & intolerabile humanum commercium. Tùm etiam, quia in dubio an ille, cum quo negotium peragēdum sit, bene vsurus sit eo, vel male, in fauorem eius iudicare debeo, quia secundùm commune proloquium, In dubio nemo præsumitur malus, vt vero secundum, quæst. punctū enucleemus.

Sit tertia conclusio. Per se loquendo naturali, & diuino præcepto tenetur minister Ecclesiæ denegare Sacramenta indignè petentibus. Probatur conclusio, quia ministri Ecclesiæ debent esse prudentes dispensatores Sacramentorum, ergo non possunt ea præbere indignè petentibus. Ne Margaritæ mittantur in porcos, ne ve iuxta sententiam *Christi sanctum detur canibus*. Quare in Sacramento Baptismi minister debet indagare fidem, & dispositionem baptizandi, vt an perseuerare velit in aliquo peccato mortali, vel an timeatur reditus ad infidelitatem, siue quia metu coactus baptismum petit, siue quia parentes infideles, sub quorum cura manet, nolunt cōsentire baptismo. Tùm præterea diligentiam adhibere debet minister, ne ille, qui baptizari vult, antea sit baptizatus, vel ne veteri Chrismate catechumenum delineat. In Eucharistia, Extremavnctione, & Confirmatione si in recipiente precessit aliquod peccatum scandalosum, debet diligēter minister inquirere, vtrùm scandalum sit ablatum, vel origo eius cessauerit, in alijs verò, quorum peccata ignoramus, vt possint eis conferri prædicta Sacramenta, satis esse existimamus, si praua aliqua dispositio in eis non cognoscatur, eo enim ipso præsumi debet, bonam adesse dispositionem, in pœnitentia, quæ exercetur per modum iudicij, minister debet cognoscere expresse, & positiue dispositionem pœnitentis bonam, quam ex verbis, & nutibus, & ex alijs signis conijciet, nisi res, propter specialem circunstantiam pœnitentis maiorem requirat indaginem, quemadmodum iudex in foro externo, vt iustam pronunciet sententiam, positiue, & expresse debet merita causæ cognoscere. In Sacramento Ordinis antequam illud alicui conferatur, minister debet cognoscere qualitatem, & statum personæ ordinandæ, & an in eo concurrant omnia requisita secundùm leges ad rectam ordinationem. Similiter in matrimonio sufficit ad illud licite contrahendum minime cognoscere prauam aliquam dispositionem in altero consorte, & cognoscere nullum inter illos impedimentum intercedere.

Proptec euitandùm scandalum, vel propter alias graues causas potest quis licite præbere sacramentū ei, qui potest licite illud recipere, propter suā tamen malitiā praue recipiet; imò etiam propter graues causas sibi occurrentes, vt quia in die festo auditurus est sacrū, vel quia tempore Paschatis communicaturus est, potest quis alterum inducere ad celebrādū, & ad recipiendum Sacramentum, quando ille alter 8

potest

potest illud licite recipere, quia potest pœni- A nitere, & tamē ex sua malitia male recipiet. In his enim casibus non est inductio formalis, sed tantùm materialis, & malitia alterius non imputatur mihi, quia peto, quod iuste fieri potest, & quod alter tenetur exhibere ex charitate saltem, & permitto malitiam illius, propter meum graue commodum.

QVÆSTIO XXV.

Quot sint Ecclesiæ Sacramenta.

1 DOCTISSIMVS Cardinalis *Bellarm. lib. 2. de Sacramentis, cap. 3.* Varios errores enumerat hæreticorum, qui cō- B tenduntnumerum Sacramentorum labefactare, quos non oportet hic recensere, quia in tractatibus singulorum Sacramentorum de illis specialis, & proprius redibit sermo.

2 Sit conclusio certa secundum fidem Catholicam. Septem sunt Ecclesiæ Euangelicæ Sacramenta, & non plura, neque pauciora, scilicet Baptismus, Cōfirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Ordo, & Matrimonium. Probatur primò, ex traditione perpetua Ecclesiæ, quæ semper hunc numerum inuiolabiliter obseruauit. Secundò probatur, ex Decreto *Eugen. IIII. quod est post vltim. Sessio. Concil. Florent. & ex Concil. Trident. Sess. 7. can. 1. de Sacramentis.* Patres verò Ecclesiæ, neque plura, neque pauciora confessi sunt Sacramenta, quorum testimonia suis locis adducemus. C Probatur præterea numerus iste Sacramentorum ex congruenti, & elegāti ratione *D. Tho. 3. p. q. 65. art. 1.* Deducta ex similitudine rerum naturalium. Sicut enim, inquit, in naturalibus est generatio, qua homo primò accipit esse, ita in spiritualibus est baptismus, per quē homo generatur per gratiā spiritualiter, & sicut in naturalibus est augmentatio, quā vires corporis augentur, sic in spiritualibus reperitur confirmatio, quā vires spirituales ad profitendam fidem augentur, & sicut in naturalibus est nutritio, qua substantia conseruatur, & crescit ita in spiritualibus est Eucharistia, qua gratia cōseruatur, & crescit, & quemadmodum in rerum naturaliū ordine reperitur medicina, qua D amissa corporis sanitas recuperetur, & reperiuntur etiam alia remedia, quibus vires hominis iam valentis deperditæ adquirantur, ad eū modum in spiritualibus necessaria est pœnitētia, qua ægritudinibus peccatorum medeamur, & necessaria est Extrema vnctio, qua omninò recuperentur vires gratiæ, & auferantur reliquiæ peccatorum; & sicut quælibet bene instituta Respublica duo ad sui conseruationē requirit, scilicet gubernatores cōmunitatis, & propagationem ciuium, sic etiam Respublica nostra Ecclesiastica indiguit Sacramento Ordinis, quibus Ecclesiæ iudices constituūtur, & Sacramento Matrimonij, quibus fideles multiplicentur.

3 Contra prædicta duo insurgunt argumēta. Primum desumitur *ex August. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 26.* Vbi panē benedictū, qui dabatur catechumenis, vocat Sacramentū, & *li. 4. de Symbolo fidei ad catechum. cap. 1.* Vbi exorcismos, insufflationes, cilicia, & alia huiusmodi vocat Sacramenta, & ordinata ad sanctificandos catechumenos. Sed respondetur D. August. vocasse prædicta omnia lato modo Sacramenta, quatenus sunt signa alicuius rei sacræ, non gratiæ sanctificantis, prædicta autem, cum ab Ecclesia sint instituta, etiamsi gratiam sanctificantem significarēt, nō possent esse Sacramenta, quia, cum Ecclesia non causet gratiam in anima, non potest instituere aliquod signum gratiæ iustificantis infallibiliter communicandæ, quod requiritur ad rationem Sacramēti, cum verò D. August. exorcismos, & alia huiusmodi pronunciauit esse ordinata ad sanctificandos homines, non intellexit per sanctificationem renouationem animæ interiorē per gratiam, sed externam benedictionē, quāuis finis Ecclesiæ sanctitatis nostra sit.

4 Secundum argumētum sit, quia lotio pedū, quam Dominus præmisit cœnæ vsuali in nocte cœnæ, vocatur Sacramentum à *D. Ambr. lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. & ab alijs.* Quæ lotio non videtur tantùm lato modo fuisse Sacramētum, sed propriè, quia fuit signum rei sacræ sanctificantis homines, habuit enim annexam gratiæ promissionem secundum illud *Ioan. 13. Si non lauero te, non habebis partem mecum*, nempe non recipies gratiam, ergo hæc lotio verè est Sacramentum. Huic argumento respondetur, ideò Sanctos Patres vocasse huiusmodi lotionē sacram à Christo, erga suos Apostolos Sacramētum, quia in illa significauit Christus Dominus Apostolis, quod licēt mundi essent à peccatis mortalibus; tamen indigere eos mundatione noua propter peccata venialia, quæ cōtraxerant antequam Eucharistiam reciperent sicut qui à balneo exijt, in quo totum lauit corpus, solùm indiget ablutione pedum, quia isti soli solent in exitu balnei facile coinquinari. Quod patet ex illis verbis: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. Ioan. 13.* Ob hoc tamen nō fuit ceremonia illa Sacramentum nouæ legis, tum quia non fuit aliqua ceremonia stabilis pro aliquo tempore, sed pro tunc data Apostolis, tum quia non cōtulit illis gratiā ex opere operato, quod proprium esse debet Sacramentorum nouæ legis. Illa verò verba: *Si non lauero te, non habebis partem mecum, Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 5. & Basil. oratione de peccato.* Sic intelligunt, vt Christus Petro cōminatus fuerit dānationē æternā, si non obediret præcepto ipsius,

& non permitteret lauari sibi pedes, sicut Christus ei præcipiebat, illa enim verba. Non habebis partem mecum, iuxta *Maldonatũ super illum locum Ioan.* Continent phrasim Hebraicam, scilicet, non eris amicus meus.

1 Alia plura argumenta hæreticorum ad probandum esse pauciora, quam septem Sacramẽta, adducit, *Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Sacramentis in genere, de effectu Sacramentorum, cap. 27.* Quæ, quia facilia sunt, vt pote ex authoritate negatiua deducta & optime soluuntur à dicto authore, & ad nos non pertinent, quia contra hæreticos non disputamus ex professo, ideo hic omittenda sunt.

QVÆSTIO XXVI.

Et vltima, vtrùm ceremoniæ, quibus communiter Ecclesia in administratione Sacramentorum vtitur, sint optima.

1 EAs in prœsenti vocamus ceremonias Sacramentorũ, seu alio nomine sacramẽtalia: Quæ sunt actiones quædam religiosæ adiunctæ sacramentis extra essentiam, vel integritatem eorum existentes: ita definiunt has ceremonias. *Vval. tom. de Sacramentalibus, & Bellarm. lib. 2. de Sacramentis in genere tom. 2. cap. 29. & Suar. 2. tom. in 3. part. disp. 15. & Nuñ. 1. tom. in 3. p. q. 64. art. 5.*

2 Sit prima conclusio. Vsus earum ceremoniarum, quibus Ecclesia vtitur in administratione Sacramentorum, est legitimus, & cultui diuino cõueniẽs. Conclusio est de fide, ita definita, *in Trid. sess. 7. Can. 13. de Sacramentis in genere, ibi. Siquis dixerit, receptos, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione consuetos adhiberi, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorẽ mutari posse, anathema sit.* Probatur, secundo: quia Ecclesia nequit in debita Sacramentorum administratione errare. Tertio, quia ceremoniæ in Missa, & in Baptismo verbi gratia adhibitæ, (& idẽ iudicãdum est de alijs ceremonijs aliorum Sacramentorum) ad multos fines vtilissimæ sunt. Tum vt Sacramenta cum maiori reuerentia tractentur. Tum vt pluris æstimentur, tum vt deuotio populi augeatur.

3 Secunda conclusio. Istæ ceremoniæ Sacramentis adiunctæ per Ecclesiæ potestatem institutæ sunt. Ita habetur, *In Trid. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere.* Et significata est 1. *Corin.* 4. Dum dicitur. *Sic nos existimet, homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* Probatur primo. Quia Christus solum ea instituit, quæ ad fidem, mores, & Sacramentorum, essentiam pertinent, ergo eas ceremonias, quæ sunt extra essentiam Sacramentorum, instituit Ecclesia. Tum etiam probatur hæc conclusio, quia Ecclesia pro diuersitate temporum has ceremonias mutat, ergo non sunt à Christo Domino institutæ, aliàs eas non immutaret, sicut ex eo materiam, & formam Sacramentorũ Ecclesia non immutat, imo neque, immutare potest, quia Christus ea instituit, & determinauit. Ex his autem ceremonijs quædam creduntur dimanasse ab Apostolis, aliæ à summis Potificibus & concilijs generalibus, vt quæ sunt vniuersales in tota Ecclesia: quæ vero sunt speciales alicuius Diœcesis, creduntur institutæ à suis Episcopis, qui eas possunt instituere, prout expediens iudicauerint, dummodo non sint contrariæ ceremonijs vniuersalis Ecclesiæ, his autem ceremonijs, vt bene notat *Reginal. 2. tom. fori pœnitentialis, lib. 26. capit. 4.* quinque conueniunt fructus, qui, si non omnibus illis, at aliquibus conueniunt. Primus est bonus aliquis motus diuinæ gratiæ. Secundus remissio culpæ venialis. Tertius, remissio alicuius pœnæ tẽporalis. Quartus dæmonis expulsio, vel inhibitio, ne lædat. Quintus, quoddam temporale commodum, vt sanitas corporis, &c. Et addit iste author, horum effectuum productionem non esse infallibilem, quia non apparet aliqua Dei promissio, in qua fundetur, sed in communi lege, & efficacia orationis per modum cuius fiunt ab Ecclesia. Quæ oratio nõ habet semper effectum, præsertim, cum pro alio funditur, vt colligitur ex. *D. August. tract. 102. in Ioan.* Eandem doctrinam *Reginaldi tradit Coninc. tom. de Sacramentis quæst. 71. artic. 3. dubio vnico.* Et addit, hanc vim remittendi pœnas temporales non habere omnia Sacramentalia generaliter, & ex vi sua: aliqua tamen eam habere ex concessione Pontificis, vt contingit in quibusdam benedictionibus.

Hic disputant aliqui an istæ ceremoniæ sicut & alia Sacramentalia, vt aqua benedicta, &c. Conferant gratiam, & operentur remissionem venialium peccatorum, & alios effectus, & quomodo hæc cõtingant. Sed de hoc pũcto commode disputabimus in tractatu de pœnitentia, tractatu 1. quæst. 22. Dum de remissione venialium sermo instituatur, nam eadem est ratio causandi hunc effectum, & reliquos. 4

TRA-

TRACTATVS
VNICVS DE BAPTISMO.

QVAESTIO PRIMA.
Quæ sit vera diffinitio Baptismi.



1 BAPTISMI nomen vt certum supponimus esse nomen Græcum, & nihilo minus est in vsu apud Ecclesiam Latinam, sicut etiam in vsu sunt alia nomina Græca, quia Ecclesia Euāgelica in principio magna ex parte constabat ex fidelibus Græcis, & ita ab eis accepit nomina Græca, & conueniens iudicauit, ea intacta relinquere ob reuerentiam antiquitatis, & honorem primorum fidelium, quos vt parentes colere æquissimum est.

2 Secundo supponimus, baptismum multis solitum esse nominibus nuncupari. Primo enim dicitur à *Damasc. lib. 4. de fide. cap. 10. regeneratio*. Nam licet quælibet hominis iustificatio possit aliquo modo dici regeneratio, quia per illā homo accipit nouum esse secundum *Illud Petri in sua epist. canonica 1. cap. 1. regenerauit nos in spem viuam*. Tamen specialiter sanctificatio per Baptismum dicitur regeneratio, quia per illam homo absolute, & simpliciter, & primario iustificatur, & ex membro Adæ fit membrum Christi. Secundo appellatur Baptismus à *Dam. loca citato. Signaculum*, Ab effectu characteris, quo anima insignitur tanquam res pertinens ad dominium Dei, & sicut ouis pertinens ad Christi ouile. Tertio dicitur Baptismus à *Damasc. loco citato.* Custodia, quia ratione eius anima custoditur à malis, & perseuerat in bonis. Quarto vocatur Baptismus illuminatio à *Dionys. cap. 2. de Cœlesti Hierarch.* Quæ appellatio cōmunis est inter patres Græcos, & sumpta videtur ex *Paulo ad Hebræos 6.* vbi Baptizatos illuminatos vocat, quia Baptismus operatur fidem in anima, media qua oculus nostri intellectus illuminatur ad supernaturalia obiecta percipienda. Præterea Baptismus vocatur à *Greg. Nazian. oratione in sanctum Baptisma, quæ est 40. non longe à principio*. Dignitas, & gratia: donum, quia datur ijs, qui prius nihil pro illo obtinendo dederunt, vel gratis; vocatur etiā gratia, quia datur ijs, qui prius debitores erant propter peccatum æternæ pœnæ. Dicitur etiā à *Nazian. loco citato, vnctio*. Quia per Baptismum in Reges, & Sacerdotes spirituales Deo consecramur, sicut Reges, & Sacerdotes olim vngi consueuerunt. Appellatur etiam à *D. Dionys. cap. 2. de Ecclesiastica Hierarc. principium, & ianua Sacramentorum*. Quia sine Baptismo nullus potest recipere aliquod Sacramentum, & per Baptismum fit homo capax reliquorum Sacramentorum. Alijs præterea nominibus vocatur Baptismus à Sanctis Patribus, quæ poterunt videri apud *Vazquez 2. tomo. in 3. part. disp. 140. cap. 1.*

Variæ solent adduci definitiones Baptismi. Primā adducit, *Philippus Melancthon in locis, tit. de Sacrificio*, Quæ conuenit omnibus Sacramentis. Secundam adducit *Calvin. lib. 4. instit. cap. 15. §. 1.* Quæ conuenit circuncisioni: ob quas causas istæ definitiones admittendæ non sunt. 3

Deinde, *Hugo de sancto Vict. lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. in principio.* Sic definit Baptismum. *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* Veruntamen, quia hæc definitio vt iacet impropriā cōtinet locutionem, merito displicuit, *D. Thom. 3. part. q. 66. art. 1.* Propterea, quia Sacramenta nouæ legis operantur sanctificationem in anima: vnde ibi perficitur Sacramentū, vbi perficitur sanctificatio: sed sanctificatio non perficitur in aqua, nisi illa applicetur ad abluendum, ergo Sacramentum Baptismi non est aqua, sed 4

ablutio facta media aqua. Hugo tamen, vt optime expendunt *Vazquez loco citato, & Suar. 3.tom.in 3. part. super argumentum citatum, D. Thom.* Non intellexit, aquam solam esse baptismum, sed applicatam ad abluendum.

5 His suppositis duæ sunt optimæ diffinitiones baptismi. Prima est, baptismus est Sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ, quam tradit *Catechismus Pij V.* & quæ datur per verum genus, & veram differentiam baptismi.

6 Secunda definitio est, quam inuenit *Magist. sentent. in 4. dist.* 3 & quam recipit *D. Thom. loco citato in corpore*, scilicet, baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum. Quæ definitio optima est, quia explicat omnes partes, ex quibus Sacramentum coalescit, sicut optima est definitio hominis illa, quæ traditur *in Symbolo Athanas.* anima rationalis, & caro vnus est homo. Sacramentum autem, vt vidimus in materia de Sacramentis in genere, componitur ex rebus vt materia, & ex verbis vt forma, & hæc definitio explicat materiam baptismi, quæ est ablutio, & formam, quæ sunt verba.

7 Contra hæc tamen sunt aliqua argumenta. Primum est, quia baptismus, & ablutio idem omnino significant, sicut ensis, & gladius, ergo nequit baptismus per ablutionem definiri, alias definiretur idem per se ipsum. Sed respondetur, baptismum ex sua primaria impositione significasse immersionem, seu ablutionem, at verò iam esse translatum hoc nomen ad significandum totum ipsum Sacramentum, quod fit ipsa ablutione, ablutio verò tantùm significat lotionem quamcunque, & non totum Sacramentum baptismi. Vnde bene posse baptismum per ablutionem definiri, quia modo idem non significant.

8 Secundum argumentum fit, quod sibi obijcit *Sotus in 4. dist. 3. q. vnica, art.* 1. Quia Sacramentum altaris transacta consecratione, & finita omni actione, quando seruatur in sacrario, est verum Sacramentum, & ita eius essentia nō consistit in aliqua actione, ergo Sacramentum baptismi non consistit in ablutione, quæ actio quædam est. Ad hoc tamen argumentum optimè respondit *Sotus loco citato.* In hoc differre Sacramentum Eucharistiæ ab alijs sacramentis, quod Sacramentum Eucharistiæ habet suū esse in facto esse, & transacta actione, media qua fit. Vnde non consistit in aliqua actione, sed in speciebus panis, & vini continentibus corpus, & sanguinem Christi, alia verò Sacramenta, vt baptismus tantùm habent esse dum fiunt, & ita suum esse in actione consistit.

9 Tertium argumentum est, quia baptismus constat ex ablutione, & verbis, ergo non potest dici, quod sit ablutio, sicut homo, qui constat ex corpore & anima, nequit dici, quod sit corpus. Ad hoc respondetur cum *Suar. & Vazquez locis citatis*, Baptismum propriè loquēdo non dici, quod sit ablutio, sed ablutio cum verbis, ita vt supponat pro vtroque simul, & directè. Per figuram autem Synecdochen concedi potest, quod baptismus fit ablutio.

10 Quartū argumentū *Soti loco citato*, est, quia si quis seipsum baptizaret, aut alium contra eius voluntatem, vel iam baptizatum, etiamsi id fieret sub præscripta forma verborum, non esset baptismus validus, ergo falsa est definitio *Magist.* sed respondetur cum *Soto ibidem*. Ablutionem debêre esse legitimam, & quia prædictæ ablutiones non sunt legitimæ, ideò nō sufficere ad rationem baptismi eas, ex dicendis autem hæc solutio magis constabit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Christus ante mortem suam baptismum suum instituerit, & quando?

1 BAPTISMVM, quo modo gaudet Ecclesia à Christo Domino institutū fuisse, ita indubitata res est, vt nullus etiā hæreticus, qui fidem habet Euangelio, audeat negare. Expressum quippe hoc est, *Ioan.* 3. *In illis verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Circa id verò, quod in quæst. quæritur, diuersæ extant sententiæ; quidam enim asserunt baptismum Christi non esse ante resurrectionem institutum. Hoc censet probabile *Canus, lib. 8. de locis cap. 5. §. quare si longiorem.* Atque ita docuit *Rupert lib. 4. in Ioan. ad illa verba cap. 3. post hæc venit Iesus in Iudæam, & Chrysost. Homil. 28 in Ioan.* Explicans illud. *Nondum missus fuerat in carcerem Ioannes, Theophil. in illa verba Ioan. 3. post hæc venit Iesus, &c.* Probatur primò hæc sententia, quia Christus, tunc cœpit prædicare, quando Ioannes missus est in carcerem, vt patet ex illis verbis *Matth. 4. Exinde cœpit Iesus prædicare, &c.* Sed Discipuli Christi non leguntur postquam Christus cœpit prædicare baptizasse, sicut ante baptizabant baptismo Ioannis. Ergo Christus non instituit baptismum ante suam mortem, alias ante cum discipuli eo baptismo baptizarent, sicut antea baptizabant baptismo Ioannis. Quod tamen nullo modo asserendum est, cum neque baptizarêt tempore Christi prædicationis, neque ante tale tempus. Secundò probatur, quia cum Christus ante mortē suam discipulos suos cōuocauit, & dedit illis potestatem super dæmonia, & ad prædicandum Euangelium Dei, *Luc.* 9. nullam fecit mentionem de potestate baptizandi. Quam tamen expressè fecit post resurrectionem, cum *Matthæi vltim.* dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Credendū, ergo minimè est, baptismum ante resurrectionem

nem Christi fuisse institutum, aliàs sine dubio A concessa esset Apostolis potestas illum ministrandi. Tertio probatur ex illo, *Ioan. 7. nondū spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*; Sed Baptismus Christi confert Spiritū Sanctum, id est gratiam, quæ per appropriationem tribuitur Spiritui Sancto, ergo iste non dū erat institutus ante resurrectionē Domini, quia in ipsa resurrectione Christus fuit glorificatus. Quarto hæc sententia maxime videtur confirmari ex *Leone I. in 4. epist. Decretali. Ad vniuersos Episcopos Siciliæ scripta cap.* 3. Vbi loquens de Baptismo sic ait: *De quo vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cæpisse.*

3 His tamen minime nobis obstantibus statuamus primam conclusionem. Sacramētum Baptismi fuit institutum ante mortem Christi. Ita sentiunt, *Magist. in 4. dist. 3. D. Thom. ibidem q. 1. arti. 5. quæstiuncula 2. & 3. part. quæst. 66. art. 2. Caiet. ibidem Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica ar. 2. Vazquez tom. 2. in 3. part. disput. 140. cap. 3.* Ex patribus hanc veritatem pro viribus tuentur, *Hugo de sancto Vict. l. 2. de Sacramentis part. 6. c. 4. & August. multis in locis, & specialiter tract. 5. in Ioan.* Vbi inquit. *Iudam Baptismo Christi Baptizasse*; Iudas autem ante mortem Christi Baptizare debuit, cum ante eam laqueo se suspenderit. Fulcitur conclusio ex Sacra Scriptura. *Matth. & Luc.* 3. Nam, cū Iudæi interrogarēt Ioannem, quare ipse Baptizaret, cum non esset Christus, neque Elias, neque Propheta, C existimantes ijs solum Baptizandi munus conuenire posse? Respondit *Ioannes. Ego quidem Baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, Id est, vt exhorter ad pœnitentiam, *Ipse nempe Christus vos Baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. Vbi, cū credendum sit, recte respondisse Ioannem, ac directe Iudæis, sine dubio explicuit, toto Cœlo distare Baptismum suum à Baptismo Christi, quia eius Baptismus consisteret in sola ablutione exteriori corporis virtute sanctificandi animam prorsus destitutus: Christi verò Baptisma interius animam emundaret infundens ei iustificationis gratiam. Qua ratione hæc verba intelligunt, *Ansel. Euthym.* Et recentiores, per Spiritum autem Sanctum, & ignem idem Spiritus Sanctus iuxta diuersos effectus signi- D ficatur. Sicut notauit *Leo Papa, epist. 4. cap. 6. ibi. Ille autē, nempe Christus, Baptizaturus esset in Spiritu Sancto, & igni, qui duplici potestate & vitam redderet scilicet gratiæ, & peccata consumeret, scilicet, sicut ignis rubiginem consumit*, Sed Christus Baptizauit ante mortem suam, vt patet ex *Ioan.* 3. vbi discipuli Ioannis ad Ioannem dixerunt, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti; ecce hic Baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Quod totum contigit ante mortem Christi; quia Ioannes ante mortem

A Christi occisus est ab Herode. Et hic Baptismus non fuit Baptismus Ioannis, aliàs discipuli Ioannis non contristarentur videntes Christū Baptizare, aut detraherent, sed potius gauderent ergo. Deinde hæc cōclusio probatur ratione, quia Christus in nocte Cœnæ ante quā pateretur, instituit Apostolos Sacerdotes in illis verbis. *Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem, vt Declarauit Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* Imo etiam tunc dedit illis sacramentum Eucharistiæ, ergo credendum est, eos prius fuisse Baptizatos Baptismo Christi, quia iste Baptismus est ianua reliquorum Sacramentorum. Discursus iste est *August. epist.* 163. Neque vero dici potest, tunc Christum dispensasse cum discipulis suis, vt prius alia B Sacramenta, quam Baptismum reciperent: tū, quia ad hoc asserendum nullum prorsus habemus fundamentum; tum etiam, quia hanc dispensationem nulla necessitas efflagitabat.

Ex his respondemus ad argumenta opposita, & in primis dicimus, Sanctos Patres in sententia contraria allegatos, eam aperte secutos fuisse. 4 Ad primum argumētum respondemus, quod, licet discipuli non legantur Baptizasse postquam Ioannes Baptista missus est in carcerem, non tamen inde debet inferri, ipsos antea, vel postea, ante passionem tamen Domini, non Baptizasse Baptismo Christi. Ad secundum dicimus, ex hoc, quod non legatur, discipulos Christi accepisse potestatem ad Baptizandū, quando missi sunt ad prædicandum, nō sequi, C tunc non fuisse institutum Baptismum Christi, quia enim ad hunc Baptismum antea potestatem acceperunt, non fuit necesse, eam iterū renouare. Ad tertium, *Ex Ioan. 7.* Respondetur, illa verba. Nōdum spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, esse intelligenda de missione Spiritus Sancti modo visibili, quæ ante resurrectionem non contigit; alias si de qualibet iustificatione intelligeretur, sequeretur, Eucharistiam, quam in nocte Cœnæ receperunt Apostoli, non dedisse gratiam eis, quod est absurdum. Ad *Leonem Ponti.* respondetur cum *Vazquez loco citato*. Eum minime locutum esse definiendo authoritate Pontificia, sed authoritate priuati Doctoris suam opinionem proferendo.

D 5 Aliqui patres Ecclesiæ indicarunt, Christū per se ipsum nūquam Baptizasse, *Vt Theophil. & Euthym. in illud Ioan. III. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius*. Quod probant ex illis verbis, *Ioan. IIII. Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & Baptizat, quamquam Iesus non Baptizaret, sed discipuli eius*

6 Veruntamen sit secunda conclusio. Christus aliquando per seipsum Baptizauit. Ita sentiunt, *Maldon. super Ioan. 3. cap. & Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. 140. cap. 5.* Probatur conclusio

fio primo, quia conuenientius multò fuit, hoc Sacramentum à baptizatis ministrari, quam à non baptizatis: sed discipuli Christi baptizauerunt baptismo Christi, vt authores oppositæ sententiæ fatentur, ergo ipsi prius fuerunt à Christo baptizati: nam nō erat aliquis alius a quo potuissent baptizari. Neque obstat, si quis respondeat, Christum ministrasse baptismum à se institutum, cum tamen nō fuerit baptizatus eodem baptismo, quia cum Christus, fuerit author sui baptismi, non ita conueniens videbatur, illū suscipere, ne ipse videretur sumere sibi honorem, alijsque calumniandi occasionem præberet, tum etiam quia erat inconueniens Christum, qui erat nostra iustitia, & sanctificatio, & redemptio suscipere baptismum, qui de se & primario erat ad delendum peccatum institutus. Quod vtrumque inconueniens, quia locum non habebat in eius discipulis, ideo conueniens fuit eos prius baptizari baptismo Christi à Christo, quā ipsum alijs subministrarent. Et confirmatur, quia vt ostenderet Christus suum baptisma excellere baptismati Ioannis, conueniens valde fuit, vt illud proprijs manibus aliquando præberet. Vnde credibile est Christum baptizasse Beatam Virginem, & Beatum Petrum Principem Apostolorum. Confirmatur tertio. Quia Christus baptizatus est baptismo Ioannis, & non baptismo proprio. Conueniens ergo fuit, vt proprium baptismū ministraret, & suo tactu sanctificaret, sicut & sanctificauerat baptismū Ioannis, ne cuiquam videri posset, sanctiorem esse baptismum Ioannis baptismo Christi.

7 Ad argumentum oppositum desumptum, *Ex Ioan. 4. respondet Mald.* Ibidem Ioannem solum voluisse nobis innuere, Christum non fuisse solitum sæpius baptizare, sed raro, vt ad impleretur etiam in Christo illud *Pauli, nō me me misit Dominus baptizare, sed Euangelizare.* Imò ex ijs verbis Pauli satis probabilis fit solutio istius Doctoris, nam quamuis in dictis verbis videatur indicare Paulus, se non baptizasse, nihilominus tamen ea verba ita intelligenda sunt, vt non esset solitus multoties baptizare, nam aliquando baptizasse Catholicis indubitatum esse debet, attestante id eodem, *Paulo 1. ad Corinth. 1. ibi. gratias ago Deo, quod neminē vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium.*

8 Titulus nostræ, quæst. aliud proposuit nobis dubium examinandum, erga tempus determinatum, in quo Christus instituit baptismū. In quo quidam sentiunt, institutum fuisse baptismum Christi postquam ipse baptizatus est à Ioanne Baptista, in hanc sententiam conuenerunt *Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. non longe à principio, & Gabriel, eadem dist. quæst. vnica art. 3. dubio vlt.* Alij vero, vt *Bellarm. tomo 2. lib. 1. de baptismo cap. 5. & Suar. 3. tom. in 3. part. disp. 19. sect. 2.* Mediam quandam viam secuti existimarunt, Christum minime instituisse baptismum eo tempore, quo ipse baptizatus est à Ioanne; sed tunc tantum designasse materiam baptismi futuri.

9 Tertia cōclusio. Eodem tempore, quo Christus Dominus à Ioanne Baptista in Iordane baptizatus est, instituit suum baptismum. Hāc conclusionem libenter amplector, quia eam docuit, *D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 2.* Quem etiam secuti sunt *Caiet. ibidem*, & alij Theologi recentiores, *Vazquez loco citato, cap. 6.* Contendit hanc veritatem deducere ex aliquibus testimonijs Sanctorum Patrum, in quibus pronunciatur, aquas accepisse vim sanctificandi homines eo tempore, quo Christus baptizatus est à Ioanne. Sed ex illis efficaciter intentum non probat, quia quamuis tunc non esset institutus baptismus, ex eo tamen, quod aquis promisisset Christus virtutem sanctificandi, vel ex eo, quod illas, vt materiam baptismi designasset, bene possent patres pronunciare, aquas habere vim, & ius ad sanctificandum, quemadmodum ille, cui promissum est aliquod beneficium, recte dicitur habere ius saltem remotum ad fructus eiusdem beneficij, quia habet ius ratione promissionis ad beneficium, imo & recte dicitur habere virtutem percipiendi fructus, quia saltem habet virtutem inchoatam. Efficacius ergo probatur conclusio ex patribus asserentibus, aquas fuisse sanctificatas eo tempore, quo ipse Christus fuit baptizatus: neque enim recte dici posset aquas fuisse tunc sanctificatas, si tantum tunc promisisset Christus baptismum instituendum medijs aquis, nisi ipse tunc baptismum instituisset, quo aquæ ipsæ sanctificatæ sunt. Instituto autem baptismo merito affirmare possumus, tunc temporis sanctificatas fuisse aquas per mirabile quandā virtutem; quā moraliter, & per extrinsecam denomiuationem media designatione Christi receperunt in se ad homines sanctificandos. Solam autem promissionem baptismi factam eo tempore, quo Christus baptizatus est, sufficiens fundamentum minime fuisse, vt aquæ tunc sanctificatæ denominarentur, ex eo facile apparebit, quia aliàs eadem prorsus ratione affirmare possemus Apostolos sanctificatos fuisse à Christo, vt absoluerent à peccatis, cum *Matth. 16.* Promissa illis fuit potestas clauium in illis verbis; *Quæcumque ligaueritis super terram, &c.* Quod tamen veritate prorsus vacat, cum constet, ad eū finem tantum sanctificatos fuisse Apostolos *Ioan. 20.* Cum Christus mirabilem illam sententiam protulit. *Accipite Spiritum Sanctū. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis, retenta sunt.* Ex patribus autem dixerunt, aquas eo tempore fuisse sanctificatas, *Tertul. lib. aduersus Iudæos, cap. 8. num. 79. his verbis, Baptizato enim Christo, id est sanctificāte aquas in baptismate omnis plenitudo spiritualium retro charismatum*

charismatum in Christo referunt Ambrosf.lib.2.in Lucam,cap. vltim. quod est de Iesu baptizato, parum à principio, sic ait: *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt abluta per carnem Christi, &c. & Beda in illud Matth.3. Tunc venit Iesus, &c.* ait: *Christum à Ioanne baptizatum fuisse, vt eius baptismum comprobaret, sine vt fluenta aquarum sanctificaret tribuens illis virtutem regenerandi homines, & Nazianzen.Orat.in Christi Natiuitatem, quæ est 38. aliquantulum ante finem.* Eodem modo loquitur, & confirmatur hæc conclusio, quia tunc credendum est hoc Sacramentum baptismi institutum esse, quando id conueniens fuit ad eius dignitatem, & excellentiam ostendendam supra baptismum Ioannis. Sed ad hanc dignitatem conueniens fuit institui Christi baptismum eo tempore, quo Christus Dominus baptizatus est à Ioanne, quia alias facile poterat intelligi, baptismum Ioannis, quem Christus suscipiebat, esse præstantiorem, quolibet alio baptismo, ergo tunc fuit institutus. Et confirmatur vltimo conclusio, quia tunc institutum est Sacramentum, quando designata fuit materia eius, & forma eius, at prædicto tempore designata fuit materia baptismi, quia tunc iuxta sanctos Patres sanctificatæ sunt aquæ, & designata est forma, quæ est inuocatio Trinitatis, quia ibi designatus est Pater æternus per illam vocem è cœlo delapsam, & Spiritus sanctus per columbam tunc visam, & Filius per suam humanitatem, ergo tunc dicendum est Christum baptismum instituisse.

10 Ex his sequitur, Christum baptizatum esse à Ioanne baptismo Ioannis, qui erat in sola aqua, & sine Spiritu sancto, & non baptismo à Christo instituto, conueniens autem fuit, vt baptismo Ioannis, quo cæteri Iudæi baptizabantur, tanquam à Deo ordinato baptizaretur Christus, ne illis aliquod scandalum etiam acceptum generaret, sed vt potius se eis præberet baptismi socium, & ex hac parte amabilem ad hoc, vt eius doctrinam libentius susciperent. De baptismo autem Ioannis sine dubio affirmare possumus, fuisse à Deo institutum, cum verum fuerit Sacramentum, & significatiuum gratiæ per baptismum Christi conferendæ, & cum præterea Sacramentum à solo Deo possit institui, vt vidimus in tractatu 1. de Sacramentis in genere, quæst.2. Propter hoc tamen non cogimur affirmare, prædictum baptismū Ioannis fuisse sub aliquo præcepto, quia non constat aliqua ratione huiusmodi præceptum. Non decuit verò, Christum vt supra tetigimus baptizari baptismo proprio, quia cum ille institutus esset pro reconciliandis peccatoribus, minime conueniebat Christo, qui ab instanti suæ conceptionis fuit infinite Sanctus sanctitate vnionis prouenienti à Deitate tanquam à forma sanctificante.

A B C D

Id autem, quod vt certum supposuimus, scilicet Christum Dominum fuisse baptizatum baptismo Ioannis, aperte docuerunt *D. Hieronym.in illud Matt.3. sine modo, &c. & Aug. tract. 4.in Ioan. cuius hæc sunt verba: Baptizatus est Dominus baptismo Ioannis.* 11

Sed contra præfata obstant quædam, quæ sibi obijcit *Dominicus Sotus Salmanticensis singulare lumen in 4.sentent. dist. 3. quæst. vnica art.* 2. Quorū primum sic se habet, Baptismus omnem gratiam, quam communicauit recipientibus, mendicauit semper ex virtute passionis Christi, attestante *Paulo ad Roman.6.* in illis verbis: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Sed omnis causa debet esse prior suo effectu, prius ergo præcedere debuerunt passio, morsque Christi, quam baptismus institueretur. Huic tamen argumēto facilis se offert solutio, licèt enim causa efficiens physica prius debeat in rerum natura existere, quam eius effectus, quia totum esse effectus profluit, & dimanat à causa, causa tamen efficiens moralis, & per modum meriti nullatenus debet esse prius, quā effectus, quia ista tantum operatur per hoc, quod sit in intellectu, & acceptatione alicuius, & quod intuitu talis causæ ille conferat aliquem effectum, quemadmodum, si Rex præuidisset per reuelationem diuinam militem aliquem ad bellum properantem strenue decertaturum, victoriāque ab hostibus reportaturum, rectè posset intuitu futurorum meritorum militem afficere magnis honoribus, ante quam victoria executioni fuisset mandata. Ad eum ergo modum passio Christi futura fuit causa efficiens meritoria virtutis iustificatiuæ, quæ collata est baptismo à Christo ante mortem suam. Sicut de facto fuit talis causa respectu donorum gratiæ, quæ collata sunt antiquis Patribus tempore legis naturæ, & scriptæ. Quæ causalitatis ratio in eo præcise constitit, quod Deus, qui largitor est totius gratiæ, ex intuitu meritorum mortis Christi gratiam baptismi, & multas alias gratias concessit hominibus ante mortem Christi. 12

Secundò obijcit sibi Sotus, quia Sacramenta nouæ legis non habent efficaciam, nisi ex mandato Christi, sed mandatum Christi de baptismo ministrando solùm fuit præstitum post mortem eius, vt patet ex illis verbis *Matth. vltim.* dictis à Christo post suam resurrectionem: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ergo baptismus non fuit institutus ante mortem Christi. Huic tamen argumento facile respondetur, negando Sacramenta habere suam efficaciam ex mandato Christi, sed potius ex institutione, institutio autem baptismi contigit ante passionem Christi, vt liquido constat ex resolutione huius quæst. & præcedentis. 13

Tertium argumētum vrget nos in hunc modum 14

dum. Minister proprius baptismi est Sacerdos, vt apparebit in hoc tractatu de baptismo, sed Apostoli non sunt instituti Sacerdotes vsque ad noctem cœnæ, ergo ante illam non erat con ueniens, eos baptizare: in illo autem tempore medio inter cœnam, & mortem Christi non est credibile, eos vllum baptizasse, ergo baptismus non fuit institutus ante mortem Christi, quia nullus tunc erat minister, qui baptizare posset, nisi solus Christus, qui cum in ministerio prædicationis, quod maioris momenti est, occupatus esset, baptizare minime poterat. Sed respondetur primo potuisse tunc Christũ baptizare aliquos. Secundo potuisse Apostolos antequam ordinarentur in Sacerdotes, baptizare, imo & baptizasse de facto, quia tunc cũ nullus erat Sacerdos, quilibet fidelis erat debitus minister.

QVÆSTIO III.

Quæ sit materia Sacramenti Baptismi.

1 PRAENOTARE libet in hac quæst. duplicem esse Sacramentorum materiam alteram proximam, alteram remotam. Remota est res illa, cum qua exercetur in Sacramentis operatio Sacramentalis, vt in Sacramento confirmationis materia remota est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo cum quo fit vnctio in fronte baptizati. Materia vero proxima est vsus, seu applicatio materiæ remotæ ei subiecto, quod recepturum est Sacramentum, qua ratione in confirmatione prædicta vnctio habet locum matriæ proximæ, quia media vnctione chrisma applicatur fronti baptizati.

2 In materia baptismi cæcutientes hæretici varijs modis lapsi sunt, & varijs errorum tenebris Ecclesiæ lumen obscurare contenderunt. Aliqui enim, *Ex hæreticis Gnosticis teste Irenæo li. 1. aduersus hæreses, cap. 18. nu. 7.* Pro materia baptismi non admittebant solam aquam, sed aquam admixtam oleo, cum qua non abluebant, sed vngebant capita eorũ, qui cõsecrabantur, alij vero baptismi Sacramentum prorsus è medio tollentes (quorum meminit, *Aug. lib. de hæresibus cap. 46.*) Defendebant baptismum aquæ nihil salutis afferre posse, & ita neminẽ baptizabant; *Iacobitæ*, vt refert, *Sanderus, lib. 7. de visibili monarchia, hæres.* 113. Adustione quadam in fronte, vel genis facta more pecorum pro baptismo aquæ vtebantur, ducti illis verbis, *Matth. 3.* Vbi Ioannes Baptist. de Christo pronuntiauit. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, hæretici autem dicti, *flagellantes*, loco aquæ vsi sunt in baptismo sanguine proprio flagellis extracto. Ita refert *Alfons. de Castro lib. aduersus hæreses, verbo baptismus, hæresi, 12.* & tandem his nostris temporibus audacissimus *Lutherus in colloquijs Symposiacis. cap. 17.* in illam dementiam deuenit, vt existimaret, quidquid sufficiens est ad lauandum, optimam esse materiam baptismi: vnde vinum, oleum, lac, & quemlibet alium liquorem sufficientem esse materiam baptismi.

His erroribus prorsus explosis statuamus, primam conclusionem certam secundum fidẽ catholicam. Aqua vera naturalis, & elementalis est propria, & necessaria materia remota huius Sacramenti. Hanc veritatem aperte nobis definicrunt, *Eugen. IIII. in decreto fidei, quod est in Concilio Florent. post vltim. sess. 9. primum omnium. Et Trid. sess. 7. can. 2. de baptismo, & can. 5.* Vbi diuersi hæreticorum errores refelluntur, tam eorum, qui negarunt, aquam esse materiam necessariam baptismi, quàm eorum, qui negarunt necessitatem baptismi aquæ. Verba canonis 2. citati contra primum errorem hæc sunt. *Siquis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ad ea verba illa Domini nostri Iesu Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Verba Canonis 5. Allegati secundum errorem sic conuincunt. *Siquis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* Secũdo cõfirmatur nostra cõclusio ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ à tempore Christi nihil aliud adhibuit pro materia baptismi, nisi solam aquam elementalem. Confirmatur tertio, *Ex Ioannis 3. cap.* vbi Christus his verbis nos do- C cuit materiam baptismi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & de Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vbi nomine aquæ aquam elementalem, ac naturalem intelligendam esse, camque vt verã materiã baptismi à Christo in his verbis fuisse significatam, clare definiuit *Concil. Trident. præfato can. 2.* Quarto confirmatur veritas hæc, *ex actibus Apostolorum, cap. 8.* Vbi Eunuchus quidã edoctus à Philippo discipulo Christi vim Sacramenti baptismi, & sufficiẽter instructus in fide, cum ad fontem aquæ accessisset cum Philippo, vehementi desiderio flagrans baptismi, dixit Philippo. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Quo audito Philip- D pus eum libenter ad fontem baptizauit, vterque ergo sensit, aquam naturalem illius fontis materiam esse propriam baptismi. Vltimo probatur conclusio sufficienter rationibus, quarũ prima sit voluntas Dei, quæ ita voluit instituere baptismum, vt ei tanquam materiam aquam designaret; cum tamen vinum, & lac, & quemlibet alium liquorem pro libito posset in materiam huius Sacramenti assignare. Secunda ratio sit. quia Sacramentum baptismi est maximè necessarium omnibus hominibus, & omnibus nationibus, ergo conueniens fuit, eius materiam esse maxime omnibus peruiam, & communem, scilicet aquam. Tertia ratio congruentiæ hu-

huius sit cá, quã tetigit, *D. Thom. 3. part. quæst.* A
66. art. 3. Ideo nempe aquam conuenienter fuisse assumptam in materiam baptismi, quia suis proprietatibus conuenientes significat proprietates baptismi, nam aqua, quia sua humiditate lauat, bene repræsentat ablutionem peccatorum, quam operatur baptismus, quia sua frigiditate temperat calorem, apta est ad significandum hoc Sacramentum, quod temperat fomitem concupiscentiæ, quia sua mediante diaphanitate est susceptiua lucis, optime denotat baptismum, qui est Sacramentum fidei, media quia illuminat hominem ad cognoscenda mysteria supernaturalia, & tandem, quia in aqua homo submersus, quasi in sepulchro proijcitur, & inde emergens quasi resurgit, optime repræsentatur renouatio interioris B hominis facta per baptismum, per cuius virtutem vetus homo moritur, & nouus resurgit.

4 Ex his sequitur, aquam esse sufficientem materiam dummodo sit naturalis, etiam si sit calida, vel frigida, & etiam si per venas sulphuris, aut per cineres transeat in lixiuio; vt *D. Thom. 3 p q 66. artic. 4. ad quartum.* Dixit, *&* *loco citato, in solutionem ad secundum.* Idem ait, de aqua cum qua coquuntur carnes, vel aliæ res, quod vocatur ius; quando non est tanta resolutio rerum coctarum, vt plus sit de alijs rebus in iure, quam de aqua, quod ex densitate dignoscendum est iuxta D. Thom. concedit tamen D. Thom. expressam aquam subtilem, seu eductam ex iure illo denso, quam ipse putat semper manere in sua natura, etiam si misceatur cum corporibus mixtis, esse sufficientem materiam baptismi. Imo, vt bene, *Sylvester in summa verbo, baptismus secundo*, quælibet aqua elementalis est optima materia baptismi siue sit maris, siue stagni, fluminis, fontis, siue sit aqua pluuialis, siue resoluta ex glacie, rore, pruina, vel grandine; & aqua, quæ manet ex sale resoluto, vt patet ex *Enriq. in sum. tom. 1. lib. 2. de baptismo, cap. 6.* Est optima materia, quia sicut sal fit ex vera aqua, ita resoluitur in veram aquam. Deinde cum ea aqua, etiam quæ effluxit ex latere Christi mortui miraculose, potuit conferri baptismus, quia, vt patet *ex cap. in quadam de celebratione missarum.* Illa fuit vera aqua.

5 Humores tamen producti à natura in corpore nostro naturali non sunt apta materia baptismi, vt vrina, sudor, bilis, & cæteri humores, quia non sunt vera aqua, deinde liquores herbarum, vel aliarum rerum, quæ extrahuntur per stillicidia, vel alia via, non sunt materia baptismi, quia non sunt vera aqua. Doctrina hæc desumitur ex *D. Thom. loco citato in solutione ad quintum.* Quod si aqua, licet naturalis sit, ita tamen sit mixta cum alia substantia, verbi gratia, cum terra, vt maior sit pars alterius substantiæ, quã aquæ, non est apta materia ad baptismũ, nisi exprimatur, quia cũ ea nemo dicitur lauari.

Nisi adsit periculum mortis eius, qui baptizandus est, vel eius, qui baptizaturus est, vel nisi nimium differendus sit baptismus, nequit minister in qualibet aqua baptizare, sed tãtũ in illa, quæ est præcepto Ecclesiæ assignata ad baptismum, cuiusmodi est aqua benedicta Sacrorum fontium, vt notauit *Reginal. 2. tom. fori pœnitent. lib. 27. cap. 3.* 6

Secunda conclusio. Materia proxima ad baptismum est ablutio, remota vero aqua. Ita sentiunt *Magist. in 4. dist. 3. D. Thom. 3 idem quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad secundum Enriq. loco citato. Suar. 3. tom. in 3. part disp. 20. sect. 2. & Petrus de Ledesma in summa de Baptismo cap. 3.* Probatur conclusio dupliciter. Primo quia illud est materia proxima baptismi, quod significatur immediate per illa verba formæ baptismi. Ego te baptizo, &c. & illud est materia remota, quod significatur mediate, & remote; sed per hæc verba immediate significatur ablutio, & mediate aqua, ergo ablutio est materia proxima, & aqua est materia remota. Probatur hoc secundo quia Sacramentum baptismi consistit in vsu, & in fieri, sed aqua est quid permanens, & solus vsus eius, seu ablutio, quæ fit media aqua, est quid successiuũ, seu quid cõsistẽs in vsu, & in fieri, ergo ablutio debet esse materia proxima, & cum constet ex prima conclusione, aquam esse materiam, necessario debet esse materia remota. 7

Scholastica hic se offerebat, quæst. an ablutio quatenus actio est, & actus agentis, an vt C passio est, & actus passi sit materia baptismi, sed, quia ad mores illa non attinet, breuiter resoluetur, interim legantur de ea disputantes, *Sot. in 4. dist. 3. art. 1. Suar. loco citato. Vazquez 2. to. in 3. p. disp. 141. cap. 2.* Ad quæst. ergo respõdemus, ablutionem esse materiam proximam baptismi, non tantum quatenus actio est abluẽtis (qua ratione includit necessario & motum aquæ, sine quo nemo dicitur baptizare, & contactum aquæ, & corporis, sine quo non verificatur ablutionis ratio) sed etiã quatenus passio est, & vt denominat baptizatum. Probatur resolutio hæc, quia illa est proxima materia baptismi, quæ immediate significatur per verba, quæ constituunt formam baptismi. sed per D hæc verba significatur actio, & significatur etiam passio, ergo tam actio, quam passio, quæ reperiuntur in ablutione, sunt materia proxima baptismi; quod vero tam actio, quam passio significentur per formam baptismi, inde constat: quia in forma hac baptismi, qua vtuntur Latini. Ego te baptizo, &c. expresse significatur actio inclusa in ablutione, & in hac forma, qua vtuntur Græci, quam admittit Latina Ecclesia, baptizetur seruus Christi, &c. Expresse significatur passio inclusa in ablutione, ergo tam actio, quam passio ablutionis sunt materia proxima baptismi, quia 8

quid-

quidquid significatur per quamlibet formam istarum immediate, debet esse materia proxima totius Ecclesiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, cum vtraque forma, vt postea apparebit, in qualibet Ecclesia sufficiens sit ad verum Sacramentum baptismi constituendum.

QVÆSTIO IIII.

In qua parte corporis debeat fieri ablutio.

1 IN hac quæst. varias reperies Doctorum sententias. Prima asserit, in extrema necessitate, vt in articulo mortis eius, qui baptizandus est, minoris partis ablutionem sufficere, quam cum extra talem necessitatem, & via ordinaria confertur baptismus. Partem istam probant propugnatores eius exemplo Sacramenti pœnitentiæ. Ad eius enim valorem sufficit peccatori in articulo mortis constituto dum conscientiam habet plurium peccatorum lethalium, confiteri vnum tantum peccatum, cum reliqua omnia angustiis mortis præpeditus explicare minime valet, ergo in articulo mortis, dum puer in vtero matris periclitatur, sufficiet abluere quamlibet partem, quam tamen ablueie extra hanc necessitatem nemo autumnabit.

2 Secunda sententia est, *patris Suar. 3. tomo in 3. part. disp. 20 sect. 2.* Qui multa asserit. Primum non esse necessarium, vt omnes partes corporis abluantur, sine tanta enim ablutione absolute homo denominatur ablutus. Secundum non sufficere ablutionem cuiuslibet partis minimæ. Tertium sufficere ablutionem capitis, quia ea est præcipua pars hominis, & ea abluta totus homo dicitur simpliciter ablutus. Quod si in capite nequeat fieri ablutio, satis esse eam in scapulis, pectore, vel humeris fieri. Secundum assumptum Suar. scilicet non valere ablutionem cuiusuis minimæ partis, corroborari potest. Primo quia non quælibet ablutio sufficit ad valorem baptismi; nisi ea, qua homo dicitur simpliciter & pleno ore ablutus; Sed non dicitur homo simpliciter ablutus abluta qualibet minima parte, ergo eius ablutio ad baptismi valorem inepta est. Secundo quia accidentia, quæ apta sunt inesse toti, non denominantur totum simpliciter per hoc, quod tantum aliquam partem afficiant, vt quia albedo hominis in toto corpore esse potest, non satis est esse in dentibus, vt homo simpliciter dicatur albus. Vnde Æthiops non dicitur albus simpliciter, sed secundum dentes, sed ablutio apta est, vt conueniat toti corpori hominis, vel eius præcipuæ parti, ergo, si parti minimæ conueniat, non denominat totum hominem ablutum. Tertiò quia, cum quotidie manus, & faciem lauamus, siquando solam faciem lauemus, non dicimur simpliciter nos lauasse: sed ablutio pro baptismo fieri solet in capite, ergo, cum alia pars minima lauatur, non dicitur homo simpliciter ablutus, vnde ista ablutio ad baptismum non erit satis. Quarto quia, cum puer in vtero matris patitur periculum mortis, & ne in æternum damnetur, baptizatur in quauis parte corporis, quæ apparet, postea, si viuat, baptizatur iterum in capite, ergo est certum priorem baptismum non sufficere in minima parte.

Sit tamen prima conclusio. Ablutio cuiuscumque partis sufficit etiam minimæ ad hoc, vt Sacramentum baptismi valeat. Ita defendunt, *D. Thom. quæst. 68. artic. 11. ad 4. & in 4. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 1. ad 3. Scot. dist. 4. quæst. 3. §. ad quæst. Sylu. verbo baptismus 4. quæst. 1. Petr. de Ledesm. verbo baptismus cap. 3. in summa, Innoc. IIII. & Panorm. in cap. debitũ, de baptismo.* Probatur, quia illa ablutio sufficit ad rationem baptismi, per quam homo absolute, & simpliciter dicitur ablutus, seu tinctus, sed contingente aqua quamlibet minimam partem hominis, homo dicitur simpliciter tinctus, & lotus, ergo ablutio cuiuslibet minimæ partis sufficit ad valorem baptismi. Quæ doctrina adeo extendenda est, vt ad valorem baptismi sufficiat, aquam contingere tantum capillos, vt notarunt, *Sot. in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 7. §. 3. argumentum. Et Vazq. 2. tom. in 3. p. disp. 146.* Non quia capilli viuant, cum non augeantur per intus sumptionem, vt loquuntur philosophi disputantes de augmentatione viuentium, qua ratione augentur viuentia, sed augentur per iuxta positionem, sicut augentur omnia non viuentia, sed ex eo, capillorum ablutio satis apta ad baptismum indicatur, quia illi reputantur tanquam partes hominis: vnde illis ablutis, homo simpliciter dicitur ablutus. Ob quam etiã rationem, si aqua baptismi solum contingeret vngues, quæ non viuunt, verum conficeretur baptismi Sacramentum, & eodem modo iudico affirmandum cum *Sylu. loco citato.* Puerum nascentem inclusum in pelle, quam appellant medici secundinam, baptizari valide posse, etiam si aqua tantum eam pellem attingeret, quia pellis illa secundina reputatur veluti pars pueri, & veluti cutis eius, & ea lota puer dicitur etiam lotus, puer tamen inclusus in aliquo vase non potest baptizari aqua contingẽte tantum ipsum vas. Cuius aperta ratio ea est, quia vas illud non se habet tanquam pars baptizandi, vnde ex eius lotione non dicitur homo inclusus lauari. Propter quam prorsus rationem non sufficit ad valorem baptismi, vestes eius, qui baptizandus est, aspergi aqua.

Ad argumentum primæ sententiæ, respondetur, materiam baptismi, quæ in articulo mortis satis est ad valorem eius etiam extra eundem

dem articulum satis esse debere, confessionem vero vnius tantum peccati in articulo mortis sufficere ad recipiendum beneficium absolutionis, quando minime ægritudo concedit locum alijs peccatis confitendis, quæ tamen non sufficit extra articulum mortis, quando quis potest plura peccata confiteri, quia materia pœnitentiæ tantum est confessio modo possibili integra; & cõfessio, licet sit vniustantum peccati, in articulo tamen mortis, quando cæteris peccatis non datur locus, integra est modo possibili, quia tunc non est possibilis maior confessio: quæ quidem dum vnius tantum esset peccati, & alia peccata laterent culpabiliter, vt extra articulum mortis non esset intgra modo possibili, quia possibilis esset aliorum peccatorum explicatio: in Sacramento autem baptismi huiusmodi ratio non currit, sed eadem met ablutio, quæ in articulo mortis satis est ad valorem baptismi, sufficiens erit extra illum, quia vtrobique ea tantum requiritur ablutio, quæ sufficiat ad denominandum hominem lotum, ad hæc autem eadem sufficit ablutio tam in vno, quam in altero casu.

5 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum, secundæ sententiæ. Ad primum dicimus negandam esse illam doctrinam, nempe, quod abluta qualibet minima parte non dicatur homo ablutus simpliciter, vt vidimus in prima conclusione. Ad secundum dicimus, licet sit verum, accidentia, quæ toti homini, vel præcipuis eius partibus apta sunt, in esse non denominare hominem simpliciter, nisi omnibus partibus, vel præcipuis insint, ea tamen, quæ, extrinsecus adhibentur, & quæ omnibus partibus, vel alicui cuilibet parti solent conuenire, simpliciter hominem denominant, cum solum minimam partem afficiunt. Vnde, cum quis in minima parte ab aliquo tangitur, vel vulneratur, totus homo simpliciter dicitur tactus, vel vulneratus. Ad tertium dicimus, non dici hominem absolute lauasse se, loquendo delotione quotidiana, qua homines solent suas sordes abstergere, nisi manus, & faciẽ lauet, quia hæc communiter solent lauari, non tamen requiritur, vtramque partem lauari ad rationem baptismi, sed ablutio faciei solius sine dubio sufficit in omnium opinione. Ad quartum argumentum respondetur, illum puerum in aliqua minima parte ablutum ob periculum vitæ, esse denuo, si à periculo liberetur, in capite baptizandum sub conditione, vt baptismus sine vlla controuersia verus censeatur, quia de primo illo baptismo sunt contrariæ opiniones Doctorum, quod in alijs similibus casibus baptismi, & aliorum Sacramentorum seruandum est, quia lex charitatis obligat ad applicandum remedium certum, & indubitatum, cum commode fieri potest. Qui puer dum est in vtero

A matris, etiam si arte obstetricis cum aqua pertingar, nequit baptizari, quod expresse patet, *ex cap. qui in maternis, de consecrat. dist. 4.* Vbi dicitur, *Non posse renasci secundum Deum, qui non est natus secundum Adam.* Quidquid contradicat, *Reginal. 2. tom. praxis pœnit. lib. 27. cap. 3.* Quamuis tunc posset baptismo flaminis ille puer, sicut Ioanni Baptistæ contigit, baptizati. Baptismo tamen sanguinis non credo, eum posse baptizari, etiam si mater occidatur pro Christo: Quia huic baptismo non est concedendum maius priuilegium, quam quod baptismo, aquæ proxime concessimus.

Neque mater etiam volens esset necanda, & aperienda, etiam si sit in articulo mortis, vt filius eruatur, & baptizetur, quia non sunt facienda mala, &c. si tamen esset ad mortem damnata mater, essetque periculum, ne ex aliquo morbo ante partum vnà cũ prole moreretur, posset seruato iuris ordine prius secari, si esset spes, quod proles hoc modo baptizaretur. *Ita Suar. & Coninc. super. art. 11. q. 68.* Patet, quia iõ hoc non fit contra vllum ius. 6

B

Quæres primo, si extra articulum mortis homo baptizandus est in parte præcipua, qua ratione potuerint Apostoli in die Pentecostes tria millia hominum baptizare? Ad hoc, respondetur cum *Vazquez.* Omnes fuisse baptizatos in præcipua parte, & quidem sine miraculo, quia paulatim præparabantur ad baptismum, vt per effusionem aspergerentur, & ita tot millia hominum facile duodecim Apostoli baptizare potuerunt. 7

C

Quæres secundo, quæ quantitas aquæ sit necessaria ad valorem baptismi; respondeo cum *Panormit. & Innocent. IIII. in cap. debitum, de Baptismo.* Quamcumque guttam aquæ sufficere ad hunc valorem. Probatur, quia quæcunque gutta aquæ satis est, vt dicatur homo ablutus, & tinctus aqua, ergo quælibet gutta aquæ sufficit ad valorem baptismi. Debet tamen aqua per corpus, vel per aliquam partem eius defluere, aliàs non lauabit, neque enim immota aqua dicitur corpus lauari. 8

Quæres tertio, an, cum quis abluitur à capite vsque ad pedes, conficiatur baptismus antequam tota ablutio finiatur, & antequam aqua quiescat. Huic quæst. facilis se offert solutio, absoluta enim forma verborum, in qua est præcipua virtus Sacramenti, perficitur sine dubio Sacramentum, dummodo aliqua pars ablutionis præcesserit. Patet, quia tũc adsunt vera materia, & vera forma baptismi, ergo verus conficitur baptismus, cum ea tamen conditione, quod minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Vnde non dependet ex sola intentione ministri, Sacramentum perfici antequam ad hi- 9

D

E beantur

beatur vera materia, & forma, vel suspẽdi ad aliud tempus posterius eo, in quo materia, & forma applicata sunt. Intentio enim ministri hoc solum potest præstare, vt materia, & forma applicentur ad quid sacrum, vel ad Sacramentum conficiendum, vel non. Ea autẽ intentione supposita nullo modo potest à ministro impediri, aut suspendi Sacramentum: & potest etiam minister materiam, & formam applicare mere materialiter, & sine animo efficiendi aliquid Sacrum, & tunc non est in eius potestate Sacramentum resultare, quia intentio faciendi aliquid Sacrum necessaria est ad valorem Sacramentorum, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere, quæst. 22.

QVÆSTIO V.

Quod genus ablutionis requiratur ad valorem baptismi.

HIc inuoluitur duplex quæst. prima, an requiratur trina ablutio. Secunda an ablutio debeat fieri per immersionem, vel per aspersionem.

1 Circa primam quæst. concors sane est omnium scholasticorum sententia, non esse necessariam trinam immersionem, seu aspersionem ad valorem baptismi, sed vnicam tantum sufficientem esse. Ita docuit, *D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 8.* Quem omnes vno ore sequuntur. Hanc conclusionem definiuit, *Gregor. Magnus, lib. 1. epistolarum, epist. 41. post medium,* & refertur à *Grat. cap. de trina, de consecrat. dist. 4.* Quam definitionem mirifice laudat: *Concilium Tolet. 4. cap. 4.* Secundo probatur ex Sacra Scriptura, secundum quam solum requiritur tanquam materia baptismi ex institutione diuina ablutio vera, & formalis, non quod ablutio sit trina, vel vnica. Vt patet ex illis verbis. *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Et ex illis, *Matth. vlt. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

2 Hanc conclusionem varia impugnant argumenta. Primum desumitur, ex *August. ser. 201. de tempore, post medium, & Canone post quam, de consecrat. dist. 4.* Qui eidẽ tribuitur August. & ex alijs patribus relatis à *Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. 145.* Qui asserunt, consuetudinem esse baptizandi per trinam mersionem ad repræsentandam diuinam Trinitatem, & ad repræsentandum triduum mortis, ac sepulturæ Christi. Et idem argumentum desumitur ex aliis patribus, qui cum *Hieronymo in dialogo aduersus Luciferianos, num. 15.* Numerat hunc ritum baptizandi trina mersione inter traditiones non scriptas Ecclesiæ. Quæ omnia denotare videntur necessariam esse trinam mersionẽ ad valorem baptismi. Ad hoc argumentum res-

A pondemus. Primos patres tantum contendisse suis temporibus viguisse consuetudinem baptizandi trina mersione, quæ tamen consuetudo, sicut introducta est authoritate humana, eadem authoritate potuit per contrariam consuetudinem aboleri; ad repræsentandam autem sepulturam, & mortem Christi sufficit vnica mersio baptismi. In quantum enim homo antiquus peccatis moritur per baptismum, significat mortem Christi, & in quantum submergitur in aquis significat sufficienter sepulturã Christi: vtrunq; autẽ ad amussim repræsentatur vnica mersione, neque necesse est, triduum sepulturæ trina mersione significare, vt verus baptismus constituatur; diuina vero Trinitas sufficienter significatur per verba formæ, quare per materiam ablutionis eam repræsentari

B necessum non est. Ad secundos patres respondetur cum recentioribus, eos per traditionem non scriptam minime intellexisse traditionem diuinam à Deo præscriptam, sed Ecclesiasticam tantum baptizandi trina mersione. Quæ contraria consuetudine ablata est. Huic tamen solutioni adhibitæ secundis patribus tria obstant difficilia. Primum sit testimonium, *Theod. lib. 4. hæreticarum fabularum, cap. de Eunomio, & Aetio.* Secundum sit, *Canon 50. Apost.* In quibus denotatur, hunc ritum trinæ mersionis esse traditionem à Domino præceptam. Sed ijs optime satisfacit, *Vazquez 2. tom. in 3. part. disput. 145.* Dum asserit, in his locis non denotari ritum baptizandi trina mersione originem duce- 2

C re ex diuina traditione, sed tantum ex ea oriri ritum baptizandi inuocato nomine Trinitatis *contra Eunom.* Defendentem sufficere vnicam mersionem inuocato nomine Christi mortis.

Tertio eidem nostræ solutioni obstat difficilimum testimonium, *Pelag. Papæ.* Qui non solum sentire videtur, extare euangelicum præceptum baptizandi inuocata diuina Trinitate, sed etiam baptizandi trina mersione. Verba *Pelagij sunt hæc in epist. ad Gaudentium relata in can. multi, de consecrat. dist. 4. Euangelicum vero præceptum, ipso Deo & Domino Saluatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere.* Huic testimonio duæ solent adhi- 3

D beri solutiones probabiles, & sufficientes quidem meo videri, licet non omnibus ita appareat, prima est, quam, *Angelicus Doctor adhibet 3. part. q. 66. art. 8. scilicet,* Quod baptizare trina mersione sit, de præcepto diuino non quidem ratione sui, sed ratione sui similis, scilicet inuocationem Trinitatis, quæ denotatur trina mersione, esse de præcepto diuino, non vero ipsam trinam mersionem. Secunda est, *Vazquez loco citato, c. 1. & Suar. 3. tomo in 3. p. disp. 20.* Summum Pontific. tantũ voluisse esse de præcepto diuino inuocationem Trinitatis contra hæreticos quosdam, qui Eunomianum errorem secuti

feculi solùm in nomine mortis Christi Trinitatem negantes baptizabant. Id verò de Trina mersione non inclusit Pontif. sub præcepto diuino, sed tantùm id posuit, quia tunc erat in vsu. Quod vero Pont. sub præcepto diuino solùm voluerit esse innocationem Trinitatis, patet ex illis verbis, quæ subdit, colligens illud ex Domini verbis. *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex quibus verbis nullo modo colligitur, baptismum esse adhibendum sub Trina mersione, sed in nomine Sanctissimæ Trinitatis.

4 Contra nostram etiam conclusionem est in ordine secundum argumentum, quia *Concilium Constantinopol. primum can. 7.* Damnat Eunomium asserentem, non oportere, baptismum adhiberi sub Trina mersione, ergo sentit, esse necessariam trinam mersionem. Ad hoc respondetur Concilium non damnare Eunomiū eo, quod è medio tolleret trinam mersionem absolutè, sed eo, quod eam tolleret ad introducendos nouos errores.

5 Tertium argumentum sit desumptum ex *D. Thom. in 4. dist. 3. artic. 4.* Vbi asserit quod si trina immersio intendatur, baptismus non perficitur, nisi in extrema, ergo vna immersio nō sufficit, alias cum prima fieret baptismus. Sed revera D. Thom. in eo casu tantùm loquitur, quo forma baptismi non finiatur vsque ad vltimam mersionem.

6 Secunda Conclusio ab omnibus recepta, cuius meminit *D. Thom. 3. part. quæst. 66. artic. 7.* Sit valere baptismum, siue fiat per immersionem, siue per aspersionem, siue per infusionem aquæ. Probatur primò ex locis scripturæ adductis in prima conclusione. Vbi tantùm requiritur pro baptismo ablutio, quæ quidem communis est immersioni, aspersionī & infusioni. Secundò probatur, quia Apostoli, vt supra, vidimus, eodem die tria millia baptizabant, ergo hoc contigit per aspertionem, neque enim per immersionem fieri poterat.

7 Sed contra hanc solutionem insurgere videtur *Paulus ad Roman. 6.* Vbi baptismum denotat esse signum, & figuram mortis, & sepulturæ Christi, sed si fiat per aspersionem, vel effusionem aquæ, nequit esse figura sepulturæ Christi, nisi fiat per immersionem, ergo cum sola immersione videtur baptismus valere. Ad hoc tamen respondetur, baptismum quo vis modo factum esse figurā mortis Christi quatenus significat ablutionem peccatorū; per quam homo moritur peccatis, & regeneratur in vitam spiritualem gratiæ. Et etiam esse figuram sepulturæ Christi secundum *Diuū Thom. proxime loco citato*, quia corpus baptizati quavis minima parte aquæ tegitur, sicut corpus in sepulchro terra tegitur.

Sit tertia conclusio. In diuersis temporibus viguerunt diuersæ consuetudines circa modum baptizandi. In vno enim tempore viguit consuetudo baptizandi trina mersione, in alio vero sub vna mersione tantùm. Ita docuit *D. Thom. tertia part. quæst. 66. art. 8.* Primò enim vigente hæresi Arrianorum dicentium, Filium Dei non esse Deum, vt ostenderetur, quamlibet ex personis diuinis esse Deum, institutum est, conferri baptismum sub trina mersione, vt habetur *de consecrat. dist. 4. capite si quis presbyter. & capite multis.* Deinde vero ad tollendum errorem eorum, qui homines rebaptizabant, iussum est, sub vna mersione baptismum adhiberi. Ita habetur *de consecrat. dist. 4. cap. propter.*

8 Quarta conclusio. Sub præcepto tenetur quilibet Sacerdos in solemni baptismo, & cum iusta non excusat causa, seruare modum suæ Ecclesiæ Matricis, seu Cathedralis, nisi sit exemptus, alias grauiter peccaret. Ita tenet *D. Thom. loco proxime citato, Soto in quarto dist. 3. quæst. vnica artic. 8* Probatur, quia modus baptizandi per immersionem, vel aspersionem, vel infusionem non est, vt vidimus, de necessitate Sacramenti, neque est positus sub aliquo præcepto generali, ergo vsus Ecclesiæ Matricis habendus est loco præcepti, cuius vsui omnes illius Diœcesis debent conformari. Iusta causa excusare potest, tùm honestas, vt in adultis quos mergi non conuenit; tùm necessitas, siue propter aquæ paucitatem, siue propter debilitatem infantis, qui non potest sustinere baptizandum, siue propter debilitatem baptizandi, cui immineat ex immersione mortis periculum.

QVÆSTIO VI.

An in eo casu, quo baptismus conferatur per immersionem baptizandi in aqua, necessum sit ipsum ex aqua extrahere, & non ibi suffocandum relinquere?

QVIDAM dicunt ad valorem baptismi esse necessarium, extrahere baptizatum de aqua. Ita docent *Scotus in quarto dist. 5. quæst. 3. Dominicus Sotus dist. tertia quæst. vnica artic. octauo, post medium, Sylvester in Summa, verbo Baptismus quarto, quæst. 10.* Probatur primo, hæc pars, quia baptismus ex sui institutione est ablutio ordinata ad vitam illius, qui abluitur, proiectio autem illa ordinatur ad mortem, ergo non sufficit ad baptismum. Secundo probatur,

batur, quia per ablutionē baptismi significari debet sepulchrū Christi, & eius resurrectio; hæc autem duo nequeunt significari per ablutionē, nisi quis prius cooperiatur aquis, & postea appareat, ergo necessaria est extractio ex aqua. Tertio probatur, quia materia baptismi est ablutio, ablutio autem natura sua exigit, vt is, qui abluitur, educatur ex aquis, vel quod aquæ ab eo defluant, neutrum autem eorum contingit cum puer in altum puteum cum periculo euidentis mortis proijcitur. Quarto probatur, quia, qui baptizat, debet puerum tangere, vel proxime, vel remote: qui autem illum in flumē proijceret modo dicto, neque proxime, neque remote eum tangeret. Quinto confirmatur, quia illa ablutio neque habet formā immersionis, cum eam non sequatur emersio ex aquis, neque habet formam aspersionis, vel effusionis, ergo non satis est ad baptismum, quia ablutio vno ex his tribus modis fieri debet.

2 His tamen nihil obstantibus sit conclusio. Non requiritur ad baptismi valorem vt immersioni succedat emersio, sed verum esse baptismum dicimus in eo casu, quo quis puerum in altum proijceret puteum videns, vel directe volens ipsum mortem subiturum. Ita sentiūt, *Panormit. in cap. vt non apponeres, de baptismo, & eius effectu. Summa Rosella, verbo, baptismus 4. n. 2. Victoria in Summa, verbo baptismus, Suar. 3. tamo in 3. part. disp. 20. sect. 3. Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 145. cap. 3.* Probatur primo quia, vt authores oppositæ sententiæ fatentur aliqui, & omnes debent fateri; si quis proprijs manibus puerum in flumen immergeret volens eū extrahere, & casu aliquo non posset extrahere, vel puer moreretur dum est sub aquis, & antequam extraheretur ab illis, sine dubio esset baptismus, ergo etiam si ex alto proijciat, & cum intentione occidēdi illum, erit verus baptismus, hæc enim per accidens se habeut ad rationem baptismi; quare ei obesse nequeunt. Secundo probatur, quia in isto casu, de quo loquimur, adest vera forma, & vera intētio ministri efficiendi Sacramentum, vt supponitur, Quæ sine dubio in dicto casu possunt adesse, & etiam adest vera materia proxima, quæ est ablutio, vt patebit ex solutione rationum in cōtrarium, ergo in eo casu verus est baptismus.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum circa istud punctum adducta. Ad primū dicimus, ablutionem necessariam in baptismo non ordinari ad vitam corporalem, sed ad spiritualem: vnde, licet ex ea sequatur mors corporalis, potest esse sufficiens ad baptismum, si baptizans habeat veram intentionem efficiendi Sacramentum. Ad secundum dicimus, de ratione baptismi esse significare mortem Christi per extinctionem peccatorum, & resurrectionem eius per regenerationem baptizati in nouam vitam spiritualem gratiæ, ad hæc autē significanda sufficit quælibet ablutio, etiam si eā non consequatur eductio ex aqua. Ad tertium respondetur, ad ablutionem corporalem, per quam significatur ablutio spiritualis animæ, non requiri, educi baptizatum ex aqua. Ad quartum respondetur. Ad baptismū nullo modo requiri, quod baptizans puerum tangat mediate, vel immediate; vt cùm per aspersionem baptizat. Ad quintum respondetur. Illā proiectionem in puteum habere veram ratione mersionis, licet non sequatur emersio, & rationem etiam habet ablutionis, quāuis non sit effusio, vel aspersio, & ita sufficit ad verū baptismū.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm licitum sit aliquem baptizare cū periculo eius, & an sit necessarium baptizare in aliquo casu cum vitæ periculo baptizantis.

CIRCA primum punctum sit prima conclusio. Nullo modo licitum est, catechumenum in flumen proijcere, cum timetur, eum esse suffocandum, cum eo fine, vt baptizetur, etiam si alio modo non possit ante mortē baptizari, & catechumenus sit in vitæ discrimine, quādo ex proiectione notabiliter accelerabitur mors. Probatur primo: quia nō sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Ergo non est occidendus catechumenus, etiam si sequatur magnum bonum baptismi. Secundo probatur, quia homicidium illud non excusatur à malitia sua ex eo, quod sequatur salus æterna catechumeni, quia ad salutem æternam per baptismum consequendam minime est mediū conueniens homicidium corporale hominis, qui baptizandus est. Communiter autem, etiam si catechumenus animam agat, non est timenda mortis acceleratio ex baptismo, sed ille conferendus est sine aliquo vano timore, quia baptismus potest adhiberi per aspersionem guttæ aquæ, quæ nullo modo accelerabit mortem.

Sit secunda conclusio. Cum puer baptizandus iam animam agit, & non est alia via ipsum baptizandi, nisi is in puteum suffocādus proijciatur. Tūc licite potest in puteū proijci cum intentione eum baptizandi. Ita communiter Doctores, & præsertim insinuat, *Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 145. cap. 3.* Et probatur ratione, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, ergo illa parua, & pene insensibilis mortis acceleratio nihili pendenda est in isto casu; & idem credo propter eandem rationem posse contingere in adulto catechumeno, quia si difficilis est per contritionem iustificatio, & medio baptismo facilia. 2

Circa

A Circa secundum punctum, quaest. sit casus
3 quem adducit *Sylvester in Summa, verbo bellum secunda*. Sacerdos vult baptizare puerum animam efflantem in eo casu, quo nullus alius adsit, & tunc inuaditur ab hostibus; qui iniuste volunt eum occidere, si se defendat fugiendo vel alia via, puer moritur sine baptismo, quod si baptizet puerum, non potest se defendere, sed sine dubio occidetur ab hostibus. Ad hunc casum respondetur primò, tunc non esse necesse, baptismum cum solemnitate ministrare, sed sine illa posse licite ministrari, quia Eccle-
7 sia non obligat ad ceremonias illas accidentales, quae in baptismo solemni reperiuntur cum tanto periculo obseruandas, cum Ecclesia in suis praeceptis mitissima sit. Secundò respon-
B detur, si mors Sacerdotis immineat, etiam ministrando Sacramentum sine solemnitate, tunc potius Sacerdotem debêre eligere mortem propriam corporalem pati, quam alienam spiritualem pueri pretermittere, eum non baptizando. Ita *Sylvester loca citata*, quia vita spiritualis pueri in tanto periculo constituti pluris facienda est, quam vita corporalis propria. Ad quod parrochus ex iustitia obligabitur ratione officij, alius verò quilibet ex charitate: Imò addit Syluest. ibidem, si tantùm esset dubium probabile de morte pueri sine baptismo decessuri e vita in eo casu, quo Sacerdos defenderet se, & aliàs, si non se defenderet, sed baptizaret puerum, certo sequeretur mors Sacerdotis, adhuc Sacerdos potius teneretur subi-
C re mortē, quàm puerū sine remedio baptismi relinquere propter rationem proxime assignatam.

4 Quam resolutionem ita ego intelligendam puto; scilicet, dummodo puer ille non habeat vsum rationis. Si enim talem vsum haberet, & instructus esset in fide, posset sine baptismo relinqui, vt Sacerdotis vitae consuleretur, tunc enim puer sine baptismo, & per contritionem iustificari posset apud Deum. Alias si non esset puer instructus in fide, & animam ageret, debêret eum Sacerdos instruere in rebus fidei cum propriae vitae periculo in praedicto casu, praecipiendo ei, vt haberet actum contritionis, si eum propter periculum mortis nō posset baptizare.

D

QVAESTIO VIII.

Vtrùm in forma Baptismi necessarium sit personam, & actionem ministri, & personam baptizati exprimere?

1 HAEC quaest. multum facessit negotij hereticis, cuius difficultatē vt dissoluerent haeretici, turpissimis illaqueati sunt errorum laqueis. Vt enim patet ex *can. 48 alias 49. Apostolorum*, aliqui fuerunt olim, qui quidem baptizabant in nomine Triū principio carentium, scilicet, vel in nomine Trium Patrum, aut Trium Filiorum, aut Trium Paracletorum. Secundò Gnostici baptizabant in nomine ignoti Patris, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Iesu ad vnctionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Tertiò Arrianus quidam Episcopus Deuterius nomine baptizabat in nomine Patris, per Filiū, & in Spiritu sancto. Quartò Eunomiani baptizabant in Domini mortē. Quintò Graeci aliqui dicebant, non esse eam sufficientem formam, qua Ecclesia Latina vtitur in baptismo; sed rebaptizandos esse baptizatos à Latinis. Sextò Lutherus, Zuynglius, & Brentius putant, non esse necessariam formam consuetam ad valorem baptismi. Circa quos errores late videantur *Bellarm. tom. 2. de Sacramentis, lib. 1. de Baptismo cap. 3. & Vazquez 2. tom. in 3. par. disp. 142. cap. 1.*

Sit prima conclusio. Communis inter 2
Doctores necessarium est ad valorem baptismi actionem ministri baptizantis exprimere. Ita definiuit *Eugenius Quartus in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post vltimam Sessionem, §. primum omnium.* Nam postquam dixit, baptismum sub hac forma collatum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & sub hac, baptizetur talis seruus Christi, vel baptizatur, &c. Esse verum, reddit rationem: *Quoniam, cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctae Trinitatis inuocatione; perficitur Sacramentum.* Ergo necessaria est expressio actionis ministri. Clarius id definiuit *Alexander III. in capit. primo de Baptismo, & eius effectu*, his verbis, *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; Amen.* Non est puer baptizatus. Qui Pontifex noluit, verba illa, Ego te baptizo, esse de essentia baptismi materialiter considerata, sed formaliter; id est illa, vel alia aequiualentia: aequiualentia autem sunt, & sufficientia ad baptismum, Baptizetur seruus Christi, quibus vtuntur Graeci, vel baptizatur seruus Christi, vt docuit *Eugenius Quartus; loco citato*. Et confirmatur conclusio ex illis verbis dictis à Christo Apostolis, in quibus docuit illos formam baptismi *Matt. 28. Euntes docete omnes gentes baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quae verba ita dicta esse à Christo intelligit traditio Ecclesiae, vt in ipso actu baptizādi nō solū inuocetur Trinitas, sed etiam actio baptizātis exprimatur, siue directe, vt in forma Lati

norum, siue indirecte, vt in forma Græcorum.

3 *Dominicus Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica. ar. 5. §. multa hic complicat. & §. Sed forsan, & Suar. 3. tom. in 3. part. disp. 21. sect. 2. & Couinc. to. de Sacramentis, quæst. 66. art. 6. dubio vnico.* Aperte sentiunt, non esse necessarium, in forma baptismi exprimere actionē ministri. Probatur primo hæc pars, quia forma, qua vtuntur Græci in baptismo, baptizetur seruus Christi, &c. est vera forma admissa ab Ecclesia Romana, & tamen in ea nullo modo exprimitur actio ministri, nā sensus illius formæ est baptizetur seruus Christi à Christo. Ergo non est necessaria expressio actionis ministri. Sed satis est, quod ea non excludatur, sicut reuera non excluditur in prædicta forma. Secundo probatur, quia valet baptismus, si in eius forma exprimatur actio ministri, & non actio Dei, ergo etiam valet, cum in forma non exprimatur actio ministri, sed Dei. Vnde putat Sotus, hanc esse veram formam. Baptizet te Deus. Tertio probatur, quia in Sacramento confirmationis non est necessarium exprimere actionem ministri, quia sine tali expressione confirmatus est Constantinus Imperator, vt constat, *Ex eius edicto prope medium illius, quod est ante Concilium Nicenum 1.* Forma enim illius confirmationis hæc fuit. *Signat te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in consignatione fidei.* Quæ consignatio sine dubio fuit Sacramentum confirmationis, & non vnctio Chrismatis facta post baptismum circa baptizatum, quia fuit facta in fronte, & illa baptismi fit in vertice capitis, & quia post illam consignationem dixit Pontif. pax tecum, quod dici solet in Sacramento confirmationis, ergo neque erit necessarium exprimere actionem ministri in baptismo. Quarto confirmatur, quia Græci vtuntur illa forma baptismi ad vitandum errorem Corinthiorum, qui tempore *Pauli*, virtutem ministris baptismi; & non Deo tribuebant, vt patet, *ex 1. ad Corinth. cap. 1. vnusquisque vestrum dicit, ego sum Pauli, ego autem Apollo, &c.* Ad quem errorem vitandum necesse est tacere actionem ministri; quod autem Græci vterentur ea forma ob eum finem, docent, *D. Tho. 3. part. quæst. 66. art. 5. in solutione, ad 1. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 3. §. de secundo.*

Verumtamen hæc sententia falsa est. In quolibet enim Sacramento necessarium est exprimere actionem ministri. Ita docet *Alexand. 4 part. quæst. 8. membro 3. artic. 3.* Vbi dicit, hoc esse ab Ecclesia definitum, & quidem sentit eodem modo *Bellarmin. 2. tomo loco citato, & D. Thom. defendit hanc partem nostram loco citato, in corpore,* Quod mihi satis aperte videtur definitū, *Ab Eugen IIII. & Alex. III. loco citato,* Si verba ibi adducta recte expendantur. Nam in formis quas dicunt esse validas, pro baptismo semper constituunt actionem ministri. Et id clarius expressit, *Alexan. III. dum inquit, non satis esse, re ipsa baptizare dicendo solum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Nisi addatur. Ego te baptizo in nomine, &c.* Quo quid clarius pro nostra sententia dici potest? & vt optime notat, *Alexand. Alensis.* In actione ministri optime denotatur actio agentis principalis, qui est Deus, præsertim in baptismo, in quo dicitur: in nomine Patris, & Filij, &c. At vero in actione causæ principalis, qui est Deus, non denotaretur actio ministri vllo modo.

Ad argumenta respondetur. Ad primum dicimus, formam Græcorum, Baptizetur seruus Christi, non ita explicandam, à Christo, vel à Deo, quia sic non denotaretur actio ministri. Quæ tamen debet denotari, vt patet ex *Eugen. loco citato.* Tum etiam quia alias non adderetur in forma Græcorum, in nomine Patris, &c. quia Deus non baptizat in nomine Patris, quia verbum illud. In nomine, idē; quod in virtute alicuius superioris significat; neque etiam sic intelliguntur prædicta verba, baptizetur seruus Christi à me, quia sunt verba imperij, & potestatis, nemò autem exercet in se potestatem iurisdictionis, sed in alium, solum autem dirigitur hoc imperium ad effectum baptismi, tanquam ad rem rationalem per figuram prosopopeiam, & hoc denotant illa verba. Baptizetur seruus Christi. Imo cum hæc verba non denotent imperium Dei propter illud verbum, in nomine, denotant imperium ministri, & actionem eius per modum imperantis: & addit, *Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. 142. cap. 2.* Optimam fore baptismi formam, si quis modo deprecatiuo diceret. Per istam ablutionē remittat tibi Deus peccata in nomine Patris, &c. Quia ibi actio ministri explicaretur. Ad secundum argumentum dicimus, in actione ministri recte denotari actionem Dei, vt causæ principalis, quia minister non agit, nisi agente etiam Deo. At vero in actione Dei non denotari actionem ministri, quia Deus potest agere sine ministro. Ad tertiū respōdetur, in forma illa Cōfirmationis Cōstantini, per sigillū fidei intelligi signū crucis medio Chrismate in frōte impressum; quod est sigillum, & signum Christianæ fidei, & per cōsignationē fidei intelligi Characterem, in illo autē verbo, vt optime notat, *Vazquez loco citato,* Sigillo fidei suæ, denotatur actio ministri, nam sensus prædictæ formæ hic est. Deus te signet sigillo fidei suæ, quod tibi à me exhibetur in nomine Patris, &c. Ad quartum argumentum non ignoro, *Vazquez loco citato.* Respondisse late, & probasse, Corinthios non fuisse in eo errore, vt sentirent, vim baptismi tribuendam esse ministris. Vnde ad euitandum eum errorem, non fuisse vsos Græcos prædicta forma. Verumtamen rationes eius

assumptū

assumptum non conuincunt, & vt doctissimus A ille Magister Victoria, Salmaticinum, & Hispanũ decus, dicere solebat doctrina, & authoritas *D. Thom.* semper amplectenda sunt, quando neque authoritas Sacræ scripturæ, neque Ecclesiæ, neque aliqua efficax ratio ei obstare videntur. Vnde iuxta istam doctrinam vt solutam quartum argumentũ potius adhæreo *D. Thom. asserenti loco citato, in solutione ad primum.* Propter euitandum eum errorem Corinthiorum introductam esse prædictam formã Græcorum. Verumtamen ob hoc non sentit *D. Thom.* in forma Græcorum, minime denotari actionem ministri, cum potius in corpore dicti articuli defendat, oportere in forma baptismi meotionem fieri ministri, & Dei. Sed sensit D. Thom. non constitui in forma Græcorũ B personam ministri expresse, ne detur occasio prædicti erroris.

6 Secunda conclusio. In forma baptismi non est necessarium exprimere personam ministri per pronomen: Ego. Patet ex *epist. 4. Zachariæ Papæ.* Vbi hæc forma: *Baptizo te in nomine Patris, &c.* Vt sufficiens iudicatur, imò in forma Græcorum, vt vidimus in solutione ad primum argumentum Soti, quæ sufficiens est ad valorem baptismi in omnium opinione, non exprimitur persona ministri per pronomen, à me. Peccatum tamen esset veniale, si quis in forma Latina omitteret pronomen: Ego. Imò lethale esset peccatum, si quis in Ecclesia Latina baptizaret adhibita forma Græcorum, C quia hæc mutatio posterior grauis est, illa verò prior leuis. Græcus tamen dum in Græcia commoraretur baptizans adhibita forma Latina, licet grauiter peccaret, sicut de Latino diximus, verumtamen conficeret baptismum, sicut & Latinus vtens forma Græca in baptismo verè baptizaret etiam, dum inter Latinos domicilium haberet, quia forma in vno loco sufficiens in quovis alio sufficiens esse debet, quilibet tamen tenetur eam formam seruare in baptizando, quam seruat illa Ecclesia, intra cuius limites baptizans potitur fixo domicilio.

7 Tertia conclusio. Persona, quæ baptizatur, necessariò explicanda est in forma baptismi, ita, vt eum baptismum inualidum iudicemus, in quo quis pronuntiaret hæc verba: Ego bap- D tizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non expressa persona baptizati, hanc conclusionem docuerunt *D. Thom. quæst. 66. art. 5. ad quartum, Bellarmin. loco citato cap. 3. Suar. & Soto locis citatis, Eustiq. lib. 2. de Baptismo, cap. 8. Petrus de Ledesma de Baptismo, cap. 4.* Probatur primò ex verbis Christi, *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quæ ita semper intellexit Ecclesia; vt persona baptizandi explicanda necessariò sit in forma baptismi, atque hæc doctrina etiam continetur in cap. debitum. de Baptismo. Probatur secundò, ista cõclusio, quia actiones quibus res producuntur extra causas, tendunt ad producendum effectum singularem, & determinatum, ergo debent esse determinatæ in se ipsis. Id enim, quod indeterminatum est in se, non potest esse via ad consequendum aliquid determinatum. Si autem quis diceret, Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, talis actio non esset determinata, sed confusa, & indifferens ad baptizandum hunc, vel illum, quia solùm significaretur per verba formæ cõfuse, & indifferenter, & ita non posset producere effectum determinatum, neq; esse via ad baptizandum aliquem in particulari. Debet ergo exprimi persona baptizati, vt actio baptizandi determinata sit, & in determinatũ possit effectum profundi. Vt verò notauit *Soto loco citato*, non nocet valori baptismi si loco pronominis, te, particulam, hunc, vel Petrum, vel aliam similem substituamus, quia sufficienter his verbis persona baptizati exprimitur. Si quis verò honoris gratia dicat. Ego vos baptizo, aut vestram maiestatem, vel si minister cõstitutus in dignitate magna honoris etiam gratia pronuntiet: Nos te baptizamus. Valet baptismus, tametsi commutare isto modo formam Ecclesiæ aliqua'e peccatum sit, quia procedit contra consuetudinem Ecclesiæ, leue tamẽ quia leui nititur fundamento.

Tandem pro huius quæst. complemẽto amplectenda est doctrina *Soti loco citato, §. ex hac ergo solutione*, notantis *Euge. IIII. loco citato in prima conclusione*, Ex eo nullam fecisse mentionem personæ baptizati, sed baptizantis, quia quantum ad personam baptizati nulla reperiebatur in verbis diuersitas inter formam Græcam, & Latinam. De persona tamen baptizantis videbatur in modo enuntiandi, aliquam diuersitatem inter prædictas formas intercedere, ex eo tamẽ autumare non licet, Eugen. sensisse, personam baptizandi in forma baptismi subticendam esse. 8

QVÆSTIO IX.

Vtrum Trinitas in forma Baptismi inuocanda sit?

Circa materiam huius quæst. valde diuisi fuere Doctores nostri, quidam enim ex his apertè senserunt, nõ solum Apostolorũ tẽpore, sed etiam postea verũ confectũ fuisse Sacramentum baptismi per solam inuocationem nominis Christi, vel alterius personę Trinitatis. Ita sentiunt *Magist. in 4. dist. 3. cap. ex his, Adrian. in quarto quæst. 2. de Baptismo, quæ incipit, secundo videndum est in solutione primi, §. ad rationes.* Hæc sententia duplici nititur

 fundā-

fundamento primum eſt, quia *Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum, capit.* 104. *& refertur de conſecrat. diſt.* 4. *can. à quodam Iudæo*, ſic inquit. *A quodam Iudæo, neſcitis vtrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de eis ſit agendum conſulitis, hi profectò ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (vnum quippe, & idem eſt, vt ſanctus exponit Ambroſ.) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.* Secundum fundamentum eſt exēplum Apoſtolorum, quos conſtat ex Actibus Apoſtolorum, baptizaſſe in nomine tantùm Chriſti, non quia in eo aliqua contigerit diſpēſatiò, ſed quia talis forma ex ſe ad baptiſmum ſufficit, cùm ibi virtualiter tota Trinitas inuocetur.

2 Alij dixerunt, nunc quidem baptiſmum nō valere, ſi cōferatur inuocato ſolo nomine Chriſti, vt ſi dicamus: Ego te baptizo in nomine Chriſti, amen. Neque tempore Apoſtolorum hanc formam baptizandi valuiſſe ex peculiari Dei diſpenſatione, quia nulla talis diſpenſatio fuit. Et quidem quod non valeat modo baptiſmus collatus in nomine tantùm Chriſti, poſtèa probabimus noſtram exponentes ſententiam, quod verò tempore Apoſtolorum non contigerit talis baptiſmus validus, docent *Armacanus* 8. *lib. de quæſtionibus Armenorum à cap.* 3. *Canus* 6. *de locis, cap.* 8. *ad ſeptimū, Vazquez* 2. *tom. in* 3. *part. diſp.* 143. *cap.* 2. *& Suarez* 3. *tom. in* 3. *part. ſuper quæſt.* 66. *& art.* 6. *D. Tho.* Probatur primò, quia in Canonibus Apoſtolorum, *can.* 48. *alias* 49. præſcribitur, vt baptiſma conferatur in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Et tamen ibi non ſignificatur, permiſſum fuiſſe, eo tempore baptizare in nomine ſolius Chriſti, quādoquidem debuiſſet ſignificari, ſi liceret, ergo non eſt credendum, etiam tempore Apoſtolorum, permiſſum eſſe baptizare in nomine ſolius Chriſti. Secūdò probatur, quia *Can.* 50. *alias* 49. *Apoſtolorū*; Aperte videtur damnari baptiſmus collatus in nomine ſolius Chriſti, & tanquam neceſſarium indicatur in nomine totius Trinitatis baptizare. Verba canonis hæc ſunt: *Si quis Epiſcopus, vel presbyter non tria vnius miniſterij baptiſmata perfecerit, id eſt, non trina vſus fuerit merſione, ſed vnum baptiſmum, qui datur in Domini mortem, id eſt in nomine Chriſti mortui deponatur.* Redit autem rationem hoc modo: *Non enim dixit Dominus in mortem meam baptizate, ſed ambulantes docete omnes gentes baptizantes ipſos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Si ergo tempore Apoſtolorum damnatur baptiſmus collatus in nomine Chriſti, ergo eo tempore diſpenſatum eſſe, vt baptiſmus in nomine ſolius Chriſti conſerretur, minime fatendum eſt. Tertiò probatur, quia ſi ex aliquo cap. cōſtaret, licitum fuiſſe, tempore Apoſtolorum baptizare in nomine ſolius Ieſu Chriſti, maximè ex Actibus Apoſtolorum, vbi denotatur, Apoſtolos ita baptizaſſe. Inde tamē hoc non cōſtat, ergo nullo modo. Minor probatur, quia loca ſcripturæ hæc ſunt, *Actorum* 2. dicitur: *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, & cap.* 8. *ſed baptizati tantum erant in nomine Ieſu, & cap.* 10. *iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu.* Hæc autem verba *Sot. in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vnica art.* 3. *& Canus* 6. *de locis capit.* 8. Et alij ita intelligunt vt in nomine Ieſu, idem denotet, quod in virtute, & poteſtate Ieſu, & baptiſmo à Chriſto inſtituto, vel ita quod inuocatione Trinitatis Chriſtus Ieſus nominaretur, vt nomē eius redderetur amabile dicendo ſic: Baptizo te in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti. Vltimò probat *Conic. tom. de Sacramentis quæſt.* 66. *art.* 6. *dubio vnico.* Quia *Actorum* 19. cum Paulus interrogaſſet quoſdam, an accepiſſent Spiritū ſanctum, illique reſponderent, ſe non audiuiſſe an Spiritus ſanctus eſſet, dixit Paulus. In quo ergo eſtis baptizati? Reſponderunt, baptiſmo Ioannis. Supponit ergo Paulus ſua interrogatione neminem poſſe baptizari baptiſmo Chriſti ſine inuocatione Spiritus ſancti, & aliarum perſonarum, & non quidem ſupponit eos eſſe male in fide inſtructos, alias non diceret. In quo ergo eſtis baptizati? ſed quomodo tam male inſtructi eſtis baptizati.

Pro noſtræ tamen verioris ſententiæ expli- 3
catione ſit prima concluſio. Baptiſmus tempore Apoſtolorum collatus nomine ſolius Ieſu Chriſti inuocato in forma, & non inuocatis nominibus aliarum diuinarum perſonarum, firmus fuit, & ratus ex peculiari conceſſione, & diſpenſatione Dei, vt nomen Ieſu Chriſti, quod illis temporibus Iudæis quidem erat ſcādalum. Gentibus autē ſtultitia, redderetur omnibus amabile, per hoc, quod ad inuocationem eius in baptiſmo Spiritus ſanctus viſibili ſpecie ſuper baptizatos deſcenderet. Hanc concluſionem defendere volui propter auctoritatem *D. Thom. qui eam ſequitur* 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 6. *huius quæſt.* A qua in rebus tanti momenti recedendum minime iudico, licèt eius diſcipuli recentiores immerito recedant, quam etiam ſequuntur *Antiſiodor. lib.* 3. *Summæ tit.* 3. *cap.* 4. *quæſt.* 2. *Bonauent. in* 4. *diſt.* 3. 1. *p. diſt. art.* 2. *q.* 2. *Dur. quæſt.* 1. *num.* 8. *Palud. quæſt.* 1. *num.* 10. & alij multi. Probatur primò, quia Chriſtus *Matth.* 28. præcepit baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed Apoſtoli, vt patet ex locis adductis ex Actibus Apoſtolorum pro ſecunda ſententia baptizabant tanùm in nomine Domini Ieſu. Tùm quia, ſi in alio nomine baptizarent, id reuera exprimerent. Tùm quia *Actorum capit.* 8. expreſſe dicitur: *Baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu.* Cum ergo credendum ſit Apoſtolos digne, & licite

licite baptizasse, credendum est etiam eos diuinam sortitos esse dispensationem, qua ducti id præstare licite possent. Secundò probatur, quia si *Actorum 8. Diuus Lucas*, solùm vellet significare, baptismum fuisse collatum ab Apostolis in virtute, & potestate Iesu, non diceret, fuisse collatum tantùm in nomine Iesu. Quia non erat necessum, baptismum in virtute alterius conferri. Cum ergo addiderit Lucas illã particulam tantùm, per eam sine dubio voluit nos certos facere, Apostolos tantùm inuocato in baptismi forma nomine Iesu, & non alijs nominibus Patris, & Spiritus sancti baptizasse. Tertiò confirmatur, quia illa verba *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ita à tota Ecclesia intelligũtur, vt in forma baptismi inuocando sit tota Trinitas, ergo illa verba Actuum Apostolorum, in quibus dicitur de eadem re, & sub eodem tenore verborum Apostolos baptizasse in nomine Iesu sincere, & plane, & vt iacent debent intelligi, scilicet, illos baptizasse inuocato solo nomine Iesu, cum dispensatione tamen, & imperio Dei, vt hac ratione nomen Dei redderetur amabile.

4 Secunda conclusio. Extra tempus Apostolorum non valuit baptismus, neque modo valet, collatus in nomine tantum Iesu. Ita sentiunt Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ contra Auctores primæ, sed necessarium est, omnes tres personas Trinitatis exprimere. Primo quidem hanc sententiam defendunt ex Patribus, *Orige. lib. 5. in epist. ad Rom. & in cap. 6. Athanas. serm. 3. contra Arrianos, non longe à medio, Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 12. & Cypria. in epist. ad Iubaianum, quæ nunc est in ordine 73.* Et alij sancti Patres, quos late refert *Vazquez, 2. tom. in 3. part. disp. 143. cap. 3.* Hæc pars definita videtur ab Ecclesia. Nam primo *Pelag. Papa scribens Gaudentio Episcopo*, sic inquit: *Si revera hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis cõmorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusque dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Et habentur hæc verba, *in canone multi. de consecratione d. 4. & à Zachar. Papa in epist. 11. ad Bonif. Episcopum, & refertur can. in Synodo de consecrat. dist. 4.* Hoc etiam confirmat, *Alexad. III. cap. 1. de Baptismo, & eius effectu.* Vbi pro forma baptismi tradit inuocationem Trinitatis, & *Eugen. IIII. in Concil. Florent in Decreto fidei, quod est post vltim. Sessio. 5. 1. Omnium*, inquit, *hoc Sacramentum perfici, dum exprimitur actus baptizandi, & inuocatur Trinitas.* Ideò autem post tẽpus Apostolorum non valet baptismus collatus in nomine Iesu tantùm, quia cessauit ea causa, ob quam tempore Apostolorum valebat sic collatus, quia scilicet nomen Iesu factum est amabile, quod tempore Apostolorum erat o-

A diosum. Ita respondet *D. Tho. in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 2. quæst. 2. ad 3.*

5 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ desumptum ex *Nicolao Papa in Canone à quodã Iudæo.* Varij Doctores varijs modis respondent, qui videri possunt apud *Vazquez nouißime loco citato cap. 4.* Vera tamen responsio est, quam sequũtur *Soto in 4. dist. 3. quæst. vnic. art. 6. & Enriq. in Summa lib. 2. de Baptismo, cap. 10. & Vazquez loco citato.* Primo Pelagij, & Zachariæ Pontificum, & suorum antecessorum definitiones à nobis allegatas in secunda conclusione, Nicolaum Papam non vidisse. Secundò in ea fuisse sententia Nicolaum, vt baptismus in nomine Christi suo tempore valeret. Tertiò quantum

B ad formam baptismi Pontificem locutum esse in eo loco, vt priuatum Doctorem, & non vt Pontificem. Et ratio est. quia Pontifex solùm consultus est, an baptismus collatus à Iudæo infideli esset validus, & ad hoc respondit vt Pontifex certam veritatem sequendo. Circa illud autẽ de forma baptismi in nomine Christi, & Trinitatis, non fuerat consultus, & ita illud exempli gratia tantùm, & per transennam adduxit. Nam Pont. in his, in quibus interrogatus respondet, etiamsi ad peculiares Episcopos respõdeat toti Ecclesiæ regulam instituit, & errare non potest; in iis autem, quæ pro fundamento, seu ratione responsi, seu alio modo ad interrogationem non pertinentia adducit,

C vt priuata persona loquitur, & potest sequi minus veram sententiam, vt eleganter docet *Vazquez loco citato.* Ad secundum argumentum eiusdem sententiæ, patet ex prima ratione primæ conclusionis.

Ad argumenta secundæ sententiæ veniamus. 6
Ad primum, & secundum argumentum desumptum ex *Can. 48. & 49. Apostolorum*, dicimus in illis canonibus præcipi tantùm, & ordinari, quid seruandum esset post tempora Apostolorum, quando cessaret causa dispensationis, & præcepti diuini, scilicet, quando iam nomen Christi redditum esset amabile, vt notauit *D. Thom. loco citato.* Tunc enim necessarium foret ad valorem baptismi baptizare inuocando nomina Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ solutio indicatur in verbis canonũ

D *Can. enim 48.* dicitur: *Si quis non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c. & Can. 49.* dicitur: *Si quis perfecerit vnum baptismum, qui datur in Domini mortem, deponatur.* Verba enim illa, baptizauerit, & perfecerit, tempus futurum respiciunt. Imò *Can. 44.* aperte supponitur, datum fuisse baptismum tempore Apostolorum in nomine Christi, quia de illo dicitur: *Qui datur in mortem Domini.* Vel potest secundo responderi *in Can. 48.* solùm prohiberi baptismum eius, qui relicta forma Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in

nomine trium principio expertium, vel trium Filiorũ, vel trium Paracletorũ baptizaret, non verò prohiberi baptismum collatum in nomine Christi, *in can. vero 49.* Solũ prohiberi baptismum inuocato nomine mortis Domini, licèt idem sit Dominus, & Christus, quia sic neque Christus illud instituit, neque ex dispensatione ita concessum est, vt supponitur in eo canone, quia necessarium erat exprimere nomen Iesu Christi, vt eius nomen redderetur amabile, sicut licèt idem sit Trinitas, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non tamen valet baptismus collatus in nomine Trinitatis, & valet collatus in nomine Patris, &c. Ad tertium argumentum respondetur. Prædicta loca Actuũ Apostolorum esse vt iacent intelligenda, sicut ille intelligitur locus *Matth. 28. Baptizantes eos, &c. vt notauit Lyra super Actuum secundum caput.* cuius est nostra huius quæstionis doctrina. Ad argumentum *Conimr.* respondetur Paulum dum dixit. Si Spiritum sanctum accepistis credentes solùm intertogasse, an post baptismum Christi significatum illis verbis credentes, confirmationis Sacramentum recepissent, in quo dabatur Spiritus sanctus, & quod immediatè dabatur post baptismum, vt patet ex verbis infra: *Et cum imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos.* Et cum illi responderent, se non nosse Spiritum sanctum, Paulũ meritò interrogasse, in quo ergo baptizati estis? Ac si diceret, ergo non estis baptizati baptismo Christi, alias post eum susceptum statim recepissetis Sacramentum Confirmationis, in quo Spiritus sanctus visibiliter datur, qua ratione non possetis ignorare Spiritum sanctum.

QVÆSTIO X.

Vtrùm in forma baptismi exprimi debeant personæ Trinitatis sub his nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & an sit necessarium ponere particulam in nomine?

1 CARDINALIS *Caietan. super quæst. 66. D. Thom. art. 5. & Glossa in canone: in nomine de consecrat. dist. 4.* Censent, valere baptismum non solùm collatum sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed etiam sub quibuscunque alijs nominibus, quibus exprimantur tres personæ Trinitatis. Probatur hæc sententia primo ex can. à quodam Iudæo, *de consecrat. dist. 4.* vbi ait Pont. valere baptismum collatum in nomine Iesu Christi, quia idem significatur hoc nomine, quod illis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ergo quibuslibet nominibus exprimantur in forma baptismi personæ Trinitatis, valet baptismus. Secundò probatur authoritate *Eugen. IIII. in Decreto fidei, quod est in Concil. Florent. post vltimam Sessionem, nam in §. primum omnium.* Licèt dixerit, eam esse formam baptismi, qua inuocantur tres personæ sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tamen si sub alijs nominibus Trinitas inuocetur, non negatur baptismum valere, quia ibi dicitur, valere formam Græcorum, quia in ea denotatur actio ministri, vt instrumenti, & cum sanctæ Trinitatis inuocatione, quæ est causa principalis, sed totum hoc potest reperiri cum baptismus confertur proferendo sanctam Trinitatem cum alijs nominibus, ergo. Tertiò probatur, ratione. quia si quis baptizaret in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti. Valeret baptismus, ergo etiã valeret, si baptizatet in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque. Patet, quia si mutatio vnius nominis Filij non nocet baptismo, quando aliud ponitur æquiualens, neque etiam nocebit mutatio omnium nominum, quando alia ponuntur æquiualentia.

2 Sit tamen conclusio prima. Ita necessarium est in forma baptismi inuocare Trinitatem sub his nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti in Ecclesia Latina, vt si sub alijs nominibus etiam æquiualentibus inuocetur, & graue peccatum committatur, & irritum omninò reddatur Sacramentum. Ita sentiunt *D. Thom. 3. par. quæst. 66. art. 5. ad septimum, Bonauent. in 4. dist. 3 art. 2. quæst. 3. Scot. quæst. 2. §. 3. de forma, Durand. quæst. 2. num. 5. Sot. quæst. vnica art. 5. §. hoc ergo, & alij.* Ratio huius potissima est, quam *D. Tho. insinuauit loco citato,* & quam reddiderunt, *Alexand. 4. part. quæst. 8. num. 3 art. 3. §. 3. & Ricard. in 4. dist. 3. art. 2. quæst. 3. ad octauum.* Scilicet, quia cum Sacramenti baptismi forma non tantum contineat inuocationem Trinitatis tanquam Auctoris, sed etiam exprimatur in ea forma Trinitatis mysterium tanquam id, quod profiteri debent catechumeni, antequam baptizentur, quia baptismus est Sacramentum fidei, necessarium est, hanc professionem ita fieri, sicut omnibus fidelibus in sua lingua nota esse debet. Sed in lingua Latina illi, qui solùm nouerunt linguam illam, omnes debent profiteri mysterium Trinitatis sub his nominibus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ergo sub his nominibus in Ecclesia Latina debet conferri baptismus, alia verò nomina, vt genitor, genitus, & procedens ab vtroque & alia æquiualentia, licet significent diuinas personas, significant tamen illas ita obscure, vt nõ debeat eas cognoscere, nisi docti, & sapientes.

3 Neque obstat, quod minister Latinæ Ecclesiæ proferat verba Trinitatis in lingua, quam non nouit sæpe baptizatus, vt si baptizatus esset Turca, aut quod non debeat, tunc ipse credere, sed satis est, si antea crediderit. Nam respondetur, ministrum Latinæ Ecclesiæ debere

bere in sua Ecclesia baptizantem proferre ver A
ba Trinitatis sub his nominibus, sub quibus ca
techumenus ante, quam baptizaretur, debuit
confiteri mysterium Trinitatis, si merus Lati-
nus esset.

4 Ex dictis duo sequuntur. Primum est, in qua
libet lingua illis nominibus vtendum esse pro
forma baptismi ad inuocandam Trinitatem,
quæ sint omnibus doctis, & indoctis commu-
nia, quæ, quia in lingua Latina non sunt alia,
nisi pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ideo
non valet baptismus, nisi his nominibus Trini
tas inuocetur; quod si alia in lingua etiam intra
Ecclesiam Latinam essent diuersa nomina, om
nibus tamen communia hominibus, quæ perso
nas Trinitatis significarent, posset baptismus
valide sub his, & sub illis nominibus mini- B
strari

5 Secundum est, pro illis verbis formæ, ego te
baptizo, posse subrogari alia nomina æqui-
ualentia, licet non sint synonyma, vt posset
dici. Ego abluo Petrum: Quia hæc nomina nō
pertinent ad professionem Trinitatis, & licet
illa particula, In nomine, etiā pertineat ad my
sterium Trinitatis, quia significat vnitatem es-
sentiæ diuinæ, tamen, quia habet aliam particu
lam æquiualentem sibi, & æque communem,
qualis est, in authoritate, ideo hæc posset con-
stitui loco alterius, quod negat *Comme. loco cita
to*. Loco vero illarum particularum Patris, &
Filij, & Spiritus Sancti non possunt aliæ parti
culæ constitui, quia non sunt aliæ æque cōmu-
nes, & particula in, potest sine peccato morta C
li ommitti.

6 Ad argumenta in oppositum respondetur.
Ad primum dico, sententiam Nicolai ab omni
bus deseri, vt vidimus in præcedenti, quæst.
quantum ad id, quod est valere baptismum col
latum in nomine tantum Iesu Christi. Ad se-
cundum respondetur, *Eugen. IIII.* Nō definijs
se, an Trinitas ad valorem baptismi inuocanda
sit sub nominibus patris, & filij, & Spiritus Sā
cti, sed eam quæst. disputandam reliquisse
Theologis. Ad tertium respondetur, non vale-
re baptismum collatum in nomine Patris, &
Iesu Christi, & Spiritus Sancti, quia, licet ca-
techumenus credere debeat mysterium Incar
nationis, & Christum esse Deum, & hominem
tamen deberet credere mysterium principale D
Trinitatis sub his nominibus Patris, & Filij, &
Spiritus Sancti, & ita sub his debet conferri
baptismus, qui est Sacramentum fidei. Neque
credo esse veram doctrinam *Vazquez 2. tomo
in 3. part. disp. 144. cap. vlt.* Ad finem capitis. In
qua asserit, verum esse baptismum, siquis di-
cat: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij,
& Spiritus paracleti, vel Spiritus, quia no-
men Spiritus, est nomen, quo communiter vti
mur ad significandum tertiam personam Tri-
nitatis. Nā contra hoc est, quod nomen com-
mune inter Latinos ad significandam tertiam
personam non est Spiritus, neque Spiritus pa
racletus, Sed Spiritus Sanctus, & ita eo nō pro
lato non valeret baptismus. Quod credo esse
iuxta mentem, *D. Thom. loco citato*, Vbi absolu-
te dicit, inuocationem Trinitatis in forma bap
tismi sub his nominibus Patris, & Filij, & Spi-
ritus Sancti esse necessariam ad eius valorem.

Vt autem ad illam particulam positam in 7
forma baptismi, in nomine, veniamus, notan-
dum est, per nomen denotari authoritatem
vnius diuinitatis in tribus personis. Ita sentiūt
omnes Patres Ecclesiæ, vt *Nazian. oratione in
sanctum baptisma, quæ est in ordine 40. Hieronym.
in illud Matth. 28. baptizantes eos, August. lib. 3.
contra Maximinum. cap. 32. circa finem.* Et alij
quos refert. *Vazquez, 2. tomo in 3. part. disp.
143. cap. 5.*

Vnde dico primo, & sit secunda conclusio. 8
Non licere dicere in forma baptismi, in nomi-
nibus, imo neque valere eo modo baptismum
collatum; iat docent, *D. Thom. 3. part. q. 66.
art. 5. ad tertium, Bonauent. in 4 dist. 3. part. 1. art.
2. quæst. 3. Sotus eadem dist. quæst. vnica artic. 5. ad
sextum.* Vnde siquis diceret in nominibus,
etiam ex ignorantia, cum intentione faciendi,
quod facit Ecclesia, non efficeret Sacramen-
tum, valeret tamen, vt Sotus notat; siquis ita
baptizaret. Ego te baptizo in nomine Patris,
& in nomine Filij, & Spiritus Sancti in nomi-
ne, quia tunc eadem essentia in omnibus perso
nis denotaretur, ita tamen, vt haberet minister
intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, nam
si intenderet sic plures essentias nominare,
baptismus non esset. Non valere autem baptis
mum collatum in nominibus patet, quia illa
particula, in nomine, significat essentiā, & po
tentiam trium personarum, quæ quia vna est,
ideo non valeret baptismus si diceremus: In
nominibus. Quia veritas formæ destrueretur.

Sit tertia conclusio, Illa particula, in nomi-
ne, ita necessario exprimenda est in forma bap
tismi, vt si non exprimatur nullum sit Sacra-
mentum baptismi. Ita docet, *Antisiodor. 3. lib.
summæ tract. 3. cap. 4. quæst. 4. & Vazquez loco ci
tato.* Et probatur, quia cum baptismus sit Sacra
mentum fidei, idest, in quo fideles constitui-
mur, & in quo tradita est pro forma inuoca-
tio Trinitatis, vt vidimus in prima conclusio-
ne, oportet, vt nō tantū tres personæ, sed etiā
vnitas essentiæ per particulā, in nomine, deno
tetur, imo taliter in forma baptismi debet ex
primi Deus trinus, & vnus, quod debeat expri
mi quasi causa principalis baptismi, quod aper
te colligitur ex Decreto, *Eugen. IIII. in Conci
lio Florent. post vltim. sess. §. 1 omnium.* Vnde, vt
recte notat, *Vazquez loco citato.* Valeret baptis-
mus; siquis diceret: Ego te baptizo in vnum
Deum Patrem, &c. vel in vno Deo Patre, &c.
Quia particula, in, denotat idem quod, per, ac
proinde

proinde causalitatem, quod si *Tertulian. lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 20. num. 115. & Hieronym. in illud ad Ephesios. 4. vnus Dominus, vna fides, & can. 49. Apostolor.* Secundũ lectionem Græcam solùm meminerũt in baptismo trium personarum, & non vnitatis essentiæ, ac proinde non videntur requirere particulam. In nomine, respondetur, ibi non tradi totam formam baptismi, sed partem scilicet inuocationem Trinitatis, aliam verò partem, scilicet inuocationem essentiæ diuinæ non excludi, *Reginald. 2. tom. praxis pœnit. lib. 27. capit. 4.* defendit secutus *Syluest.* particulam &, esse necessariam ad essentiam baptismi, vt personæ distinguantur diuinæ, sed hoc nullo modo admitto, quia sine ea particula sufficienter personæ distinguuntur ipsis nominibus Patris, Filij, Spiritus sancti.

QVAESTIO XI.

Vtrùm Sacramentum Baptismi iterari possit.

1. SIT prima conclusio. Sacramẽtum Baptismi nouæ legis est vnum secundum speciem ita, vt non sint in nobis baptismata diuersæ rationis, & naturæ. Hoc probatur primò, ex *Paul. ad Ephes. c. 4. illis verbis: Vnus Deus. vna fides, vnum baptisma,* cum enim Paul. inde non deducat, baptismum esse vnum secũdùm numerum, quia in diuersis hominibus diuersi sunt baptismi. Neque esse vnum secundum genus, quia hoc omninò certum est, deducit sine dubio, baptismũ esse vnum secundũ speciem infimam. Eãdem veritatẽ probant illa verba *Hieronym. in magnis commentarijs illius epist. ad Ephes. in 6. tom.* illis verbis: *Propterea & fides vna dicitur, quia similiter in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credimus, & baptisma vnum, eodem enim modo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptizamur.* Tertiò probatur, quia eodem modo omnibus confertur, scilicet sub eadem forma verborum, & eiusdem est virtutis in omnibus hominibus, quia omnibus virtute eius, vt docuit *Chrysost. serm. 11. in epist. ad Ephes. ante medium.* Remittuntur omnia peccata, scilicet tam peccata originalia, quàm peccata actualia, ergo baptismus est vnus secundũ speciem, qui tamen baptismus legis Euangelicæ est diuersus secundum speciem à diuersis baptismatibus, quæ erant in lege veteri, quia ille significat gratiam, & illam confert, at verò hæc solùm significabant gratiam per Christũ conferendam, non verò eam causabant.

2. Solùm huic doctrinæ videtur obstare doctrina *D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 1.* Vbi tria baptismata enumerat esse in lege Euangelica. Aliud flaminis, aliud fluminis, aliud sanguinis. Respondemus enim, nos dum adstruimus vnũ tantùm esse baptismum legis Euangelicæ secundùm speciem, loqui de baptismo propriè dicto, qui est baptismus fluminis, id est aquæ, non de alijs baptismis flaminis, & sanguinis. Isti enim solùm sunt baptismata quatenus supplent vices baptismi aquæ, cum suscipi ille nõ potest, iustificando hominem, sicut & aque iustificaret, nam baptismus flaminis, qui est cõtritio vera peccatorum, & martyrium toleratum propter amorem Dei, qui est baptismus sanguinis, reddunt hominem iustum, & sanctũ cum ille non potest ablui lauacro aquæ. Tum etiam baptismus flaminis, & baptismus sanguinis non sunt Sacramenta nouæ legis, sicut est baptismus aquæ, quia non constant verbis, vt forma, vt patet, at verò Sacramentum nouæ legis debet constare verbis, vt forma, vt patet in tractatu de Sacramentis in genere.

Secunda conclusio. Licet hæretici quidam dicti *Marcionistæ, vt refert Epiphanius heresi 42. longe ante medium.* Ter confessi fuerint baptismum iterari posse, imò sæpius (si post illum susceptum peccata committãtur) de fide tamẽ est, Sacramentum baptismi ritè, & legitimè collatũ in eodem homine repeti minimè posse, quod si repetatur, nullum fore Sacramentũ. Ita docent communiter *Scholastici in 4. dist. 6. & cum D. Thom. 3. part. quæst. 66 art. 9.* hæc veritas definita est *ab Eugen. IIII. in Concil. Florent. in Decreto fidei, quod est post vltim. Sessio. 6. Ecclesiasticorum, & à Concil. Trident. Sessio. 7. can. 9. de Sacramẽtis, & can. 11 de Baptismo, & à Leone I. in epist. 37. quæ est ad Leonem Rauenatẽ, alias 35. cap. 1. & à Gregor. III. epist. ad Bonifac. prima,* vbi illud *Pauli ad Ephes. 4. vnum baptisma,* explicat ita, *vnum tantum sit in vno homine.* Probatur deinde secundò ista cõclusio ex *Paulo ad Hebræos 6.* vbi cum prius dicat: *Impossibile enim est, eos, qui semel illuminati sunt,* paucis verbis interiectis sic inquit: *Et prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei.* Ex hoc enim testimonio colligunt doctrinam huius conclusionis, *Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 2. August. lib. 1. de vera, & falsa pœnitent. cap. 3.* Et alij multi Patres Ecclesiæ, quos refert *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 146. cap. 3.* Sic enim intelligunt prædicta verba Pauli, impossibile est eos, qui semel baptizati sunt, & peccarunt, per baptismum iterũ emũdari. Illa autem Pauli verba loco citato: *Gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c.* Denotant effectus baptismi, vt aduertit doctissimus Doctor *Tenas in epist. ad Hebræos cap. 6.* Tertiò probatur rationibus, hæc conclusio, *prima sit Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 2. Basilij lib. de Spiritu sancto cap. 15. Isidori, lib. 2. de diuinis Officijs, cap. de Baptismo post medium.* Et aliorum Patrum, quia baptismus, vt supra vidimus, est figura insignis mortis, & sepul-

pulturæ Christi, sed Christus semel tantum mortuus est, ergo baptismus semel tantum debet conferri: Secunda ratio sit desumpta ex, *D. Thom. loco citato.* Quia baptismus imprimit in anima characterem, qui est indelebilis, ergo non potest reiterari, aliàs secundus character esset impertinens, cum esset eiusdem rationis cum primo. Hæc ratio definita est in *Trid. sess. 7. can. 9. de Sacramentis, his verbis, si quis dixerit, in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.* Quod autem baptismus iterari non possit, non prouenit ex lege humana, sed ex diuina, vt notat *Vazquez loco citato, cap. 3. in fine.* Quia secundũ eam est indelebilis.

4 Quæres tamen, an in aliquo casu possit baptismus sub conditione repeti. Cui quæstioni primo respondetur. In nullo casu licere baptismum conferre absolute, & sine conditione, nisi certo constet, priorem baptismum non valere. Secundo respondetur, in eo casu, quo baptismus repetendus sit propter aliquod dubiũ, quod erit circa priorem baptismum, repetendum esse sub illa conditione, vel alia æquiualenti, si baptizatus es, non te baptizo, sed si non dum baptizatus es, ego te baptizo. Vt traditur *in capit. de quibus, de Baptismo*: Quod ideo est necessarium, ne, si prior baptismus valuit, secundus sit nullus, & committatur sacrilegium. Et vt ille homo, de cuius baptismo dubitatur, non exponatur periculo damnationis æternæ; hanc vero conditionem tenetur minister baptismi in dubio exterius, & publice proferre, quando baptismus solemniter ministratur, & dubium prioris baptismi notum est pluribus, vt omnis occasio scãdali auferatur, quod si dubium est occultum, vel baptismus secreto conferatur, satis est, prædictam conditionem mente retinere, vt notauit, *Suar. 3. tomo in 3. part. disp. 21. sect. 2.* In quolibet verò baptismo reiteratio euitabitur, siue exterius, siue interius conditio adhibeatur.

5 Sunt autem duo casus, in quibus licitum esse debet, sub conditione prædicta baptizare. Primus est, cum dubium est de priori baptismo, scilicet, an quis reuera baptizatus sit, an non; ad quod dubium, vt optime aduertunt, *Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 9. §. quod si scisciteris, & Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 146. cap. 4. & 1. 2. disp. 65. cap. 1.* Non sufficit, vt omnino non constet, aliquem esse baptizatum, vel non esse baptizatũ, sed quod pro vtraque parte tales sint cõiecturæ, & indicia, vt intellectus ad neutram partem inclinet, sed omnino anceps maneat, cum tamen ad vtramque partem per coniecturas impellatur. Et quidem in hoc casu iterandum esse baptismum docent, *Sanctus Thom. 3. part. quæst. 66. ar. 9. ad quartum Sot. loco citato versic. 5. argumentum, & Vazquez loco citato. Ita definitur ab Alexan. III. in cap. de quibus, de baptismo, & eius effectu.* Probatur deinde ratione, quia si baptismus conferatur sub conditione non est aliquod periculum reiterandi illum. Deinde, cum baptismus sit institutus ad salutem animarum, ratio ipsius institutionis postulat, vt in eo adhibendo securiorem partẽ animarum sequamur: ac proinde, quod in dubio illum sub conditione iterum adhibeamus, vt hac ratione non periclitetur salus hominũ, qui possunt sine baptismo mori, & damnari, & qui sine eo non sunt capaces aliorum Sacramentorum.

Quod si esset aliud dubium largo modo sic appellatum in eo consistẽs, quod ex nulla parte coniecturæ sint ad aliquod iudicium, formãdum sed solum, quod non constet, neque constare possit de baptismo accepto, *Vazquez loco citato.* Aperte existimat, baptismum esse absolute, & sine conditione conferendum. Hoc probat ex, *Leone I. epist. 37. quæ est ad Leonem Rauennatem, alias 35. cap. 1. quæ epist. refertur à Gratiano can. cum itaque de consecrat. dist. 4.* Cum enim à Pontif. quæsitum esset, vtrum illi, qui tempore infantiæ in captiuitatem deuenerãt, & ideo scire non poterant; vtrum ante captiuitatem baptizati essent, baptizari deberent propter salutis æternæ securitatem, an negandus esset baptismus, vt non iteraretur, absoluta respondet, baptizandos esse, nec vllam efficit mentionem baptismi sub conditione, vt patet ex illis verbis, *Epist. accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cuius in se sciat nullum esse vestigium.* Sentit ergo Pont. in eo casu, cum ignoratur prior baptismus, secundũ esse sine vlla cõditione exhibendũ, *Suar. verò in loco citato.* Insinuare videtur, in eo casu baptismum esse sub conditione conferendum, atque ita intelligit, *Leonem Pap. loco citato, & Greg. III. epist. 4. ad Bonif. & refertur cap. paruulos, cap. cum itaque, cap. si nulla, de consecrat. dist. 4.* Ego vero aliter, & sub distinctione hunc casum resoluendum esse iudico, nam, cum ignoratur aliquem esse baptizatum, vel omnino leuiter, & inaniter suspicamur eum esse baptizatum, & sine vllo fundamento in re, vel cum aliquo fundamento, si suspicio leuis est, omnino deponenda est, vt patet ex *cap. Dominus, de secundis nuptijs. Et ex cap. inquisitionis, de sent. excom.* Et ita tunc baptismus absolute, & sine vlla conditione conferendus est, in quo casu loquitur sine dubio, *Leo. Papa loco citato*, vt patet ex illis eius verbis. *Cum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget Sacramento sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam.* Et hoc modo intelligitur, *Gregorius III. epist. 1. ad Bonif.* Et ratio est, quia baptismus cum conditione non est conferendus, nisi, cum aliquod dubium vrgens se offert. Ibi vero nullum se offert, & ita

absolute

absolutè conferri debet. Quando verò illa suspicio, quod aliquis sit baptizatus, est cum aliquo fundamento, tunc dandus est baptismus cum dicta conditione, & in hoc casu loquitur *Gregorius III. loco citato epist. 3.* Dum dicit loquens de Sacramento Ordinis: *Presbyteros vero quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint illi, à quibus fuerint ordinati, & dubium est, eos Episcopos fuisse, an non qui eos ordinauerint, si bonæ actionis, & catholici viri sunt ipsi presbyteri, & in ministerio Christi, omnique lege sancta edocti. Apti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur.* Quod verò Gregor. III. loquatur de Sacramento sub conditione collato patet, quia loquitur Gregor. In casu dubij in dubio autē exhibendū est sub conditione, vt non reiteretur, cum imprimat characterem.

A

B

7 Ad tollendam autem omnem dubitandi rationem sufficiens est vnius testis fidedigni authoritas, qui asseueranter affirmet, se eum baptizari vidisse. Ita defendunt *Palud. in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 1. post primam conclusionem num. 6. in fine, & Vazquez, ac Suarez locis supra allegatis.* Nec huic resolutioni contradicunt Patres *Concilij Carthag. 5. cap. 6. & Concil. Africanum, cap. 39. & can. placuit. de consecrat. dist. 4.* quando dicunt: *Eum baptizandum esse, cuius non inuenientur certissimi testes, qui sine dubitatione testentur; eum esse baptizatū.* Hæc enim verba, vt notarūt *Vazquez, & Suarez locis citatis.* Ita debent intelligi, eum scilicet esse baptizandum, cuius licet multi testes examinentur, nullus tamen certissimus inuenitur, qui de illo baptismo testificari possit. Huius verò resolutionis nostræ ea ratio esse potest, quia cum negotium baptismi tanti momenti sit, in quo nullus præsumitur, mentiri velle, & in quo reiteratio ita periculosa est, vnius authoritas testis sufficiens iudicatur.

C

8 Quod si aliquis natus fuit ex fidelibus parentibus, & inter Christianos educatus vsque ad eam ætatem, in qua omnes paruuli baptizari solent, & incipiat de se, an baptizatus sit, dubitare, etiamsi nullum aliud inueniatur testimonium certum sui baptismi, id tantum sufficit ad hoc, vt nullo modo baptizetur, quod natus sit inter fideles, & inter eos vsque ad dictam ætatem commoratus, nisi euidentissimis argumentis contrarium constet. Vt colligitur ex *Innocent. III. cap. veniens de presbytero non baptizato.* Loquendo verò de paruulis expositis, tenendum est in eo casu, quo testimonium sui baptismi in aliqua charta scriptum secum haberent, licet non esset nomine alicuius subscriptum, nullo modo baptizandos eos esse, etiam cum conditione eo, quod certissimum sit, parentes eius voluisse reiterationem baptismi euitare media schedula, quod verum est, quando illi expositi essent inter Christicolas, & nō

D

crederetur, esse filios infidelium. Nam si exponerentur inter infideles, & Iudæos, qui baptismum execrantur, tunc etiamsi secum haberent testimonium asseuerans eos esse baptizatos, essent saltim sub conditione baptizandi, quia tale testimonium suspectum esse posset. Cum verò paruuli sine tali testimonio baptismi inter Christianos exponerentur, si aliunde non constat eos esse baptizatos, baptizandi essent sub conditione, vt notauit *Sotus in illo art. 9. §. sit præterea, & Vazquez loco allegato.* Ratio cur non sint absolutè baptizandi ea est, quia fortasse Patres obliti sunt apponendæ schedulę, etiāsi sint pueri baptizati, vel preangustia temporis vt peccatum adulterij, verbi gratia, occultarent schedulam apponere puero non potuerunt. Nisi forte, vt aduertit *Sotus,* pueri expositi inter Christianos, & qui credūtur esse filij Christianorum ex colore, & ex alio indicio, in ea ætate essent, in qua Christianorum filij iam baptizati esse solent, sic enim illi vt baptizati reputandi essent, quod si in more essent pueri inuenti, de quibus dubitaretur, quibus essent parentibus nati an fidelibus, vel infidelibus, deberent sub conditione baptizari, vt salutis æternæ amittendæ periculum vitaretur.

Secundus casus, in quo baptismus conferēdus est necessariò sub conditione prædicta, vt notat *Vazquez loco citato,* cum alijs, quos citat, est sane cum de materia, vel forma, sub qua collatus est baptismus, sunt inter se contrariæ opiniones, & alia asserit, baptismum valere, alia verò minime. Vt cum quis baptizatus esset sub hac forma, in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque, vel cum hac materia, scilicet ablutione facta in digito, quidam enim, vt supra vidimus, defendunt, prædictam materiam, & formam esse validas, alij verò negant. Probatur ratione supra allata, quia cum baptismus sit institutus ad salutem animarum, non contrarium est suæ institutioni, & dignitati, vt applicetur, de nouo cum necessarium est ad certò obtinendam salutem, pro qua institutus est, cum non est periculum reiterationis, sed in isto casu in primis non est aliquod periculum reiterationis, quia datur cum prædicta conditione, & deinde maxime deseruire potest ad certò obtinendam salutem, quia fortassis opinio, quæ asserit, prædictum baptismum non valere, erit vera, & ita baptismus non valebit, & homo sine baptismo damnabitur. Secundò probatur, quia in isto casu ob certitudinem salutis tenetur homo, baptismum quærere, ergo ministri Ecclesiæ tenentur, illum exhibere extra casum necessitatis, & quilibet alius in casu necessitatis. 9

Nec valet, si quis contra hunc vltimum casum obijciat, quia homo in operando sufficienter satisfacit suæ conscientiæ sequendo opinionem 10

nionem probabilem etiam minus tutam, & nõ tenetur sequi probabiliorem, aut tutiorem, vt communis tenetur opinio in tractatu de restitutione, & in alijs tractatibus. Ergo minister baptismi; si in adhibendo prædicto baptismo secutus est opinionem probabilem asserentem talem baptismum cum dicta forma, vel materia valere, non tenetur, alium baptismum etiam sub conditione adhibere, vt certum reddat suũ baptismum. Respondetur tamen cum, *Vazquez loco allegato, & 1.2. disp.63. cap. 2. & 3.* Si non obstet aliqua Ecclesiæ consuetudo, quæ semper tanquam lex obseruanda est, etiam si sint contrariæ opiniones, & si solum consideremus religionem debitam tali Sacramento baptismi, sufficere vti in eo materia, & forma, quæ secundum aliquam probabilem opinionem sufficiẽs sit ad baptismum, quamuis alia opinio contraria dicat illam materiam non esse sufficientem; tamen considerata obligatione charitatis erga proximum, secundum quam debetur idoneum remedium adhiberi proximo, & securum, non potest minister vti tali materia, sed ea, quæ omnino sit certa, alias non recte eius saluti consuleretur. Quod vero minister in baptismo conferendo debeat sequi opinionem tutiorem (& hæc doctrina vera est in quolibet Sacramento) non solum verum est, quando baptizandus est paruulus, sed etiam, quando baptizandus est adultus, quia, licet adultus possit defectũ baptismi supplere per contritionem, non tamen ob hoc dandus est ei baptismus incertus, tum quia poterit ille dum spem suam in baptismo collocandam putet, non curare de contritione, tum, quia, si prior baptismus non valuisset, homo ille non esset capax aliorum Sacramentorum. Quæ damna grauissima sunt, & ita etiã ex charitate, & misericordia debet minister ea euitare exhibendo baptismum, qui sine vlla controuersia validus sit.

11 Quæret vero aliquis primo, an ipse baptizatus adultus, qui scit, baptismum à se susceptum positum esse in controuersia, & opinionum varietate, teneatur suscipere nouum baptismum sub conditione, qui in omnium opinione sit validus, *Vazquez loco citato*, Sentit, licet ipse minister teneatur adhibere baptismum omnino securum proximo petenti ex lege charitatis, vt dictum est, ipsum tamen baptizatum, qui baptizatus est secundum probabilem, minus tamen tutam sententiam, non teneri aliqua lege ad recipiendum nouum baptismum, qui opinione omnium validus sit. Quia nullus in operatione sua sequi debet partem tutiorẽ, sed sat esse, si sequatur probabilem, & minus tutam. Ego tamen saluo alio meliori iudicio existimo, quod licet operans in alijs rebus satisfaciat suæ conscientiæ, & obligationi sequendo opinionem probabilem, etiam si sit minus tuta, quia rigorosum, & intolerabile esset, semper operari secundum opinionem probabiliorem, vel tutiorem, o̊ artamẽ in re tãti momẽti, qualis est baptismus, & his magnis periculis supra memoratis exposita, tenebitur ille baptizatus iterum baptismum sub conditione recipere ex lege charitatis, & misericordiæ erga se. Et licet in alijs Sacramentis, vt docet, *Vazquez 1.2. disp.62.* Non teneatur quis illa recipere eo modo tutiori, quo potest, sed satis sit recipere iuxta opinionem minus tutam, probabilem tamen, vt contingit, cum quis solum habens attritionem existimatam attritionem accedit ad recipiendum beneficium absolutionis, sequendo in hoc opinionem probabilem minus tutam, quod scilicet talis attritio ad id sufficiens sit, & relinquendo opinionem magis tutam, scilicet, quod sit necessaria ad recipiendam absolutionem attritio saltim existimata contritio, licet, inquam, in Sacramento Pœnitentiæ, & in alijs Sacramentis satis sit, sequi opinionem probabilem minus tutam, tamen in Sacramento baptismi, quod ita necessarium est ad valorem aliorum Sacramentorum, requiritur quem libet hominem suscipere baptismum iuxta magis secutam opinionem. Et hanc meã sententiam gaudeo approbatam esse à *Coninc. tom. de Sacramentis, quæst.66. art 9. dubio vnico.*

Quæret vero aliquis. Secundo quale peccatum sit, baptizare aliquem sub conditione, cũ id non est necessarium. Ad hoc respõdetur primo cum, *Pet. de Ledes in sum. de Sacramentis, tit. de Baptismo, capite quinto.* Peccatum esse mortale, baptizare etiam sub conditione eum, quem certo scimus, esse baptizatum baptismo omnino certo. Probatur primo, quia consecrare etiã sub conditione hostiam iam consecratam, est peccatũ mortale, ergo etiam erit mortale peccatum, baptizare etiam sub conditione hominem iam baptizatum. Secundo probatur, quia tunc applicantur vera materia, & forma supra subiectum omnino incapax eius, ergo grauis iniuria fit Sacramento, quæ iniuria est sacrilegium. Respondetur secundo peccatum esse veniale, baptizare etiam sub conditione eum, quem nouimus non esse baptizatum, quod sit aliquale peccatum, patet, quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ absolute baptizat eos, qui non sunt baptizati. Quod vero sit hoc peccatum veniale, patet, quia materia leuis est, neque in hoc grauis iniuria irrogatur Sacramento baptismi. Communiter inter omnes, quando baptismus valide collatus est, sed sine solemnibus ceremonijs, has postea esse supplẽdas, & tenet vsus, & manuale parrochorum tum ob ornatum baptismi, tum vt effectus illi, quos Ecclesia intendit illis ceremonijs, in decursu vitæ obtineatur. Quando vero baptismus inualide esset collatus cum illis ceremonijs, est dubium, an illæ essent repetendæ cum baptismo, *Ant. tit.14. cap.13. §.12.* defendit esse repe-

se repetendas. Sed dicendum cum Suarez 3. tomo. in A *3. part. disp. 31. sect. 6. & Conine. tomo de Sacramētis quæst. 66. art. 9. dubio vnico*, Non esse supplendas. Probatur primo quia sicut in primo casu conferuntur post baptismum, ita in secundo ante baptismum positæ non sunt supplendæ. Secūdo probatur, quia, *Innoc. III. c. 1. de Sacramentis non iterandis*. Docet, in Sacramentis imprimentibus characterem quando aliquid est omissum, caute illud esse supplendum: Quod generaliter videtur intelligendum tam scilicet de rebus substantialibus, quā accidentalibus Sacramentorum. Illæ vero ceremoniæ, quæ antecedere natura sua baptismum petunt, dicuntur postea relata ad tempus ante cedens baptismum, sicut nunc dicitur post Christi aduentū, rorate Cœli desuper, & B nubes pluant iustū. Et de iam mortuis dicitur: Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, &c.

Hic disputant aliqui de irregularitate contracta ob iterationem baptismi, sed hæc, quæst. potius ad tractatū de irregularitate, pertinet, quam ad hunc, quare ommittenda est.

QVÆSTIO XII.

Quæ conditiones, & qualitates requirantur in ministro Sacramēti Baptismi.

SIT prima conclusio de fide Catholica. Baptismus collatus cum legitima materia, & forma, & cum debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia siue in necessitate, siue extra illam sine dubio verus, & validus est, ita vt nullo modo reiterari possit, siue conferatur à laico, siue à Clerico, siue à viro, siue à fœmina, siue à baptizato, siue non baptizato. Ita definiuit, *Nicolaus Papa ad cōsulta Vulgarorum, cap. 104. & refertur can. à quodam Iudæo, de consecrat. dist. 4.* Vbi indiscriminatim loquens de his, qui tempore necessitatis, & extra illam fuerant baptizati, vt colligitur ex illis verbis. *Multos in patria vestra baptizatos asseritis* (Neque enim omnes ob solam necessitatem baptizati sunt) respondet: Valida esse baptismata à Iudæo collata siue baptizatus esset, siue paganus, hoc est, non baptizatus. Præterea hæc eadem veritas definitur ab, *Eugen. IIII. in decreto* D *fidei, quod est in Cōcilio Floren. post vltim. sess. §. 1. omnium*, His verbis, *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel diaconus, sed & laicus, vel mulier, imo etiā Paganus, & hæreticus potest baptizare, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat id, quod facit Ecclesia.* Nam licet Pont. Solū definiat hoc pro extrema necessitate, idē tamē videtur definitum esse extra extremā necessitatē, quia in hoc Sacramento minister sufficiens in extrema necessitate, etiam extra illā ad valorem Sacramenti sufficit. Tertio probatur ex, *Cap. si quis per ignorantiam 1. q. 1.* Vbi absolute pronunciat Pont. *Non esse habendā rationem hominis baptizantis, siue sit Paganus, siue non, sed Spiritus Dei sub ministrantis gratiam baptismi.* Prima ratio huius cōclusionis est, quia totū hoc negotiū pendet ex institutione Christi, sed secundū traditionem Ecclesiæ constat, ita Christū instituisse baptismum, vt valeat ille à quacunq; prædictarū personarum conferatur: Ergo sine dubio valet. Secunda ratio sit, quia, cū hoc Sacramentū sit maxime necessariū ad salutē tam paruulis, quam adultis inter reliqua alia Sacramenta, ita maxime conueniens fuit, diuinæ liberalitati, vt illud peruium, & facile omnibus exhiberet, sed eius materia communissima est, & omnibus passim obuia, scilicet, aqua elementalis, ergo eius minister etiam debet esse facilis ad inueniendum scilicet, quilibet homo, siue baptizatus, siue non baptizatus.

Contra hanc talem resolutionem obstant aliqua argumenta. Primum est desumptum ex, *Concilio Eliberitano, can. 38.* Cuius hæc sunt verba. *Posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita vt, si superuixerit, ad Episcopum perducat, vt per manus impositionem perfici possit, id est, confirmari.* Sentit ergo Concilium, non baptizatū, & bigamum nō posse baptizare. Sed ad hoc respondetur, Concilium tantum voluisse, in eo casu, quo plures C personæ sese offerant ad baptizandum vnus, qui sit baptizatus, alius, qui non sit baptizatus, & vnus bigamus, alius vero sine vlla bigamia, præferendum esse baptizatum nō baptizato, & non bigamum bigamo. Cum baptismus autem est solemnis, expellendus à ministerio est bigamus, non vero, cum priuatim ministratur, quia ministrare solemnem baptismum pertinet ad vsum Ordinis Sacri, qui prohibitus est bigamo, cum irregularis sit, cuilibet enim irregulari prohibetur ascensus ad nouos ordines, & vsus antiquorum.

Secundo obstat, *Concil. Carthagin. 4. can. 100.* Vbi absolute prohibetur, ne mulier baptizare præsumat. Ergo mulier nequit esse minister baptismi. Respondetur, Concilium ibi solum prohibere, ne mulieres in casu necessitatis, vel extra illū in præsentia virorum baptizare præsumant, etiam si doctæ, & sanctæ sint, non tamē negare, validum esse baptismum in his casibus etiam præsentibus viris collatū à mulieribus.

Tertio pugnat cōtra nostrā resolutionē, *Greg. epist. 2. ad Bonif. & refertur can. quos à Paganis, de cōsecrat. dist. 4.* Vbi sic dicitur, *Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* Ad hoc omnes Theologi cōmuniter respōdent, ideò prædictū baptismū esse de nouo cōferendum, quia prior nō erat in nomine Trinitatis collatus.

Quarto

5 Quarto pugnant verba, *Ioan.4. Ep. ad Anselm.& refertur can.ad limina.* 30.q.1. vbi dicitur, *baptizandi opus laicis fidelibus iuxta canonicam authoritatem, si necesse fuerit facere, libere conceditur, & Gelasius Papa, vt refertur can.* Diaconos, dist.93. vbi loquens de officio baptizandi Diaconis concesso in casu necessitatis extremæ, ait. *Quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur in Ecclesia baptizandi officiũ in necessitate*, & hoc iuxta Gelas. non semper, sed plerunque, ergo non baptizatis nunquam hoc conceditur; ergo non possunt baptizare. Ad hæc vero testimonia respondetur cũ *Vazq. t.2.super 3.p.disp.147.cap.2.* in his verbis, non negari validum esse baptismum ab infidelibus collatum, etiam præsentibus fidelibus, licet in hoc peccent, sed tantũ affirmari, laicis fidelibus licitũ esse Clericis absentibus baptizare, quando tantũ ipsi, & infideles coniunguntur ad baptismum; illud vero verbum, plerunque denotat, in extrema necessitate recte posse laicos fideles baptizare cõmuniter, quia cõmuniter isti tantum adsunt, & non Clerici, qui nõ tam facile inueniri possunt.

6 Quinto pugnat contra hoc *Isidorus, & refertur can. siquis per ignorantiam 1. quæst.1.* vbi dicitur, *siquis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari.* Ad hoc argumentum respondent emendatores Decreti Gratiani, in citatis verbis nihil definiri, sed proponi quæstionem, aut alterius quam Isidori sententiam indicari, veram tamen sententiam Isidori alteri oppositam contineri in cap. sequenti, vt patet ex illa particula aduersatiua, *Sed*, verba eius capitis hæc sunt. *Sed Romanus Pont. non hominem indicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit, qui baptizat.*

7 Sexto pugnat contra hæc *Tertul.lib.de præscript. aduersus Hæreticos, cap.41.* vbi mulieribus prohibet baptizare, *& lib. de Baptismo, c. 17.* sic inquit, *petulantia inquit mulierum, quæ vsurpauit docere, vtique non etiam tingendi ius sibi pariet? Et Clemens Rom. lib.3. constitut.cap.9.* sic ait. *De mulieribus vero baptizantibus scitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere.* Ad hos tamen Patres facile respondetur, eos non contẽdere inualidum esse baptismum collatum à mulieribus siue in casu necessitatis, siue extra illum, velle tamen, ne extra casum necessitatis ex officio præsumant baptizare, hoc enim error est intolerabilis.

8 Septimo repugnat nostræ cõclusioni illud *Matth. vltimo, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nam ibi locutus est Christus ad solos Apostolos, & eorũ successores Episcopos, ergo isti tantũ possunt baptizare. Sed respõdetur, ibi Christũ nõ designasse ministros baptismi, sed potius præcepisse ministerium baptismi, cuius cura primatio demã data est Episcopis, vt primis Pastoribus, non quia illi soli sint ministri sufficiẽtes baptismi.

Octauo repugnat, quia per baptismũ recipiũtur homines ad Ecclesiã, maxime autẽ cõueniẽs videtur, vt potestas admittẽdi homines ad Ecclesiam sit penes solos Ecclesiæ Principes, qui sunt Episcopi, ergo alij inferiores illis non possunt baptizare. Ad hoc respõdetur cũ *D.Th.3.p.q.67.a.2.ad* 2. Quod in qualibet Republica ea, quæ sunt minora, pertinẽt ad minora officia, maiora vero maioribus officijs referuntur, & quia per baptismũ solũ homo adipiscitur infimũ officiũ, & locũ in populo Christiano, ideo baptizare, potest pertinere ad inferiores ministros Ecclesiæ, scilicet, ad presbyteros, imo & ad alios etiam non ordinatos. 9

Nono etiã repugnat, quia ille, qui non erat circũcisus, non erat aptus minister circumcisionis, ergo & modo, qui nõ est baptizatus, nõ est minister sufficiẽs baptismi. Sed respõdetur duplicIter. Primo iuxta multos Doctores nõ circũcisum posse esse ministrũ circũcisionis. Secũdo etiã si nõ circũcisus nõ posset esse minister circũcisionis, nõ baptizatus tamẽ potest esse minister baptismi; quia, cũ circũcisio solũ esset instituta pro populo Abrahã, & nõ ita necessaria ad salutem, & baptismus sit institutus pro omni gẽte, & mediũ necessariũ ad salutẽ; ideo, quãuis minister circũcisionis, vt aliqui volũt, solũ debeat esse circumcisus, at minister baptismi debet esse quilibet homo. 10

Secũda cõclusio, Munus baptizãdi in quocũque euẽtu, & casu siue solẽniter, siue priuatim, siue in extrema necessitate, siue extra illã iure proprio cõuenit Episcopis in sua Diœcesi, & hoc quidẽ nõ cõuenit Episcopis, quia in non baptizatos ante baptismũ iurisdictionẽ habeãt directè, quia, cũ sint tũc extra Ecclesiã, nõ subsunt Pastoribus Ecclesiæ. Sed, quia cum aliqui in eorũ Diœcesibus per baptismũ Fideles, & Christiani cõstituuntur, hoc ab ijs fieri debet, qui supremã iurisdictionẽ in homines baptizatos habẽt; imo hãc iurisdictionẽ, & facultatẽ, vt possint baptizare, habẽt etiã Parrochi ex approbatione iuris eo ipso, quod in Parrochos eligũtur, quare nõ indigẽt licẽtia Episcopi ad hoc, vt baptizẽt, quia, cũ ipsi sint etiã Pastores Ecclesiæ ordinarij, quãuis minus principales, quã Episcopi, ad ipsos etiã pertinere debet munus baptizãdi eos, qui in sua Parrochia Fideles fieri volũt. Neq; hac potestate possunt Parrochi pro solo nutu Episcopi sine causa priuari, quia ea nõ datur Parrochis ab Episcopo, sed à iure cõmuni, alij vero Sacerdotes possunt de licẽtia Parrochi, si sint approbati ab Episcopo, vel de licẽtia Episcopi baptizare in quocũque euẽtu siue solẽmniter, siue priuatim, siue in necessitate, siue extra illã, semper enim baptizare est actus iurisdictionis, quia per baptismũ quis in numerũ Christianorũ admittitur, vt do- 11

F cet,

cet. *Vazquez loco citato.* Siquis autem Sacerdos sine licentia Episcopi, aut parrochi extra casum necessitatis baptizaret, sine dubio in re grauiius eorũ læderet, ac per consequens peccaret mortaliter. Vnde, cum aliqui patres, vt *Tertul. lib. de Baptismo. cap. 17. num. 114. & Hierony. in dialogo contra Luciferianos, num.* 20. Docent, munus baptizandi conuenire Episcopis, & Sacerdotibus de eorum licentia. Hoc intelligendum est de Sacerdotibus, qui non sunt parrochi, vel, si de parrochis intelligatur, appellarunt hi patres licentiam, in his requisitã, electionem in parrochos, quam efficiunt Episcopi, vel Summus Pontif. e contra vero, quando alij absolute presbyteris concedunt ius baptizandi, vt, *Clemens Rom. lib. 3. constitut. cap. 11. & Isid. lib. de diuinis officijs, cap. de baptismo, & refertur, can. constat. de consecrat. dist. 4. & Sanctus Thom. 3. part. quæst. 67. art. 2. in corpore, & D. Bonauent. in 4. dist. 5. art. 1. quæst. 1. & alij scholastici citati à Vazquez a. tomo in 3. par. disp. 147. cap. 3. & Eugen. IIII. in decreto fidei edito in Concilio Florent. post vltimam sess. §. 1. omnium. Illis verbis, minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio conuenit baptizare.* Hic inquam modus loquendi patrum, & Concilij, non est ita intelligendus, vt Sacerdos ex sola sua ordinatione absque, Episcopi, vel Summi Pontificis consensu habeat iurisdictionem ad baptizandum aliquem licite. Hoc enim verum esse nequit, cum ex sua ordinatione non constituatur pastor Ecclesiæ, quod requiritur ad obtinendam talem iurisdictionem, sed ita intelligendus est, vt recte notauit, & acute, *Vazquez, loco citato §. hoc sensu certum est,* Scilicet, quia ex ordinatione sua ad hoc apti sunt, vt possint accipere munus ordinarium parrochorũ, vel Episcoporum, quo possint iurisdictione propria suos subditos baptizare, vel quia ex vi ordinationis apti sunt, vt cõmissione, & delegatione pastoris ordinarij data pro suo libito, & sine causa, possint habere iurisdictionem ad baptizandum, non solum in casu necessitatis, sed etiam extra illum, non solum absentibus Episcopo, & parrocho, sed etiam illis præsentibus. Et quidem, quod hoc munus baptizandi cõueniat Episcopis, & parrochis amplius, probatur ratione *Scotti in 4. dist. 6. q. 1. & Gabriel q. 1. ar. 2. conclus.* 2. Quia per baptismum admittitur aliquis in Ecclesiam, sed admittere aliquem ad aliquam remp. vel cõgregationẽ, conuenit ei, qui in ea præsidet, ergo baptizare pertinet ad Episcopos, & parrochos, quia hi sunt, qui in suis rebus pub. præsidũ locum obtinẽt. Quod vero Sacerdotes ex vi suæ ordinationis apti sint ad baptizãdũ, probatur, Sacerdotes ex sua ordinatione accipiũt potestatẽ cõsecrandi corpus Christi verũ, quod est Sacramentũ Ecclesiasticæ vnitatis, Iuxta illud 1. *ad Corin.* 10. *vnus panis, & vnũ corpus, &c.* Sed per baptismũ fit catechumenus particeps Ecclesiasticæ vnitatis, ergo eidẽ Sacerdoti, cui conuenit, consecrare Corpus Christi, conuenit etiã baptizare homines. Quæ ratio optima est, & est, *D. Tho. 3. p. loco citato.* Etita est intelligẽda, vt Sacerdos ex sua ordinatione sit capax facultatis baptizãdi.

12 Ex dictis sequitur quædam differẽtia valde notanda inter collationem absolutionis, & collationẽ baptismi, quia absolutio à peccatis collata alicui, in quẽ Sacerdos non habet iurisdictionẽ, est nulla, & irrita, at vero baptismus collatus alicui sine licẽtia parrochi, vel Episcopi à nõ habẽte iurisdictionẽ verus, & validus est. Ratio vero discriminis est, quod absolutio ipsa est actus iurisdictionis in peccatorẽ, cũ sit quędã sententia iuridica, ac proinde, si Sacerdos iurisdictionẽ nõ habeat in pœnitentẽ, & tentet eũ nihilominus absoluere, absolutio omnino erit inanis, & inualida, iuxta, *Trident. sess. 14. cap. 7.* At vero baptizare secundũ se consideratũ non est actus iurisdictionis, quia Ecclesia in catechumenũ nullã habet iurisdictionẽ, est tamen actus eius, qui habet iurisdictionẽ in reliquum corpus, cui coniungi vult catechumenus, & ita, quamuis detur baptismus ab eo, qui non habet iurisdictionẽ, quia tamẽ eam non requirit intrinsecẽ, & essentialiter ipse actus baptizãdi, ideo baptismus collatus semel validus est. Tum etiã, quia Christus, qui fuit institutor baptismi, omnes tam habentes iurisdictionem, quã non habentes, admisit ad hoc, vt baptismũ valide conferre possent, at vero ad conferendũ valide absolutionem noluit admittere Christus nisi eos qui habent iurisdictionem.

13 Tertia conclusio de Diaconis, sit hæc. In primis Diaconus ex sua sola ordinatione idoneus non est, vt ei hoc munus tanquam pastori proprio, & ordinaria potestate conuenire possit. Probatur, quia ex sua ordinatione Diaconi nõ sunt apti ad hoc, vt eligantur in pastores proprios animarũ, ergo neq; vt iurisdictione propria, & sine alterius licentia baptizent. Secundo respondetur, Diaconum ex vi suę ordinationis nõ esse aptũ, vt ei pro libito pastoris, & sine vlla causa cõmittatur ministeriũ baptizãdi solẽniter. Probatur ratione, *D. Tho. à contrario sensu formata.* Quia Diaconus ex vi suæ ordinationis nõ habet potestatem in Corpus Christi verũ, quod est Sacramẽtũ vnitatis in Ecclesia, ergo neq; admittendi aliquem ad baptismum, medio quo fit pars Ecclesiæ, & particeps vnitatis. Tertio dico in hac conclusione. Diaconis ratione ordinationis suæ aliquid amplius conuenit in ordine ad baptismũ, quam laicis, vel alijs Clericis: vnde, cũ laici, & alij Clerici inferiores Diaconis in extrema necessitate possint baptizare, Diaconus extra hũc casum nõ modo sine solẽnitate, sed etiam cũ illa poterit baptizare, dum se offerat aliqua vrgens causa Ita docent. *Sotus in 4. distin. 4. q. vn. art. 1. & Vazquez loco*

A *loco citato, cap. 4.* Et potest baptizare per commissionẽ Pastoris Ecclesiæ ex qualibet causa occurrente. Probatur primo ex Pontificali Romano, vbi Episcopus ad electos, vt ordinẽtur in Diaconos, post electionem sic inquit. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare, sed baptizare in extrema necessitate absentibus Episcopo, & presbytero potest quilibet licite, ergo Diaconus potest extra extremam necessitatem baptizare licite. Secundo probatur, quia Diaconus adhoc instituitur, vt ministret Episcopis, & Sacerdotibus in baptismo, ergo ratio ministerij exigere videtur, vt Episcopus, & presbyter postulante id aliqua causa rationabili Diacono suo aliquando committant ministerium licitum baptismi, etiam cum solemnitate, & B cum catechumenus recte se habet, siquidem ipse de se sine vlla commissione poterat hoc opus saltem valide perficere.

14 Obijciet tamen aliquis contra hanc secundam conclusionem aliqua argumenta. Primũ est desumptum ex *Clemente lib. 8. constitut. ca. 46. post medium.* Vbi dicit duo. Primum Diaconis fas non esse, baptizare. Secũdum est id, quod sibi obijcit ex sententia aliorum, scilicet, quod Philippus Diaconus Eunuchum, Ananias autem fidelis frater Paulum baptizauit. Ad primum autem dicimus, id esse intelligendum ita, quod Diaconi non possint baptizare licite etiam ex commissione Pastoris Ordinarij in quolibet euentu absque vlla necessitate, sed tantum iusta causa id exigente. C Ad secundum autem respondet ipse Clemens his verbis, *dicimus enim, neminem sibi dignitatem Sacri ordinis sumere, sed vel à Deo accipere, vt Melchisedech, & Iob, à Pontifice vt Aaron à Moyse. Itaque & Philipp. & Ananias non seipsos elegerunt, sed à Christo Pontif. & Deo, cum quo nemo comparari potest, electi sunt.* In quibus verbis denotatur, Philippum, & Ananiam á Deo accepisse facultatẽ baptizandi, quæ verba sic debent intelligi quantum ad Philip. scilicet, non quod peculiariter à Deo acceperit facultatem pro baptizando solo eunucho, sed, quod eam à Deo per ministerium Apostolorum susceperit generaliter ad baptizandum, quod patet ex *Actorũ* D *cap. 8.* Vbi de Philip. antequam baptizaret eunuchum, dicitur, *cum verò credidissent Philippo Euangelizanti de Regno Dei, & nomine Iesu Christi baptizabantur*; certe à nullo alio, sed à Philippo, quia tunc non constar, ab alio Samaritanos baptizatos fuisse, quantum ad Ananiã vero intelligitur, vt patet *Actorũ 9.* Eum peculiariter à Deo accepisse potestatẽ baptizãdi; & quidẽ licet Vazquez loco citato, contendat Ananiã non fuisse Diaconum, ex verbis tamen citatis videor mihi colligere, fuisse quidẽ Diaconũ, alias obiectio Clemẽtis A cõtra se nullius esset roboris, imo Clemẽs facile se ab illa expediret negando, esse Diaconum, quod non negauit Clemens.

Secundũ argumentũ contra nostrã insurgẽs 15 concl. sic se habet, Sacerdotibus, qui non sunt proprij Pastores, solũ conuenit Baptizare ex iussu, & cõsensu Episcoporũ, vel Parrochorũ, sed eodẽ etiã modo possunt Diaconi baptizare, ergo sequitur, æqualẽ esse rationẽ Diaconorũ, & Sacerdotũ quantũ adhoc. Huic tamen argumento facilis extat solutio. Defendẽdo, diuersam esse rationẽ Sacerdotũ, & Diaconorũ, nam Sacerdotes ex cõmissione Pastorũ Ecclesiæ possunt quauis de causa, & in quacumque occasione baptizare etiã solemniter, & extra casum necessitatis, Diaconi vero solũ possunt B baptizare ex cõmissione Pastorũ Ecclesiæ, & cũ solemnitate in casu necessitatis catechumeni, imo etiã extra casum necessitatis catechumeni, quando aliqua vrgẽs necessitas id efflagitauerit, vt inopia Sacerdotũ existente (non enim ad hanc cõmissionẽ requiritur extrema necessitas.) Ex quo aperte dignoscitur alia aperta differẽtia inter Diaconũ, & laicũ in ordine ad baptismũ conferendũ, quia Diaconus potest eo modo, quo vidimus, baptizare iure Diuino ratione suæ ordinationis, laicus vero iure Diuino tãtũ potest licite baptizare in extrema necessitate catechumeni, vt quando ille animã agit, & quãdo Diaconus, & alij Clerici desiderantur. Imo in isto casu non potest baptizare cum solemnitate.

C Quarta cõclusio. Quicũq; laicus, & baptizatus siue mulier, siue vir grauiter peccat, si extra casum necessitatis extremæ etiã sine solẽnitate baptizet (de nõ enim baptizato nulla relinquitur dubitãdi ratio.) Hãc conclusionem tuentur. *D. Th. 3 p. q. 67. a. 3. ad 1. Nauar. Regni nostri Nauarræ, imo & totius Hispaniæ decus, & ornamentũ eximiũ, in Sũma. c. 22. n. 7. & Domin. Sot. in 4. dist. 4. q. vn a. 3. §. sit ergo 1. cõclus.* Quæ conclusio etiam vera est intellecta etiã de Diaconis, & Subdiaconis in ijs casibus, in quibus cis prohibitũ est ministeriũ baptismi. Probatur cõclusio quo ad omnes partes hac vnica ratione, quia ministrare Sacramentũ baptismi, D grauis materia est, si ergo quis illud ministrauerit cõtra preceptũ diuinũ, sine dubio lethaliter delinquet, ex quo liquido constat, laicum baptizatũ conferentẽ alicui baptismum cum ceremonijs solemnibus Ecclesiæ, multo potiori iure peccatum mortale committere.

Antequã quintam statuamus conclusionẽ, duo præ oculis habenda sunt. Primũ sit, Pastorem Ecclesiæ nõ posse vices suas cõmittere laico ita, vt eo præsente etiam in casu necessitatis siue cum solemnitate, siue sine illa baptizet. Probatur, quia laicus in casu necessitatis tantum habet facultatem baptizandi de iure Diuino, & non ex commissione alicuius

hominis, & eam tantum habet sibi concessam ad hoc, vt possit baptizare absente presbytero, vel alio magis idoneo ministro, quam sit laicus,
17 ergo nequit etiam ex commissione baptizare in eo casu. Confirmatur hæc veritas quia si eo modo Sacramentũ Baptismi cõferretur, magna fieret in eo irreuerẽtia Sacramẽto, cum proprius ei denegetur minister, & cõcedatur improprius, quam irreuerentiam auferre nequit præfata licentia Pastoris Ecclesiæ.

18 Secundo prælibandum duximus, præsente Episcopo, vel Sacerdote, nemini alteri inferiori ministro etiã diacono licitum esse baptizare, cõmuniter, probatur. Primo, ex *Gelasio Papa in epistola ad Episcopos per Lucaniam, & refertur canone Diacones* 93. d. Vbi de Diaconis sic dicitur, *Absq; Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortasse officijs longe constitutis necessitas extrema compellat.* Secundo probatur, quia Diaconi, & alij inferiores solũ possunt baptizare instante necessitate, vt patet ex Gelasio, sed sic est quod præsente Episcopo, vel Sacerdote, nulla instat necessitas, ergo non possunt ij baptizare.

19 His ita præiactis sit quinta cõclusio. Cum instat periculum mortis, & plures ad sunt qui baptizare possunt iste ordo seruandus est, vt mulier cedat viro, & laicus clerico, & clericus in quocũque ordine sit constitutus Sacerdoti. Hanc conclusionem amplectuntur, *D. Thom. in quæst. citata art. 4. in corpore, Nauar. in summa cap. 22. num. 7.* Alios referens, & sequens, & quidem, *Suarez 3. tomo in 3. part. disp* 23. *sectione* 2. Defendit peccatum esse mortale præsente parocho etiam in casu extremæ necessitatis aliũ Sacerdotem simplicem baptizare, aut præsente Sacerdote Diaconum, aut præsente Diacono alium Clericum inferiorem, in alijs vero personis ordinis inuersionem in baptizando non esse peccatum mortale, vnde Clericũ minorum ordinum minime grauiter delinquere dum præsente Subdiacono baptizat, neque similiter laicum in graue peccatum prolabi dũ Clerico præsente minorum ordinum baptismum alicui confert, quia in his non reperitur aliqua grauis materia sufficiens ad peccatum mortale constituendum; verius tamen videtur in eo ordine conferendi baptismum graue peccatum reperiri, ita docet, *Vazquez loco citato, cap. vltimo.* Probatur hoc assumptum, quia prædictum ordinem in baptizando seruandum esse non iure aliquo humano, quin potius diuino statutum est, quia cum ius diuinum ob necessitatem extremam concedit, vt licite baptizent illi, qui alias baptizare non poterant licite, sine dubio hanc facultatem ideo concedit, vt, qui magis aptus est, inepto præferatur in administratione baptismi, vnde videmus, in præsentia Sacerdotis Diaconum baptizare non posse, sed mulier minus apta est, quã vir,

A & laicus, quã Clericus, & Clericus, quã Sacerdos, ergo in præsentia aptioris minus aptus non potest baptizare sub pæna peccati mortalis, quia materia hæc grauis est, & cadens sub præcepto diuino, *Et Nauar. loco citato.* Ait, non baptizatum baptizare non posse præsente baptizato, qui sciet baptizare, & possit, & *Vazquez loco citato.* Addit, si adsit non excommunicatus, excomunicatũ baptizare non posse; imo existimo, in præsentia Diaconi non posse subdiaconũ baptizare. Et in præsentia Subdiaconi non posse constitutũ in minoribus ordinibus baptizare, quia inter hos, vnus notabiliter est maior, & excellentior altero, sicut Clericus laico, Quare maior præferendus est minori. Inter initiatos vero prima tonsura, & initiatos
B minoribus ordinibus, si ordo peruertatur, nõ erit mortale, quia materia grauis non est. Cum vero dicimus, prædictum ordinẽ seruandũ esse, ita intelligendũ est, vt superior præferendus sit inferiori, dũmodo sciat baptizare, & possit, & dũmodo velit, & sine labe simoniæ velit, aliàs aliqua istarum deficiente conditione inferior in gradu poterit in præsentia superioris baptizare. Vtrum vero laicus, vel Sacerdos baptizans contra ius irregularitatem incurrat, non est huius loci disputare: sed hæc disputatio propriam sedem habet in materia de irregularitate.

QVÆSTIO XIII.

C

Vtrùm plures homines possint eundem baptizare tanquam causæ totales.

PRo huius quæstionis intelligentia præ notandũ est, plures homines dupliciter posse concurrere ad eundẽ catechumenũ baptizãdũ. Primo tãquã causas totales ita, vt quilibet adhibeat integrã materiã, & formã, & habeat intẽtionẽ per se solũ sine alterius adiumento baptizãdi. Secũdo tanquã causas partiales, ita vt vnus velit alterum coadiuuare ad baptismũ conficiendũ, & sine eius adminiculo non habeat intentionẽ integrè baptizandi.

Sit prima conclusio. Si plures homines, pri
D mo modo concurrant ad baptizandum, sine dubio baptismus valet, & ab vtroque, confertur baptismus, si vterque simul adhibeant materiam, & formam. Hanc conclusionem defendunt, *D. Tho. 3 p. q. 67. ar. 6. Caiet. in cõment. §. ad euidentiam autem. D. Bonauent. in 4. dist. 5. art. 1. quæst. 1. in 3. quæst. collaterali Soto in quarto dist. 4. quæst. vnica ar.* 4. Probatur primo quia in eo casu quilibet minister eorũ sufficiens est ad baptizandum, quia applicat integrãmateriã, & formam, & habet intentionẽ perfectam baptizandi, ergo per cõcomitãtiã alterius ministri non sit

non sit insufficiens, cum per eam, neq; reddatur imperfecta materia, neque forma, neq; intentio. Secundò probatur eadē conclusio, quia si plures cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia super eandem hostiam simul proferāt verba consecrationis, sine dubio omnes consecrant, quia non est maior ratio, quare vnus Sacerdos consecret, quam alius, & quia negari non potest, hostiam tunc manere cōsecratam, pari ergo ratione dicendum est, in nostro casu plures illos ministros baptizare.

3 In eo tamen modo baptizandi peccatū graue committitur. Primò quia nō seruatur ordo Ecclesiæ, qui in eo situs est, quod vnus tantum debet catechumenū baptizare, quamuis enim in Sacramento Ordinis, dum Episcopus celebrat, omnes Sacerdotes cum Episcopo proferant verba consecrationis super eandē materiā hoc tamen fit sine vllo peccato, quāuis aliqui exponantur periculo proferendi verba consecrationis supra hostiam consecratā, quia illud cōtingit ad repræsentandā institutionem huius Sacramenti, quod à Christo simul cū Apostolis cœnātibus institutū est. In alijs verò Sacramētis non reperitur aliqua iusta causa, quæ excusare possit à peccato ministros, dum plures simul ad idem Sacramentum conficiendū accedunt. Secundò peccant grauiter ministri in nostro casu, quia exponunt se periculo proferendi verba applicādiq; materiam supra subiectū incapax noui Sacramenti, vt contingit in baptismo, & in alijs Sacramentis, quæ imprimunt characterem, aut sine vllo prorsus animarū fructu, vt apparet in alijs Sacramentis, quæ characterem non conferunt.

4 Quod si pluribus accedentibus ad baptizandum aliquem tertium, vnus proferat prius verba, ac prius abluat, quam alter, tunc prior quidem baptizat, cum nihil obsit eius intentioni, posterior autem suis votis frustratur, quia semel baptizatus secundo baptismo frui minime potest.

5 Quæret tamen aliquis. Primò, an in eo casu, quo plures verè conficiant eundem baptismū, reperiantur duo Sacramenta baptismi, an verò vnicum tantùm. Cui quæstioni, *Gabriel in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. dub. 4. Cait. 3. p. q. 67. art. 6. §. ad penultimum demum*, respondent, tunc reperiri duo Sacramenta, licet vnicus tantum reperiatur effectus gratię, & characteris. Probatur hoc responsum primo, ex *D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. ad quartum*. Vbi ait: *Non posse plures vnum baptizare, quia actus multiplicantur secundū multiplicationem agentiū, si perfectè ab vno quoque agatur*. Cū enim in nostro casu vnusquisq; perfectè baptizet erūt duo Sacramēta. Secūdò probatur, quia tūc sunt duæ formæ, & duæ materiæ si quilibet in diuersa parte baptizet, ergo sunt duo Sacramenta. Sed respondetur, in eo casu vnū tantū esse Sacramētū. Ita *D. Th. 3. p. q. 67.*

A *a. 6. in fine, Suar. 3. to. 3. p. disp. 23. sect. 3. & Vazq. alios allegans*; & longe refutans rationes eorū, *a. tom. in 3. p. disp. 148. c. 2.* Ratio huius est, quia Sacramētū, licet materialiter dicat res, & verba, quibus constat, vt materia, & forma, formaliter tamen consideratum dicit rationē signi, & significationis gratiæ, sed vnitas rei sumitur principaliter ex forma, ergo vnitas Sacramenti non ex vnitate physica rerū, quibus constat, quia vt sic est quid aggregatū, & plura, sed ex ipsa significatione desumenda est. Quemadmodum, licet cathedra ex pluribus rebus omninò inter se diuersis, & tanquā ex entitatibus totalibus constituatur, quia tamē ratio figuræ, quā omnes illæ res exornantur, & quæ rationē induit formæ, vnica est, ideò cathedra vnica dici-

B tur. Vnde si in ipsis rebus cōponentibus Sacramentum vna, & eadem significatio reperiatur, vnum numero Sacramentū resultabit, sed in illis duabus prolationibus verborū, & in duabus illis ablutionibus tantū vnica significatio vnius gratiæ reperitur, ergo tantū est vnum Sacramentum. Vnde respondetur ad D. Tho. eū tantum velle, cum quilibet baptizās perfectè agat, & baptizet, tanquam perfectus minister Dei, fieri non posse vt plures simul sub illa forma, nos te baptizamus, verè baptizent, quia per eam formam non denotantur multi actus agentium, quorum quilibet ab vno quoq; ministro perfectè, & integre procedat, sed potius denotatur vnus actus à pluribus proueniēs tāquam à causis partialibus, quod intellige, nisi

C quilibet auctoritatis gratia, ita loqueretur intendens integre baptizare. Ad rationem in cōtrariū respondendū est, vnitatem Sacramenti baptismi in eo casu non esse sumendam ex vnitate prolationis, vel ablutionis, sed ex ratione signi, quæ vnica quidem est, vt vidimus.

6 Secundò quæres, qua ratione duo instrumēta totalia possint ad eandem gratiā producendam concurrere, vt duo Sacramenta in opinione eorum, qui duo cōcedunt in dicto casu, vel duo ministri totales, quorum quilibet ad Sacramentum sufficit, & ad gratiā. Circa hoc varios modos respondendi refert, & refutat *Vazquez loco citato, cap. 3.* Nos tamen iuxta dicta in tract. de Sacramentis in genere, facile respōdemus (licet non possit idē effectus procedere à

D duabus causis totalibus, siue principalibus, siue instrumētalibus physice, quia nullā habet indigentiā earū, & eius processio, seu dependētiā prouenit ex indigentia, quæ reperitur in effectu) posse tamen eundē effectum à duobus instrumētis totalibus moralibus, quales sunt ministri Sacramentorū, oriri, quia instrumētū morale solū cōcurrit per modū impetrationis, qui modus in eo fundatur, quod Deus illi instrumēto promisit aliquem effectum. Hunc autem eundem effectum possunt plura simul instrumenta eodem modo, ac quodlibet seorsum im-

petrare, quia Deus eodē modo omnibus simul, ac seorsum sumptis præfatū effectū promisit.

7 Quod si inter hos ministros, qui adhibent integre materiam, & formam, aliquis esset ita affectus, vt prius ipse baptizans, non haberet intentionem efficiendi Sacramentum, donec alius perficeret materiam, & formam, nullum conficeret Sacramentum, quia non est in potestate ministri Sacramentorū, Sacramentum ipsum, & effectum eius vsque ad aliquod tempus futurum suspendere, post quam ipse omnia requisita ad Sacramenti constitutionem exhibuit. Sed vel ijs adhibitis statim resultare debent Sacramentum, & eius effectus, si nullus obex constituatur, quod in hoc casu non contingit, quia minister non habet intentionem debitam, vel nunquam resultant, si suspensa illa intentio ministri reperiatur.

Vt vero optime notauit, *Domin. Sot. in 4. dist. 4 quæst. vnica art. 4. §. Marsilius autem.* Si singuli eorum, qui baptizant, haberent intentionem baptizandi, si alij non baptizarent, & non baptizandi, si alij baptizarent, nullus eorum absque dubio conficeret baptismū, quod ex inde sufficienter constat, quia, neque omnes simul tunc conficient baptismum, cum ad id non habeant veram intentionem, neque aliquis eorum tantum, quia non est maior ratio, quare vnus baptizet, quam alius, imo addendum iudico, dato casu, quo singuli eorum, qui simul accedunt ad baptizandum eundem hominem, haberent intentionem minime conficiendi Sacramētum, eo ipso, quod vnus prius, quam alius omnia ad Sacramentum requisita adhiberet, sed tantum intenderent, aut Sacramentum omnes simul ministrare, vel eius ministerium reseruare ei, qui vltimo loco applicaret omnia requisita ad baptismum, tunc ille equidem, qui postremo loco ablueret, & proferret verba, perficeret sine dubio Sacramentum, quia haberet veram intentionem, vt constat ex præsupposito casu, alij vero in vanum laborassent, cum intentionem debitam minime applicuissent.

9 Sed si alius casus contingeret, quo duo accederent ad baptizandum tertium, quorum vnus esset mutus, & haberet manus ad abluendum, alter vero priuatus esset omnibus membris corporis, & posset verba proferre, difficile est iudicare an baptismus futurus esset validus. Quidam sentiunt, vrgēte necessitate mortis validum fore baptismum, extra illam vero nequaquam. Ita iudicarunt, *Marsil. in 4. quæst. 4 art. 4 dubio 11. & Caietan. 3. part. quæst. 67. ar. 6. § in responsione ad tertium.*

10 Sit tamen secunda conclus. Neque in casu necessitatis, neque extra illū præfatus baptismus validus foret. Hanc veritatē docuerunt. *D. Thom. 3. p. q. 67. art. 6. ad 3. & D. Bonauent. in 4. dist. 5. ar. 1. q. 1. in 3. q. collaterali.* Et aliqui grauissimi recētiores. Probatur ista cōclusio, primo quia Sacramentū, quod in extrema necessitate validū est, etiā extra illam est validū, & è cōtra, vt vidimus in quæst. 4. huius tract. Sed baptismus in isto casu collatus etiam iuxta authores oppositæ sententiæ nullum valorē sortitur extra casum necessitatis, ergo neq; etiā in illo collatus valorē sortiri poterit. Roboratur. Secūdo cōclusio, quia in primis nō valet baptismus ille collatus catechumeno in extremis cōstituto sub hac forma, ego te baptizo: quia si denotent actionē abluendi exterius corpus illa verba, & significent interiorē animi ablutionē, forma est falsa, quia ille, qui profert verba, & qui pronuntiat se abluere, non abluit corpus, vt supponitur, ergo cū hac forma nullum omnino redditur Sacramētū. Si vero præfata forma denotet collationē Sacramēti Baptismi, eodē modo falsa est forma, quia ad hoc sine dubio requiritur, eundē ministrū, & proferre verba, & abluere exterius, quia vtrūq; denotatur per verba formæ secundū illā significationem desumpta: Quia autē in prædicto casu vnus, & idē minister vtrunq; non exhibet, hinc est, nullū inde resultare Sacramētū. Deinde non valebit prædictus baptismus, si vterq; ille minister baptizet sub hac forma: nos te baptizamus. Quia ad hoc, vt esset vera hæc forma, vterq; deberet abluere, sumpto verbo, baptizamus in prima significatione, vel vterq; deberet abluere, & proferre verba formæ sumpta forma verborū in secūda significatione. Sed neq; tunc vterq; ablueret, quia vterq; manus non haberet. Neq; vterq; verba proferret, quia vterq; linguæ vsum non haberet, sequitur ergo neq; etiam hoc modo baptismum validum esse.

11 Præterea nō valeret baptismus, si ille, qui linguæ vsum habet, vteretur forma illa Græcorū. Baptizetur seruus Christi, vt voluit *Caiet. super art. 6. citatum D. Thom.* Propter duo. Primo quia, vt recte, *Vazquez loco citato.* Mirabile sane esset in aliquo casu sufficiētē esse ad baptismū formā Græcorū, & nō Latinorum, quod in nullo casu admittendū est. Secūdo quia forma Græcorū in modo imperādi illis verbis, Baptizetur seruus Christi, &c. Nō denotat ablutionē causandā, esse ab alio, quā ab eo, qui verba formæ profert, aliàs diuersam haberet significationem, ac forma Latinorum. At in dicto casu non idem, qui profert verba formæ, abluit corpus catechumeni, imo neque potest abluere, ergo etiā cum ea forma nō valet ipse baptismus, *Suar. 3. tom. in 3. part. disp. 23. sect. 3.* Ait, in casu necessitatis posse aliquem adhærere oppositæ opinioni, quia est probabilis, vt non relinquatur sine baptismo catechumenus, quod nō credo, quia oppositum non puto probabile.

Si plures eūdē baptizēt sub his verbis. Nos te baptizamus. Nullū effici Sacramētū aliqui putāt. Ita sentire videtur, *D. Th. 3. p. q. 67. ar. 6. & Bo-* 12

& Bonauent. in 4. dist. 5. art. 1. quæst. 1. quæst. 3. & 4. collaterali, Syluest. in Summa, verbo Baptismus, 3. quæst. 7. & alij relati à Vazquez loco citato, quos ipse sequitur, id docent. Probatur ratione Vazquez, quia vt duo homines in eo casu baptizarent, non deberent significari tanquam causæ partiales, & per se solæ insufficientes, quia hoc esset falsum, & contra institutionem huius Sacramenti. Deus enim instituit, vt quilibet minister esset integer, & totalis minister ablutionis, & prolationis verborũ. Vnde nihil eo modo fieret, sed potius deberent significari tanquam causæ totales baptismi, scilicet ablutionis; non quidem morales causæ, sed physicæ, quia ministri physicè concurrunt ad abluendum corpus, & ad proferenda verba; quia autem non possunt dari causæ totales physicæ plures eiusdem effectus, vt patet ex Philosophis, veluti duo luminosa nequeunt concurrere ita ad producẽdum idem lumen, vt a quolibet eorum ita perfectè producatur effectus, ac si alterum non adesset, ideò non possunt plures eo modo baptizare, quia licet plures in diuersis partibus corporis abluant, nihilominus illæ ablutiones in eodem homine, vnam ablutionem vnius hominis efficerent.

13 Alij existimant, in hoc casu absolutè, & simpliciter vnum tantùm esse Sacramentum Baptismi. Ita *Durand. in 4. dist. 3. q. 3. n. 15. Maior in 4. dist. 6. q. 2. § cõtra istas*. Probatur primò, quia si duo non possent eo modo baptizare, vel hoc esset, quia ad vnum hominem baptizãdũ vnus tantum minister requiritur, & hoc nõ, quia vt iã vidimus, duo possunt baptizare, si quilibet eorũ dicat: Ego te baptizo. Vel hoc esset, quia in forma quilibet eorũ deberet exprimi, vt integer minister baptismi, hoc autem non requiritur, quia sine dubio valeret baptismus ab ijs collatus sub formã Grecorũ, baptizetur seruus Christi, &c. vbi non exprimitur baptizans. Secundò probatur, quia quod minister exprimatur per modũ vnius, vel pluriũ, non requiritur ad valorẽ Sacramẽti, sed potius, quod exprimatur præcipuus auctor eius, qui est Deus: hoc autẽ fit, etiamsi dicatur, nos te baptizamus in nomine Patris, &c. ergo tunc valet baptismus. Tertiò, quia mutatio formæ accidentalis non nocet substantiæ Sacramenti, vt quod prima persona mutetur in tertiã, ergo neq; quod numerus singularis, Ego te baptizo, mutetur in pluralem, nos te baptizamus. Quartò quãdo plures vxores poterant eundẽ virum accipere dicere eis licebat, nos te accipimus in cõiugẽ, ergo plures eundẽ baptizantes possunt dicere nos te baptizamus. Quintò, si plures essent iudices in aliqua causa in solidũ rectè possent dicere nos iubemus hoc, ergo cum plures baptizant, rectè possunt dicere, nos te baptizamus. Vltimò, idem est dicere Socrates, & Plato currũt, quod Socrates currit, & Plato currit, ergo A idem erit dicere, nos te baptizamus, ac dicere, ego te baptizo, & ego te baptizo, si autem forma pronuntietur, secundo modo valet baptismus, ergo etiam primo.

14 Sit tamen tertia conclusio. Cum plures accedunt ad baptizandũ eundem, & vterq; profert illa verba: Nos te baptizamus, distinguendum est. Si enim neuter velit baptizare, vt integer minister, sed solũ vt partialis, & vt adiuuans alterum, nullum fit Sacramẽtũ. Hæc est expressa sententia *D. Tho. loco citato*, & auctorum oppositæ sententiæ. Probatur, quia hæc intentio est contra Christi intentionem, qui voluit, abluentem, & proferentem verba esse integrũ ministrum baptismi, ergo tunc non valet baptismus. Et confirmatur, quia per formã baptis- B mi denotatur, quemlibet ministrũ adhibere integram materiam, & integram formam ad eũ necessariam, & intentionem, si ergo ille non habet intentionẽ integrè baptizandi, falsa redditur forma baptismi, vnde nihil fit.

15 Sit quarta conclusio. Si verò quilibet minister inter illos plures suam de se sufficientem efficeret, siue in diuersa parte corporis, siue in eadem ablutionem, & haberet intentionẽ baptizãdi, vt minister integer, & totalis, tũc valeret baptismus, etiamsi quilibet tantùm proferret formã hoc modo: Nos te baptizamus, &c. Ita contendendo proferre verba propter authoritatẽ personæ; quæ conclusio non est contra *D. Thom. loco citato: Vbi dicit, non valere baptismum collatum à pluribus sub hac forma, nos te* C *baptizamus*. Hoc enim debet intelligi, cum ministri habent eam intentionem particularem, cuius meminimus in tertia cõclusione. Et hanc conclusionem, responsionemque *D. Thom.* tuetur *Suarez loco citato in fine*. Probatur: quia ista forma, nos te baptizamus, æquiualet huic, ego te baptizo, & ego te baptizo: ergo cum valeat baptismus secundo modo collatus, valet etiam primo modo. Secũdò probatur, quia cum verba formæ Sacramentorum sunt æquiuoca, possunt ex intentione proferentis eadeterminari, ita vt verum efficiatur Sacramentũ, vt verbi gratia. Si duo accedentes ad absoluendum aliquem dicant, nos te absoluimus. Verba sunt æquiuoca, & possunt significare, eos absoluere vt causas partiales, & vt causas totales, D & in sententia ipsius *Vazq. loco citato*. Valet absolutio, si ipsi intendant absoluere, vt causæ totales, ergo cum hæc verba in nostro casu, nos te baptizamus, æquiuoca sint, & possint significare, ministros baptizare vt causas totales, & vt partiales, sufficientia erunt ad valorem baptismi, si ministri intendant concurrere, vt causæ totales eius.

16 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad illud Vazq. respondetur concedẽdo ministrum baptismi significari, vt causam physicam ablutionis corporalis per verba formæ

negando tamen in primis, quod non possint significari ex sua intentione, vt causæ totales ablutionis, duo ministri cum hæc verba proferrēt. Nos te baptizamus, vt cum abluunt in diuersa parte corporis, tunc enim ille homo dicitur recipere diuersas ablutiones simul, sicut si diceretur recipere plures ablutiones, si indiuersis temporibus fierēt. Deinde, cum in eadē parte corporis duo illi ministri abluerent, etiā dicerentur causæ totales physicæ ablutionis, formaliter consideratæ, quia quilibet eam ablutionē operatur, quæ de se sufficiens est ad valorem baptismi, alias si esset necessarium, quemlibet ministrum significari, vt causam totalem physicam materialis ablutionis, sequeretur in eo casu primæ conclusionis, quo duo baptizarent aliquem in eadem parte corporis, & sub his verbis: Ego te baptizo. Non valere baptismum, quod omninò est falsum, etiam ex sententia *Vazquez loco citato, cap. 1.* Probatur, quia tunc forma esset falsa, si per formam significaretur, quemlibet efficere totam ablutionem materialiter, sufficit ergo, quod significetur tota ablutio formaliter, scilicet, quæ de se sufficiens sit, ergo etiam in nostro casu idem sufficit.

17 Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus, ex eo non valere prædictum baptismum, quando duo illi ministri intendunt baptizare, vt causæ partiales, quia habent intentionem contrariam institutioni baptismi. Tunc autem valere, quando volunt baptizare vt causæ totales. Ad secundum dicimus, ministrum exprimi per modū vnius, vel plurium, non esse de essentia Sacramenti, sed quod intendat baptizare, vt integer minister, & quod hoc significetur in forma Sacramēti. Ad tertium dicimus, quod si prima persona numeri singularis mutetur in primam numeri pluralis, tunc tantùm nocere, quando nō quilibet minister intendit baptizare vt causa totalis. Ad quartum respondetur, tunc temporis, quando vni viro licebat, plures ducere vxores, imò & modo, quando id non licet, semper esse licitum, Sacramentum Matrimonij celebrare per verbum numeri pluralis, quia hoc Sacramentum requirit semper plures ministros. Vt virum, & fœminam tanquam causas partiales, quod numero plurali optime significatur, quia autem in baptismo, & alijs Sacramentis requiritur semper minister concurrēs vt causa totalis, ideò non sufficienter administrantur reliqua Sacramenta excepto Sacramēto Matrimonij per numerum pluralem, nisi cū ministri intēdunt procedere, vt causæ totales. Ad quintum, & vltimum respondetur, concedendo, quod in eis continetur iuxta doctrinā traditam in quarta conclusione.

18 Sit quinta conclusio. Si plures simul ab eodem ministro baptizentur sub hac forma: Ego vos baptizo, & adsint cætera requisita, valet baptismus. Ita docent *D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad quartum, Soto in 4. dist. 4. quæst. vnica art. 4. §. 2. argumēnt.* Probatur, quia tunc ob nullam rationem potest negari esse verum Sacramentum, at secundum *Scotum in 4. dist. 6. quæst. 2. §. respondeo vers. de 3. membro.* Sic baptizare peccatum est mortale, quia in hoc fit cōtra ritum Ecclesiæ in materia graui. Imò addo cum *Vazquez loco citato cap. vltim.* in eo casu esse formaliter plura Sacramenta, quia licet oratio, quæ gerit vicem formæ, vnica sit, at significatio gratiæ multiplicis, quæ in multis hominibus tunc producitur, in qua consistit præcipua forma Sacramentorum, multiplex est, quia illa verba plures gratias in diuersis hominibus significant, quod amplius patet ex dictis in hac quæst. num. 5. In rebus autem artificialibus non est inconueniens, eandem materiam diuersis adaptari compositis, vt eędem syllabæ vnius vocis deseruiunt diuersis significationibus, & diuersis compositis resultantibus inde ex ipsis significationibus.

Notandum verò est cum *Marsilio in 4. quæst. 4. art. 4. dubio 18. & Gabr. dist. 6. quæst. 1. art. 3. dubitat. 5.* Si homo nascatur cum duobus capitibus, & duobus dorsis, ita, vt certum sit, esse personas distinctas, & habere distinctas animas, singulas eorum baptizandas esse cum forma illa: Ego te baptizo. Si autem procerto cōstare non possit, esse duas personas, tunc absolutè baptizandæ sunt partes illæ, quæ videntur ad vnam animam pertinere, reliquæ verò, de quibus dubitatur an habeat aliam animam, sub conditione baptizandæ sunt, non autem absolutè, vt non iteretur baptismus. 19

Sit sexta conclusio. Nemo se ipsum baptizare potest, alias baptismus nihil valet. Ita docet *D. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad quartum, & Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 5. §. ex hac solutione.* Probatur primò, ex *cap. debitum de Baptismo, & eius effectu, vbi Innocent. III.* definit Iudæum quendam, qui se ipsum baptizauit, esse iterum baptizandum, ergo existimauit, priorem baptismum non valuisse. Quando autem Pont. ibidem asserit, quod si Iudęus postquam se ipsum baptizauit moreretur, ad superos euolaret propter fidem Sacramenti, intelligitur de fide viua, quæ habet secum charitatem iustificantem. Secundò probatur ratione Innocent. ibidem, quia scilicet debet esse distinctio inter baptizantem, & baptizatum. Secundum illud *Marci vltimo: Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vbi illæ particulæ baptizantes, & eos denotant, diuersas esse personas ministros Sacramenti ab his, qui baptizandi sunt. 20

Septima conclusio. Talis coniunctio requiritur inter materiam, & formam baptismi, vt more humano censeantur ad eandem actionē Sacramentalem, & humanam pertinere, & ne cessa- 21

cessarium non est, quod voluit *Scot. in 4. dist. 6. quæst. 3. vers. dico ergo*, scilicet, quod incipiat prolatio verborum ante quam finiatur ablutio, neque è contra. Ita docent *Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnic. art. 8. §. quando autem forma, & Ledesm. in quarto, 1. part. quæst. 7. art. 8. dubio 5.* Probatur, quia si quis habens vas aqua plenum in manu dicat, Ego bibo; etiam si paulò post bibat, aut paulo ante, verum censetur dicere, ergo etiam si quis prius abluat, & postea dicat paulo post, ego baptizo. Aut prius proferat, hæc verba: Ego te baptizo, & postea statim abluat, verum censetur dicere, ac per consequens validum erit Sacramentum Baptismi; de quo puncto satis disputauimus in tractatu de Sacramentis in genere.

QVÆSTIO XIIII.

De necessitate Baptismi, & quo tempore caperit obligare.

1 QVEMADMODVM *Augustin. testatur, lib. de hæresibus cap.* 88. Hæresis fuit Pelagianorum asserentium, baptismum non esse necessarium ad tollendum peccatum originale, sed ad consequendum Regnum Cœlorum, *& Ioan. Vvicleff.* tandem necessitatem baptismi negauit. Vt refert *Vvald. tom. 2. qui est de Sacramentis, cap. 96. num. 2.* & nostris temporibus idem negarunt, *Zuyngl. lib. de vera, & falsa relig. Bucerus quoque in cap. 3. Matth. Caluin. in Antidoto Concilij in Sessio. 6. cap. 5.*

2 Sit Conclusio de fide. Omnibus ex Adamo natis, & peccatum originale contrahentibus necessarius est baptismus ad salutem post Christi aduentum. Ita definitur *ab Eugen. IIII. in Decreto fidei in Concil. Florent. post vlt. Sessio. §. primum omnium, & à Trident. Sessio. 7. can. 5. his verbis, Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non esse necessarium ad salutem anathema sit.* Quæ definitio de omnibus hominibus tam paruulis, quàm adultis, & de necessitate medij ad salutem, intelligenda est; atque ita definiuit *Siritius Papa in epist. 1. ad Himericum cap. 2. Innocent. I. epist. 26. missa ad Concilium Mileuitanum*, & hoc tuentur Sancti Patres *Basil. homil. 13. quæ est exhortatio ad baptismum, Hieronym. in 3. dialogo contra Pelagianos sub finem.* Et alij quos refert *Vazquez 2. tom. 3. part. disp. 149. cap. 1.* Secundò probatur, si propter aliquam rationem non esset necessarius baptismus pro filijs fidelium, de quibus est specialis controuersia cum hæreticis, maximè propter rationem hæreticorum, scilicet, quia licet peccatū originale habeant, non tamen eis imputatur, cum sint filij Sanctorum, & ideò nascātur sancti. Hoc autem verū non est, & patet ex *Psal.* 50. vbi Dauid plorās suam immundam conceptionem, ait: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quod si peccatū originale ei non imputaretur, quia erat filius fidelis, non ita deploraret. Præterea Paul. filius fidelis *in epist. ad Ephes. cap. 2.* dicit: *Eramus & nos natura filij iræ.* Ergo sentit peccatum originale, quod est peccatum naturæ, sibi imputari, si quidem propter illud subditum se fatetur iræ Dei. Tùm quia etiam de filijs fidelium intelliguntur loca illa vniuersalia Pauli, circa peccatum originale, *ad Rom. 5. In quo omnes peccauerunt, & secundo ad Corinth. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Probatur tertio, quia cū tam filij fideliū, quā infidelium nascantur infecti peccato originali, indigent aliquo remedio, quo ab illo liberentur, sed hoc remedium ex Christi institutione est baptismus, ergo necessarius est baptismus ad iustificationem omnium.

3 Contra hanc tamen conclus. aliqua argumēta obijciunt hæretici. Primum est ex illo *Genes. 17. Ero Deus tuus, & seminis tui.* Sed in hoc loco promittitur remissio peccatorum per nō imputationem eorum, ergo filij fidelium non indigēt baptismō ad remissionē peccatorum, sed ad hoc respondetur cum *Vazquez loco citato, disp. 149.* in eo loco promitti fœlicitatem terrenam, & æternam, & remissionem peccatorum, non quidem per non imputationem, sed aliquo remedio.

Secundum argumentum est ex 1. *ad Corinth. cap. 7. & ex illis verbis. Alioqui filij vestri immūdi essent, nunc autem sancti sunt.* Vbi Paulus hortatur coniugem fidelem, ne discedat ab infideli, vt filij nascantur sancti, si ergo sancti nascuntur, non indigent baptismo. Ad hunc locum variæ solent adhiberi solutiones, quas *Vazq. 2. tom. in 3. part. disp. citata cap. 2.* refert. Ea tamē mihi arridet, quæ asserit Paulum loqui de filijs habitis in infidelitate, quibus ait, vtile esse, vt parens ad fidem conuersus non discedat ab infideli, sic enim facile poterit fidelis ab infideli coniuge obtinere; vt sanctificentur filij per baptismum, vel quia saltim adultum filium suo consilio conuertet ad fidē parens fidelis. quod difficile fiet, si parens infidelis sit separatus à fideli, & apud illum filij commorentur, imò etiamsi filij fideles essent, sic tamen possent facile ad infidelitatem teneri per cōmercium eorum cum parente infideli.

5 Tertium argumentum hæreticorū est quia infantes Iudæorum, qui ante octauum diem è vita discedebant, non omnes peribant; sed aliqui salutem consequebantur, & non hoc procedebat ex circuncisione, sed ex alio remedio; ergo sicut illis non erat necessaria circuncisio, sic nec infantibus Christianorum baptismus. Sed respondetur, paruulis Iudæorum nō fuisse circuncisionem salutis remedium, sed fidem paren-

parentum, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere. At verò paruulis Christianorum esse remedium salutis baptismum. Vnde circuncisionem non fuisse ita necessariam pro lege veteri, sicut modo est in Euangelica baptismus, quare paruulis Iudæorum ante octauum diem animam agentibus potuisse applicari fidem parentum media alia ceremonia externa, atque ita potuisse eos iustificari, infantibus verò Christianorum ante vsum rationis decedentibus, & pro fide martyrium minime passis non superesse aliud remedium ad salutem nisi baptismum.

6 Secunda conclusio. Baptismus est necessarius ad salutem tam pro paruulis, quam pro adultis, tanquam medium necessarium positiue ad salutem conducens, quia medio illo iustificationem ipsam, & salutem æternam consequi debemus, quæ conclusio late probata est in tractatu de Sacramentis in genere, quæst. 6. ibi videatur. Est tamen hæc differentia inter paruulos, & adultos, quod paruulis, qui non sunt capaces præcepti, est necessarius baptismus tantum necessitate medij, seu remedij, quia nisi baptizentur, non liberabuntur à peccato originali, & ita propter illud damnabuntur, quare debēt illud in re suscipere. Qua ratione intelligitur illud *Ioann.* 3. de paruulis: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et ita tradit *Innoc. III. in cap. Maiores de Baptismo, & Concilium Tridentinum Sess.* 7. *can.* 5. Adultis verò, qui capaces sunt præceptorum, necessarius est baptismus nō solum necessitate medij ad salutem, sed etiam necessitate præcepti diuini positiui. Probatur, primò præceptum ex illo *Ioann.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Secundò confirmatur, *ex Matth.* 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* Sed Christus præcepit Apostolis, vt homines omnes baptizarent, ergo homines omnes tenentur baptizari. Quod præceptum ex eo Deus imposuit, quia baptismus est ad salutem necessarius necessitate medij, nam media necessaria ad salutem, quæ in nostra sita sunt potestate, Deus voluit nobis præcipere. Adultis tamen baptismus solū est necessarius ad salutem in re susceptus, vel in voto, seu desiderio illū recipiendi, quia scilicet non alio modo possunt iustificari adulti, nisi aut baptismo realiter suscepto, cū possunt suscipere illum, aut desiderio illius incluso in ipsa contritione, seu dilectione Dei, cum non possunt baptizari, ita vt licet adultus contritione iustificetur, debeat tamen baptizari cū primum commode potest.

7 Sed quæres primo, an requiratur votum, seu desiderium baptismi explicitum ad salutem consequendam. Ad hoc respondetur cum *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 69. *art.* 4. *ad secundum.* Minime id requiri, quia potest contingere, quod quis non habeat notitiam baptismi, vel non credet ut eius, & tamen habeat veram contritionem peccatorum, qua iustificetur, quod si tunc moriatur ante quam fit ei baptismus possibilis, gloriam consequatur. Circa quæsitum primum vide *Vazquez* 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 152. *cap.* 2. Vbi probat votum expressum baptismi neque requiri ad iustificationem ex natura sua, quia ad hoc sufficit cognitio supernaturalis Dei boni, & peccati contrarij Deo, neque ex præcepto, quia de eo non constat. Vnde tale votum expressum consequenter probat, nō requiri ad gloriam consequendam propter eandem rationem, tum etiam, quia quod non requiritur ad gratiam consequendam, non requiritur ad gloriam.

Contra hoc tamen sunt aliqua argumenta. 8
Primum desumitur ex *Siricio Papa epist.* 1. *cap.* 2. dicente: *Baptismum nemini esse negandum in necessitatis articulo, ne si absque baptismo decedat, & regnum perdat, & vitam, & ex Ambros. lib. de ijs, qui initiantur cap.* 4. *vbi ait, credit autem etiam catechumenus in crucem Domini, quia & ipse signatur, sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, remissionem peccatorum non potest obtinere, neque gratiæ munus haurire. Ex Augustino etiam tract.* 13. *in Ioann. Asserit et quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.* Ad hoc argumentum respondetur primo ad Siricium Papam dirimus, illum non negasse, posse saluari adultum, cum impossibilis esset baptismus in re, sed asserit Pontifex alios homines necessario teneri ad eum baptizandum in necessitate cōstitutum, quia licet per contritionem posset saluari, contritio tamen difficilis est, & facile esset eam non obtinere, ac per consequens nō saluari. Ad Ambros. respondetur, eum requirere baptismum in re cum potest suscipi, ad August. respondet *Suarez loco citato sect.* 2. Catechumenum iustum dici portare sarcinam iniquitatis, donec baptizetur, quia manet obligatus ratione peccati originalis ad recipiendum baptismum, cum poterit re ipsa, quamuis per contritionem iustificetur.

Secundum argumentum est ex *can. catechumenum de consecrat. dist.* 4. vbi legitur: *Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctū vitam æternam habere credimus, excepto martyrio.* 9 Sed catechumenus est, qui habet votum baptismi, ergo baptismus in voto non sufficit ad salutem. Huic argumento respondet *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 68. *art.* 2. *ad secundum.* Hominem catechumenum non statim euolare in cœlum, donec in purgatorio pœnas temporales luat, quamuis decedat per contritionem iustificatus, nisi dum est contritio feruentissima, aut dum martyrium patitur.

Tertium argumentum sit, quia *Ananias Actorum* 22. Iubet Paulū iam contritum ablu re 10

pec-

peccata per baptismum, & Magdalenæ iam A diu contritæ in domo Pharisæi dicit Christus, se ei remittere peccata; ergo illis non sunt remissa per contritionem. Sed respondetur, Paulo esse remissa peccata per contritionem, cum obligatione baptismi tamen, & ideo iussum est se baptizari: dici tamen per talem baptismũ ablui peccata, quia tunc remissio completa est, quando totum id, quod erat in voto prius, postea mandatur executioni. Ad illud Magdalenæ respondetur, posse dici ei tunc remitti peccata quoad pœnam, quæ prius erant remissa quoad culpam: ita, *Maldonat. super Lucæ septimum caput.*

11 Quæret aliquis secundo à quo tempore determinate baptismus cæperit obligare, an statim finita passione Christi, an vbi post resurrectionem Iesus dixit: *Marc. vltimo. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Vel à die B Pentecostes, quæ, quæst. communis est toti legi Euangelicæ, scilicet, quando ea cœperit mundum obligare, & in ea etiam attingitur aliquid commune toti legi veteri, scilicet, quando ea desierit esse vtilis, & obligare, quæ quæst. late videri potest apud, *Vazquez 1. 2. disp. 181. & apud Doctorem Tenam super epistolam ad Hebræos;* Interim tamen breuiter respondetur, *Cum D. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 2.* Et cum recentioribus Thomistis super eum articulum. Et cum, *D. Hieron. & August. in epistolis, quas sibi mutuo de legalibus, scripserunt,* Obligationem legis antiquæ in morte Christi cessasse, vnde ab eo tempore consequenter legis nouæ obligationem cœpisse. Probatur, quia ex eo tempore, quo Christus Sacerdos se obtulit Patri in C cruce, & vna oblatione sui corporis in summa Ꭵuir sanctificatos, ipsa morte nouum quoddam condidit testamentum, & illud confirmauit iuxta Pauli doctrinam, *Ad Hebræos 9.* Condito autem nouo testamento, sine dubio antiquum abrogauit, non solum in parte, sed in toto; quo modo enim duo testamenta simul manere possunt in sua vi? Confirmatur hoc, *Quia translato Sacerdotio necesse est legis translationem fieri. Vt inquit Paulus ad Hebræos. 7.* Sacerdotium autẽ Leuiticum, quod ad legem veterem pertinebat, in ipsa morte Christi translatum fuit, cum Christus se obtulit patri tanquam Sacerdos in æternum. Ergo in ipsa morte Christi D lex antiqua in nouam translata est. Quare Doctores Scholastici recte dicunt illis verbis, *Ioan. 19. consummatum est.* Christum virtutem veteris legis omnino abrogasse, & euacuasse in morte sua. Ergo, ne mundus sine vlla lege obligante maneret, ab ipso momento mortis Christi cœpit obligare lex noua, per aliquod tamẽ tempus (quod quandiu durauerit, incertum est, vt notat, *Vazquez loco citato disp. 182. cap. 10.*) post passionem Domini legales ceremoniæ fuerunt permissæ, & licebat eis vti sine peccato, non cum simulatione Iudaismi, sed in veritate, quo tempore dicuntur mortuæ, non vtiles, vt ante mortem Christi, nec mortiferæ, vt modo sunt. Vti docuit, *August. epist. 19. ante medium,* Vt ostenderetur ceremonias illas non fuisse perniciosas, sicut fuit cultus idolorum, & ita ab ipsis Iudæis veluti ab amicis deducerentur ad sepulchrum, & non desererentur moribus detrahentium dilauiandæ, & vt postea cum honore à Christianis sepultæ omnino desererentur.

Tertia conclusio. Saltem in mortis articulo tenentur adulti, Sacramentum baptismi recipere. Probatur, quia aliàs in tota vita possent pertermittere baptismum, si eo tempore possent. Imo ante extremum vitæ tenentur baptizari. Patet, quia aliàs differentes baptismum ad illud tempus non reprehenderentur à Sanctis Patribus; reprehẽdũtur à autẽ Chrysost. relato, *In can. quando quis, de consecrat. dist. 4. & Nazian. oratione in sanctum baptisma, quæ est 4.*

Quarta conclusio infideles adulti (nam de paruulis circa hoc postea disputabimus) cum primum possunt, debent hoc Sacramentum recipere, nisi aliqua rationabili de causa illud differant. Scilicet, vel propter maius bonũ ipsius baptizati, vel ob maius bonũ cæterorũ fideliũ, vel ex ignorãtia, & bona fide. Ita docent. *Caiet. in comment. articuli 3. tertiæ partis quæst. 68. & alij recentiores.* Probatur primo quia aliàs non obligarentur ad baptismum recipiendum ante extremum vitæ, quod est absurdum. Patet; quia non est maior ratio, quare obligentur vna die, quam alia sad id. Secundo probatur, quia baptismus est institutus, vt quisque Catholicam fidem in eius susceptione exterius profiteatur, sed quisque, ex præcepto fidei tenetur, quam primum credere mysteria fidei sufficiẽter proposita, ergo quam primum tenetur ad professionem illius externam, per quam in numerum Ecclesiæ fidelium recipiatur. Et vt capiti huius reip. spiritualis, qui est Summus Pont. subditus sit, & capax reliquorum Sacramentorum, quæ in Ecclesia ministrantur, ergo quamprimum tenetur ad baptismum, per quẽ omnia hæc consequuntur. 13

Quando autem quis esset morti vicinus, tũc etiam si parum acceleretur mors propter baptismum, debet baptizari, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Et potius est curandum de salute animæ, quam corporis. Quod si ex ablutione vel mors sequatur, vel nimia acceleratio, non tenetur quis ad recipiendum baptismum, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Et potest tunc quis iustificari per cõtritionem. Sed quid si tyrãnus minetur alicui mortem, si baptismum suscipiat? Respondetur, quod si hoc fiat in derisum religionis Christianæ, & tunc sit necessarium suscipere baptismum ad profitendam fidem, debet suscipi etiam 14

pi etiam cum periculo mortis, & etiam debet suscipi, cum quis alias propter infirmitatem esset morti vicinus. Extra hos verò casus differendus est baptismus in aliud tempus, *vt Suar. 3. tom. disp. 31. sect. 3* defendit, quia præceptum positiuum baptismi recipiendi cum dispendio vitæ mitissimus Deus non imposuit.

QVÆSTIO XV.

Quo tempore anni concedendus sit baptismus.

1 DE hac re varia refert *Vazquez Theologorum placita 2. tom in 3. part. disp. 150 cap. 1.* Eis tamen relictis notãdum est, de determinatione temporis baptismi duplici ter posse nos loqui. Primò in ordine ad infideles ipsos, qui baptizandi sunt. Secundò in ordine ad ministros Ecclesiæ, scilicet quo tempore, & non alio, debeant baptismum exhibere adultis, & paruulis.

2 Sit prima conclusio. Non potuit Ecclesia determinare tempus, vel interpretari, in quo debeant fideles baptizari. Probatur, quia tale tẽpus est à iure diuino determinatũ, vt vidimus in vltima conclusione, præcedent. quæst. ergo Ecclesia id nullo modo potest immutare, solũ potest declarare, & interpretari causas, ex quibus possint infideles differre baptismum, quod etiam quilibet Doctor potest efficere. Solùm autem Ecclesia potest definire tempus, in quo parentes Christiani debeant suos infantes baptizare ratione iurisdictionis, quam in patres habet, qui regere debent paruulos.

3 Secunda conclusio. Ecclesia determinauit tempus, in quo ministri Ecclesiæ, & non in alio, deberent exhibere baptismum adultis petentibus, scilicet, Vigiliam Resurrectionis, & Vigiliam Pentecostes. Ita habetur can. non ratione, de consecrat. dist. 4. & eadem dist. can. duo tempora, & can. proprie, & alij Pont. & Concilia, quorum meminit *Vazquez loco citato & Leo I. epist. 4. ad Episcopos per Siciliam constitutos.* Qui addit, Vigiliam Pentecostea esse additam pro celebratione baptismi, vt tunc liceret, eos baptizare, qui ob aliquod impedimentum in Paschatis vigilia non potuissent baptizari, in alijs verò temporibus, nisi ob causas in eisdem canonibus expressas baptizare non licebat. Neque vero solùm, vt voluit *Soto in 4. dist. 5. quæst. vnica art. 3.* Alijs temporibus erat prohibitum ministris Ecclesiæ, baptizare cum Litanijs, & alijs solemnitatibus, quæ alio tempore in administratione huius Sacramenti nõ soleut adhiberi, extra prædicta tempora, sed etiam sine huiusmodi solemnitatibus extraordinarijs, quod aperte liquet *ex epist. 78. alias 80. Leonis I. ad Episcopos Campaniæ, cap. 5.* Vbi sic illis præcepit: *Vt summam hanc potestatisimãque Dei gratiam, scilicet baptismum, non nisi in Paschate, & Pentecostes die desiderantibus, & credentibus conferatis, manente quolibet tempore grauium necessitatum, ac periculorum consideratione, secundum quam oportet subuenire.* Si ergo Pont. tantùm concedit licentiam exhibendi baptismum extra illa tempora necessitare aliqua se offerente, quod intelligendum est sine litanijs & illis ceremonijs Vigiliæ Pentecostes, ergo non licet, illum exhibere etiam sine his ceremonijs nulla exigente necessitate. Sed quod dictis tantũ tẽporibus conueniens esset baptismus, probatur *ex D. Thom. 3. part. quæst. 68. a. 3.* primò ne Ecclesia facile deciperetur ab infidelibus ficte petentibus baptismum, sed vnum quemque probare posset, quo animo ad baptismum accederet. Secundò propter reuerentiam huius Sacramenti. *Siricius Papa relatus in dicto can. non ratione*, aperte sentit, tunc temporis fuisse licitum, quo vis tempore paruulos baptizare. Quod & propter plurima eorum pericula, & quia probatione non indiget, cum sint incapaces rationis, dispensatum fuisse credo. Et quidem etiam Romæ hoc est in vsu, vt refert *Vazquez ibidem, cap. vltim.* Aliquos adultos quotannis in Sabbatis illis baptizare. Illa tamen consuetudo solùm dictis temporibus baptizandi adultos, fere in tota Ecclesia abrogata est, per contrariam consuetudinem, vt quotidie videmus, vt docuit *Rupert. lib. 4. diuinorum officiorum, cap. 18.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm paruuli, & adulti sine baptismo, & martyrio iustificari possint?

CAIETANVS *super 3. part. quæst. 68. art. 2.* Asserit paruulos, qui neque martyrium patiuntur, neque baptismum suscipiunt, posse saluari per quoddam generale remedium à Deo institutum, scilicet per fidem parentum. Probatur primò, quia modo non est minoris virtutis fides parentũ quã in lege naturali: sed tunc sola fides parentum iustificabat, ergo eadem modo potest iustificare. Secundò, quia in lege scripta paruuli, qui ante octauum diem circumcidi non poterant, si ante eum moriebantur, in fide parentum iustificabantur, ergo etiam modo, cum nõ possunt baptizari, hac ratione iustificantur. Tertiò, quia nõ videtur conueniens diuinæ misericordiæ, paruulos in vtero materno morientes, & sine baptismo, sine aliquo remedio relinquere.

Alij verò Scholastici docent. Non quidem ex lege ordinaria Dei, sed ex peculiari priuilegio aliquos paruulos saluari, etiam sine baptismo morientes, vel per orationes parentum, vel supplente Deo defectum ablutionis, vel formæ,

formæ, cum iſtæ non ſunt ſufficientes. Ita do-
cent aliqui authores, quos refert, *Vazquez 2.10.
in 3.part.diſp.151.cap.1.*

3 Sit tamen prima concluſio. Secundum le-
gem ordinariam nequit dici, paruulos abſque
baptiſmo decedentes poſſe per fidem paren-
tum iuſtificari. Hæc ſententia ita vera eſt, vt
oppoſita ſit error. Ita ſentiunt, *Vazquez ib. de
cap.2. & Ledeſ. in 1.part.quæſt.9.art.11.dubio 1.*
Probatur ex illis verbis, *Ioan.3. niſi quis renatus
fuerit ex aqua, & de Spiritu Sancto, non poteſt in-
troire in Regnum Dei.* Quæ verba omnes patres
intelligunt de paruulis, & adultis; & de paruu-
lis, ita vt niſi baptiſmo in re ſuſcepto non poſ-
ſint ſaluari. Vnde Eccleſia non eos recenſet in
numerum fidelium, neque ſacrificia offert in
gratiarum actionem pro eis, qui abſque marty
rio, & baptiſmo decedunt. Ita expreſſe loquũ-
tur, *D. Auguſt. lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 12.
in fine, & lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſio-
ne, cap. 19. & expreſſiſſime Gregor. Magn. lib. 7.
epiſtolarum epiſt. 53. poſt medium, & Iſidorus, lib.
2. de diuinis officijs, c. 24. quod eſt de baptiſmo, poſt
medium.* Et aliqui ſententiam Caiet. hæreticam
eſſe putant, ſed eam ab hac nota defendit, *Vaz-
quez loco citato.* Videatur iſte author.

4 Secunda concluſio. Temerarium eſt, aſſerẽ-
re paruulos ſine baptiſmo in re ſuſcepto, & ſi-
ne martyrio decedentes ex peculiari Dei priui
legio ſalutem conſequi, niſi de tali priuilegio
extet aliqua reuelatio, quæ modò nõ conſtat.
Patet, quia hoc eſt contra communem ſenſum
Eccleſiæ, & ſine vllo fundamento, ſicut, & aſſe
rere aliquem ex hac vita in peccato mortali diſ
cedentem ex peculiari Dei priuilegio ſalutem
conſequi.

5 Ad ſecundum argumẽtum, & primum Caie
tan. in contrarium reſpondetur. In lege natu-
ræ, & in veteri lege fidem parentum iuſtificaſ-
ſe ex diuina inſtitutione, at non ſic in lege Euã
gelica, vbi Deus loco illius baptiſmum inſti-
tuit. Ad tertium reſpondetur, ſatis eſſe ad diui
nam miſericordiam erga homines oſtenden-
dam baptiſmum inſtituere in remedium par-
uulorum, quod ſi illis nõ poteſt applicari, hoc,
vt ait, *Auguſt. loco citato,* eſſe in occultum iudi
cium Dei referendum.

6 Circa ſecundum, quod in hac, quæſt. quæri-
tur, noſtris temporibus, *Michael Baius*, Doctor
quidam Louanienſis defendit, catechumenos
antequam baptizentur, perfectam charitatem
ex gratia Dei habere poſſe. Remiſſionem ta-
men peccatorum ſine baptiſmo re ipſa ſuſce-
pto non conſequi, vt referunt, *Pius V. & Greg.
XIII. in bullis,* Quas de hac re ediderunt.

7 Sit tertia concluſio vera, & Catholica. Quẽ-
libet adultum catechumenum, antequam bap-
tizetur, cum vera contritione non ſolum con-
ſequi veram iuſtificationem, ſed etiam remiſ-
ſionem ſuorum peccatorum: cum voto tamen,
A vt vidimus, quæſt. 44. ſaltim implicito baptiſ-
mi, ratione cuius deinde, cum ſe obtulerit oc-
caſio, baptiſmum ſuſcipiat. Probatur primo
ex illis verbis, *Ezechiel 18. ſi autem impius ege-
rit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ opera
tus eſt, &c. omnium iniquitatum eius, quas opera-
tus eſt non recordabor.* Quæ verba omnes ita in-
telligunt, vt vera contritio omnia peccata om-
nino tollat, & homines iuſtificet, ſed contritio
ante inſtitutionem baptiſmi, quo tempore lo-
quitur Ezechiel, habuit hanc diuinam virtutẽ,
ergo etiam poſt baptiſmum inſtitutum eandẽ
habet. Idem definiuit, *Innoc. III. in cap. Apoſto
licam, de presbytero non baptizato.* Atque idem de
finiuit noſtro tempore, *Concil. Tridens. ſeſſ. 6. c.
4.* Nam poſt quam dixit, iuſtificationem eſſe
B translationem à ſtatu, in quo homo naſcitur fi-
lius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis
ſubdit. *Quæ quidem translatio poſt Euangeliũ pro-
mulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius vo-
to fieri non poteſt.* Supponẽs apertẽ votum bap-
tiſmi, qui dicitur regeneratio, quod quidem vo
tum in ipſa contritione includitur, ſufficiens
eſſe ad iuſtificationem adultorum, de qua Cõ-
cilium loquitur, atque, hanc concluſionem de
fendunt, *D. Ambroſ. in oratione funebri De obitu
Valentiniani Imperatoris, & D. Bernard. epiſ. 77.
ad Hugonem.* Hæc autem contritio à quibuſ-
dã Theologis Scholaſticis vocatur baptiſmus
flaminis, *Vt à D. Thom. 3 part. quæſt. 66. art. 11.*
Ab alijs vocatur baptiſmus pœnitentiæ, *Vt ab
Alexand. 4. part. quæſt. 8. m. 9 art 4 §. 4. & 1.*
C Sunt tamen aliqua Patrum teſtimonia ad 8
probandum ſaltem baptiſmum, vel votum ex-
preſſum eius eſſe neceſſarium ad conſequen-
dam vitam æternam, licet ad iuſtificationem
non requiratur. Primum teſtimonium eſt, *Au
guſt. lib. 4. de baptiſmo, contra Donatiſtas, cap. 21.
in medio.* Vbi ſic ait. *Sicut autem bono catechume-
no baptiſmus deeſt ad capeſſendum Regnum Cœlo-
rum, ſic malo baptizato vera conuerſio.* Sed reſpõ-
detur, Auguſt. eo loco tantum velle, catechu-
menum iam ſemel per contritionem, & votum
implicitum baptiſmi iuſtificatum ſi occaſio-
nem nanciſcatur ſuſcipiendi baptiſmum in re,
debere eũ baptizari. Quia aliàs peccabit mor-
taliter, & ita perdet vitam æternam; non tamẽ
negat, in eo caſu, quo poſſibilis non ſit baptiſ-
D mus, cum ſola contritione poſſibilem eſſe con-
ſecutionem gloriæ.
Secundum teſtimonium eſt, *Fulgentij lib. de* 9
fide. ad Petrum cap. 3. Non parum ante finem.
vbi ait, *Ex illo tempore, quo Saluator noſter dixit:
Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & de Spiritu San
cto, non poteſt introire in Regnum Dei, abſque Sa-
cramento baptiſmatis, præter eos, qui in Eccleſia Ca
tholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fun-
dunt, nec Regnum Cœlorum poteſt quiſquam acci-
pere, nec vitam æternam.* Ad hoc reſpondet, *Vaz
quez 2. tom. in 3. part. diſp. 152. cap. 4.* Fulgentiũ
ibi lo-

ibi solum voluisse assignare differentiam inter baptismum, & martyrium, quod baptismus etiam extra Ecclesiam collatus, vt ab hæreticis, valet ad vitam æternam, at vero martyriū extra Ecclesiam, & sine vera fide receptum non valere ad ingressum cœli.

10 Tertium testimonium est Nazianz. *orat. in sanctum baptisma, quæ est. 40. §. quod autem ss inquies, ibi, de his, qui nequeunt baptizari, vel propter infantiam, vel propter violentiam, & inopinatum casum, nec cælesti gloria, nec supplicio à iusto iudice afficientur.* Sed respondetur Nazianzenū ita esse intelligendum, vt hi propterea quod non receperint baptismum, cum non potuerint, neque beatitudine fruantur, neque pœnam sustineant, non tamen negat, eos ob alia peccata esse torquendos, vel saluandos, si veram habeant, cum adulti sunt, peccatorum cōtritionem.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm infantes, & adulti sine baptismo aquæ per solum baptismum sanguinis vitam æternam assequantur?

1 MARTYRIVM requirit, vt mors inferatur in odium Christi, aut alterius virtutis, etiamsi martyr resistat fugiendo, vel alio modo. Et milites, qui occumbunt in bello contra infideles communiter nō sunt martyres, quia potius occiduntur victoriæ causa, quam in odium fidei.

2 In quæst. præsenti prius agendum est de adultis, & deinde de paruulis, qui non habent vsum rationis, & quidem de adultis omninò certum est, martyrium, quod verè martyrium est, adultis pro baptismo esse, eosque iustificare, & ad cœlum deducere. Ita docent *D. Tho. 3. part. quæst. 66. art. 11. & 12. & quæst. 87. art. 1. Alexand. 4. part. quæst. 8. m. 9. art. 4. 5. 5.* Et alij plures, circa quod concors est Patrum sententia, *vt Clement. lib. 5. constitut. Apostolic. cap. 5. alias 7. Cyprian. epist. 73. post numerum 6. & alij patres, quos refert Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 153. cap. 1.* Id docent.

3 Difficultas verò modo in eo versatur, an adultus, vt per martyrium vere iustificetur, debeat pati mortem ex affectu charitatis, & amoris erga Deum finem supernaturalem, an verò ex alio affectu sufficiat pati.

4 Qua in re aliqui nostri temporis recentiores Theologi peculiarem sententiā secuti tria asseruerunt. Primum est, martyrium non solū remittere peccata, cum ex affectu charitatis, erga Deum procedit, sed etiam, cum procedit ex alio affectu supernaturali, licet inferiori. Secundum est, aliquando sufficere martyri ad suam iustificationem, etiamsi in peccatis sit, solam attritionem simul cum martyrio, si fuisset, cum morte impeditus non potest habere contritionem, aut, cum existimat, se habere cōtritionem. Tertium est, aliquando etiam posse sufficere ad iustificationem martyrium cum sola voluntate moriendi pro Christo, vt cum ex obliuione naturali non recordatur martyr alicuius peccati, & hoc ex peculiari, Dei priuilegio.

5 Primum assertum, quod scilicet, mors pro Christo illata, & tolerata prosit ad remissionē peccatorum sine affectu charitatis, probant primo ex sententia Patrum, qui vim iustificandi non tribuūt affectui charitatis, sed morti pro Christo toleratæ, qua ratione loquuntur *Clemens Papa, & Cyprianus locis citatis.* Imo probant ex alijs Patribus, vt ex, *August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. & Ambros. lib. 1. de pœnitent. cap. 2.* Et ex alijs, qui dicunt, martyrium esse loco baptismi, sed baptismus sine affectu charitatis iustificat, ergo etiā martyrium. Vltimo probant ex alijs Patribus, qui hanc vim iustificandi tribuunt martyrio ex Diuina promissione, ergo nō debet ex affectu charitatis procedere, aliàs non indigeret Diuina promissione, ita loquuntur *August. lib. 13. de Ciuitate, cap. 7. & Cypr. lib. de laudibus martyrij in fine.*

6 Secundum vero assertum, quod, scilicet, in casibus prædictis, vt cū quis existimat se esse contritum, & non habet, nisi veram attritionē, sufficiat ad iustificationem mors pro Christo tolerata cum tali attritione, probant dicti auctores. Primo quia, si ad minus in hoc casu martyrium nō tolleret peccata, ergo nunquā ea tolleret, quare nō suppleret aliquando vicem baptismi, quod est absurdum. Cōsequentia patet, quia, si semper præcedit affectus charitatis, qui tollit peccata, martyrum, ergo martyrium nunquam inuenit peccata, quæ possit auferre. Secundo probatur, quia nisi hac ratione martyrium ex opere operato iustificaret homines, non semper remitteret omnem pœnam temporalem pro peccatis debitam, siquidem martyr esse potest, qui antea miles mortem est promeritus. Tertio, quia Ecclesia, vt aliquem colat tanquam martyrem, non examinat, vtrum prius habuerit actum charitatis erga Deum, an non, ergo credit martyrium ex opere operato sanctificare. Quarto, quia martyres sæpe se excitabant spe gloriæ, vt patet ex historijs eorū, ergo credi potest, ex ea spe aliquando mori, & non semper ex charitate.

7 His tamen non obstantibus sit conclusio: Mors pro Christo perpessa in adultis nō reddit hominem iustum, aut remittit peccata ex aliquo priuilegio Dei, sed quia procedit ex affectu charitatis, & amoris erga Deum. Hanc conclusionē tuētur. *D. Thom. 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. Durand. in 4. dist. 4. quæst. 8. n. 14.* Et communi-

muniter Scholastici, vt ait, *Vazquez loco citato.* A
Quam etiam tradunt, *Bernard. epist. 77. quæ est
ad Hugonem de sancto Vict. ante medium, & au-
thor sermonis de cæna Domini apud Cyprian. post.
num. 7.* Quæ conclusio ab alijs varijs rationi-
bus probatur, hac tamen vnica sufficienter ful
citur, quia cum mors pro Christo patiēter to-
lerata non habeat suapte natura, vt manifestū
est, vim iustificandi hominem attritum ad mo-
dum Sacramentorum, tamen eam vim habere
potest ex voluntate Dei, & ex eius peculiari
priuilegio, sed de tali voluntate Dei nobis nō
constat ex aliquo cap. ergo non est asserendū,
ex ea prouenire tale priuilegium. Quod nobis
non constet de tali voluntate, probatur, quia
de ea solum potest nobis constare aut ex scrip
tura, aut Ecclesiæ definitione, aut ex traditio- B
ne Sanctorum Patrum, nulla autem via istarū
de hac re nobis constat. Primum ex scriptura
non constat, nam illa verba. *Matth. 10. omnis er
go, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor
& ego eum coram patre meo.* Omnes intelligunt
de ea confessione, quæ denotatur sequenti-
bus verbis Matth. qui perdiderit animam
suam propter me, inueniet eam. Quod alijs
verbis significauit *Lucas dicens, cap. 12. quicun-
que, perdiderit animam suam propter me, viuifica-
bit eam, & Marci 8. dicitur, saluam faciet eam.*
Quæ verba, propter me. Secundum interpre-
tationem Sanctorum Patrum; & secundum
phrasim scripturæ, intelliguntur de morte to-
lerata ex affectu charitatis erga Deum. Secun-
do hoc priuilegium martyrij non constat etiā C
ex aliqua definitione Ecclesiæ, vt per se mani-
festum est. Tertio non constat id ex traditio-
ne Sanctorum Patrum. *Nam Clemens Rom. &
Cypr.* Cum dicunt, aut non esse maiorem virtu
tem baptismi aquæ, quam sanguinis, aut verio
rem baptismum esse sanguinis, quam aquæ,
quia verius repræsentat Christum mortuum;
intelligēdi sunt de baptismo sanguinis proce
dente ex charitatis affectu. Alij vero patres
dum asserunt, martyrium esse loco baptismi,
intelliguntur de martyrio tolerato ex affectu
charitatis. Cum vero alij patres, de quibus fit
mentio in contraria sententia, vt scilicet, *Cypr.
epist. 73. ad Iubaianū post n. 6.* Dicunt, martyriū
habere vim iustificandi ex pollicitatione, seu
promissione Dei, hoc ita intelligitur, quia re- D
uera id, quod martyrio conuenit natura sua,
quia est actus charitatis, scilicet, remissio pec-
catorum, promissa est ei, sicut augmentum gra
tiæ promisit Deus bonis operibus iustorum,
quod tamen suapte natura conuenit eis.

7 Ex his facile respondetur ad argumenta cō
trariæ sententiæ. Ad modos loquendi Sancto-
rum Patrum, patet ex nostra conclusione, qua
ratione sint intelligendi. Ad rationes autem di
cimus, & ad primam quidem nūquam per mar
tyrium remitti peccata adultorum, sed per af-
A fectum charitatis, & hoc non esse absurdū. Ad
secundam respondetur, martyri per mortem
patienter toleratam ex affectu charitatis, & re
mitti culpam, & pœnam culpam per affectum
charitatis, pœnam vero per ipsam mortem,
quia patitur id, quod omnium malorum tem-
poralium maximum est, & cum quo plus satis-
facit, quam, si diu in tormentis esset, cum qui-
bus sine dubio satisfaceret, mensura enim satis
factionis ex pœna, quam quis patitur, sumen-
da est. Ad tertiam rationem respondetur, Ec-
clesiam ad colendos martyres non examinare,
an illi ante mortem fuerint sancti ex affectu
charitatis, nam eo ipso, quod videt pro lege
Christi eos mortem perpessos, credit eos ex
affectu charitatis erga Deū esse passos, quod
B vt credat, à Spiritu Sancto dirigitur, sicut etiā
in canonizandis confessoribus. Ad quartam
respondetur, incepisse martyres aliquando
martyrium spe gloriæ, aut ex affectu alicuius
virtutis, sed semper cōsummasse affectu chari-
tatis, quia credendum est de Dei liberalitate,
eis, qui maius donum naturale Deo offerebāt,
datum esse à Deo maius donum spirituale, qua
le est gratiæ, & charitatis affectus.

Ex his duo aperte colliguntur, quæ non in- 8
digent vlla probatione. Primum est, illum, qui
aliquos articulos fidei non credit, & propter
alium, quem credit, patitur mortem, aut eum,
qui solum ob honestatem alicuius virtutis mo
ralis, & non ex affectu charitatis, patitur vio-
lentam mortem, nō iustificari à peccatis, quod
C totum ex dictis sequitur.

Circa infantes vero aliqui dixerunt, marty- 9
rium illis non prodesse, quia in illis non proce
dit ex affectu charitatis, & ita non iustificat à
peccato originali. Ita, *Alexand. 4. part. quæst. 8.
memb. 9. art. 5. §. 1.* Et probabile putat, *Armaca
nus, lib. 8. de quæst. Armenorum cap. 37. in fine.*

Sit tamen secunda conclusio. Mortem in- 10
fantibus pro Christo illatam eos iustificare à
peccato originali per modum Sacramenti bap
tismi. Ita tradunt. *S. Thom. 2. 2. quæst. 124. art.
1. ad primum Caiet. ibidem, & Vazquez loco citato
cap. 7.* Quod verum putant isti authores non so
lum de sanctis Innocentibus ab Herode occi-
sis, sed etiam de quibuscunque alijs. Hoc de in
nocentibus probatur primo authoritate Ec-
D clesiæ, quæ omnes occisos ab Herode à bima-
tu, & infra (inter quos sine dubio aliqui fue-
runt incircuncisi, vt filij Gentilium, qui in-
ter Iudæos erant permixti, & alij qui recenter
nati ex Iudæis) indiscriminatim vt sanctos co-
lit, & eorum corpora veneratur, ergo sentit,
eos fuisse sanctos, nō circuncisione ipsa. quia
hæc nō fuit applicata omnibus, sed morte pro
Christo eis illata. Deinde hoc idem probatur
ex traditione Sanctorum Patrum, quos late
refert, *Vazquez ibidem.* De alijs vero paruulis,
qui non sunt occisi ab Herode, sed ab alijs ty
ranis

rannis pro Christo, non est ita res certa, sed tamen dicimus, eos ex peculiari Dei priuilegio à peccato originali iustificari. Ita vniuersaliter loquuntur Author. lib. de operibus Cardinalibus Christi in Sermone de Stella, & Magis, post medium, & *Et Bernar. Serm. 66. in cantica*, id expresse asserit. Hanc autem vim habet martyrium paruulorum post Christi aduentum, non antea, sicut & aqua vim habet iustificandi post Christi aduentum, non antea & probatur, quia, cum isti non sint capaces affectus charitatis, quo iustificari possint, & aliàs pro Christo perdant id, quod in bonis temporalibus pretiosissimum est, scilicet, vitam, credendum est de Christi misericordia, eos, qui mortem Christi imitantur per tale martyriũ, vitam æternam consequi. Nec mirum, quod martyrium ita diuerso modo iustificet paruulos, & adultos, siquidem baptismus etiam diuerso modo; adultos, vt cum dolore, & affectu aliquo, & paruulos sine aliquo istorum iustificet. Imo martyrium maiorem gratiam confert paruulis, quam baptismus, quia Martyres re ipsa commoriuntur Christo. Alij, qui baptizātur in aqua, in figura tantum, doctrina est *D. Clemen. in lib. 5. constitut. Apostolic. cap. 7.*

11 Martyrium autem, vt bene recentiores docent, causat in anima gratiam in illo instanti, in quo est verum dicere, quod martyr naturaliter non potest diu viuere, neque vllo in posterum vti sensu, quia tunc moraliter est mortuus, quia iam non viuit per actus rationis, si autem sanaretur martyr miraculose, pie credi potest, quod in præmium cruciatus in gratia confirmaretur recepta semel in martyrio, ne eam amitteret.

12 Et quidem probabile indico cum alijs, paruulos in vtero materno existentes per martyriũ, nō iustificari, cōtra Vazquez, & alios, qui loco citato sentiunt, eos iustificari, quia nihil illis obesse potest, cum mortem pro Christo patiantur, at vero, aiũt quod baptismus aquæ eis prodesse non potest, quia nō possunt ablui: Sed resolutio nostra vera est, quia cum isti nō sint nati corporaliter, non renascuntur spiritualiter martyrio.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm Infantes sint capaces Baptismi.

1 TEMPORE *Diui Bernardi*, vt ipse refert, *Epist. 240.* Fuit quidam Hæreticus dictus, *Henricus*, qui asserebat, Infantes etiam Christianorum baptizandos non esse, fundamentum huius erat desumptum ex illis verbis. *Marci vltimo, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, ergo, qui non credit, non potest baptizari,

A Sit prima conclusio, Infantes Christianorũ debent baptizari, & sunt capaces effectus baptismi. Ita definitur in *Trident. sess. 7. can. 12. & 13. de baptismo, in Concilio Mileuitano, can. 2.* qui refertur. *Can. placuit. de consecrat. dist. 4. & Concil. Viennensi*, & refertur in *Clementina 1. de summa Trinitate*, & hanc veritatem definierũt Pontifices Ecclesiæ. *Syricius epist. 1. ad Hymeriũ Tarraconens. cap. 2. Greg. 1. lib. 3. Epistolarum, Epist. 9. & Innocent. III. in cap. maiores, de baptismo.* Probatur hæc conclusio, secundo ex illis verbis, *Ioannis 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quæ verba, vt supra vidimus, Patres etiam de paruulis intelligunt. Tertio probatur, ex traditione Ecclesiæ, quam tradunt

B circa hoc Patres Ecclesiæ, vt *Clemens Romanus lib. 6. institut. Apostolicar. cap. 15. Cypr. lib. 3. Epistolarum, Epist. 8. quæ nunc est in ordine 59.* & alij Patres nostram cōclusionem defendũt, quos citat *Vazquez 2. tom. in 3. p. disp. 154. c. 1.* Vltimo probatur conclusio ratione, nam, si nō essent capaces baptismi, vel hoc esset, quia nō possent propria voluntate baptismum suscipere, & hoc nihil obstat, quia, sicut peccatum originale, ad quod tollendum institutus est baptismus, contrahunt Infantes sine propria voluntate, nihil mirum, si etiam sine propria voluntate baptismum recipiãt, quia in hoc Deus se eorum statui etiam accōmodat, qui non est capax rationis, vel voluntatis; at ab adultis, qui sont capaces rationis, Deus exigit consen-

C sum. Neque obstat ad hoc vt sint capaces baptismi paruuli, quod non possunt sine propria voluntate subijci iurisdictioni Ecclesiæ. Nam contra est, quod cum isti sine propria voluntate tantum recipiant beneficium, scilicet, quod liberentur à peccato originali, quid mirum si sine propria voluntate quasi in recompensationem subijciantur Ecclesiæ? At adulti, quia sine propria voluntate non liberantur ab originali per baptismum, ita etiam sine propria voluntate non subijciũtur iurisdictioni Ecclesiæ. Tum etiam, quia, cum Infans ex parentibus Christianis nascitur, iure natiuitatis est subiectus Ecclesiæ, sicut Filius Ancillæ Petri, est seruus ipsius Petri.

D Sed quæres primo, quo præcepto baptizādi sunt Infantes ante vsum rationis, & respondetur, ex præcepto Diuino naturali teneri adultos ad baptizandos paruulos in ea ætate, cum sunt in periculo mortis. Probatur, quia lege charitatis tenemur cibum porrigere homini extreme indigenti, ergo & sacramentum baptismi conferre homini paruulo in extrema necessitate constituto, cui aliud remedium non superest ad salutem: extra casum vero necessitatis, licet non sit aliquod præceptum Diuinum, quia ad illud constituendum nulla apparet ratio; est tamen præceptum 3

Eccle-

Ecclesiasticum, infantes etiam tunc baptizandi. *Ita Bellarm. tom. 2. lib. 1. de baptismo, cap. 8. Suar. 3. tom. tertiæ partis, disp. 25. sect. 2.* Pater hoc ex Ecclesiæ consuetudine per traditionem habita. Secundum quam obligantur parentes ad suos paruulos tunc baptizandos, aliàs scandalum in republica generaretur. Quo autem die conferendus est baptismus, non est ab Ecclesia definitum, sed tantum est arbitrio prudentis id definiendum; eauendum tamen est, ne nimium sine causa baptismus differatur.

4 Contra hanc tamen conclusionem sunt aliqua argumenta. Primum sit, quia, si infantibus dandus est baptismus, ergo illis exhibenda est Eucharistia, quia hæc Sacramenta olim maximam inter se connexionem habuere. Huic tamen argumento facilis se offert solutio: baptismus enim plus necessarius est, quam Eucharistia, cum baptismus comparetur generationi naturali, per quam homo accipit suum esse, & Eucharistia cibo naturali, per quem alitur natura nostra: magis autem necessarium esse habere esse, quam comedere, quis negabit? consuetudo vero antiqua conferendi paruulis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum decursu temporis abolita est ab Ecclesia iustis de causis, vt in materia de Eucharistia probabimus.

5 Insurgit præterea hoc secundum argumentum, quia surdi, cæci, & muti simul nō possunt baptizari, ergo neque infantes, qui minus sunt rationis capaces. Huic argumento respondemus, adultos antequam in eos omnes morbos incidant, significantes se velle baptizari, posse quidem baptizari, vt tradit, *Concilium Arausicanum 1. can. 12.* Si autem eorum voluntas non constet, quia à natura his sensibus carēt, minime possunt baptizari, tum, quia, cum sint capaces consensus, & dissensus, debet eorum voluntas exspectari. Tum, quia possunt habere aliquem obicem respectu gratiæ Sacramentalis. De quo, nisi per verba, aut alia signa catechumeni cōstaet nobis minime potest. Hic autem si legem naturalem seruaret, interius à Deo illuminaretur ad concipiendam contritionem, qua iustificaretur.

6 Tertio insurgit argumentum desumptū ex, *Nazian. oratione in sanctum baptisma, quæ est 40.* Qui censet, expectandum esse triennū ad baptismum paruulorum, cum non sunt in vitæ periculo, vt respondere possint in baptismo. Cui doctrinæ fabet, *Tertul.* qui baptismum paruulorum vsque ad annos vsus rationis differēdum esse putauit. Nec dissimilem in, *D. August. sententiam tuuentes, lib. 4. de baptismo, cap. 24. contra Donatistas*, eo, quod dixerit, paruulorum baptismum non fuisse à Concilijs stabilitum, sed Origenis tempore cœpisse. Ad hoc tamen facile respondemus, *Nazian. & Tertul.* Apertè sensisse, paruulos non esse statim baptizandos, eorum tamen sententiam in Ecclesia non fuisse receptam. Diuum verò Augustinum iudicamus nihil de Origene dixisse, quin potius consuetudinem baptizandi paruulos in infantili ætate, ex traditione Ecclesiæ collegisse.

Quartum argumentum sit. Nō legitur, Christum aliquem infantē baptizasse, neq; de Ioanne Baptista id constat, imo neq; de Paulo, qui tot nationes peragrauit. Quinimo cōtrariū videtur colligi quātū ad D. Paulum, ex illis verbis, *1. Corinth. 1. Gratias ago Deo, quod neminē vestrum baptizaui, nisi Chrispum & Caium.* Huic tamen argumento dupliciter respōdetur. Primo ex eo, quod minime appareat in scriptura, Christū, aut Paulum aliquem paruulum baptizasse (& eadem est ratio de Ioanne Baptista) in sufficienter colligi, nullum paruulum eos baptizasse. Argumētum enim ab authoritate negatiua in hac parte inualidum iudicādum est. Neque enim omnia, quæ Christus, aut Apostoli executioni mandarūt, literis mandata sunt. Secūdo respōdetur. Probabile esse, Ioannē infantes nō baptizasse, quia ei⁹ baptismus talis erat, quod ad adultos dirigeretur, eo quod simul ad pœnitentiam exhortabatur. Cuius non erāt capaces infantes, tum quia actus pœnitentiæ est actus vsus rationis, quo non fruuntur infantes. Tum etiam, quia pœnitentia tantum concipitur pro peccatis a pœnitente commissis. infantes autem nec merentur, nec demerentur.

Vltimum argumentum subministrant nobis verba illa, *Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Infantes autem credere non possunt, ergo neque baptizari. Respondetur tamen, Christum eo loci, tantum fuisse locutum de adultis, de quibus antea dixerat, Prędicate Euangelium omni creaturæ: solis autem adultis prædicandum est Euangelium. Et ita de solis adultis intellexit Christus, debere eos prius disponi ad baptismum per fidem, ergo illi solum debent credere, vt baptizentur. 8

Secunda conclusio. Infantes nō habent actū fidei dum baptizantur, neque aliquem habent motum in voluntate similem actui fidei, spei, & charitatis, habent tamen aliquam fidem, per quam aliquo modo credere dicūtur. Hæc res non est aperte definita, contrarium tamen asserens erraret. Prima & secunda pars cōclusionis, scilicet, neque habere actum fidei, neque aliquem actum similem actui fidei, spei, & charitas, patent ex generali illa regula, *Deuteronom. 10. & Ioannis vltimo*, Vbi dicitur: *Infantes nescire distantiam boni, & mali.* Quia non sunt discretionis capaces. Sed credere, vel habere actum similem, actus est discretionis, ergo negādū est, huiusmodi actus in infantibus reperiri. Cōsequētia patet, quia nullū fundamentū habemus admittendi exceptionē in ea regula generali. Tertia verò pars conclusionis, infantes, scilicet, aliquo modo credere, duplici 9

duplici ex cap. constat. Primò, quia recipiunt A baptismum, qui est Sacramentum fidei, quia medio eo fideles initiãtur ad fidem, & quia in tali Sacramento continetur professio fidei satis expresse in illa verborũ forma: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Secundò constat eadem pars cõclusionis, quia fides Ecclesiæ, per quam offeruntur Deo catechumeni, applicatur ipsis, & constituit eos fideles, ac credentes. Vt præclare sensit *D. Tham. 3. part. quæst. 68. art. 9. ad secundum.*

10 Contra hanc secundam cõclusionem varijs modis errauerũt hæretici. Lutherani enim senserũt, paruulis in baptismo infundi actualem fidem, qua iustificentur; *in Concilio vero Vvitembergensi, cuius acta refert Chocleus, lib. 3. Miscellan. tract. 8. cap. 2.* B Alij hæretici iudicarunt, in infantibus excitari alios motus similes motibus Fidei, Spei, & Charitatis. Et contra nos obijciunt aliqua futilia argumenta, quæ cum suis solutionibus facile videri possunt apud *Belarm. lib. 5. de Baptisma cap. 11.* Illud tamen libet proponere, quod ipsi hæretici obijciunt, ex illis verbis Christi *Matth. 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt,* Sentit ergo Christus, paruulos credere, respondetur tamen cum *Vazq. 2. tom. in 3. p. disp. 154. cap. vlt.* Christum ibi loqui de paruulis, qui habent vsum rationis, quæ solutio videtur colligi ex illis verbis Christi, proxime antecedentibus, quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno Cœlorũ; C paruulus autem qui non habet vsum rationis non se humiliat.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm infantes filios infideliũ possimus licite baptizare inuitis parentibus?

1 HIc non disputamus de filijs infideliũ adultis, quia hos certum est esse baptizandos inuitis parentibus, si tamen eorum consensus accedat, quia in negotio suæ salutis animæ sine dubio sunt sui iuris, & ita possunt eam licitè quærere omninò reluctantibus parẽtibus. Solũm ergo agimus de infantibus eorum infidelium, qui non sunt baptizati aliquandò. D

2 Et quidem in eo casu, quo parentes infideles tantùm sint subditi principibus Christianis sicut ciues, non sicut serui *Scot. in 4. dist. 4. quæst. 9. & Gabriel eadem dist. quæst. 2. art. 3. dubio 5. post medium*, sentiunt, horum infidelium filios inuitis parentibus posse baptizari à principe, si tamen parentes id nesciant, ne eos occidant, & dummodo sint rectè instructi in fide. Probatur hæc opinio, quia si pater alicuius infantis vellet eum occidere, vel offerre idolo, A princeps posset ei subuenire, etiam eũ extrahẽdo à patria potestate, imò posset eum sic extrahere, cum videret eũ à patribus prauis moribus instrui. Sed filij infidelium sunt in manifesto periculo incidẽdi in infidelitatẽ, si patris consortium sequantur, & etiã sunt in peccato originali, ergo possunt à principe supremo inuitis parentibus baptizari. Et cõfirmatur, quia princeps potest suos subditos ob eorum culpã, & ob bonum cõmune priuare suo iure, sed parentes, cum nolunt filium suũ baptizare, peccant contra ius diuinum, ergo possunt pro ea culpa priuari iure, quod habẽt in filios, qua in re varie loquuntur alij Auctores, quos refert *Vazq. 2. tom. in 3. p. disp. 155. cap. 1.*

Sit tamen prima conclusio. In isto casu non 3 B est licitum principi supremo filios infidelium baptizare. Ita sentiunt *D. Tho. 3. p. q. 68. a. 10. Cajet. ibidem, & D. Ant. 2. p. tit. 12. c. 2. §. 4. Ricard. in 4. dist. 6. a. 3. q. 3.* Et probatur vnica ratione Ricardi, quæ coincidit cum rationibus *D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 12.* quia si filij inuitis parentibus baptizarentur, vel relinquendi sunt sub patria potestate, vel ab ea extrahendi. Nõ primum, quia aliàs exponerentur manifesto periculo deserendi fidẽ ex consortio cum parentibus infidelibus. Non secundũ, quia alias fieret iniuria patriæ potestati, ad quã pertinet, curam habẽre filiorũ, & eos secum retinere, ac alere, & licet Christus, vt Auctor omniũ, possit suis ministris facultatem concedere ad exhibendũ baptismũ paruulis inuitis parentibus, eã tamẽ C concedere noluit, quinimo potius voluit illæsum seruare ius parentum, ne religio Christiana redderetur odiosa. Hæc conclusio vera est tã loquendo iuxta diuinũ ius, quam iuxta naturale, vt sentit *Sot. in 4. dist. 5. q. vnic. art. 10. §. addis ibidem Palud.* Et etiam vera est de Iudæorũ filijs, quando isti non sunt serui Christianorũ, non enim omnes sunt serui, vt recte defendit *Vazquez 2. to. in 3. p. disp. 155. cap. 5.* Licẽt multi alij oppositum defendant, quos ipse refert. Neque possunt cogi Iudæi ad fidem Catholicã sectandam. Intelligitur præterea conclusio de tutoribus in defectum parentum, ita vt non possint paruuli eorum curæ demandati ipsis renuentibus licitè baptizari.

Ex quo primo colligitur cum *Vazq. loco citata cap. 3.* 4 D filium infidelis iam animam agentẽ posse palam inuitis parentibus baptizari. Patet ex conclusione præcedenti, quia tunc non est extrahendus infans à patria potestate, sed in ea relinquendus, cum non sit periculũ subuersionis eius, cum vita superstes nõ speretur, in qua possit subuerti, & à fide separari. Neq; tunc est habenda ratio scandali parentum in re tantæ necessitatis, quidquid neget *Coninc. tom. de Sacramentis, q. 68. dub. vnic.* & si puer conualesceret, posset iuste eripi, ne fidem susceptam amitteret.

Secun-

5 Secundo sequitur, minime licitum esse ingredi domum parentum, & ibi filiũ contra voluntatem eorum baptizare, quia alias violaretur ius gubernãdi domũ, & impediendi ingressum cuiuscunq; quod voluit Christus illæsum seruari, sicut, & ius patriæ potestatis, vt religio Christiana non armorum viribus, sed exhortationis, & prædicationis beneficio propagata, omnibus redderetur amabilis, & nulli exosa.

6 Tertio sequitur, in eo casu, quo infans iure, vel iniuria sit ereptus à patria potestate sine vlla spe ad eam redeundi, posse inuitis parentibus eum baptizari. Patet, quia tunc nullum extat periculum subuersionis media doctrina parentum, cum illis restituendus non sit; neque per baptismum eripitur à patria potestate, cũ potius ante illum supponatur ereptus. Ita sen- B tit Caiet. loco citato, neque huic resolutioni possunt contradicere, *Suarez 3. tom. in 3. p. disp. 25. sect. 3. & Coninc. loco proxime allegato*, neque *Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 155. cap. 3.* Cuius tota ratio est, quia baptizans filium infidelis inuito patre per hoc præcise; quod baptizet, nõ facit iniuriam parenti, sed per hoc tantũ, quod per talem baptismum in eo statu constituit infantem, vt per Ecclesiam debeat eripi à patria potestate contra ius parentũ, at in hoc casu non eripitur, quia iam erat ereptus.

7 Quarto sequitur ad baptismum filiorum sufficere consensum vnius parentis, licet alter dissentiat infidelis. Patet primo, *ex Cõcilio Toletano 4. cap. 62. & refertur, can. Iudæi. 28. quæst. 1.* C Tum, quia hoc est in fauorem fidei; tum; quia in hoc iure retinendi filium in suo consortio, & societate pares sunt vxor, & vir.

8 Quinto sequitur, filios infidelium, qui neq; subduntur Christianis vt ciues, neque vt serui, baptizari non posse propter eandem rationẽ, primæ conclusionis.

9 In eo vero casu, quo filius consentiat in baptismum, & parentes dissentiant; & dubitetur, an filius habeat vsum rationis, si non instet necessitas mortis, expectandum est aliud tempus, in quo constet de vsu rationis, quia in hoc nullum est periculum peccandi, quod si necessitas vrgeat, baptizandus est in eo dubio, quia tutior est ea pars, vt pote, in qua est materia de se minoris peccati. (Formaliter tamen nullum D est peccatum) Patet, quia in baptizando solũ est periculum efficiendi contra patriam potestatem, at in non baptizando, contra misericordiam, negando remedium saluti spirituali necessarium; hoc autem posterius, maius periculum est: imò si res in dubio de rationis vsu, è contra se haberet, quod parentes consentirent baptismo, & puer dissentiret, extra casum necessitatis, & periculi mortis expectandus esset amplior vsus rationis, quia tunc nullum est periculum peccãdi, & cum instat necessitas, baptizandus est in dubio, quia in non baptizãdo ex- A ponitur periculo efficiendi contra misericordiam denegando puero remedium salutis, & in baptizando exponitur periculo, operandi contra religionem efficiendo nullum Sacramẽtum; quamuis autem minor sit virtus misericordia, quam religio, ex se, tamen, cum Sacramentum sit institutum ad hominum vtilitatem, potius habenda est ratio necessitatis fratris, quam reuerentiæ Sacramento debitæ. Quod si ipse postea ex sua malitia deserat fidem, ex sua malitia deseret, & ita non est habẽda ratio huius, sed potius eius necessitatis spiritualis. Hæc doctrina est, *Vazquez loco citato, cap. 3.*

Sit secunda conclusio. Licitum est cuicunq; domino, infantes filios suorum seruorum non baptizatorum inuitis parentibus baptizare, dũ- 10
B modo curet, ne illi subuertantur à parentibus separando eos ad inuicem (Atque hinc patebit id, quod clarius est, scilicet, posse eos filios à suis patribus prius separari, & postea baptizari) ita defendit *Vaz. loco citato, & Coninc. vbi supra.* Hoc vero probatur, quia in hoc; quod est baptizare talem paruulum, præcise non fit aliquid cõtra ius parentũ, quia ipsi non habent ius, vt nullus corrigat errores, quos in filiis operantur, aut nullus curet de eorũ baptismo, quin potius, cũ ipsi teneantur ad eos baptizandos, alij, qui eos baptizant, implent eorũ obligationem. Solum ergo posset ille baptismus esse prohibitus ex ratione supra allata quia, vel filius esset relinquendus sub potestate patris cũ periculo subuersionis, vel eruendus ex patria C potestate contra ius. In illo autem casu nullũ inconueniens horum sequitur, quia iste filius iam baptizatus posset statim à Domino separari à patre etiam seruo, quia Dominus pro suo libito, & sine vlla causa id potest iure seruitutis præstare, vt patet ex iure gentium, quanto magis ne peruertatur, vel ne aliquas ceremonias Iudaicas, vel alias circa puerum pater exerceat, ergo licite potest etiam ante separationẽ infantem baptizare.

Tertia conclusio, baptismus collatus filijs in- 11 fidelium etiam non seruorum inuitis parentibus valet sine dubio, ita *D. Thom. 3. part. quæst. 68. ar. 10. D. Anton. 3. part. ti. 14. cap. 13. §. 9.* Et alij probatur, quia tunc adest vera materia, & vera forma, ac intentio vera ministri, vt suppo- D nitur. Ergo est verus baptismus. Nam id, quod desiderari poterat; est consensus, iste autem in paruulo proprius esse nequit, alienus autem sufficit vt Ecclesiæ sufficit; & fides sufficit Ecclesiæ, ergo non nocet defectus consensus parentum.

Quarta conclusio. Quando Domini licitè 12 possunt filios suorum seruorum baptizare, tenentur eos baptizare, etiam extra casum necessitatis, patet, quia lex charitatis obligat ad adhibendum tantum remedium, cum commode possumus etiã extra casum necessitatis,

ab hac autem obligatione non excusantur do
mini, nisi quando illis non est licitum bapti-
zare ob aliqua incommoda, quæ arbitrio pru-
dentis expendenda sunt; esset autem incommo
dum magnum, vt si infideles, cum quibus nos
raro bellum gerimus, ex eo', quod nos eorum
infantes Inuitis parentibus baptizaremus, ip-
si etiam nostros infantes perpetuo retinerēt, &
ad suam falsam sectam pertraherent. Neque,
huic cōclusioni obstat primo, quod tales infan
tes difficile sint boni Christiani, quia hoc con-
tingit ex eorum culpa. Neque obstat, quod rē
ligio nostra patitur dedecus ex hoc modō vio-
lentiæ, nam hoc dedecus nullum est iuxta pru
dentes, & hæc nō est violentia. Neque obstat,
quod hac ratione tollitur ius redemptionis no
strorum infantium, qui apud infideles detinē-
tur captiui, & non dimittuntur, nam contra est
quod Sarraceni, cum quibus est cōtinuum bel-
lum omnes nostros infantes circuncidunt, ne-
que volunt dimittere, & ita, cum his nullum se
quitur inconueniens. De alijs vero in fideli-
bus, cum quibus raro bellum contingit, iam di-
ximus in hac quæst. & conclus. magnum posse
sequi inconueniens.

13 Ad argumenta pro Scoti sententia respondē
tur. Ad primum quamlibet priuatam personā
posse filium infidelis eripere à patria potesta-
te, quando vellet contra eum peccare contra iu
stitiam, eum, verbi gratia, occidendo, vel cōtra
ius naturale offerendo illum idolo per conse-
crationem sine occisione: imo princips posse
eum eripere, cū praue vtitur pater patria pote
state imbuendo eum moribus nociuis guberna-
tioni exteriori, & politicæ, quia ad hoc ex na-
tura rei videntur habere potestatem, & autho-
ritate Dei: & possent eum eripere his casibus;
quia vindices sunt peccati contra ius naturale.
At vero, quia Deus voluit homines quantū ad
baptismum liberos relinquere, & eum in mun-
do introducere sine iniuria vlla patriæ potesta
tis, vt amabilis reddatur: ideo neque, princeps,
neque priuata persona potest filium infantem
eripere à patria potestate, ex eo, quod pater
nolit, filium suum baptizari. Tum quia, cum
princeps nequeat cogere subditum infidelē,
vt baptizetur ipse, vt aperte docet *Toletanum
4. can.* 55. Quia hæc obligatio tantum est iuxta
ius diuinum positiuum, ad quod ipse nequit co
gere: Ita neque potest cogere talem subditū,
vt permittat, filium suum baptizari. Ad vlti-
mum respondetur, posse principem subditum
suum punire, quando peccat contra ius natura
le, cuius ipse vindex est: non vero quando con
tra ius diuinum positiuum peccat, cuius ipse
vindex non est.

14 Secundo obijcies contra hæc. Quia Chri-
stus habuit potestatem baptizandi filios infide
lium etiam paruulos inuitis parentibus. Sed
hanc concessit suis ministris, *Matth. vltimo in*

A *illis verbis. Ite, docete omnes gentes, baptizātes eos.*
Vbi potestas generaliter conceditur, & ita ex-
tensa videtur ad paruulos infidelium filios, se-
quitur ergo, ministros Christi gaudere faculta
te baptizandi paruulos filios infidelium inui-
tis parentibus. Respondetur tamen, Christum
sine dubio habuisse prædictam potestatem, cā
tamen minime cōcessisse Apostolis, nisi prius
requisita voluntate parentum. Ad hoc enim
præceptum illis fuit, vt priùs docerent gentes
Catholicam doctrinam, vt parentes infideles
in fide instructi libenter patiantur filios suos
paruulos sacro regenerari lauacro. 15

Tertio obijcies. In lege naturæ licebat, filios
paruulos infidelium offerre Deo contra volun
tatem parentum, quo modo in eo statu iustifi-
B cabantur paruuli, eadem ergo prorsus ratione
licebit modo, paruulos filios infidelium inui-
tis parentibus baptizare, & medio baptismo
eos iustificare. Sed respondetur. Talem oblatio
nem non licuisse, quia, vel relinquendi essent
sub parentum potestate cum periculo subuer-
sionis in fide, vel separandi essent à patria pote
state, quorum vtrumque, vt vidimus, magnum
est inconueniens.

Quarto obijcies historiā, *Primi lib. Machab. 16
cap.* 2. vbi legitur, Mathatiam reportata victo-
ria ab Antiocho circumcidisse vi omnes pueros
in finibus Israel. Inter quos sine dubio erant
aliqui filij infidelium. Sed respondetur, ex ea
historia non colligi, circuncisos esse filios in fi
delium, sed Iudæorum. Imo & quamuis eos cir
C cūciderit inuitis parentibus, quia circuncisio 1
nō iustificabat, vt vidimus in tractatu de Sacrā
mentis in genere, ideo non sequebatur tantū
inconueniens ex ea circuncisione; quantū ex
baptismo. Præterea circuncisio nō obligabat
in infantili ętate facta ex vi sua ad seruandā po
stea legē Moysis, sicut nunc obligat baptismus
ad legē Christi, vt docet, *Vazquez loco citato. c.
vltim.* Vnde illud ad, *Galat.* 5. *testificor omni ho-
mini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ
legis.* De adultis intelligitur. Vt ostendunt illa
verba, circuncidenti se.

QVÆSTIO XX.

D *Vtrùm filij fidelium, qui incuria parentū
non sunt baptizati ante vsum ratio-
nis, post illum possint baptizari vi,
& quid de eo, qui ficte baptizatur?*

IN hac re, *Dominicus Sotus in 4. dist. 5. quæst. 1
vnica artic. 9. in fine.* Peculiarem senten-
tiam secutus asseruit, filios fidelium pos-
se in adulta ætate ad baptismum compel-
li, etiam proposito ignis supplicio. Proba-
tur, quia isti sunt de republica Ecclesiæ, eiusq;
iurisdi-

iurisdictioni subiecti, compelli ergo possunt ab Ecclesia ad baptismum recipiendum. A

2 Sit prima conclusio. Huiusmodi adultos nolentes Sacramentum baptismi suscipere, primo debet Ecclesia precibus, & exhortationibus ad baptismum pertrahere. Conclusio patet, quia iste modus magis accommodatus est Sacrosancto Euangelio, cuius iugum asseruit Christus, suaue esse, & onus eius leue.

3 Sit secunda conclusio. Cum isti adulti precibus, & blanditijs minime deliniũtur, sed potius ad baptismum accedere recusant, possunt ab Ecclesia compelli ad baptismum medio suo præcepto, nõ vero inferendo eis aliquam aliã vim. Quod possint compelli medio præcepto, constat primo quia isti adulti pertinent ad Ecclesiam aliquo modo, quatenus nati sunt ex pa- B rentibus Christianis, & quemadmodum Ecclesia habebat in eos iurisdictionem omnimodam ante vsum rationis ex eo, quod parentes haberent Christianos, & poterat eos legitime baptizare inuitis parentibus. Sic etiam, cum tales filij peruenerunt ad vsum rationis, Ecclesia habet iurisdictionẽ in eos, quia, propterea quod adepti sunt vsum rationis, non est credendum, Ecclesiam suam iurisdictionem amisisse omnimodo, potest ergo eis imponere præceptũ baptismi. Constat secundo eadem pars, quia pater non amittit ius, quod habebat in filios infantes ex eo, quod illi peruenerint ad vsum rationis, ergo neque Ecclesia amittit ius, quod habebat ad baptizandos paruulos ante vsum rationis eorum, quia illi adepti sint vsum rationis, C antequã charactere baptismi sint insigniti. Tamen, vt bene aduertunt, *Peña, Petrus Sotus, & Henriq. eos allegans in 1. tomo suæ summæ lib. 2. de baptismo, cap. 25.* Huiusmodi homines non sunt vi compellendi ad suscipiendum baptismum. Tum, quia cum non habeant characterem baptismi, non sunt intra Ecclesiam, tum, quia alias inuisa, & odiosa redderetur nostra fides, & nõ ita suauiter, vt Deus voluit, cordibus hominũ imprimeretur.

4 Sit tertia conclusio. Qui ficte baptizatus est, quia interius non habuit intentionem recipiendi baptismum, cum exterius adhibita sint omnia necessaria ad baptismum, compellitur ab Ecclesia ad seruandum baptismum, nisi probet defectum intentionis se habuisse. Ita docet D *Henriq. loco citato*; Et est communis sententia Doctorum. Probatur cõclusio, quia hoc necessarium omnino videtur, ne præbeatur ansa aliqua dolis, & fraudibus improborum hominũ, qui, vt suis cupiditatibus laxas præberent habenas, facile possent negare, se habuisse veram intentionẽ recipiendi baptismũ. Præsumit enim Ecclesia in eo casu nihil defuisse veritati baptismi: non enim iudicat de occultis, quare potest eos ita baptizatos minis, & vi propositis cogere ad seruandam legem Christi.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm per baptismum tollatur omnino culpa, & pœna, & qua ratione.

PROCHVS Origenista teste Epiphanio aduersus hæreses, hæresi 64. sentit, in hac vita semper viuere in nobis peccatum, in alia vero tolli, *Lutherus in art. 2. ex ijs, quos Leo. 10. Damnauit*, dixit, omnia peccata in baptismo remitti, non, quia eã penitus à nobis tollantur, sed, quia nobis nõn imputantur post baptismum susceptum. 1

Sit prima conclusio. Virtute baptismi omnia peccata penitus tolluntur, non solum originale, sed etiam actualia omnia, idest, non tantum peccatum, quod sine vlla operatione nostra, sed ex vi originis ex Adam contrahitur, sed etiam illud, quod propria operatione committitur, vt furtum, adulterium, &c. ita definitur, *In Concilio Carthaginensi 4. can. 1.* Vbi dicitur, Episcopum confiteri debere virtutem baptismi ad tollenda peccata, his verbis, *Quærendum ab eo est, si in baptismo omnia peccata, id est tum illud originale contractum, quam ea, quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur.* Tum etiam hoc definitur, *In Concilio Niceno.* Vbi generaliter de omnibus peccatis sic dicitur, *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*; Et idem etiã stabilitur in *Trident. sess. 5. can. 5. in decreto de peccato originali*, Sub his verbis, *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud, dicit, tantum radi, aut nõ imputari, anathema sit.* Quæ definitio, licet sit de baptismo paruulorum, comprehendit tamen; quemlibet baptismum, etiã adultorum. Quæ veritas expressa etiam fuit ab *Eugen. IIII. in Concil. Florent. in decreto fidei post vltimam sess. §. . . omnium*, vbi dicitur, *Huius Sacramenti, scilicet, baptismi effectus, est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque, pœna, quæ pro ipsa culpa debetur.* Deinde hæc veritas ex Sacra Scriptura probatur, primo, *Ex Paulo ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis.* Secundo probatur ex, *Paulo ad Ephes. 5. in illis verbis, mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ.* Quæ verba omnes patres intelligunt de baptismo, sed nemo mundatur neque saluus fit, nisi ab eo vere radicitus euellantur omnia peccata tam originale; quam actualia, ergo omnia vere tolluntur ablatione vera, & reali; & non per non imputationem solam. Tertio probatur, *Ad Roman. 6.* Vbi loquens Paulus de baptismo. Sic inquit, *Hoc scientes, quod vetus homo noster si-*

 mul

mal Crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Vltimo veritas hæc expressa est in, *Can. per baptismum, de consecrat. dist. 4 & in can. per aquam, & can. vt ostenderet, eadem dist.*

3 Secūda conclusio. Omnis pœna temporalis sensus debita pro peccatis actualibus, quæ interdum restare solet luēda in hac vita, vel in purgatorio post remissionem culpæ, tollitur per baptismum(. De pœna autem æterna non loquimur, quia certum est, eam simul cum peccatis mortalibus in qualibet iustificatione tolli). Probatur primo ex, *Concil. Florent. locis citatis, & ex Trid. loco citato.* Vbi postquam dixit, *per baptismum tolli totum id, quod veram habet rationem peccati,* Et post quā dixit, *Homines reddi innoxios, & immaculatos per baptismum,* addit, *ita vt nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur.* Ergo tollitur omnis pœna etiam temporalis, aliàs aliquid eos remoraretur ab ingressu Regni Cœlestis, scilicet pœna temporalis, hæc enim necessario soluenda est ante ingressum patriæ Cœlestis. Quod etiam denotatur, *In can. per aquam de consecrat. dist. 4.* Secundo probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione, secundū quam nunquā Ecclesia consueuit, aliquam pœnā baptizatis imponere, sicut imponit peccata sua cōfessis. Tertio probatur, quia in baptismo moritur homo peccatis, & resurgit Christo, ac ad imitationem Christi, sicut ergo in Christo nihil māsit post resurrectionē anteactæ vitæ pœnalitatis, ita neq; in homine post baptismū debite susceptum debet aliquid culpæ, aut pœnæ remanere. Hoc tamē in hac conclusione cōsiderandū est, nō remitti totam pœnam temporalem per baptismū ex natura iustificationis, & gratiæ, quæ per baptismū confertur, (nam hæc eiusde rationis est habita in baptismo, & extra illū, imo potest esse intensior, & perfectior extra baptismum per cōtritionē, vel pœnitentiam adquisita, quā per baptismū parta,) sed ex peculiari Dei priuilegio, ac fauore hoc habere baptismum. Quod priuilegium ex Conciliis citatis patet.

4 Tertia conclusio. Quāuis pœnalitates huius vitæ vt morbus, fames, &c. possint tolli per baptismū, si Deus velit, tamen de facto non tollūtur, vt quotidiana nos experientia docet. Et vt bene notat, *Sotus loco citato, in 4. dist. 6. q. 1. ar. 2.* Sed propter aliquas rationes fuit conueniens, eas manere post baptismū. Prima quia per baptismum incorporamur Christo, qui habuit corpus passibile. Secūda propter spirituale exercitium, vt dum crescit cum his pœnalitatibus pugna, crescat, & pugnantium meritum, & corona. Atque in huius rei manifestam significationem, quando populus Israel per transiuit mare Rubrum, figuram nostri baptismi, non statim potitus est terra promissionis, sed prius acriter cum inimicis pugnauit.

5 Quarta conclusio. Baptismus confert bapti-

A zatis tam paruulis, quàm adultis gratiam, & alia dona supernaturalia, quæ sunt fides, spes, & charitas, iustitia, fortitudo, temperantia, & prudentia infusæ, & supernaturales. Probatur ex, *Trid. sess. 6. cap. 7.* Vbi dicit, *Iustificationem fieri per susceptionem gratiæ, & donorum.* Sed baptismus, vt ibidem ait Concilium, est causa iustificationis, ergo confert gratiam, & alia dona supernaturalia.

Alios effectus impertinentes, & omnino fi- 6
ctitios attribuūt hæretici nostro baptismo, vt libertatē viuendi hominibus adstruant. Quos late refert, & refellit, *Vazquez, 2. tom. in 3. part. disp. 156. cap. vltim.* Apud quem Doctorem possunt exacte videri. Pro maiori tamen prædictorum intelligentia aliqua restant examinanda

B argumenta. Primi occasionem præbet nobis, *Canone, quod absit, de cōsecrat. dist. 4.* Vbi Iudæis, dum baptizantur, imponitur pœnitentia quadraginta dierum, ergo manet post baptismum aliqua pœna temporalis soluenda. Huic tamen argumento respondetur cum *Soto in 4. dist. 6. quæst. 1. artic. 1.* Illas pœnitentias non fuisse impositas ad satisfactionem alicuius pœnæ, quæ luenda restaret post baptismum: sed in reuerentiam tanti Sacramenti, & ad hoc, vt post illud susceptum homines bonis operibus assuescerent.

Secundum argumentum ministrare nobis 7
videtur, *Trident. sess. 14. cap. 8.* Vbi agens de satisfactione pro pœna temporali à iustificatis præstanda, taliter constituit differentiam in re-

C missione facta in baptismo, & in pœnitentia, quod ex natura iustitiæ nostræ, & gratiæ, colligere videatur eam remissionem pœnæ. Verba Concilij hæc sunt. *Sane, & diuinæ iustitiæ ratio id exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, &c.* Ad hoc respondet, *Vazquez, loco citato, cap. 4.* Concilium solum velle esse valde congruum diuinæ iustitiæ, quod omnem pœnam remittat iis, qui baptizantur pro peccatis ante baptismum commissis, debitā quia fiunt sæpe ex ignorātia, at iis, qui labuntur post baptismū, eam non omnino dimittat, quia scienter sæpe peccant.

D QVÆSTIO XXII.

Vtrùm ad recipiendum baptismum valide requiratur aliqua voluntas in recipiente.

MODO non disputamus de infantibus, quia, cum dispositio debeat esse aliquis actus rationis, & infantes sint incapaces rationis, sunt etiam incapaces dispositionis.

Præterea

1 Præterea non diſputamus, quod ſit ſubiectū
capax baptiſmi, eſt enim ſine dubio non Ange
lus, ſed homo, quia nō pro Angelo, ſed proho-
mine inſtitutus eſt à Chriſto. Vt patet, *ex illis*
verbis Matth. vlt. Euntes docete omnes gētes bapti
zantes eos, &c. Imo etiam, vt homo ſit capax hu
ius Sacramenti, debet eſſe viator, id eſt, hanc
noſtram vitam mortalem degens, non vero ex
tra eam collocatus, vt beatus; Vnde non debet
eſſe homo mortuus, ſed viuus, ad hos enim
Matth. loco citato. Prædicatio Chriſti, & baptiſ-
mus diriguntur.

2 Noſtra ergo diſputatio procedit de adultis,
in quibus certū eſt, vt verū baptiſmū recipiāt,
minime requiri fidē ſupernaturalē Dei, nā vt
ſupra vidimus, etiā hæretici, qui varijs errori-
bus ſunt infecti, verū recipiūt baptiſmum. Ex
quo à fortiori ſequitur, minime requiri aliquē
bonū affectū voluntatis, vbi enim fides neceſſa
ria nō eſt, neceſſarius nō erit prædictus motus.

3 Sit concluſio. Ad valorem baptiſmi requiri
tur voluntas recipiēdi id, quod in vera Eccleſia
recipitur, vel aliqua alia ſimilis voluntas. Ita
ſentiūt, *D. Tho. 3. p. q. 68. ar. 7. D. Bonauent. in 4.*
diſt. 4. art. 2. q. 1. & alij quā plurimi. Probetur,
quia cū adultus ſit Dominus ſuæ propriæ volū
taris, requiritur in baptiſmo eius conſenſus, vt
fidē profiteatur, & ſubijciatur Eccleſiæ iuriſdi
ctioni; qui cōſenſus ſufficiēs eſt ad baptiſmū, li
cet ex metu eliciatur ab extrinſeco illato, & in
iuſte, & cadēte in virū conſtantē, & inducto ad
extorquendū cōſenſum. Ita definit, *Innoc. III.*
in cap. maiores, de baptiſmo §. vltimo. Et idem an-
tea definitū fuerat in, *Concil. Toleta. 4. cap. 56.*
Idemque notarunt, *Bonauent. loco citato, & So-*
tus in 4. d. 5. q. 1. art. 7. Cuius ea ratio eſt, quia
voluntas coacta abſolute, & ſimpliciter libera
eſt, ſufficit ergo ad recipiendū valide Sacramē
tum Baptiſmi. Præterea ad baptiſmum mini-
me requiritur, recipientem actualiter velle re-
cipere baptiſmū, dum baptizatur, ſed ſatis eſt,
ſi prius voluerit baptiſmū ſuſcipere, etiā ſi vir
tualiter non maneat ea voluntas in aliquo effe
ctu, ſed baptizandus in ſomnū, aut in amentiā
incidat. Ita definitum eſt in *Concil. Arauſicano*
1. can. 12. His verbis, *Subito obmuteſcens, prout ſta*
tutum eſt baptizari, aut pœnitentiā accipere poteſt,
ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis
habetur, aut præſentis in ſuo nutu. Et Concil. Car-
thagin. 3. Canone 34. Idem de ægrotantibus defi
niuit, etiam ſi ſint amentes, in quibus non repe
ritur voluntas virtualis, ſed tantum habitualis.
Cuius reſolutionis eam poſſumus aſsignare ra
tionem, quia baptizandus in baptiſmo non re-
quiritur tanquam agens, ſed tanquam patiens:
neque in eo neceſſarius eſt conſenſus, vt me-
dio conſenſu conficiat baptiſmum, ſed, vt me-
dio illo diſponatur ad ſuſceptionem baptiſmi,
ergo cum in miniſtro conficiente baptiſmum
requiratur conſenſus actualis, vel virtualis, vt
[illegible]

A vidimus in tractatu de Sacramentis in genere,
quæſt. 23. minor conſenſus ſufficiet in ſuſcipiē
te baptiſmum, ille ſcilicet, qui antea præceſſe-
rit, etiam ſi non ſit virtualis, dummodo non ſit
retractatus: quæ doctrina eodem modo ſeruan
da eſt in ſuſceptione aliorum Sacramentorū,
præterquam in Sacramento matrimonij, cuius
naturā Deo danre ſuo loco latius expēdemus.

Cæterùm contra id, quod in principio quæ- 4
ſtionis ſuppoſuimus, hoc Sacramentum baptiſ
mi nō eſſe pro mortuis inſtiturū, obſtant diffi-
cilia verba, *D. Pauli 1. epiſt. ad Corinth. cap. 15.*
Quæ ſic ſe habent. *Alioqui, quid facient, qui bap*
tizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſur-
gūt, vt quid baptizantur pro illis? Ergo ſequitur,
baptiſmum noſtrum mortuis prodeſſe. Circa
B hunc locum varias adhibet ſolutiones, *Vaz. 2.*
tom. in 3 p. diſp. 157. cap. 3. Ea tamen mihi proba
tur, quæ ei non placuit, ſcilicet, baptizari pro
mortuis, non eſſe recipere Sacramentum bap-
tiſmi, quod proſit mortuis, ſed pati opera pœ-
nitentiæ, & doloris, & ea mortuis applicare,
quibus à pœnis purgatorij ſoluantur. Ita tra-
dunt, *Efren in ſuo teſtamento. Petrus Cluniacenſ.*
lib. 1. contra Petrobruſianos, cap. contra id, quod di-
cunt, viuorum beneficia, column. 16. In Sacra enim
Scriptura baptizari aliquando ſignificat, pati
mortem, vt, *Marc. 10.* Apparet in illis verbis
Chriſti, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibitu-*
rus ſum? & baptiſmo, quo ego baptizo, baptizari. Et
etiam baptizari ſignificare poteſt, ferre quam
liber aliam animæ afflictionem. Vnde patres
C Eccleſiæ opera pœnitentiæ vocant laborioſum
baptiſmum, *vt Nazianz. orat. de Epiphan. Cypria.*
in proœmio exhortationis ad martyrium. Diſcurſus
ergo Pauli in verbis citatis, eſt ſic intelligen-
dus iuxta noſtrum ſenſum. Si animæ mortuo-
rum ſimul cum corporibus interierunt, & æter
næ non ſunt, vnde neque corporibus aliquan-
do coniungentur ad eorum reſurrectionem,
(pro eodem enim vſurpat Paulus, & homines
reſurgere, & eorum animas æternas eſſe, quia,
cum anima inclinationem habeat naturalem
ad corpus informandum, ſi æterna eſt, petit na
tura ſua aliquando coniungi corpori) fruſtra
viuentes ſuſcipiunt opera pœnitentiæ pro il-
lis. Sed minime aſſerendum eſt, viuentes pro
mortuis fruſtra laborare, cum ſit contra certam
D traditionem, & inuiolabilem vſum Eccleſiæ.
Dicendum ergo eſt, mortuorum animas æter-
nas eſſe, & eorum corpora aliquando eſſe ad vi
tam reuocanda.

Ex quibus lector colligat, maximam inter 5
Catholicos habendam eſſe curam animarum
exiſtentium in purgatorio, & noſtros pios la-
bores frequēter illis eſſe applicādos, vt à maxi
mis pœnis, quas patiūtur, incolumes euadant;
tū, quia huiuſmodi miſericordiæ opus maxi-
me placet Deo, tum, quia illæ, cum videant ſe
noſtris orationibus adiutas æterna beatitudine

G 4 perfrui

perfnıi in fignificationem grati ergà nos animi fui, continnas ad Deum orationes fundent pro nobis, vt diaboli laqueis fuperatis virtute fanguinis Chrifti ipfas aliquando comitemur. A

QVÆSTIO XXIII.

Quæ difpofitio fit neceßaria in adulto ad iuftificationem in baptifmo confequendam.

1 SI in præfenti quæft. loquamur de iuftificatione eius adulti, qui folum habet peccatum originale, certum eft, eum minime debere ad fufceptionem baptifmi præparari per aliquem actum doloris circa peccata habiti. Patet primo, *ex Auguft. li. de vera, & falfa pœnit. cap. 8.* dicente: *Baptizandis pœnitentia non eft neceßaria.* Loquitur autem ex vi folius peccati originalis, vt legenti patebit. Secūdo probatur, quia, cum dolor de peccatis fit retractatio prioris voluntatis, debet effe dolor de peccatis commiffis à pœnitente: Sed in ifto cafu ille, qui baptizatur, non commifit aliquod peccatum, ergo non debet habere aliquem dolorem, fed tamen adultus ifte, qui folum contineret maculam peccati originalis, non folum ante fufceptionem baptifmi fructuofi debet habere voluntatem recipiendi illum, fed etiam debet habere fidē. Dicitur enim ad, *Hebræos* 11. *fine fide impoßibile eft, placere Deo.* Similiter debet habere fpem, qua fperet, fe virtute baptifmi confecuturum gratiam à Deo, & vt, *Suar. 3. tom. in 3. part. difp. 22. fect. 1. colligit ex D. Thom. 3. part. quæft. 69. art. 9.* In huiufmodi adulto requiritur voluntas feruandi omnia præcepta, vel expreffa, vel virtualiter cōtenta, aliàs peccaret mortaliter, & ita non effet optime ad gratiam difpofitus, imo requiritur aliquis amor Dei, non quidem perfectus, neque enim baptifmus, qui Sacramentum eft mortuorum, ita perfectam requirit difpofitionem, qua homo viuus ratione gratię reddatur ante fufceptionē baptifmi, fed fufficit imperfectus quidā amor Dei confiftens in voluntate feruandi legē Dei, aut fpe retributionis, aut metu pœnæ æternæ, vel propter honeftatem præceptorum, quæ ob feruare homo intendit. Loquimur ergo de adulto, qui cum peccato originali fimul habet coniunctum aliquod peccatum mortale actuale. B C D

2 Secundo certum fit. Huiufmodi adultum non debere confiteri peccata fua Sacramentaliter, imo neque poffe fecundum doctrinam cōmunem, *Ambrof. lib. 3. de Sacramētis, cap. vltimo.* & aliorum doctorum. Conftat veritas hæc, quia baptifmus eft ianua reliquorum Sacramētorum. Ergo qui non eft baptizatus, non eft capax recipiendi Sacramentalem abfolutionem. *Henriq. tamen lib. 2. de Baptifmo, cap. 26.* Refert, antiquitus catechumenos folitos effe confiteri fua peccata in generali, non confefsione Sacramentali, fed extra Sacramentum ratione humilitatis, vt inftruerentur circa obligationē reftitutionis, & circa emendationem vitæ.

3 Tota autē difficultas in eo fitaeft, quæ difpofitio requiratur in huiufmodi adulto, de quo loquimur ad recipiendam gratiam baptifmalem. Quidam dicunt ad hoc fufficere voluntatē recipiēdi baptifmū Ecclefiæ, & fidē, & fpē, dummodo abfit omnis voluntas, & complacentia peccati mortalis, pro qua fententia allegat, *Vazquez 2. tom. in 3. part. difp. 158. cap. 1. Caietan.* Cui fententiæ adhærere videtur *Conine. tomo de Sacramentis, quæft. 62. art. 1. dubio 2.* Dicens actum fpei continere virtualiter attritionem.

4 Secunda fententia eft, *Gabrielis in 2. dift. 32. quæft. 1. conclus. 2. & 3.* Sentientis virtute baptifmi remitti peccatum originale fine mortali, cum quis vel nullum habet dolorem, vel habet aliquam complacentiam peccati mortalis. Probatur: quia cum peccatum originale fit carentia iuftitiæ originalis cum obligatione habendi illam, in hoc cafu commutatur obligatio habendi iuftitiam originalem, in obligationem habendi gratiam habitualem, quæ neceffaria eft ad delendum peccatum actuale.

5 Tertia fententia eft, *Petri Soto lib. de inftitutione Sacerdotum 4. lectione de baptifmo §. vltimo.* Tandem afferentis, ad iuftificationem adulti per baptifmum requiri veram contritionem, & perfectam de peccatis. Hæc fentētia multis confirmanda eft rationibus. Prima fit, quia iuftificatio hominis, & remiſsio peccatorum foli Deo referuata eft, ergo in baptifmo Deus eft qui remittit peccata, & baptizans tantum oftēdit hominem effe ablutum à Deo, ficut de pœnitentiæ Sacramento ab aliquibus affirmatur, per abfolutionem Sacramentalem non fieri abfolutionem, fed tātum oftendi effe à Deo factam, ergo vtrobique requiritur contritio perfecta, quia fine ea Deus Optimus Maximus nemini extra Sacramentum remittit peccata. Secundo probatur quia vt patet ex, *Trid. feff. 6. cap. 6. & 7* Ad iuftificationem adultorū in baptifmo neceffario prærequiritur, & amor Dei, & odium peccatorum, fed odium peccatorum ex amore Dei procedens debet effe vera contritio, ergo qui baptizandus eft debet fe ad baptifmum præparare cum vera contritione. Tertio probatur, quia homo per peccatum mortale auertitur à Deo vt ab vltimo fine, ergo debet ad Deum conuerti ex toto corde vt ad vltimum finem, & dolere de peccatis propter Deum vt propter vltimum finem, vt poffit apud Deum iuftificari: fed hunc modum iuftificandi qui ex natura rei requiritur ad iuftificatio-

ficationem Deus non abstulit post institutum baptismum, ergo qui baptismi Sacramentum suscepturus est, debet prius perfecte de peccatis conteri.

6 Quarta sententia *Nauarri celebris Doctoris nostri in summa cap. 1. num.* 39. Defendit, in hoc casu requiri contritionem veram, vel saltem attritionem, quam baptizandus existimet esse contritionem ignorantia inuincibili.

7 Quinta sententia est eorum, qui dicunt, sufficere ad tollenda omnia peccata per baptismum dolorem habitū ex viribus naturæ propter infamiam temporalem, & mortem temporalem. Probatur, quia iste dolor bonus est, vt pote habitus de re à Deo causata.

8 Pro intelligentia quæstionis nota duplicem esse dolorem, alium perfectum, qui est contritio, & est dolor de peccatis propter Deū summe dilectum vt finem supernaturalem, alium imperfectum, qui est ex metu gehennæ, aut ex turpitudine peccati conceptus.

9 His suppositis sit prima conclusio de fide. Ad hoc, vt cum peccato originali tollantur etiā mortalia in baptismo, requiritur aliquis dolor de peccatis. Ita docent, *D. August. in lib. de pænitentiæ medicina. cap.* 2. Vbi dicit, *Nemini sine pænitentia præuia baptismum prodesse ad remissionem peccatorum, nisi paruulis, & Fulg. lib. de fide. ad Petrum cap.* 30. Et probatur ex, *Trident. sess. 6. cap.* 6 Vbi inter præparationes ad baptismū necessarias aliquem dolorem de peccatis enumerat. Primò iste dolor non solum est necessarius ad tollendum peccatum mortale, sed etiā ad tollendum originale cum illo coniunctum, per accidentem rationem societatis cum mortali cōtractæ. Patet, quia vt certū est, & oppositum error est, peccatum originale de facto nunquā remittitur, si cōiunctum est cum mortali (quidquid sit de possibili) sine mortali, sed vt tollatur mortale, requiritur aliqualis dolor, vt probatum manet, ergo ad tollendum originale; quod quidem intelligitur per accidens, non per se. Et confirmatur, quia peccatum originale est carentia tantum gratiæ habitualis, quam homo debet habere, at ista obligatio non tollitur in homine à Deo, neq; cōmutatur, sed manet in sua vi, ergo gratiā debet procurare homo, sed hanc non potest in eo casu habere sine aliquo dolore, ita ergo sine dubio requiritur.

10 Secunda conclusio, ad hoc, vt homo per baptismum à peccato mortali iustificetur, non requiritur vera, & perfecta contritio de peccatis. Ita docent, *D. Thom. in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 28. sect. 2. Vazquez loco citato*, & probatur primo, *ex Eugen. II lit. in decreto fidei. quod est in Concil. Florent. post vltim sess. §. 1. omnium.* Vbi non solum definit, hoc sacramentum esse ianuam vitæ Spiritualis, sed etiam effectum eius esse remissionē peccati tam actualis, quam originalis. Sed si semper ad baptismum suscipiendum requireretur contritio, nunquam hunc effectum causaret, quia semper inueniret illum causatum per contritionem, ergo ad baptismum non requiritur, vt dispositio necessaria contritio perfecta. Et confirmatur, quia sacramentum baptismi ex prima intentione Christi est Sacramentum regenerationis Spiritualis, & mortuorū in peccatis, ergo debet aliquando communicare primam vitam gratiæ.

Sit tertia conclusio. Ad recipiendum baptismum non requiritur in recipiente attritio existimata contritio, sed satis est attritio vera, & cognita. Ita docent, *D. Thom. 3. part. quæst. 69. art. 3 ad 2. & Turrecremata in cap. si quotiescunque. de consecrat. dist.* 2. Et probatur, quia baptismus per se institutus est ad delendum in paruulis peccatum originale, quod animam spiritualiter occidit, priuando hominem gratia; & ad delendum peccatum originale, & actuale in adultis, quæ etiam inducunt mortem animæ: ergo non indebite accedit, aut contra institutionem baptismi, qui mortuus in peccatis sine cōtritione, sed cum sola attritione accedit. 11

Quarta conclusio. Requiritur ad iustificationem adulti in baptismo attritio ex fine aliquo æterno, & supernaturali. Patet, quia alter timor, aut dolor ex infamia, verbi gratia, mūdi, est mundanus, & tam est principium boni, quā mali operis. Secūdo probatur ex *Concil. Trid. sess. 14. cap.* 4. Vbi concilium ad Sacramentum pœnitentiæ satis esse dicit dolorem ex metu gehennæ, & ex turpitudine peccati conceptum, & hunc denotat esse supernaturalē, quia dicit debere esse cum spe veniæ, & esse Spiritus Sācti impulsum, sed idem requiritur ad baptismum, ergo debet esse supernaturalis; & non sufficit attritio existimata, sed in rei veritate reperiri debet talis attritio, quia, cum Sacramentum re ipsa suscipiatur, dispositio debet esse necessaria in re; sicut, quia aqua naturalis est materia baptismi, non satis est ad valorem baptismi adhibere aquam rosaceam, etiam si existimetur aqua naturalis. Contrarium huius conclusionis docere videtur ex parte, *Vazquez loco citato, cap.* 4. Dum sentit, dolorem de peccatis propter infernum, & turpitudinem peccati esse donum Dei, licet non sit ordinis supernaturalis secundum substantiam. Nos autem sentimus, talem dolorem supernaturalem debere esse, vt sit recta dispositio ad iustificationem, quia procedere debet tandem, licèt remote, ex fine supernaturali. 12

Ad argumenta opposita respondeamus, si placet. Ad primum argumentum, secundæ sententiæ patet ex dictis, non tolli peccatum originale de facto sine actuali mortali, imo neque posse tolli: gratia enim habitualis, quæ peccatum originale destruit, & quæ peccato originali opponitur, non potest compati secum pec- 13

catum actuale mortale. Ad primum argumentum tertiæ sententiæ respondetur, negando Sacerdotes non habere potestatem absoluendi, aut abluendi, à peccatis, sed tantum eam habere ad declarandos homines esse absolutos, & ablutos, hoc enim vltimum sine errore in fide pronũtiari minime potest, quia aduersatur expressis testimonijs Sacræ Scripturæ, & sacrorum cõciliorum, & Sanctorum Patrum, vt in proprijs huius puncti locis apparebit, & efficaciam Sacramentorum horum, quibus concilia vim tribuũt iustificãdi, vehementer eneruat. Ad secundum dicimus, ibi Conciliũ loqui de iustificatione adulti per baptismi virtutem causata, & ita per contritionem intelligere cõtritionem imperfectã, quæ est attritio, & per amorem, amorem concupiscẽtiæ erga Deum, qui consistit in eo, quod quis diligat Deum quatenus est sibi beneficus, & liberalis, non vero intellexisse Concilium amorem amicitiæ, qui situs est in eo, vt quis prosequatur dilectione bona Dei, quatenus eius bona sunt. Ad tertium respondetur, iustificationẽ hominis extra Sacramentum debere fieri per contritionem perfectam, at in Sacramento baptismi, & pœnitentiæ minime, quia cum virtute Sacramenti sufficit attritio. Ad argumentum quintæ sententiæ respondetur, dolorem sufficientem ad iustificationem operatam per baptismum debere esse supernaturalem, vt patet ex quarta conclusione.

4 Quæres primo. An ratione diuersæ dispositionis existentis in eo, qui recipit Sacramentum baptismi, maior gratia in vno, quam in alio causetur? Ad hoc respondetur primo hoc non procedere de Infantibus, in quibus, quia nulla desideratur dispositio, hinc est, semper gratiam esse æqualem, imo semper esse minorem, quam in adultis, qui disponuntur ad baptismum, vt notat *Sot. in 4. dist. 6. q. 1. a. 6.* Respõdetur secundo, non minorem gratiam cõferri vni adulto, ex eo quod habeat plura peccata mortalia, quam alteri, aut minus remitti pœnæ temporalis, patet, quia perfectio gratiæ nõ attenditur ex paucioribus peccatis, sed ex maiori dispositione, potest autem contingere, vt ille, qui plura habet peccata, melius disponatur ad gratiam. Respondetur tertio, inter adultos maiorem gratiam communicari per baptismum ei, qui per maiorem dolorẽ est dispositus, ita cõmuniter Doctores. *D. Th. 3. p. q. 69. art. 8. in corpore, D. Bonau. in 4. dist. 4. q. vltima*, & alij. Probatur primo ratione D. Thom. ibidem, quia Sacramentum agit ad modum causæ naturalis, vt caloris, ergo quemadmodum calor melius agit in subiecto melius disposito, vt in ligno sicco melius, quam in viridi, sic etiam Sacramentum maiorem gratiam producit in homine melius disposito. Secũdo probatur ex *Trid. sess. 6. cap. 7.* cum de ijs, qui iustificantur per baptismum sic inquit. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensurã, quã Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Respondetur quarto, licèt aliqui sentiant oppositum, in baptismo posse infundi Spem, & Fidem sine Charitate, quia homo credit, & sperat, at manet in complacentia alicuius peccati mortalis dum baptizatur, patet, qua sicut extra Sacramentum per peccatum mortale, verbi gratia, furti, amittitur Charitas, & non amittitur Spes, & Fides, cur etiam per baptismum non poterit infundi Spes, & Fides sine Charitate? Quod si in *Trident. sess. 6. cap. 6.* dicitur, *vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur Fidem, Spem, & Charitatem.* Respondetur, hoc posse intelligi, non quod semper debeat, qui iustificatur, de nouo recipere Fidẽ, Spem, & Charitatem, sed, quod semper, cum recipit gratiam de nouo, recipit Fidem, & Spem de nouo, vt in paruulis, vel augmentum Fidei, & Spei, vt in adultis, qui non carebant Spe, & Fide, cum iustificantur. Hoc quartum respõsum est, *Suar. 3. t. in 3. p. disputatione 24. sect. 3. & Vazquez loco citato, cap. vltimo.*

QVÆSTIO XXIIII.

Vtrùm baptismus semel susceptus cum fictione habeat suum effectum recedente fictione.

QVIA baptismus potest valide recipi cum sola voluntate suscipiendi illũ, & sine gratia, & fructu, quia recipiens est in peccato mortali, ideo habet locum hæc quæstio, circa quam notandum est, duplicem esse posse fictionem, aliam, vt cũ quis est in peccato mortali, & existimat se habere veram attritionem, eam tamẽ non habet, aliam, vt cũ quis vult quidem baptizari, non tamen relinquere sua peccata.

In hac quæstione variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima asserit, recedente fictione per contritionem, ex vi illius, & non ex vi baptismi præteriti, auferri peccatum originale, & omnia peccata mortalia, quæ peccata dicuntur tolli per baptismum, quia contritio in isto casu causat omnem effectum, quem causaret baptismus, si digne esset susceptus. Ita sentit, *Glossa in cap. tunc valere. de consecrat. dist. 4.* & probatur, quia contritio est sufficiens ad delenda omnia peccata, quæ baptismus deleret sine fictione. Et cõfirmatur, quia baptismus præteritus tunc non est, ergo non potest causare gratiam de præsenti.

Secunda

Secunda sententia defendit, baptismum recedente fictione tollere peccatum originale, & peccata mortalia commissa ante baptismũ, non tamen auferre peccata venialia, aut totam pœnam temporalem. Probatur, quia primi effectus, scilicet, remissio originalis, & omniũ mortalium, ante baptismum commissorum, cũ sint ad salutem necessarij, necessario oriri debent à baptismo, & nequeunt ab alia causa oriri, alij vero effectus, vt remissio venialium, & totius pœnæ temporalis, non sunt ita necessarij, & ita possunt ab alijs causis otiri.

3 His non obstantibus sit prima cõclusio Baptismus sine debita dispositione receptus recedente fictione operatur suum effectum, non solum remittendo peccata, sed etiam causando gratiam in anima iustificantem. Ita defendũt pie *D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. Caiet. ibidem, Dominicus Sot. in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. & Vaz. alios allegans 2 t. in 3. p. disp. 159 cap. 1.* Et quod caput est, vnde hæc doctrina sumpta est, & trãslata, *in can. tunc valere, de consecrat. dist. 4.* Ita tradit, *D. August. lib. 3. de baptismo, contra Donatistas, cap. 13. ibi tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint.* (Loquitur autẽ de quibusdam Schismaticis) *non vt iam dimissa non detineantur, neque vt ille baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed, vt idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Probatur hæc conclusio, quæ in maxima pietate fundatur, & ab omnibus iam defenditur. Primo ratione *D. Thom. loco citato.* Quia sicut graue, dum generatur extra centrum, simul cum forma grauitatis, quam accipit, statim impulsu suo naturali mouetur deorsum, nisi impediatur, etsi impediatur, ablato impedimento mouetur, ita, qui baptizatur, characterem recipit vt formam, & simul etiam gratiam reciperet, nisi obstaret fictio, ablata ergo fictione recipit gratiam. Secundo probatur, quia peccatum originale, & omnia peccata mortalia commissa ante baptismum non possunt remitti, nisi cum baptismo in re suscepto, vel cum contritione, quæ contritio licẽt natura sua sufficiens esset ad tollenda omnia peccata, etiam ante baptismum commissa, sine vllo ordine ad baptismum, vt patet de contritione habita in lege veteri: tamen post baptismum institutum, & positũ in præcepto debet habere secum coniunctum propositum vel actuale, vel virtuale recipiendi baptismum, propter hoc enim supra diximus esse baptismum necessarium ad salutem necessitate medij. Sed in isto casu fictionis nõ possunt peccatum originale, & alia mortalia commissa ante baptismum remitti per alium baptismum de nouo receptũ, quia baptismus non potest reiterari, neque per baptismum in voto, quia, qui semel, licet ficte, baptizatus est,

A iam non potest iterum baptizari velle, ergo necessarium est, ea remitti per baptismum iam præteritum.

His ita statutis insurgit modo grauis difficultas, qua ratione possit baptismus gratiam operari recedente fictione, nam si fictio recedit siue per Sacramentum pœnitẽtiæ, siue per contritionem, ex eo est, quia causatur gratia in anima, hæc autem gratia, cum natura sua habeat oppositionem cum omni peccato tam originali, quam actuali, ea omnia tollere debet, quare impertinens omnino est baptismus præteritus, & eius operatio, quia iam inuenit in anima productum, quidquid poterat operari. In hac re *Scotus à sententia D. Thom. loco citato recedens Scotus scilicet, in 4. distinct. 4 q. 5. §. respondeo, & hæc sit* Tertia sententia contraria huic quæstioni. *Et Vaz. loco citato, cap. 4.* Dicunt, baptismum præcedentem non operari gratiam ex opere operato, vel aliquid aliud, dici tamen de eo, quod prodest baptizato recedente fictione, quia baptizari ita necessarium est ad salutem, vt nisi ille baptizatus iam esset, tunc baptizari deberet, alioquin, neque spiritus compunctionis ei communicaretur ad delenda peccata, neque Sacramentum pœnitentiæ illi prodesse posset, quia eius capax non est. Et hoc Vaz. probat ex *D. August. lib. 1. de baptismo contra Donatistas, cap. 12.* his verbis, *sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, vt nõ denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & vera contritione purgetur.* Vbi ponderat, Augustinum asserere, recedente fictione hoc fieri, vt ad remissionem peccatorum opus non sit, iterum baptizari. Secundo probat, ex *August. li. 3. de baptismo, c. illo 13:* ibi, *tunc incipit valere idem baptismus,* (scilicet, in Schismate susceptus) *ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit, non vt iam dimissa non retineantur.* In quibus vltimis verbis denotare videtur August. baptismum recedente fictione non operari remissionem peccatorum virtute sua. Tertio probat sententiam suam Vazquez, quia non apparet aliqua via, qua baptismus possit ex opere operato causare gratiam, & peccata remittere, quia si dicatur baptismũ remittere peccatum originale, & alia mortalia peccata ante baptismum commissa perse & directe, & D peccata commissa post baptismũ per accidẽs, & indirecte; quia ad primum fuit institutum ex prima intentione Dei, & ad secundum ex secunda, hoc non potest esse verum, quia pœnitentiæ Sacramentum perse tollit peccata commissa post baptismum, ergo ea etiam per accidẽs, & indirecte non auferuntur per baptismum, quia vt quid eadem peccata duobus modis simul tollerentur? Et quod semel remissum est, non manet iterum aptum, vt remitti possit Tum etiam quia contritio, per quam quis auferre potest fictionem, perse tollit omnia

peccata

peccata etiam ante baptismum commissa, ergo ad eadem tollenda non est danda alia causa per se, quæ sit baptismus.

6 Ante, quam secundam statuamus conclusionem, duo notanda sunt. Primum est, fictionem aliquando posse auferri per solam attritionẽ, vt cum adultus accessit ad baptismum recipiẽdum sine vera attritione peccatorum mortalium, quæ commisit ante baptismum, existimans tamen se habere verum dolorem, tunc enim non commisit nouum peccatum in susceptione baptismi: Et si aliàs adultus ille non peccauit mortaliter post baptismum, satis est, si habeat veram attritionem, vt recipiat gratiã baptismalem, in quo casu proposita difficultas, quam examinamus, parum habet difficultatis, quia tunc nihil aliud operatur gratiam, vel remissionem peccatorum, nisi baptismus præteritus, qui quidem per se remittit peccata illa omnia, quia sunt ante baptismum commissa; aliquando autem fictio aufertur per contritionem, vel per Sacramentum pœnitentiæ ex eo, quod aliqua peccata sunt cõmissa post baptismum, quæ nequit baptismus saltim per se delere. Et tunc vrget præsens difficultas, qua ratione baptismus simul cum pœnitentia, vel cõtritione possit peccata remittere?

7 Secundo notandum est contra, *Vazquez loco citato cap.* 3. Baptismum, & pœnitentiam simul natura, & cognitione nostra concurrere ad remittenda peccata omnia in eo adulto. Ita docet, *D. Thom. 3. part. quæst. 69. art.* 10. *ad* 3. Patet, quia si prius vnum Sacramentum, quam aliud peccata remitteret, alterum impertinens omnino esset. Vnde hæc sola prioritas inter hæc duo Sacramenta constituenda est, quod prius manet homo dispositus ad recipiendam gratiam in genere causæ materialis, & hoc per contritionẽ, vel per Sacramentũ pœnitentiæ, & posterius recipit per baptismum, & per pœnitentiam gratiam remissiuam peccatorum, sicut ille, qui extra Sacramentum iustificatur, ex vi contritionis prius in genere causæ materialis, est dispositus ad gratiam recipiendam, quam illam à Deo recipiat.

8 Vnde sit secunda conclusio. Baptismus, & pœnitentia recedente fictione operantur gratiam, & remissionem omnium peccatorum: baptismus quidem remissionem peccatorum ante baptismum commissorum per se, & aliorum postea commissorum per accidens, & pœnitentia è contra per se remittit peccata commissa post baptismum, & ante commissa per accidens. Huic conclusioni libentissime annuo ex eo, quod videam esse expressam doctrinã, *D. Thom. in eo artic.* 10. *citato per totum.* Quam etiam sequuntur, *Sylvest. in sum. verbo baptismus 4. quæst. 17. Ledesma 1. part. 4. quæst. 10. art. 10. dubio* 1. Et alij recentiores, probatur conclusio, quia baptismus non potest operari re-

A missionem peccatorum antequàm recedat fictio, sed recedente fictione statim etiam pœnitentia, vel contritio operatur eam, ergo, vel simul operatur baptismus remissionẽ cum pœnitentia, & contritione, vel nunquam, quia postea quam pœnitentia auferat peccata, & habeat suum effectum, non habet quid operetur baptismus remissionis.

Ex his respondetur ad argumenta oppositarum sententiarum. Ad primum primæ sententiæ respondetur, tunc contritionem non posse tollere peccatum originale, quia non habet votum, seu desiderium baptismi, cum ille non possit suscipi denuo, vnde baptismũ præteritum debere tollere tale peccatum. Ad secundum respondetur, baptismum concurrere B ad prædictos effectus vt instrumentum morale, quare posse, etiam si præterierit, eos causare vel ratione sui, vel ratione characteris, qui manet in anima, qui est tantum dispositio moralis ad gratiam, quæ per baptismum causatur. Ad secundam sententiam respondetur, recedẽte fictione habere eandem virtutem baptismũ quam à principio habuit in ordine ad effectum ad salutem necessarium, scilicet, ablationẽ mortalium, & originalis, & ad accessorium, scilicet, ad remissionem totius pœnæ temporalis, non in ordine ad remissionem venialium, cuius remissio non est ad salutem necessaria. Ita, *Vazquez loco citato, disp.* 160. Licet aliquos referat in oppositum, quoad venialia. Ad primum dicimus, illa via non rectè satis fieri, August. lo- C co citato in nostra prima conclusione, qui, & dicit baptismum peccata remittere, & gratiã operari, quod non potest in prædicta sententia verificari. Ad primum eius argumentum dicimus, *D. August. eo lib.* 1. *de baptismo*, Ex eo, quod remissionem peccatorum tribuat correctioni, non tam denegare baptismo. Ad secundum, *ex August. lib.* 3. *de baptismo.* Respõdetur, Augustinum ibi solum negare, remissionem peccatorum semel iàm factam iterum per baptismum fieri, quia simul pœnitentia, & baptismus ad delenda peccata concurrunt, vt documus in secundo notabili. Ad tertium respõ- D detur, nullum esse inconueniens, quod eadem peccata per se, & directè deleantur per baptismum, vt pote ante eum commissa, & per accidens per pœnitentiam, quia per eam aufertur fictio: vt, cum duo hæc Sacramenta simul concurrere necesse est. Imo cũ fictio aufertur per contritionem, peccata ante baptismum commissa non auferuntur per se per contritionem, (quia hæc solum potest ea auferre cum voto baptismi, quod votum est tunc impossibile, quia illum non potest homo iterum recipere,) sed delentur per accidens, & per se delentur per baptismum.

Duplicem fictionem possumus considerare, 10
alteram, quæ est indispositio subiecti, ista autem

tem tollitur per contritionem, vel Sacramen-
tum Pœnitentiæ : aliam quæ est peccatum, &
ista tollitur per contritionem, vel pœnitentiā
simul cum baptismo.

11 Baptismus etiam, & pœnitentia æquè cau-
sant gratiam, sed in ordine ad peccata delenda
se habent in æquali modo, quia baptismus di-
rectè tollit peccata ante baptismum, & pœni-
tentia directè peccata post baptismum; quia
respectu gratiæ, quæ eadem est, non possu-
mus assignare differentiam, in peccatis verò
quæ diuersa sunt, possumus differentiam as-
signare.

12 Quæres tamen primò, an quo melior sit dis-
positio, per quam fictio tollitur, eo maior sit
gratia, quam baptismus præteritus operatur,
quidam dicunt; tunc causari minimam gratiā;
sicut & in paruulis causaretur. Huius senten-
tiæ fuit nouissime *Coninc. tom. de Sacramentis,
quæst. 62. art. 1. dubio. 6.* Probant primò, quia
illa dispositio, per quam tollitur fictio, solum
deseruit, vt tollatur fictio, non vt disponat ad
gratiam. Secundò probant, quia baptismus re-
cedente fictione solùm consideratur ratione
sui; & ratione dispositionis, quæ tunc erat,
quando receptus fuit, sed tunc nulla fuit dispo
sitio, ergo ratione illius non augebitur gratia.
Tertiò probatur, quia alias melioris esset ali-
quando conditionis, qui ficte baptismum sus-
cipit, quam qui illum cum bona dispositione
suscipit. Patet consequentia, quia potest con-
tingere, vt ille qui bene dispositus accessit ad
baptismum in principio, solùm habeat attritio
nem vt tria, & ita si iuxta meliorem dispositio
nem postea futuram datur gratia maior, con-
tinget, vt ille qui in principio male dispositus
accessit, postea iuxta meliorem dispositionem
futuram melius disponatur ad baptismum, &
maiorem gratiam recipiat. Quartò probatur,
quia si quis non habens aliquam dispositionē,
sed ficte recipit baptismum; recipit gratiam
iuxta quantitatem dispositionis, quam postea
habet, ergo si habet paruam dispositionem in
principio, & posteà magnam adquirat, adqui-
ret etiam postea magnam gratiam iuxta eam
dispositionem ex virtute baptismi præteriti.

Sed respondetur, baptismum recedente fi-
13 ctione maiorem gratiam operari in homine,
qui per meliorem contritionem, vel per me-
liorem attritionem cum Sacramento aufert fi-
ctionem. Patet primò, quia hæc dispositio nō
solùm deseruit ad tollendam fictionem, sed e-
tiam ad disponendam animā in ordine ad gra-
tiam causandam per baptismum, ergo quo eā
melior est, eo etiam effectus gratiæ baptisma-
lis maior est. Secundò probatur, quia baptis-
mus eandem vim habet recedente fictione, ac
antea haberet, si ea non fuisset, sed ea non exi-
stente causaret baptismus maiorem gratiam in
homine melius disposito, ergo etiam eodem

A modo causat recedente posteà fictione. Ad ar-
gumenta in oppositum respondetur. Ad pri-
mum dicimus, baptismum nō operari ratione
sui tantum, sed ratione etiam dispositionis,
quam inuenit ablato obice. Ad secundum ne-
gamus totum. Ad tertium pronuntio, esse me-
lioris conditionis eum, qui aufert fictionem
cum attritione vt tria, quam eum, qui sine fi-
ctione cum attritione vt duo recipit baptis-
mum, quia melius se disposuit, & hoc nullum
esse inconueniens. Ad vltimum respondetur,
eum, qui cum dispositione parua vt duo reci-
pit baptismum, etiamsi postea sit dispositus vt
tria, non recipere vi baptismi gratiam vt tria,
quia istud augmentum gratiæ non est medium
necessarium ad salutem; sicut prima iustifica-
B tio, per quam aufertur peccatum originale. Et
ita licet baptismus recedente fictione causet
primam gratiam, non tamen causabit augmen
tum gratiæ, cum accedit post eius receptionē
melior dispositio, tùm quia ad hoc priuilegiū
concedendum non habemus aliquod funda-
mentum; illud autem prolibito non est affir-
mandum.

QVAESTIO XXV.

*Quanam dispositio requiratur ad tol-
lendam fictionem, & vt baptismus
præteritus deleat peccata.*

C IN hac quæst. aliqua notanda sunt. Primum 1
est, hanc fictionem duplicem esse, aliam ma-
terialem, quia quis existimauit inculpabi-
liter, se habere verum dolorem attritionis dū
baptismum recipit, & tamen illum nō habuit,
vnde non commisit peccatum sacrilegij, aliā
fictionem formalem ex eo, quod quis sciens,
& volens accessit ad baptismum recipiendum
sine vero dolore.

Secundò notandum est, & posse continge- 2
re, hominem ficte baptizatum post baptismū
nullum peccatū mortale commisisse, & quod
aliquod peccatum mortale patrarit.

Tertiò notandum est; duo peccata posse cōsi 3
derari in baptismo, de quibus sit aliqua diffi-
D cultas; qua ratione remittantur, aliud est pec-
catum fictionis; id est indignæ, & sacrilegæ
susceptionis baptismi, aliud est peccatū, quod
simul est cum baptismo, quia quis, dum bapti-
zatur, est in aliquo prauo proposito furandi,
fornicandi, &c. & quidem peccatum ipsum fi-
ctionis nō deletur per baptismum directè, sed
per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contri
tionem. Probatur primò, *ex D. Thom. 3. part.
quæst. 69. art. 10. ad secundum*, vbi dixit: *Fictionē
ipsam non virtute baptismi, sed pœnitentiæ tolli.*
Probatur secundò ratione *Suar. 3. tom. 3. partis
disp.*

disp. 28. sect. 5. quia istud peccatum est posterius baptismo, ergo non potest directè tolli per baptismum (Sacramenta enim iuxta communem Theologorum doctrinam non sunt à Christo instituta ad delenda peccata commissa post eorum susceptionem,) Sed per pœnitentiam, quæ tollere debet omnia peccata cōmissa post baptismum. Quod sit posterius baptismo illud peccatum probatur, quia baptismus primò causat characterem, deinde gratiā in posteriori naturæ, & fictio contingit in eo, quod quis, postquam est baptizatus, id est affectus charactere, ponat obicem gratiæ causandæ per baptismum eundem, ergo hoc peccatū est post baptismum, & ita in confessione explicandum est. At verò alia peccata, quæ simul sunt cum baptismo, per baptismi virtutem delentur, vt notat *D. Thom. loco citato.* Vnde ea non sunt coram confessario aperienda, quia confessario solùm afferri debēt, quæ post baptismum commissa sunt. Contrarius est *D. Tho. Coninc. tom. de Sacramentis, quæst. 62. art. 1. dub. 6.* dicens peccata, quæ simul committuntur in eo instanti, quo baptismus suscipitur, non posse deleri per baptismum, quia eius vim eneruant. Vnde ad confessionis Sacramentum pertinere, quia sunt hominis baptizati tunc, sed hanc sententiam non puto probabilem, tùm, quia eam contra commune Theologorum proloquium puto esse, dicentium ad claues Ecclesiæ tantùm pertinere peccata post baptismum commissa, illa autem peccata non sunt post baptismum commissa. Tùm, quia licet ea peccata pro tunc eneruent vim baptismi, quia dispositionem tollunt, recedente tamen fictione, & accedente dispositione, quasi vires suas exercet baptismus. His positis, ad quæstionem nostram veniamus.

4 Et quidem in ea *Palud. in 4. dist. 4. quæst. 5. num. 24.* Asseruit, tam eum, qui post baptismū commisit aliquod peccatum mortale, quam eum, qui nullum commisit, non indigere contritione ad delendū peccatū, sed satis esse attritionē. Probatur primo, quia licet Sacramentū Pœnitentiæ non sit de se institutum ad delenda peccata oblita, sed tantùm confessa: quia tamen delet peccata confessa, & hæc sunt connexa cum oblitis, per concomitantiam, & quasi per accidens ea delet, ergo licet baptismus nō sit institutus ad delenda peccata post illum commissa, tamen quia hæc sunt connexa cum peccatis antea commissis, etiam ea delet, cum sola attritione.

5 Secunda sententia est *Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 160. cap. 2.* Asserentis, ad hoc vt baptismus etiam inculpabiliter ficte susceptus habeat suum effectum, semper requiri veram cōtritionem, vel attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ. Probat Vazquez, quia in hoc negotio, quod auctoritate magis, quam ratione nitimur, nihil est dicendum, quod à Patribus, aut antiquis Scholasticis dictum nō est, at nullus antiquus dixit, baptismum gratiam operari, nisi cum recedit fictio per cōtritionem, vel per Sacramentum Pœnitentiæ, ergo per solā attritionem fictionem tolli, & baptismum operari suum effectum, non est asserendum.

Sit prima conclusio. Cum quis ficte suscipit baptismum credens per inuincibilem ignorantiam se esse verè attritum, cum tamen revera non sit, si postea non commisit aliquod peccatum mortale, per hoc solum, quod habeat veram attritionem, tollit fictionem, & baptismus operatur effectum illum, quem prius fuisset operatus, cum receptus est, si præcessisset vera attritio. Hanc conclusionem defendunt aliqui recentiores Theologi, & probatur, quia hæc attritio respectu eorum peccatorum, quæ cōmissa sunt ante baptismum, sufficiens esset ad hoc, vt baptismus produceret suum effectum, & mundaret hominem à peccatis, si habita esset tunc temporis, quando receptum est Sacramentum Baptismi, ergo respectu eorundem peccatorum eadem attritio postea adueniens sufficiens est ad hoc, vt ea per baptismum deleantur. Consequentia patet, quia baptismus easdem vires habet respectu eorum peccatorū post quam iam præterijt, atque antea, quando præsens extitit. 6

Sit secunda conclusio. Ad tollendum peccatum fictionis, vel aliquod aliud peccatum post baptismum commissum minime sufficiēs est attritio sola, sed aut requiritur contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ simul cum attritione. Probatur cōclusio hæc, quia baptismus de se solus minime potest delere huiusmodi peccata, quia sunt commissa post baptismum, & ad peccata commissa post baptismum baptismus non potest suas vires extendere, sicut neque pœnitentia extēdit suas ad peccata ante baptismum commissa. Præterea neque attritio de se sola potest delere illa peccata, cum nulla peccata ipsa sola delere valeat, neque etiam attritio simul cum baptismo, quia ad hoc, vt attritio simul cum aliquo Sacramento sufficiens sit auferre peccata, peccata talis naturæ debent esse, quod cadant sub sphera, & iurisdictione Sacramenti, prædicta autem peccata sunt extra iurisdictionem baptismi, ergo ad ea abolenda attritionem etiam baptismo coniunctam impares vires habere, necesse est. Vnde ea fictio, & aliud peccatum post baptismū commissum nequit tolli, nisi per cōtritionem, vel per Sacramentum Pœnitentiæ simul cum attritione, vel contritione coniunctum, sequitur ergo attritionem in casu nostræ conclusionis solam non sufficere. 7

Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primum primæ sententiæ respondetur, ideò Pœnitentiæ Sacramentum remittere peccata 8

cata oblita, quia sunt ante susceptionem Sacramenti commissa, & quia sunt connexa cum peccatis confessis, quæ quia sunt materia vera cōfessionis, necesse est tolli, quia nulla est culpa in obliuione aliorum. At vero baptismus de se solus non potest, nisi adiuuetur Sacramento Pœnitentiæ, vel contritione, delere peccata post illum commissa, quia posteriora sunt baptismo. Ad argumentum secundæ sententiæ respondetur Auctores antiquos, & Patres locutos esse in casu fictionis culpabilis, at vero ex eorum doctrina propter rationē in prima conclusione tactam colligi, in casu fictionis inculpabilis solam attritionem sufficere ad hoc vt baptismus conferat gratiam.

9 Sed quæres hic primo, an cum quis per attritionem, vt quatuor disponitur ad Sacramentū Pœnitentiæ, & hac via tollitur fictio, quæ impediebat effectum baptismi, & baptismus simul cum Sacramento Pœnitentiæ operatur gratiam, hæc duo Sacramenta operentur maiorem gratiam, quam quodlibet eorū seorsum causaret. Et respondetur, maiorem gratiā causari, probatur, quia quodlibet eorum seorsum causaret gratiam vt quatuor, ergo cum per cōsortium alterius non tollatur virtus alicuius, simul sumpta maiorem effectum causabunt. Non causabunt, vt ego sentio, gratiam vt octo quam causarent, si seorsum suscepta fuissent hæc duo Sacramenta cum duobus actibus attritionis, quorum quilibet esset intensus, & perfectus vt quatuor, quia per vnum actum attritionis vt quatuor, nō æquè bene homo disponitur, ac per duos actus attritionis, quorum quilibet sit vt quatuor.

10 Quæres secundò qua ratione gratia causetur per hæc duo Sacramenta; & respondetur non produci quosdam gradus gratiæ habitualis ab vno Sacramento, & alios ab alio, quia sunt gradus illi eiusdem rationis, & non est maior ratio, quare ab vno Sacramento potius, quam ab alio causentur. Secundo respondetur vtrunque Sacramentum concurrere per modum vnius instrumenti totalis constantis ex duobus partialibus ita, vt totus effectus causetur ab vno Sacramento, & totus ab altero, cum dependentia tamen, & connexione necessaria vnius ab alio.

11 Tertiò quæres, an gratia Sacramentalis seu auxilia gratiæ, quæ conferuntur à Deo intuitu baptismi ad consequendum finem proprium baptismi, etiam conferantur in eo casu, quo baptismus operatur gratiam iustificantē, post quam iam præteriit, recedente fictione. Huic interrogationi facile respondetur, communicari quidem eiusmodi auxilia. Ita respondet *Vazquez loco citato, cap. vltimo*, & ratio huius est, quia in eo casu communicatur homini gratia habitualis baptismalis, ergo etiam conceditur tunc ius ad præfata auxilia, quia hæc ex promissione Dei sunt annexa gratiæ baptismali.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm alia Sacramenta præter baptismum, recedente fictione, operentur gratiam?

IN hac re variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima asserit, priuilegium, quod in præcedente quæst. tribuimus baptismo circa gratiam recedente fictione, etiam conuenire confessionis Sacramento. Ita *Canus relectione de pœnit. part. 5. § sed enim opinionem S. Thom.* Probatur, quia hæc Sacramenta sunt necessaria ad salutem ex eo; quod peccata ante baptismum commissa non possunt deleri, nisi per baptismū in re, vel in voto, susceptū, & peccata post baptismū cōmissa non possunt deleri, nisi per pœnitentiā in re vel in voto, sed propter eam causam baptismus recedente fictione causat gratiam, cum reiterari non possit, ergo etiam pœnitentia causabit gratiam, cum est informis & cum fictione recipitur, si quidem illa peccata in ea confessione explicata non debent iterum explicari in alia confessione. 1

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, hoc priuilegium solum conuenire sacramentis imprimentibus characterem: Ita docent *Conat. in cap. alma mater. priori part. § 4. num. 13 circa finem, & Maiar in 4. dist. 4. quæst. 1. § circa sextam.* Probatur, quia hæc Sacramenta repeti non possunt, ergo aut gratia, quæ per eos danda erat, recuperari non potest, quod non est dicendum, vel ipsa Sacramenta operantur eam recedente fictione, alijs vero Sacramentis, quia possunt reiterari, non est tantum concedendum priuilegium. 2

Tertia sententia est aliorum, qui dicunt omnia Sacramenta causare gratiam recedente fictione. Ita *Caiet. tom. 1. tract. 5. §. communis autem.* Probatur ex ritu Ecclesiæ, quæ Sacramentum Extremæ vnctionis, non iterum concedit, etiamsi quis semel cum fictione illud receperit, ergo sentit, illud causare gratiam recedente fictione, alias iterum illud concederet, cum constaret de fictione, quod si Extremæ vnctio hoc habet, idem alijs Sacramentis tribuendum est. Secundo probatur, quia hoc Sacramentum quod nequit in eadem infirmitate repeti, & matrimonium, quod non potest cum eadem vxore repeti, habent annexas gratias Sacramētales, quibus consequitur finis eorum Sacramentorum, ergo ne homines priuentur his gratijs, hæc Sacramenta causare debent gratiam, & habere effectum recedente fictione. 3

Sit conclusio. Solus baptismus habet hoc priuilegium, quod operetur gratiam recedente 4

te fictione. Ita sentiunt, *D. Thom. 3. p. q. 69. art.* 10. Vbi hoc solum baptismo tribuit. *Et Sotus in 4. dist. 6. q. 1. art. 8.* Inquit autem, *Soto in 4. sententiarum,* Vbi D. Thom. non ita res examinabat, ac in partibus hoc priuilegium alijs Sacramentis concessisse, sed loquutum esse ex opinione vulgi. Probatur conclusio: quia virtus Sacramentorum, cum dependeat ex voluntate, & institutione Dei, non est à nobis extendenda, nisi cum magno fundamento, aut in Scriptura, vel in diffinitione Ecclesiæ, vel in traditione Ecclesiæ, vel in patribus, sed quod alia Sacramenta præter baptismum recedente fictione operentur, non habet fundamentum ex scriptura, ex definitione, vel traditione Ecclesiæ, vt patet: præterea neque in patribus, quia Augustin. hoc solum tribuit baptismo, ergo non est asserendum.

5 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur, pœnitentiæ Sacramentum non dari informe, sed, aut esse validum, & tunc esse formatum, quia gratiam tribuit, aut si non est formatum, non valere, vt videbimus in tractatu de pœnitentia. Tum hoc etiam Sacramentum repeti posse, & ita peccata, quæ prius confessa sunt in illa confessione, quam dicunt informē esse, iterū cōfitenda, sunt. & ita recipiēt absolutionem nouam; vnde non necesse est hoc Sacramentum recedente fictione operari, sed tantum hoc est necessarium baptismo, qui nequit reiterari. Ad argumentum secūdæ sententiæ, respondetur, gratiam aliorum Sacramentorū, quæ imprimunt characterem, non esse ita necessariam, ac gratiam baptismi, & posse alijs modis adquiri.

6 Ad argumenta tertiæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus, ex eo Ecclesiam non concedere bis in eadem infirmitate extremam vnctionem, quia non potest, non, quia credat, eam recedente fictione operari gratiam. Ad secundum dicimus, hoc argumentum non probare, hæc Sacramenta recedente fictione augmētum gratiæ sanctificantis communicare, sed tātum auxilia gratiæ ad effectus Sacramentorū necessaria posse dari gratiæ habituali quocunque modo comparatæ, vt cum comparatur virtute contritionis, quamuis tunc non diceretur gratia Sacramentalis, quia non datur virtute Sacramenti.

QVÆSTIO Vltima.

De ceremonijs, quæ in baptismo fieri solent.

1 CEREMONIAS vocamus quasdam actiones, quæ non pertinent ad essentiā baptismi, illum tamen comitantur. De his autem disputant cōtra *V. viclefum,* Qui eas omnes irridebat, *Thomas V valdens. tom. 3. qui est de Sacramentalibus, tit. 5. cap. 45.* De ijs etiam tractat. *Ordo Romanus Alcuinus, lib. de diuinis officijs,* Et alij, & nouissime, *Vazquez 2. tomo. in 3. part. disput. vltima, & Suarez 3. tomo in 3. part. disputat. 30. per varias sectiones, & quidem Caluin. li. 4. institutionum, cap. 15. & 19.* Damnat ceremonias baptismi, quia non habentur in scriptura, sed hoc fundamentum falsum est, quia satis est traditio Ecclesiæ, vt eas defendamus, neq; enim omnia expressa sunt in scriptura.

Antiquitus erāt loca quædā ad baptismū deputata, & ab Ecclesijs separata, quæ dicebantur baptisteria, quorum fit mentio, *In Concil. Antisiodor. sub Papa, Deus dedit, cap.* 14. Modo vero in parrochijs sunt loca specialia ad baptismum designata, scilicet, vas lapideum, cuius meminit, *Canon omnis presbyter. de consecrat. dist.* 4. In quo præcipitur, vt si non est possibile vas lapideum, aliud conueniens habeatur, quod extra Ecclesiam nō deferatur, quod vas dicitur fons baptismatis, cuius meminere, *Ambros. lib. 1. de Sacramentis, cap. 5. August. serm. 181. de tempore, & alij, quos citat Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. vltima.* Extra casum necessitatis non licet baptizare nisi in parrochijs, vt habetur in Clemētina vnica de baptismo, & eius effectu. Regibus vero, & Principibus cōceditur, vt in priuatis oratorijs filij eorum possint baptizari. Vbi glossa intelligit per hos, eos, qui habent supremam iurisdictionem in tertis. 2

Secundo ad baptismum aqua benedicitur non solum sacris orationibus, sed etiam Chrismatis trina perfusione. Huius ceremoniæ meminerunt, *Dionys. cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. part. 2. & Rabanus, lib. de institut. Clericorum, cap. 28. & alij.* 3

Sex sunt aliæ ceremoniæ, quæ baptismum præcedunt. Prima quod baptizandi, qui baptismum petierant, antiquitus nomina sua dabant, imo, & nunc ea offerunt, vt instruantur in fide. Huius ceremoniæ meminit, *Concil. Carthagin. relatum à Burcardo lib. 3. sui decreti, cap. 1.* Et in Hispania nunc datur nomen baptizandi, cum primum comparet coram Sacerdote. Secunda ceremonia antiquitus erat scrutinium, quo eligerentur illi, qui baptizandi erant per septem scrutinia, vt constat, *Ex ordine Romano.* In Hispania autem circa adultos, de quibus loquimur modo, non fiunt hæc scrutinia, sed statim, ac constat de exacta instructione catechumeni, baptizatur. Tertia ceremonia antiqua erat abrenuntiatio Sathanæ, & operum eius, quæ modo etiam est in vsu, cuius meminerunt, *Ambros. lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. Hieron. in caput 6. Amos sub finem.* Quarta ceremonia erat, & nunc est, professio fidei, quæ olim ab adultis proprio ore, & modo ore sponsorum fit, vt patet in baptismo paruulorum, cuius mentionē faciunt 4

faciunt *Clemens Romanus lib. 7. constitut. capit. 40. & Dionysius capit. 2. de Ecclesiastica Hierarchia part. 2.*

5 Quinta ceremonia olim fuit signum Crucis sine oleo, & chrismate impressum in fronte, & pectore baptizandi media manu Sacerdotis. Cuius ceremoniæ meminere *Basilius de Spiritu sancto cap. 27. August. lib. de Catechizandis rudibus cap. 20. ante medium.* Quæ ceremonia etiam modo exercetur in exorcismo, vt patet ex *Ceremoniali Romano.*

Sexta ceremonia est exorcismus, seu adiuratio dæmonis, de qua mentionem faciunt *Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi prima parum ante finem, & Iustinus in Dialogo cum Triphone.* Et hanc potestatem exorcizandi tribuit Christus Apostolis, cum eis vim tribuit ad eijciendos dæmones *Matthæi 10. & Lucæ 10.* Ista vero ceremonia ad multa deseruit. Primo vt asseruit *Augustin. lib. 2. de peccato originali cap. 40.* Ad ostendendum catechumenum habere peccatum originale, quo detinetur sub potestate Dæmonis. Secundò deseruit ad expellendos Dæmones à catechumenis, qui sunt energumeni. Deinde ne Dæmon impediat rectam sacramenti ad ministrationem, & susceptionẽ. Sed quamuis Sacerdos à Deo hanc vim habeat expellendi Dæmones, tamen non semper eos ex opere operato à corporibus obsessis catechumenorum expellit, vt notat *Vazquez loco citato capit. 4.* Quia hoc non semper eorum saluti conueniens est, cum sit malum pœnæ. Deinde prodest exorcismus, vt Dæmon non habeat eam potestatem spiritualem in animas catechumenorum, quam antea habebat. Vltimò deseruit prædicta ceremonia, vt Dæmon non audeat obsidere corpus catechumeni. Deinceps huic est annexa alia ceremonia septima insufflationis, quæ est pars exorcismi.

6 Octaua ceremonia est, qua Sacerdos tangit sale os catechumeni, vt docent *Gratianus, canone sal. de consecratione distinctione quarta, Isidorus lib. secundo de Officijs Ecclesiasticis, cap. 20.* Et significat fidei professionem. Nona ceremonia est tactus narium, & aurium, vt habetur *in Sacramentario Gregorij.* Primò enim tangitur catechumenus in aure dextera. Secundò in naribus. Tertiò in aure sinistra, & hoc media saliua, & simul ei dicitur, Ephetah, hoc est ad aperire. Hęc autem ceremonia recta est, per digitum enim Christi Spiritus sanctus intelligitur: iuxta illud *Lucæ 11. Si in digito Dei eijcio Dæmonia,* & per saliuam, quæ à capite defluit, sapientiam intelligit *Diuus Gregorius homilia 10. in Ezechielem.* Qua ceremonia significatur aures esse aperiendas ad audiendum verbum Dei, & nares ad percipiendum odorem suauitatis.

7 Decima ceremonia est impositio manuum A Sacerdotis, & benedictio Sacerdotis, cuius meminit *Clemens Romanus lib. septimo constitutionum capite 40.* Quæ ceremonia modo ter replicatur in baptismo, & fuit desumpta ex Euangelio *Matthæi 19.* Vbi legitur, Christum imposuisse manus super paruulos.

Vndecima ceremonia est vnctio cum solo oleo ab Episcopo benedicto (quod catechumenorum dicitur) in pectore, & in scapulis, quæ modo est in vsu. De hac vnctione mentionem fecit *Dionysius capit. 2. de Ecclesiastica Hierarchia part. 2. & alij.* Quæ vnctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum aduersus Dæmones, quam rationem reddunt *Diuus Thomas tertia parte quæst. 71. artic. 2. & Ambrosius lib. 1. de Sacramentis, in principio.* Vn- B gitur autem catechumenus in pectore, vt diabolo occludatur ingressus, & in scapulis, vt vndique homo contra Diabolum muniatur, quod quidem constat ex orationibus, quibus hoc oleum in die Cœnæ Domini ab Episcopo benedicitur.

Duodecima ceremonia antiqua fuit relicta arbitrio prudentis viri abstinentia à vino, 8 & carnibus, & vxore, quæ modo non est in præcepto. Quod fiebat, vt exploraretur animus baptizandi, quo autem ordine adhibenda sint istæ ceremoniæ, ducimur experiẽtia quotidiana.

Deinde ante baptismum nomen imponi- 9 tur, & antiquum mutatur, licet olim in primitiua Ecclesia nomina virorum excellen- C tium propter eorum honorem non fuerint mutata.

Ex ceremonijs autem, quæ baptismum se- 10 quuntur, prima fuit olim osculum pacis in signum amicitiæ, & fraternitatis, cuius memoriam refert *Cyprianus lib. 3. epistola 8. alias 59. ad Fidum,* quæ nunc non est in vsu.

Secunda ceremonia est vnctio medio chrismate confecto ex oleo, & balsamo in vertice baptizati. Cuius meminit *Iustinus libro Quæstionum, & responsionum quæst. 137.* quæ ceremonia etiam modo est in vsu, & impetrat à Deo conseruationem gratiæ baptismalis. Et vt assignat *Nazianzenus oratione 40. in sanctum baptisma.* Hæc ceremonia deseruit, vt efficiamur Reges, & Sacerdotes, *& Enriquez in Summa,* D *tom. 1. lib. 2. de Baptisma ait enim Nauarra nostro in summa cap. 25. num. 75.* Non posse fieri hanc vnctionem cum veteri chrismate, posse tamen infirmos vngi oleo veteri, vt docuerunt Doctores Salmantini. Et ratio est, quia prima vnctio non est de essentia baptismi: at secunda est de essentia Extremævnctionis; & quo maior est necessitatas, eo maior conceditur facultas.

Tertia ceremonia est vestis candida, quæ 11 olim dabatur baptizatis nudis ascendentibus de lauacro, quam ferebant vsque ad Domini-

eam in Albis, modo autem postquam baptizatus est vnctus chrismate, caput illius cooperitur candida veste, quæ nouitatem vitæ significat.

12 Quarta ceremonia est exhibitio post vestem candidam cerei accensi, quo denotatur, hominem esse per baptismum à tenebris peccatorum ad lucem gratiæ eductum, quæ nunc etiam est in vsu. Cuius rationem reddit *Nazian. oratione 40. in sanctum baptisma.*

13 Quinta ceremonia olim erat, quæ nunc non est in vsu, exhibitio lactis, & mellis ad denotandam infantiam per Christum. Ita *Hieronymus in Dialogo contra Lucifer. num. 15.*

14 Sexta ceremonia olim erat non in Ecclesia Romana, sed in Hispana. Vt patet ex *Concilio Eliberitano canone* 48. lotio pedum post baptismum, quæ ceremonia in eo Concilio abrogata fuit, tum quia Romana Ecclesia ea non vtebatur, tum quia denotari poterat, aliqua peccata venialia post baptismum remanere, secundum illud *Ioannis 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*, in baptizato autem nullum manet peccatum.

A De susceptoribus, & patrinis nullum hic tractatum instituimus, quia hoc late à nobis disputatur in tractatu de Matrimonio, dum de impedimento cognationis spiritualis agimus, ibi videatur. 15

Aliqui hic disputant de baptismo Sancti Ioannis Baptistæ, sed hic non est necessaria hæc disputatio, nos tamen eam pertractauimus supra. 16

Hic poterat disputari, an possit baptizandus recipere Sacramentum ab indigno ministro, sed hoc disputatum est in tractatu de Sacramentis in genere quæst. 22. 17

Poterat etiam quæri, quæ irregularitas tollatur per baptismum, sed hoc ad materiam de 18

B irregularitate attinet. Sed tamen respondetur cum *Syluestro in Summa, verbo, baptismus sexto.* Et cum communi sententia, irregularitatem prouenientem ex peccato tolli, & prouenientem ex bigamia, & defectu natalium non tolli.



TRA-

TRACTATVS VNICVS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.



E HOC Sacramēto plurimi, & grauissimi Doctores disputarunt, *Vt Magister in 4. lib. sentent. dist. 7: D. Tho. 3. p. q. 72. Castro verbo Confirmatio, Petrus Soto de institutione Sacerdotum tit. de confirmatione, Summista verbo confirmatio, D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 1. § 3. Conar. lib. 1. variarum, Nauar. in Summa cap. 22. num 8. Bellar. lib. de cōfirmatione, Vgo, lib. 2. Sacramentorum, p. 7. cap. 3. Henriq. in Sum. tom. 1. lib. 3. Suar. 3. tom. in 3. p. disp. 32. Grego. de Valentia, tom. 4. disp. 5. generali de Sacramento Confirmationis, Coninc. in suo tom. de Sacramentis, Reginaldus in sua praxi pœnitentiali tom. 2. lib. 28.* Et alij plures antiqui, & recentiores sacræ Theologiæ professores.

QVÆSTIO I.

Utrùm Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis?

1 SACRAMENTVM Confirmationis varia sortitur nomina. Primò enim dicitur manus impositio, ab eo ritu, quo per Apostolos olim solebat conferri effectus huius Sacramenti, vt constat *Actor. 8. & 19. cap.* qua ratione appellat hoc Sacramentum *D. August. lib. 3. de Baptismo cōtra Donatistas cap. 16.* Cuius ratio est etiam, quia vt constat ex pontificiali Romano, bis Episcopus manus imponit confirmandis, semel cum super eos manus imponit, & orat, & iterum cum vngit in fronte media manu. Deinde secundò appellatur confirmatio, quia recētet baptizatis præstet robur, & augmentū gratiæ sanctificantis, vt vincant tētationes contra christianā fidem, hoc nomē accommodauit huic sacramento *Concil. Aureliauense relatū de consecratione dist. 5. canone vt ieiuni, & Melchiades Papa epist. sua decretali ad Episcopos Hispaniæ missa.* Dicitur præterea sacramentum consignationis quod notauit *Rabanus*

A *de consecrat. dist. 5. c. nouissime, & Cyprian. in epist. ad Iubaianum*, & eadem ratione appellatū est signaculū dominicū. Rursus nominatur à materia Sacramentum chrismatis, vt vocat *Cyprian. lib. 1. epistolar. epist. 12. & Aug. lib. 2. contra Petilian. cap. 104. & à Dionysio Areopagita dicitur contunctio cap. 4. de Ecclesiast. Hierarchia*, vocat quoque *S. August.* oleum sanctificatum, *lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 20. item Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4.* appellat sacrum vnguentum.

Hæretici existimātes nullam in sacra Scriptura fieri mentionē huius sacramenti, illud ausi sunt negare. 2 B Primus Auctor huius erroris videtur esse *Nouatus, vt refert Theodoretus lib. 3. hæreticarum fabularum, cap. penult.* hunc errorē sequuti sunt *Flagellantes apud Sanderū lib. 7. de visibili Monarchia Ecclesiæ hæresi 165.* & alij hæretici antiqui, & recentiores.

Contra hunc errorem sit prima conclusio. 3 Datur Sacramētum Confirmationis à reliquis omnibus distinctum. Probatur primò ex sacra Scriptura, nā Christus promisit in hac vita speciale donū Spiritus sancti *Ioan. 14.* ad cōsolationem Discipulorū, & *Ioan. 15.* vt faciat Discipulos fortes, & intrepidos in testificatione veritatis, & istud donū non erat perseueraturū in mundo pro aliquo paruo tēpore, sed vsque ad finē mundi, sic enim dicitur *Ioan. 14. Ego rogabo Patrē, & aliū Paracletū dabit vobis, vt maneat* C *vobiscū in æternū.* Quæ promissio, cū Apostoli essent statim morituri, non erat implenda in solis illis, sed in omnibus fidelibus, cū ergo hæc promissio sit impleta in Apostolis modo quodam visibili, & extraordinario per missionem visibilem Spiritus sancti, maxime conueniens fuit manere in Ecclesia aliquod signum sensibile, per quod ordinario, & regulari modo communicaretur Spiritus sanctus animis fideliū. Tūm etiā, quia cum homines sint visibiles, indigent medijs visibilibus, per quæ cognoscāt inuisibilia, qualis est missio Spiritus sancti. Tū etiā, vt hominibus cōstaret quādo Deus impleret hāc Christi promissionem, & reuera

signum hoc sensibile, quo Spiritus sanctus applicabatur fidelibus, & quomodo applicatur, est manus impositio Episcoporum. Vnde Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, sicut dicitur *Actorum* 8. *Imponebant manus super illos*, scilicet, super iam baptizatos, *& accipiebāt Spiritum sanctum.*

4 Verum ad hæc loca sacræ Scripturæ varie respondent hæretici. Primò respondet *Caluinus lib. 4. institut. cap. 19. §. 5.* Hanc impositionem manuum solùm fuisse quandam ceremoniam, qua offerebantur Deo baptizati, & eorū fides examinabatur, & probabatur. Sed hæc responsio falsa est, quia vt dicitur *Actor.* 8. per impositionem manuum Apostolorū recipiebatur Spiritus sanctus, ergo non solū offerebantur Deo. Tùm etiā vt patet *ex Actorum* 8. Philippus baptizabat Samaritanos, & tamen non poterat baptizatis manus imponere, sed ad hoc venerunt Petrus, & Ioānes, ergo hæc ceremonia imponēdi manus aliquid aliud operabatur præter hoc, quod est, offerre baptizatos Deo, alias rectè posset Philippus manus imponere.

5 Secundò respōdet *Caluinus*, hanc impositionem manuum non esse sacramentum, quia per illam nō dabatur gratia, sicut datur per omnia sacramēta, sed solum communicabatur virtus ad miracula, & ad varia genera linguarū. Sed ad hoc respondetur, hanc solutionem esse falsam, quia ibi *Actorum* 8. Docet sacra Scriptura, per impositionem manuum dari Spiritum sanctum. Sed vt bene notauit *Cardinalis Bellar. lib. 2. de Sacramento Confirmationis, cap. 2.* Nunquam dona miraculorum, & linguarum dicuntur Spiritus sanctus in sacra Scriptura; tùm etiam, quia hæc dona non dabantur communiter omnibus fidelibus dicente Apostolo *1. Corinth. 12. Nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores?* At Spiritus sanctus dabatur omnibus fidelibus, vt patet *ex Actorum* 8. ergo per Spiritum sanctum non est intelligendum donum miraculorum, & linguarū, sed gratia sanctificans animarum.

6 Tertiò respondet *Caluinus loco citato*, Apostolis fuisse concessum hoc priuilegium speciale, vt per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus, nō verò hoc priuilegium extendi ad nostra tempora. Sed hæc solutio falsa est, quia promissio Spiritus sancti facta est in locis scripturæ supra citatis, toti Ecclesiæ, vt ait Sanctus *Leo sermone 4. de Quadragesima, Tota inquit Ecclesia salutare suum in his, qui aderant vniuersaliter audiebat.* Tùm etiam *Diuus Petrus* hanc promissionem intellexit esse generalem *Actorum* 4. quia promittebat omnibus credentibus, & baptizatis Spiritum sanctum, tùm etiā quia necessitas huius sacramenti, & beneficij diuini eodem modo currit in hoc seculo, & in illo, cur ergo ad illud sæculum tantùm beneficium coarctabimus.

A Quartò respondet *Kemnitius in 2. part. examinis pag. 290.* promissionem Spiritus sancti impleri in baptismo modo, quod quidem colligunt hæretici *ex Actor. 2.* Vbi dixit Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Sed tamen solutio hæc nulla est, nam *Chrysostomus homilia 18. in Acta Apostolorum.* Per remissionem peccatorum intellexit remissionē quidem factam in baptismo, sed per Spiritum sanctum intellexit Sacramentum Cōfirmationis, nam licet in baptismo infundatur gratia Spiritus sancti, effectus tamen baptismi non dicitur Spiritus sanctus, effectus tamen confirmationis dicitur Spiritus sanctus, quia per hoc B sacramentum communicatur gratia in magna abūdantia, gratia autem per appropriationem tribuitur Spiritui sancto. 7

Deinde probatur hæc conclusio authoritate Pontificum, qui de hac re locuti sunt, in primis *Melchiades Papa in epistola Decretali ad Episcopos Hispaniæ* huic conclusioni fauet, deinde *Clemens epist. 4.* sic ait: *Omnibus festinandum est, sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus sancti recipere.* Deinde *Innocentius III. in capit. vnico de sacra vnctione, §. quia vero.* Sic ait *per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur.* 8

Præterea probatur conclusio authoritate C Conciliorum: nam *Concilium Cabilonense secundum cap. 27. & Arausicanum primum*, meminerunt huius sacramenti sub nomine cōfirmationis. Hæc veritas definita est *in Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & in Concilio Tridentino, Sessio. 7. nam Concilium Tridentinum can. 1. de Sacramentis in genere*, definit esse septem Sacramenta, & inter illa constituit confirmationem, *& canone 1. de Confirmatione*, ait: *Si quis dixerit, confirmationem otiosam esse ceremoniam, & non potius verū, & propriū sacramentum, anathema sit.* 9

Tùm etiam hanc conclusionem tuentur sancti Patres *Hieronymus, Basilius, Ambros. August. & alij relati à Suar. 3. tom. 3. p. disp. 32. sect. 1.* Deinde probatur conclusio rationibus. Prima sit, quam adducit *D. Tho. 3. p. q. 62. art. 1.* D quia quemadmodum in naturalibus postquam homo genitus est, indiget augmentatione, per quam perueniat ad perfectum statum, & ad perfectas vires: ita etiam postquam homo regeneratus est spiritualiter per baptismum, indiget Sacramento Confirmationis, quo augeatur gratia, & adquirat vires spirituales ad vincendas tyrannorū tentationes. Et probatur ratione *Melchiadis in epist. ad Episcopos Hispaniæ cap. 2.* quia quemadmodum Imperator non solùm milites adscribit suæ militiæ, sed eis etiam arma præbet, quibus pugnēt: sic etiam Christus 10

per baptismum fideles adscribit suæ militiæ, & per confirmationem præbet arma eis, & adiumenta ad vincendos hostes spirituales.

11 Quæret verò aliquis, vtrum hoc sacramentum sit institutū à Christo, in quo dubio sunt plures sententiæ. Prima sententia est hæreticorum asserentium, hoc genus ceremoniæ esse institutum à *Melchiade Papa*. Attamen hoc sacramentum multo ante tēpora *Melchiadis*, fuit in vsu, vt temporibus *Clementis, Vrbani, & Cypriani*. Alij verò catholici dicunt, hoc sacramētum fuisse institutū speciali instinctu Spiritus sancti in *Concilio Meldensi*. Ita sentiunt *Alexander Alens. 4. p. quæst. 24. membro 1. art. 1. Bonau. in 4. dist. 7. art. 1. quæst. 1.*

12 Ad quod respondemus duo. Primum est de fide, scilicet hoc sacramentum fuisse à Christo Domino institutum immediatè. Ita definitur *in Trident. Sessio. 7. can. 1.* vbi dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, scilicet baptismum, confirmationem, &c.* Anathema sit. Per quæ verba intelligit Ecclesia, immediatè fuisse instituta sacramēta à Christo. Et probatur ratione, quia vt bene notauit *D. Thom. loco citato*, instituere sacramenta, pertinet ad potestatē excellentię, quæ soli Christo conuenit, & non alicui homini, ergo solus Christus, & non aliquod Concilium, aut Pontifex aliquis instituit hoc sacramentū, quod latius adduximus in tractatu de Sacramentis in genere. Et quidē quamuis hoc sacramentū Christus nō administrauerit, sicut neque administrauit Sacramentū Pœnitētiæ, aut Matrimonij, ex hoc tamen non debemus colligere, Christum non instituisse hoc sacramentū. Ex eo autem Christus non administrauit hoc sacramentum ante Ascensionem suā ad Cœlos, quia vt dicitur *Ioan. 7. Spiritus non dum erat datus, quia Iesus non dum erat glorificatus*. Et quia per confirmationem communicatur plenitudo Spiritus sancti, ideo non debuit hoc sacramentum exhiberi, antequam Christus ascenderet ad gloriam Patris.

13 Secundò respondeo, Christum instituisse hoc sacramentum in nocte cœnæ. Ita sumitur ex *Cypriano in sermone de vnctione chrismatis, & ex Fabiano Papa epist. 2. cap. 1.* sub his verbis: *In illa die Dominus Iesus postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt, chrisma conficere, docuit.* Si ergo tunc instituit chrisma, quod est materia huius sacramēti, tunc instituit etiam ipsum sacramentū. Neque valet, ibi intelligi illud chrisma, quo vngitur baptizatus in vertice capitis, nam illa ceremonia, vt ait *Hugo lib. 2. de Sacramentis part. 7. cap. 3.* postea fuit instituta *à Syluestro Papa*. Et probatur ratione, tum quia nullum aptius tempus ad hoc apparet, tum quia in ea nocte sæpe Christus promisit Ecclesiæ Spiritum sanctum. Et hoc secundum docent *Suarez loco citato, & Sotus in 4. dist. 7. quæst. vnica, art. 2. & Victoria in Summa verbo, confirmatio*.

14 Sed pro sententia Alexandri, & Bonauen. obijcies aliqua. Primū est, quia licet Christus promiserit hoc Sacramentum Cōfirmationis, non tamen illud instituit, quia neque materiā, neque formam instituit, sed ad hoc respondetur Christum instituisse hoc sacramentum, vt dictum est.

15 Secundò obijcies. Licet Apostoli dederint fidelibus effectū huius sacramenti, non tamen vsi sunt chrismate, sed manus impositione, & oratione, ergo hoc sacramentum fuit institutum ab Ecclesia post tempora Apostolorum. Ad hoc respondetur Apostolos fuisse vsos chrismate, vt postea videbimus.

16 Quæres secundò (iam quod Melchiades, & habetur *de consecratione dist. 5. can. de his* dicit: *Baptismum, & Confirmationem adeò esse coniuncta, vt vnum sine altero rite perfici non possit.* Quod quidem ex eo dictum est, quia gratia confirmationis perficit gratiam baptismalem, vel ex eo dictum est, quia tempore Melchiadis baptismus extra periculum mortis tantùm bis per annum solemniter conferebatur, eique statim confirmatio adiungebatur, atque ita confirmationem omittens tunc peccaret contra consuetudinē Ecclesię, quæ modo ablata est.) An sacramentum Confirmationis sit necessarium ad salutem, & respondetur non esse simpliciter necessarium, quia sine eo potest consequi salus, est tamen necessarium ad melius esse, & ad maiorem perfectionem, & maius augmentum gratiæ. Vnde Melchiades Papa, non voluit significare baptismum sine confirmatione carere aliqua perfectione essentiali, sed tantùm voluit dicere carere aliqua perfectione accidētali, vt robore, & vigore spirituali, sicut puer essentialiter est homo perfectus, dicitur tamen imperfectus, donec ad ætatem virilem perueniat, quia deficiūt ei robur, & vires perfectæ.

17 Confirmatio sic potest definiri: Est sacramētum, quo baptizatus in fronte ab Episcopo inungitur chrismate sub præscripta forma verborum, quæ definitio optima est, quia explicat totam essentiam confirmationis, & eam distinguit à reliquis sacramentis.

18 Tertiò quæres, an hoc sacramentum sit excellētius baptismo? Respondetur esse quidem ex *cap. de his de consecratione dist. 5.* Et probatur, quia per baptismum renascimur spiritualiter, & per confirmationem constituimur milites Christi, perfectius autem est esse milites, quam esse natos, quia ætatem supponit perfectam, & vires robustas, esse aliquem militem.

QVÆSTIO II.

Quæ sit materia remota Sacramenti Confirmationis.

1 IN qua quæst. sunt plures sententiæ. Prima asserit nullum chrisma esse materiam huius sacramenti, neq; illud quod fit ex oleo tantum, neque illud, quod fit ex oleo, & balsamo. Fundamenta huius sententiæ duo sunt. Primum est, quia Ecclesia instituit chrisma, ergo chrisma non est materia huius sacramenti, Ecclesia enim sicut non potest instituere sacramenta, sic neque materiam Sacramentorum. Secundum fundamentum est, quia Apostoli nullo modo vsi sunt chrismate, ergo illud non est materia huius sacramenti.

2 Secunda sententia asserit de essentia huius sacramenti esse quod chrisma sit confectum ex oleo, non vero quod sit confectum ex balsamo, vnde cum solo oleo valere sacramentum. Ita sentiunt *Caietan. 3. p. q. 72. a. 2. Sotus 4. dist. 7. q. vnic. art. 2. Couar. lib. 1. variarum resolutionũ cap. 10. num. 4.* Hæc sententia tribus modis probatur. Primò, ex sanctis Patribus, qui materiã huius sacramenti interdum vocant oleum vt *Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, & Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium, cap. 3.* Tùm etiam probatur, quia licet aliqui sancti Patres materiam confirmationis appellent chrisma, per chrisma tamen oleum videntur, intelligere, quia vt notauit *Augustin. tractatu 33. in Ioann.* Chrisma vt patet ex lingua Græca significat, quamlibet vnctionem siue factam medio oleo tantùm, siue medio quolibet alio vnguento. Secundò probatur hæc sententia efficaciter ex *Innocentio III. in cap. 1. de Sacramentis non iterãdis.* Vbi in eo casu, quo quis per errorem in Sacramento Confirmationis est vnctus solo oleo respondet Pontifex: *Nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum.* Supponit ergo Pontifex validum fuisse sacramentum cum solo oleo, cum dicat non esse iterum dandum, alias si nullum fuisset sacramentum, iterum esset exhibendum. Tertiò probatur ratione, quia Sacramentum Cõfirmationis est institutum pro toto orbe, ergo eius materia talis debet esse, quæ facile possit reperiri in toto orbe, at balsamũ non potest facile reperiri: nã teste *Plin. li. 12. c. 25.* Balsamum solùm erat in duobus paruis hortis Iudææ, quod sine dubio nequit pro toto orbe sufficere, tùm etiam quia parua quantitas balsami admiscetur magnæ quantitati olei, & ita decursu temporis conuertitur in oleum, ergo solùm oleum est materia huius sacramenti.

3 In hac re sit prima conclusio de fide. Chrisma est materia essentialiter necessaria ad Sacramentum Confirmationis. Primò probatur ex traditione, & perpetuo vsu Ecclesiæ; quæ duo sufficiunt ad faciendam rem de fide, vt ait *Hieronymus dialogo contra Luciferianos.* Secũdò probatur, ex *Concilio Florentino,* hanc veritatem definiẽte *in Decreto Euge. §. 2.* his verbis: *Secundũ Sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat famæ, per Episcopum benedicto,* & probatur ex *Concilio Trident. Sessio. 7. can. 1.* dicẽte: *Si quis dixerit iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt anathema sit.* Ecce vbi Concilia fatentur materiam huius sacramenti esse chrisma.

Secunda conclusio. Chrisma quod est materia huius sacramenti debet esse compositum ex oleo, & balsamo. Hæc conclusio est de fide Probatur primo ex Ecclesiæ traditione, quæ ita hoc docuit vt certum, & infallibile, & probatur ex locis citatis Conciliorum Florentini, & Tridentini. Vnde chrisma, quamuis ex sua primaria institutione sumatur pro vnctione, modo tamen ex accõmodatione Ecclesiæ significat vnguentum compositum ex oleo, & balsamo. Vt paret ex *Concilio Meldensi capit. 1. apud Burcardum lib. 4. cap. 75.* Per quod oleum intelligitur oleum oliuatum, quia solùm oleũ oliuarum est verè oleum, propriè, & naturaliter, & voce olei simpliciter, ac propriè significatur, atque ita ab vniuersa Ecclesia intelligitur. Et quidem quod chrisma debeat constare ex oleo, & balsamo, siue hæc duo requirantur essentialiter in hoc sacramẽto, siue ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ probatur etiã ex *Innocen. III. in cap. Pastoralis, extra de Sacramentis non iterandis, & ex cap. vnico, extra de sacra vnctione.* Probatur etiam ex duobus figuris, quibus adumbratum fuit hoc sacramẽtum adductis *à Bellarmino 2. tom. lib. 2. de Sacramento Confirmationis, cap. 8.* Prima est illud vnguentũ quod Deus iussit fieri *Exodi 30.* quo vngerẽtur tabernaculum, & Sacerdotes, nam illud erat compositum ex oleo, & balsamo, per quod figuratum fuit chrisma confirmationis, vt notauit *Cyprianus sermone de vnctione chrismatis,* si ergo figura nostri chrismatis constabat ex oleo & balsamo, nostrum etiam chrisma constare debet eisdem. Secunda figura fuit in testamento nouo in illis linguis igneis, quæ descenderunt in die Penteostes, super Discipulos Christi. Vt notauit *D. Thom. 3. part. quæst. 72. artic. 2.* nam ignis ille, qui significabat ardorem fidei communicatum cordibus Apostolorum repræsentabat oleum huius sacramenti, quod oleum denotat etiam fidei feruorem, & linguæ significabant confessionem fidei, quæ medio ore dicentis infunditur in audientes, & repræsentabant nostrum balsamum, quod propter maximam fragrantiam, qua extenditur in alios, significat confessionem fidei.

5 Sit tertia cõclusio. Ad essentiam huius sacramenti requiritur oleum oliuarum, & sine illo non erit valida confirmatio, ita habet traditio Ecclesiæ, & ita tenent Concilium Florent. & Tridentinum, & res ita est certa, vt nullus id negauerit.

6 Sit quarta conclusio. De essentia Sacramenti Confirmationis est balsamum, ita vt sine illo non valeat sacramentum. Hanc conclusionem videtur docuisse *D.Tho. loco citato, & in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula* 2. Et hanc sententiam sequuntur ibidem, *Bonauent. art. 1. q. 2. ad primum. Scotus quæst. 1. Durand. q. 2. Turrecremata de consecratione dist. 3. c. litteris num.* 3. clarius nam docuerunt, *Hostiensis in cap. 1. de Sacramentis non iterandis, Adrianus in materia de confirmatione, art. 2. in 1. part. illius ad quintum*. Et communiter recentiores, *Bellarm. loco citato, Suarez 3. tom. 3. part. disp. 33. sect. 1. & Petrus de Ledesma in materia de Confirmatione in sua Summa*. Probatur conclusio primò, ex *Concil. Florent. loco, & verbis citatis*, in prima conclusione: nam ibi absolutè dicit materiam esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, & sicut oleum est materia essentialis, ita & balsamum, quia Concilium, sub eodem tenore verborum loquitur de oleo, & de balsamo, nam si balsamum esset solùm de præcepto hoc indicaret Concilium, sicut indicauit loquens de aqua requisita ad consecrationem calicis, ibi enim nõ dixit materiam esse vinum mixtum aqua, sed simpliciter dicit esse vinum de vite, & addit, & ante consecrationẽ, aqua modicissima adhiberi debet. Et confirmatur, quia eo ipso quod in sacramentis aliquid probatur pertinere ad materiam, & formam ex Christi institutione, & præcepto, Intelligitur esse de essentia materiæ & formæ, nã Christus in his rebus nihil instituit non essentiale, vt notauit *Suar. loco citato*, sed quod chrisma debeat esse confectum, ex oleo, & balsamo constat ex Christi institutione, & præcepto, vt docet *Dionysius cap. 4. de Ecclesiastica Hierarchia, part. 2. circa finem, & Fabianus Papa in epistola 2. capit. 1. & Cyprianus sermone de vnctione chrismatis*. Ergo tam balsamum, quàm oleum sunt de essentia huius sacramenti. Et confirmatur, quia ad veritatem formæ huius sacramenti, quę est confirmo te chrismate salutis, requiritur balsamum, nam chrisma non est sine balsamo, ergo balsamum est de essentia huius sacramenti.

7 Ex his respondetur ad argumẽta primæ sententiæ. Ad primum dicimus chrisma nõ esse institutum ab Ecclesia pro hoc sacramento, sed à Christo, vt probatum est. Ad secundum respõdetur, Apostolos etiam fuisse vsos chrismate, vt postea videbimus.

8 Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus, quod licet ex primaria impositione hoc nomen chrisma significet A quodlibet vnguentũ, ex accõmodatione tamẽ Ecclesiæ solùm significat vnguentũ confectũ ex oleo, & balsamo. Ad secundũ ex *cap. 1. de Sacramentis non iterandis*. Respondetur Pontificẽ non negasse illũ, qui solo oleo erat vnctus, esse iterũ vngendum chrismate, quia saltẽ propter incertitudinẽ materiæ esset vngendus sine dubio chrismate, quod securior materia est. Vnde in illo casu esset ille homo vngẽdus chrismate, & essent dicẽda verba formæ, quia neq; prior materia solius olei, neq; forma verborũ supra illã cadẽs aliquid valerent. Vnde cũ Pontifex ait, nihil esse iterandum in illo casu, debet intelligi, non esse iterandos eos ritus; & ceremonias accidentales, quæ in solẽni administratione adhiberi solent in confirmatione, & quando B ait etiam Pontifex, caute esse supplẽdũ, quod incaute fuerat omissum, hoc debet intelligi, esse secreto applicanda ea, quæ defuerũt, scilicet, veram materiã, & veram formã propter vitanda scandala. Ad tertiũ respondetur, quod licet balsamũ Iudææ paucissimũ sit, ex India tamen asportatur balsamũ in magna quãtitate, quod verum balsamũ, & propriũ est. Ad vltimum respondetur, quod licet parua quantitas balsami admisceatur magnæ quantitati olei, sufficit tamen ad mysteriũ huius sacramenti, quia totum oleum redditur odorificum ratione paruæ quantitatis balsami, quod sufficit.

Sit quinta conclusio. Non est de essentia huius sacramenti, quod chrisma sit aut nouum, 9
aut vetus, sed quodlibet sufficit, dũmodo fra-C grantiam odoris non amiserit, quod patet ex *Concil. Florent. loco citato*. Vbi solùm requirit tanquam materiam huius sacramenti chrisma: chrisma autem siue sit nouum, & præsentis anni, siue antiquum, & præteritorum annorũ est verũ chrisma. Est tamẽ de præcepto Ecclesiæ vt chrisma sit illius anni, In quo exhibetur cõfirmatio. Ita habetur *in cap. omni tempore, de consecrat. dist. 4. & cap. quoniam de sententia excommunicat. in 6. & cap. si quis de alio de consecrat. dist.* 4. Si enim ibi conuincitur peccati mortalis, qui baptizatum vnxerit veteri chrismate, quod non est materia baptismi, quanto magis peccabit mortaliter, qui vtitur in confirmatione veteri chrismate, in qua chrisma est materia essentialis.

D

QVÆSTIO III.

Vtrùm chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum?

IN hac quæstione prima sententia est *Paludani in 4. dist. 7. quæst. 1. num.* 19. asserentis, quod licet sit de necessitate sacramenti, 1
quod chrisma sit benedictum, potest tamen Ecclesia dispensare in hoc quod non sit benedictum. Fundamentũ eius est, quia potuit Deus

hac ratione instituere materiam huius Sacramenti. Secunda sententia est *Caiet. 3. p. quæst. 72 art. 3.* dicentis, posse simplicem Sacerdotẽ conficere chrisma huius Sacramenti, fundamẽtum huius est, quia potest simplex Sacerdos hostiam consecrare, quod maius quid est, ergo potest consecrare chrisma, quod minus quid est.

2 Tertia sententia est, posse simplicem Sacerdotem de licentia Episcopi consecrare chrisma. Ita tenet *Ledesma 3 part. quæst. 2. art. 3.* fundamentum est, *ex cap. 20. Concilij Toletani primi*, vbi sic dicitur: *Quamuis pene vbique custodiatur, vt absque Episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel prouincijs presbyteri dicuntur chrisma confirere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma conficere.* Vbi cum Cõcliũ denotet, in aliquibus locis chrisma confici à presbyteris, qui sunt simplices Sacerdotes, & non dicatur esse inualidum ad hoc Sacramentum tale chrisma, videtur, non esse de essentia, quod tale chrisma benedicatur ab Episcopo.

3 Quarta sententia asserit, iure diuino, & ordinatio solùm Episcopũ posse consecrare chrisma pro hoc Sacramento, ex commissione tamen Summi Pontificis posse simplicem Sacerdotem consecrare chrisma. Ita sentit *Caietan. loco citato, & adhæret Sotus in 4. dist. 7. quæst. vnica art. 7.* Fundamentum huius sententiæ est, quia potest Summus Põtifex committere simplici Sacerdoti, quod conficiat hoc sacramentum, ergo etiam potest committere, quod cõsecret chrisma, quod est materia huius sacramenti, hoc enim minus videtur, quam illud.

4 His suppositis sit prima cõclusio. De essentia huius sacramenti est, quod chrisma sit benedictum ab Episcopo, alias nullum erit sacramentum. Hæc conclusio defenditur à *D. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 3.* & ab omnibus fere Theologis: Probatur primò, *ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij*, vbi definit Concilium, materiam huius sacramenti esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo per Episcopum benedictũ. Ex quo loco tale deducitur argumentum, quia Concilium eodem modo, & sub eodem tenore dicit, esse materiam chrisma cõfectum ex oleo, & balsamo, & chrisma benedictum per Episcopum. Sed quod chrisma sit confectum ex oleo & balsamo, est de essentia huius sacramenti, ergo, & quod sit benedictum ab Episcopo, est de eius essentia. Et confirmatur, quia ita habetur ex communi vsu Ecclesiæ, & ex communi traditione Patrum, quos in præcedenti quæstione citauimus. Rationes huius conclusionis duæ sunt. Prima est, quia ita intellexit Ecclesia, hoc sacramentum esse à Christo institutum. Secũda ratio est adducta à Diuo Thoma loco citato, in corpore articuli, quia in materijs corporeis, & permanentibus sacramẽtorum, quibus

A dam est Christus vsus, vt aquâ cum baptizatus est, & pane dum hostiam in nocte cœnæ consecrauit. Et ideò tales materiæ, quæ consecratæ sunt per contactum Christi, non indigent noua consecratione ad valorem sacramenti, aliæ verò res permanentes, quæ sunt materiæ sacramentorum, quibus Christus non est vsus indigent aliqua benedictione, vt chrisma, & oleum infirmorum.

Ex his sequitur primò, non esse in potestate Ecclesiæ, efficere, vt chrisma non consecratum sufficiat ad Sacramentum Confirmationis. Patet, quia manet probatum, requiri essentialiter ad hoc sacramentum, quod chrisma sit consecratum ab Episcopo, ergo non potest Ecclesia, hoc immutare. 5

B Secundò sequitur, non posse Summũ Pontificem concedere simplici Sacerdoti potestatem consecrandi chrisma pro hoc sacramento. Patet, quia quod chrisma sit benedictum ab Episcopo, requiritur essentialiter ad hoc sacramentum ex institutione Christi, ergo non potest Ecclesia dispensare in hoc, quod sufficiat benedictio simplicis Sacerdotis, quia Ecclesia non potest immutare ea, quæ essentialiter requiruntur ad materiam, & formam sacramentorum. Et confirmatur à posteriori, quia quamuis *Gregorius XIII.* credatur concessisse simplici Sacerdoti facultatem confirmandi in India, nunquam tamen est data facultas conficiẽdi chrisma. Quinimo idem *Gregor. XIII.* dicitur præcepisse illi Sacerdoti, vt vteretur chrismate ab Episcopo benedicto. Sentit ergo Ecclesia, se non posse concedere facultatem simplici Sacerdoti conficiendi chrisma, seu consecrandi. 6

C

Sit secunda conclusio. Solùm est de essentia huius consecrationis, quod fiat per benedictionem Episcopalem, & per Sancti spiritus inuocationem, & cum debita intentione, quia hoc tantùm ex Concilijs, & sanctis Patribus supra allegatis potest colligi, quod verò fiat his verbis, vel illis, non est institutum à Christo, sed ab Ecclesia. Probatur, quia non est in hac consecratione aliquid aliud actum vel dictum, in quo posit dici consistere essentialiter consecrationem, ita doctè aduertit *Suarez 3. tom. 3. part. disp. 33. sect. 2.* 7

D Ex his respondetur ad argumenta in opposi tum. Ad fundamẽtum primæ sententiæ respõdetur, nõ posse Ecclesiam efficere quod chrisma non consecratum sufficiat pro Sacramento Confirmationis, neque ad hoc credimus fuisse ei concessam facultatem à Christo. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur illud axioma commune, qui potest ad maius, potest ad minus, esse intelligendũ in rebus eiusdem rationis, & subordinatis, vnde ignis qui potest producere calorem vt octo, rectè poterit producere calorem vt duo, non verò esse in- 8

intelligendum in rebus diuersæ rationis, & nõ subordinatis, vt ignis potest producere ignẽ, qui perfectior est aqua, non tamen potest producere aquam. Vnde licet possit simplex Sacerdos consecrare hostiam, quod maius quidẽ est, non tamen poterit cõsecrare chrisma, quod minus quidem est, quia sunt diuersæ rationis istę res, non subordinatæ inter se.

9 Ad fundamentum tertiæ sententiæ sumptũ *ex Concilio Toletano, c. 20.* Respondetur Concilium solùm referre aliquos presbyteros cõsecrare oleum in aliquibus locis, non verò dicere illud factum fuisse validum, neque potest colligi approbari talem consecrationem à Cõcilio.

10 Ad fundamentum quartæ sententiæ respõdetur, posse quidem ex commissione Summi Pontificis simplicem Sacerdotem conferre confirmationem, non tamen consecrare chrisma, ita enim intelligimus hoc sacramentũ esse institutum à Christo, vt rectè aduertit *Suarez loco citato.* Ea ratio potest reddi huius differentiæ, quia Episcopus non potest facile mitti ad omnia loca, vnde si necessaria esset eius persona ad hoc sacramentum ministrandum, sæpe non adhiberetur propter difficultatem talis personæ, at verò chrisma benedictum ab Episcopo facile potest mitti ad omnes partes, vnde illud semper requiritur necessariò.

QVAESTIO IIII.

Quæ vnctio proxima materia sit Confirmationis.

1 IN præcedenti quæst. disputauimus de materia remota, modo disputabimus de materia proxima. Circa quam sit prima conclusio. Materia proxima huius sacramenti est vnctio facta medio chrismate. Probatur *ex Concilio Florentino loco citato*, nam si ibi definiũr materiam remotam esse chrisma, sequitur materiam proximam esse vnctionẽ, medio chrismate factam. Et confirmatur, quia illa est materia proxima, in quam immediatè cadit forma sacramenti, sed forma huius sacramenti immediatè cadit in vnctionem: ergo vnctio est materia proxima.

2 Secunda conclusio. De essentia huius sacramenti est, vnctionem fieri in formam Crucis. Probatur primò, ex vsu Ecclesiæ: secundo ex traditione sanctorum Patrum; quæ constat ex *D. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 4. ad tertium, & ex Dionysio cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia part. 2. circa finem, & ex Innocentio 1. epist. 1. cap. 3.* Et probatur sic quia alias nõ esset vera forma huius sacramenti in qua dicitur: Signo te signo Crucis.

3 Tertia conclusio. De essentia huius sacramẽti est vnctionem fieri in fronte. Ita docet *Sotus in 4. dist. 7. quæst. 1. Durand. & Gabriel eadem dist.* Probatur primò ex vsu Ecclesiæ. Secundò probatur, quia sancti Patres chrismationem factam in fronte essentialiter requirunt in hoc sacramento. Et probatur ratione, quia illud est de essentia alicuius sacramenti, quod requiritur ad significandum eius effectum: sed ad significandum effectum huius Sacramenti Confirmationis requiritur vnctionem fieri in fronte, ergo talis vnctio in fronte est essentialiter necessaria. Minor probatur ex *Concilio Florentino in Decreto Eugenij*, cuius hæc sunt verba: *Ideò in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmando inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod signo Crucis signatur.* Ex quibus verbis patet, confirmationem debere fieri in fronte, & cum signo Crucis.

Quæret aliquis primo, an sit de essentia huius sacramenti, quod vnctio fiat media manu. 4 Respondet ad hoc *Suarez, & bene disp. 33. supra allegata sectione 3.* Vnctionem debere fieri essentialiter media manu Episcopi immediatè, & non medio aliquo instrumento, quod verò hæc vnctio fiat medio pollice manus dexteræ est de præcepto, vt patet ex Pontificali Romano, quia sic fit vnctio aptius, obligante sub mortali eo præcepto vt sentit *Suarez loco citato*, verumtamẽ quod fiat vno digito, vel alio non videtur sufficiens materia ad peccatum mortale.

Quæres secundo, an sit de essentia huius sacramenti aliqua manus impositio facta super cõfirmandũ? In hac re prima sententia asserit olim ita fuisse sufficientem manus impositionem, vt cum sola illa sine vllo chrismate Apostoli confirmarent fideles. 5 Probatur primò, ex Actibus Apostolorum cap. 8. vbi videtur per solam manus impositionem datum esse Spiritum sanctum. Secundò probatur, quia forte tunc non poterat facile inueniri balsamum. Tertiò probatur, quia tunc communicabatur Spiritus sanctus visibiliter sub aliquo signo sensibili ignis, aut columbæ, ergo non erat necessaria aliqua vnctio. Et confirmatur ex *Concilio Florentino*, ibidem. vbi ait Concilium *loco illius manus impositionis Apostolicæ dare nunc Ecclesiam Sacramentum Confirmationis.* Ergo per solam Impositionem manus sine vllo chrismate dabatur Spiritus sanctus.

Secunda sententia asserit nec Apostolos, neque aliquem purum hominem contulisse effectum confirmationis sine chrismate. 6 Vnde semper fuisse adhibitam eam manus impositionem, quæ requiritur ad hoc, vt vnctio fiat medio chrismate. Ita *Bellarminus lib. 2. de hoc Sacramento cap. 9.* Fundamentum primum est, quia Christus instituit chrisma, & tradidit Apostolis præceptum de vngendis baptizatis

 medio

medio Chrismate, ergo non est dicẽdum Christum dispensasse in hoc, vt per solam impositionem manus Apostoli confirmarent. Patet consequentia, quia non constat ex scriptura talis dispensatio, quinimo ex eo, quod Sacra Scriptura dicat per manus impositionem datũ esse Spiritum Sanctum, non negat vnctionẽ Chrismatis. Præterea, neque erat difficile in Iudæa in qua secundum Plinium erat Balsamũ, illud præ manibus habere, neque etiam vti Chrismate erat contra dignitatem Apostolicam, sicut neque imponere manus. Neque etiam obstat quod tunc dabatur Spiritus Sanctus visibiliter, nam hoc non obstante Apostoli imponebant manus, quod erat signum sensibile, ergo poterant vngere medio Chrismate. Secundum fundamentum est, quia Patres dum probant solos Episcopos dare Spiritum Sanctum per vnctionem Chrismatis, allegant verba *Lucæ Actorum 8. cap.* vbi Apostoli dabant Spiritum Sanctum, ergo illi semper vngebant Chrismate. Tertiũ fundamentum est, quia vt constat ex *Fabiano Papa epist. 2. c. 1.* Apostoli singulis annis conficiebant Chrisma, ergo vtebãtur illo, tũ etiam, quia, vt cõstat. *Ex cap. vnico de sacra vnctione §. penultimo*, idẽ sunt manus impositio, & vnctio Chrismatis, ergo Apostoli, qui imponebant manus, semper vngebant medio Chrismate.

7 Sit quarta conclusio, sine vnctione Chrismatis nunquam fuit verum sacramentum confirmationis, patet, quia de essentia huius sacramenti est vnctio Chrismatis, ergo sine illa non fuit sacramẽtum Confirmationis. Quod si aliquando dabatur effectus huius sacramenti sine vnctione, tunc non inueniebatur verum sacramentum, sed propter effectum illa actio dicebatur confirmatio, & sacramentum.

8 Sit quinta conclusio. Effectus huius sacramẽti, qui est robur spirituale ad pugnandum pro fide, nunquam est causatus sine aliqua impositione manus, patet, quia antequam esset in vsu vnctio imponebatur manus, & postea, quando cœpit vnctio, in illa includebatur impositio manus, ergo semper requirebatur aliqua impositio manus.

9 Sit sexta conclusio. Illa impositio manus, quæ est necessaria ad vnctionem, est de essentia huius sacramenti. Probatur, quia, si vnctio est necessaria, & ad vnctionem requiritur impositio manus super frontem baptizati, ergo talis impositio est de essentia Confirmationis.

10 Sit septima cõclusio. Interdum Apostoli dabant Spiritum Sanctum sine vlla vnctione per solam impositionem manuum, interdum vero vsi sunt vnctione Chrismatis. Hanc sententiam docent, *D. Thom. 3. p. quæst. 72. art. 4. ad primum, Sotus in 4. distinct. 7. art. 2. ad primum, Durandus, quæst. 2. ad primum. Gabriel, quæst. 1. art. 5.* & duo recentiora Concilia Prouincialia *Maguntinum in doctrina fidei, c. 18. & Coloniense, in doctrina de hoc sacramento.* Quod Apostoli cõcederẽt Spiritum Sanctum, sine Chrismate, patet rationibus primæ sententiæ, quod verò aliquando vsi fuerint Chrismate, probatur aliquo modo rationibus secundæ sententiæ, præsertim fundamẽto tertio desumpto ex *Fabiano Papa*, vbi dicitur, Apostolos confecisse Chrisma, ergo sine dubio vngebant medio illo.

Quæres tertio, quo tẽpore vsi fuerint Apostoli manus impositione, & vnctione, & respõdetur cum *Suarez. loco citato, sect. 4.* Et cũ alijs Authoribus citatis, vsos fuisse Apostolos manus impositione eo tempore, quo dabatur Spiritus Sanctus medio aliquo signo visibili ignis, columbæ, linguarum, &c. At verò, quando cessarunt hæc signa visibilia, vsi sunt Apostoli Chrismate, & vnctione. De ceremonijs accidentalibus, & ritibus confirmationis videantur, *D. Tho. 3. p. q. 72. art. 12. & Sotus in 4. dist. 7. q. vnica, art. 12.* 11

QVÆSTIO V.

Quæ verba sint essentialia in hoc Sacramento.

SIT conclusio. Hæc est forma sufficiens cõfirmationis. Signo te signo Crucis, & Confirmo te, Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti. Primo probatur *Ex Concilio Florentino, loco citato.* Vbi traditur hęc forma. Deinde patet secũdo, quia hac forma vtitur Ecclesia; & vt patet ex *cap. ad abolendam, de Hæreticis.* Ecclesia retinet verũ vsum sacramentorum. Probatur tertio ratione *Diui Thom. 3. p. q. 72. art. 4. in corpore*, quia per hanc formã significãtur causa principalis cõfirmationis, quæ Sãcta Trinitas est, & robur spirituale, quo homo cõfirmatur; quod significatur, cũ dicitur; Cõfirmo te Chrismate salutis. De inde significatur signũ corporale, quod homini pugnãti in hac vita cõceditur; sicut in pugna corporali milites insigniũtur insignijs suorũ ducum, & propter hoc dicitur, signo te signo Crucis. 1

Sequitur hinc, prædicta verba, vel alia similia, quæ reddant eundem sensum, esse de essentia huius sacramẽti. Ratio est, quia cõfirmationis sacramẽtum vnicum est in tota Ecclesia, ergo eius forma vnica debet esse quantum ad sensum. 2

Hæc verba sunt æquiualẽtia, firmo, cõfirmo Chrismate salutis, aut Chrismate sanctificationis, & sunt sufficiẽtia ad hoc sacramentũ, necessariò verò in hac forma ponenda sunt hæc duo verba, signo, & cõfirmo, aut alia similia, quia diuersos effectus significant, vt patet ex ratione D. Thom. adducta in prima cõclusione. Ita sentiũt Doctores Scholastici in 4. dist. 7. & indicauit Cõciliũ Florentinũ, ibidẽ. Dũ vtrũque verbum posuit in forma huius sacramenti. 3

De

4 De essentia huius sacramenti, & formæ, esse inuocationem Trinitatis. Patet ex vsu Ecclesiæ, *& Concilio Florentino loco citato.* Et probatur ratione, quia hoc sacramentum est complementum baptismi, vt patet, *ex ca. omnes, de consecratione dist.* 5. Vnde, sicut forma baptismi debet constare personis Trinitatis proprijs verbis expressis, sic etiam forma huius sacramenti. Vnde ea, quæ diximus de forma baptismi, applicanda sunt ad formam confirmationis, qua forma non sunt vsi Apostoli eo tempore, quo sine Chrismate cum sola manuum impositione effectum confirmationis conferebant. Est autem notandum, quod in forma baptismi licitum est Græcis dicere; baptizetur seruus Christi. Quia hæc verba approbauit Concilium Florentinum, non tamen licet Græcis, dicere, Confirmetur seruus Christi, quia talia verba non approbauit Concilium Florentinū; attamē, sicut valet baptismus illa forma, baptizetur: ita confirmatio hac forma confirmetur.

5 Contra hæc primum argumentum Caluini est, non constat ex scriptura talis forma, ergo non est admittenda. Respondetur, satis esse, quod constet ex traditione Ecclesiæ, quæ viua voce portat res ex vno seculo in aliud, multa autem ex traditione constāt. *Vt patet ex Paulo 1. epist. ad Thessalonicens. cap. 2.* Dicente tenete (inquit) traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

6 Secundum argumentum est, quia *Ambrosius lib. 2. de sacramentis, cap. vltimo,* ponit hanc formam. *Deus, qui regenerauit Omnipotens, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam.* Deinde alij Sancti Patres non meminere huius formæ, vel solius meminere vnctionis. *Vt Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. Mystagogica. & Dionys. cap. 2. de Ecclesi. Hierarch.* Ad hoc cum *Bellarmino respondetur, c. 2. lib. de Sacramento confirmat.* Patres non meminisse formæ huius sacramenti, aut aliorum sacramētorum, quia illæ apertæ erant à quotidiano vsu, vel solum explicasse concise, & in quodam compendio formam confirmationis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum sacramentum confirmationis imprimat characterem.

1 SIT prima conclusio de fide. Sacramentū confirmationis imprimit Characterem. Ita definitur in *Concilio Florentino, & in Tridentino, sess. 7. can. 9. de sacramentis in genere.* Cuius hæc sunt verba. *Siquis dixerit, in tribus sacramentis baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est, signū quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non*

A *possunt, anathema sit.* De hac re videātur ea, quæ diximus in tractatu de sacramentis in genere, & probatur ratione *Diui Thomæ 3. p. q. 72. a. 5. in corpore,* quia Character est quædam spiritualis potestas ad sacras actiones ordinata, sed hoc sacramentum tribuit potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. ergo imprimit Characterem.

Ad quem Characterem suscipiendum satis est, aliquem esse baptizatum, & habere intentionem suscipiendi sacramentum cōfirmationis; & illum reuera suscipere, etiamsi sit in statu peccati mortalis.

Ex hoc infertur, primo Characterem confirmationis esse diuersum realiter à charactere baptismi, patet ex *Concilio Tridentino loco citato.* B Vbi tres characteres Confirmationis, Baptismi, & Ordinis, vt inter se distincti numerantur. Sed character Cōfirmationis distinguitur realiter à charactere Ordinis, ergo similiter distinguitur realiter à charactere Baptismi. Tum etiam, quia character Baptismi ordinatur ad recipienda sacramenta, & character Confirmationis ordinatur ad pugnandum pro fide, ista sunt officia diuersa, ergo characteres diuersi sunt realiter. Ita sentiunt *Suarez loco citato disput. 34. sect. 1. & Enriquez in Sum. 1. 1. lib. 3. de cōfirmat. cap. 4.*

Secundo infertur ex *D. Thom. loco citato.* Vt 3
aduertit Suarez, ibidem, hunc characterem cōfirmationis esse potentiam actiuam, quæ proxime ordinatur ad agendum, & pugnandum C pro fide.

Sit secunda conclusio de fide. Sacramentum 4
confirmationis iterari non potest. Ita definitur in *Tridentino, loco citato, & habetur c. dictū est; & ca. de homine de cōs. distinct. 5.* & colligitur, ex *Paulo ad Hebræos 6.* dicente: *Nō rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quod aliqui Sancti Patres sic explicant; siquis post accepta sacramenta Baptismi, & Confirmationis labitur in peccata, nequit liberari ab illis per Baptismum, & Confirmationem de nouo recepta. Et probatur ratione, quia sacramentum, quod imprimit characterem, iterari non potest, sed hoc sacramentum D imprimit illum, ergo reiterari non potest.

Aliquis tamen obijciet. *August. lib. 3. de baptismo, cap. 16.* dicentem. *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest;* Sed ibi, per 5
manus impositionem intelligit confirmationē, quia inquit per eam dari Spiritum Sanctum, ergo confirmatio reiterari potest. Sed ad hoc respondetur cum *Bellarmin. de confirmat. cap. 7. Vvald. t. 2. Sacramentorum, cap. 115.* Augustinū, ibi loqui de reconciliatione pœnitētium, qua Hæretici ad fidem conuersi in Oriente vnitati Ecclesiæ reconciliabantur cum manus impositione, vt patet ex *August. lib. 5. de baptismate, cap. 20.*

cap.20.& 23. Quæ reconciliatio appellatur ab Augustino manus impositio. *Ipse autem Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 104.* Fatetur, confirmationem iterari non posse. Multiplex ergo fuit manuum impositio, quædam curatiua iuxta illud *Marci vltimo super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Secunda consecratiua, seu ordinatiua, de qua dicitur. *Prima ad Timoth. 4. noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuū presbyterij.* Tertia cōfirmatiua, quæ pertinet ad hoc sacramentum. Quarta ceremonialis ad baptismum præambula, de qua, *August. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26.* Quinta recōciliatiua, de qua *August. ibidem.* Vltima est deprecatiua, de qua dicitur, *Actorum 13. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* B

7 Ex his sequitur, peccare eum, qui repetit confirmationem, quia iniuriam facit huic sacramento, applicando materiam, & formam, quando sacramentum est nullum, propter hoc tamē peccatum non contrahitur irregularitas. Ita tenet *Dinus Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 14. §. 4. Conar. Clement. si furiosus 1. p. n. 8.* Probatur, quia, vt habetur, *in cap. is, qui, de sententia excommun. in 6.* Irregularitas non contrahitur, nisi vbi est expressa à iure, at hoc in casu non est in iure expressā, nam in *canone dictum est. de consecrat. distinct. 5.* Vbi sæpius Confirmatis imponitur pœna, non imponitur irregularitas, ergo ea nō contrahitur in hoc casu: ratio autem, quare tebaptizantibus sit imposita irregularitas, & nō bis confirmantibus eundem hominem, ea est, quia olim fuit Hæresis Donatistarum asserentium baptizatos ab Hæreticis esse de nouo baptizandos, in quorum odium Ecclesia punit irregularitate rebaptizātes, quæ Hæresis, quia non viget circa Cōfirmatos ab Hæreticis, ideo non punitur irregularitate ille, qui reconfirmat; sicut, qui rebaptizat. Plerique Canonistæ putant, bis confirmantem eundem hominem incurrere irregularitatem, quibus adhæret *Nauar. in Manuali, cap. 27. num. 247.* Et dicit, consuetudinem ita obtinuisse, sed talis consuetudo est ablata per Theologos contrarium sequentes, & docentes, vt bene notat *Greg. de Valent. 4. disp. 5. quæst. 1. puncto 4.*

C

QVÆSTIO VII.

Quam gratiam conferat Sacramentum Confirmationis.

8 HAEC quæstio vnum supponit, & alterum quærit. Supponit hoc sacramentum dare gratiam, & quærit quanta illa sit. Circa id quod supponitur, sit prima A cōclusio de fide. Hoc sacramentum confert aliquam gratiam, ita habetur in *Tridentino sess. 7. canone 2. de confirmatione*, & secundum communem interpretationem Doctorum, fauent huic conclusioni aliqui Canones, *De consecratione dist. 5. vt canon primus, & canon. Spiritus Sanctus, & canon. nouissime.* Accipite elegātia verba canonis Spiritus Sancti, *Spiritus Sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in cōfirmatione augmentum præstat ad gratiam*, & infra *in baptismo, regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.* Et probatur ratione, quia sacramenta nouæ legis causant gratiam, sed confirmatio est sacramentum nouæ legis, ergo causat gratiam.

Secunda conclusio. Hoc sacramētum per se, & primario neque dat primam gratiā, neq; tollit peccata mortalia, quia solum fuit institutū ad roborandam animam, & augendam gratiā, per accidens vero causat primam gratiā, quādo quis accedit ad recipiendam confirmationem cum sola attritione, existimans se habere contritionem, quia cum tunc temporis iste talis non ponat obicem gratiæ, & alias bona fide procedat, non est credendum priuari gratia sacramentali, ita asserit, *D. Thom. 3. p. quæst. 72. art. 7. ad secundum.* 2

Ex hac secunda conclusione sequitur, hoc sacramentum directe requirere, vt recipiens sit in gratia, quia nemo potest accipere augmentū alicuius gratiæ, nisi prius habeat illam. 3

Secundo sequitur ad recipiendum hoc sacramentum debere hominem disponi, aut per confessionem, aut per contritionem, sufficit enim aliquod medium istorum seorsum, quamuis facilius, & securius medium sit confessio, quam contritio, vt notatur, *in cap. vt ieiunij, de consecratione, dist. 5.* 4

Circa secundum, quod quæritur, quæ gratia conferatur per hoc sacramentum, Respondetur secundum probabilem sententiam relatā à *Suarez 3. t. disp. 34. sect. 2.* Dari per sacramentum confirmationis abundantiorem gratiam, quam per baptismum; ita patet ex canonibus adductis in prima conclusione, in quibus dicitur per hoc sacramentum dari Spiritum Sanctum, quod non dicitur de sacramento baptismi, per quæ verba denotatur abundantior gratia, & propter hanc ratione Melchiades Papa, loco supra allegato conferens baptismum cum confirmatione, ait *Scitote vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum à maioribus fit, id est à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est.* Confirmatur, quia gratia huius sacramenti comparatur illi quantitati, & magnitudini, quam homo adquirit à die natiuitatis, vsque ad ætatem virilem, & gratia baptismi 5 D

compa-

comparatur illi quantitati, in qua homo nascitur, sed maior est prior quantitas, quam posterior, ergo maior est gratia confirmationis, quã gratia baptismi.

6 Hinc patet, sacramentum confirmationis, licet non tollat peccatum, neque pœnam peccati, esse perfectius baptismo, quia causat perfectiorem gratiam, idest maiorem, ex qua vt ex principaliori effectu sumitur dignitas sacramentorum.

7 In hac quæstione, vltimo notandum est, per hoc sacramentum dari quædam auxilia gratiæ, quæ sunt sanctæ cogitationes, & sancti motus voluntatis ad defendendam fidem coram Tyrãnis, cum opus fuerit, de quibus auxilijs, quę sunt gratiæ sacramentales, & quibus temporibus dentur, latè diximus in materia de sacramentis in genere quæstione 13.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnis homo sit capax sacramenti Confirmationis.

1 IN hac quæstione sit prima cõclusio de fide: Ille qui non baptizatus est, non est capax huius sacramenti. Ita definitur. *Ab Innocentio III. in cap. veniens de presbytero non baptizato.* Probatur rationibus. Prima sit, quia baptismus est ianua reliquorum sacramentorum; ergo qui non est baptizatus, non est capax sacramenti Confirmationis. Secundo probatur, quia per baptismum generatur homo spiritualiter, & per cõfirmationem crescit homo spiritualiter, sed nemo potest crescere nisi sit genitus, ergo nemo potest cõfirmari, quin sit baptizatus, quod *Si Actorũ* 10. Dicitur Spiritum Sanctum visibiliter descendere in non baptizatos, hoc debet intelligi, quod cõmunicetur illis gratia sanctificans, non vero, quod recipiatur sacramentum confirmationis, neq; character eius.

2 Secunda cõclusio. Quilibet baptizatus potest recipere valide cõfirmationem, siue sit ante vsum rationis, siue post; ita *D. Augustinus tractatu 6. in primam Canonicam Ioannis*, & patet ex traditione, & vsu Ecclesiæ, *& ex cap. 1. de consecratione, distinct. 5.* Vbi dicitur, Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent. Et cõfirmatur, quia promissio Spiritus Sancti facta est omnibus fidelibus, ergo omnes fideles sunt capaces huius sacramenti, in quo cõmunicatur Spiritus Sanctus. Maior vero difficultas est, an sit conueniens confirmare Infantes ante vsum rationis, aut amentes, aut constitutos in articulo mortis?

3 Tertia conclusio. Secundum antiquã consuetudinem conueniens erat confirmare baptiza- A tos in infantili ætate, ita refert, *Suarez t. 3. in 3. p. disp. 35. sectione* 2. & ratio esse potuit, quia cũ antiquitus quotidianæ essent persecutiones Tyrannorum, conueniens erat homines à principio vitæ paratos esse ad effundendum sanguinem, & roboratos quoties se offerret ocasio, & etiam Episcopi difficile inueniri poterant, quia absconditi erant propter persecutiones Ecclesiæ, vnde quoties aderat Episcopi debebat homines cõfirmari, in quacũq; ætate: quare cũ *D. Th. in 4. dist. 7. q. 3. a. 2. quæstiuncula* 2. Asserit conuenientius esse confirmare homines ante vsum rationis, debet intelligi, secundum antiquam consuetudinem, quæ suo tempore durabat, qua ratione debent intelligi. *Caput primum, & tertium de consecratione distinct. 5.* Dum B dicunt confirmationem esse recipiendam statim post baptismum.

Sit quarta conclusio. Modo in his partibus, 4 in quibus cessauit persecutio Ecclesiæ, conuenientius est confirmare infantes tempore vsus rationis. Ita sentiũt, *Palud. in 4. q. 4. numero 10. Sotus in 4. distinct. 7. art. 8. Syluester verbo. Confirmatio diuina, num. 4.* Et communiter recentiores Thomistæ, probatur ex cõsuetudine Ecclesiæ. Et præterea probatur, quia cum non instat persecutio, conueniens est recipere confirmationem cum adest vsus rationis, tum vt cũ maiori reuerentia recipiatur tale sacramentum, tum etiam, vt homo per fidem, & deuotionem dispositus recipiat maiorem gratiam per hoc sacramentum. Et confirmatur, quia non tam C facile intelligitur, quod sit aliquis confirmatus, atque baptizatus, & ita debet confirmari in vsu rationis, vt recordetur talis sacramenti, & non illud suscipiat de nouo. Sufficit autem ætas septennij ad recipiendum hoc sacramentum, quia in tali ætate potest quis recipere primam tonsuram, & ordines minores; sed ordo non potest conferri, nisi confirmato, quia non decet, vt prius sit aliquis dux, quam miles; ergo confirmatio potest exhiberi in septennio.

Non tenetur autem quis sub graui præcepto, 5 confirmationem recipere ante ordines. *Ita Sotus in 4. distinct. 7. art. 8. post tertiam conclusionem, & Enriquez in Summa, de confirmatione, cap. 5.* Est tamen veniale peccatum propter D *Tridentini Decretũ, sess. 23. c. 4. de confirmatione.*

Obijcies tamen, *Glossam in cap. ieiuni, de con-* 6 *secrat. distinct. 5.* Quæ ad recipiendum hoc sacramentum requirit ætatem duodecim annorum, sed ad hoc respondetur cum *Suarez 3. t. disp. 35. sect. 2.* Prædictum textum, in quo dicitur, *vt ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis*, Ita esse intelligendum, vt hi, qui in perfecta ætate confirmantur, ieiuni accedant, & confessionem præmittant, vt mundi donum Spiritus Sancti recipiant. Quod tamen quantum ad ieiunium, & præmittendam confessionem non obligat, quia non est in vsu, non tamẽ est

est aliquod præceptum obligans Episcopos, ne confirment ante vsum rationis aliquem, nã consuetudo Ecclesiæ in hoc non inducit præceptum, sed maiorem conuenientiam. *Ita Suarez 3.t.disp.35.sect.2.Enriq. de cõfirmatione,c.5.* Imo contrarium docet mos.

7 Quæret tamen aliquis. Primo an sacramẽtũ cõfirmationis sit cõferendũ amẽtibus? Ad hoc respondetur, quod si habent lucida interualla, expectandũ est tẽpus vsus rationis, nisi ante tale tẽpus mors timeatur, vt dignius sacramentũ recipiant. Quod si fiunt perpetuo amentes, quolibet tempore confirmandi sunt, quia, licet nõ sint pugnaturi pro fide, sunt tamen capaces augmenti gratiæ, quod per hoc sacramentum causatur.

8 Quæres secundo an illi, qui sunt in articulo mortis, sint confirmandi, & respondetur esse quidem confirmandos, vt docet, *D. Th. 3. p.q. 72.art.8.* cum communi sententia Theologorum, & ratio est, quia isti possunt conualescere, & pugnare pro fide, & quamuis non conualescant, indigent tamen augmento gratiæ, & gloriæ, quod per hoc sacramentum communicatur, quod si *Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ, ante medium illius, & habetur, c.1. Conciliorũ, & de consecratione, dist.5.c.Spiritus Sanctus,* ait, *continuo transituris sufficere regenerationis beneficia.* Ad hoc respondetur cum *D. Tho. loco citato, in solutione ad quartum.* Hæc verba ita esse intelligenda, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculũ pugnę spiritualis, quia isti non sunt pugnaturi. Ex hoc tamen non probatur, non posse dari hoc sacramentum propter augmentum gratiæ, & gloriæ.

9 Quæres tertio, an in hoc sacramento sit necessarius aliquis patrinus. Circa quod respondetur esse videnda ea, quæ diximus in tractatu de baptismo, dum disputauimus de susceptore baptismi. Respondetur tamen secũdo, requiri susceptorem in confirmatione ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, patet ex *cap. in Catechismo de consecrat. dist.4 & cap. de his 30. q.1. & c.1. de cognatione spirituali, in 6.* Qui susceptor requiritur sub pœna peccati mortalis. *Vt Sotus, & Petrus de Ledesma,* notarunt super hoc sacramentum. Tertio respondetur, patrinum non esse obligatum sub præcepto, sed solum sub decentia quadam ad confirmati instructionem. Tum quia non constat tale præceptum, tum quia ad instructionem sufficit patrinus baptismi. Quod si patrinus baptismi esset in instructione negligens, patrinus confirmationis ex natura rei obligaretur ad instructionem confirmati.

10 Quarto respondetur, hoc ministerium patrini consistere in hoc, quod est, tenere confirmatum, dum confirmatur. Qui patrinus debet esse vnicus, qui *iuxta, cap. de his 30. quæst.1.*

A Contrahit cognationem spiritualem, quæ cognatio limitanda est, iuxta statuta in *Concilio Tridentino, sess.24.c.2. de reformatione.*

Quinto respondetur, non confirmatum non posse esse patrinum, aut contrahere hanc cognationem, ita tenent. *Victoria in Summa, nu.51. verbo confirmatio, Suar. super tertiam partem, in cõmentario articuli 10. quæst.72. Diui Thomæ, &* patet, ex *cap. in baptismate, de cõsecrat. distinct.4.* Et addit Victoria, virum non posse suscipere vxorem, neque vxorem virum, aliàs non posset peti debitum. 11

Sexto respondetur cum *Victoria, ibidem,* patrinum baptismi debere esse distinctum à patrino confirmationis, vt patet *ex cap. in Catechismo allegato.* Nisi aliqua necessitas cogat ad B oppositum, & ratio esse potest, quia; sicut in corporalibus diuersa causa est illa, quæ generat hominem, ab ea, quæ auget illum, ita in spiritualibus patrini, qui sunt, velut patres, & causæ spirituales, diuersi debent esse in baptismo, & confirmatione, quia in baptismo generatur homo spiritualiter, in confirmatione vero augetur spiritualiter. 12

QVÆSTIO IX.

Vtrum solus Episcopus sit Ordinarius minister huius sacramenti.

C

SIT conclusio de fide. Soli Episcopi sunt Ordinarij ministri confirmationis, qui sua propria authoritate, & sine licentia Papæ, aut commissione possunt ministrare hoc sacramentum; ita definitum est *in Tridentino, sess.7.can.3.* de confirmatione, in hæc verba. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis Ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Hoc confirmauit *Eusebius Papa epistol. 3.* dicens. *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus.* (Per quos intelligit Episcopos,) & subdit Pontifex. *Nam* D *si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum,* & probatur, *ex cap. de his de consecratione, distinct.5. & can. presbyteri, de consecrat. dist.4.* & sæpe alibi, Et probatur, quia manus impositio Apostolorum erat symbolum nostræ confirmationis, vt supra vidimus. At illa manus impositio solũ pertinebat ad Apostolos, nam vt patet, *Actorũ 8.* Petrus, & Ioannes missi sunt in Samariã, vt manus imponerent super baptizatos; quod intelligitur secundum traditionem Ecclesiæ, scilicet, missos esse, vt confirmarent fideles, ergo nostra confirmatio ad solos 1

solos Episcopos pertinet. Quod autem Apostoli manus imposuerint, *Actorum* 8. vt Episcopi, & non vt præsbyteri, inde cõstat, quia scriptura nunquam tribuit impositionem manus, nisi ipsis Apostolis, quamuis prædicare, baptizare, & alia officia tribuat inferioribus ministris. Quod verò Apostoli non imposuerint manus per aliquã extraordinariã potestatẽ sibi cõcessam, patet ex Ecclesiæ consuetudine, secundũ quam Episcopi semper manus solent imponere baptizatis, & omnes Episcopi hoc præstãt, ergo illa potestas non conueniebat Apostolis iure extraordinario, sed iure ordinario Episcopatus.

2 Quæ conclusio communis est inter Sãctos Patres, vt videri potest apud *Suarez 3. p. disput. 36. sect.* 1. & probatur ratione, *Diui Thomæ 3. p. q. 72 art. 11 in corpore*, quia; quemadmodum in ædificio corporali cõstructio ædificij pertinet ad inferiores ministros, & destinatio eius ad hos, vel illos vsus pertinet ad supremũ patronum, & ministrum: ita in fidelibus, qui sunt spirituale quoddam ædificium: per baptismũ ædificantur homines tanquam domus spiritualis, & per confirmationem hæc domus dicatur in Templum Spiritus Sancti, ergo baptismus pertinet ad inferiores ministros, & confirmatio ad superiores, qui sunt Episcopi.

3 Contra hoc tamen obstant aliqui textus in quibus solum dicitur, non licere presbyteris, Spiritum Sanctum dare per manus impositionem, vt patet, *Ex Concilio Hispalen. 2. cap. 7. Concilio Vvormaciensi, ca. 8. Concilio Carthagin. 2. c. 3. & ex Innocentio I. epist. 1. ad Decentiũ, cap. 3.* Ergo solum erit contra præceptum Ecclesiæ, quod presbyteri confirment, non tamen erit nullum sacramentum. Ad hoc respondetur, esse prohibitũ de iure humano, & diuino, quod presbyteri confirment, quia non habent ad hoc potestatem, & indicari in dictis textibus.

4 Secundo obijcies illud, *Primæ ad Timoth. 4. noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionem manuum presbyterij*. Vbi significatur, presbyteros posse imponere manus, quod est, confirmare. Ad hoc respondetur, ibi, esse sermonem de ordinatione presbyteri, non vero de confirmatione.

5 Tertio obijcies. *Actorum 9.* Ananias imposuit manus Paulo, cum non esset Episcopus; sed hæc impositio manus erat confirmatio, ergo confirmatio non pertinet ad solum Episcopum. Ad hoc respondetur, Ananiam non imposuisse manus Paulo, vt confirmaretur, nondum enim erat baptizatus, sed, vt sanaretur à cæcitate corporis. Quod si ibi dicitur, imposuisse manus, vt Paulus impleretur Spiritu Sãcto, intelligitur, curatum esse Paulum à cæcitate, vt postea medio baptismo reciperet Spiritum Sanctum.

A Quarto obijcies *Concilium Toletanum, primũ cap. 20.* vbi statutum est, *Diaconum non Chrismare, sed presbyterum absente Episcopo, præsente verò non nisi ab ipso fuerit præceptum*, & idem habetur, *in cap. omni tempore, de consecrat. distinct. 4.* Ergo cum ibi dicatur, posse Sacerdotem chrismare de præcepto Episcopi, supponitur Sacerdotem habere ad hoc potestatem. Respondetur secundum Communem Doctorum expositionem, ibi esse sermonem de ceremoniali vnctione, quæ fit in baptismo in vertice baptizati, quia, vt colligitur, *Ex Damaso Papa in epistola* 1. Etiam non licebat antiquitus ipsis Sacerdotibus sine licentia Episcopi aliquid.

Quinto obijcies, *Concilium Arausicanum 1.* 6 *can.* 2. vbi dicitur, *Hæreticos in mortis discrimine* B *positos, si Catholici esse desiderẽt, si desit Episcopus, à presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari, placere.* Ergo presbyteri habent potestatem ad confirmandum, quia ibi, videtur esse sermo de confirmatione. Sed respondetur, Conciliũ non loqui de confirmatione, sed loqui de quadam reconciliatione, qua olim Hæretici recõciliabantur Ecclesiæ cum vnctione Chrismatis.

Sexto obijcies, *Hieronymum in Dialogo* 7 *aduersus Luciferianos*, asserentem, *non ad legis necessitatẽ, sed ad Sacerdotij honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, vt illis manus imponãt.* Vbi simplici Sacerdoti videtur tribuere potestatem confirmandi. Et idem videtur C sentire, *Ambrosius, lib. 3. de sacramentis, cũ alijs Patribus.* Sed respondetur primo, Sanctos istos Patres loqui de vnctione verticis post baptismum, quæ, licet possit fieri à Sacerdote, erat tamen prohibita sine licentia Episcopi. Vel respondetur secundo, verba Hieronymi sic esse intelligenda, quod non sit necessarium ad salutem recipere confirmationem.

QVÆSTIO X.

Vtrum ex dispensatione Pontificis possit simplex Sacerdos, hoc sacramentum ministrare.

D IN hac quæstione prima sententia est *Durandi in 4. distinct. 7. quæst. 3. & 4. & ibidem* 1 *Bonauenturæ.* Asserentium, non posse hoc fieri. Secunda sententia est *Summæ Angelicæ, verbo consecrationis sacramentum, & Glossæ in cap. manus, de consecrat. distinct.* 5. Asserentium, ex licentia Pontificis, non solum Sacerdotem, sed etiam quemlibet Clericum inferiorem posse conferre hoc sacramẽtũ. Fundamẽta vtriusque sententiæ postea adducemus.

His tamen non obstantibus sit cõclusio. Potest 2 Summus Pontifex concedere facultatem

simplici Sacerdoti ministrandi Sacramentum Confirmationis valide. Ita tenent *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 72. *art.* 11. *in solutione ad primum*, & *in* 4. *dist.* 7. & *Scholastici ibidem*, & *Summistæ verbo, confirmatio.* Probatur primò, ex *Diuo Gregorio lib.* 3. *epistolarum cap.* 26. & *refertur in capit. peruenit* 95. *distinctione.* Nam cum referretur Pötifici, quosdam presbyteros in insula Sardiniæ solere confirmare baptizatos, tale officium eis prohibuit, & cum ex tali prohibitione in populo nasceretur scãdalum de plenitudine potestatis ait Pontifex: *Si omninò hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ergo hæc potestas potest cõcedi Sacerdotibus simplicibus.

B

3 Ad hoc tamen testimonium respondet quidam Gregorium in eo facto errasse, vt priuatũ hominem: sed hæc responsio falsa est, neque enim credendum est virum, ita doctum, & sanctum in re tam graui, & ptopofita toti prouinciæ errasse. Alij respondent Gregorium permisisse illam consuetudinem prauam obsedandum scandalum. Sed hoc falsum est, non enim dicit Pontifex permittimus, sed concedimus, vnde significatur rem esse bonam administrationem prædicti sacramenti. Alij respondent tunc omnes Sacerdotes fuisse Episcopos, & ita potuisse illis dare potestatem cõfirmandi, sed hoc etiam verum non est, quia ibi Pontifex distinguit presbyteros ab Episcopis, tùm etiam quia si omnes essent Episcopi immerito Pontifex prohibuisset illis confirmationis ministerium, quod tamen prohibuit. Et confirmatur hoc testimonium authoritate Concilij Florentini in Decreto Eugenij: nam postquam Concilium dixit solùm Episcopum posse confirmare, postea dicit, legitur tamẽ aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, & vrgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis Sacramentũ, vbi sine dubio alluditur ad factum Gregorij, & loquitur Pontifex de vnctione confirmationis, & non de alia vnctione. Alij respõdent, Gregorium constituisse eos Sacerdotes Episcopos, quoad actum confirmandi solùm. Verũ hoc falsum est, & ex se patet, quia tunc non ordinauit eos Episcopos, sed solùm extrinseca quadam deputatione, Sacerdotes sibi absentes tunc existentes, & pro tempore extituros dicauit ad conferendum Sacramentum Confirmationis, vnde hanc conclusionem putat esse de fide post *Florentinum Gregor. de Valentia, to.* 4. *disp.* 5 *quæst.* 2. *puncto* 1. Sed quia Concilium non definit sed refert factum, non credo hoc esse de fide. Ita *Suarez* 3. *to.* 3. *part. disp.* 36. *sect.* 2. *in fine.* Secundò probatur conclusio ex *Greg.* 3. qui dicitur eandem facultatẽ concessisse vt refert *Suarez disp.* 36. *sect.* 2.

Secunda conclusio: Non potest Summus Pontifex concedere facultatem alicui clerico, qui sit inferior Sacerdote ad conferẽdum hoc Sacramentum. Patet primò, quia inferior clericus nõ habet potestatem supra corpus Christi verum, & naturale: ergo neq; supra corpus mysticũ, quod est Ecclesia, ministrando ei sacramentum, quia potestas supra corpus mysti cum fundatur in potestate supra corpus Christi naturale, quod si laicus potest baptizare, quod est quoddam genus potestatis supra corpus Christi mysticum, & tamen non potest cõsecrare hostiam, quia non habet potestatem in corpus Christi naturale, ex eo est, quia baptismus est magis necessarius quam confirmatio. Secundò probatur, quia non constat Ecclesiam dispensasse cum aliquo clerico, qui sit inferior Sacerdote, ergo non possumus dicere Ecclesiã habere ad hoc facultatem. Si alius quam Episcopus absque Papæ commissione cõfirmaret, sacramentum esset nullum *ex cap. manus de consecratione dist.* 5. & *cap. quanto de consuetudine.*

4 Pro maiori explicatione notandum est primò: validam esse hanc facultatem, etiam si Pontifex eam concesserit sine rationabili causa, atque ita notauit *Conine. to. de Sacramentis, quæst.* 72. *de Confirmatione art.* 11. Patet, quia hæc cõmissio non est dispensatio in lege diuina, quia hæc sine iusta causa inualide semper fit, sed est concessio alicuius potestatis similis ei, quam Pontifex concederet alicui ad absoluendum à reseruatis peccatis, quæ valida esset, etiam si ne causa, ne pœnitentes bona fide procedentes C damnarentur, si non essent absoluti. Imò vt optime notauit *Suarez tom.* 3. *disp.* 36. non cessare hanc facultatem mortuo Pontifice, qui eam concessit, quia est gratia talis concessio, & gratiæ nõ cessant mortuo concedẽte, neque etiam cessat talis facultas cessante ratione, quæ mouet Pontificem ad eam concedendam, quia neque dependet ab ea in fieri, neque in conseruari.

5 Secundò notandum est; Papam electum, & nondum consecratum Episcopum posse dare hanc facultatem simplici Sacerdoti, quia iste actus est iurisdictionis, & Pontifex tunc habet veram iurisdictionem, ipse tamen non posset confirmare, quia cõfirmatio pertinet ad characterem Episcopalem, qui tunc nõ possidetur. D

6 In fauorem tamen primæ sententiæ, & cõtra nos est primum argumentum, nam Concilium Florentinum requisiuit vt essentialiter necessarium ad essentiam Sacramentorum ministrum, sed solus Episcopus est minister Sacramenti Confirmationis ex Christi institutione, ergo Pontifex nequit concedere facultatem simplici Sacerdoti ad confirmandũ, quia sicut Ecclesia nequit mutare materiam, & formam Sacramentorum, ita etiam neque ministrum. Ad hoc argumentum respondetur, Ecclesiam

in hâc re procedere iuxtà institutionem Christi, credit enim Christum, ita instituisse hoc sacramentũ, vt Episcopus solus sit minister ordinarius, & simplex Sacerdos sit minister ex cõmissione Pontificis.

Secundum argumentum, aut collatio huius sacramenti requirit essentialiter characterem Episcopalem, aut non, si requirit, ergo non potest simplex Sacerdos ministrare hoc sacramentum, si autem non requirit istum characterem, ergo non solum Episcopus, sed etiam simplex Sacerdos est minister ordinarius. Ad hoc respõdetur, ministrare tãquam ministrum ordinariũ hoc sacramentum, requirere essentialiter characterem Episcopalem, ministrare vero illud ex cõmissione Põtificis, non requirere talẽ characterem.

8 Tertium argumentũ est in fauorem secundæ sententiæ, quia vt ait *Glossa in cap. manus de consecratione dist. 5.* Quilibet potest eleuari ex cõmissione Papæ ad illud sacramentũ cõferẽdũ, quod ipse habet in se, ergo Diaconus, & quilibet inferior Clericus cõfirmatus potest cõfirmare. Ad hoc respõdetur fundamentũ hoc esse falsum, quia aliàs simplex Sacerdos ex cõmissione Papæ posset ordinare Sacerdotes, & laic⁹ absolutus à peccatis posset absoluere ab eis; quod nõ est dicendũ. Et ratio quare hæc Glossa sit falsa, est ea, quia sacramentũ nõ ministratur ex vi alterius sacramenti similis, sed ex vi potestatis concessæ alicui, vnde Episcopus non confirmatus posset quidem confirmare ratione ordinis, & iurisdictionis Episcopalis.

9 Quæret aliquis primo, an sacramentum confirmationis collatũ ab Episcopo Hæretico, aut nominatim excõmunicato, & denuntiato sit validũ, & respondetur esse quidem validũ, ita indicauit, *Aug. lib. 2. cõtra litteras Petiliani. c. 104.* Et probatur quia Ecclesia cũ non possit auferre ab Episcopo consecrationem, nequit efficere, quod actus à sola consecratione pendentes inualidi sint, sed cõfirmatio dependet à sola consecratione, idest solo charactere Episcopali, ergo nequit Ecclesia impedire per suas censuras valorem cõfirmationis, & eadẽ est ratio de peccatis, nã sicut peccata etiã grauissima non tollunt characterẽ Episcopalẽ, sic etiã nõ possunt inualidare confirmationẽ, quæ ab illo depẽdet.

10 Contra hoc tamen videtur obstare, *Innocentius I. epist. 18. c. 3.* Vbi sic loquitur de Hæreticis, *Eis solũ baptisma ratũ esse permittimus;* Sed ratũ idẽ est, quod validũ, ergo confirmatio collata ab Hæreticis nõ est valida. Sed ad hoc respõdetur. Relictis alijs responsionibus, per illa verba solũ intelligere Pontificem, baptismũ posse licite, & valide ministrari ab Hæreticis, quia sacramentum hoc maxime necessarium est, alia verò sacramenta non posse licite ab eis conferri, neque recipi sine peccato. Vnde, qui confirmaretur ab Hæretico, sacramentum quidem reciperet, non tamen gratiam sacramẽti; si sciret eum esse Hæreticum. Hæc interpretatio communis est, *Glossa multis in locis super 1. q. 1.* Et colligitur ex *Innocentio loco citato.* Vbi ordinem collatum ab Episcopo Hæretico dicit non esse ratũ, qui tamen sine dubio est validus. Dicitur tamen non ratus, quia illicite recipitur, & quia nõ potest quis, tali ordine vti.

Secundum argumentum est ex *Eusebio Papa, epist. 3. circa finem*, Vbi loquens de Hæreticis, qui baptizati erant, & ad Ecclesiam conuertuntur, ait, *Per manus impositionem reconciliari præcipimus.* Vbi per manus impositionem sacramẽtum Confirmationis intelligitur. Nam de manus impositione ait Pontifex, *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est,* Vbi Hæretici baptizati, qui forsan erant confirmati ab Hæreticis, præcipiuntur de nouo cõfirmari, quasi prior confirmatio non esset valida, quia data erat ab Hæreticis. Ad hoc respondetur cum *Suarez loco citato sect. 3.* Papã per primam manus impositionẽ intelligere recõciliationem quandã, qua Hæretici reconciliabãtur Ecclesiæ, per secundã verò impositionẽ manus intelligitur sacramentum confirmationis, sunt enim diuersa capita, & sunt diuersæ responsiones Pontificis ad diuersas interrogationes, vnde non est mirum, si Pontifex in diuersis significationibus vsurpet hoc nomen impositionis manus. 11

Tertium argumẽtum est, quia antiqua Ecclesiæ consuetudo est, vt baptizati apud Hæreticos, cum conuertuntur, recipiantur ab Ecclesia per impositionem manus, sed hæc impositio est sacramentum Confirmationis, & datur illis, qui erant forte confirmati apud Hæreticos, ergo confirmatio collata ab Hæreticis non est valida. Ad hoc respondetur, per talem manus impositionem intelligi reconciliationem quandam, qua Hæretici reconciliabantur Ecclesiæ, per impositionẽ manus, & per vnctionẽ Chrismatis, quæ vt patet, *Ex Concilio Hispalensi 2. c. 7.* Distincta erat à sacramẽto Cõfirmationis, quia indistincte dabatur omnibus, qui fuerant Hæretici, siue fuerint confirmati, antequam inciderent in Hæresim ab Episcopis Catholicis, siue non. 12

Quæres secũdo, an Episcopus possit cõmittere huius sacramẽti administrationẽ simplici Sacerdoti, qui nõ sit Episcopus, quidã dixerunt, posse, sed cũ doctrina *Valentiæ disp. 5. q. 2. pũcto 1. pag. 654. & Soti in 4. dist. 7. q. vnica a. 11.* Dicẽdũ est, id nõ posse Episcopũ, sed hoc esse Papæ reseruatum, & à Deo cõcessum propter eminẽtiã suæ potestatis, ita tenet vsus Ecclesiæ, cõtrarium sensit *Ledesma in 4. sententiarum.* 13

Sed contra nostram resolutionem obijcias, primo, *Concilium Toletanum primũ,* Can. 20. vbi dicitur, *Presbyterũ Chrismare posse absente Episcopo,* & *Martinus Papa, Canone omni tempore de* 14

consecratione, distinct. 4. dicit, Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi forte ab Episcopo fuerit ei præceptum, & Innocentius primus Epist. 1. cap. 6 dicit, posse presbyterum manum imponere absente Episcopo. Sed respondetur Concilium Toletanum loqui de vnctione, quæ fit in baptismo, & etiam Martinum, quæ olim non licebat presbytero præsente Episcopo. Ad Innocentium respondetur, eum loqui de manuum impositione super Energumenos, vt ipse ibi declarat, quia vt patet ex eo loco, eam Episcopi sibi reseruabant.

QVÆSTIO XI.

Quæ sint requisita ad Confirmationem.

B

MODO loquimur de his, quæ requiruntur ad hoc sacramentum accidentaliter, & non essentialiter.

1 Dico primo. Non licet Episcopo confirmare extra Diœcesim suam, neque suos subditos, neque alienos sine licentia Episcopi illius loci. Probatur ex Concilio Tridentino, ses. 6. de reformatione, cap. 5. Declaratio enim Cardinalium explicat, hoc caput etiam intelligi de confirmatione. Ita intelligit, Conar. lib. 3. variar. cap. 20. num. 3. ad medium. Aliàs graue esset peccatum: propter quod peccatum non incurritur irregularitas, quia non habetur in iure, sed solum incurritur suspensio ab exercitio Pontificali, vt aduertit Suarez 3. t. 3 partis, disp. 38. sect. 2. Potest tamẽ Episcopus sine vlla pœna, aut culpa, dum in sua Diœcesi suos cõfirmat, alienos subditos ibi concurrentes confirmare, quia præsumendum est, id gratum futurum alieno Episcopo. Ita Palud. in 4. distinct. 7. quæst. 4. & Enriq. in Sum. de Confirm. cap. 6. Et probatur ratione, quia cum actus confirmandi non petat necessario iurisdictionem, facile præsumitur ratihabitio alieni Episcopi, atque etiam ita sentit, Caiet. in Sum. verbo, absolutio, cap. 1.

C

2 Secundo dicendum est, non requiri, quod Episcopus sit ieiunus, quando confirmat, neque quod confirmatus sit ieiunus, neque quod confirmatio detur in die festo, quia, licet contrarium consulatur, In cap. vt ieiuni, de consecrat. distinct. 5. Consuetudo tamen obtinuit, vt non requiratur ieiunium.

D

3 Tertio dicendum est, posse Episcopum confirmare tempore interdicti, quia confirmatio est complementum baptismi, & baptismus potest quolibet tempore conferri, vt habetur In cap. responso de sentent. excom. & probat Conar. in cap. alma mater a. p §. a. num. 7. Vnde licebit, tẽpore interdicti conficere Chrisma, quia sine eo non potest ministrari hoc sacramentum, ita Armilla & Syluest. verbo, olrũ, Præterea nõ licet vti veteri Chrismate in confirmatione, neque in baptismo, sub pœna peccati mortalis, vt patet ex Epist. 2. Fabian. Papæ supra allegata. Vnde in cap. siquis de alio, de consecrat. dist. 5. Tantum consecratur Chrisma Feria quinta hebdomadæ sanctæ, quod Chrisma semper intra Ecclesiam consecratur cum solemni ritu; cum tamen confirmatio etiam extra Ecclesiam conferatur, vt in domo Episcopi, ita Palud. in 4. dist. 7. q. 3. art. 3.

Circa quod aduertendum est, teneri Episcopum aliquoties ministrare hoc sacramentum, aliàs grauiter peccaret nimis illud differendo, quia est sacramentum magnæ vtilitatis, & bonus Pastor non solum tenetur applicare necessaria remedia, sed etiam vtilia suis ouibus, ita Syluest. verbo, confirmatio diuina, nu. 2. Et potest adhiberi hoc sacramẽtum quouis tẽpore anni: præceptum autem hoc imponitur Episcopis in Tridentino ses. 23. cap. 4. de reformatione, ibi, prima tonsura non initientur, qui confirmationem non susceperint. 4

Secundo aduertendum est, Episcopum reiterantem hoc sacramentum, quamuis peccet mortaliter, non tamen incurrere aliquam pœnam, nam in cap. dictum est, de consecrat. dist. 5. Vbi aliqua pœna imponitur circa hoc sacramentum, non est sermo de conferentibus illud, sed de recipientibus. 5

Tertio dicendum est cum Diuo Thoma 3 p. q. 72. art. 12. Conuenientes esse eas omnes ceremonias, quibus Ecclesia vtitur in hoc sacramento, & in alijs, quia regitur ab Spiritu Sancto, ita definitur, In Trident. ses. 7. can. 13. de sacramentis ingenere. Quæ omnes ceremoniæ pertinentes ad hoc sacramentum, possunt videri in Pontificali Romano. 6

QVÆSTIO XII.

Vtrùm post baptismum teneantur homines recipere hoc sacramentum.

PRIMA sententia asserit, baptizatos obligari præcepto diuino ad recipiendum hoc sacramentum Confirmationis, ita Scotus in 4. dist. 7. q. 2. Valdens. t. 2. de sacramentis, c. 115. Probatur primo, quia omnes fideles debent esse perfecti Christiani; sed confirmatio facit homines perfectè Christianos, vt dixit Vrbanus Papa epist. 1. c. 7. Ergo confirmatio cadit sub præcepto. Et confirmatur, quia hoc sacramentum est vtilissimum, ergo credendum est, Christum illud præcepisse. 1

Tertio confirmatur, quia omittere hoc sacramentum sæpius oblata occasione, est peccatũ mortale contemptus, ergo datur præceptum recipiendi hoc sacramentum. 2

Secunda sententia asserit, instante occasione profitendi fidem coram Tyranno esse homine obliga- 3

obligatum ad recipiendam confirmationem, ita *Durand. in 4. distinct. 7. q. 1. & Turrecrem. cap. 5. de consecrat. dist. 5.* Probatur, quia in illo periculo maxime indiget homo armis spiritualibus. sed per hoc sacramentum illa exhibentur, ergo tenetur homo in illo casu illud recipere.

Tertia sententia asserit, esse præceptũ Ecclesiasticum recipiendi hoc sacramentum, ita *Bonauent. in 4. dist. 7. q. 2. art. 3. Palud. q. 1.* Fundamentum est primo, *Ex Vrbano Papa loco citato, & ex Melchiade Papa* dicente, *Vincentibus necessaria sunt auxilia confirmationis.* Ex quibus locis deducitur præceptum Ecclesiasticum huius sacramenti.

3 Sit conclusio. Nõ est aliquod præceptum, neque diuinum, neque Ecclesiasticum recipiendi confirmationem, ita *D. Thom. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.* Probatur, quia hoc præceptum non constat ex tradirione Sanctorum Patrum, quia prædicti Pontifices allegati in tertia sentencia, nõ agũt de necessitate simpliciter, quæ efficit præceptum, sed de necessitate secundum quid, quæ indicat quandam vtilitatem. Præterea hoc præceptum, neque scriptura, neque Ecclesia imposuit illud, quia Ecclesia circa sacramenta tantũ solet determinare tempus, in quo debeant recipi, vt videmus in sacrameoto Eucharistiæ, & pœnitentiæ, sed circa hoc sacramentum nullũ tempus determinauit Ecclesia, in quo debeat recipi, ergo non est aliquod præceptum obligãs ad receptionem eius.

4 Vnde absolute, & simpliciter loquendo, neque erit peccatum mortale, neque veniale omittere hoc sacramentum, quia nullum extat præceptum de illo recipiendo, per accidens tamen poterit esse peccatum veniale omittere confirmationem, si censeatur esse aliqua prodigalitas in ea omittenda, vel nonnulla temeritas in aggrediendo sine illa pericula mortis, imo erit peccatum mortale si relinquatur confirmatio per contemptum, aut si quis eam relinqueret in articulo mortis quando haberet conscientiam peccati mortalis, & non posset recipere aliud sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritione posset saluari per hoc sacramentum, quia maxima temeritas videretur, remedium ita facile relinquere, & expectare contritionem, quæ valde difficilis est, & pec-

A catum esset mortale confirmationem omittere, cum quis aliàs crederet sibi imminere periculum deficiendi à fide.

5 Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur per solum baptismum esse hominem perfecte Christianum quoad substantiam, vnde quamuis deficiat confirmatio, solum deficit homini perfectio accidentalis, quæ non est simpliciter necessaria, & hoc tantum significãt Pontifices allegati, & Patres.

6 Ad secundum argumentum respondetur noluisse Christum hoc sacramentum præcipere, quamuis sit vtilissimum, quia eius vtilitas, & baptismo, & oratione, & alijs medijs suppleri potest.

7 Ad tertium respondetur, quod licet sæpius

B se offerat occasio recipiendi confirmationem, poterit tamen sine peccato, & contemptu omitti, sicut licet sæpius se offerat occasio ingrediendi Religionem, tamen non peccat, qui eam nõ ingreditur, ille enim solum dicitur vere omittere confirmationem ex contemptu, qui paruifacit confirmationem, ita *Nauarrus in Summa, capit. 22. de sacramento Confirmationis num. 9.*

8 Ad secundam sententiam respondetur, de se non esse peccatum omittere confirmationem, etiam instante necessitate moriendi pro Christo, quia non est aliquod præceptum circa hoc, & constantia ad moriendum potest comparari à Deo oratione, & alijs medijs, per accidens tamen reperietur ibi peccatum veniale prodigalitatis, quia omittitur medium ad defendendam

C fidem, & facile, & vtile.

9 Ad tertiam sententiam, iam patet solutio ex dictis, scilicet, nullum esse præceptum Ecclesiasticum de recipienda confirmatione, neque de tali præcepto, esse intelligenda decreta Vrbani, & Melchiadis, vt vidimus in ratione, qua probauimus nostram conclusionem. Nemo debet vllum ordinem suscipere, neque primam tonsuram ante confirmationem, *Ex Tridentino, sess. 23. cap. 1. de reformatione*, quamuis in hoc nõ cõmitteretur peccatum mortale, quia præceptum non imponitur pro re graui, sed pro quadam indecentia, ita *Sotus 4. distinct. 7. quæst. vnica, art. 8. propositione 3. Nauarrus in Enchiridio, cap. 22. num. 9. & Coninc. tomo de Sacramentis, q. 72. de Confirmatione articulo 8.*

D

TRACTATVS PRIMVS DE POENITENTIAE SACRAMENTO.



DE hac re, vtpote grauissima, & ad salutem omnino necessaria, ab Hæreticisq; diu, & multum oppugnata multi Catholici præclara nobis reliquere monumenta doctrinæ. Inter Sãctos Patres de Pœnitentiã scripserunt *Sanctus Cyprianus, in Sermone 5. de lapsis, & in lib. ad Nouatianum, Sãctus Ephrem in quodam libro de Pœnitentia, Ambros. in libris de Pœnitentia aduersus Nouatianos, Ioannes Chrysostomus in homilijs 12. de Pœnitentia, San. August. in lib. 50. homiliarum, homilia 27. & 50. Theodoretus in epitome Diuinorum decretorum.* Inter Doctores disputantes, contra Hæreticos de hac materia egregie meminerunt, *Thomas Vvaldensis, t. 1. de Sacramentis, cap. 135. Ioannes Echius in tribus libris de Pœnitentia, Ioannes Rofensis in refutatione articulorum Lutheri, Petrus Sotus de institutione Sacerdotum, Alfonsus à Castro in libris contra Hæreses, Ioannes Antonius Delfinus lib. 2. de Ecclesia, Hosius Cardinalis in confessione Polonica, cap. 44. & sequentibus, Andreas Vega, lib. 13. in Concilium Trid. Cardinalis Belarm. t. 2. lib. de Pœnitentia.* Ex Scholasticis vero nostris de Pœnitentia differuerunt. *Petrus Lõbardus, lib. 4. sententiarum à distinct. 14. vsque ad 22.* Et ibi communiter Scholastici, sed præcipue ibi. *D. Thomas, & 3. parte, quæst. 84. vsque ad finem totius summæ, Dominicus Sotus in 4. à dist. 14. ibidem Bonauentura, Scotus, & Durandus, &* ex recentioribus *Nuño tractatu de hac re, Suarez, t. 4. Conin. t. de Sacramentis, Reginaldus, t. 2. praxis Pœnitentialis lib. 28. & t. 1. per varios libros, Gregorius à Valencia, t. 4. Ex Summistis ediderunt varios tractatus, Syluester, Caietanus, Armilla, & alij* antiqui, & recentiores verbo absolutio, confessio, Pœnitentia, contritio, satisfactio, de hac re multa congessit *Gratian. in 7. distinctionibus de Pœnitentia,* Et multa sunt decreta de hac materia in Decretalibus titulo, de Pœnitentijs, & remissionibus, vbi iurisperiti multis modis insudarunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit pœnitentia in communi, & quotuplex.

DE Etymologia huius nominis multa Latini Authores, & Græci notarunt, secundũ quos pœnitentia nihil aliud est, quã quædã pœnæ tenentia, seu quidã dolor susceptus, seu detestatio quædã præteritæ culpæ, ita *Docuerunt August. lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 19. Isidorus lib. 3. Etymologiarum, capitulo vltimo, Basil. in oratione de fame, & siccitate,* Et hac ratione vsurpauit nomẽ hoc Poëta Latinus *Ausonius in illo Epigrãmate de pœnitentia his verbis. Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas, Nẽpe, vt pœniteat, sic Metanæa vocor;* Hinc *Ouidius lib. 1. de Ponto Pœnitet, ò si quid miserorũ creditur vlli, Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.* 1

Præterea nomen hoc pœnitentia accipitur pro pœna quadam assumpta à peccatore ad puniendum in se peccatum à se commissum; quæ acceptio placuit *Tertuliano in lib. de Pœnitentia, & S. Cypriano in sermone, 5. de lapsis,* dum asserit, *Pœnitentia crimine minor non sit, & D. Aug. Epistola 108. ad Seleucianam,* hæc verba proferenti, *Pœnitentia est bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes dimitte nobis debita nostra,* quod aperte satis probatur ex *Iob vltimo, cap. ex illis verbis, Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere,* & ex alijs verbis, *Matth. 11. & Lucæ 10. cap. si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent,* Ex quo sufficienter refellitur error Hæreticorum nostri temporis, qui pro viribus defendunt, pœnitentiæ nomen nihil aliud resonare, nisi nouam vitam, & resipiscen- 2

centiam, vt hâc ratione suum errorem tueantur, scilicet, non esse necessarium dolorem, neque aliquam animæ afflictionem ob peccatum cõmissum susceptam.

3 Vt ad secundam quæstionis partem gradũ faciamus. Primo certum sit, pœnitentiam in communi duplicem constitui, aliam priuatam, aliam publicam, publica illa est, in qua publice peragitur satisfactio peccatorum, priuata vero, qua occulte Deo offertur satisfactio, Pœnitentia autem publica, alia est solemnis, alia non solemnis, quod nomen solemne reperitur apud *Grat. de pœnitentia distinctione* 3. *Canone nihil prodest.* Sunt autem multæ differentiæ inter istas pœnitentias. Peimo, quia solemnis non solebat apponi nisi pro grauissimis criminibus, quæ totam ciuitatem conturbant, & B in proximis scandalum generant, ita iudicauit *Concilium tertium Carthag. Canone* 32. *Concilium Toletanum primum Canone* 2. Pœnitentia vero non solemnis non requirebat delicta ità grauia. Secundo, quia pœnitentia solemnis semel tantum concedebatur, non solemnis vero sæpius, constat hoc *Ex Origene Homilia* 15. *in Leuiticum, ex Amb. lib.* 2. *de pœnitentia, cap.* 10. Tertio, quia solemnis pœnitentia non poterat imponi Sacerdotibus, & susceptionem ordinum impediebat, vt patet *Ex Concilio Carthaginẽs.* 4. *Canone* 68. *ex Toletano primo, Canone* 2. Non solemnis autem huiusmodi conditiones minime requirebat. Quarto, quia solemnis pœnitentia non poterat imponi coniugatis sine consensu mutuo eorum, cum interdiceret con- C iugale cõmercium, atque à solo Episcopo imponebatur, quæ omnia pœnitentiæ nõ solemni minime conueniebant, quia hæc tum sine tali consensu coniugum imponebatur, tum etiam à presbytero assignari poterat, quorum primum, *Ex Concil. Arelaten. Canone* 21. secundum, *Ex Cõcilio Carthag. secundo, Canone* 4. Aperte constat. cuius puncti ampliorem disputationem desiderans legat *Bellarminum t.* 2. *lib.* 1. *de pœnitentia, cap.* 21.

4 Secundò certum sit, pœnitentiam duplicem esse, aliam, quæ virtus, aliam, quæ sacramentum dicitur. Pœnitentia virtus est quidã dolor de peccatis commissis cum proposito de D cætero non peccandi, pœnitentia vero sacramentum, vt patet *Ex distinctione* 3. *de pœnitentia*, Est quoddam sacramentum à Christo Domino, institutum ad delenda peccata commissa post baptismum, quod nomen pœnitentia, primo adaptatur pœnitentiæ virtuti, quia illa est pœna peccati commissi, secundo adaptatur idem nomen sacramenro pœnitentiæ, quia ista pœna seu dolor est pars quædam sacramenti confessionis, vt quæstione sequenti apparebit.

5 Pœnitentia virtus, & pœnitentia sacramentum in multis maxime conuenire solent, pri- A mo in nomine ipso, vt patet, secundo in eo, quia vtraque pœnitentia medicina quædam est saluberrima ad tollendum peccatum actuale, vt notauit. *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 84. *articulo* 2. *& quæst.* 85. *art.* 1. Tertio hæc duo conuenire solent, quia vtrumque est, secunda Tabula post naufragium, quo nomine appellant pœnitentiam multi Sancti Patres. *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 84. *art.* 6. *D. Hieronymus Epistola* 8. *ad Demetriadẽ. D. Ambros. ad virginem lapsam, cap.* 18. Quem modum appellandi pœnitentiam defendit *Concil. Trident. sessione* 6. *cap.* 14. Contra Hæreticos hanc metaphoram turpiter irridentes. Hęc metaphora optime exponitur à *Gabriele in* 4. *lib. sententiarum, distinctione* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. *dubitatione* 2. Duplex enim B naufragium, seu duplex ruina hominibus contigit. Aliud, quo omnes in Adam peccauerũt, & inde contraxere peccatum originale, ob quod filij iræ nascuntur, & ab isto naufragio prorsus liberantur per baptismi sacramentũ. Aliud naufragium cõtigit hominibus post susceptum baptismum, penes hoc quod gratiam medio baptismo receptam suis irretiti vitijs flagitiose perdiderunt, à quo dolendo naufragio liberantur homines per pœnitẽtiæ sacramentum, vnde fit baptismum iure optimo nũcupari, primã Tabulam post naufragium, pœnitentiam vero, secundam Tabulam post secundum naufragium.

In multis tamen hæc duo differunt inter se, 6 primo, quia pœnitentiæ sacramentum necessa- C rio requirit actus sensibiles, & externos, ex quibus constituitur, scilicet, confessionem vocalem pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis, at vero pœnitentia virtus in eo tantum actu interiori consistit, quo quis libere detestatur peccatum à se commissum, vt indicauit *D. Thom. quæst.* 84. *citata, articulo* 1. Secundò differunt, quia vt bene notauit *Mag in* 4. *distinctio.* 14. Pœnitentia sacramentum si recte suscipiatur, semper causat gratiam in anima, pœnitentia vero virtus non semper operatur gratiam in anima, sed aliquando tantum disponit ad eam. Tertio prædicta duo distinguntur, vt ostendit. *D. Thom. quæst.* 84. *citata, articulo* 7. D Ex eo quod pœnitentia virtus fuit necessaria in omni lege tam naturæ, quam in scripta, & gratiæ; in omni enim lege verum erat illud quod Christus dixit, *Lucæ* 3. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis* At vero pœnitentia sacramentum solum est necessaria tempore legis Euangelicæ, quia pro eo solum Christus huiusmodi pœnitentiam instituit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm pœnitentia sit sacramentum; & quæ sint partes essentiales eius.

IN præsenti quęstione prius sumimus exordium à pœnitentia sacrameto, quam à pœnitentia virtute, quia pœnitentia sacramentum se habet, vt totum respectu pœnitẽtiæ virtutis, includit enim illam tãquam partem suã, & ideo operæpretium duximus, disputationẽ totius prælibare, antequam partium disputationem suscipiamus.

1 Vt primo puncto quæstionis satisfaciamus, sit conclusio de fide. Pœnitẽtia est verum sacra
B mentum Ecclesiæ Euãgelicæ, ita definitur *In Concil. Constan. sessione 15.* Vbi dãnantur articuli Ioannis Hus, inter quos octauus, & nonus cõtinebant pœnitentiam non esse sacramentum; Hæc etiam veritas definita est. *In Cõcil. Florẽt. in Decreto Eugenij, quod est post vltimam sessionẽ;* & nouissime *In Trid. ses. 14. Canone 1.* his verbis, *si quis dixerit in Ecclesia Catholica pœnitentiã non esse vere, & proprie sacramẽtum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Et hæc doctrina sufficienter fuit expressa. *In cap. ad abolendum, de Hæreticis.* Roboratur præterea conclusio ratione. *Gregorij. 1. q. 1. Canone multi.* Quia sacramentum in aliqua
C celebratione consistit, cum res gesta ita fit, vt aliquid significatiue sancte accipiamus, quod sancte accipiendum est, at in pœnitentia, ita cõtingit, scilicet, rem illã, quæ fit tam à Sacerdote, quam à pœnitente aliquid sacrum, & sanctum esse, quod vel ex eo patet, quia pœnitens per ea, quæ præstat, quando accusatorẽ se præbet suorum delictorum, ostendit cor suum iam recessisse à peccatis, quod quidem instum, sanctumque est. Similiter dum Sacerdos profert absolutionis verba, ostendit Deum remittere peccata pœnitenti, ergo pœnitentia, quæ tot sacrata continet, verum sacramentum est.

2 Secundum nostræ quæstionis punctum solertiorem requirit indagineni, pro qua controuersiæ dissolutione varios hinc inde cõcertantes inuenies Doctores. Prima enim senten
D tia est eorum, qui dicunt, totam essentiam huius sacramenti, sitam esse in verbis absolutionis, directe, & primo loco: indirecte tamen, & secundo loco legitimam requirere confessionem peccatorum, supra quam vires suas exerceat absolutio peccatorum. Doctrinam hanc secuti sunt *Scotus in 4. distinct. 14. quæst. 4. maior, quæst. 2. Gabriel, ibidem, quæst. 2. in principio. Dionysius Cisterciensis in 4. distinctione 23. quæst. 2. art. 1.* Huius sententiæ fundamenta duo inueniuntur. Primum sit, quia tota essentia hu-

A ius sacramenti consistit in remissione peccatorum, sed huiusmodi remissionem sola operatur absolutio; & non confessio, aut contritio, neque satisfactio pœnitentis, sola ergo absolutio est sacramentum pœnitentiæ. Secundum fundamentum sit, quia solus Sacerdos est minister huius sacramenti, ergo ille solus efficit totam essentiam sacramenti, cumque Sacerdos solam absolutionem sacramentalem adhibeat, in ea tantum ratio sacramenti constituenda videtur.

Sotus in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 1. Contra- 3
riam prorsus secutus viam, iudicauit essentiã huius sacramenti, primo, & directe includere confessionem, & contritionem pœnitentis, secundario vero, & indirecte absolutionem sacerdotis. Ratio huius sententiæ ea potest excogitari, quia sacramentum hoc, sacramẽtũ est pœnitentiæ, pœnitentia autem non est actus Sacerdotis absoluentis, sed actus pœnitentis proferentis ex vero dolore peccata sua, ergo hoc sacramentum primario comprehendit actus pœnitentis.

Durandus vero in 4. distinct. 14. quæst. 3. Asse- 4
rit partes essentiales huius sacramenti esse solam confessionem, & absolutionem, nequaquã vero contritionem. Probat Durand. suam sententiam, quia hoc sacramentum est quid sensibile, sicut, & reliqua omnia sacramenta, vt patet ex tractatu de sacramẽtis in genere, quæst. 2. Vnde partes eius debent esse sensibiles, sed sola confessio, & absolutio sunt partes sensibiles sacramenti, & non contritio, quia contritio interius latet in corde, solaque confessio, & absolutio exterius resonãt in ore, ergo istæ tantum, & non absolutio, partes erunt essentiales huius sacramenti.

Hanc quæstionem magna ex parte consti- 5
tutã esse iudico in modo loquendi, nemo enim Catholicus inficiari poterit, ad recipiendam gratiam huius sacramenti, & vt illud fit, & requiri ex parte pœnitentis confessionem, & contritionem peccatorum, & ex parte Sacerdotis desiderari formã absolutionis. Quia tamen in re tam graui modus loquendi minime contemnendus est, ideo quæstionem hanc ad vnguem examinare, nemo superuacaneum iudicare debet.

Pro totius rei intelligentia notandum est, 6
sacramentum esse quoddam compositum artificiale, cuiusmodi est statua Petri, quare sicut in statua, & reperitur materia, ex qua effoemata est, scilicet, lignum, & reperitur forma, scilicet, figura ipsa, & imago Petri, ita pari modo philosophantes in sacramentis, reperiemus in illis materiam, verbi gratia, res ipsas, ex quibus conficiuntur, & formam, verbi gratia, verba ipsa, ex quibus constant, quare sacramentum pœnitentiæ, & constat materia, qui sunt actus pœnitentis, & forma, quæ sunt

verba absolutionis. Quærimus ergo, quid habeat locum partis essentialis in hoc sacramento.

7 Sit prima conclusio de fide, Sacramentum pœnitentiæ essentialiter constar ex materia, & forma; ita docent *D. Thom. 3. part. quæst. 84. art. 2. & 3. & ibidem Caietanus*, & reliqui Thomistæ. Probatur primo, ex *Concilio Florentino in Decreto Eugenij*, Vbi primo dicitur, *Sacramẽta tribus perfici, materia, forma, & ministro*. Et postea assignatur propria materia, & forma huius sacramenti. Secundo probatur *Ex Concilio Tridentino, sessione 14. cap. 3.* Vbi declarat materiam, & formam tanquam partes essentiales huius sacramenti, & asserit materiam esse contritionem, & confessionem, formam vero absolutionem, sitã in illis verbis, Ego te absoluo; in quibus locis prædicta Concilia sine dubio assignarunt partes essentiales huius sacramenti, sicut, & reliquorum sacramentorũ, aliàs diminutam nobis tradidissent doctrinã, neque explicassent veram rationem sacramẽtorum, quam intendebant.

8 Sit secunda conclusio: Partes essentiales huius sacramenti ex parte materiæ sunt contritio, & confessio, ita defendunt, *D. Thom. in 4. distinct. 16. quæst. 1. artic. 1. Guillelmus Parisiensis tractatu de pœnitentia, cap. 45.* Probatur primo conclusio ex *Concilio Florentino, & Tridentino*. Quæ locis citatis in prima conclusione, hanc veritatem sufficiẽter nobis explicarunt. Secundo probatur, quia illud est pars essentialis, sine quo non potest res aliqua consistere, sed sacramentum pœnitentiæ non potest consistere sine confessione, & contritione, ergo hæc duo sunt partes essentiales huius sacramẽti. Probatur minor primo quantum ad confessionem, quia hoc sacramentum est institutum per modum iudicij, sed in iudicio necessario, & essentialiter requiritur accusatio rei, & cognitio causæ, vt per se patet, & aperte docet *Tridentinũ, sessione 14. cap. 5.* Ergo in pœnitentiæ sacramẽto necessario requiritur confessio, quæ est accusatio, & medium ad hoc vt causa cognoscatur, & quia hoc sacramentum est institutum per modum iudicij interni, & sine strepitu iudicij, ac testium, ideo propria confessio peccatoris requiritur, & non alterius testimonium. Quia autem hæc confessio perficitur per absolutionem, dicitur materia. Secunda ratio in confirmationem huius partis desumitur, ex *D. Hieronymo supra illa verba Ecclesiastes 10. cap. Si momorderit serpens in silentio*: Verba Hieronym. hæc sunt, *Si quem Diabolus serpens occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, & noluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, ei prodesse nõ poterit, si enim erubescat ægrotus vulnus medico cõfiteri, quod ignorat medicina non curat.* Ex quibus verbis tale desumitur argumentum; In hoc sa-

A cramẽto Sacerdos absoluit pœnitentẽ à peccatis, & nõ à peccatis sibi ignotis, sed cognitis, & manifestatis exterius, quia absoluit more humano, & sensibili, at talia peccata non possunt manifestari nisi per cõfessionẽ verbis, vel alijs signis æquipollẽtibus factã, ergo cõfessio essentialiter est necessaria tãquã pars in hoc sacramẽto. De cõtritione etiã probatur hæc conclusio ex *Leone 10. in Bulla contra Lutheram, art. 15.* & ex *Catechismo Pij V.* Tum etiam confirmatur ratione. Primo, quia peccata non remittuntur nisi homini contrito, & auerso à peccatis, neque enim conueniens erat, vt Deus remitteret peccata homini nolenti ab eis recedere, ergo contritio est de essentia sacramenti pœnitentiæ. Confirmatur secundo, nam hoc iudiciũ B est primo, & per se institutum ad reconciliandum peccatorem cum Deo, atque ita intrinsece, & essentialiter est reconciliatiuum, quare accusatio, quæ in eo fit, debet etiam esse reconciliatiua, & essentialiter respicere iustificationem hominis cum Deo, sed talis accusatio, nõ potest habere vim iustificandi, nisi ex vero animi dolore procedat, iste ergo dolor essentialiter requiritur tanquam pars huius sacramenti pœnitentiæ.

Sit tertia conclusio. Etiam satisfactio operis, quæ consistit in operibus illis, quæ à confessario imponuntur in pœnam præteritorum peccatorum, quibus pœna temporalis relicta ex peccatis confessis remittitur, est pars sacramenti pœnitẽtiæ ex parte materiæ; Probatur C primo *Ex Concil. Trident. sessione 14. cap. 3.* his verbis, *Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.* Vbi Concilium non addidit illa verba quasi materia, quia existimauerit istos actus nõ esse verã materiã huius sacramẽti, sed quia non sunt res substantiales, deque prædicamento substantiæ, sicut materia baptismi est, v.g. aqua, & materia extremæ Vnctionis oleũ oliuarum. Roboratur præterea conclusio secundo, quia sicut ad integritatẽ iudicij in foro cõtentioso pertinet inflictio pœnæ Rei, ita ad integritatem pœnitẽtiæ quæ iudicium quoddam est, attinere debet satisfactio pœnæ impositæ à confessario. Tertio cõfirmare possumus doctrinam hanc ex eo, quod per satisfactio- D nẽ pœnæ remittitur peccatũ quantũ ad pœnã tẽporalẽ debitã, ergo per illã vere perficitur sacramẽtũ pœnitẽtiæ, quod est sacramentum remissionis, ergo satisfactio partibus materialibus pœnitentiæ iure optimo annumerãda est. 9

Hæc autẽ satisfactio non est pars essentialis huius sacramẽti, quod exinde aperte constat, 10 quia ante aduẽtũ satisfactionis peccata fuerũt remissa quãtũ ad culpã per sacramẽtũ pœnitẽtiæ, ergo hoc sacramẽtũ ante talẽ aduentũ vere fuit cõpletũ essentialiter; aliàs minime posset operari remissionẽ peccatorũ, satisfactio ergo

quæ postea subsequitur, inter partes essentiales pœnitentiæ numerari non debet, est tamē pars integralis, quia exornat, & perficit Sacramentum Pœnitentiæ, quod eleganter indicauit *Trident. loco citato*, in illis verbis de satisfactione prolatis. Differentiam hanc partiū essentialium, & integralium, si hominis naturam cōtempleris, manifeste reperies, vbi sunt quædam partes essentiales, sine quibus homo coalescere non potest, cuiusmodi sunt anima, & corpus; aliæ verò sunt partes integrales, sine quibus reperiri potest homo, non tamen omninò perfectus, & huiusmodi sunt manus, & pedes. Ad eum ergo modū in Sacramento Pœnitentiæ, & partes essentiales constituimus, sine quibus sacramentum consistere nullo modo potest, scilicet confessionem, & contritionem, & partes etiam integrales assignamus, sine quibus hoc sacramentum constare potest, non tamen ita perfectum ac cum illis, vt verbi gratia, satisfactionem operis.

11 Præter supra enumeratas partes Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad materiam attinet, aliæ partes impertinentes omninò erunt, quare superflue *Vega lib. 13. in Trident. cap. 16.* Addidit aliam distinctam partem huic sacramento, scilicet cessationem à peccatis, quia hæc necessariò includitur in contritione, vera quippe contritio, & cessationem continet ab antiquis peccatis, & verum propositum non peccandi de cætero. Et petulanter hæretici alias partes huic sacramento assignarunt, cum eas omnes aperte reijciat *Concil. Trident. Sessione 14. cap. 3. in principio.* Ex his patet solutio ad argumenta in oppositum. *Ad primum Scoti* respondetur remissionem peccatorum causari quidem à confessione, & contritione, & non fieri per solam absolutionem. Ad secundum concedimus solùm Sacerdotem esse ministrum huius sacramenti, neque enim pœnitēs dicitur sibi remittere peccata, negamus tamen ipsum tantùm Sacerdotem debere applicare omnes partes essentiales huius sacramenti. Huius exemplum simile cernimus in sacramento ordinationis, presbyteri, ibi enim pars essentialis, & materialis est contactus calicis cum vino, & patenę cum hostia, qui tamen contactus à suscipiente ordines adhibetur, & non ab Episcopo, qui minister est eius sacramenti. Actus namque prædicti pœnitentis, licèt secundùm se præcise, & solitarie considerati, non habeant vim remittēdi peccata ex opere operato, si tamen considerentur vt coniuncti formæ absolutionis, & eleuati per illam ad præfatum effectum, & vt ex institutione Christi subiacent clauibus Ecclesiæ, operantur remissionem peccatorum ex opere operato, minus tamen principaliter, quam absolutio confessoris, sicut minus principaliter operatur corpus, quā anima. Doctrina hæc peruia erit attente consideranti id, quod contingit in homine, in quo sunt quædam operationes spirituales, & insensibiles, ad quas nullo modo concurrit corpus, aliæ verò sunt operationes corporales, & sensibiles. Ad quas concurrit corpus, minus tamen principaliter, quam anima, per vim quandam actiuam, quam corpus recipit ab anima medio effectu formali, quem accipit corpus ab anima. Pari ergo ratione, effectus seu actus pœnitentis recipientes in se moraliter formam absolutionis, & vim spiritualem clauium in ea contentam, etiam operantur simul cum absolutione gratiam sacramentalem. Ita respondent secundo argumēto *D. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 6. & Suarez 4. tomo 3. p. disp. 18. sect. 2.* licet in alijs locis, in quibus *à Suarez citatur D. Thom.* id minime dicat, atque ita notarunt *Vazquez loquens de actu contritionis, tractatu de pœnitentia in principio, & Coninc. tomo. de Sacramētis disp. 4. de institutione pœnitentiæ, dub. 4.*

12 Et ex his facile intelligitur locus difficilis *D. Thom. 3. part. quæst. 84. art. 1. ad 3.* vbi asserit *dolorem de peccatis esse effectum confessionis, & absolutionis.* Non enim hæc ita sunt intelligenda, vt dolor de peccatis secundùm suam substantiam conceptus producatur à confessione, & absolutione: quia eo modo potius dolor de peccatis posset dici causa confessionis, & absolutionis, quia ex eo quod homo habeat verū dolorem de peccatis, prouenit eum confiteri, vt ea peccata deleantur, & prouenit Sacerdotem libenter ei impendere beneficium absolutionis. Verba ergo Diui Thomæ, tantùm nobis indicare volunt, dolorem de peccatis recipere quandam perfectionem accidentalem à confessione, & absolutione. A cōfessione quidem quia virtute confessionis fit signum sensibile, & manifestatur nobis sufficiēter. Ab absolutione verò, quia ex vi absolutionis recipit virtutē quandam sacramentalem infundendi gratiam ex opere operato, eo modo, quo explicuimus in solutione ad secundum: quam tamen virtutem non habebat natura sua ante institutionē Christi dolor de peccatis, vnde iste dolor temporibus legis naturalis, & scriptę eam vim nullatenus retinebat.

13 Rationi adductæ pro sententia Soti facile satisfit asserendo verum esse, hoc sacramentum dici Sacramentum Confessionis, & pœnitentiæ denominatione sumpta à materia, quia materia sacramēti notior nobis est, & familiarior quam forma, quemadmodum baptismus sumit denominationem à materia, & ita dicitur baptismus aquæ: propter hoc tamen absolutio nō est excludenda à constitutione essentiali Sacramēti Pœnitentiæ. Aliud enim est, id à quo nomen imponitur, aliud vero quod nomen ipsum significat. Vulgare exemplum est in lapide, qui dicitur à lædēdo pede, & tamen significat omnem lapidem etiam non lædentem pedem,

dem, & responderi potest secundò, etiam Sacramentum Pœnitentiæ, dici sacramentũ absolutionis.

14 Ad argumentum tertiæ sententiæ respondetur, contritionem ratione sui non esse sensibilẽ neque sensibus obijci: reddi tamen sensibilem, & manifestam sensibus ratione cõfessionis vocalis, atque hoc satis esse, ad hoc vt sit pars essentialis huius sacramenti, quod sensibile signum est.

15 Ex his tandem cõcluditur vera definitio huius sacramenti, quæ sub hac verborũ fere continetur. Est compositum morale seu artificiale constans ex actibus pœnitentis, & verbis Sacerdotis, institutum ad significandam, & conferendam gratiam remissiuam peccatorũ post baptismum commissorum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm peccata sint materia huius Sacramenti?

1 PRimò notandum est, in sacramentis duplicem materiã inueniri, aliam proximam, aliam remotam. Proxima est illa, supra quam immediatè cadit forma sacramẽtalis, remota verò materia est, supra quam non cadit immediatè forma, sed ex qua constat materia proxima. Verbi gratia, in baptismo materia proxima est ablutio baptizati, quia ablutioni proximè adiungitur forma illa verborum, Ego te baptizo, & materia remota est aqua, quia ex ea, & cum ea fit ablutio. Quærimus ergo, an peccata sint materia saltem remota Sacramenti Pœnitentiæ, quia de proxima nemini est ambigendi locus: quis enim negabit præfatos actus pœnitentis esse materiam proximam huius sacramenti, cùm ad illos proxime extendatur beneficium absolutionis?

2 Secundò notandum est, peccata nõn esse materiam, ex qua componitur Sacramentum Pœnitentiæ, sicut statua componitur ex ligno, neque enim res ita detestabilis, ac est peccatum componere potest rem ita sanctam, qualẽ est sacramentum, peccata ergo tantùm possunt esse materia circa quam operatur suum effectum pœnitentia. Exemplo res fiet manifesta, morbus namque non est materia, ex qua componitur medicamentum, dicitur tamẽ materia eius, quia circa illud versatur medicamentum expellendo illum à corpore.

3 Quibus suppositis, vt certa ab incertis separemus, statuimus vt primo certum, peccatum originale, quod omnes homines contrahunt in instanti suæ conceptionis propter præuaricationem nostri primi parentis Adæ, nõ esse materiam, quæ tollitur per pœnitentiam. Probatur, quia pœnitentia est quædam accusatio cul-

A pæ commissæ ex propria voluntate pœnitentis: at peccatum originale non committitur ex propria nostra voluntate, sed deriuatur ab Adamo, ergo illud non est materia pœnitentiæ. Secundò certum est, peccata actualia commissa ante baptismum, non esse materiam pœnitentiæ. Probatur, quia cum baptismus sit ianua aliorum Sacramentorum, ille, qui non est baptizatus non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ vt deleat peccata tunc commissa.

Sit conclusio. Quodlibet peccatum actuale hominis iam baptizati est materia huius Sacramenti Pœnitentiæ remota. 4 Probatur, quia hoc sacramentum est institutum ad delenda peccata, non ad delenda peccata commissa ante baptismum, ergo ad delenda peccata cõmissa post B baptismum. Hæc autem conclusio sic est intelligenda, quod peccata mortalia sunt materia necessaria, non quia sine illis non posset esse verum Sacramentum Pœnitentiæ, sed quia ex præcepto diuino debemus ea confiteri; peccata verò venialia non sunt materia necessaria; quia non habemus præceptum illa confitendi: sunt tamen materia sufficiens, quia supra illa sola potest sufficiẽter impendi absolutio: similiter peccata semel confessa sunt materia sufficiens pœnitentiæ, quia supra ea licitum est, & sanctum, impendere absolutionis beneficiũ, licet non sit necessarium ea explicare in confessione. Ita docet *Benedictus vndecimus in Extrauagãti prima, de priuilegijs*, quod vltimum ex consuetudine piorum hominum satis constat C in Ecclesia, illud tamen latius examinabimus infra.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm Pœnitentia sit vnum Sacramẽtum, & iterabile?

1 PRimò certum sit, pœnitentiam esse vnum sacramentum secũdùm speciem. Patet, quia Sacramentum Baptismi, ex eo est vnicum secundùm speciem, quia ordinatur ad regenerandos homines fideles eodem D modo, sed Pœnitẽtia est quoddam tribunal sacramentale, quod eodem modo ordinatur ad reconciliandos homines auersos à Deo post baptismum, ergo est vnum sacramentum secũdùm speciem.

2 Secundò certum sit, hoc sacramentum respectu eiusdem hominis, & eodẽ tempore collatum esse vnum in indiuiduo, licet plures homines simul absoluant eundem, quia illæ plures absolutiones materialiter tantùm sunt plures, & formaliter sunt vnica, & licèt eadem absolutio informet plures confessiones, quia illæ cõfessiones, tantùm materialiter erunt plures, licèt formaliter sint vna, quia significant vnicã

tantùm gratiam animæ. A Hæc autem doctrina vera est, quamuis hoc sacramentum constituatur ex diuersis partibus. Probatur, quia hoc sacramentum est quodam compositum artificiale, sicut reliqua, ergo potest componi ex diuersis partibus, quæ ordinentur ad eũdem effectum operandum, sicut domus quæ ex lapidibus, & lignis, & alijs rebus diuersis componitur, vnica est secundũ numerum, quia hæc omnia ad eundem finem ordinantur protegendi homines; neque obstat confessionem priorẽ esse absolutione, nam inter hæc sufficit simultas moralis, quæ penes hoc sufficienter inuenitur, quod adsit reus expectans sententiã absolutionis à Sacerdote, & virtualiter ei repræsentans suam confessionem, etiam multo ante præteritam. B Imò & satisfactio quam pœnitens post absolutionem peragit, etiam moraliter est coniuncta cum absolutione, per hoc quod satisfactio ex vi obligationis per absolutionem relictæ, mandatur executioni.

3 His ita statutis sit prima conclusio de fide, contra Nouatum hæreticum. Hoc sacramentũ potest reiterari, & repeti sæpius in eo, qui post Baptismum susceptum sæpius in peccata dilapsus est. Probatur primò, *ex Ioã. 20.* vbi Christus non pro vna vice tantùm, sed pro omnibus generaliter pronunciauit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Vbi Christus sine dubio locutus est de remissione efficienda virtute Sacramenti Pœnitentiæ. Secundò probatur ex traditione, & vsu Ecclesiæ, quæ pietatẽ sponsi sui imitata homini sæpius delinquenti sæpius C largitur beneficiũ absolutionis. Tertiò stabilitur conclusio ratione, quia homo baptizatus propter institutionẽ huius sacramẽti redditus est multo melioris cõditionis, quam antea erat, quia facilior ei via pate facta est ad suam salutem quærendã, sed homo per pœnitentiã virtutem sæpius repetitã, sæpius poterat à peccatis resurgere, ergo etiã per pœnitentiæ Sacramẽtum sæpius susceptũ sæpius ei possunt peccata commissa condonari, alias si semel tantùm posset hoc sacramentum suscipi, parum esset eius conditio meliorata.

4 Ex eo autẽ Sacramentũ Baptismi repeti nõ potest, & Sacramentũ Pœnitentiæ reiterari post, quia baptismus institutus est à Christo D Domino per modũ generationis, & ad tollendũ peccatũ originale primariò, & per se, quia autem hominẽ bis generari nõ cõtingit, neque peccatũ originale semel ablatũ, iterũ illud, aut aliud simile contrahitur in animo, hinc fit, baptismum repeti nequaquã posse; pœnitẽtiæ autem sacramentũ, quia institutum est per modũ reconciliationis, & ad delendum peccatum tãtùm actuale ordinatur, ideò sæpius potest recipi ab eodem homine, quia homo sæpius potest reconciliari cum Deo, sicut & eius mandata transgredi, & peccata actualia, etiã si hodie remittãtur, crás possunt de nouo cõmitti.

Sit secunda conclusio. Etiã Sacramentũ Pœnitentiæ potest repeti, quãdo quis per obliuionem, vel per aliã iustam causam non aperuit in priori cõfessione aliqua peccata. Probatur primò ex vsu Ecclesiæ Catholicæ. Confirmatur secundò, quia ex præcepto tenetur quilibet fidelis omnia peccata sua lethalia subijcere clauibus Ecclesiæ directè, & suscipere absolutionẽ sacramentalem eorum directè, potest ergo, & debet Sacramentũ Pœnitentiæ repeti supra talia peccata, quia adest noua materia.

Prædictis tamen duo sese offerunt contraria argumẽta. Primũ desumitur ex *Grego. relato de pœnitentia dist. 3. can. pœnitentia,* hæc asserenti *pœnitentiã esse anteacta peccata flere, & flenda iterũ non cõmittere,* ergo pœnitentia iterabilis nõ est, *& in canone irrisor. de pœnitentia dist. 3.* sic dicitur: *Irrisor est, & nõ pœnitẽs, qui adhuc agit, quod pœnitet.* Ergo qui verè pœnitet nõ peccat, quare vera pœnitentia non iteratur. Sed in primis respondetur in his canonibus nõ esse sermonẽ de pœnitentia Sacramento, sed de pœnitentia vitute. Deinde respõdetur, primũ canonẽ esse intelligendũ, ita vt verus pœnitens habêre debeat firmũ propositũ de cætero non peccandi, secundũ vero canonẽ id tantũ denotare, timeri aliquo modo posse, non verè doluisse de peccatis eũ, qui statim in eadẽ peccata prolabitur. 6

Secundum argumentum ministrauit nobis *Ambros. lib. de pœnitent.* Vbi defendit pœnitentiã nõ esse iterabilẽ, sicut neq; baptismũ. Huic C tamen argumento *Sotus optime respondet in 4. dist. 14. q. 1. a. 10.* Verba Ambrosij esse intelligenda de pœnitentia solenni, de qua disseruimus in quæstio. 1. huius tractatus, quia hæc semel tantùm in vita imponebatur. 7

QVÆSTIO V.

Quomodo in hoc Sacramento assignẽtur res tantum, Sacramentum tantùm, res & Sacramentum simul.

PRo huius quæst. resolutione notandũ est. Primò secundũ cõmunem doctrinã Theologorũ in sacramentis tria distingui: rem tantũ, sacramentũ tantũ, rem & sacra- D mentũ simul. Quorũ fit exacta mentio in c. *hoc de consecrat. dist.* 2. Sacramentũ tantũ est quod significat, & non significatur, vt in Sacramẽto Baptismi ablutio est sacramentũ tantùm, quia significat interiorẽ ablutionem animæ à sordibus peccatorũ, & à nulla re significatur, res tãtũ est, quod significatur, & non significat, vt in Sacramẽto Baptismi ablutio animæ, quæ est iustificatio, & res tãtũ, quia significatur per ablutionẽ corporis, & ipsa nihil vltra significat, res & sacramentũ simul est character baptismalis, qui significatur per ablutionẽ corporis, & rursus 8

sus significat ablutionē animæ; quæ omnia in alijs sacramentis possunt etiam assignari.

2 Secundò notandum est, in hoc sacramento facile esse reperere sacramentum tantùm, & rem tantùm, est enim sacramentum tantùm, tùm confessio peccatorum, tùm absolutio, tùm ipsa satisfactio, quia significant remissionem peccatorum, & à nullo significantur, at verò res tantùm est ipsa remissio peccatorum, quæ quidē significatur per cōfessionē, & per alia, & ipsa nihil aliud significat, difficultas autem solùm est, quid sit in hoc sacramēto res, & sacramentum simul.

3 Et quidem communiter Theologi fatentur *cum D.Thom.3.part.quæst.84. art.1.ad tertium, & cum Magistro & alijs Scholasticis in 4 dist.22.* Rem & sacramentum simul esse interiorem animæ dolorem de peccatis, sed quia difficile est explicare, qua ratione hic dolor possit esse res tantùm, & sacramentum tantū, varij Auctores, varijs modis hanc difficultatem enodarūt, quos videre possumus apud *Suarez tomo 4.3. part.disp.18.sect.5.* Inter omnes tamen modos loquendi probatissimus est ille modus, quem explicat *D.Tho.3.p.quæst.86.art.6.* Nempe dolorem de peccatis esse sacramētum, quatenus significatum per confessionem, significat remissionem peccatorum; & esse rem sacramenti, quatenus vt iam supra vidimus in quæst. 3. Dolor de peccatis est effectus confessionis, & absolutionis, secundùm quandam perfectionē accidentalem, quia virtute earum recipit in se virtutem quandam moralem, per coniunctionem ad eas remittendi peccata, & infundendi gratiam, quæ responsio probabilissima est, defendendo rem sacramēti debere produci ab eo, quod est sacramentum tantùm, quod est probabile.

4 Si verò sequamur modum quendam facilē, & probabilē, scilicet non requiri ad hoc, quod aliquid sit res sacramēti, quod causetur per sacramentum ipsum, sed quod significetur per illud, neque esse necessarium, vt aliquid sit sacramentum, quod aliquid efficiat, sed quod aliquid significet, sic possumus dicere dolorem peccatorum esse rem sacramenti, quia significatur per confessionem, per quam redditur sensibilis, & sacramentum, quia media cōfessione, per quam redditur sensibilis, rursus significat remissionem peccatorum, quam etiā causat, vt pars essentialis sacramenti.

5 Est tamen notanda differentia, quædam huius sacramenti à reliquis, quod in reliquis res, & sacramentum simul, non est pars sacramenti, vt apparet in charactere baptismali, qui nō est pars sacramenti baptismi, sed effectus eius primarius: at contritio, quæ est in hoc sacramēto res, & sacramentum simul, est pars huius sacramenti, vt vidimus in quæst. 2.

6 Quæret tamen aliquis, an sit necessarium ad

A hibere aliquam aliam ceremoniam, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte ministri Ecclesiæ, præter actus pœnitentis assignatos, & formam absolutionis præscriptam, de qua postea dicimus, & respōdetur cū *Suar. disp. citata sect.* 6. Non esse necessariam ad essentiam sacramēti aliquam aliam ceremoniam præter dictas, imò neq; est alia ceremonia necessaria ex præcepto, ita vt eam relinquere sit peccatum mortale, imò tantùm veniale erit relinquere verba deprecatoria, quæ partim antecedunt, partim subsequuntur formam substantialem absolutionis, de quibus loquitur *Burchardus lib.18. sui decreti, & Concil. Trident. Sessio.14.capit.3.* Quia materia parua est, alias vero ceremonias relinquere nullum erit peccatum, quia non est

B aliquod præceptum in hoc, neque Ecclesiæ vsus vniuersalis id docet.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Christus dederit Apostolis, & Sacerdotibus potestatem absoluendi à peccatis?

MVLTI fuerunt hæretici, tam antiqui, quàm recentiores, qui hanc potestatem negarunt Ecclesiæ. Tum 1 quia negarunt esse tale sacramētum, tùm quia dixerunt esse fictitiam talem potestatē ad remittenda peccata, & eam non tam ex parte Sa-

C cerdotis esse (nam inquiunt valet absolutio etiamsi iocose fiat) quam ex parte pœnitentis, sed dicunt homini remitti peccata per hoc, quod credat sibi esse remissa peccata, vt refert *Rofensis ab art.3. vsque ad 15. Ruardus art.3. & sequentibus, Prateolus verbo Lutheraní, Bellarm. tom.2.lib.3.de Pœnitentia.*

Sit tamen prima conclusio de fide. Christus 2 Dominus reliquit pastoribus Ecclesiæ potestatem supernaturalē ad remittenda peccata post baptismum commissa. Ita definitur *in Concil. Constantiensi Sessione 8. & 15. & in Lateranensi in cap. firmiter. de summa Trinitate, in Florentino in Decreto Eugenij IIII. post vltimam Sessionem, & in Trident. Sessio.14.can.3.* Expresse definitur his verbis: *Si quis dixerit verba illa Domini saluatoris Accipite Spiritum sanctum, quorum remi-*

D *seritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, anathema sit.* Et probatur ex *Ioann.20.* vbi loquens Christus Apostolis, & eius successoribus ait: *Accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Neque valet, quod hæretici respondent ad 3 hoc, in hoc loco concessam esse à Christo potestatem prædicandi Euangelium, per quod communicatur fides audientibus, media qua libe-

liberantur à peccatis. Hoc enim falsum est, tũ *vt Concil. Trident. iudicat sessio.* 14. *cap.* 1. hoc est contra consensum omnium Sanctorum, tũ etiam ea ratione impropriè acciperetur verbũ remittendi peccata, tum etiam est *contra Conc. Trident. canone* 3. dicens: *Si quis dixerit verba illa: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem prædicandi Euangeliũ, anathema sit.* Neque valet dicere illud *Ioan.* 20 esse intelligendum de potestate ministrandi baptismum, per quem tolluntur peccata, hoc enim hæreticum est, & refutatur *à Conc. Trid. Sessiõ.* 14 *cap.* 1. vbi dicit, hanc potestatem esse ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, & patet *ex Chrysost. hom.* 85. *in Ioannem, August. serm.* 11. *de verbis Domini, Ambros. lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 7. Et alijs plurimis, & grauissimis Patribus, quos late allegat *Suar.* 4. *to. disp.* 16. *sect.* 1.

4 Hæc autem potestas exercetur per modum iudicij, vt patet ex illis verbis Christi remittẽdi, & retinendi peccata, ligandi, & absoluendi quibus potestas includitur iudiciaria, & patet *ex Concil. Trident. Sessione* 14. *can.* 9. Vbi definitur absolutionem sacramentalem Sacerdotis esse actum iudicialem.

5 Contra *Hugonem Victorinum in Summa sententiarum tract.* 5. *cap.* 11. *& Ricardum de Sancto Victore lib. de potestate ligandi, & soluẽdi cap.* 12. Asserentes per Sacramentum Pœnitentiæ solùm tolli pœnam æternam, debitam pro peccatis, non verò culpam ipsam, quod omninò falsum est, sequens stabilitur conclusio.

6 Sit secunda conclusio. Per hoc sacramentũ tollitur simul cum pœna æterna ipsa culpa, oppositum est error in fide. Ita communiter *Theologi in* 4. *dist.* 18. *& præcipue D. Tho. quæst.* 1. *art.* 3. *Sotus dicta distinctione quæst.* 3. *art.* 1. *Paludan. dist.* 19. *quæst.* 1. *Durandus ibidem, Scotus quæst.* 4. *Ricardus in* 4. *dist.* 16. *art.* 1. Et probatur conclusio, *ex Concil. Trident. Session.* 6. *cap.* 14. vbi dicitur: *Per hoc Sacramentum tolli culpam, & pœnam æternam.* Et probatur vnica, & efficaci ratione, nam dignitas pœnæ æternę est, quædam proprietas intrinsecè coniuncta cum culpa, & ab ea inseparabilis, simul ergo tollitur vtraque tùm per Sacramentum Confessionis, tùm per contritionem solam cum voto sacramenti.

7 Sit tertia conclusio, iuxta fidem, contra eos qui dicunt per contritionem tolli maculã peccati, & pœnam æternam sensus, non vero pœnam æternam damni, & hanc tolli per pœnitẽtiam (dicitur autem pœna æterna sensus cruciatus ille, quo homines torquentur in inferno, & pœna æterna damni est perpetua carentia diuinæ visionis) per Sacramentum pœnitentiæ simul cum culpa tollitur pœna æterna sensus, & pœna æterna damni, & per contritionem etiam hæc omnia tolluntur. Primum de hoc Sacramẽto probatur, *Ex Trident. loco citato.* Quia de fide est, & tota conclusio probatur tum ratione facta pro secunda conclusione, tum alia etiam efficaci. Nam tam ille, qui habet veram contritionem, quam ille qui digne recipit Sacramentum pœnitentiæ, cõstituitur filius Dei per gratiam, quam recipit, & hæres vitæ æternæ, ergo dignus qui careat morte, & pœna æterna, tam pœna sensus quam pœna damni.

Obijcies tamen contra hæc aliqua argumenta. Primum est desumptum ex modo loquendi Sanctorum Patrum, quod est contra illud, *Ioannis* 20. Quorum remiseritis peccata, &c. vbi denotatur simul Sacerdotem *in terris*, & Deum *in cœlis* remittere peccata, sancti autem patres dicunt sententiam latam in terris à Sacerdote circa absolutionem peccatorum, præcedere sententiam, quæ datur in cœlis: Ad hoc tamen respondetur, simul Deum in Cœlis absoluere pœnitẽtem, & Sacerdotem in terris, post quã Deus tamen videt hominem esse absolutum, consideramus Deum simul cum Angelis suis approbare, absolutionem à se, & à Sacerdotibus datam, & in ordine ad hanc sententiam approbationis prior est sententia absolutionis Sacerdotis, ita respondet, *Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia Cap.* 9. 8

Secundum argumentum desumitur ex doctrina *D. Greg. Papæ homil.* 26. *super Euangelia.* Vbi ait prius Lazarum *Ioann.* 11. fuisse suscitatum à Domino, & postea esse traditum Discipulis, vt solueretur, & postea subditur: *Nos debemus per potestatem pastoralem absoluere eos, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.* Ergo ante absolutionem homo manet absolutus, & iustificatus, quare Sacerdos solùm potest declarare illum esse absolutum, & nõ absoluere eum à culpa potest. Ad hoc respondetur, ibi Gregorium per suscitantem gratiam non intelligere gratiam iustificãtem, sed auxilium gratiæ, quo homo disponitur ad hoc sacramentum, per attritionem, & veram confessionem, & ita dispositus recipit gratiam iustificantem per hoc sacramentum. Ita respondet *Vega lib.* 3. *super Concil. Trident. cap.* 34. *& Vazquez in manu scriptis de pœnitentia dubio* 1. *quæst.* 84. Vel respondetur solùm Deum vt Auctorem principalẽ gratiæ remittere peccata, & Sacerdotem, vt ministrum. Ita respondet *D. Tho.* 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *ad* 3. 9

Tertium argumentum est contra primam conclusionem sumptum ex *Hieron. super Matthæi cap.* 16. vbi ait: *Quod sicut legales Sacerdotes inter lepram, & lepram discernebant, lepram autẽ auferre non poterant, ita Euangelici Sacerdotes se gerant circa peccata.* Sed respondetur ibi Hieronymum 10

nymum velle, quod ficut Sacerdotes legis veteris non poterant pro fuo arbitrio folo, nifi juxta merita causæ indicare aliquam lepram effe magnam, vel parnã, ita etiam non poffunt Sacerdotes Euangelici pro fola fua voluntate indifpofitum abfoluere à peccatis, & difpofitum damnare.

QVÆSTIO VI.

Quæ fit forma huius Sacramenti.

QVIA Sacramenta omnia, vt conftat *ex Concilio Florentino*, tribus conftant, materia, forma, & miniftro, iam quod difputauimus de materia Sacramenti pœnitentiæ, modo reftat difputare de forma.

In qua difputatione funt variæ fententiæ. Prima afferit, hanc formam vfitatam in Ecclefia, Ego te abfoluo à peccatis tuis, nõ effe valde propriam, fiue fignificet abfolutionẽ à culpa, fiue à pœna, tùm quia culpa nihil aliud eft quam priuatio rectitudinis, & legis æternæ, & nihil eft, vnde non ligat, tùm quia pœna peccatorum, donec infligatur, nihil eft, & non legat vllo modo. Secunda fententia eft ea, quam refert *D. Thom. opufculo fecundo, & Scotus etiam refert in 4. dift. 14. quæft. 1. art. 3.* Quæ quidem afferit, hanc formam debere effe in modo deprecatiuo, dicendo, Deus te abfoluat, & nõ mo do indicatino, dicendo Ego te abfoluo. Probatur dupliciter. Primò, quia neque Chriftum conftat inftituiffe hanc formam, neque Ecclefia femper ea vtitur, quia aliquando vtitur forma deprecatiua, vt in completorio; & in prima. Secundò probatur *ex canone, multiplex de pœnitentia dift. 1.* vbi loquens Leo Papa de hoc Sacramento ait, *Indulgentia Dei nifi fupplicationibus nequit obtineri*, ergo talis forma deprecatiua eft. Et confirmatur, quia forma Extremæ-vnctionis datur modo deprecatiuo, indulgeat tibi Deus, &c. ergo & forma pœnitentiæ eodẽ modo adhiberi poteft.

Tertia fententia eft *Magift. in 4. dift. 18. Alexandri, 4. part. quæft. 80. membro 1. Bonauentura eadem dift. 18. quæft. 1.* Afferẽtiũ hanc formam, Ego te abfoluo non effe bonam, quia homo nõ abfoluit à peccatis, fed folus Deus, patet *ex Ifaia 3.* vbi dicitur: *Ego folus deleo iniquitates, & peccata populi*. Secundo patet *ex Ambrofio lib. de Spiritu fancto, & habetur de Pœnitentia dift. 1. canone, verbum*, vbi dicitur: *Verbum Dei pœnitentia remittit, Sacerdos eft iudex, Sacerdos quidem fuum officium exhibet, & nullius poteftatis iura exercet.* Ergo Sacerdos non abfoluit, abfolue re enim poteftatis eft.

3 His fuppofitis fit prima conclufio. Hæc forma, Ego te abfoluo, optima & conuenientifsima eft. Ita tenet *D. Thom. opufculo 23. & 3. par. quæft. 84. art. 3. Scotus, Gabriel, Durandus, & reliqui in 4. dift. 14.* Et patet ex vfu, & traditione Ecclefiæ, & probatur *ex Concilio Florentino, fub Eugenio IIII.* Vbi dicitur formam huius facramenti effe verba illa, Ego te abfoluo, & *ex Concil. Trid. Seffio. 14. cap. 3.* vbi ait; *Sacramẽti pœnitentiæ formã, in qua præcipue eft eius vis, fitam effe in illis verbis Ego te abfoluo.* Et probatur, quia vt diximus fupra *ex Concil. Trident.* hoc facramentum eft inftitutum per modum iudicij, fed index non recte profert fententiam deprecãdo, fed foluendo, vel ligando per modum indicatiui, ergo Sacerdos, qui eft iudex in hoc facramento, debet in eo proferre fententiã per modum indicatiui, Ego te abfoluo.

Sit fecunda conclufio. In his folis verbis abfoluo te cõtinetur forma tota effentialis, & fubftantialis huius facramenti, & non requirũtur alia, Explicatur, & probatur conclufio. In primis illa verba, quæ præmitti folẽt, Mifereatur tui omnipotens Deus, &c. & auctoritate, & poteftate mihi à Chrifto conceffa, &c. non funt de effentia huius facramenti, quia *Concilia Florentinum, & Tridentinum*, aperte afferunt formam effe illa verba Sacerdotis, abfoluo te, &c. Vbi indicare videntur effe neceffaria aliqua verba, quæ fequũtur, nõ vero quæ antecedũt, hec autem verba, mifereatur tui, &c. folent prę mitti orando Deum, ne peccata pœnitentis impediant effectũ gratiæ, qua ratione etiam præmittitur abfolutio à cenfuris, ne cenfura impediat facramentalem gratiã. Secundò illud pronomen, ego, non eft neceffarium, vt exprimatur in forma, nam fufficienter cõtinetur in verbo abfoluo, vnde cum à Cõcilijs indicatur effe neceffariũ debet intelligi expreffum in forma vel virtualirer cõtentũ in illa. Tertiò certũ eft *ex doctrina D. Thom. 3 part. quæft. 84. artic. 3. ad tertium*, quem cæteri Theologi fequuntur, in hoc facramento non effe neceffariam Inuocationem Trinitatis, ficut in baptifmo. tùm quia Chriftus in hac inftitutione folum dixit, quorum remiferitis peccata remittuntur eis, & in baptifmo dixit, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus fancti. Quartò inuocatio pafsionis Chrifti apud omnes cõftat quod non fit neceffaria. Quintò contra *Gabrielẽ in 4. dift. 14. quæft. 1. Maiorem dicta dift. & quæft.* Dicendũ eft in hac fecunda conclufione illa verba, à peccatis tuis nõ effe neceffaria in hac forma. Ita fentire videtur *D. Tho. art. 3. citato*, ita tenet *D. Antonin. 3. part. titulo 17. cap. 21. §. 1. Caietan. in Summa verbo abfolutio, Nauar. de pœnitentia dift. 6. cap. 1. in principio num. 9.* Et ratio eft, quia illa verba à peccatis tuis fatis includũtur in illis verbis, Ego te abfoluo fuppofita cõ feffione peccatorum, ergo non eft neceffariũ ea explicare.

Quidam tamen, inter quos eft *Pater Vazq. in materia de pœnitentia quæft. 84. D. Thom art. 3.* 5

dubio

dubio secundo. Asserunt non esse necessaria illa A
verba, à peccatis, quia sine illis potest esse sacra
mentum, at vero si Sacerdos ea addat cũ inten
tione perficiendi sacramẽtũ cum illis, esse sub
stantialia sacramento, & sine illis nõ perficit Sa
cramentũ Pœnitentiæ. Verum hoc semper mi
hi difficile visum est, & non existimo hoc pos-
se fieri, quia vt optime notarunt recẽtiores, es-
sentia, & substantia sacramentorũ non pendẽt
ex libero arbitrio ministri, sed ex significatio
ne perfecta verborum, qua posita non potest
minister suspendere effectum sacramentorum,
sed in illis verbis tantum absolutè est perfecta
significatio effectus huius Sacramenti Pœni-
tentiæ, scilicet, remissionis culparum, siquidẽ
cum illis solis etiam ex opposita sententia po-
test fieri sacramentum, ergo sequitur additis il B
lis verbis, à peccatis tuis, ea verba non esse de
substantia, sed ante illa produci effectũ sacra-
mentalem. Quod si Cõcilia citata dixerũt for
mam sitam esse in illis verbis, Absoluo te, &c.
in quo verbo, &c. denotarunt, illa verba à pec-
catis tuis, esse de necessitate formæ, hoc ex eo
fortassis contigit, vt insinuauit *Suarez 4. tom. 3.
p. disp. 19. sect. 1.* Quia noluerunt definire an
verba, quæ sequuntur sint de essentia, sed reli-
quere id sub opinionibus Theologorũ, ac si a-
pertius pronuntiarent, prædicta Concilia, for
mã sitã est in illis verbis, Ego te absoluo, & in
alijs, si quæ sunt alia verba. Confirmatur hæc so
5 lutio, quia in illo verbo Conciliorum, &c. alia
verba includuntur, quæ certum est non esse de
essentia formæ, vt in nomine Patris, & Filij, & C
Spiritus sancti, quia hæc solent addi à confessa
rijs. Cum ergo talia verba noluerint Concilia
esse de essentia formæ, quamuis addiderint il-
lud verbum, &c. neque etiam voluerunt illa
verba, à peccatis tuis esse de essentia.

6 Sit tertia conclusio. Ad valorem huius sacra
menti sufficiunt alia verba, quæ æquiualeant
his, Ego te absoluo (quamuis propter vniuer-
salem vsum Ecclesiæ, & propter doctrinã Con
ciliorum, peccatum existimemus esse venia-
le, prædicta verba etiam in alia verba transmu-
tare) erunt autem verba æquiualentia, si quis
proferat cum Scoto verba hæc imperatiui mo
di, absoluaris à peccatis, vel si quis cum Caieta.
pronũtiet, remitto tibi peccata, aut cum Soro,
remittuntur tibi peccata, & impendo tibi sa- D
cramentum absolutionis. Et etiam erit validũ
sacramentum, si quis dicat per modum impe-
randi, absoluatur Petrus, sicut dicitur, baptize
tur seruus Christi. In sensu autem formali, ita
sunt necessaria hæc verba, Absoluo te, vt si alia
proferantur verba, quæ diuersum omninò sen
sum reddant, nõ sit validum sacramentum. Ve
ritas hæc ex eo constat, quia vnum sacramen-
tum vnam tantũ debet habere formam conside
ratã secundum sensum formalem, & nõ plures,
sed sic est, quod Sacramentum Pœnitentiæ vni

A cum quidẽ est, & ex præfatis Concilijs liquet,
hac forma verborum gaudere, Ego te absoluo,
alia ergo verba, quæ diuersum substantialiter
sensum reddant, à ratione formæ huius sacra-
menti procul amandanda sunt.

Ex his operosum non erit argumenta in cõ
trarium proposita dissoluere. Ad primam sen- 7
tentiam dicimus, peccata tam ratione culpæ,
quàm ratione obligationis ad pœnã posse mo-
rali modo loquendi appellari vincula, meta-
phora satis vsitata, vt *Prouerbior. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorũ
suorum constringitur.*

Ad primum argumentum secundæ senten- 8
tiæ respondetur, ex traditione Ecclesiæ nobis
liquido constare, hanc formam debere esse per
B modum indicatiui, Ecclesia enim nũquam vti-
tur in Pœnitentiæ Sacramẽto ministrando, for
ma aliqua deprecatiua, in officio vero primæ,
& completorij non conficitur Sacramentum
Pœnitẽtiæ, neque alicui remittitur peccatum
ex opere operato, sed tantum Ecclesia à Deo
obnixe deprecatur remissionem peccatorum.
Ad secundum *ex canone multiplex citato.* Res
pondetur primò cum *D. Thom. quæst. 84. art. 3.
ad secundum*, ibi non esse sermonem de forma
substantiali huius sacramenti, sed de illis ver-
bis deprecatiuis, quæ præmittere solemus ab-
solutioni sacramentali, dum dicimus, Miserea-
tur tui, &c. Tùm etiam secundò respondetur
ibi absolutionem sacramẽtalem appellari sup-
plicationẽ, quia à Deo impetrat remissionem
C peccatorum, quemadmodum & oratio eandẽ
à Deo impetrare solet. Est tamẽ inter hæc duo
latissimum discrimen, nam oratio iusti impe-
trat veniam peccatoribus de congruo, & mini
me infallibiliter, sacramentum verò pœnitẽtiæ
impetrat eandem veniam ex opere operato, &
infallibiliter. Vltimum vero argumentum fa-
cile soluimus asserentes, Extremã vnctionem
exhiberi quidem modo deprecatiuo ex tradi-
tione Ecclesiæ, & quia ita indicauit *Iacobus in
sua epist. Canon. c. 5.* sub illis verbis, *& orẽt super
eum.* Tùm etiã, quia effectus Extremævnctio-
nis est sanitas corporis, quæ non semper datur
per hoc sacramẽtũ, at vero effectus pœniten-
tiæ infallibiliter semper datur, & ex traditio-
ne Ecclesiæ, & ex verbis *Christi Ioan. 20. quorũ
D remiseritis, &c.* Patet debere esse formã per mo
dum indicatiui in Sacramẽto Pœnitentiæ. Ad
primũ tertiæ sententiæ respondetur Deũ solũ
absoluere tanquã causam principalẽ, sed Sacer
dotẽ etiã absoluere vt ministrũ Dei. Ad secũdũ
argumẽtũ desumptũ ex canone verbũ, vbi dici
tur, quod Sacerdos nullius potestatis iura exer
cet, respõdetur eodem modo quo respõdimus
ad primũ argumẽtũ illius tertiæ sentẽtiæ: po-
testas enim ministerialis, & à Deo accepta ibidẽ
cõceditur Ecclesiæ, dũ dicitur: *Quod Ecclesiæ v-
trumque ius ligandi & soluendi Dominus cõcessit.*

Quæst.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm aliqua conditio possit apponi formæ huius Sacramenti?

1 IN primis in hac quæst. certum est secundū Doctores: sine rationabili causa non debere apponi conditionem aliquam in hoc sacramento, sicut neque in alijs, quia effectus sacramentorum certus esse debet, quoad fieri pōtest, ergo non est adhibenda cōditio, ne in dubium vocetur: difficultas verò est, cum quā conditione possit esse validum sacramentum.

2 Pro quā difficultate notandum est, triplicē esse posse conditionem, vnam de præsenti aliā de præterito, aliam de futuro. De præsenti, vt si dicatur, absoluo te si verè promittis restituere, de præterito, vt si non es absolutus, ego te absoluo, de futuro, vt ego te absoluo, si cras restitueris.

3 Si absolutio sit sub conditionibus de præsenti vel de præterito, tunc si conditio non est impleta non valet absolutio, si autem est impleta, valet absolutio. Ita communiter Doctores *Caietan. in summa verbo absolutio, Vazquez in manu scriptis, & Suarez tom. 3. tertiæ partis disp. 13. sectione 3.* Patet, quia si non est impleta conditio, non habet quis voluntatem absoluendi, & si est impleta, habet voluntatem absoluendi, ergo re vera absoluit. Maior difficultas est, quādo conditio est de futuro, prō qua rursus notādum est, multiplices cōditiones posse apponi de futuro. Primò illas quæ pertineant aliquo modo ad sacramentum, vt, absoluo te, si cras habueris veram dispositionem, & attritionem & si cras feceris debitam satisfactionem peccatorum. Secundò possunt apponi aliæ conditiones aliarum rerum, quæ nullo modo pertineāt ad sacramentum, vt absoluo te, si imperator venerit cras, &c. De his secundis conditionibus dicendum est cum *Vazquez loco citato*, non reddere inualidum sacramentum, sed eodem modo valere, ac si non apponerentur, & ratio est quia non est credibile, Deum dedisse potestatē clauium Ecclesiæ sub his conditionibus, tam parui momenti, ergo illæ conditiones habentur pro non adiectis, & absolutio, quæ sub illis daretur, esset absolutio, & haberet effectum.

4 Quando vero apponunrur aliæ conditiones priores de futuro, vt, absoluo te si restitueris, si satis feceris, &c. Cum communi sententia Doctorum dicendum est, tunc non esse validum sacramentum. Probatur efficaciter primò, quia sacramentum non fit in isto casu, quādo minister absoluit, quia tunc cum nondum sit impleta conditio, non habet minister intentionem absoluendi, sed postea impleta conditione: præterea, quando impletur conditio, iā non adest confessio, quæ est materia, neq; forma, quæ est absolutio, ergo nunquam fit sacramentum. Secundò probatur, quia cum hoc sacramentum adhibeatur per modum iudicij, & sentētiæ, debet fieri cognita causa, scilicet peccatis, & cognita dispositione pœnitentis, sed qui absoluit sub hac conditione de futuro, si restitueris, nescit an impleatur conditio, vel non neque scit dispositionem pœnitentis, quia communiter abest, ergo non potest hoc modo absoluere.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem?

AD salutem, vt optime notauit *D. Tho. 3. part. quæst. 84. art. 5.* necessariū est duplex: aliud, quod absolutè est necessarium, & est illud, quod in omnibus hominibus absolutè est necessarium, vt gratia Christi, & baptismus sunt necessaria omnibus hominibus, siue peccauerint, siue non peccauerint, aliud est necessarium ex suppositione, & est illud, quod solùm est necessarium aliquibus hominibus, & in aliquo casu, & hoc modo est necessarium Sacramentum Pœnitentiæ, quia solùm tenentur illud suscipere homines baptizati, qui commiserunt aliquod peccatum mortale post baptismum. 1

Rursus vt bene notauit *Vazquez super art. 5. quæst. 84. D. Thom.* necessariū est duplex, aliud necessitate medij, & est illud quod est mediū necessarium ad consequendum salutem, vt gratia Christi, & fides. Aliud est necessarium necessitate præcepti, & est illud quod est positum in præcepto ad obtinendam salutem, vt non furari, non occidere, & quidem in præsenti non disputamus de necessitate præcepti pœnitentiæ, quia de ea satis cōstanter postea agemus, sed de necessitate medij. 2

Sit prima conclusio. Sacramentum Pœnitētiæ ex Christi Domini nostri institutione medium est necessarium ad remissionem peccatorum, quæ post baptismum commissa sunt. Ita definitur *de pœnitentia dist. 1. canone neminem, & canone, agite pœnitentiam, & in duobus canonibus, quorū initium est, nō potest*, in primo enim sic dicitur: *Non pōtest quisquam à peccato iustificari nisi peccatum antefuerit confessus, & in canone secundo hæc continentur verba, non potest quis gratiam Dei cœlestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ cōfessionē, per donū baptismi salutaris.* Quæ verba secūdū *Glossam eius canonis*, hunc reddunt sensum, hominem prius debere mundari à peccato originali per baptismum, & à peccatis actualibus commissis post baptismum per Sacramentum Pœnitentiæ, antequā gratiæ cœlestis dono perfruatur, & 3

& hanc veritatem refert *Castro verbo, confessio, traditam fuisse à Sixto IIII. in quadam Extrauaganti contra Petrum de Osma*. Et probatur ratione D. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 5. quia ægroti non possunt sanari, nisi per aliquam medicinā salutis, at pœnitentiæ Sacramentum est medicina salutis, & vnica pro morbis peccatorum, ergo illud est medium necessarium ad salutē. Confirmatur secundò, quia baptismū esse medium necessarium ad salutem, colligitur aperte ex verbis *Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*, sed eodem modo loquitur Christus, *Ioannis 20.* in illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ergo ex his verbis eodem modo colligitur Sacramentum Pœnitentiæ esse medium necessarium ad salutem. Vltimò confirmatur, quia illud est medium necessarium ad salutem, quod operatur primam gratiam, vel perseuerantiam in gratia, sed Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, cum sit sacramentū mortuorum, ad causandam primam gratiam in lapsis post baptismum, ergo est medium necessariū ad salutem: circa quod punctum vide infra tractatum primum de Eucharistia, q. 4. n. 12.

4 Secunda conclusio. Sacramentum Pœnitentiæ est medium necessarium ad salutem, vel in re susceptum, vel in voto eius, quæ est contritio inclusum. Hanc conclusionem communiter tuētur Theologi cum *Magistro in 4. dist. 17. & D. Thom. ibidem*, & definita est *in Concil. Tridentino Sessione 6. cap. 14*. Et confirmatur, quia veræ contritioni promissa est remissio peccati apud Deum, secundum illud *Ezechielis 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij? dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? & in eodem capite versu 31.* exclamat Idem Propheta nomine Dei sic: *Et quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite*. Cum ergo homo non potest confiteri peccata, per solam contritionem remittuntur, & hæc doctrina vera est, loquēdo in vniuersum, nam in particulari aliquando hoc sacramentum est necessarium in voto determinate, & aliquando erit necessarium in re determinate. In voto est omninò necessarium hoc sacramentum, quando quis est in extrema necessitate, & in articulo mortis, & non habet copiam confessoris. In re vero est necessarium, quando quis prius habēs solam attritionem, cum qua non potest iustificari, incidit in amentiā, quia iste cum non possit habēre contritionem, solùm potest iustificari recipiendo absolutionem sacramentalem.

5 Quæret vero aliquis, qua ratione dicatur sacramentum hoc in voto sanctificare? Ad quod varijs modis respondēt Auctores vt videre est apud *Suarez 4. tom. 3. part. disp. 17. sect. 3. & apud Vazquez in artic. 5. citato*. Pro vera respōsione notandum est, cum contritione, quæ est dolor pro peccatis propter Deum summè dilectum, semper coniungi desiderium quoddā, aut actuale, aut virtuale recipiendi hoc sacramētum, quod positum est in præcepto, & seruandi reliqua omnia præcepta. Secundò notandum contritionem esse de se sufficientem, ad hoc, vt homo à peccatis mundetur: quibus suppositis respondetur ad hoc dubium, ex eo dici Sacramentum Pœnitentiæ iustificare in voto, tùm generaliter quia includitur in vera contritione desiderium seruandi præceptum confessionis, sicut & desiderium seruandi reliqua omnia præcepta, qua ratione generali omnia præcepta possunt dici sanctificare in voto, quia contritio, quæ continet in se votum, seu desiderium seruandi omnia præcepta, verè iustificat hominem; alia tamen præterea ratione magis propria, & speciali dici Sacramentum Pœnitētiæ sanctificare in voto, quia cum quis per contritionem iustificatur, & emundatur à peccatis, id cōtingit cum ordine ad claues Ecclesiæ, ita vt maneat obligatus ad talia peccata confitenda, per quam confessionem recipiet nouam gratiam, quæ de se est remissiua peccatorum, hic autem specialis modus sanctificandi in voto non conuenit alijs præceptis, quæ obstringunt hominem baptizatū. Licet enim ille qui conteritur de peccatis, obligatus maneat ad ieiunandū, verbi gratia, ea tamen peccata non dicuntur deleri specialiter in ordine ad ieiunium, quia ieiunium non est operatiuū gratiæ remissiuæ peccatorum ex opere operato, sicut Sacramentum Confessionis.

Hinc vnū colligitur notatu dignum, scilicet in hoc sacramento necessitatem medij coniunctam esse cū necessitate præcepti, imò necessitatem præcepti oriri ex necessitate medij, ex eo enim quod hoc sacramētum institutum est à Deo tāquam medium necessarium ad salutē, prouenit, ipsum sub præcepto recipiendum esse, quilibet enim tenetur, executioni mandare media necessaria ad salutem. 6

QVÆSTIO IX.

An votum, seu desiderium huius Sacramenti debeat esse explicitum?

DVPLEX potest esse desiderium huius sacramenti, aliud explicitum, vt cum expresse recordatur quis huius sacramēti, & expresse vult illud recipere. Aliud potest esse desiderium implicitum, vt cum quis habet contritionem de peccatis, cum non potest confiteri ea, & tunc non recordatur Sacramenti Pœnitentiæ, neque appetit illud, est tamen in tali dispositione, quod si recordaretur eius, statim haberet animum illud recipiendi. 1

Quæri-

Quærimus ergo, an cum quis iustificatur per A contritionem, quia non habet copiam confessoris, satisfaciat habēdo votum implicitum Sacramenti Confessionis, an debeat habêre desiderium seu votum expressum eius.

2 In qua quæstione singularis est sententia *Cani in relectione de pœnitentia parte 5. post medium (& aliquo modo Bonauenturæ in 4. dist. 17. artic. 1. quæst. 4. Durand. quæst. 2.)* Asserentis simul cum contritione necessarium esse ad iustificationem desiderium expressum recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, cum se obtulerit occasio eius. Probatur primò *ex Concil. Trid. Sessio. 6. c. 14. dicente: Peccata quātum ad culpā, & pœnam remitti Sacramēto in re, vel in voto.* Sed votum est expressum desiderium, ergo requiritur expressum desideriū. Secundò probatur B *ex Concil. Complut.* vbi inter alios iste reijcitur error: *Scilicet quod peccata tollantur quantum ad culpam, & pœnam alterius vitæ sine ordine ad claues.* Sed si non maneat expressum desiderium recipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, non manet ordo ad claues Ecclesiæ, in ordine ad confessionem faciendam, per quam remittuntur peccata, ergo hæc sententia vera est. Tertiò cōfirmatur, quia schismaticus, & hæreticus non potest consequi remissionē peccatorum, nisi explicite proponat, reconciliari Ecclesiæ, ergo neque quis potest iustificari nisi cū expresso proposito recipiendi hoc Sacramētū. Quartò confirmatur, quia ille qui morte præuentus non potest baptizari, non potest iustificari nisi cum expresso desiderio recipiēdi baptismū, C cum possit, ergo qui nequit recipere Sacramētum Pœnitentiæ, non potest iustificari, nisi cū expresso desiderio recipiendi illud, cum primum possit, quando post susceptum baptismū grauiter deliquit.

3 Verumtamen sit conclusio. Sufficit votum implicitum, & virtuale recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod includitur in amore Dei super omnia, & in perfecta contritione. Hanc sententiam amplexi sunt grauissimi Doctores antiqui, & recentiores, *vt D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 5. quæstiuncula prima, D. Bonauentur. quæst. 4. art. 2. Sotus in 4. dist. 14. quæst. prima art. 5. Nauarr. in Summa capit. 1. num. 15. Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 17. sect. 3.* Probatur primò *ex Concil Trid. Sessio. 14. cap.* D *4.* vbi postquam definiuit Concil. iustificationem non esse adscribendam contritioni, sine Sacramenti voto, subdit Concil. loquendo de sacramēti voto, seu desiderio, *Quod in illa includitur*, supple. contritione, qui modus loquendi solùm conuenit ei, quod implicite, & virtualiter continetur in alio, non ei, quod formaliter, & expresse in illo reperitur, sentit ergo Concilium in prædictis verbis desiderium implicitum, seu virtuale huius Sacramenti in cōtritione inclusum potens esse ad operandam animæ sanctificationem. Cōfirmatur præterea conclusio, quia ad iustificationem animæ non requiritur expressum desiderium confessionis ex institutione, aut præcepto Christi, quia de tali re nullum habemus efficax testimoniū, neque etiam exigitur ex natura rei, quia contritio, si eius naturam attentis oculis circumspiciamus, eiusdem virtutis est modo tempore legis Euangelicæ, cuius fuit antea in veteri lege, quando non erat institutum Sacramentum Pœnitentiæ, sed tunc, sine desiderio expresso recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, contritio iustificabat homines, ergo etiā modo. Quod si aliquis respondeat hoc argumento etiam probari modo non sufficiare contritionem etiam ex desiderio implicito Sacramenti Pœnitentiæ, quia neque in veteri lege tale desiderium implicitum comprehendebat contritio, huic tamen difficultati facile satisfit ex eo, quod in veteri lege cum non extaret præceptum confessionis, non erat necessarium etiam implicite desiderium confitendi, at vero quia in lege Euangelica tale præceptum à Deo fuit institutum, ideò requiritur contritionem saltem implicite includere desiderium confitendi.

4 His positis restat facilis dissolutio argumentorum contrariæ sententiæ. Ad primum desumptum ex Concilio Tridentino respondemus, ibi per votum Sacramenti denotari desiderium recipiendi illud explicitum, vel implicitum. Ad secundum argumentum constatim ex authoritate Concilij Complutensis dicimus, ibi solum fuisse definitum necessariam esse confessionem peccatorum, etiamsi peccata verè remissa sint per contritionem, cum cōtritio in lege Euangelica solùm habeat virtutem remittendi peccata in ordine ad claues Ecclesiæ. Tertiò, verò argumento satisfacimus asserentes, merū schismaticum bene posse iustificari sine expresso desiderio vnionis Ecclesiæ, dummodo talis vnio ei non veniat in mentem, & dummodo in eo concurrant omnia alia necessaria ad iustificationem impij, hæreticum vero nullatenus posse iustificari, quin expresse credat, quidquid credit Ecclesia Catholica, & quin suum errorem expresse retractet, alias non esset ille hæreticus bene dispositus ad iustificationem. Ad veram autem sanctificatio nem per contritionem causatam non est necessarium expressum desiderium confessionis, vt ex supra dictis satis constat. Ad quartum respondetur bene posse aliquem per veram contritionem iustificari ante receptionem baptismi, absque expresso desiderio eius, & absque expressa fide baptismi, vt si de eo non cogitet, aut eius notitiam nullam vnquam habuerit, sufficit enim talis voluntas, & fides virtualis, vt si memoriæ occurrat necessitas baptismi,

debeat credere necessariam illum esse, & debeat illum ex vero corde desiderare, qua ratione Sancti Patres intelligendi sunt, dum asserunt necessariam esse fidem baptismi ad iustificationem adultorum, hoc enim intelligitur de fide expressa, quando memoriæ occurrit baptismus, vel de impressa, seu implicita, quando baptismus nullo modo venit in mentem.

QVÆSTIO X.

Vtrùm pœnitentia sit specialis virtus?

HINC incipimus disputare de pœnitentia virtute, de qua breuiter dicemus, quia pauca nobis sufficiunt, Theologi autem Scholastici, & Metaphysici nonnulli longissimam de hac re texunt disputationem.

1 In qua quæstione teste *D. Thom. in 4. dist. 14. quæst. prima, & teste Alexando 4. p. quæst. 54.* quidam existimarunt, pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed conditionem generalem omnium virtutum, quatenus qualibet virtus, quemadmodum necessariò sibi vêdicat gaudere de bono suo honesto, ita etiam necessariò exigit, detestari peccatum sibi oppositum, quod videtur esse obiectum pœnitentiæ.

2 *Scotus vero in 4. dist. 14. quæst. 2.* sentit, pœnitentiam esse virtutem iustitiæ vindicatiuæ, quatenus respicit hoc quod est, verè punire peccatum, *Sotus vero in 4. dist. 14. quæst. 2. artic. 2.* Defendit pœnitentiam esse specialem virtutem, in quantum respicit peccatum, vt est offensa Dei sub ratione emendabilis propter Dei amicitiam.

3 *Vazquez vero 3. part. super quæstionem 85. D. Thom. artic. secundo*, sentit pœnitentiam esse specialem virtutem, consistentem in eo, quod quis detestetur peccatum quatenus est contra Deum, ex complacentia sui, considerans peccatum vt malum sibi.

4 Pro quæstionis intelligentia notanda sunt tria. Primum est omnes habitus, seu virtutes esse distinguendas per actus, vt docet *D. Tho. 3. part. quæst. 85. art. 2.* Vt iustitia distinguitur à fortitudine, quia illa reddit debitum, hæc autem vincit pericula, quare eo ipso, quod assignemus actus aliquos bonos speciales, tenebimur assignare specialem virtutem, quæ circa eos versetur.

5 Secundò notandum est, virtutum duo esse genera, vnum quod detestatur tantùm peccatum aliquod particulare, & sibi oppositum, vt iustitia tantùm detestatur peccatum oppositũ iustitiæ, & temperantia peccatum intemperantiæ. At vero est aliud genus virtutis, quod omnia peccata detestatur omnibus virtutibus opposita, huius generis sunt tres virtutes, vt charitas, obedientia, & pœnitentia, est tamen inter has tres virtutes magna discriminis ratio, charitas namque detestatur peccatum, vt est cõtra Deũ summe bonũ, & summe dilectũ, vt docuit *D. Thom. loco citato.* Obedientia verò auertit à peccato, vt opponitur tale peccatum subiectioni debitæ superiori, & pœnitentia conuenit cum prædictis virtutibus, in quantũ detestatur quodlibet peccatum, distinguitur vero ab illis, quia speciali ratione, & motiuo respicit peccata, vt postea constabit.

6 Tertiò notandum est, pœnitentiam virtutẽ dupliciter considerari posse, vno modo large, & generaliter, & hac ratione dicitur pœnitentia actus charitatis, qui est contritio perfecta: imò secundùm hanc cõsiderationem etiam attritio peccatorum merito nuncupatur pœnitẽtia. Alio modo sumitur strictius pœnitentia pro alia speciali virtute, quæ neque contritionem, neque attritionẽ includit, & de hac procedit proposita disputatio.

7 Quibus suppositis sit prima conclusio certissima inter Catholicos. Pœnitẽtia est virtus, probatur *ex Baruch. 2.* dicente: *Anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curba, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriã, & iustitiam Domino & Secũda ad Corinth. 7. Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Probaturq; præterea conclusio verbis *Tertuliani su lib. de Pœnitentia,* vbi ita asserit, *Bonum est pœnitere an non? quid reuoluis? Deus præcepit, Deus hortatur, Deus inuitat, pœnitentiam inquit, agite, pœnitentia igitur actus virtutis est.*

8 Sit secunda conclusio. Pœnitẽtia est virtus specialis ab alijs virtutibus distincta, penes hoc, quod versatur circa peccatum, detestãdo illud, vt emẽdetur, & cõpensetur offensa Deo illata per peccatũ. Ita expresse sentit *D. Tho. 3. p. q. 85. a. 2. in corpore, & in solutione ad secundum & tertium.* Ob quam causam vnicã huiusmodi conclusioni libenter aquiescendum iudico, Mag. suum libenter in hac part. sequuntur Thomistæ, vt *Canus de pœnitent. relect. 2. Sotus in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. & alij.* Probatur primò, *ratione D. Tho. loco citato,* quia vbi reperitur specialis actus laudabilis, & bonus, respiciẽs scilicet aliquã specialẽ rationẽ boni formalem sub qua, ibi debet reperiri specialis aliqua virtus, quæ huiusmodi actum immediatè respiciat, habitus enim virtutũ, sicut & reliqui omnes habitus, specificationem suam desumunt, iuxta communem Philosophorum sententiã, ex actibus sub ratione formali consideratis, sed iste actus qui consistit in efficaci voluntate

te emendandi offensam Dei, & compensandi, seu reparandi iniuriam Deo illatam per peccatum, est specialis actus, si formaliter concipiatur, estque specialiter laudabilis, & honestus, & non potest ad aliam virtutem, nisi ad pœnitentiam pertinere, quia nulla est alia virtus, quæ huiusmodi cōsiderationem ve respiciat, pœnitētia ergo virtus est specialis. Confirmatur præterea alia ratione *Melchioris Cani loco citato*, quia velle compensare, seu resarcire, seu reparare iniuriā factam proximo, pertinet ad specialē virtutem erga proximum, ergo etiam velle compēsare iniuriam factam Deo, multo potiori iure pertinebit ad specialem virtutem, quæ sit pœnitentia.

9 Ex dictis inferimus, pœnitentiam, vt specialis virtutis rationem constituat, non detestari peccatum sub ea præcisa consideratione, quatenus est contra rectam rationem, & omninò dedecet naturam rationalem, quia alias non esset virtus supernaturalis, quia totū hoc obiectum si sistamus in ratione tantùm naturali, nō excedit limites naturæ, tùm quia ad hoc non est necessaria specialis virtus, cum quælibet virtus detestetur peccatum sibi oppositum, quatenus contrariatur rationi naturali. Neque etiam pœnitentiam detestari peccatum, quatenus est contra particularem virtutem, ad hoc enim quælibet virtus sufficientes habet vires, neque etiam pœnitentia odio prosequitur peccatum, quatenus est contra authoritatem, & honorem Dei, hoc enim odium non est denegandum virtuti religionis, cuius propriū est Deo honorem, & cultum tribuere. Neque etiam pœnitentia fugit peccatum quatenus malum Dei est, eique vehementer displicens; quia hæc fuga conuenit sane virtuti charitatis, quæ eo ipso, quod prosequitur bonum, vt bonum Dei est, eique complacens, fugit peccatum vt malum Dei est, eiq; displicens. Quin eo pœnitentia non respicit peccatum, quatenus priuat nos æterna gloria, & constituit nos Reos æternæ pœnæ, quia huiusmodi actus potius ad virtutem spei pertinere videtur, quam ad pęnitentiā, quia sicut spes sperat à Deo gloriam, ita odit peccatū priuans nos æterna gloria. Sextò pęnitentia minime auersatur peccatum, ex eo quod propter ipsum incurramus damna temporalia, vt infamiam, dedecus. &c. quia si hæc motiua, quæ mere naturalia sunt, tantùm respiceret, nullatenus virtutibus supernaturalibus annumerari mereretur. Hoc ergo præcise obiectū, & non aliquo dalliud respicit nostra virtus pœnitentiæ, scilicet dolere de peccatis, vt compenset, & reparet offensam Deo illatam per talia peccata, vt probatum manet in nostra secunda conclusione. Vnde falsam iudico sententiam *Coninc. tomo de Sacramentis disp. prima de pœnitentia dubio 4. asserentis numero 26.* Vt quis agat veram pœnitentiam sufficere, quod perfectè doleat de peccato, quatenus est contra particularem aliquam virtutem, aut quatenus est malum Dei, & ei displicens, aut quatenus propter ipsum incurrimus aliqua damna temporalia, iam enim cōstat ex dictis huiusmodi considerationes, & motiua non pertinere ad virtutem pœnitentię, & eodem modo refellitur id, quod indicat idem Auctor *num. 23. & 24.* actum proprium virtutis pœnitentię esse detestationem peccati, quatenus est contra authoritatem & honorem Dei, cuius vltimi dicti falsitas ex quæstione immediatè sequenti latius apparebit, & cōstat ex dictis in hoc §.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm pœnitentia sit distincta à iustitia, & ab alijs virtutibus?

1 DVRANDVS *in 4. dist. 14. quæst. 2.* existimauit pœnitentiam pertinere ad spectem Iustitiæ. Hæc tamen sententia falsa est, quia pœnitētia versatur circa Deū, vt vidimus quæst. præcedenti, vt recompenset iniuriam Deo factam per dolorem, & pęnam sibi infligendam, sed hominis ad Deum non est rigorosa iustitia, ergo virtus pęnitentiæ nō pertinet ad speciem iustitiæ. Quod autem hominis ad Deum non sit iustitia non bene probat *Coninc. tom. de Sacramentis disp. 1. de pœnitentia.* Ex eo, quod quidquid sumus Dei, sumus, & consequenter inter nos & Deum nō est sufficiens distinctio, qualis requiritur ad perfectam iustitiam. Distinctio enim inter nos & Deum intercedens, cum sit distinctio suppositorum, & multo maior, quam inter duos homines, quantum est ex præcisa consideratione distinctionis sufficiens constituit fundamētum ad veram iustitiam. Melius autem probatur assumptum (quāuis probatio hæc ad alias materias proprius attineat) ex eo, quod serui erga Dominum nulla est iustitia, id est nihil efficit seruus, quo Dominum suum constituat debitorem, quia quid quidhabet siue rei familiaris, siue industriæ, siue artis, siue operæ Domini est, sed nos omnes sumus serui respectu Dei, ergo non possumus erga illum exercere actum iustitiæ. Secundo probatur, quia si recompensare peccati Iniuriam factam Deo esset vera iustitia, & rigorosa, ergo peccata per quæ talis iniuria fit Deo, essent actus verè in iustitiæ, & peccata omnia essent contra rigorosam iustitiam, consequens autem omnino falsum est, alias enim aperte sequeretur, quodlibet peccatum, vt peccatum intemperātiæ, verbi gratia, habēre duplicem speciē malitiæ, aliam contra virtutem tēmperantiæ, aliam contra virtutem iustitiæ, quod nemo

concedere audebit, concludamus ergo virtutē pœnitentiæ non esse speciem iustitiæ, neque rigorosam iustitiam, sed tantùm esse iustitiam lato modo sumptam, quatenus continet in se aliquam æqualitatem communiter repertam in alijs virtutibus, quæ quidem pœnitentia in eo consistit, quod iniuriam Deo illatam per peccatum contendit recompensare ad æqualitatem pœnitens.

2 Alij defendunt, pœnitentiam esse iustitiam distributiuam, quia ad hanc pertinet reddere peccatis pœnam, quod videtur esse munus iustitiæ distributiuæ, sed doctrinam hanc admittere nullatenus possumus, tùm quia pœnitentia, vt iam vidimus, versatur erga Deum, nostri autem ad Deum nulla est propria iustitia, vt proxime probauimus contra Durandum, tùm etiam quia hæc est aperta differentia iuxta Philosophos morales, inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam, quod iustitia commutatiua respicit æqualitatē arithmeticam, quæ cōsistit in proportione vnius ad vnum. Vt si ego debeo Petro centum, ex iustitia commutatiua teneor soluere totidem centū, iustitia vero distributiua respicit æqualitatem geometricam, quæ cōsistit in proportione pluriū proportionum, vt cū dux in bello diuidit suis militibus spolia, ei cuius strenua decertatio mereretur decē, debet dare decem, quia ei qui meretur viginti, debet dare viginti, & ad eum modū seruāda est iustitia in puniēdo, nam punitiua iustitia, quæ habet vicem commutatiuæ, tantū respicit pœnam vni infligendam propter peccatum ab eo commissum, punitiua vero, quæ habet vicē distributiuæ, præcise respicit plures personas, & plures pœnas, ita vt, quemadmodum ille, qui peccauit vt vnum, punitur simplici pœna, ita etiam qui peccauit vt duo, duplici pœna puniatur. Pœnitentia vero, quia non seruat æqualitatem geometricam, sed potius arithmeticā, quia tantùm respicit suum peccatum, sibique imponendam pœnam, ideò ad iustitiam distributiuam pertinere non potest.

3 Alij Doctores tuentur, pœnitentiam esse iustitiam vindicatiuam, sed hoc verum esse non potest, quia duplex est vindicatiua iustitia ex communi resolutione Doctorum, alia existens in iudice vindicante delicta, alia existens in homine læso à suo proximo, qui petit à iudice vindictam iniuriæ sibi illatæ. In pœnitente autem qui contendit punire in se offensam Dei, non reperitur prima iustitia vindicatiua, quia ipse non punit in se veram iniustitiam factam Deo, cum respectu Dei, vt iam vidimus, non reperiatur in nobis aliqua iniustitia, propriū autem esse debet iustitiæ vindicatiuæ existentis in iudice, punire ea delicta quæ veram continent iniustitiam. Præterea pœnitentiæ non conuenit ratio secundæ vindicatiuæ iustitiæ, quia hanc, vt diximus solū reperiemus in homine læso, pœnitentia verò reperitur in lædente Deum, qui est peccator.

4 Tandem aliqui recentiores, quos sequitur *Conin. loco citato numero 25.* sentiunt pœnitentiam esse speciem religionis. Probatur primò, quia proprium est virtutis religionis Deum colere, sed per opera pœnitentiæ, vt per dolorem peccatorum, & per carnis macerationem, per gemitus, & suspiria vehementer colitur Deus, ergo pœnitentia ad religionē pertinet. Secundò probatur ratione *Conin. loco citato*, quia vt docet *D. Thom. secunda secundæ, quæst. 80. artic. 1.* religio est pars potentialis iustitiæ, generatim inclinans creaturam, vt Deo reddat, quod ei debitum est, pœnitentia autem inclinat creaturam, vt particulare debitum sub certa ratione consideratum reddat, resarciendo quantum fieri potest læsam æqualitatem, ergo pœnitentia debet esse species virtutis religionis. Verumtamen hæc recentiorum sententia placere mihi nunquā potuit quia licet Deus largo quodā modo dicatur coli omnibus bonis operibus, opera tamen religionis, quæ ad propriam, & rigorosam virtutē religionis pertinent, ea tantū sunt, quibus aliquam Dei excellētiā profitemur, vt adoratio, qua profitemur immensam Dei maiestatem, & supremam eius dominationem. Et oratio, qua confitemur infinitam Dei omnipotentiā, & liberalitatem, & votum, quo profitemur diuinam prouidentiam erga nostros etiam actus internos, & cordis latentes. Pœnitentia autem non potest esse virtus religionis, quia dum illam exercemus nullā Dei excellentiam profitemur, sed nostram miseriam deploramus. Tùm etiam, quia per pœnitentiæ opera tantùm colitur Deus lata quadam, & generali ratione, quatenus eius legibus, & voluntati conformia sunt, sicut colitur operibus omnium aliarum virtutum. Aut ergo pœnitentia ad virtutem religionis non pertinet, aut omnes virtutes nostræ ad species religionis propriè pertinent, & ita omnes erunt in duplici specie virtutis, quod nullus sane concedere debet. Neque adducta à recentioribus obstant. Non primum, quia licet operibus pœnitentiæ colatur Deus, solùm colitur generali modo, & non speciali, quare pœnitentia solùm est religio generaliter loquendo, non vero strictè & rigorose. Neque obstat secundum argumentū Conin. quia religio non respicit quomodocūque reddere Deo debitum, sed specialiter profitendo operibus aliquam diuinam excellētiā quod quia minime reperitur in virtute pœnitentiæ, ideò neque in illa reperitur propria, & stricta ratio religionis.

5 His ita præiactis sit prima conclusio. Pœnitētia est virtus distincta à reliquis omnibus. Cōclusio hæc aperte constat ex secūda conclusione præcedentis quæst. vbi eum D. Tho. probauimus

uimus pœnitentiam respicere quādam specialem rationem honestatis, quam non respiciũt reliquæ virtutes.

6 Secunda conclusio. Pœnitentia non est species iustitiæ, neque iustitia rigorosa, patet ex *D. Tho. 3. p. q. 85. a. 3.* asserente in corpore articuli *In pœnitentia non reperiri iustum simpliciter sed secundum quid, quale reperitur inter Patrem, & Filium, inter seruum & Dominum.* Inter quos certum est non reperiri iustitiam rigorosam, probatur præterea hæc conclusio rationibus in principio quæst. præiactis contra Durandũ.

7 Tertia conclusio. Pœnitētia est pars potestatiua iustitiæ, licet non sit pars subiectiua, vt cōstat ex secunda cōclusione, hæc est autem differentia inter partem subiectiuam iustitiæ, & inter partem potestatiuam eiusdē, quod pars subiectiua participat propriā, & rigorosam rationem iustitiæ, & est quædā species eius. Vt verbi gratia iustitia cōmutatiua, pars vero potestatiua ea est, quæ non participat rigorosam rationem iustitiæ, neque est species eius, sed tātum seruat quandam similitudinē iustitiæ, constituens aliquam æqualitatem in suo obiecto, qua ratione omnes virtutes sunt partes potestatiuæ iustitiæ, propter æqualitatē, quam seruant. Vt verbi gratia, temperantia assignat mediocritatem in cibo, & potu, quæ necessaria est ad bonam hominis valitudinem conseruandam, & fortitudinis virtus mouet hominē ad ea aggredienda pericula, quæ recta ratio dictat esse vincenda. Sed quod pœnitētia sit pars potestatiua iustitiæ, id est tantum sit lato modo iustitia, probatur primò, *ex Ezechi. cap. 18.* vbi sic dicitur: *Si autem impius egerit pœnitentiã & fecerit iudicium, & iustitiam.* Vbi aperte pœnitentia vocatur iustitia, quod cum non possit intelligi de iustitia propriè sumpta, intelligitur de iustitia large, & impropriè sumpta. Secundò probatur, *ex D. Tho. loco proxime citato.* Tertiò probatur ratione, quia vt aliquid sit pars potestatiua iustitiæ, & saltim largo modo iustitia, sufficit quod habeat aliquam similitudinem cum propria, & rigorosa iustitia, sed pœnitentia habet aliquam similitudinem cum rigorosa iustitia, quia tendit ad alterum, scilicet ad recompensandam iniuriam Deo, quod proprium est iustitiæ, & quia contēdit, quantum est de se, seruare æqualitatem inter offensam, & recompensationem, quod pertinet ad iustitiam, est ergo lato modo iustitia.

8 Sed argumenta contra hoc obijcies. Primũ est, quia *D. Tho. 2. 2. q. 80. a. 1.* dũ memorat species potestatiuas iustitiæ, non memorat pœnitentiam, ergo pœnitentia non est ex illis speciebus. Sed respondetur, quod ibi D. Tho. solũ memorat eas species, de quibus tunc erat disputaturus. Secundũ argumentũ est *ex D. Tho. secunda secundæ, quæst. 81. art. 1.* religionem dici a religendo, quia Deum amissum religimus, sed

A hoc fit pœnitentiā, ergo pœnitentia est religio. Ad hoc respondetur per virtutem religionis nos recuperare Deum vt amissum per actum, quo creatura conuersa est ad falsa simulacra, at per pœnitentiam recuperamus Deũ, vt amissum per quodlibet peccatum.

Tertium argumentum est *Caiet. super secundum articulum quæstionis 85. 3. part.* sic, quia virtus ita est bona, vt non supponat peccatum, at pœnitentia necessariò illud supponit, ergo non est virtus. Ad hoc respondetur nullam virtutem supponere peccatum, vt delectetur de illo, at vt deleat illud bene supponere, sicut datur aliqua herba bona, & magnæ virtutis, quę tamen deseruit ad medendū morbis corporis. 9

Quæret vero aliquis. Primò verum pœnitē- 10

B tia sit virtus Theologica. Et respondetur non esse quidē, quia virtus Theologica proxime respicit Deũ, vt patet in Fide, Spe, & Charitate, quæ sunt virtutes Theologicæ, & immediatè Deum respiciunt, at pœnitentia non respicit proxime Deum, sed proxime tantum respicit satisfactionem Deo faciendam, sicut religio non est virtus Theologica, quia non respicit Deum proxime, sed cultum Dei.

Quæret aliquis secundo, in qua potentia animæ resideat pœnitentiæ virtus. Et respondetur primò, non residere in appetitu sensitiuo. Ita respondet *Sot. in 4. dist. 14. q. 2. ar. 4. & Vazquez, in materia de pœnitentia super articulum 4. quæst. 85.* Patet quia vt iam vidimus pœnitentia respicit alterum, vt Deum, at virtutes appe- 11

C titus sensitiui potius respiciunt ipsum hominem, in quo sunt, vt temperantia, & fortitudo. Et præsertim probatur, quia pœnitentia respicit peccatum, vt est offensa Dei, & vt reconcilietur cum Deo, at appetitus sensitiuus nō potest cum sit materialis ad Deum, qui purus est spiritus, tendere. Respondetur secundò, pœnitentiam non esse in intellectu, probatur, quia actus virtutis pœnitentiæ, vt patet ex quæst. præcedenti, procedit ex amore alicuius boni nēpe recōciliationis cū Deo, ergo necessariò debet esse in potentia appetitiua. Probatur tamen pœnitentiam esse in voluntate, quia ista est sedes virtutum moraliū, quia sola voluntas procedit ex electione, quod requiritur ad rationē virtutis, virtus enim secundū Aristotel. est habi

D tus electiuus, electio autē nō potest esse nisi in volūtate, cū electio iuxta cōmunē sententiam Theologorū sit appetitus præcōsiliati, id est assumptio vnius medij præ alio, ob quod maxime excedit capacitatē sensuū pœnitētia: in quibus sensibus licet reperiatur aliqui habitus virtutū, moderātes passiones corporales nostras, virtutes tamē sub ratione formali virtutū minime reperiūtur in sensibus, sed tātū in volūtate: imò in appetitu sensitiuo, quē cōprehendimus sub nomine potētiarū sensitiuarū, nō reperiūtur omnes habitus, qui correspōdēt virtutibus

volũtatis respiciẽtibus actus bonos externos, & sensibiles. Vnde in appetitu sensitiuo necessariò reperiuntur habitus temperantiæ, & fortitudinis, vt moderentur passiones contrarias, nõ verò est necessarius habitus iustitiæ, vt moderetur passionẽ aliquã hominis volentis prodige, & indiscrete res suas alteri donare, vel soluere plus quam debet, quia homo lices habeat passiones tendẽtes ad bonum proprium, corporales, inquam, minime tamen eas habet respicientes bonũ alterius. Quæ quantũ ad distinctionem allatam de habitibus temperãtiæ, & fortitudinis ex vna parte, & habitus iustitię ex altera, probabiliter dicta sint iuxta aliquorum sententiam, Mihi tamen cõcedendus videtur habitus iustitiæ in appetitu sensitiuo, non quidem temperans passionem aliquam corporalem tendentem ad proximum, sed passionem corpoream, retinẽdi sibi res sibi vtiles, vt pecuniam, vinum, &c. Tum etiam pœnitentiæ virtutem locum, & sedem habere in voluntate, probatur ex sacra Scriptura petente ab homine conuersionem, id est pœnitentiam, siue ea sit contritio, siue sit stricta virtus pœnitẽtiæ, ex toto corde, id est ex tota voluntate. Sæpe enim Scriptura sacra cor sumit pro voluntate *Ioelis enim* 2. exigitur à peccatore conuersio ex toto corde, & *Matth.* 22. sic dicitur: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo.* Tertiò respondetur pœnitentiam non esse in voluntate secũdum quod est irascibilis, sed secundũ quod est concupiscibilis, quia præcipuus actus eius est recõpensare iniuriam Deo factã, propter reconciliationem, & amicitiam cum Deo, quod pertinet ad concupiscibilem, sed non ad irascibilem.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm habitus pœnitentiæ sit in omnibus iustis?

1 DVo notanda sunt. Primò notandum est, pœnitentiam esse virtutem infusam, & supernaturalem, quæ viribus naturæ haberi non potest. Probatur, quia pœnitentia cum sit virtus compensandi iniuriam Deo factam per iustificationem, quæ iustificatio supernaturalis est, necessariò supponit cognitionem per fidem, & supernaturalem iustificationis, & reconciliationis, ergo est supernaturalis, nã virtus quæ necessario supponit cognitionem supernaturalem, supernaturalis est.

2 Secundò notandum est bene posse virtutem in aliquo esse, in quo neque est actus, neque futurus est talis virtutis, vt in paruulis decedẽtibus ante vsum rationis, in quibus non est futurus actus fidei, manet habitus fidei infusus per baptismum.

A In hac quæst. licet aliqui non distinguant plures actus pœnitentiæ, scilicet odium, dolorem, & detestationem peccati, vt *Durand. in 4. dist. 14. cum alijs*, distinguendi tamen mihi videtur *cum Suarez 4. tom. 3. part. disp. 3. sect. 4. & 2.* Quemadmodũ enim ad habitum charitatis tres actus maxime videntur pertinere, scilicet amor, delectatio, & desiderium, ita etiam ad habitum pœnitentiæ tres actus prædictis similes pertinere debent scilicet odium, dolor, & detestatio peccati.

Coninc. tom. de Sacramentis disp. 1. de pœnitentia dub. 3. Expresse sentit habitum pœnitentię esse virtutem per se expetendam, nec supponere vllam imperfectionem in subiecto, & cõsequenter esse etiam in Christo, in quo ex eo 3
B concedit habitum pœnitentiæ, quia huic habitui assignat quendam actum, qui bene compatitur cum impeccabilitate Christi, scilicet ferri in bonum, cui peccatum cõtrariatur, & odiũ ac detestationem peccati, siue alieni, siue proprij. Hic verò Auctor libenter fatetur reperiri alium actum propriũ virtutis pœnitentiæ, qui nullo modo possit esse in Christo, scilicet detestari peccatum per modum resipiscentiæ, ita vt resipiscentia respiciat vitam male actam à resipiscente.

Sit tamen prima conclusio. In eo, qui neque 4
peccauit, neque peccare potest ratione sui status, non est cõstituẽda virtus pœnitentiæ. Probatur primò, quia obiectum materiale virtutis
C pœnitentiæ, vt patet ex q. 10. & 11. huius tractatus, est peccatum propriũ, cuius cõpensationem, & reparationem contendit in se efficere peccator, ergo vbi neq; est peccatum, neq; esse potest, virtus pœnitentiæ assignanda minime est. Secundò probatur, ratione efformata contra *Coninc. loco citato*, quia si propter aliquã rationem esset constituẽdus habitus pœnitentiæ in eo, qui nunquã potuit peccare, maxime quia sub isto habitu reperitur aliquis actus, qui nõ exigit peccatũ propriũ, scilicet detestatio absoluta peccati siue proprij, siue alieni, sed talis actus nullo modo pertinet ad pœnitentiam sed potius videtur pertinere ad charitatem. Et quod non pertineat ad pœnitentiam liquido constat ex 1. q. huius tractatus, vbi vidimus cõ
D sentiente nobiscum Coninc. iuxta doctrinam sacræ Scripturæ, & Patrum Ecclesiæ, pœnitentiã tantum esse odiũ peccati proprij, tum etiã, quia in illo subiecto, cui ex diametro repugnat, ac semper in omni statu repugnabit actus alicuius virtutis, non est constituenda ea virtus, licet alij actus ad eam virtutem pertinentes in eo subiecto reperiantur. Iste discursus probatur primò, exemplo Christi vbi licet fuerit actus spei gloriæ corporis, quia tamen non fuit actus spei gloriæ animæ, ideò habitus spei in eo collocandus non fuit. Secũdò probatur iste discursus, quia habitus, cum spe-

specificentur essentialiter ab omnibus actibus suis, necessariò debet eos omnes respicere essentialiter, ergo vbi aliquis actus proprius vnius virtutis impossibilis est, etiamsi alij actus eiusdem virtutis sint possibiles, habitus etiam illius virtutis impossibilis est. Sed secundum prædictum Doctorē in eo, qui peccare non potest, nequit reperiri detestatio peccati per modum resipiscentiæ, circa vitam male actam à resipiscēte, qui est vnus ex actibus virtutis pœnitentiæ, ergo in eo non est ponendus habitus virtutis pœnitentiæ.

6 Hinc necessariò infertur in Christo nō fuisse habitum pœnitentiæ, quia omninò redditus fuit impeccabilis per sacrosanctam vnionē humanitatis ad verbū. Infertur secundo in B. Virgine minime extitisse habitum pœnitentiæ, quia propter confirmationem, qua confirmata est in gratia, non potuit peccare, etiam venialiter, necessitate, vt loquuntur Theologi, iuxta doctrinā Anselmi, consequenti. Doctrinā hanc eleganter tradidit nobis *D. Anselm. lib. de concord. præscientiæ, & prædest. cap. 1. & August. lib. 26. contra Faustum, cap. 4. in fine.* Et generaliter tradunt isti sancti Patres hanc doctrinam circa necessitatem consequentem.

7 Secunda cōclusio. In Adamo in statu innocentiæ existenti extitit habitus verè pœnitentiæ, licet tunc non extiterit actus pœnitentiæ: hanc doctrinam docuit *D. Tho. 1. p. q. 5. art. 3. in corpore.* Probatur primò, quia tunc homo erat natura sua peccabilis, & licet primo peccaturus esset mortaliter, & nō venialiter, & amissurus per illud peccatū habitum pœnitētiæ (quare frustraneus videretur) tamen concedendus est, sicut cōceditur in paruulo, quē nouit Deus in primo instāti vsus rationis cōmissurum peccatum mortale, quo destruat habitum pœnitētiæ, & quo nunquam vtatur. Secūdò probatur quia credendum est de liberalitate, qua Deus homini tunc contulit beneficia, hominem tūc exornasse habitu pœnitentiæ, actum tamen pœnitentiæ Adamus in eo statu non habuit, quia tunc nullum peccatum commisit.

8 Hinc sequitur, paruulos in baptismo recipere habitū pœnitentiæ, quāuis minime sint peruenturi ad vsum rationis, & quamuis minime sint peccaturi, tùm quia ratione sui status, in tota sua latitudine sumpti, scilicet, quia viatores sunt, possunt peccare, & resipiscere, tū quia cum recipiant gratiam, debent etiam recipere omnes virtutes infusas, quæ comitantur gratiam, inter quas locum habet nostra pœnitētia.

9 Sit vltima conclusio. Beati homines adhuc in patria, vbi non possunt peccare, retinent habitum pœnitentiæ, illi quidem qui in hac vita minime peccauerunt, retinent prædictum habitum propter ornatū suum, quia cum ille habitus pulchritudinem contineat virtutis, pulchram reddit, & bellam animam, illi verò qui

A in hac vita deliquerunt in patria exornantur virtute pœnitentiæ ad magnā sui nominis gloriam, & honorem, quia conseruant insignia à diabolo reportati triumphi.

In animis damnatorū, quæ in hac vita habuerunt habitū pœnitentię, modo non cōseruatur idem habitus, etiā ad magnū dedecus, & ignominiam earum, quia cum efficacē suis peccatis medelam habuerint, ea vti noluerūt. Tùm quia re ita pretiosa non fruuntur in eo misero statu, tùm quia sicut Angeli mali non possident habitum fidei, ita etiam animæ damnatæ non retinent habitum pœnitentiæ, quem in hac vita possederant. 10

Angelis bonis, & malis dū viatores fuerunt, non repugnauit habitus pœnitentiæ, quia in B primo instanti suæ creationis (secūdū satis probabilem opinionē) peccare potuerunt omnes: existimo tamen eos in instanti suæ creationis, & in statu viæ non accepisse à Deo talem habitum, quia impertinens esset, quia Angeli natura sua sunt inflexibiles, & quia Deus præuidebat, bonos perpetuo perseueraturos in gratia, & sine peccato vnquam commisso, aut cōmittendo, & malos perpetuo perseueraturos in peccato, & inimicitia Dei semel cōtracta. Vnde cum in via neque beati, neque damnati Angeli obtinuerint habitum pœnitentiæ, neque etiam in patria illum retinere affirmandū est. 11

QVÆSTIO XIII.

C *Vtrùm virtus pœnitentiæ sit necessaria ad iustificationem, cum non recipitur Sacramentum Pœnitentiæ, & an requiratur actualis pœnitentia?*

ALIQVI Doctores aliquas in præsenti quæstiones ad longum exagitare solēt quibus super sedendum duxi, quia alibi propriam sedem habent, & non sunt extrahendæ difficultates ex proprijs locis, ne materiarū series reddatur infinita, & molesta. Quæstiones autem prænotatæ istæ sunt, scilicet, an Deus sit causa peccati, & an sit peccatum irremissibile, & an propter grauia peccata Deus de D negret auxilium sufficiens, quæ tamen ad primam partem, & primam secundæ attinent, & non ad istum tractatum, vt multi viri docti sentiunt. 1

In hac quæst. loquimur de virtute pœnitentiæ sumpta largo modo pro contritione, quæ quidem cōtritio est dolor de peccatis propter Deum summe dilectū, scilicet in quātum sunt contraria Deo, & ex cōplacentia Dei. Et quidem duplex potest esse sensus quæstionis. Primus est, an vt quis sit iustus, & sanctus teneatur sub præcepto dolere de peccatis iam remissis, 2

quoties memoriæ occurrunt. Secundus sensus est, an iustificatio possit obtineri sine expressa cōtritione peccatorum. Circa primum sensum breuiter est resoluenda quæstio.

3 Sit prima conclusio. Non est aliquod præceptum affirmatiuum, quo quis obligetur ad habendum actum displicentiæ circa peccatum commissum, & iam remissum. Ita *D. Tho. q. 84. 3. part. art. 9. Caietan. ibidem, Sotus in 4. dist. 14. art. 9.* Probatur, quia solùm est iste actus necessarius, quando homo est reconciliandus cū Deo, quia est in peccato, at verò quando est iā iustificatus, non est necessarius ille actus ad reconciliationem cum Deo, quia iam supponitur reconciliatus, ergo non est in præcepto. Confirmatur conclusio primo, ex eo quod tale præceptum nullum habet fundamentum, neque illud ostenditur ab Auctoribus contrariæ sententiæ, tùm etiam secundo ex eo, quia tale præceptum nimis est onerosum hominibus, & moraliter intolerabile, si quoties occurrit memoriæ peccatum, semper est detestā dum expresso actu contritionis, Deus autem Optimus Maximus, cuius dispositio suauis est impossibilia non iubet.

Contra resolutionem huius cōclusionis antiquiores Theologi opinati sunt, toties nos teneri ad eliciendum actū cōtritionis circa peccata prætetita mortalia, quoties memoriæ occurrunt, huic opinioni adhæserunt *Alexander Alensis 4. part. quæst. 68. membro secundo, Bonauent. in 4. dist. 16. art. 3. quæst. 2. Syluest. verbo contritio, quæst. 2.* Pro qua opinione nullum peculiare fundamentum inuenimus, & ita sufficienter refellitur ex præcedenti conclusione.

5 Secunda conclusio. Concedendum est necessariò quoddam præceptum charitatis negatiuum, in hoc consistens, quod non debet placere peccatum etiam remissum, quādo memoriæ occurrit, in quātū est offensa Dei. Hæc est communis resolutio Doctorum, patet euidēter, quia si ei eo modo placeret peccatum, reuera conciperetur odiū Dei, quod est prohibitum omninò, ergo prohibita est prædicta complacentia. Potest equidem homo, cum memoriæ occurrit peccatum dimissum aliò diuertere cognitionem, vel suspendere omnem actū circa illud, at vero illud ei placere nequaquā potest, in quantum est offensa Dei.

6 Licet hæc certa sint, aliqua tamen difficultas se offert circa peccatum, quod alicui remissum est per solam virtualem contritionem, scilicet per amorem Dei super omnia, quando nihil de tali peccato cogitauit, & ita non habuit expressam contritionem illius, an scilicet dato casu, quo postea non possit confiteri, quia morte præuentus non obtinet copiam confessarij, teneatur de tali peccato habēre expressam cōtritionem. In qua difficultate quidam sentiūt hominem, cui occurrit peccatū iam remissum

A per dilectionem Dei, debere expresse de illo conteri. Huic sententiæ adhærere videtur *Conine. tom. de Sacramentis disp. 3. dub. 4.* & pro ea allegat *Nauar. Henriq. & alios.* Probatur primò hæc doctrina, quia est communior sententia Theologorum. Secundò probatur, quia tā Scripturæ, quàm Patres, ac Concilia sæpe docent, peccata nō remitti sine pœnitētia, quod quidem intelligēdū est de pœnitētia in re, vel in voto, ita quod qui iustificatur per pœnitentiam in voto, id est per actum charitatis, teneatur habēre expressam pœnitentiam, & contritionem, quemadmodum ille, qui iustificatur per confessionem in voto, debet cōfiteri, oblata occasione de peccato remisso.

Sit tamen tertia conclusio: quæ satis colligi 7
B tur ex prima. Etiam in isto casu non tenetur, quis expresse conteri de peccato remisso, hāc conclusionem defendo cum aliquibus doctissimis recentioribus. Probatur primò, quia dilectio Dei super omnia non est inferioris virtutis, quam contritio, neque minus priuilegiū habet, quam ea: sed si peccatum prius remittatur per contritionem, non est postea necessarius actus dilectionis Dei, ergo etiam peccator, cui remissum est peccatum per actum dilectionis, non indiget contritione eiusdē peccati. Probatur secundò, quia contritio tantùm exigitur à sacra Scriptura, & à sanctis Patribus, pro peccatoribus, & ad remissionem peccatorum. Obtenta ergo remissione per actum dilectionis, nullum præceptū obligat ad quæ-
C rendam contritionem, quia sanitate obtēta medicamenta necessaria non sunt. Consequentia patet: quia tale præceptum non est diuinum naturale, vt constat ex isto secundo discursu, neque diuinum positiuum, aut humanum, quia de eo minime constat.

Ad argumenta adducta contra istam tertiā 8 conclusionem, respondetur. Ad primum dicimus, pluris faciendas esse rationes pro nostra sentētia pugnantes in tertia conclusione, quā auctoritates in contrarium adductas. Ad secundum argumentum dicimus, nequaquam peccata remissa per actum dilectionis, remitti cum onere habendi contritionem, licet peccata remissa per contritionem dimittantur cum onere ea confitendi, quia de præcepto diuino ea
D peccata confitendi constat expresse, vt patebit, dum de cōfessione disseramus, de præcepto vero habendi contritionem in nostro casu, nullo modo nobis constat.

Vt ad secundum quæstionis punctum gra- 9 dum faciamus notanda est opinio *Cani. in relectione de Pœnitentia 3. part. & Petri de Soto lectione 4. de institutione Sacerdotum.* Asserentium sæpe necessariam esse pœnitētiam formalem, seu dolorem de peccatis expressum.

Pro verioris tamen sententiæ explicatione 10 in hoc puncto sit prima conclusio. Formalis pœni-

pœnitentia, seu dolor de peccatis necessarius est ad remissionem peccatorum de se, & Absolute, & necessitate medij, siue in se expresse habitus, siue virtualiter inclusus in dilectione Dei super omnia, quod quidem intelligitur in eo casu, quod quis iustificetur extra sacramentum, non recipiendo post peccatum mortale commissum Sacramentũ Baptismi, neque pœnitentiæ. Hęc est cõmunis sententia Doctorũ cum *D.Thom.3.part.quæst.86.art.2.* ita definitur *in Trident. Sessione 14.cap.4.* vbi post definitam contritionem sic dicitur: *Fuit autem omni tempore necessarius hic motus ad obtinendam peccati veniam*, & desumi potest hæc veritas ex *ca. firmiter de summa Trinitate*, vbi dicitur: *Quod si quis post baptismum pro lapsus fuerit in peccatum per veram semper potest pœnitentiam reparari*. Si ergo potest reparari, ergo debet quia res tanti momenti contemnenda non est, sed cadit sub præcepto. Probatur secundò conclusio ex sacra Scriptura *Apocal. enim secundo*, hęc continẽtur verba: *Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris, & Ecclesiastici 21. Habetur, fili peccati non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur, & Lucæ 13. Dicitur, nisi pœnitẽtiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et sacræ Scripturæ de se, & absolutè rem considerando, cum proprie sint accipiendæ, hæc verba debent intelligi de pœnitentia formali. Et probatur tertiò ratione, quia homo dũ peccauit, se conuertit ad creaturam, ergo dum peccatum deletur, debet se auertere à peccato per pœnitentiam suam veram, & perfectam, quæ est contritio.

11 Sit secunda conclusio. Aliquando potest obtineri iustificatio sine actuali, aut formali actu pœnitentię, aut contritionis, quo expresse doleat quis de peccato. Ita *Scotus dist. 14. quæst. 2. artic. 3. Nauar. in Summa cap. 1. num. 30. Vega, lib. 6. in Trident. cap. 33. & Sotus in 4 dist. 15. q. 1. art. 2.* Qui quidem casus est, quando quis habet actum dilectionis Dei super omnia, & non occurrit aliquod peccatum propter obliuionẽ. Probatur conclusio, quia pœnitentia actualis non requiritur ad habendum actum charitatis ex institutione Christi, vt patet. Præterea non requiritur ex natura rei, quia amor amicitiæ erga Deum bene potest reperiri sine vllo dolore, aut detestatione aliqua, vt si velimus Deo bonum ex complacẽtia eius, sed talis actus est vera conuersio animi ad Deum, ergo sine pœnitentia formali sufficit talis actus charitatis, & dilectionis Dei ad iustificationẽ, in quo quidem actu charitatis virtualiter continetur ipsa actualis pœnitentia.

12 Obijcies tamen primo. Eodem modo est necessaria pœnitentia, sicut & fides Iesu Christi, at hæc fides requiritur expressa, ergo & pœnitentia. Ad hoc respondetur quod ad dilectionem Dei requiritur fides Christi expressa, at pœnitentia non item propter rationem dicti. Secundum argumentum est, si aliquando non est necessaria actualis pœnitentia interior, de qua loquimur, maxime in martyrio, sed in martyrio est necessaria, quia actus martyrij est actus charitatis eiusdem rationis, ac quilibet alius actus charitatis extra martyrium existẽs, de quo non potest dici quod non exigat pœnitentiam actualẽ, ergo pœnitentia actualis semper est necessaria. Ad quod respondetur, quod cum non occurrit memoriæ peccatum, non requirit actus charitatis actualem pœnitentiam, neque in martyrio, neque extra illud. Quantũ ad martyrium satisfactum à nobis est supra in tractatu de Baptismo quæst. 17. vbi de martyrio adultorum diximus, illud sine actu charitatis non iustificare.

His suppositis quæret aliquis, an pœnitentia sit in præcepto Dei, si occurrat memoriæ peccatum aliquod mortale. Et respondetur ex dictis rem esse claram, scilicet, pœnitentiam actualem esse necessariam necessitate præcepti diuini. Probatur, quia omne illud quod est mediũ necessarium ad salutem, & est in nostra potestate, est præceptum iure diuino, sed pœnitentia actualis est medium necessarium ad salutem, & in nostra potestate, ergo est in præcepto diuino. 13

Secundò queres, àn pœnitentia, quæ est cõtritio sit requisita iure naturali de peccato mortali, quod neque abstersit aqua baptismi, neq; deleuit confessionis Sacramentum, quia nullũ horum sacramẽtorum receptũ est. Huic quæstioni longius, quam necessarium est respõdet *Conint. tom. de Sacramentis disp. 3. de præcepto pœnitentiæ dubio 2.* Eius autem responsio in summa duo continet. Primum est seposito omni decreto, ac præcepto Dei positiuo, quo aut statuerit pœnitenti remittere peccatum, aut præceperit, vt hanc vel illam pœnitentiam agat, eum qui peccauit mortaliter, non teneri habêre contritionem perfectam de suo peccato perfecte ex amore Dei, siue quia illud Deo displicet, quia homo tunc tantùm tenetur ad hoc considerata solùm offensa Dei, & secluso scandalo fratrum. Vt suam voluntatem legi diuinæ subijciat, & vt peccatum taliter retractet vt desinat esse voluntarium, quæ omnia sufficienter potest præstare homo, ob alios fines pœnitendo, & non propter Deum. Secundum huius Auctoris assertum est, posito quod Deus statuerit omnibus verè cõtritis remittere peccatum, pœnasque æternas, & sufficientem peccatori gratiam dèt, vt possit conteri, vt de facto omnibus dat, peccatorem iure naturæ secluso omni præcepto positiuo teneri conteri in casu proposito, quia posito quod ei possibile sit Dei amicitiam recuperare, ac æternam dam- 14

nationem euadere, tenetur adhibere contritionem, cum suorū peccatorum recordatur, quia hoc est necessarium tunc ad Dei amicitiam obtinendam.

15 Sed huic secundo quæsito respondetur cum communi doctrina. In casu proposito necessaria est contritio perfecta peccatorum ex amore Dei eo modo, quo explicuimus in prima, & secunda conclusione adductis circa secundum quæstionis nostræ sensum, hæc resolutio satis probatur ex rationibus adductis in confirmationem primæ conclusionis pertinentis ad secundum quæstionis punctum. Locus enim Concilij ibi citatus, & loca scripturæ ibi proposita cum absolute præcipiant contritionem, sine dubio explicant id, quod iure naturæ requiritur, ratio ibi adducta, si recte inspiciatur, eandem hanc veritatem prorsus cōfirmat, quam nullus Catholicus inficiari poterit. Imo ita requiritur ex natura rei talis contritio, vt cum non possit Deus decernere, homini contrito peccata non remitti. (quia iuxta opinionem, quam puto satis probabilem, & discutiendam in materia de iustificatione, actus contritionis est vera forma sanctitatis, ita vt quamuis habitus gratiæ, quæ prior est in genere causæ efficientis contritione, non coniungeretur in anima cum contritione ad eam sanctificandam, sola tamen contritio sufficientes vires haberet ad iustificationem hominis.) Non sit admittendus casus, in quo Deus decreuerit homini contrito non remittere peccatum, atque ita nullus casus admittendus est de facto, in quo homo non debeat cōteri de peccato mortali commisso, quia ad talē contritionem semper habet de facto paratam Dei gratiam, & ita est ei possibilis ex vna parte, & ex alia prædicta contritio in nostro casu est medium necessarium ad salutem ex natura rei, omne verò medium necessarium ad salutē, necessarium est iure naturali.

16 Quæres tertio, ad quod præceptum Decalogi reducatur præceptum supra memoratum habendæ contritionis: huic quæsito varijs modis respondere solent nostri Doctores, sed quia res est facilis, & quæ minime eget longa discussione, ideo recentiores Doctores secutus pronuncio huiusmodi præceptum reduci ad præceptū diligendi Deum super omnia. Probatur sufficienter veritas hæc à simili, quia sicut ad idem præceptum religionis attinet, & colere verū Deum, & negare cultum, & omnem adorationem falsis Dijs, sic etiam ad primum præceptū Decalogi, quo tenemur diligere Deum super omnia, & velle omne bonum Deo, pertinere etiam debet amicitiam erga Deum amissam reparare, & odio prosequi peccatum, quatenus contrarium Deo est, & ex complacentia Dei.

17 Quæres quarto, an ad habendam veram contritionem requiratur expressum propositum vitandi peccata in futurum. Huic interroga-

A tioni, *Caietanus, tomo 1. opusculorum tractatu 4. q. 1. & Sotus 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 2.* Et alij necessarium iudicant ad rationem veræ contritionis expressum propositum non peccandi vlterius. Cum alijs tamen Doctoribus, non infimæ notæ, vt cum *Maiore 4. distinctione 14. q. 1. Medina Codice de Pœnitentia tractatu 1. quæst. 3. Adriano 4 quæst. 1. de Pœnitentia*, Duo affirmare decreui. Primum sit, cum non occurrit memoriæ peccatum futurum, bene potest reperiri vera pœnitentia sine expresso proposito nō peccandi vlterius, & sine eo potest homo iustificari. Probatur assumptum efficaciter, quia illud propositum non est necessarium ad iustificationem, ex aliquo præcepto, si enim hoc modo necessarium esset, sine eius proposito posB set sufficienter homo iustificari. Sicut enim ignorantia inuincibilis excusat à præcepto quouis, ita posset excusare ab hoc, & ab obligatione eliciendi tale propositum, neque etiam illud propositum requiritur ex natura rei; ergo nullo modo requiritur. Quod non requiratur ex natura rei patet, quia si eo modo requireretur; requireretur, vel tanquam quid prius contritione, vel tanquam quid posterius (nam simul esse non potest, cum duo actus, præsertim ita diuersi, simul non possint in intellectu reperiri) non tanquam quid prius, nam potius contritio est prior illo proposito, non peccandi in futurum, quod ex eo constat, quia ex vera contritione oritur prædictum propositum. Non etiam requiritur tanquam quid posterius, quia aliàs optime posset consistere contritio sine tali propoC sito, quia id, quod prius est, bene potest consistere sine eo, quod est posterius, vt quia rationalitas prior est risibilitate, potest consistere sine illa. Secundum quod affirmare decreuimus, ita explicatur, quoties memoriæ occurrit peccatū futurum eo tempore, quo homo de peccatis præteritis conteritur, necessarium est expressum propositum vitādi peccata futura. Probatur quia qui vere conteritur, vere detestatur peccata præterita, quatenus ei omnino contraria sunt, sed etiam peccata futura eodem modo sunt contraria Deo, si ergo memoriæ occurrāt, eodem modo detestanda sunt, ac per consequēs habendum est propositum ea nullatenus comD mittendi. Et quidem tale propositum vitandi peccata in futurum, semper continetur virtualiter in pœnitentia, etiam si non se offerant memoriæ peccata futura, nam vera contritio constituit hominem promptum, & in tali animi præparatione, vt desideret totum illud, quod est Dei voluntati conforme, & detestetur omne illud, quod Dei voluntati contrarietatem inducit: sed peccatum futurum talem contrarietatem inducit, illud ergo virtualiter detestatur per virtuale propositum non peccandi, qui veræ contritionis actu condecoratur. Et ex hac doctrina colligitur verus sensus cōmunis illius defini-

definitionis pœnitentiæ traditæ à *Magistro in 4. dist. 14. & in cap. pœnitentia, & cap. pœnitentiã, de pœnitentia dist. 3.* Cuius definitionis hæc sunt verba, *Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.* Hæc enim vltima verba, in quibus indicatur propositum non peccandi de cætero, non indicant necessarium esse semper propositũ expressum amplius nõ peccandi, sed vel expressum, cum veniunt in mentem peccata futura, vel virtuale cum non veniunt.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrùm sufficiat contritio generalis de omnibus peccatis, & recogitatio etiam generalis; Vbi multa alia de contritione.

1 QVia multa in hac quæstione, & præcedenti de vera contritione disseruntur, operæ pretium erit aliqua hic de natura contritionis prælibare, ne velox instituti nostri cursus, & lectoribus iniucundus, & materiæ ipsi parum vtilis iudicetur, quod vt obseruemus, aduertas quæso. Primò, in qualibet vera amicitia duos præcipue respectus includi, alterum prosecutionis, alterum fugæ. Prosecutionis respectus in eo consistit, quod desideremus amico nostro bonum, quatenus bonum eius est. Fugæ vero respectus in eo situs est, vt odio prosequamur totum illud, quod amico nostro nociuum esse iudicamus. Quare in amicitia nostra erga Deum duplex etiam ille respectus considerandus est, alter prosecutionis, qui est actus dilectionis Dei super omnia, alter fugæ, qui est vera contritio peccatorum, quatenus contraria sunt Deo, & ex complacentia Dei.

2 Secundò aduertas quæso, contritionem perfectam peccatorum requirere, vt detestemur peccatum magis appretiatiue, quã vllum aliud malum, ita vt velimus potius subire quoduis aliud malum, quam peccare, non vero tenemur detestari magis intensiue peccatum, quam quoduis aliud malum. Hæc doctrina certa est apud Doctores, & communis inter illos, sicut secundum eandem communem sententiam ad verum actum charitatis sine dubio requiritur, vt diligamus plus Deum appretiatiue, quã vllum aliud bonum, quæ appretiatio sita est in quadam animi præparatione ita efficaci, vt si necessarium sit, omnia creata potius amittamus, quam Dei amicitiam deseramus, quã ratione intelligitur illud, *Matthæi 10. qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*; Vbi per patrẽ, & matrẽ; quæ res charissimæ nobis esse solent, sine dubio res omnes creatæ intelliguntur, quæ in hoc mundo amorem excitare pos-

A sunt. Nullatenus vero ad verum actum charitatis exigitur, vt plus diligamus Deum intẽsiue, quam reliqua creata, id est, vt maiori, & intensiori conatu affectus noster feratur in Deum, quam in reliqua bona, & quod huiusmodi diuersitas in actu charitatis, & contritionis possit reperiri, & quod ad eiusmodi actus sufficiat amor Dei, & odium peccati, eo modo quo explicuimus, patet primo, exemplo matrum, quæ communiter filium maiorem natu solent amare maxime appretiatiue, & minimum maxime intensiue, vnde contingit, vt minimum frequentius amplectantur, & alliciant, at vero si eis detur optio, quem potius velint viuere, potius velint, maiorem viuere, quàm minimum: ita ergo vidimus homines timoratæ conscientiæ multas lacrimas profundere por morte filiorum, quia

B eos intensiùs amant quam Deum, pro peccato vero commisso contra Deum nullas lacrimas fundere, eosdem vero appretiatiue plùs diligere Deum, quam liberos, quia malunt liberos amittere, quam Deum neque leuiter quidem offendere. Secundo probatur, quia actus contritionis, quamtumuis remissus sit, semper detestatur peccatum super omnia alia mala ex amore Dei, licet ergo peccatorem contingat intensius detestari mortem corporalem, quam peccatum, propter hoc tamen actus ille contritionis non desinit esse perfectus, atque includere verum respectum amicitiæ erga Deum. Vltimo probatur quia intensis actus sæpissime depẽdet à parte sensitiua animæ, quæ plus mouetur ad res si-

C bi commodas, quam ad res conuenientes rationi, quod vero vnum amatur appretiatiue, plus quàm aliud, nascitur ex mero iudicio rationis iudicantis vnum esse maius bonum alio, sed potest contingere, vt id quod maius bonum iudicatur à ratione, sit minus conueniens appetitui sensitiuo, vt cum quis edomat carnem suam, vt eam rationi subiectam reddat, iudicat per rationem, macerationem carnis esse maius bonum, quam ei indulgere, quamuis carnis indulgentia conuenientior sit appetitui sensitiuo, quam maceratio. Potest ergo contingere amorem nostrum erga Deum maiorem esse appretiatiue amore rerum creatarum, & minorem esse intensiue amore earum, & ad eum modum esto iudi-

D cium de actu contritionis, possumus enim plus detestari secundum appretiationem peccatum ex amore Dei, quam pœnas inferni, & minus secundum intensionem.

Sed comparatio hæc inter peccatum, & reliqua mala, & præcipue inter pœnas inferni, nõ est necessaria ad actum contritionis expresse, sed sufficit, si virtualiter in eo contineatur, imò plerique Doctores suadent, has comparationes non esse communiter faciendas ab hominibus, nisi ab his, qui magnos profectus in virtute fecerunt, quia constituunt hominem in periculo plus detestandi graues pœnas tempo- 3

rales,

rales, & pœnas inferni, quam ipsum peccatum.

4 Contra resolutionem huius secundi notabilis aliqui sentiunt requiri summum dolorem intensiue, *Vt Adrianus in 4. quæst. 2. de pœnitentia.* Aliqui vero opinantur peccatorem debere maxime dolere de peccato, quia intensius de eo debet dolere, quam de vllo alio malo de facto doleat, ita *Petrus Sotus lectione 14. de pœnitentia in fine, & lectione 15. §. cæterum.* Sed illæ sententiæ probabiles non sunt, & quia sufficienter refelluntur ex dictis, earũ refutationem ampliorem dimittamus, dum ad alia vocamur.

Sit prima conclusio. Vt dolor sufficiens de peccatis habeatur, siue in pœnitentia virtute rigorose sumpta, siue in contritione, siue in attritione, (quæ largo modo dicuntur pœnitentiæ) aperte inclusus, non debet quis in particulari detestari omnia peccata, sed satis est, quod in confuso, & in communi omnia peccata detestetur, vel si solum vnius peccati recordatur, & illius habet dolorem, talis dolor debet esse propter motiuum ita generale, vt virtualiter detestetur omnia alia peccata, & sit paratus ea expresse detestari, si memoriæ occurrant, verbi gratia, dum quis dolet de solo furto graui, cuius recordatur, propter pœnas inferni, etiam si aliorum peccatorum lethalium non recordetur, virtualiter dolet omnium lethalium, quia omnia lethalia habent etiam annexas pœnas inferni, sicut, & furtum, quas pœnas contendit peccator totis viribus fugere.

5 Hæc autem conclusio, vt recte intelligatur, aduertendum est, plura esse motiua, ex quibus potest aliquis detestari peccatum, interea autem specialiter nobis sese offerre 7. quorum supra meminimus. Primum sit quatenus peccatum est contra rectam rationem, (eius enim natura iuxta probabilem opinionem Doctorum consistit in relatione disconuenientiæ ad naturam rationalem). Secũdum sit, in quantum peccatum est contra honorem Dei. Tertium motiuum esse potest prædictæ detestationis, peccatum esse contrariũ Deo, & eius amicitiæ. Quartum potest esse fugere æternas pœnas, quas meretur peccatum. Quintum motiuum potest esse adeptio gloriæ, qua priuat nos peccatum mortale. Sextum, quatenus peccatum est contra particularem aliquam virtutem. Septimũ motiuũ potest esse, fugere aliqua damna temporalia, vt flagella, vel suspendium, quæ quis meretur per peccata. Prædicta ergo conclusio nostra intelligitur de quolibet ex quinque primis motiuis, qui enim odit aliquod mortale peccatum propter aliquem finem ex his, necessario odit omnia alia peccata mortalia, cum vnum peccatum mortale contrarium sit omnibus prædictis motiuis, eodem modo, ac aliud. Qui enim efficaciter vult aliquod bonum etiam efficaciter vult omnia media necessaria ad consequendum illud bonum, & efficaciter detestatur omne malum contrarium tali bono. Conclusio autem nostra nõ est intelligẽda de sexto, & septimo motiuo, ex his enim motiuis bene potest quis odio habere vnum peccatum, quin odio habeat alia peccata mortalia, quia potest amare vnam virtutem, & non aliam, & velle fugere vnum peccatum propter flagella, quibus ipsum in republica punitur, quin velit fugere alia, quibus talis pœna non est imposita. Quantum ad peccata vero venialia diuersa est ratio, potest enim quis ex prædictis omnibus motiuis detestari peccata mortalia, quin detestetur venialia, vt discurrenti statim apparebit. E contra vero qui peccatum veniale perfecte detestatur ex vno motiuo ex quinque dictis, odio habet omnia peccata mortalia, quæ multo magis contraria sunt illi fini, quem detestans peccata venialia desiderat obtinere. Concludamus autem ex dictis, verum dolorem sufficientem ad iustificationem inclusum in contritione, & inclusum in attritione, & in pœnitentia virtute, disponentemque ad iustificationem; semper requirere vel formaliter, vel virtualiter dolorem omnium peccatorum mortalium, licet minime requirat dolorem venialium.

Sit secunda conclusio. Non est necessaria ad veram contritionem peccatorum recogitatio omnium peccatorum in particulari, sed sufficit generalis quædam recogitatio, qua quis recordetur se grauiter contra Deum deliquisse, hæc conclusio communis est inter recentiores, & eius meminit *Vazquez in materia de pœnitentia super 3. part. D. Thom. quæst. 86. art. 3.* Probatur, quia talis recogitatio omnium peccatorum in particulari non est necessaria ratione præcepti diuini, aut humani, quia de huiusmodi præceptis non nobis constat: neque talis recogitatio est necessaria vt medium præparatum ad iustificationem illam, quæ fit media contritione extra Sacramentum. Quia si hoc modo esset necessaria recogitatio, maxime ex diuina institutione, aut ex natura rei: Non ex diuina institutione, quia ad talem institutionem adstruendam nullum habemus sufficiens fundamentum, sine fundamento autem talis institutio admittenda non est. Præterea, neque est necessaria talis recogitatio ex natura rei: certum enim esse debet, hominem constitutum in extrema necessitate articuli mortis, quem ægritudo non patitur recogitare peccata in particulari, posse habere veram contritionem, & iustificari per eam, non enim credendum est de infinita bonitate Dei, huiusmodi hominem sine salutis remedio destituisse. Dicendum ergo necessario est, ad veram contritionem non requiri rogi-

tationem

tationem particularem omnium peccatorum, quæ commissa sunt. Roboratur præterea conclusio, quia huiusmodi recordatio particularis omnium peccatorum moraliter est impossibilis, tum ei, qui magnum patitur defectum memoriæ, tum etiam ei, qui multis annis non fuisset confessus, & infinitis pene peccatis irretitã haberet conscientiam.

7 Scio multos Doctores maxima in schola veneratione dignos contra prædictas conclusiones pronunciasse sententiam suam, vt *Caietanū 3. part. quæst. 87. art. 1. & Canum de pœnitentia 3. part. relectione. 3. Nauar. in summa cap. 1. num. 25. Petrum de Soto lectione 13. de pœnitentia.* Pro qua sententia multa pugnant contra nos argumenta, propter prædicta tamen in nostris conclusionibus hæc sententia deserenda est, & eorum argumentorum solutio quærenda.

8 Primum argumentū desumitur ex illis verbis, *Isaiæ 38. recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & ex illis Psalmi 76. cogitaui dies antiquos, & meditatus sum noctr cū corde meo.* Huic tamen argumento facilis extat solutio, si defendamus per hæc verba nobis aperte significari quotidianum exercitium prophetarum, recogitandi omnia peccata commissa in particulari, & ea continuo in particulari deplorandi, quod exercitium vtile admodum est ad expianda peccata, & ad ea efficaciter præcauenda, non est tamen huiusmodi exercitium nobis necessarium ex aliquo præcepto, neque illud nobis imponitur in prædictis testimonijs.

9 Secundum argumentum contra nos excitãt quædam verba *Ezechielis 18.* Quæ sic se habent, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & infra, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur.* Vbi per iudicium intelligit propheta examen conscientiæ, & recordationem in particulari omnium peccatorum. Si ergo vita gratiæ, quæ est animæ iustificatio promittitur ei recordationi, sequitur eam omnino necessariam esse ad salutem. Ad hoc tamē argumentum respondetur, eo loci nomine iudicij, vt patet ex eodem capite, intelligi verum iudicium, & rectum, quo discernatur frater à fratre, quod diuersum quid est à recordatione peccatorum in particulari.

10 Tertiū argumentum sit deductum, ex *Augustino lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 9.* Vbi videtur sentire, necessariam esse pœnitētiam omnium peccatorum in particulari. Sed respondetur, D. Augustin. loco allegato tantum voluisse hominem debere taliter de peccatis conteri, vt de nullo peccato delectetur.

11 Quartò obijcies, *de Pœnitentia dist. 3. caput sunt plures, & dist. 5. caput 1.* Vbi requiritur cogitatio omnium peccatorum, & pœnitentia eorum sed respondetur ad primum quod ibi solum intenditur non esse delectandum de aliquo peccato. Et ad secundum respondetur esse sermonem de confessione, quæ cum sit omnium peccatorum in particulari, debet esse coniuncta cum recogitatione omnium peccatorum in particulari.

Quinto obijcies, *Chrysost. 1. lib. de contritione cordis tomo 5. in fine circa finem, & Gregorium 8. lib. moralium cap. 16.* Suadentes nobis recogitationem singulorum peccatorum. Sed responde tur quod hi Sancti Patres præbent nobis consilium rei vtilis, non præceptum rei necessariæ. Quidam hic disputant, vtrum Deus possit peccatum sine gratiæ infusione tollere per solam condonationem extrinsecam, sed hoc attinet ad materiam de gratia, & non ad hunc locum, & respondendum est negatiue, & alibi probandū. 21

Ex dictis sequitur huius difficultatis resolutio, quam aliqui in præsenti exagitare solent, an debeamus vnum peccatum mortale plus detestari, quam alterum. In qua nullus est dubitandi locus comparatione facta inter peccatū mortale, certum enim esse debet, multo plus detestandum esse propter maiorem suam malitiam, siue expresse, siue virtualiter, peccatum mortale quam veniale. Solum ergo restat dubitatio aliqualis de ipsis peccatis mortalibus collatis inter se, cui dubitationi ex dictis respondemus per tria capita. Primū sit: ad rationē perfectæ cōtritionis, vel attritionis, vel actus pœnitentiæ virtutis, non requiritur, expresse nos detestari plus vnum peccatum mortale, quam aliud, patet, quia alias necessarius esset dolor, & recordatio omnium peccatorum in particulari, cuius contrarium docuimus late supra. Secundum caput sit, ad habendum aliquem actum pœnitētiæ ex dictis, propter priora quinq; motiua ex supra præfatis, necessarium est magis detestari maius peccatum mortale, quam minus; patet quia cuilibet ex prædictis motiuis plus contrariatur illud peccatum mortale, quod in se grauius est, quam illud, quod in se minus graue est. Tertium caput sit; peccare grauiter eum, qui expresse comparando vnum peccatū mortale maius cum alio minori, si excessus sit notabilis inter vtrumque non detestaretur virtualiter, & appretiatiue plus maius peccatum, quā minus, vt si eius memoriæ occurrant furtum decem aureorum, & furtum centum: hoc enim ex natura ipsorum peccatorum prouenit, si enim peccata debeo detestari, vt deleantur, & mortalia teneor plus detestari virtualiter, & appretiatiue, quam venialia, etiam mortale grauius plus debeo detestari eo modo, quam aliud minus graue. Expresse vero, & formaliter ad id non teneor, sed satis est vnica indiuisibilis detestatio omnium peccatorum, post quam inter se cōparata sunt, sicut sufficit vnicum indiuisibile propositum seruandi omnia præcepta, quamuis vnum videam esse maius alio, vel requiritur maior detestatio vnius peccati maioris, quam minoris negatiue, ita quod non plus doleam de peccato

peccato mortali minori. Si enim inter talia peccata tantùm esset paruus excessus, nō peccaret grauiter, qui plus detestaretur minus peccatum quam maius, vt si ei occurrerint diuersa furta circa diuersas personas, & ex sola reuerentia alicui personæ habita, plus detestaretur furtum decem aureorum, quam furtum decē, & dimidij argentei. Hoc autem tertium caput locum habet loquendo de odio efficaci peccatorum, si enim loquamur de odio inefficaci, & secundū quid, sine vllo peccato existimo posse contingere plus alicui displicere peccatum minus, verbi gratia simplicis fornicationis, quam peccatum maius, verbi gratia, iuramenti falsi, quia videt prius peccatum difficilius diuelli à subiecto, quam posterius.

14 Hic solent quærere aliqui recentiores, an Deus possit vnum peccatum mortale sine alio remittere, sed hanc quæstionem non puto pertinere ad hanc materiam, sed potius ad materiam de gratia, vbi late disputanda est. Breuiter tamē respondemus falsam esse doctrinam eorum auctorum, quos sequitur *Coninc. tomo de Sacramentis disp. 2. dub. 11.* Asserentium posse Deum per solam cōdonationē extrinsecam remittere peccatum mortale, & ita posse remittere vnum peccatum sine alio, existimo enim etiam de potentia Dei absoluta non posse hominem liberari à peccato sine interiori eius mutatione, & sine infusione alicuius doni intrinseci inhærentis animæ, quare neq; posse etiam per potentiam Dei absolutam remitti vnum peccatum mortale sine alio, quia illud donum sanctitatis, quod Deus tenetur infundere ad remissionem vnius peccati mortalis, eandem oppositionem habet cum quolibet peccato mortali, vnde nequit vnum expellere, & aliud secum in anima admittere.

15 Aliqui præterea in præsenti disputant, an remissa culpa per contritionem, omnis quoq; pœna simul remittatur, quam quæstionem nō esse germanam huius loci, propter hocque ab alijs Doctoribus hic prætermitti facile iudico. Ne tamen eius præteritio alicui molesta sit, paucis veritatem indicabo. Dico ergo primò semper vna cum culpa mortali tollitur reatus seu debitum pœnæ ęternę, hoc assumptum de fide est. Probaturque primò *ex Paulo ad Rom. 8.* vbi sic dicitur in principio capitis: *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.* Et in medio sic loquitur Paulus: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filij Dei, si autem filij, & heredes haeredes quidem Dei cohaeredes autem Christi.* Secundò probatur, *ex Trident. Sessio. 6. cap. 14.* vbi id expressè definitur. Tertiò probatur, quia quotiescunque remittitur peccatum, illud remittitur per infusionem gratiæ, sed per talem infusionem, vt constat ex verbis Pauli citatis, fit homo hæres vitæ ęternæ, ergo tollitur ab eo debitū pœnę æternæ, neq; enim simul potest quis esse hæres vitæ æternæ, & æternæ pœnę, si enim est aliquis hominum hæres vitæ ęternæ, dignus est carere pœna æterna, nemo autem simul, & semel potest esse dignus pœna æterna, & dignus carentia pœnæ æternæ, quia hæc duo contradictionem implicant inter se. Secundò dico remissa culpa mortali, & pœna æterna aliquando remanet debitum pœnæ temporalis. Conclusio est de fide, quæ roboratur primo ex *Concilio Trident. Sessione 14. cap. 8 & canone 12.* Probatur secundò, *ex 2. Regum 12.* vbi Dauid ob culpam iam remissam adulterij, & homicidij punitur pœna temporali, morte filij, & alijs grauissimis pœnis, quod significauit Nathan Propheta ipsi Dauid sub his verbis: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Tertiò probatur, *ex 2. Machabæorum 12.* vbi sic dicitur: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* In quibus verbis iuxta sensum Catholicum Ecclesiæ, laudantur orationes fidelium fusæ pro animabus purgatorij, vt soluantur à pœnis, quas pro suis peccatis ibi luunt, hoc enim significant illa verba, vt à peccatis soluantur, sed animæ purgatorij sunt animę iustæ, & sanctæ, ergo pro remissa culpa remanet adhuc debitum pęnæ temporalis. Rationem autem, cur Deus remissa culpa adhuc non remittat pœnā temporalem, cum possit eam remittere, reddidit nobis *Diuus Chrysostomus Homilia de Penitentia, & Confessione,* his verbis: *Ne peccantes, & multi manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit, non puniri, propter hoc imponit pœnam.* Huius puncti lōgior disputatio ad materiam de indulgentijs, vel ad materiam de purgatorio pertinere videtur.

Tandem disputant hic aliqui recentiores, an Deus possit remissa culpa mortali infligere pœnam æternam, quam etiam quæstionem nō reputo hic necessariam esse, neque huius tractatus valde propriam. Pro eius tamen resolutione breui, respondemus primò, Deum de potentia sua absoluta, tanquam Auctorem vitæ, & mortis rectè posse torquere hominē pœna æterna etiam iustum, & sanctum, nullam enim implicat cōtradictionem, hominem iustū simul esse hæredem vitæ æternæ, & iusto iudicio Dei pœna æterna puniri. Secundò respondemus hominem semel iustificatum, etiam de potentia Dei absoluta, non posse esse dignum pœna æterna, neque retinere posse eam obligationem ad pœnam, quam retinebat ratione peccati mortalis, in quo contrarium sentiens *Coninc. tomo de Sacramentis disp. 2. de effectu penitentia dubio 13.* Falso & omninò improbabiliter videtur mihi locutus, quod ex eo manifeste 16

feste conuincitur, quod homo existens in gratia, post ablatum peccatum mortale, vere est hæres vitæ æternæ, & dignus vita eterna, & dignus qui careat pœna æterna, ergo non potest simul esse pœna æterna dignus, etiam de potentia Dei absoluta. Secundo conuincitur hæc pars, quia totum fundamentum dignitatis pœnæ æternæ est peccatũ mortale, ergo ablato peccato mortali, nullo modo potest remanere talis dignitas, si ergo homo, cui remissum est peccatum mortale, à Deo punitur pœna æterna, non punitur vt dignus pœna, imo neque talis punitio potest dici vere pœna, quia pœna includit in sua ratione debitum, homò autem iustus non debet pœnam æternam subire. A

17 Vltimo pro complemento huius quæstionis obijciet aliquis contra primam nostram conclusionem, quia contritioni respondet confessio tanquam signum externum, quo ipsa manifestatur, sed vnus actus confessionis non sufficit pro ominibus peccatis, sed cuiuslibet peccati debet fieri specialis confessio, ergo nõ sufficit pro omnibus peccatis delendis vnica tantum contritio. Huic argumento optime respondent, *Caietanus tomo 1. opusculorum tractatu 4. quæst. 2. & Reginaldus lib. 5. de contritione cap. 4. num. 52.* Ideo necessarium esse ad iustificationem medio Sacramento pœnitentiæ operatam, confessionem fieri sigillatim omnium peccatorum, quia confessio fit homini vt iudici, qui nequit exercere rectum officium iudicis, nisi sigillatim omnes causas Rei cognoscat, & qui non potest iudicare expresse, vt debet, nisi de peccatis expresse cognitis, quæ autem peccata non distincte explicãtur in confessione, non cognoscuntur expresse à confessario, & ideo non potest ille de his indicare expresse. Per contritionem autem cor offertur Deo, & non confessario, qui quidem Deus sufficienter cognoscit omnia nostra peccata, vt illa remittat, etiam si de illis non habeamus sigillatim contritionem, tum etiam quia Deus non pensat quanta sint, aut quot peccata commissa contra eum, vt ea remittat, aut non remittat. Sed ex quanto amore procedant, iuxta cuius mensuram remittuntur omnia peccata, siue parua, siue magna, siue multa, siue pauca, & licet confessarius cognoscere debeat internum animi dolorem per externa signa, ad suam tamen sententiam pronunciandam satis est cognoscere generalem quendam dolorem omnia peccata comprehendentem. B C D

(?)

QVÆSTIO XV.

An obliget præceptum pœnitentiæ statim post commissum peccatum.

HÆc quæstio procedit de ea pœnitẽtia, quæ contritio dicitur.

In qua quæstione non loquimur de obligatione pœnitentiæ orta ex alijs præceptis, vt ex præcepto ministrandi, aut recipiendi aliquod Sacramentum, vel vincendi aliquam grauem tentationem, vel præstandi aliquam aliam rem, quia de his in quæstione sequenti passim nostrum aperiemus sensum, sed loquimur præcise de obligatione pœnitentiæ proueniente ex aliquo præcepto directe, & per se ratione honestatis operis, & necessitatis, præcipientis actum pœnitentiæ, seu contritionis. 1

Vehementer in hac parte diuisi sunt scholastici nostri. Quidã enim ex his aperte senserunt, solum religiosum obligari ad habendum actum pœnitentiæ statim post peccatum commissum, & hoc vel media confessione, quando pœnitentia tantum fuit attritio, vel extra confessionem media perfecta contritione. Fundamentum huius sententiæ illud videtur esse, nempe statum religionis, statum esse maximæ perfectionis, maxima autem perfectio videtur exigere huiusmodi pœnitentiã, ita prõptam: hanc sententiam amplectuntur, *D. Bonauentura in 4. dist. 17. 2. part. art. 2. quæst. 2. Caietan. 2. 2. quæst. 66. art. 3. circa secundum Archidiaconus in cap. Ille rex. de pœnitentia dist. 3. Innocentius IIII. in cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus.* 2

Secunda sententia generaliter pronunciat, quemlibet hominem obligari ad habendam pœnitentiam media contritione, statim post peccatum commissum, ita sentiunt, *Guillelmus Parisiensis in lib. de Sacramento pœnitentiæ cap. 19. Thom. de Argentinata 4 dist. 17. art. 4. ad 4. D. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 18. §. 2.* Huius sententiæ fundamenta plurima sunt. Primum sit, quia *Ecclesiastici 21.* dicitur, *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, Iubemur ergo peccatum statim detestari. Secundum fundamentum sit, quia qui expresse vellet permanere in inimicitia Dei, peccaret mortaliter, sed qui nõ vult detestari peccatum, vult manere inimicus Deo, ergo peccat mortaliter. Tertium fundamentum sit, quia alias sequeretur, peccatorem posse velle hic, & nunc non conuerti ad Deũ, hoc autem falsum est, quia alias posset velle permanere auersus à Deo, quod concedi minime potest. Quartum fundamentum sit, quia magis teneor succurrere mihi, quã proximo, sed statim atque proximus peccat, teneor eum corrigere, ergo statim, atque ego peccatum ali 3

quod

quod committo, teneor me corrigere per pœnitentiam. Quintum fundamentum sit, quia qui patitur damnum corporale notabile, tenetur statim illud à se expellere, ergo multo magis tenetur homo statim à se repellere damnum spirituale, quod patitur ratione peccati, & hoc per vim pœnitentiæ, ad quā Deus semper habet paratum suum auxilium. Sextū fundamentum sit, quia statim ac homo aufert ab alio bona, honorem, vel famam tenetur ea restituere si potest, ergo statim ac homo peccatum commisit, per quod abstulit à Deo honorem, tenetur honorem restituere retractando peccatum per perfectam contritionem, quam constitutam habet in suâ potestate. Septimū, & vltimum fundamentum sit, quia qui manet in peccato mortali, manet in periculo committendi aliud peccatum mortale, tum quia sine gratia habituali nequit seruari tota lex Euangelica, tum quia, *Vt D. Greg. notauit homil. 11. in Ezechi. peccatum, quod per pœnitentiam non cito deletur, Deo permittente suo pondere in aliud trahit*, Ergo tenetur homo statim post peccatum commissum agere pœnitentiam eius pro vitando tali periculo.

4 Sed tamen verior sententia est illa, quæ asserit nullum hominem obligari ad agendam pœnitentiam perfectam media contritione, vel imperfectam media cōfessione, statim post commissum peccatum, sed quodam determinato tempore, ita communiter Doctores, sed specialiter, *D. Thom. in 4. distinct. 17. quæst. 3. ar. 1. quæstiuncula 4. Durandus in 4. distinct. 17. q. 10. num. 5. Angelus verbo, contritio, num. 5. Sotus in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 6. Vazquez de pœnitentia super articulum secundū, quæstionis 86. & Suarez 4. tomo 3. partis, disp. 15. sectione 5.* Probatur primo, quia præceptum pœnitendi est affirmatiuum secundum communem sententiam, quia obligat ad actū positiuū, ergo nō obligat pro semper, sed pro determinato tempore; sicut reliqua præcepta ieiunandi audiēdi sacrū, &c. Secundo probatur, quia alias, quoties homo semel tantū peccaret, esset in duplici peccato, vno quidem quod commisit, alio vero quod cōsisteret in non pœnitendo statim post peccatum commissum, quod nimis rigidum est, atque ita nullo modo admittendum. Tertio confirmatur; quia alia præcepta supernaturalia sua habent determinata tēpora, in quibus obligent, vt præceptum fidei, spei, & charitatis, ergo etiam præceptum pœnitentiæ determinatum tempus sibi vendicat, in quo obliget, quod autem sit tale tempus, in quæstione sequenti examinabimus.

5 Restat respōdere ad argumēta in oppositū. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur, religiosum ratione sui status solum obligari peculiariter ad seruanda vota, quæ emisit, & præcepta, quæ continentur in sua regu-

A la, & quia præceptum pœnitendi statim post commissum peccatum, neque ad vota pertinet, neque ad præcepta regulæ, hinc est, huiusmodi præceptum neque etiam in religiosis vim vllam habere. Secundum congruentiam autem, vel Consilium specialiter debent religiosi expiare animam post peccatum commissum statim, quia eius status maiorem perfectionem requirit.

Ad primum argumentum, secundæ sententiæ respondetur, in illis verbis, *Ecclesiastici 21.* Spiritum Sanctum docere nos, ac præcipere fugam peccati committendi, non vero pœnitentiam peccati præteriti, quod exinde patet, quia immediate subijciuntur hæc verba, *Et si accesseris ad illa, suscipient te.* Per quem ac- 6

B cessum videtur denotari perpetratio peccati. Ad secundum argumentum concedimus, eum peccare mortaliter, qui expresse vult, permanere inimicus Deo, eum tamen, qui non conteritur de peccato mortali commisso, minime peccare mortaliter, quia non vult expresse permanere inimicus Deo, quia potius hoc ei displicet, sed potius suspendit actum circa contritionem habendam, imo potest aliquando hic, & nunc nolle habere contritionem de peccato, sine eo quod velit in eo perseuerare, & sine eo quod velit permanere in inimicitia Dei, tum quia videt se non obligari ad habendam contritionem, tum quia molestiam contritionis timet, in quo nullum video consistere peccatum mortale, imo neque veniale. Ad

C tertium argumentum respondetur simili modo, atque respondimus secundo argumento. Ad quartum dicimus, aut peccatum pendere in futurum, ita quod homo sit in probabili periculo committendi aliud peccatum, vt patet in concubinatu, vel peccatum non pendere in futurum, si peccatum pendet in futurum, teneor corrigere peccatorem statim post primum peccatum commissum, atque in hoc casu teneor etiam me ipsum corrigere, agendo pœnitentiam de peccato priori à me commisso, cum eiusmodi pœnitentia iudicatur medium necessarium ad vitandum aliud peccatū meum, cum vero peccatum non pendet in fu-

D turum, vt homicidium iam semel commissum; tunc quidem, duobus tantum casibus teneor peccatorem corrigere, ac illi persuadere pœnitentiam. Primus sit cum ille est in articulo mortis constitutus, & sine magno incommodo meo possum illum corrigere, & cum spem concipio emendæ, seu resipiscentiæ peccatoris. Secundus casus sit, cum se offert opportuna occasio illum corripiēdi, & timetur postea aliam occasionem similem non se oblaturā; extra hos vero casus, sicut peccator non tenetur statim post commissum peccatum pœnitere, neque ego teneor illū corrigere speciali præcepto correctionis fraternæ. Ex his dicimus

cimus ad nostram propositum, teneri nos in articulo mortis, vt videbimus quæstione sequenti, verum de peccatis dolorem concipere, non verò cum timentus minime adepturos occasionem opportunam pœnitẽdi, talis enim timor inesse nobis non debet, cum in toto vitæ tempore auxilium Dei præparatum habeamus ad nostram conuersionem, semper enim Deo dicere possumus, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, sperent in te qui nouerunt nomen tuum. Ad quintum argumentum respondemus primò in corporalibus non teneri hominem depellere à se graue damnum corporale, quod patitur; cùm ex illo non timetur aliquod damnum notabile in futurum, vnde neque in spiritualibus teneri hominem ad pœnitendum statim de peccato commisso, quando ex tali peccato non timetur aliquod graue damnum spirituale. Vel secundò respõdetur ad idem argumentum, & melius obligari hominem ad expellendum à se graue damnum corporale, quod patitur, etiam si aliud inde non timeatur, propter specialem virtutem fortitudinis, quæ ad id obligat, in spiritualibus vero non esse obligatum hominem ad depellenda statim damna spiritualia peccatorum per pœnitentiam, quia non est aliqua virtus specialis, quæ homini eam obligationem præfigat.

7 Ad sextum argumentum communis solutio Doctorum respondet, teneri hominem statim post ablatum honorem famæ; vel aliud bonum ab alio homine, ad restitutionẽ, quia prædicta bona sunt homini vtilia; & ei deseruiunt ad magnam eius commoditatem: quia vèro per peccatum nihil aufertur à Deo, quod ei sit vtile, ideò minime nos manere obligatos ad restituendum id, quod per peccatum à Deo abstulimus statim post illius perpetrationem. Ad septimum, & vltimum argumentum respondetur cum recentioribus, hominem constitutum in peccato mortali non esse in proximo periculo incidendi in nouum peccatum mortale; tum quia sine gratia habituali potest homo per aliquod tempus seruare totam legem Dei cum auxilijs gratię præuenientis, concomitantis, & consequentis, quibus Deus continuo nos adiuuat ad implenda præcepta, tum etiam quia illud dictũ *Greg. peccatũ quod per pœnitentiã non cito deletur, Deo permittente suo pondere in aliud trahit*, debet intelligi de peccato, in quo quis perseuerat, & de quo vehementer delectatur, huiusmodi enim peccatũ maxime impellit hominem in aliud simile, vt verbi gratia, ille cui placet superbia, facile incidet in inuidiam, & in alia peccata, quæ sunt quasi filiæ superbiæ.

QVÆSTIO XVI.

Quo tempore determinato obliget præceptum contritionis.

IN hac quæstione quærimus, quod tempus determinatum habeat hoc præceptum cõtritionis, siquidem est affirmatiuũ, & proprium est præceptorum affirmatiuorum vendicare sibi tempus determinatum, in quo obligent.

Varij Auctores varia tempora huius præcepti assignarunt. Quidam dicũt tempus esse, quoties memoriæ occurrit peccatum, si non detur copia confessoris, sed hoc libere dicitur, & ita libere negatur. Alij dicunt hoc præceptum obligare in omnibus festis, quia in illis debet homo iustificari, ad quem finem ordinãtur dies festi. Ita *Angelus verbo feriæ, num. 41. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 1.* Sed hoc falsum est, quia diebus festis solùm tenetur homo ad cessandũ ab operibus seruilibus, & ad audiendum sacrũ: & licet dies festi ordinentur ad hoc, vt homines Deo vacantes soli iustificentur, tamen finis legis non cadit sub lege. Alij dicunt teneri hominem ad habendam contritionem de peccatis quoties imminet aliqua calamitas, & orãdus est Deus pro ea, quia tunc cum indigne Deus exoratur, necessaria est pœnitentia peccatorum, sed tunc quidem esset necessaria pœnitentia non ratione præcepti pœnitẽtiæ, sed ratione præcepti orationis. Alij dicunt tẽpus huius præcepti esse, cum timetur obliuio alicuius peccati in particulari, verum ad salutem vt iam supra diximus, sufficit contritio peccatorum in communi, & non necessaria est peccatorum in particulari, ergo quamuis sit periculum obliuionis, non tenemur pœnitere. Tũ etiam hæc sententia ex eo refutatur; quod tale præceptum nimis durum est, ergo non est ponendum; cum etiam neque in Euangelio, neq; in lege naturali, aut positiua illud habeatur. Alij dicunt tempus huius præcepti esse, cum accipiendum, vel ministrandum est aliquod Sacramentum. Sed respondetur, quod tunc nõ obligat ad habendam contritionem præceptũ pœnitentiæ, sed aliud præceptum de non indigne ministrando, vel recipiendo Sacramento. 1

Alij sentiunt, hoc præceptum obligare tempore alicuius grauis tentationis, vt media pœnitentia peccatorum facile possit tentatio superari. Respondetur tamen in eo casu posse esse necessariam pœnitentiam non ex vi præcepti pœnitentiæ, sed ex vi præcepti vincendi tentationes. 2

Sotus in 4. dist. 17. quæst. 2. artic. 6. defendit præceptum pœnitendi obligare semel in an- 3

no, quemadmodum præceptum confessionis hoc modo obligat, vt in tractatu de confessione defendemus, & hanc qui tem obligationem tunc vrgere, quando non ad est copia confessarij propter periculum obliuionis, si enim diutius differatur contritio, facile peccata elabentur è memoria. Verumtamen hæc sententia sufficienti non fulcitur fundamento. Primò, quia nobis non constat de tali præcepto, neque à Deo constituto, neque ab Ecclesia, sicut constat nobis de præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, *ex capit. omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remissionibus*. Secundò quia periculum obliuionis non obstat ad habendum actum contritionis, siquidem contritio potest haberi de peccatis oblitis, cum necessarium non sit, hominem conteri de singulis peccatis, neque ad hoc vt cõteratur, necessaria est recordatio omnium peccatorũ in particulari, vt probauimus quæst. 13. & 14. huius tractatus.

4 Alij Doctores aperte defendunt, præceptũ contritionis conceptæ extra Sacramentum tantummodo obligare in periculo proximo mortis naturalis, aut violentæ. In hanc sententiam conspirarunt *Caietanus in Summa verbo contritio, Adrianus in 4. quæst. 3. de Confessione, Nauar. in Summa cap. 1. num. 31. & 27.* Confirmatur, quia præceptum contritionis, vt constat ex præcedenti quæstione, minimè obligat statim post peccatum commissum, ergo non obligat ante periculum mortis. Patet consequentia, quia ante articulum mortis non est maior ratio, quare illud præceptum obliget in vno tempore, quam in alio, aut ergo obligat in omni, & hoc defendi non potest iuxta supra dicta, aut in nullo, & hoc est, quod contendit ista opinio. Quod vero in articulo mortis obliget præceptũ contritionis, seu in periculo mortis (quantum ad hoc enim idem reputantur articulus, & periculũ) postea probabimus, dum primam conclusionem statuemus.

5 His suppositis sit prima conclusio. Peccator constitutus in articulo mortis, qui non potest suscipere aliquod Sacramentum, medio quo iustificetur, tenetur habere tunc perfectã contritionem suorum peccatorum. Probatur, quia iure diuino naturali tenetur homo prouidere sibi in extrema necessitate articuli mortis, dum conscientiam habet peccati mortalis, tùm vt reconcilietur cum Deo, tùm ne discedat ex hac vita in Dei inimicitia, & ita æternam damnationem incurrat. Sed ad hæc omnia necessaria est contritio in articulo mortis, præceptum ergo perfecte conterendi sine dubio obligat in articulo mortis.

6 Sit secunda conclusio. Illi qui diu viuunt, etiam extra articulum mortis aliquoties in vita tenentur de peccatis suis mortalibus conteri ex vi præcepti pœnitentiæ diuini naturalis.

A Hãc conclusionem expresse tuentur *Enriquez lib. 4. de Sacramentis capit. 6. num. 6. Suarez disp. 11. sect. 6. num. 3 & nouissime Conine. tom. de Sacramentis disp. 3. de præcepto pœnitentiæ dubio 3. num. 32.* Et videtur esse communior sententia Doctorũ: omnes enim fere Doctores pro contrarijs sententijs allegati hanc nostram conclusionem defendere tenentur. Probatur primò, quia grauem iniuriam Deo videtur irrogare, qui diu differt suam cum eo reconciliationem, paruique pendere iudicatur amicitiam Dei: sicut etiam inter homines ille, qui grauiter proximũ offendit, si diu satisfactionem differat, quam facile possit exhibere, grauem iniuriam proximo irrogat in ea longa dilatione, & aperte indicat se eiusmodi amicitiam vili
B pendere. Secundò probatur, quia si homo diu permaneat in peccato mortali, maximis periculis animæ se exponit, amittit enim magnos profectus spirituales, quos ex liberali manu Dei recepisset, si peccatum mortale ex anima expulisset, quod contrariũ est auxilijs, & fauoribus Dei specialibus. Tũ etiã exponit se periculo decedendi ex hac vita in peccato mortali per subitaneam mortẽ, in qua non detur ita aptus pœnitentiæ locus. Tùm etiam, quia per peccatum diu existens in anima punitur homo priuatione auxiliorum efficacium, quæ sunt necessaria ad salutem. Tùm etiam vehementer obduratur cor hominis, & fit ad peccandum procliuior, & ad virtutem tardior. Secundò confirmatur hæc conclusio auctoritate Sancto-
C tum Patrum, qui grauissime reprehendunt eos, qui pœnitentiam differũt vsque ad finem vitæ. De qua re videri possunt *D. August. sermone 57. de tempore D. Ambros. in exhortatione ad agendam pœnitẽtiam, D. Chrysostomus in epist. secunda ad Corinthios, & D. Basilius in exhortatione ad baptismum*. Tertiò probatur ex sacra Scriptura, *Prouerbiorum enim 1.* vehementer reprehendit Deus peccatorem, magnamque ei pœnam comminatur propter dilatam conuersionem ad Deum, quod nequaquã Deus præstaret, nisi præceptum homini imposuisset habendi contritionem de peccatis ante articulũ mortis. Verba Spiritus sancti hæc sunt: *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & nõ fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, &
D increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Ex quibus rationibus duo colliguntur. Primum, dilationem prædictæ contritionis vsque ad finem vitæ peccatum esse mortale, cum tot grauia damna hominibus importet. Secũdum, eiusmodi dilationem tantùm esse peccatum mortale in eo, qui vitæ suæ tempore longo ante articulum mortis non recepisset Sacramentum pœnitentiæ, qui enim hoc Sacramentũ frequenter recipit, cum verè apud Deũ iustificetur sine dubio, & de attrito fiat contri- 7

tus, expressa contritione non eget, præceptũ enim contritionis ad hoc ordinatur, vt homo reconcilietur Deo, & liberetur à peccatis.

8 Quæres tamen, quibus determinatis temporibus obliget præceptum contritionis extra articulum mortis ratione sui. Respondetur primò, talia tempora non esse determinata, neque à Deo, neque ab Ecclesia, sed prudentum arbitrio relinquenda esse, vt notarunt in præsenti recentiores. Respondetur secundò, iuxta doctrinam *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 69. sect.* 3. Vbi loquitur de tempore, quo obligat præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, & iuxta doctrinam *Conint. loco supra citato numero* 33. Præceptum habendæ contritionis obligare tertiò, vel quartò quoque anno, cuius doctrinæ efficax fundamentum assignare minime possumus, eam tamen ex quadam congruẽtia defendimus ex eo, quia plus differre contritionem, videtur esse contra rectã rationem; & longa videtur dilatio, & ad eum modum in tractatu de Eucharistia secundo, quæst. 14. defendemus præceptum diuinum sumendi Eucharistiam eodem tempore obligare.

9 Ad argumentum vltimæ sententiæ contrariæ respondetur ex dictis, maxima extare fundamenta, ad asserendum præceptum contritionis obligare extra articulum mortis, & aliquale fundamentum extare ad defendendum obligare huiusmodi præceptum tertio; vel quarto quoque anno.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm omnia peccata possint per verã pœnitentiam deleri?

1 QVÆSTIO hæc tam procedit de ea pœnitentia, quæ est perfecta contritio, quam de ea, quæ est attritio, seu imperfecta contritio, & quæ simul cum Sacramento Pœnitentiæ sine vllo dubio peccata mortalia remittit, de quâ remissione ita sunt expressa verba *in Trident. Sessio. 14. cap. 4.* vt sine expressa violẽtia non possint aliter explicari.

2 Non loquimur in præsenti de peccatis damnatorum, tam Angelorum, quàm hominum; eorum enim peccata irremissibilia sunt iuxta verba Christi *Matthæi 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum*, & infra, *& ibunt hi in supplicium æternum*. Et iuxta id quod communiter canit Ecclesia: *In inferno nulla est redemptio.*

3 Quidam hæretici existimarũt peccata post baptismum commissa nullo modo remitti homini quamtumuis pœnitenti. Iste fuit error Nouatianorum, Montanistarum, Cataphry-

A gum, & aliorum olim hæreticorum, vt patet ex *Diuo Ambrosio libro primo de pænitentia cap. 9. ex Paciano epistola 3. ad Sempronianum, Cardin. Baronio sub finem anni 254.* & aliis pluribus. Sumpserunt hæretici hi præcipuum suum fundamentum ex quibusdam locis Scripturæ, quæ infra adferemus.

Sententia secunda concedit homini verè pœnitenti semper remitti peccatum quamtumuis graue, & sæpius commissum, negat tamen, omnes peccatores in hac vita posse agere pœnitentiam, eo quod Deus quibusdam neget gratiam ad hoc necessariam, & tales volunt esse eos, qui in scriptura dicuntur obdurari, quibus aiunt Deum non solùm non dare gratiam efficacem, sed negare etiam sufficien- 4

B tem, sine qua impossibile est, agere veram pœnitentiam. Ita *Medina libro 3. de recta in Deum fide capit. primò, Catherinus opusculo de prædestinatione*, & alij. Mouentur præcipuè quibusdam scripturæ locis, vbi id videtur *Insinuari Ecclesiastæ. 7. Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexerit, Psalmo 80. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis, ad Romanos 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, Ioannis 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Vltimo confirmatur secunda hæc sententia ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui significare videntur; quibusdam defectu gratiæ impossibilem esse conuersio-

C nem.

Sit prima conclusio. Nemo in hac vita, quando vtitur ratione, ita à Deo deseritur, vt non possit conuerti, sed omnibus Deus concedit auxilia sufficientia ad suam conuersionem, quamtumuis in grauissima peccata prolapsi fuerint. Hæc conclusio non est huius loci propria, sed in aliis locis late à Theologis discutitur, *vt à Bellarmin. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. & à Suarez in opusculo de auxilio gratiæ quæst. 6.* Vnde breuiter à nobis probanda est. Probaturque primò ex modo loquendi Sanctorum Patrum, quos late refert *Bellarminus loco citato*. Probatur secundò ex illis locis sacræ Scripturæ, in quibus peccatores quamtumuis grauissimi excitantur, & in- 5

D uitantur ad pœnitentiam, ergo eis possibilis est pœnitentia, & eis parata sunt auxilia sufficientia ad suam conuersionem, quia nemo inuitatur ad id, quod est ei impossibile. Primum testimonium sit *Prouerbiorum primo. Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum; & ostendam vobis verba mea, quia vocaui; & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Secundum testimonium est *Ezechielis 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Tertiũ

testimonium sit 1. *ad Timoth.* 2. vbi Paulus de Deo generaliter pronunciat hanc veritatem his verbis: *Qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quartum testimonium sit, *Ioannis* 1. vbi de Christo sic dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat hominem omnem venientem in hunc mundum.* Quod intelligitur de lumine gratiæ vocationis, medio quo homines excitantur ad suam conuersionem. Vltimum testimonium sit, *ex Paulo ad Romanos* 2. vbi dicitur generaliter ad omnes homines: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

6 Sit secunda conclusio, certa secundum fidem. Nullum potest esse peccatum ita graue quod per veram pœnitentiam in hac vita deleri non posit. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, inter quos sufficiat notare præclara verba *Diui Hieronymi Epistola ad Oceanum*, quæ sic se habent: *Frustra mortuus est Christus, si aliquos viuificare non potest, mentitur Ioannes Baptista, & digito Christum, & voce demonstrans: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi, si sint adhuc in hoc sæculo quorum Christus peccata non tulerit.* Probatur secundò ex *capite firmiter de summa Trinitate*, vbi generaliter pronunciatur de omnibus peccatoribus sic: *Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Secundo probatur ex sacra Scriptura, cuius primum testimonium sit: *ex Sapientia capite* 12. *Quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.* Secundum testimonium sit ex eodem capite illis verbis infra positis: *Si enim inimicos seruorum tuorum* (loquitur autem de Chananæis, & alijs nationibus inimicis populi Dei) *& debitos morti cum tanta cruciasti attentione, & obtestatione, & liberasti, dans tempus & locum, per quæ possint mutari à malitia.* Tertium testimonium sit ex *Matthæi capit.* 16. vbi dum Christus Diuo Petro concedit facultatem remittendi peccata medio Sacramento pœnitentiæ, generaliter eam concedit ad omnia peccata dimittenda, his verbis: *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Ergo Sacramentum Pœnitentiæ cum vera attritione susceptum potens est ad remittenda peccata etiam grauissima, & eadem est ratio de vera & perfecta contritione.

7 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum ex *Ecclesiastæ* 7. respondetur, ibi significari impossibilem esse conuersionem à peccatis ei, cui Deus denegat auxilia efficacia, non quidem impossibilitate antecedenti, vt loquuntur Theologi, quia secundum hunc modum possibilis est cuilibet peccatori conuersio per auxilium sufficiens, quo à Deo excitatur, sed impossibilitate consequenti, quâ omne quod est, quando est, necesse est esse. Supposito enim, quod Deus præsciuerit hominem in tali occasione non esse conuertendum, quia nollet conuerti, necesse est eum non conuerti. Et eodem modo respondetur ad locum citatum *Ioannis* 12. ad alia verò testimonia *ex Psalmo* 80. *& ex capit.* 9. *ad Roman.* respondendum est ex eo in sacra Scriptura affirmari de Deo, quod induret corda hominum, non quia eis deneget auxilia sufficientia ad suam cõuersionem, sed quia ex iusto iudicio suo denegat eis auxilia efficacia, sine quibus præuidet Deus homines non esse conuertendos à peccatis, sed perseueraturos in eis, ac propterea quotidie difficiliorem reddendam esse eorum conuersionem. Sancti verò patres allegati pro secunda sententia, vel sunt intelligendi de impossibilitate morali, quæ est quædam magna difficultas conuersionis, vel de impossibilitate consequenti supra explicata.

Sed contra nostras conclusiones non leuia sese offerunt argumenta. Quorum primum sit deductũ ex *Paulo ad Hebræos* 6. vbi cum prius dicat sic: *Impossibile enim est eos, qui semel illuminati sunt*, paucis verbis interiectis hæc addit: *Et prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibmetipsis filium Dei.* Est ergo aliquod peccatum, quod per pœnitentiam deleri non posit. Huic argumento varia respondere solent Interpretes Scripturæ sacræ, ea tamen responsio semper mihi plus placuit, cui plus fauent Sancti Patres, & specialiter *D. Ambros. lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 2. *D. August. lib.* 5. *de vera, & falsa pœnitentia.* Nempe prædicta verba Pauli significare baptismum iterari nõ posse, & ita impossibile esse eos, qui semel baptizati sunt, & post baptismum in peccata inciderunt, iterum emundari à peccatis per baptismum de nouo susceptum, vbi Paulus vocat baptismum pœnitentiam, quia ab adultis sine dolore peccatorum suscipi nequaquam potest.

Secundum argumentum offerunt nobis verba eiusdem *Pauli ad Hebræos* 10. in hunc modum: *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non restat hostia pro peccato.* Hoc argumentum varijs modis soluitur, à nobis tamen ita soluendum est, vt Apostolus tantum denotet, peccantes post baptismum non debere expectare pro sui iustificatione vt Christus secundo pro eis moriatur, ac secundũ baptismum pro eis instituat. 9

Tertiò insurgunt contra nos difficilia quædam verba Christi relata à *Diuo Marco capit.* 3. quæ sub hac verborum serie Continentur: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerint, qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus* 10

teus, erit æterni delicti. Est ergo aliquod peccatum, ad cuius remissionem impares vires habet pœnitentia. Ad hoc tamen argumentum respondetur, ibi per blasphemiam in Spiritum Sanctum intelligi eam, qua quis miracula, quibus veritas catholica confirmatur, malitiose, & deprauate Dæmonis virtuti tribuit quod sufficienter indicauit *Diuus Marcus*, dum post prædicta verba subiicit: *Quoniam dicebant, spiritum immundum habet*. Ac si diceret apertius Marcus, ex eo Christus pronunciauit blasphemiam in Spiritum sanctum remittendam non esse, quoniam Iudæi miraculis Christi insidiabantur, asserentes eum virtute Dæmonis miracula operari, quod peccatum dicitur esse cōtra Spiritum sanctum, quia operatio miraculorum, per appropriationem tribuitur Spiritui sancto, vt aperte constat ex *Matthæi 12. cap. versu 28. Ibi si autem ego in spiritu Dei eiicio Dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei*. Prædictum vero peccatum dicitur remittendum non esse, quia difficillimo negotio, rarissimeque conuertentur illi, quia diuinæ bonitati, eos ad se pertrahenti media doctrina, & miraculis, viam salutis suæ præcludunt, sæpe enim in sacra Scriptura id, quod difficile valde est, impossibile dicitur, vt passim notant Interpretes.

QVÆSTIO XVIII.

Quid sit attritio, & quomodo differat à contritione, & quando sit recta dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ.

1 IN proxime præcedentibus quæstionibus de contritione, quæ largo modo dicitur pœnitentia virtus, satis superque disputauimus, quia potest esse pars Sacramenti Pœnitentiæ, cum per illam homines ad recipiendum Sacramentum disponuntur. Verumtamen quia etiam attritio sola potest esse sufficiens dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, & vera pars illud constituens, ideò attritionis naturam explicandam esse censemus. Pro cuius intelligentia aliqua animaduertenda sunt. Primò notandum est, in præsentia apertum sermonem esse de attritione, quæ à *Concilio Tridentino Sessio. 14. cap. 4.* Appellatur contritio imperfecta, & dicitur esse sufficiens dispositio simul cum Sacramētо Pœnitentiæ ad gratiam Sacramentalem suscipiendam.

2 Secundò animaduertendum est, hanc attritionem ad Sacramentum sufficientē esse quoddam donum supernaturale, & ita debere esse ex motiuo supernaturali vt docet *Concil. Tridentin. Sessio. 14. capit. 4.* dum hanc attritionem vocat donum Dei, & impulsum Spiritus sancti.

3 Tertiò animaduertendum est, attritionem, vt sufficiens sit dispositio ad Sacramētum Pœnitentiæ, debere esse detestationem de peccato ita efficacem, vt includat vel formaliter, vel virtualiter propositum non peccandi de cætero aliquo genere peccati, & odium ac detestationem omnium peccatorum præteritorum, ita vt auertat voluntatem ab omni affectu peccandi. Probatur doctrina hæc, quia attritio, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, est sufficiens dispositio ad gratiam Sacramentalem recipiendam, debet ergo auferre obicē peccati, qui positus est in affectu peccandi, quem homo prius habuit, & qui moraliter perseuerat, donec efficaciter retractetur: sed hæc omnia non possunt fieri, nisi homo concipiat efficacem detestationem omnium peccatorum præteritorum, ac efficax propositum nullo modo peccandi de cætero: prædicta ergo detestatio, & prædictum propositum ad veram attritionem necessaria esse iudicamus. Quam ob causam, cum supra quæstione 14. huius tractatus septē motiua explicuerimus, ex quibus potest procedere detestatio peccatorum, scilicet quatenus peccata sunt contra rationem, & contra honorem Dei, & quatenus sunt contraria Deo, & quatenus merentur pœnas æternas, & quatenus priuant hominem gloria, & quatenus peccata sunt contra particularem aliquam virtutem, & quatenus habent annexa aliqua damna temporalia à republica designata, certum est attritionem de qua loquimur, non debere procedere ex amore solo peculiaris alicuius virtutis, neque ex timore alicuius damni temporalis à republica infligendi, quia vt sic non contineret detestationem omnium peccatorum præteritorū, neq; efficax propositū præcauendi omnia peccata in futurum.

4 Quartò animaduertendum est, neminem posse habere propositum efficax non peccandi de vllo genere peccati, etiam venialis, & ex subreptione, ac in omni materia, quemadmodum multi recentiores sentiunt, & nos probauimus in materia de voto, tractatu primo, quia cum moraliter sit impossibilis executio præfati propositi, impossibile est, propositum efficax non peccandi eo modo concipere, debet ergo quilibet in eo casu habere voluntatem auersam ab omni genere peccati, & efficacem intentionem efficiendi quantum possit, ne aliquod peccatum committat.

5 Quintò animaduertendum est attritionē, & quemlibet alium dolorem ad hoc Sacramentū sufficientem, debere necessariò præcedere ipsam confessionem. Probatur primò à priori, quia verus dolor in animo conceptus causa est veræ confessionis excitans peccatorem, vt sua peccata manifestet confessario, ad hoc vt ea deleantur, sed omnis causa est prior suo effectu; ergo attritio prior est cōfessione. Secūdò probatur à posteriori: quia alias, si confessio nō se

querentur dolorem, non esset vera confessio, sed narratio cuiusdam historiæ, vnde neque pars Sacramenti esse posset. Et quidem attritio prior est tempore confessione, cum ex tali attritione moueatur homo ad quærendum confessarium, & ad genuflectendum coram illo, in quibus aliquod tempus consumitur post conceptum dolorem, & ante prolatam confessionem. Quod si prudentes confessarij aliquãdo post cognita peccata pœnitentium, & post cognitum defectum doloris hortantur pœnitentes ad verum dolorem, & postquam illius signa vident, non requirentes à pœnitentibus nouam confessionem, contenti sunt priori cõfessione sine dolore prolata, hoc ex eo prouenit, quia pœnitentes post conceptum verũ dolorem, de nouo subijciunt peccata clauibus Ecclesiæ, vel expresse, dum asserunt se ea de nouo confiteri, vel virtualiter, dum affirmant se de omnibus peccatis cõfessis dolere, & beneficium absolutionis expectare.

6 Sit ergo prima conclusio. Attritio est detestatio peccatorum, quæ vt ait *Tridentin. loco citato*, ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, quæ conclusio cum expresse habeatur in concilio non indiget probatione, sed explicatione. Explicandum autem est in ea. Primò quo modo attritio ex metu gehennæ honesta sit. Secundò quo modo attritio ex fœditate peccati supernaturalis sit. Tertiò, quo modo omnis attritio ad hæc duo membra reducatur.

7 Pro declaratione primi dico primò. Timor pœnæ vt à Deo infligendæ, & præsertim gehennæ, est actus bonus, & meritorius apud Deum. Hoc est de fide definitum *in Trident. Sessione 6. canone* 8. patet *Psalmo* 118. *Confige timore tuo carnes meas, & Psalmo* 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, & ex illo eiusdem Psalm. *Timete Dominum omnes sancti eius, quod Diuus Basilius exponit de timore pœnarum, quem vocat frænum animæ.* Et hæc est communis traditio Sanctorum Patrum, & probatur ratione, quia odium alicuius mali sumit suam honestatem ex amore oppositi boni: ideò enim malum aliquod fugimus, quia oppositum bonum amamus, sed bonum oppositum gehennæ est de se amabile per spem, quæ est actus bonus, ergo gehenna est malum fugibile per timorem honestum. Dupliciter autẽ homo potest operari ex timore. Primò tãquã ex occasione, non vt ex motiuo proximo, aut fine proximo, qua ratione operati sunt Niniuitæ, & Dauid Ex hoc timore operari sine dubio bonum est, quia ex eo homines sæpe ad cõtritionem mouentur. Dico secũdò: attritio ex timore pœnæ vt ex proximo fine etiam est honesta. Probatur primò ex *Concil. Trident. Sessio.* 14. *cap.* 4. vbi attritionem dicit esse gehennæ

A metu conceptam, quæ verba indicant, causam finalem proximam esse gehennam. Et confirmatur, quia operari hoc modo, in primis est bonum ratione mali, quod intendit homo fugere: quia fugere pœnam æternam bonum est ex se, deinde est bonum ratione fugæ peccati, quia fugere peccatum bonum est, deinde est bonum, quamuis maius malũ, quod est peccatum, ordinetur ad minus fugiendum malum, quod est pœna, tùm quia non excluditur finis vltimus, qui est Deus, sed omnia hæc possunt ad Dei gloriã referri, tùm etiam quia bene potest, id quod maius est, ad id quod minus est ordinari, vt Deus incarnationem, quod maius bonum est ad nostram gloriã, quod minus est, ordinauit. Et in hac attritione non in- B cluditur istud propositum conditionale, si pœna non esset imposita paccato, non detestarer illud, tùm quia efficaciter auertit volũtatem à peccando, quod non potest compati cum illo proposito, tùm quia nõ in ea attritione excluditur finis vltimus, qui est Deus, qui excluderetur cum illo proposito. Et talem attritionẽ, vt optime notauit *Suar. tom. 4. 3. par. disp. 5. sect.* 2 dicendum est, pertinere ad virtutem spei, quia ad eandem virtutem spei debet pertinere timor gehennæ, quæ est opposita gloriæ, ad quam pertinet desiderium gloriæ, sed desiderium gloriæ pertinet ad virtutem spei, ergo fugam gehennæ ad eandem virtutem spectare necesse est.

Secundò explicandum est in hac quæstione 8
C quo modo attritio, quæ habetur propter turpitudinem peccati, sit supernaturalis. Et respondetur tunc esse supernaturalem, quando respicit aliquem finem supernaturalem, vt amissionem gloriæ, &c.

Tertiò explicandum est, an omnis attritio 9
reducatur ad has duas, scilicet ad eam, quæ procedit ex metu gehennæ, & turpitudine peccati. Et respondetur reduci quidem, quia omne malum, aut est malum pœnæ, aut culpæ, & ita omnis attritio vel est propter turpitudinem peccati, vel propter gehennam. Nã quamuis attritio posset esse ex metu aliarum pœnarum temporalium, quæ si ibi sisteret, non esset sufficiens dispositio ad Sacramentum (quamuis esset motus bonus) si tamen istæ pœnæ consi-
D derentur vt inflictæ à Deo, & vt quodammodo inchoant diuinum supplicium, nisi emẽdemur sic potest esse de istis supernaturalis attritio, quæ reducitur ad attritionem procedẽtem ex metu gehennæ, sicut sperare à Deo bona tẽporalia in ordine ad vitam æternã (sicut Ecclesia facit, cum à Deo sic petit temporalia, vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiter appetamus) pertinet ad virtutẽ spei, cuius proprium est à Deo sperare gratiã, & gloriam.

Quantũ ad secundũ punctũ quæstionis dico breui-

breuiter, tres sunt potissimæ differentiæ inter contritionem, & eã attritionẽ, quæ est sufficiẽs dispositio ad gratiam. Prima differentia est, quod contritio est detestatio peccatorũ propter Deũ, sed attritio est detestatio propter gehennam, vel turpitudinem peccati. Secunda differentia est, quod contritio procedit à charitate, & est virtualis quidam actus amoris Dei super omnia, & est de se sufficiens dispositio ad gratiam sine aliquo Sacramento, at vero attritio procedit ab alia inferiori virtute, & non est virtualiter amor Dei super omnia, & sine Sacramento preterea de se sola non sufficienter disponit ad gratiam, quamuis cum illo sufficienter disponat. Tertia differentia esse potest, quod contritio semper est omnium peccatorum, sed attritio potest esse aliquorũ peccatorum, propter turpitudinem peccatorum specificam, & non omniũ, quia vt sic non sunt conuexa. Ita *Suarez, 3. tom. 3. part. disp. 28. sect. 5.* Attritio vero, quæ est propter gehennam, si est vnius peccati, debet esse omnium.

10 Attritio tamen debet esse voluntaria, non coacta, vt valeat pro Sacramento Pœnitentiæ, vt docuit *Trident. Sess. 14. cap. 4.* Debet etiam attritio, vt sit pars Sacramenti, esse cum spe veniæ, quia talis spes requiritur ad iustificationẽ *ex Trident. Sess. 6. cap. 6. vt notant Sotus in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 5. sub initio, & Reginaldus tomo 1. suæ praxis lib. 5. de contritione.* Et vt attritio, sit pars huius Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse detestatio, saltem virtualis peccati supra omne aliud detestabile, & cum proposito nunquam peccandi in futurum. Propositum probatur *ex cap. quod quidam de pœnitentijs, & remissionibus*, alias non erit conuersio ex toto corde, vt exigitur *à Ioele cap. 2.*

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm attritio fieri possit contritio?

1 HIc non loquimur de homine, qui semel est attritus, an possit fieri contritus, nam certum est hoc esse possibile per diuersos actus, ille enim, qui prius solum mouebatur ad habendam detestationem peccatorum ex timore pœnarum, Deo clarius animum illuminante, potest postea moueri ex amore ipsius Dei.

2 Secũdo nõ dubitamus in hac quæst. an attritio perseuerans vsque ad iustificationem hominis possit formari, & perfici per hoc, quod in eodem subiecto coniungatur cum charitate: hoc enim certum est esse possibile. Vnde attritio, quæ erat in homine existente in peccato, si perseueret vsque ad illud tempus, in quo homo in gratia constituatur, cum antea nõ esset meritoria vitæ æternæ, postea erit sic meritoria, sicut contingit in alijs operibus.

A 3 Sed tantum est dubium, an attritio possit fieri contritio, in qua re certum est, id fieri nõ posse. Patet quia isti actus sunt diuersi secundũ speciem, quia respiciunt diuersas rationes formales, vt supra vidimus, ergo vnus non potest fieri alius, sicut homo nõ potest fieri equs. Secundùm enim commune proloquium dialecticorum, species sunt sicut numeri, ita quod sicut vnus numerus semper est diuersus ab alio, vt verbi gratia, ternarius à quaternario, ita vna species semper est diuersa ab alia.

4 Secundò certum est, attritionem perseuerantem in homine etiam post iustificationem non posse dici verè & propriè contritionem, aut charitatem formatam, Patet quia contritio cum sit detestatio peccatorum quatenus sunt B offensa Dei, includit in se quendam respectũ amicitiæ Dei, quem nullo modo includit attritio, neque includere potest, licet aliqui recentiores immerito oppositum asserant. Vnde solùm largo modo, & minus proprio potest dici contritio illa attritio consistens in homine iusto, quia meritoria est gloriæ, & augmenti gratiæ, ac si esset contritio perfecta.

5 Imò neque etiam attritio concepta propter pœnas inferni perueniet ad statum contritionis, quamuis sit cum proposito confitendi, & satisfaciendi suo tempore, tunc enim non excedit limites attritionis. Omnis enim attritio, vt possit esse pars Sacramenti pœnitentiæ, sicut requirit propositum vitandi omnia peccata mortalia, ita etiam requirit propositum cõ- C fitendi, & satisfaciendi, vt his medijs vitetur peccatum mortale non confitendi, & non satisfaciendi. Imò præter hoc attritio vt sit talis pars, debet haberi cum expresso ordine, & proposito vel antecedenti, vel concomitanti (neque enim sufficit subsequens) subijciendi ea peccata clauibus Ecclesiæ, in quo conuenit cum contritione. Probatur hoc vltimum, quia cum attritio debeat esse pars actualis Sacramẽti Confessionis, actualiter, & non virtualiter tantùm debet ad illud ordinari.

QVÆSTIO XX.

D *Vtrùm peccatum veniale remitti possit sine pœnitentia?*

1 IN hac quæst. solùm disputamus de remissione venialium extra Sacramentũ. In qua quæst. prima sententia est eorũ, qui dicunt peccatum veniale posse tolli per quodlibet opus bonum factum in gratia. Ita *Medina tractatu primo de Pœnitentia quæst. 3. Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 5. articulo secundo, conclusione 4. & Maior ibidem quæst. 1. & noster insignis Abulen. 4. Regum 2. quæst. 39.* Cui sententiæ quodammodo

modo adhæret *Pater Suarez tom. 4. 3. part. disp.* A 11. *sect.* 3. Probatur primò, quia quodlibet bonum opus est, dum fit in gratia, meritorium vitæ æternæ, ergo remissiuum peccati venialis, quod minus est, quia qui potest ad maius, potest ad minus. Secundò probatur, quia remittit pœnam debitam pro peccatis mortalibus, & venialibus quodlibet opus bonum factũ in gratia, ergo & remittit culpam venialem, quia pœna non potest sine culpa remitti. Tertiò probatur, quia ad remissionem peccati mortalis est necessaria dilectio Dei, ergo ad remissionem venialis minus sufficit, scilicet quodlibet opus bonum in statu gratiæ productum.

Secunda sententia est, requiri ad remissionẽ venialium expressam cõtritionem eorum. Ita sentiunt *Tho. de Argentina dist.* 21. *a.* 4. *ad* 1. *Ri-* B *cardus ibid. a.* 4. *q.* 1. Probatur, quia per peccatũ veniale conuertitur homo inordinate ad creaturam: ergo vt illa inordinatio tollatur, necessaria est retractatio voluntatis, quæ non videtur posse fieri sine formali, & expressa pœnitentia ac perfecta.

3 Tertia sententia asserit, sufficere attritionẽ ad delendum peccatum veniale. Ita sentiunt *Bonauent. in* 4. *dist.* 21. *art.* 1. *q.* 2. *Palud. dist.* 16. *quæst.* 1. *ar.* 1. *conclusione* 2. *Suarez loco citato.* Probatur primò, quia peccatum veniale non opponitur dilectioni charitatis, sed feruori. Secũdò probatur, quia per attritionem sufficienter retractatur voluntas cõtraria affecta peccatis venialibus, & alias hanc attritionem esse in homine iusto, magnum valorem ei tribuit, ergo cũ C offensæ natura sua leues sunt, per attritionem sufficienter tolluntur.

4 Quibus non obstantibus sit prima cõclusio: Non sufficit quodlibet bonum opus factum in gratia ad delẽdum peccatum veniale. Patet, quia non omne opus bonum habet oppositionem cum peccato veniali, quinimo multa opera bona compatiuntur illud, vt patet, ergo non omne opus bonum expellit peccatum veniale. Secundò probatur, quia si quoduis opus meritorium hanc vim habet, ex eo est quia facit hominem magis amicum Deo, & dignũ maiori gratia, sed hoc non sufficit, quia nullum augmentũ gratiæ pugnat cum peccato veniali, ergo nostra conclusio vera est.

25 Secũda conclusio. Necessaria est aliqua pœ D nitentia, sed non requiritur actualis, sed sufficit virtualis. Ita sentiunt *D. Thom.* 3. *part. q.* 87. *art.* 2. *in solutione ad secundum argumentum, Sotus in* 4. *dist.* 15. *& Petrus Sotus de institutione Sacerdotum, & de pœnitentia lectione* 18. Probatur, quod requiratur aliqua contritio ex ratione secundæ sententiæ, & ex quæst. 13. supra disputata conclusione 5. & quod sufficiat virtualis pœnitẽtia, probatur ex q. 13. conclusione 1. quia neq; ex præcepto, neq; ex natura rei constat esse necessariã pœnitentiã expressam.

A Sit tertia conclusio. Per attritionem etiã ho 6 minis iusti nõ potest tolli peccatũ veniale. Patet, quia alias peccatũ veniale nullo modo tolleretur, imò neque posset auferri per Sacramẽtum Pœnitentiæ in homine iusto, quia ad Sacramentum ad minus requiritur attritio, & cũ hac tolleretur semper tale peccatum, antequã esset Sacramentum completũ, quod esset magnum inconueniens, cum Sacramentum Pœnitentiæ sit institutum ad delenda omnia peccata, & ita non est concedendum, ei impossibilem esse remissionem venialium.

Sit quarta conclusio. Per solam dilectionem 7 Dei super omnia potest tolli peccatum veniale, sine expresso dolore eius. Probatur, quia potest dari dilectio, ita perfecta, vt proposito B vno peccato veniali, illud detestetur, imò vt propositis omnibus illa detestetur, nulla conseruata memoria peccati venialis, vt videtur esse ea dilectio, quam habuit Magdalena, ergo per solam dilectionẽ potest tolli sine expresso dolore peccatum veniale. Et confirmatur, quia per peccatum veniale homo auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam, sed per huiusmodi actũ dilectionis homo auertitur à creatura illa, ad quam fuerat conuersus per veniale, quando est talis naturæ, vt illo proposito illud detestetur, & verè etiã cõuertitur ad Deũ, ergo per talem dilectionem potest tolli peccatum veniale.

Sed obijcies contra hæc, quia in hac cõclu- 8 C sione videtur supponi, posse auferri vnũ peccatum veniale per dilectionem, & non aliud, quod videtur incõueniens, quia sicut per quãlibet dilectionem tollitur omne peccatũ mortale, tollitur etiam omne veniale. Sed respondetur posse quidem tolli per aliquam dilectionem vnum peccatum veniale, & non aliud, cũ ea talis est vt reddat hominem promptum ad detestandum vnum peccatum veniale, & non aliud, solùm enim tollentur omnia venialia, quando dilectio fuerit talis naturæ, vt propositis omnibus venialibus, ea detestetur, *Sotus in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 1. Tribuit hanc remissionem soli feruori charitatis, at vero per quamlibet dilectionem debent tolli omnia mortalia. Ratio discriminis est, quia peccatum omne mortale est inimicitia Dei, & cum quælibet dilectio D sit amicitia Dei, ita dilectio tollit omnia mortalia; at vero, quia veniale non causat inimicitiam, ideò dilectio talis potest dari, quæ compatiatur secum vnum peccatum veniale, & nõ aliud.

Ex his respondetur ad argumenta opposita. 9 Ad primum primæ sententiæ respondetur, concedendo quodlibet opus bonum hominis iusti esse meritorium vitæ æternæ, quod est quid maius, quia est condignum ea, cum sit opus bonũ amici, non tamen quodlibet opus remittit veniale, quia non habet oppositionem

cum

cum eo, vnde illud axioma, qui potest ad maius, potest ad minus, verum est in rebus necessario connexis, vt ignis producens calorem, vt 8. potest producere calorem vt quatuor, at vero meritum gloriæ non est connexum necessario cum defectu peccati venialis, quia positiua compatitur peccatum veniale habituale, & actuale. Ad secundum respōdetur, quod est remissiuum pœnæ, quodlibet opus bonum in gratia factum, supposita remissione culpæ, nō alio modo. Ad tertium respondetur, facilius remitti peccatum mortale, quam veniale, non quia Deus facilius remittat offensam grauem, quam leuem, sed quia peccatum mortale plura habet cōtraria, quam veniale, mortali enim opponitur habitus, gratiæ, & quælibet dilectio, & ita per hæc duo tollitur, at vero veniali solum opponitur ea dilectio, quæ proposito veniali, illud detestaretur, quod non conuenit omni dilectioni, sed feruorosæ.

10 Ad secundam sententiam respondetur, sufficere ad expellendum veniale pœnitentiam virtualem inclusam in dilectione Dei, præsertim cum non occurrit memoriæ peccatum, sicut supradiximus de remissione mortalium.

11 Ad tertiam sententiam respōdetur. Ad primum eius argumentum dicimus, quod peccatum veniale solum opponitur absolute feruori, & quando talis est dilectio, vt etiam habeat in se detestationem venialis inclusam, etiam opponitur veniale huic dilectioni feruorosæ. Ad secundum respondetur, quod attritio est sufficiens retractatio, ad tollendum propositū peccandi in futurum, non tamen ad tollendam maculam peccati venialis, cum qua non habet contrarietatem.

QVÆSTIO XXI.

Quomodo remittatur peccatum veniale, cum quo quis ex hac vita decessit.

1 IN hac quæstione duo sunt certa, primo certum est, posse hominem ex hac vita decedere in statu quidem gratiæ, sed cum aliqua culpa veniali, quæ non fuerit remissa in hac vita, potest enim contingere, quod quis post iustificationem commiserit aliquod peccatum, venale cuius neque meminit, neque pœnituit aliquando, & sic moriatur.

2 Deinde certum est, hoc peccatum veniale auferendum esse ab homine in alia vita, tum quia ille homo iustus est, & non debet perpetuo carere visione Dei, quia aliàs puniretur pœna æterna pro peccato veniali, tum quia anima maculata peccato veniali non potest videre Deum secundum illud Apocalypsis 21. nō intrabit in eam aliquid coinquinatum, ita

A communiter Theologi, *In 4. distinct. 21. & D. Thom. quæst. 7. de malo, articulo 11. & habetur in cap. qualis distinct. 25.* Dificultas vero est quomodo tollatur hoc peccatum veniale.

Quidam dicunt, hoc peccatum tolli per gratiam alterius vitæ, quæ est inamissibilis, sed contra est quod talis gratia est eiusdem rationis in alia vita, & in hac, ergo sicut in hac non expellit tale peccatum, ita neque in alia. 3

Sotus in 4. distinct. 21. quæst. 1. Et alij dicunt, tale peccatum in instanti separationis animæ remitti per opera bona præcedentia in hac vita facta in gratia, vel cū fine talis remissionis, vel à Deo sic acceptata. Sed hoc falsum est, quia potest contingere, quod homo proxime ante mortem sit iustificatus per sacramentum, 4

B & quod postea commiserit peccatum veniale, & non fuerit ab eo liberatus, & quod statim moriatur, sine eo quod fecerit aliquod tale opus bonum, in quo casu non potest accidere quod sentit Scotus.

His suppositis sit prima conclusio. Peccatū veniale, tollitur quantum ad culpam in alia vita, in primo instanti separationis animæ à corpore, ita *Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 11. sect. 4. & Conin. disp. 2. de effectu pœnitentiæ dub. 17.* Et hoc per veram mutationem hominis, & alicuius intrinseci in anima productionem. Patet quia per peccatum veniale manet in homine vera macula peccati distincta ab obligatione pœnæ, & quæ dependet ex peccato præterito nō retractato, & non ex voluntate Dei, ergo non 5

C potest tolli sola solutione pœnæ, aut sola voluntate Dei, dimittentis peccatum, sed per mutationem quandam, & renouationem interiorem animæ. Quod vero in primo instāti deleatur peccatum veniale, patet, quia talis anima iusta à corpore separata habet veram fidem, quæ turpitudinem peccati venialis, & bonitatem Dei, & quantum Deo displicet id peccatum, cognoscit, & habet veram charitatē, qua impellitur ad omnia peccata detestanda, & libera est à passionibus huius vitæ, quibus impediebatur à tali detestatione, ergo nihil obstat illi instāti, vt in eo concedamus iustum per aliquid sibi intrinsecum venialia delere.

Secunda conclusio. Peccatum veniale tollitur in alia vita per contritionem peccatorū ve 6

D nialium, ita sentiunt. *D. Thom. quæst. 7. de malo art. 11. noster insignis Abulensis, Matth. 2. q. 723. Ricard. distinct. 21. art. 2. quæst. 1. Suarez dicto tomo 4. disp. 11. sectione 4.* Ita tamen tollitur per contritionem, vt sine illa expressa non tollatur, quia ibi semper occurrunt memoriæ peccata, & ita necessaria est expressa pœnitentia, at in hac vita, quia non semper occurrunt, non est semper necessaria. Probatur cōclusio, quia talis contritio est directe contraria maculæ veniali, ergo re vera illam tollit. Quæres an per illam cōtritionem augeatur gratia; & res-

ponderetur minime, quia status ille non est capax augmenti gratiæ, vnde *Ioannis 9. dicitur, venit nox,* (idest mors) *quando nemo potest operari,* scilicet, meritorie, & idem significatur, *Ecclesiast. 14. & Apocalypsis 10.*

7 Quæres vero secundo, an per illam contritionem, quam habet anima Purgatorij, soluatur pœna purgatorij? Respondetur non solui quidem, sicut solueretur per contritionem huius vitæ. Et ratio differentiæ est, quia in hac vita, quæ est status agonis, & pugnæ, quodlibet opus bonum factum in gratia est meritorium gloriæ, & ita meretur auferri aliquod impedimentum gloriæ, quale est pœna temporalis, at in purgatorio, quod non est status merendi, solum aufertur culpa venialis per contritionem, quia non potest alia via tolli, at vero cum gloriam non mereatur, neque meretur remissionem pœnæ temporalis anima existens in purgatorio.

8 Cōtra hæc tamen obijcies, quia quando aufertur culpa mortalis, semper etiam aufertur pœna æterna, ergo cū aufertur culpa venialis in alia vita, etiam aufertur pœna temporalis purgatorij. Respondetur huic argumento negando eius consequentiam, quia cum tollitur peccatum mortale, constituitur homo in statu gratiæ, quia ratione eius, & oppositionis quā habet peccatum mortale cum gratia expellitur ab anima illud, & tunc temporis redditur homo dignus vita æterna, ergo non potest esse dignus pœna æterna, ac per cōsequens pœna æterna procul amādanda est ab anima, pœna vero temporalis non debet necessario auferri simul cum culpa veniali, quia potest quis esse amicus Dei, & sine vlla macula præsente, & propter præteritam maculam alterius peccati vel mortalis iam remissi, vel venialis remissi, potest mereri pœnam tēporalem, quia hoc secundum non inuoluit contradictionem sicut primum.

9 Contra id, quod primo supposuimus tanquam certum, opponet nobis aliquis verba, *Greg. 4. Dialogorum, cap. 24.* asserentis, *peccata leuiora iustorum morte purgari*, Ergo post mortem non remanet aliquod peccatum veniale. Huic tamen obiectioni optime satisfacit, *Vazquez in materia de pœnitentia*, Dum loquitur de remissione peccatorū venialiū, verba Greg. ita esse explicanda, vt occasione mortis Deus excitet plerumque in animis iustorum, dum animam efflant, veram contritionem, vel dilectionem Dei super omnia, qua peccata venialia delentur. Si enim hostis generis humani in articulo mortis innumeras proponit tentationes, quibus homines ad peccata mortalia, vel saltim ad venialia pertrahat, sciens quia modicum tempus habet ad nostram salutem spiritualem expugnandam, multo potiori iure credendum est de infinita Dei misericor-dia, quanos prosequitur, infinitis vocationibus, & pijs animi motibus conscientias morientium pulsare, ne in extremo vitæ periculo cū salutis suæ æterna iactura in peccata mortalia prolabantur, sed potius ab eis iustificentur, & ne per peccata venialia ab ingressu Regni cœlestis retardentur, varijs iuuat homines auxilijs, quibus peccatorum venialium expiationem consequantur.

QVÆSTIO XXII.

Quomodo remittantur peccata venialia sacramentalibus.

Sacramētale duobus modis potest sumi. 1
Primo pro quadam ceremonia instituta ab Ecclesia, ad ministrandum sacramentum cum ornatu & solennitate, in qua significatione ceremoniæ adiunctæ ab Ecclesia baptismo, & alijs sacramentis à Christo institutis solent sacramentalia nuncupari. Secūdo sumitur sacramentale pro quibusdam rebus, vel actionibus sacris, quibus communiter tribuitur effectus remittendi peccata venialia, quæ omnia continentur in isto versu.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. 2

Quorum nominum significationes necessario nobis explicandæ sunt. Orans ergo significat orationem Dominicam, ad quam reducitur percussio pectoris, de qua extat textus, *De Pœnitentia distinct. 3. Canone de quotidianis, & Canone tres autem. eodem titulo, distinct. 1.* Particula vero, tinctus significat aspersionē populi media aqua benedicta, cuius fit mētio in ca. aquam de cōsecratione, dist. 3. Particula edēs significat sumptionem Eucharistiæ, aut panis benedicti, qui panis benedictus dicitur *Ab Aug. panis catechumenorum lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26.* Quia dabatur illis loco Eucharistiæ, & quia solebant fideles communicare diebus Dominicis, & talis consuetudo tractu temporis sublata est, ideo postea introductus est panis benedictus loco sacramenti Eucharistiæ, vt populus Christianus figuram in animo concipieos ad figuratum auido raperetur affectu. Confessus significat confessionem sacramentalem, aut generalem, quæ præmittitur ante missam. Dās significat eleemosynam. Benedictus benedictionem Episcopalem, qua populus benedicitur, & benedictionem, qua benedieuntur Abbates, & Moniales. De his ergo ceremonijs, & actionibus exclusis illis, quę sunt sacramenta, quęritur, an remittant peccata venialia, & quomodo.

In qua quæstione prima sententia est hæc, 3
quæ asserit sacramentalia remittere peccata ex opere operato, hoc modo opinati sunt,

D. Antoninus, 1. parte titulo 10. cap. 1. §. 5. Victoria in summa, num. 99. de Pœnitentia, Dominicus Sotus in 4. distinctione 11. quæst. 2. a. 4. Probatur primò hæc sententia, quia si solum remitteren tur peccata per sacramentalia, quia sacramentalia excitarent affectum compunctionis, vel dilectionis Dei super omnia, sæpe ea non remitterent, quia, vt ipsa experientia docet, sæpe non excitant in cordibus fidelium huiusmodi affectus, maximum autem inconueniēs videtur, concedere huiusmodi sacramentalia sæpe non remittere peccata venialia, cum sint ad ea expellenda inuenta ab Ecclesia. Secundo probatur, quia etiam aqua non benedicta excitare solet affectus necessarios ad remissionem peccatorum venialium, & tamen non dicitur ea remittere, aqua ergo benedicta non dicitur remittere peccata venialia, penes hoc solum, quod excitet in anima prædictos affectus, sed ex opere operato.

4 Sit prima conclusio. Sacramentalia nullo modo operantur remissionem peccatorum venialium ex opere operato. Ita docuerunt D. Thom. 3. p. q. 87. art. 3. & in 4. distinct. 16. q. 2. a. 2. quæstiuncula 4. Durandus in 4. distinct. 23. q. prima, Turrecremata in cap. tres autem. de pœnitentia, distinct. 1. art. 3. & in cap. aquam. de consecratione, distinct. 3. & alij Doctores. Probatur conclusio, quia Ecclesia non habet potestatem instituendi res sacras, quibus tollantur peccata ex opere operato, cum iuxta communem doctrinam Sanctorum Patrum potestas clauium communicata Ecclesiæ ad tria tantum se extēdat, scilicet, ad remissionem peccatorum medijs sacramentis, ad ligandum, & soluendum à censuris, & tandem ad remittendam pœnam purgatorij peccatis nostris debitam medijs indulgentijs, non ergo Ecclesiæ concedenda est potestas instituendi sacramētalia, quibus peccata venialia remittantur ex opere operato.

5 Conclusio sit secunda. Sacramētalia ea tantum ratione remittunt peccata venialia, quatenus excitant affectum contritionis, & dilectionis Dei super omnia in animis nostris, quā excitationem operantur virtute orationum Ecclesiæ, quæ eis aliquando sunt adiunctæ, vt patet in aqua benedicta, vel quia ad eum finē ordinantur ab Ecclesia, vt constat in benedictione Episcopali. Hāc conclusionem expresse tuetur. D. Thom. art. 3. citato, Dum asserit, sacramentalia remittere peccata, quia habent adiunctam detestationem peccatorum, & reuerentiam erga Deum, per reuerentiam intelligens actum charitatis, nam articulo secundo asserit peccatum veniale remitti per actum gratiæ, qui in peccatore inueniri non potest, qui actus solum potest esse contritionis, vel dilectionis Dei super omnia. Confirmatur conclusio ista, quia cum constet ex prima conclusione, sacramentalia minime posse remittere peccata venialia ex opere operato, neque etiā possent ea remittere ex opere operantis, quia aliquando non consistūt in aliquo opere eius, qui iustificatur per ea, sed in alieno, vt apparet in benedictione Episcopali; vnde solum restat sacramentalia hæc remittere peccata venialia excitando prædictos affectus, & qua ratione etiam iustificatio à venialibus necessario debeat fieri per interiorem animi renouationem, in quæstione sequenti explicabimus. Neque in hoc modo dicendi parum concedimus sacramentalibus, si recte inspiciatur, habere enim eam peculiarem virtutem ad excitandos eiusmodi affectus, qua virtute aliæ res non polleat, magnam hominibus vtilitatem ad venialium expiationem præseferre videtur.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum concedimus, prædictos motus non semper consequi applicationem sacramentalium, neque enim Ecclesia, vt patet, semper à Deo impetrat, quod exoptat, & quod obnixe deprecatur. Ad secundum respondetur cum aqua non benedicta sæpe excitari in nobis prædictos motus virtute gratiæ vocationis Dei, non vero virtute aquæ nō benedictæ; at vero aqua benedicta ex se, ratione orationum Ecclesiæ, quas habet sibi adiunctas, impetrat à Deo gratiam vocationis, media qua excitentur in anima affectus contritionis, & dilectionis. 6

Sed contra secundam conclusionem obstare videtur, August. in enchiridio, cap. 71. Vbi affirmare visus est, sola oratione Dominica sine pœnitentia remitti peccatum veniale, mortale vero minime, sed cum pœnitentia, & emendatione vitæ. Huic tamen argumento facile respondetur. D. Augustinum noluisse negare necessitatem actus pœnitentiæ pro remissione peccatorum venialium, sed tantum contendisse, facilius impetrari à Deo veniam peccatorum venialium, quam mortalium, & non esse necessariam ita exactam pœnitentiam; aut emendationem vitæ ad remittenda venialia, atque ad remittenda mortalia: remissio enim mortalium necessario efflagitat verum dolorem de omnibus peccatis mortalibus, verumque propositum nullum peccatum mortale de cætero committendi, remissio vero venialium, & complacentiam aliquorum venialium præteritorum, & propositum committendi alia in futurum recte compati potest. 7

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

*Vtrùm per sacramenta remittantur pec-
cata venialia, & qua ratione.*

1 LIBENTER in præsenti quæst. aperi-
rem, quid sit iustificatio, ex opere ope
rato, & ex opere operantis, nisi illud
satis explicassem in Tractatu de sacramentis
in genere, quæst. 10. prope initium, quare in;
de sumenda est horum nominum notitia.

Sit prima conclusio. Omnia sacramenta ex
sua institutione sibi vendicant, posse remitte-
re omnia peccata venialia, ex opere operato, B
idest etiam si non adsit in recipiente sufficiēs
aliqua dispositio de se ad talem remissionem
adquirendam, qualis est contritio, vel dilectio
Dei; sed alius tantum adsit inferior motus vo-
luntatis. Hanc conclusionem defendūt. *D.
Thom. 3. p. q. 87. art. 3. Palud. & Capreolus in 4.
distinct.* 23. Probatur conclusio, quia omnia sa
cramenta causant gratiam ex opere operato
in anima, & expellunt eo modo omnia pecca-
ta mortalia, ergo multo potiores vires habent
ad expellenda peccata venialia, quæ leuiora
sunt mortalibus. Secundo corroboratur con-
clusio inductione. Baptismi enim natura satis
nobis indicat huiusmodi virtutem, cū sit ablu-
tio quædam animæ perfecta omnes eius macu
las prorsus delens; sacramentum etiam pœni- C
tentiæ id etiam significat, dum talem formam
requirit, quæ omnium peccatorum remissio-
nem contineat, vt patet ex illis verbis, ego te
absoluo ab omnibus peccatis tuis. In extre-
ma etiam vnctione id apparet consideran-
ti eius formam, quæ sub his verbis pronuncia-
tur, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti,
&c. Et ad eum modum considerari potest vir
tus hæc remittendi omnia peccata venialia in
omnibus alijs sacramentis, omnia ergo vim ha
bent remittēdi peccata venialia ex opere ope
rato, dum enim sacramenta peccata remittūt,
eo modo remittere necessum est.

2 Difficultas vero quæstionis in eo sita est, an
sit necessaria aliqua attritio præuia peccato-
rum venialium, ad hoc vt per sacramenta de- D
leantur: in qua difficultate, *Suarez 4. tomo 3.
partis disp.* 12. *sect.* 2. Sentit, sufficere ad talem
remissionē, accedere hominē sine cōplacentia
peccati venialis, & cū proposito recipiendi sa
cramentum, & effectū eius, & nō requiri attri
tionem, aliàs ante aduentum sacramenti per
illam attritionem, quæ est facta in gratia, tolle
retur peccatum veniale, & sacramentum nihil
operaretur ad hunc effectum.

3 Sit secunda conclusio. Saltem requiritur
attritio peccatorum venialium, vt ea in sacra-
A mento deleantur. Patet, quia peccata venialia
commissa sunt propria voluntate, & compla-
centia, ergo aliqua displicentia requiritur ad
ea tollenda, quæ sit saltem attritio. Et confir-
matur, quia nihil tollitur, nisi à suo contrario,
sed gratia habitualis non est contraria pecca-
to veniali nisi per ordinem ad attritionem, er
go non tollit illud, nisi supposita attritione, ad
quod peccatum veniale tollendum, est neces-
sarium pactum Dei, quo contentus sit sola at-
tritione, sicut in mortalibus contingit, cum re
mittuntur ex opere operato, sola attritione
præcedente. Ad Suarez respōdetur, non tolli
peccata venialia per hoc tantū, quod quis non
complaceat de peccato, & habeat propositum
recipiendi sacramentum, quia cum his omni-
B bus contraria non sint, non expelluntur venia
lia etiam cum his omnibus.

Sed quæres. Primo, vtrum peccatum venia 4
le possit remitti sine mortali. Ad hoc respon-
detur cum *D. Thom. quæst.* 87. *art.* 4. Peccatum
veniale non posse remitti sine mortali in hac
vita. Patet, quia in hac vita nō potest remitti
peccatum veniale: nisi in sacramēto cum attri
tione, vel extra sacramentum cum contritio-
ne, vel dilectione Dei, sed his modis nequit
remitti sine mortali, quia gratia, quæ confer-
tur his modis, & per quam tollitur peccatum
veniale, etiam est contraria peccato mortali,
vnde dum aufert venialia, etiam mortalia au-
ferre necesse est. In purgatorio autem, iam su-
pra diximus, quod potest tolli veniale per so-
C lam contritionem sine mortali, quia tunc non
adest peccatū mortale. In inferno patet, quod
non possit remitti veniale sine mortali, quia
ibi cum non possit infundi gratia, neque habe
ri contritio, quia voluntas est firmata in malo,
non potest remitti mortale, vnde neque venia
le, quia deberet tolli aliquo ex his duobus
modis.

Quæres secundo, an peccatū mortale pos- 5
sit auferri ab anima, minime sublato peccato
veniali; cui quæsito facile respondetur, aufer-
ri posse in hac vita, tum virtute sacramenti,
ex eo quod habeat quis attritionem mortaliū,
& non venialium, tum etiam extra sacramen-
tum, quia potest homo talem elicere contritio
nem, qualis sufficiat ad tollendum mortale, cū
D quo directam oppositionem habet, & non ve-
niale, cui nullo modo cōtrarietur. In inferno
vero non potest peccatum mortale auferri, si-
ne veniali, quia voluntas est firmata in omni
malo, vnde cum neque detestetur peccatum
mortale, neque veniale, neutrum expiari po-
test secūdum legem ordinariam Dei. In pur-
gatorio vero non reperitur aliquod peccatum
mortale, quod auferri possit, & ita locum ibi
non habet quæstio.

Dictis tamen duo obsunt argumenta diffi- 6
cilia. Primum sit, quia ordo, quem dicit gratia
proda-

producta per sacramentum ad expulsionem
peccatorum venialium, est extrinsecus, & non
conueniens intrinsece, & natura sua ipsi gra-
tiæ, ergo gratia natura sua non tollit peccata
venialia, sed per extrinsecam denominatio-
nem; quod est magnum inconueniens, quia ad
tollendam veram maculam per peccatum ve-
niale productam requiritur intrinseca homi-
nis renouatio. Secundum sit, quia gratia de se
non est sufficiens ad remissionem venialium,
cum gratia in qualibet intensione compatia-
tur secum venialia, neque attritio de se opera
tur talem remissionem, quia non habet oppo-
sitionem cum peccatis venialibus, ergo neque
vtrumque simul, gratia, scilicet, in ordine ad
attritionem potens est ad expellenda peccata
venialia.

7 Ad primum argumentum respondemus,
gratiam esse exclusiuam peccatorum venia-
lium, cum ordine tamen extrinseco ad disposi
tionem præuiam doloris peccatorũ, sine quo
non habet oppositionem cum illis, cuius sig-
num est, quod eademmet entitas gratiæ, si non
præcessisset verus dolor venialium, nõ expel-
leret illa, vnde præcedente vero dolore venia
lium, gratiam expellere venialia. Quare si re-
cte inspiciatur, quæcumque iustificatio siue à
venialibus, siue à mortalibus semper fit per
aliquid intrinsecum, nempe per gratiam ani-
mæ inhærentem, cum hac tamen differentia;
quod sola entitas gratiæ expellit mortalia,
quia de se sola habet oppositionem cum illis;
at sola entitas gratiæ non expellit venialia,
quia sola sine dicto ordine non habet opposi-
tionem cum illis. Ad secundum respondetur
gratiam de se solam nõ remittere venialia, sed
cum ordine ad attritionem, tum quia sine attri
tione non inuenit hominem sufficienter dis-
positum, neque eius voluntatem satis à pecca-
tis venialibus auersam, tũ quia alio modo gra-
tia non habet oppositionem cum peccatis ve-
nialibus, vnde totale expulsiuum peccatorum
venialium componitur ex gratia, & ordine ex
trinseco ad attritionem præcedentem. Neque
vllum reputo inconueniens expulsionem ve-
nialium fieri ex vna parte per aliquid extrin-
secum, quia ex alia fit per aliquid intrinse-
cum, quod sufficit.

QVÆSTIO XXIIII.

Vtrùm peccata semel dimissa redeant per subsequens peccatum.

IN hac quæstione. Prima sententia asserit
peccata semel dimissa per pœnitentiam,
iterum redire eo ipso, quod homo de no-
uo labitur in peccatum mortale; ita *Hugo Vi-*
A *ctorinus lib. 2. de sacramentis, p. 14. cap. 9. Gratia-*
nus, distinct. 4. de pœnitentia in principio, Et pro-
batur hæc sententia. Primo, quia in Sacra scri-
ptura Deum obliuisci peccatorum, est ea re-
mittere, ergo Deum recordari eorum, est ea
redire, sed in scriptura appacet, Deum recor-
dari peccatorum præteritorum, ex eadem, er-
go scriptura constare debet, peccata semel re
missa iterum redire. Quod ex scriptura cõstet
Deum recordari peccatorum præteritorum,
patet, *Ex Psalmo 78.* Vbi sic clamat Dauid, *Ne*
memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, &
3. *Regum* 17. Ait mulier ad Prophetam Eliã,
Quid mihi & tibi vir Dei, ingressus es ad me, vt
rememorarentur iniquitates meæ? Secũdo pro-
batur, quia *Ezechielis* 18. Eodêmodo dicit Do
B minus se non recordaturum amplius bonorũ
operum, quæ quis cadens in peccatum antea
operatus fuerat, sicut dicit se non recordatu-
rum peccatorum, postquam quis egerit verã
pœnitentiam, atqui bona opera per peccatũ
mortificata redeunt per subsequentem pœni-
tentiam, ergo peccata per pœnitentiam abla-
ta redeunt per peccatum subsequens, neque
enim maior apparet ratio in vno casu, quam
in alio. Tertio probatur, ex *Glossa in illud Psal*
mi 37. putruerũt, & corruptæ sunt cicatrices meæ,
vbi dicit, *Plagas per baptismum sanatas, per pecca*
ta postea commissa in putredinem redire. Quarto
probatur, *Ex Beda in caput 11. Lucæ*, vbi ait,
Timendum esse, ne culpa, quam in nobis extinctam
credimus, per incuriam nos vacantes opprimat; Er-
C go peccata semel dimissa possũt redire. Quin
to probatur, quia qui post peccatum remis-
sum, antequã pro pœnis tẽporalibus satisfece
rit debitis peccato remisso, mortuus in nouo
peccato mortali, propter illud in æternum pu
nitur in inferno, ergo in aliquo casu, peccatũ
iam remissum ratione pœnæ æternæ; redit
per obligationem eiusdem pœnæ æternæ. Sex
to, quia per peccatum subsequens pœnitentiã
tollitur gratia, per quam remissa erant pecca-
ta priora, ergo gratia ablata, priora peccata
redire necesse est. Septimo probatur, *Ex*
Matthæi 18. cap. Vbi cum Dominus in medium
adduxisset parabolam Regis illius, qui prius
ex misericordia dimisit debitum seruo suo,
& postea videns illum seruum crudelissime
D exigere debitum ab alio conseruo, iratus val-
de, exegit ab eo debitum iam dimissum, con-
clusit Christus, *Sic & Pater meus Cælestis faciet*
vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de
cordibus vestris, Ille ergo qui minime ignoscit
fratribus, ita à Deo punitur, vt peccata iam di-
missa ei, iterum redeant quantum ad pœnam,
& culpam. Octauo eandem doctrinam viden-
tur defendere, *D. Greg. his verbis 4. lib. Dialo-*
gorum, cap. vltimo, constat, quia si quod in nos de-
linquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus
exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum
fuisse

fuisse gaudebant. D. Chrysost. hom. 62. in Matth. ait, & quanis charismata, leges, & dona irreuocabilia sint, tamen tantum malignitas valuit, vt hac quoque legem superauerit. Quid igitur deterius memoria peccatorum, ac vltione, qua tot tantaque diuina dona euertere posse videatur, idem habet, Ambros. cap. 4. Epist. ad Ephesios, & August. Sermone 15. de verbis Domini post medium, tom. 10.

2 His tamen minime obstantibus sit prima conclusio. Peccata semel dimissa non redeunt per subsequens peccatum. Ita sentiunt expresse, D. Thom 3. p. q. 88. art. 1. Cuius sententiã omnes Scholastici vno ore amplectuntur, specialiter tamen, In 4. dist. 22. art. 1. quæst. 2. & 3. Bonauent. ibidem, quæst. 1. art. 1. Sotus in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. Et communiter recentiores. Probatur primo, ex Gelasio Papa, & refertur, De pœnitentia, distinct. 4. Canone Diuina, vbi dicitur, Diuina Clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur. Secundo probatur authoritate Sãctorum Patrum, quos Grat. eadem distinct. 4. Refert, inter alia vero testimonia Sãctorum Patrum præclarum semper fuit illud. D. Prosperi in lib. ad capita Gallorum, sub his verbis contentum: Qui enim recedit à Christo, & alienus, à gratia finit hanc vitã, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei, propter illa, quæ remissa sunt, debebatur. Quo nihil clarius pro nostra sententia pronũciare potuit, Neq; obstant vltima verba. Prosperi insinuantia morte æterna damnari hominem propter peccata iam remissa, si enim recte inspiciantur ita sunt intelligenda, vt propter postrema peccata, cum quibus decedit homo ex hac vita, puniatur pœna æterna simili ei, quam antea luere debuerat propter alia similia peccata mortalia, quæ iam remissa fuere. His manet nostra conclusio sufficienter probata authoritatum momentis; vt tamen rationibus confirmetur hæc tibi lector præponas velim.

3 Primum sit, postquam transit actus peccaminosus, vt furtum, adulterium, &c. Manere in nostra anima quandam maculam à peccato præterito causatam, ratione cuius dicitur homo auersus à Deo, & inimicus eius, cuius quidem natura consistit in priuatione gratiæ habitualis, & in ordine, ac respectu quodam ad actum præteritum non retractatum. Secundũ sit maculam istam natura sua, & essentialiter dependere ab actione peccaminosa non retractata, minime vero à voluntate Dei, quare neque posse redire eam maculam, postquam semel ablata est ab anima, nisi redeat eadẽ actio peccaminosa, à qua prius fuerat causata, quemadmodum relatio paternitatis, quæ dependet essentialiter à filio, si semel perijt, non potest de nouo pullulare, nisi de nouo redeat idem filius. Tertium sit nõ posse hominem modo habere eandem actionem volitiuam, vel actionem peccaminosam, quam antea habuit etiã de potentia Dei absoluta, quia vnitas actionis creaturæ natura sua videtur dependere ab vnitate temporis. Vnum tamen, & idem tempus, quod iam præterijt, & essentialiter est successiuum, etiam de potentia Dei absoluta iterum redire non potest.

His ita præsuppositis, probatur conclusio rationibus. Prima sit quia peccata nostrã per veram, & perfectam pœnitentiam omnino tolluntur, ac radicitus euelluntur, vt ostendit nobis, David Psalmo 50. ibi, Lauabis me, & super niuem dealbabor, & Psalmo 102. In illo versiculo quantum distat ortus ab Occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Qui modi loquẽdi nequaquam conuenire possent remissioni nostrorũ peccatorum, si in ea tantum tegerentur peccata, quam etiam veritatem confirmauit, Triden. Sessione 5. cap. 5. Docens per baptismum peccatum originale ita tolli, vt nihil eius remaneat, quod habeat rationem peccati, (eadem autem ratio est de reliquis peccatis, & de reliquis modis iustificationis nostræ) si ergo peccata omnino tolluntur, ergo minime possunt redire, quia non apparet via, qua id posset effici. Probatur secundo conclusio, quia macula semel dimissa redire non potest, ergo peccatum semel remissum nequit redire. Antecedẽs probatur, quia macula semel dimissa nequit redire penes hoc, quod homo reproducat suam actionem peccaminosam præteritã, quia hoc iam vidimus esse impossibile, neque etiã penes hoc quod Deus talem maculam reproducat, quia illa sicut non potest à Deo produci, quia Deus non potest esse author peccati, & quia dependet essentialiter ex actione nostra peccaminosa, ita neq; reproduci potest, postquam semel perijt, ergo peccata remissa non possunt redire. 4

5 Sed antequam secundam statuamus conclusionem, in qua ostendamus, neque de potentia Dei absoluta peccata semel remissa redire posse, constituamus circa hoc punctum sententiã, Conin. qui quidem author, tom. de Sacramentis, disp. 2. de effectu pœnitentiæ dubio 19. num. 146. & sequentibus. Primo defendit, Deũ nullo modo efficere posse, vt peccata semel absoluta remissa, & sine vlla conditione, sicut de facto remittuntur, per subsequentia peccata proprie redeant, aut secundum culpam, aut secundum reatum pœnæ. Secundo defendit, posse alicui Deum remittere peccatum cum ea conditione, vt si postea iterum peccet, contrahat tantam culpam, & tantum reatum pœnæ, quãta hæc resultassent ex vtroque peccato, si prius peccatum non fuisset remissum. Probat hanc secundam partem, quia homo per votũ potest se sub dupla culpa obligare

gare ad fugam alicuius peccati, vt potest se
obligare ad vitandam fornicationẽ sub pœna
culpæ fornicationis, & culpæ sacrilegij, ergo
Deus idem poterit præstare, cũ absolutus Do-
minus sit. In quo tamen casu, inquit iste au-
tor, prior culpa remissa, non rediret secundũ
se, sed secundum æquiualentiam. Tertio de-
fendit probabile esse posse Deum absolute re
mittere culpam, & remittere reatum pœnæ
sensus, & pœnæ damni tantum, sub conditio-
ne, si homo euitet aliquod peccatũ futurum, &
non absolute. Quod probat, quia potest Deus
remittere culpam, non remissa pœna; & non
ablato reatu pœnæ, vt ipse putat probabile, er
go post etiã remittere culpã non remissa pœ-
na absolute, sed sub conditione, quia hoc po-
sterius minus est, quam illud prius.

5 Sit tamen secunda conclusio. Etiam de po-
tentia Dei absoluta peccata semel remissa re-
dire minime possunt per subsequens peccatũ;
Cõclusio hæc sufficiẽtissime probatur ex illa
vltima ratione, qua, primam conclusionem cõ
firmauimus. Si enim Deus de potẽtia sua ab-
soluta nequit maculam peccati semel ablatam
reproducere, neque etiam præstare potest vt
homo actionem peccaminosam præteritam re
producat. Manifestum est etiam secũdum suã
potentiam absolutam præstare minime posse,
vt peccata semel remissa per subsequens pec-
catum reuiuiscant.

6 Tertia conclusio. Peccata semel dimissa nõ
reuiuiscunt etiam æquiualẽter per subsequẽs
peccatum, quod committitur post acceptum
à Deo remissionis beneficium; quamuis in ta-
li peccato subsequenti maxima reperiatur in-
gratitudo. Probatur cõclusio. *Primo ex doctri-
na D. Thom. 3. p. q. 88. a. 3.* Asserentis ingratitu
dinem contentam in peccato cõmisso post re-
missionem peccatorum præcedentium non
continere omnem malitiam peccatorum præ-
cedẽtium. Absurdum enim est, in eo casu, quo
peccata remissa plurima essent, & grauissima,
vt infidelitatis, odij Dei, & adulterij, & pecca
tum subsequens in genere mortalium leue es-
set, vt simplicis fornicationis, hoc peccatum
simplicis fornicationis continere simul, & se-
mel omnes illas malitias diuersas specie, quæ
dispersæ erant in peccatis illis dimissis, ac per
consequens teneri huiusmodi fornicantem,
explicare in confessione huiusmodi malitias
mutãtes speciẽ, & vt istæ intelligantur, etiam
debere explicare omnia peccata distincta
specie, quę in alia confessione explicata sunt,
& dimissa, quo quid absurdius excogitari po-
tuit? Secundo probatur ista tertia conclusio
ex communi doctrina Theologorum asseren-
tium, tunc tantum peccatum ingratitudinis
esse speciale peccatum, quando quis ideo pec
cat, vt exhibeat se Deo ingratum pro benefi-
cijs acceptis, siue vt ea contemnat, & tunc tale

A peccatum explicandum esse in confessione;
quãdo vero ob alios fines peccat, nõ esse spe-
ciale peccatum, neque specialiter esse expli-
candum in confessione, quamuis peccatũ post
multa beneficia à Deo suscepta contingat; er-
go peccata semel dimissa non redeunt, etiam
æquiualenter per subsequens aliud peccatum
ratione ingratitudinis. Patet consequentia,
quia neque semper subsequens peccatum con
tinet specialem malitiã ingratitudinis, & etiã
si eam aliquando contineat, neque ea tãta est,
quanta reperitur in alijs peccatis, quia non cõ
tinet in se omnes malitias eorum, neque eius
propria malitia, ita grauis est, ac malitia eorũ
semper, licet aliquando possit esse maior, quã
do peccatum dimissum minus est peccato spe-
B ciali ingratitudinis.

Restat respondere argumẽtis oppositis. Ad 7.
primum primæ sententiæ respondetur, Deum
recordari peccatorum, esse ea punire post lõ-
gum tempus, vel pœna æterna cum non erãt
dimissa; vel temporali, cum non erat pro illis
plene satisfactum. Ad secũdum respondetur,
ex modo loquendi Ezechielis apparere diffe-
rentiam inter peccata, & merita bona, nam de
peccatis absolute dicit, non recordabor, de bo-
nis vero operibus, inquit, quod non recorda-
buntur, & in peccato suo morietur: hoc est iu-
stitiæ non recordabuntur, quando in peccato
quis moriatur, quia tunc non est locus reuiui-
centiæ, & ex naturis ipsorũ, vt apparet in hac
quæstione, & in sequenti, aperte colligitur bo
C na opera reuiuiscere, peccata vero minime.
Ad tertium desumptum ex Glossa dicimus,
in illis verbis indicari, redire in homine alia si
milia peccata his quæ dimissa sunt, non eadẽ,
nam cicatrices de nouo corruptæ noua vulne-
ra sunt. Ad quartum respondetur, Bedam tan-
tum sensisse, valde timendum esse, ne, propter
negligentiam vitandi peccata futura, incida-
mus in alia peccata similia his, quæ antea com
misimus. Ad quintum respondetur, in eo ca-
su peccatum remissum minime redire posse, ta
men puniri pœna æterna per accidens, prop-
ter coniunctionem, quam obligatio illius pœ-
næ temporalis habet cum peccato mortali in
alia vita, cum quo nunquam contingit satisfa-
ctio. Ad sextum argumentum patet solutio
D ex vltima ratione primæ cõclusionis, vbi pro
bauimus peccatum semel remissum redire nõ
posse. Ad septimum argumentum responde-
tur relictis varijs solutionibus, ea verba Chri-
sti ita esse intelligenda, vt Deus propter pec-
catum vltionis permittat hominem in antiqua
peccata prolabi, ratione quorum non minus
debitor constituatur coram Deo, quam antea.
Ad vltimũ argumẽtũ respondetur, Sãctos Pa-
tres eodẽ modo esse intelligẽdos ac locũ Chri-
sti *Matth.* 18. Et hanc solutionẽ loci Matth.
defendit, *Vaz. 4. t. in 3. p. q. 88. a. 1. dubio vnico.*

Ad

8 Ad argumenta Conin. restat solutio. Ad argumentũ contentũ in secunda parte suæ assertionis respondemus, hominẽ bene posse obligare se ad vitãdũ peccatũ futurum sub pœna fornicationis, & sacrilegij, Deum tamen minime posse obligare hominẽ ad vitandã simplicem fornicationẽ, v.g. sub tanta culpa, quanta fuit in peccatis præteritis iã dimissis, si enim peccata dimissa fuerunt adulterij, & Hæresis, qua ratione simplex fornicatio cõmissa contra præceptum Dei in malitia æquiualere poterit prædictis peccatis? Si autẽ Deus præciperet fugam simplicis fornicationis, sub pœna adulterio debita, quod non repugnat, homo lapsus in fornicationẽ ea pœna dignus esset. Ad argumẽtũ eiusdẽ auctoris adductũ in 3. p. suæ assertionis respondetur, Deũ neque posse remittere culpã non remissã pœna æterna, neque posse remittere culpam absolute, & pœnam æternam sub conditione.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm merita condigna vitæ æternæ, quæ mortificata erant per peccatum, redeant per subsequentẽ pœnitẽtiam.

1 IN celebrẽ in Scholis nostris, ac iucundã nostris mentibus quæstionem incidimus, quã, vt fauentibus superis elucidare valeamus, quædã nobis in principio animaduertenda sunt. Primũ sit opera nostra in quadruplex mẽbrum diuidi posse. Alia enim sunt mortifera, cuiusmodi sunt peccata mortalia, quæ vitã animæ media gratia cõmunicatã funditus euertunt, alia sunt opera indifferẽtia, quæ nec sunt bona, neque mala, vt mundare dentes, leuare festucam, siue existant indifferentia secundũ speciẽ, vel in indiuiduo. Tertio reperiũtur in homine alia opera mortua, & hæc sunt opera virtutum facta in statu peccati mortalis, quæ ex eo mortua nuncupantur, quia neque facta sunt eũ vita gratiæ, neq; habent conditiones necessarias ad meritũ de cõdigno. Quarto sunt opera mortificata, & huiusmodi sunt bona opera in gratia exercita, quæ per peccatum mortale, quod ea subsequitur, amittũt vitam, seu vim perducendi hominẽ ad vitã æternam, quã antea habebant. Præsens controuersia solum versatur circa opera mortificata, quia cũ hæc tantũ vitã habuerint, illa tantum possunt reuiuiscere, neque enim dicitur reuiuiscere, nisi quod prius vitam habuit.

2 Secundo notandũ est, postquam præcessit opus bonũ, non manere alicubi formaliter meritũ, quod erat passio boni operis præcedentis, passiones enim semper comitantur essentiã, illud tamen opus relinquere in homine ius quoddam habituale ad præmium vitæ æternæ, quod quidẽ ius in ipsa gratia fundatur, nã per illam quis constituitur filius Dei, & hæres vitæ æternæ, manet tamen nihilominus meritũ illud, quod formaliter præcessit, in Deo quatum ad acceptationẽ, in quantũ Deus acceptauit illud meritũ ad dandã gloriam pro eo suo tempore, peccatũ ergo superueniens excludit quidẽ ab homine formaliter meritum vitæ æternæ, & gratiam, ac ius ad præmiũ gloriæ secundũ præsentẽ statũ, at vero à Diuina acceptatione non potest tollere ipsum meritum, vt patet ex modo acceptationis explicato, quæ doctrina est, *Patris Suarez in tomo opusculorũ in relectione de reuiuiscentia meritorum, & sumitur ex D. Tho. 3. p. q. 89. a. 5. in solutione ad primum.*

3 Tertio notandũ est, potuisse Deũ ita rigorose punire peccatum mortale, vt propter illud quis in perpetuũ priuaretur meritis præteritis, noluit tamen Deus ex sua magna benignitate, ita punire peccatũ, sed tantũ in eo, quod dũ peccatũ mortale est in anima, impediat, ne homo sit dignus, aut meritorius vitæ æternæ.

4 Quarto notandũ est, ex eo posse merita vitæ æternæ, & ius ad eã mortificata per peccatum reuiuiscere, quia potest Deus ipsam gratiã, quæ à solo Deo dependet reproducere, in quo dignitas, & ius ad gloriã fundantur; at vero non posse peccata semel dimissa reuiuiscere, quia peccatũ, vel eius macula dependent, vt vidimus in quæstione antecedẽti, essentialiter exactione præterita non retractata, quam non potest Deus producere.

5 His suppositis, sit prima conclusio certissima, non tamẽ de fide, Merita producta in gratia, & quæ interrupta sunt per peccatum, reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam, ita *D. Tho. loco citato, & Scholastici cum Magistro in 4. dist. 14. Alensis 4. p. q. 12. membro 4. a. 6. Bonauent. in 4. dist. 14. 2. p. a. 2. q. 3. Scotus in 4. dist. 22 q. 1. §. de 2. articulo, Gratianus de pœnitentia distinct. 4. cap. vlt. & post caput intermittentes, Turrecremata in dicto cap. intermittentes, ar. 2. Couarruuias in cap. alma mater 1. p. a. 4. §. 10.* Et est cõmunis sententia Theologorũ recẽtiorũ. Probatur primo, ex Sacra Scriptura, *Ezechielis enim 33.* dicitur, *impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, & Ioelis 2. cap.* Sic loquitur Dominus cum vere pœnitentibus, & tantam promittit fœlicitatẽ spiritualem sub nomine fœlicitatis temporalis, *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & Rubigo,* quæ verba, *D. Hieronymus,* Ad nostrum propositum pulchre interpretatur his verbis; *Si autem post pœnitentiam tantam vbertatem rerum omnium Deus pollicetur, quid respondebit Nouatus negãs pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum;* Per quã reformationem sine dubio intellexit, *Hieronymus,* Reuiuiscẽtiam priorum meritorum mortificatorum. Præterea, *Paulus Epist. ad Hebræos cap. 6.*

cap. 6. Maximè nos consolatur his verbis: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, quia ministrastis sanctis, & ministratis.* Quæ verba graues Doctores intelligunt de reuiuiscentia meritorum mortificatorū, *Vt Glos. inter linealis, & ordinaria, & Ambros. in expositione illius epist. & D. Thom. ibidem.* Secundo probatur ratione depromptâ, ex *Concil. Trid. sess. 6. c. 16.* Cuius hæc sunt verba, *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illi quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro buisse vitæ statu satisfecisse, & vitam æternā suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Ex quo loco sic argumentor. Tres cōditiones tantum ibi concilium definit requiri ad meritū vitæ æternæ. Primam quod opus sit factum ex auxilio gratiæ Christi. Secundam quod opera elician tur ab homine iusto. Tertiam quod homo decedat ex hac vita cum gratia; sed fic est, quod opera bona facta in statu gratiæ, & mortificatā per peccatum mortale, cum iterum redijt gratia, si cum ea gratia homo moriatur, habent omnes istas conditiones à Concilio requisitas, ergo sunt meritoria vitæ æternæ. Vltimo conclusio hæc stabilitur hac ratione, quia priora merita solū impediuntur ad hoc, quod non habeant suum effectū per peccatū mortale, & quamuis sic impediantur, manent tamen in diuina acceptatione, ad hoc vt præmiū pro illis conferatur debito tempore, ergo ablato peccato causā' bunt suum effectum qui est impetrare homini gloriam, vnde merita eadem numero, quæ erant antea, redeunt, quia eundē effectum sortiuntur, quem antea sortiebantur, & quia eadem merita præterita modo denominant hominem merentem, & gratia habitualis, & ius ad gloriā in ea fundatū nō sunt numero diuersa ab antiqua gratia, & iure ad gloriam.

Ex dictis sequitur, negari non posse secundum nostram sententiā, quin reditus meritorum proueniat ex liberalitate Dei, vt patet ex tertio, & quarto notabili, nihilominus tamen homo non dicitur habere ius ad gloriam debitam prioribus meritis per aliquid extrinsecū, sed per aliquid intrinsecum, & animæ inhærens, quia gratiam, quæ collata erat propter talia merita, & in qua fundatur ius ad gloriā vere infunditur in anima de nouo, & ratione illius homo dicitur dignus gloria, & mereri vitam æternam, quam antea meritus erat.

Obiicies tamen contra prædicta illud, *Ezechielis 18. Si autē auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, & infra, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.* Ergo videtur ex his verbis colligi priora merita mortificata per peccatum non redire, quia illorum minime recordatur Deus. Sed respondetur, *Cū Vazquez super quæstionem 89. 3. part. D. Thom.* Ibi tantum

A contendere Prophetam non prodesse homini antiqua merita ad hoc, vt liberetur à morte peccato debita quæ solutio est assona ell verbis textus, vt legenti patebit, dicitur enim ibi immediate post prædicta verba, in præuaricatione, qua præuaricatus est. & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.

Secunda conclusio. Antiqua merita taliter reuiuiscunt, quod homo de nouo à peccatis iustificatus non solum consequatur omnia merita, & omnem gratiam, quā ante lapsum in peccatum fuerat promeritus, sed etiam eam gratiā, quam per sacramenta prius perceperat ex opere operato. Et eadem ratio est de omnibus virtutibus infusis, tam Theologicis, quam moralibus, quas prius obtinuit, quia virtutes istæ

B consequuntur gratiam tanquam ei necessario annexæ passiones. Cōclusio hæc quantum ad omnes suas partes aperte liquet ex illo loco citato in præcedente conclusione, *Ezechielis 33.* Vbi dicitur impietatem non nocituram impio, in quacunque die egerit veram pœnitentiam, si autē aliqua gratia, vel virtus ex dictis, prius mortificata per peccatum, postea non rediret ratione peccati, peccatum seu impietas præterita iam noceret ei. Secundo probatur conclusio, quia Dei perfecta sunt opera, sed Deus hæc prædicta dona potest homini restituere, & non est maior ratio, quare vnum donum ex præteritis magis restituat, quā aliud, ergo credendum est ita completum conferre Deum hominibus amicis suis beneficium, vt

C omnia piora dona gratiæ mortifica in integrū restituat. Et si tamen augmentum gratiæ antiquum omnino deletum erat, redit idem numero, & non simile in specie aliud, quia hoc iudicare videtur locus Scripturæ adducta in prima conclusione.

Controuersia modo se offert in fine quæstionis examinanda, in qua intensione recuperet homo in isto casu merita antiqua, & gratiam deperditam? In qua sunt varij opinandi modi. Primus est pœnitentem nunquam recipere intensiorem gratiam, quam sit contritio, per quā resurgit, atque ita intelligūt cōmunē Doctrinam explicatam in prima conclusione. Quam sententiam, *Sotus in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. in explicatione 4. opinionis*, tribuit aliquibus Thomi-

D stis. Hæc tamē sententia quantum ego iudico aliorum in hoc iudicium sequens, improbabilis omnino est ex duplici capite. Primo, quia alias merita mortificata per peccatum, quæ intensa erant, & perfectissima, perfecte, & integre non reuiuiscerent in eo casu, quo homo ad nouam gratiam resurgeret per remissam quandam contritionem, quod tamen falsum esse cōstat ex nostra secunda conclusione. Secundo quia alias ille, qui totam vitam flagitiose consumpsisset, & in fine vitæ ad Deum converteretur per contritionem intensam, vt quatuor,

maiorem gratiam, & gloriam consequeretur, quam ille qui fere per totam vitam Dei cultui se emancipasset, & qui mille gradus contritionis, & gratiæ consequutus esset, si tamen iste ante finem vitæ in vnum tantum peccatũ mortale prolapsus esset, & in fine vitæ iustificaretur tantum per contritionem, vt vnũquæque qui dem absurda sunt, & à viris doctis exibilanda.

10 Secundus modus opinandi fuit aliorũ, qui existimarunt, resurgentem ad gratiam per cõtritionem vt quatuor, verbi gratia, & recipere quatuor gradus gratiæ nouos respondentes ei contritioni, & recipere etiam alios quatuor gradus gratiæ antiquos, & mortificatos, & sic paulatim recuperare omnes gradus pristinos de perditæ gratiæ, quam sententiam refert Sotus loco citato §. quod si quæras: ea tamen etiã est improbabilis, tum quia est contra Concilium Tridentinũ loco citato in prima cõclusione, tum etiam quia aperte ex ea sententia sequitur, non recuperare omnia merita mortificata, quæ intensissima fuerant, eum, qui in fine vitæ ad nouam gratiam resurgens, tantum eliceret contritionem remissam, & post eam elicitam statim moreretur, quia tunc tantum modo iuxta istam sententiam recuperaret quandam remissam gratiam, & non intensissimam.

11 Tertius modus opinandi fuit *Soti supra loco citato §. hanc igitur* Docentis, eum qui resurgit à peccato summo conatu, & summa intensione quã potest ex auxilio gratiæ Dei recuperare totam gratiam mortificatam, siue ea magna fuerit, siue parua, qui vero medio conatu resurgit, recuperare mediam gratiam antiquam, & in hac proportione loquendum esse dicit de alijs modis resurgendi. Sed hanc sententiam, quod bona venia dixerim tanti Magistri, iudico etiam esse improbabilem, tum quia prædictam proportionẽ sine fundamento ipse excogitauit, tum etiam quia ex ea sequuntur eadẽ inconuenientia, quæ supra intulimus ex secũda sententia.

12 Quartus dicendi modus iudicat, pœnitentẽ semper recuperare omne ius ad gloriam mortificatum, non tamen omnem gratiam deperditam, præsertim in hac vita, quam doctrinam indicat, *Durand. in 3. dist. 31. q. 2. ad 3.* Hæc tamen sententia etiam apparet improbabilis. Primo quia ius ad gloriam fundatur in gratia, vnde gratia minime recuperata, neque ius ad gloriã recuperari poterit. Secundo quia insinuat gratiam nostris meritis debitam non donari nobis in hac vita, sed in futura, quod falsum omnino iudico, quia status futuræ vitæ sicut non est status denouo merendi, quia nõ est status agonis, & pugnæ, sicut noster, ita neque ei conuenire posse videtur aliquod ius ad gloriam de nouo adquirere, quod æquiualet merito.

13 Quintus modus dicendi est aliorum sentientium, per pœnitẽtiam recuperari omnem gratiam adquisitam ante peccatũ mortale, per merita, non vero adquisitam per sacramenta ex opere operato. Huic sententiæ non audeo notam improbabilitatis inurere. Quia si recte inspiciantur ea, quæ à nobis adducta sunt in confirmatione nostrarum conclusionum non videntur cõuinere contra istam sententiam. Nihilominus tamen ea sententia mihi nõ placet, tum quia alias Deus puniret hominem, quam tumuis cum perfecta contritione resurgẽtem à peccatis, pro peccatis præteritis, cui videntur contradicere verba illa *Ezechielis 33. Impietas impij non nocebit ei, in qua cumque die conuersus fuerit.* Sequela patet, quia si Deus homini perfecte cõtrito denegat gratiam antiquam ad quisitam per sacramenta, & hoc propter peccatum præcedens suam contritionem, tam ergo punit hominem propter tale peccatum. Secundo displicet ea sententia, quia fine sufficiẽti fundamento contra infinitam benignitatem, & liberalitatem Dei constituit differentiam inter reuiuiscentiam gratiæ debitæ meritis, & adquisitæ per sacramenta.

14 Sextus modus opinandi à nobis amplectendus est, quem sequuntur, *Gabriel. in 4. d. 14. q. 3. arti. 3. dubio 3.* Et multis pro eo allegatis Doctoribus, *Suárez relectione de reuiuiscentia meritorum disp. 2. sectione 3. & Alij recentiores.*

15 Vnde sit tertia conclusio. Vere pœnitens recuperat omnem gratiam, & omne ius ad gloriam, quæ mortificata fuere per peccatum, in ea prorsus intẽsione, quã habuerãt ante peccatũ semper. Hæc cõclusio patet. Primo ex refutatione contrariarum sententiarum supra à nobis adducta. Secũdo patet ex his rationibus, quæ supra notauimus roborantes primã conclusionem, ad quas remittimus lectorem ne ei tædium pariamus.


16 Contra hanc tertiam conclusionem obiectio quædam se offert minime contemnenda, quia sequitur ex ea, per contritionem vt duo, verbi gratia, hominem posse resurgere in gratia, vt quatuor, ita quod duo gradus de nouo infundantur, & alij duo fiunt antiqui reuiuiscentes, quod falsum videtur, quia gratia commensuratur gradui contritionis. Ad hoc respondetur contritionem includere duplicem respectum, & ad nouam gratiam, & ad reuiuiscentiam antiquæ, ita quod sit causa respectu gratiæ nouæ, & conditio remouens prohibens respectu antiquæ, & quidem gratia noua debet commensurari contritioni præsenti, non vero antiquæ.

(∴)

TRACTATVS SECVNDVS DE CONFESSIONE.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrùm confeßio sit posita sub præcepto Diuino, an tantum sub humano, seu Ecclesiastico.



1 VIVS auricularis confeßionis, vtpote rei tanti ponderis, tantæque præstantiæ multæ præcesserunt figuræ, vt optime notauit, *Cōcil. Prouinciale Senonense in Decretis fidei, & refertur in tomo 4. Conciliorum*, fol. 729. in Mosayca lege B præluxerunt oracula, & multa sunt præclara in nouo Testamento circa confeßionem hāc. Hoc enim indicauit Precursor Domini, à quo qui baptizabantur confitebantur peccata sua Matth. 3. hoc etiam ipse Christus ostendit, dum suscitatum Lazarum ab Apostolis solui iubet Ioan. 11. & dum ei, quem à lepra curauerat præcepit, vt se se Sacerdotibus ostendat, C quod patet ex Matth. 8. cap.

2 Et quidem de necessitate medij in hoc sacramento requisita disputauimus supra, vnde solum restat nunc examinare, necessitatem præcepti, eamque ex Sanctis Patribus, Sacraque Scriptura comprobare. Secundum *Augustinum in lib. de Verbis Euangelij homilia* 8. alia est confeßio laudis, qua diuinam prædicamus excellentiam, alia fraudis, qua peccata propalamus, & hæc fraudis alia est mentalis, alia ceremonialis, quæ erat in vsu veteris legis, alia D criminalis coram sæculari iudice, alia sacramētalis, de qua procedit, quæstio, quæ à *D. Tho. in 4. dist. 17. quæst. 3. art.* 2. & alijs Theologis, ibi, sic definitur, *Est legitima, & sacramentalis accusatio de proprijs peccatis ad eorum veniam virtute clauium obtinendam coram Sacerdote facta.*

3 Hanc cōfeßionē Hæretici antiqui, & nouiores totis viribus conati sunt euertere, eā primo A negarūt, *Massiliani, vt Damasc. Refert lib. sui de Hæresibus*, deinde huic errori adhæserunt, *Iacobitæ, & Iulianus Apostata, vt legitur in Historia Tripartita lib. 6. c.* 2. Hanc Hæreticā doctrinam postea secutus est, *Vuiclef. vt Vualdensis refert t. 2. de Sacramentalibus, cap.* 138. Et dicebat iste Hæreticus fuisse cōfeßionis necessitatē institutionē Papalē in *Cap. omnis vtriusq; sexus, & Nouißime Lutherus*, Vt populū deciperet, totis viribus conatus est necessitatem confeßionis è medio tollere.

Inter Catholicos vero quidā dixerunt præceptū cōfeßionis institutū in lege veteri, & à Christo in noua aliquid ei fuisse additū; ita sentiunt, *Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 14. & Vualdensis t. 2. de Sacramentis, c.* 135. 4

Alij vero Authores, quos refert, *Suarez t. 4. disp.* 35. Sentiunt hanc confeßionem, neq; esse institutū à Christo, neq; positā ab eo sub præcepto, sed Ecclesiā tale præceptū cōstituisse tēpore Innoc. III. Fundamētū huius sententiæ est; quia ex nullo Sacræ Scripturæ tale præceptū Diuinū cōfeßionis colligitur, neq; ex aliqua traditione, ergo immerito adstruendū esse dicimus. Præterea nō est cōfeßio de iure naturali, quia ius naturale, seu ratio naturalis nō assequitur virtutē supernaturalē eius, supposita tamen cognitione eius per fidem, naturale est homini desiderare confeßionem, vt remedium peccatorum. 5

Sed his nō obstātibus Catholica veritas docet, confeßionem sacramētalem nō solum esse institutam à Christo, sed etiā positam sub præcepto, & ita eam esse de iure Diuino, & hæc sit certißima cōclusio in hac quæstione. Quæ conclusio probatur primo ex multis Patribus Ecclesiæ supponentibus necessitatem confeßionis ante tempora Innocentij III. 6

Et ante omnem determinationem Ecclesiæ, *Origenes enim homilia secunda, super Psalmũ 37. Oportere, inquit, nos confiteri peccatum, & Amb. lib. de Paradiso cap. 14. ait, non sufficere confiteri peccata soli Deo, & Fabianus Papa epistola secunda, inquit compellendos esse eos, qui peccauerunt, si ad emendationem, & confessionem venire noluerint*, & probatur ex *Concil. Complutensi sub Alfonso Carrillo celebrato*, Vbi damnatur propositio Petri Oxomensis asserentis confessionem non esse de iure Diuino, & tandem probatur ex *Concil. Trident. sessione sexta, cap. 14. vbi definit Conc. confessionem esse necessariam ex iure Diuino etiam homini contrito.*

7 Hanc Catholicam doctrinam ex multis locis Sacræ Scripturæ conantur aliqui probare. Vtrùm tamẽ solum illa probãda est, *Ex Ioannis 20.* Vbi dixit Christus Apostolis, dum instituit hoc sacramentum, *Accipite Spiritum Sãctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex hoc enim celebri loco hanc veritatem colligit *Concil. Trident. sessione 14. cap. 5.* In hæc verba, *Vniuersa Ecclesia semper intelligit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure Diuino necessariam existere, quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient, constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse.* Ex prædicto tamen loco Sacræ Scripturæ aliqui sic colligunt necessitatem confessionis, quia Sacerdotes ibi, fiũt iudices, ac per consequens debent cognoscere causam, sed fiunt iudices peccatorum, ergo debent cognoscere peccata, quare necessaria est confessio, vt talia peccata cognoscantur. Verum hac ratione non potest colligi necessitas confessionis, posset enim aliquis dicere hoc factum esse in fauorẽ pœnitentis, vt si velit frui potestate Sacerdotis, necessario debeat confiteri peccata ei.

8 Alij vero colligunt hoc præceptum ex eo, quod Sacerdotes iudices ordinarij sunt, habentes potestatem à Principe, qui est Christus, & non sunt iudices arbitri, quales sunt illi, qui habent potestatem à partibus, vnde necessariũ videtur esse, ad eos peccata deferre. Sed hoc modo nõ recte colligitur hoc præceptum. Tũ quia licet Episcopus sit ordinarius iudex causarum Clericorum, non tamen debent ad eum necessario deduci illæ causæ, sed possunt alijs vijs vt sorte, aut consensu partium dirimi. Tũ etiam, quia Sacerdotes sunt iudices ordinarij respectu peccatorum venialium, & tamen nõ est præceptum ea confitendi.

9 Verum hoc præceptũ colligendum est iuxta verba Christi ex potestate ligandi, & absoluendi, sicut colligit Trid. loco citato, dicens qui pro potestate clauiũ remissionis, aut detentionis sententiam pronunciẽt. Pro quo notandum est, & patet ex traditione Ecclesiæ, Sacerdotes habere potestatẽ detinendi, & ligandi peccatores, non solum imponendo opera satisfactoria pro peccatis confessis, & per absolutionem ablatis, vt patet ex *Trid. sessione 14. Canone 15.* Sed etiam negandi absolutionem, & obligandi sub præcepto ad aliqua opera, antequã absoluãtur, quibus signa contritionis obedientes exhibeant, & hac ratione sint capaces absolutionis sacramẽtalis. Ex quo præsupposito sic deducitur necessitas confessionis. Possunt fideles obligari ad prædicta opera, antequam absoluantur à peccatis, ergo sub præcepto tenentur ea cõfiteri, aliàs non possent obligari ad ea opera, quæ solum sunt præambula ad confessionem, si ad ipsam confessionem nõ obligarentur. Et cõfirmatur, quia ex eo homines non possunt obligari ad confitenda peccata venialia, quia non possunt obligari ad similia opera præstanda ante absolutionem, quæ sint signa cõtritionis. Et confirmatur, quia potestas detinendi, & ligandi peccatores modo explicato, vt postea possint recipere beneficium absolutionis, est quædam vis coactiua, non exterius inferendi vim, ita quod eos capiant, & in carcerem mittant, ergo est potestas interius obligandi per præceptum ad exhibenda ea opera, quæ sint signa contritionis, & ad peccata confitenda, sed quia hæc potestas detinendi peccata non est data, nisi in ordine ad ea remittenda, ideo ex vtraque potestate remittendi, & detinendi peccata, seu ligandi, & absoluendi, quod idem est, satis aperte colligitur præceptum Diuinum confitendi. Ita in hac parte ratiocinantur *Vazquez, 3. par. super quæstionem 91. D. Thom. art. 1. & Suarez tomo 4. in 3. par. disput. 17. sectione secunda.*

Neque obstat, si quis obijciat contra hoc, quia ille pœnitens, cui negata est absolutio, & cui est impositũ præceptum præstandi opera significatiua contritionis ab vno Sacerdote, posset adire alium Sacerdotem, & ab eo absolui à prædictis signis immunis, ergo pœnitens minime remanet obligatus ad prædicta opera, ergo neque tenetur præcepto confessionis. Huic argumento facile se offert solutio, neque enim præceptum confessionis obligat ad confitendum huic Sacerdoti determinato, sed alicui vage concepto, vnde obligationem præstandi aliqua opera impositam ab vno Sacerdote posse ab alijs auferri. Verumtamen si vnus tantum reperiretur Sacerdos, vel omnes Sacerdotes eundem haberent iudicandi modum, non posset pœnitens ille absolui ab aliquo Sacerdote 10

11 sine eo, quod exhiberet talia signa contritionis.

Probatur præterea Catholica nostra doctrina, quia si præceptum confessionis humanum esset, & non diuinum, constaret nobis quando, & vbi hæc tanti momenti initium accepisset, at minime id nobis constat, nam omnes Sancti Patres huius præcepti mentionem faciunt veluti rei antiquissimæ, & à Christo dimanantis, ergo tale præceptum diuinum est. Minor huius discursus patet contra hæreticos contendentes hoc præceptum *ab Innocentio III. in Conc. Lateran.* dimanasse: *D. enim Gregor. Nyss. in sua epist. ad Episcopum Mitilenes in tom. 3. Bibliothecæ sanctorum Patrum*, Antiquior Concilio Lateranensi docet omnes fideles suo tempore debuisse in paschate confiteri, & *D. Chrysost.* loquens de alio tempore antiquiori *Homil. 4. in Genesim*, necessitatem confessionis ostendens ait, *facienda est diligens, & pura peccatorum confessio. Innocentius vero III. in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus*, Non imposuit præceptum absolutum confitendi, sed præceptum diuinum alias indeterminatum confitendi modificauit, præcipiendo talē confessionem fieri semel in anno, ne nostrarum animarum facilem expiationem contemnentes, in maiora quotidie peccata dillaberemur.

12 Sed contra Catholicam resolutionem obstant quædam difficilia argumenta. Primum sit desumptum ex facto Nectarij Archiepiscopi Constantinopolitani, qui abrogauit confessionem peccatorum, quam tamen nō posset abrogare, si iure esset diuino constituta. Hoc factum referunt *Socrates lib. 5. historiæ cap. 19. & Sozomenus lib. 6. cap. 16. & Niceforus lib. 10. historiæ cap. 28. & Suarez 4. tom. 3. part. disp. 17. sect. 2.* Res hæc multum facessit negotij Theologis nostris. *Sotus, & Canus*, respondēt hoc cōtigisse ad sedandum scādalum, quod tunc erat subortū in republica, ex eo quod nobilis quædam matrona diù agens pœnitentiā in Ecclesia, cum Diacono quodam concubuerat in eadem Ecclesia. Verumtamen solutio hæc merito alijs Doctoribus displicet, quia confessio quæ iure Diuino est necessaria, non debuit cessare propter scandalum ortum ex quodam singulari facto, quod valde remote ex præcepto confessionis ortum habuisse iudicare debemus. Imo iuxta receptam, & communem doctrinam D. Thom. in materia de scandalo etiā præceptum Ecclesiasticum prætermittendum non est propter scandalum. Alij Doctores, *Vt Valdensis tomo secundo, de Sacramentis cap. 141.* Senserunt Nectarium in hac parte errasse veluti parum instructum in rebus fidei, immerito tamen dicitur illum errasse, vt parum instructum in rebus fidei, tum quia Nicolaus Papa vocat Nectarium Hæreticorum expugnatorem, tum etiam quia omnes Ecclesiæ Orientales in hoc eius sententiæ acquieuerunt. Alij docuerunt Nectarium non abstulisse de medio omnem confessionem sacramentalem, sed eam tantū, quæ tunc erat in vsu, vt quod vnus esset confessarius pro tota Diœcesi, & ille omnium confessiones exciperet, & peccata deferret ad Episcopum, & tandem publice ea referret toti populo. Quæ consuetudo pessima erat, & tunc in Campaniæ prouincia vigebat, & reprobata est, *à Leone Magno, Epist. 78. cap. secundo*. Sed hæc solutio non apparet vera, quia probabilius est talem confessarium solū esse institutum, vt publica peccata eorum, qui pœnitentiam publicam agebant audiret, & non alia omnia. Qua enim ratione contingere poterat, vt vnus homo peccata totius Diœcesis audiret? Aut qua ratione illa consuetudo vigere potuit, peccata in publicum propalandi? Cum ea, & homines à sacramento pœnitentiæ abstraheret, & scandalorum, ac inimicitiarum fomitem facile disseminaret.

Ad argumentum itaque propositum respōdeo cum quibusdam recentioribus, Nectariū tantummodo abrogasse consuetudinem suo tempore florentem, scilicet, quod vnus tantū esset confessarius excipiens omnium eorum confessiones, qui publicè pœnitentiam agebant propter peccata publica, & vt peccatores talem pœnitentiam in Ecclesia peragerēt. Motus fuit tamen Nectarius ad hoc decernendum ex occasione peccati, quod prædictæ matronæ contigit cum Diacono, quare vniuscuiusque arbitrio reliquit Nectarius, vt confiteretur cui mallet Sacerdoti iurisdictionem habenti, iuxta cuius consilium, & pœnitentiam ageret, & ad communionem accederet. Ideo vero confessarius ille confessiones audiēs publice pœnitentium prudens eligebatur, quia audiebat omnia peccata tam publica, quam secreta, & peccata secreta perpetuo silentio tegere debebat, publica vero ad Episcopum deferre, ad hanc enim discretionem concipiendam prudens Sacerdos necessario requirebatur. 13

Secundum argumentum est desumptum ex doctrina *Chrysostomi successoris Nectarij, qui homilia secunda in Psalmum 50. super illa verba, quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, Sic inquit, *Si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico vt confitearis conseruo tuo.* Sed ad hoc respondetur in illis locis non loqui Chrysostomum de confessione sacramentali, neque absolute, neque in sensu, in quo [illegible] Nectarius, neque eam velle reprobare, sed tantum voluisse, nō esse semper necessariam ad remissionem peccati confessionē sacramētalē, sed per solā cōuersionem ad Deum posse hominē iustificari, vt cum non vrget præceptū cōfessionis, quare, 14

re, D. Chrysost. fideles hortatur in prædictis verbis ad conscientiæ examen. Cui, *consonat Canon. 33. Concil. Cabilonensis* 2. qui sic habet, *Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod vtrumque nō sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam.*

15 Tertium argumentum est desumptum ex doctrina, *Amb. Lucæ 22. c. de negatione Petri, & refertur de pœnitentia, dist. 1. cap. 1. & 2. his verbis loquente in 2. cap. Lacrymæ lauāt delictū, quod voce pudor est confiteri, in 1. autem, c. sic loquente lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego,* Et alia similia referuntur in Decreto, *de pœnitentia dist. 1. à principio vsque ad caput* 36. In quibus locis videtur negari necessitas confessionis. Sed respondetur in illis locis nullo modo negari necessitatem cōfessionis. In primo enim loco solum vult Ambros. lacrymas lauare delictum, idest, contritionem tollere peccatum, quod cum pudore suo tempore confitendum est. In secundo vero loco cum ait Amb. satisfactionem Petri non lego, non loquitur de propria satisfactione de peccato suo, quia pro eo satis satisfecit, dum dixit de eo Sacra Scriptura, *Quod fleuit amare*, Per satisfactionem ergo intelligit excusationem peccati, Petrus enim suam recognoscens culpam, illam non excusauit, quæ solutio potest colligi ex verbis, quæ subdit Ambros. *Rectè fleuit, & tacuit, quia quod fleri soles, nō solet excusari.* Ad alia vero decreta sumpta ex alijs Patribus respondetur internam confessionem sufficere ad iustificationē, per quam quis concipit veram contritionem de peccatis, sed tamen non negant confessionem suo tempore faciendam. Cōfessio omnium peccatorum in particulari à solo Christo fuit instituta, confessio verò antiqua legis veteris, aut erat solùm peccatorum in communi, aut aliquorum solùm in particulari, & erat lex ceremonialis, quæ morte Christi cessauit. Ita *Vazquez 3. part. quæst. 9. art. 1.*

QVAESTIO II.

Quomodo confessio Sacramentalis præcepta sit præcepto Ecclesiastico, & quando obliget iure diuino.

1 IN hac quæst. est sententia multorum grauissimorum Doctorum affirmantium Ecclesiam per se solam, & sola lege Ecclesiastica non potuisse introducere præceptū confessionis. Ita sentiunt *Scotus in 4. dist. 17. quæst. 1. Durand. quæst. 8. Sotus dist. 18. quæst. 1. art. 1. Nauar. de pœnitentia dist. 5. in principio num. 8. & sequentibus.* Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in actus interiores, secundum illud commune axioma, Ecclesia non iudicat de occultis, *Canone erubescant dist. 32. & Canone si omnia 6. quæst.*

A 1. Sed præceptum confessionis non solùm obligat ad confitenda peccata externa, sed etiam interna, ergo tale præceptum quoad suā substantiam non potest ab Ecclesia imponi. Et cōfirmatur quia Ecclesia nō accepit à Christo potestatem excellentiæ ad instituenda Sacramenta, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere, ergo neque accepit à Christo potestatem obligandi sub præcepto ad recipienda Sacramenta.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Præceptum Ecclesiæ, quod modo habetur, & traditum fuit *in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus.* Circa confessionē faciendam semel in anno, non est solū Ecclesiasticum, sed mixtū ex præcepto diuino, & ex præcepto Ecclesiastico. Nam præceptū diuinū præcepit, vt omnes confiterentur peccata sua, & non determinauit tēpus confessionis extra articulum mortis, at vero Ecclesia salubriter determinauit talem confessionē esse faciendā semel in anno. Hanc conclusionem tenent cōmuniter *Doctores in 4. dist. 17. Gab. quæst. 1. art. 2. & 2. Caiet. tom. 1. opusculorum tit. 5. q. 1. Sotus dist. 18. q. 1. art. 1.* Probatur hæc conclusio primò ex *Trident. Sessio. 14. cap. 5. dum inquit, neque per Lateranen. Conc. Ecclesia statuit, vt confiterentur fideles, quod iure diuino necessarium erat, sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Et probatur ratione, quia tantùm instituit ius diuinum præceptum cōfessionis pro extrema necessitate. Extra illam vero non determinauit tempus, in quo debeat obligare, sed illud reliquit determinandū Ecclesiæ, hoc autem tempus determinauit Ecclesia, statuendo confessionem debere fieri semel in anno, ergo hoc præceptum Ecclesiæ, quod modo habemus de confitendo semel in anno, & est determinatio iuris diuini, & mixtum ex humano, & diuino iure. Probatur maior, scilicet quod extra casum necessitatis extremæ nō obliget præceptum diuinum confessionis determinato tēpore, quia *Ioā. 20.* solū dixit Christus. Quorū remiseritis peccata remittūtur eis & quorum retinueritis, retenta erunt, non determinando quo tempore hoc debeat fieri. Et quāuis ex potestate, quam habent confessarij vt vidimus in præcedenti quæst. obligādi pœnitentes ad præstāda aliqua opera ante absolutionem, quæ sint signa contritionis, colligatur sufficienter præceptū, quo fideles tenētur cōfiteri, tamē quia solū fideles ex vi iuris diuini possunt obligari aliquādo extra articulū mortis prædicta opera exhibere in signū contritionis, & non determinato tēpore saltem de quo nobis certo constare possit, ideò ratione iuris diuini non est apertè determinatum tempus confitendi, vnde cōueniens fuit determinatio Eccle-

Ecclesiæ, quæ medio præcepto Ecclesiastico determinaret nobis tempus confeßionis.

Ex hac vero conclusione aliqua licet colligere valde notatu digoa. Primum sit, miuime reneri hominem ratione præcepti Diuini ad confitendum peccatum mortale, statim postquam illud commisit, etiam si opportunã nactus sit occasionem, licet, *Guillelmus Parisiensis libro de Sacramentis, titulo de pænitẽtia, & graues Doctores Canonistæ relati à Couarruuia in cap. alma mater, p. 1. §. 1. num. 6.* Oppositum sentiãt. Rationes nostræ resolutionis duo potißimæ sunt. Prima sit quia præceprum affirmatiuum non obligat pro semper, sed aliquo determinato tempore, at præceptum confeßionis affirmatiuum est, ergo non obligat pro semper, seu statim. Secũda ratio est, quia Ecclesia præcepit in cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remißionibus confeßionem fieri semel tantum in anno, ergo seotit non obligare statim post pecearum commissum, aliàs frustra designasset tempus totius anni pro impletione talis præcepti, si ipsum obligaret statim post peccatum commissum.

5 Secundo licet colligere præceptum Diuinum confeßionis ratione sui fine dubio obligare in articulo, & periculo mortis, ita cõmuniter docent Theologi, vt refert, & sequitur, *Suarez tomo 4. disp. 35. sect. 3.* Confirmatur primo hæc veritas, quia vt vidimus in præcedente conclusione de iure Diuino tenerur quis aliquando confiteri, ergo tenebitur confiteri in articulo mortis, quia hoc Cœleste remedium C obligare necesse est in extremo periculo mortis, quando tota salutis nostræ alea vltimo iacitur. Confirmatur hoc secundo, quia hoc præceptum confitendi affirmatiuum est, & Diuinum, ergo ad minus obligat in articulo mortis, sicut præcepta diligendi Deum, & credendi Deo, quæ affirmatiua sunt, & Diuina. Imo siquis dum integra fruitur valetudioe, & copia coofessarij, timeat se postea non adepturum copiam confessarij, ante mortem, vt accidere potest in India, vel in longa apud infideles captiuitate, tenetur statim cõfiteri. Ita seotiunt, *D. Thom. in hoc vltimo puncto in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 4. & Adrianus, q. 3. de confeßione.* Atqui in articulo mortis tantum obligat præceptum confeßionis sacramẽ D talis, vt homo media ea reconcilietur cũ Deo, & à peccatis mortalibus iustificetur, vnde tantum constringit eos, qui conscienriam habent peccati mortalis, de quo non receperunt absolutionem à Sacerdote, quamuis media contritione iustitiam à Deo sint adepti. Imo addendum eredo, si in eodem articulo mortis sæpius quis cadat in peccatum mortale, sæpius obligari de iure diuino ad confitendum, Deus enim hoc salutari præcepto voluit nos obligare, ad adhibendũ facilius reoredium nostræ salutis.

A Difficultas vero est, an extra articulũ mortis obliget præceptum Diuinum confeßionis ex se? Et quidem aliqui sentiunt hoc præceptũ non obligare extra articulum mortis, ita, *Scotus 4. d. 17. quæst. 3. art. 3. Gab. ibidem dubio 1.* Et aliqui Recentiores. Sed hæc sententia falsa est, & satis reprobatur ex dictis, quæst. 16 conclusione a. quia parui pendere videtur amicitiam Dei, & parum de sua salute solicitus arguitur, qui hoe tam facile remedium ad amicitiam Dei restaurandam, & ad suam salutẽ quærendam vsque ad finem vitæ differt: ergo credendum est ad hæc inconuenientia vincenda Deum hominibus præcepisse confeßionẽ sacramentalem etiam extra articulũ mortis. Alij vero sentiunt, vt *Medina Codice de pœnitentia* B *tractatu 2. q. 14. §. a. sub finem,* Tunc hominẽ iure diuino teneri ad cõfitẽdum, cum timet peccatorũ suorũ obliuionẽ. Sed hæc etiã sentẽtia nimis rigida est, & aliàs nõ aßignat certũ tẽpus pro hominibus omnibus, quia quidam facilius, quam alij rerum obliuiscuntur. Alij volunt homines iure diuino teneri ad confitendum semel in anno, sicut Ecclesia determinauit. Sed hæc sententia admitti non potest, & sufficienter refutatur ex verbis Concilij Tridentini citatis in confirmationem primæ conclusionis. 4

Sit secuoda conclosio. Præceptum Diuinũ confitendi etiam obligat extra articulũ mortis; hanc conclusionẽ insinuant *Sotus in 4. dist. 18. q. 1. a. 4. Victoria in summa, n. 132. Conar. in c.* C *alma matter, p. 1. §. 1. n. 6.* Probatur cõclusio hæc vnica ratione, quia vt vidimus quæstione præcedẽti, præceptũ Diuinũ cõfitendi colligitur ex potestate à Christo tradita Sacerdotibus retinẽdi peccata, id est negãdi aliquãdo absolutionẽ, & obligãdi sub præcepto pœnitẽtes ad aliqua opera exercẽda peculiaria; quibus ostẽdãt signa contritionis, & hac ratione legitime absoluãtur: sed ad hæc signa particularia exhibenda tantũ possunt homines obligari extra articulũ mortis, non vero in ipso articuli momento, quia tũc statim fideles sunt absoluẽdi, si aliquale signũ contritionis ostendant, sequitur ergo extra articulũ mortis etiam obligare præceptũ diuinũ cõfeßionis. Quod præceptũ tam extra articulũ mortis, quam iotra illũ sine D dubio obligat sub peccato mortali, quia eius materia in vtroq; casu sine dubio grauis est. In aßignãdo vero determinato tẽpore, quo istud præceptũ obliget, maximũ opus, & difficilis labor est: mihi tamẽ, aliorũ cẽsuræ iudiciũ meũ submittẽti videtur loquẽdũ esse cõsequẽter ad id, quod determinauimus in tractatu primo de pœnitẽtia, quæst. 16. atq; ita pronũciãdũ esse. Tertio vel quarto, quoq; anno obligari homines ad confitendũ peccata sua ex vi præcepti Diuini. Cui resolutioni ex parte adhæret *Conin. tomo de sacramentis in materia de pœnitentia,* 5

Disput. 5. de necessitate confessionis, dubio secundo, conclusione secunda, Dum asserit fuisse intentionem Christi, vt peccatores sæpius etiā extra periculum vitæ Sacramento pœnitentiæ vterentur. Quam doctrinam nescio, quam ob causam deserat *Suarez, tomo 4. in 3. p. disp. 35. sectione 3. siquidem 3. tomo in 3. p. disp. 69. sectione 3.* Præceptum Diuinum sumendi Eucharistiam hoc modo obligare contēdit. Quod tale præceptum sæpius extra periculū mortis obliget, patet, quia cum hoc sacramentum multas secum adferat vtilitates credendum est Deum nos obligare ad recipiendum id, ne illis vtilitatibus nostra desidia priuemur. Inter eas tamē vtilitates, tres se nobis offerunt præ oculis habendæ. Prima vt facilius peccatorum veniam consequamur. B Secūda vt fruamur auxilijs gratiæ sacramentalis valde necessarijs ad finem sacramenti consequēdum. Tertia vt peccata homines in posterum euitent, & vitam recte, & digne instituaot, ac moderentur. Tertium vero, vel quartum quoque annū ad impletionē huius præcepti vt necessarium terminum præfiximus, quia longior terminus, & institutioni Christi Domini, & nostræ salutis vtilitati contrarius esse censetur, & vt consequētet loquamur ad id, quod in simili casu de tempore, quo obligat præceptum Diuinum contritionis supra docuimus præfata, quæst. 16. & ad id quod à nobis resoluitur in materia de Eucharistia circa præceptum Diuinum Eucharistiæ obligans extra articulum mortis. Neque enim inter hæc tria præcepta facile poterit aliquis sufficientem discriminis rationem assignare.

6 Sit tertia conclusio. Si supposita institutione huius sacramenti à Christo facta, supponeremus Christum non præcepisse eius receptionem, sed in libera voluntate hominum eam constituisse, adhuc Ecclesia per potestatem humanam à Deo datam posset præcipere receptionem huius sacramenti. Ita sentiunt, *Adrianus, quæst. 2. de confessione, Medina Codice de confessione, quæstione secunda, Suarez loco citato sectione prima*. Probatur quia hoc præceptum instituere non excedit potestatē Ecclesiæ, ergo potest illud instituere. Probatur antecedens, & quidē in primis non excedit potestatē Ecclesiæ ratione sacramenti considerati, vt quoddā totum est, quia sacramentū ipsum in actibus exterioribus consistit, quia est signum sensibile rei sacræ sanctificantis nos, & licet requirat hoc sacramentum aliquem actum internum, & insensibilem contritionis, vel attritionis, tamen quia talis actus necessario requiritur ad actum sensibilem confessionis, vt ille sit humilis, & deuota accusatio, & non iocosa, & quia est pars huius sacramenti, in quantum est sensibilis, & patefit per actum exteriorem confessionis, non repugnat Ecclesiam præci-

A pere huiusmodi actum. Præterea non excedit potestatem Ecclesiæ imperare confessionem, etiamsi hæc aliquando sit actuum internorum, quia Ecclesia directe solum præcipit confessionem vocalem, seu receptionem huius sacramenti, qui est actus externus, & circa quam habet iurisdictionem directam, circa peccata vero interna solum indirecte versatur Ecclesia, quatenus ad veram confessionem vocalem, & integram etiam est necessarium confiteri interna peccata. Quæ doctrina isto potest, exemplo confirmari, nam Ecclesia, quę directe præcipit audire missam, indirecte etiam præcipit attentionem, & deuotionem necessariam ad hoc, vt auditio missæ morali, & humano modo, ac debito, B contingat, & tamen attentio, & deuotio actus sunt interni animi, ergo Ecclesia recte potest præcipere per se sola confessionem peccatorum internorum; quod quidem probabiliter defendi potest; probabilius tamen iudico in isto casu, quo quis tantum haberet conscientiam peccatorum mortalium internorum, præceptum Ecclesiasticum recipiendi hoc sacramentum alio modo obligare, Ecclesia enim solum præciperet confessionem externam, pœnitens tamen confiteri debet interiora mortalia, & cum dolore animi, ratione præcepti Diuini obligantis ad integritatem confessionis, & ne fiat iniuria sacramento. Nā si Ecclesia sola præciperet confessionem, non posset ex se directe præcipere, vt quoties quis C haberet peccata tantum interna, ea explicaret in confessione, quia sicut nequit Ecclesia obligare homines ad actus mere interiores, ita neque occasione accepta tantum ab illis aliquid præcipere, sic enim directe suam iurisdictionem extenderet ad actus mere interiores. Ita docet, *Vazquez 3. tomo in 3. p. disput. 208. cap. 3. in fine, & 4. tomo in 3. part. q. 90. art. 1. dubio 4.*

Ex his patet solutio ad argumentum Durādi, proxime enim explicuimus, qua ratione Ecclesia præcipiente confessionem, teneatur pœnitens peccata etiam interna confessario suo patefacere.

Obijciet tamē aliquis cōtra tertiam cōclusionē, quia Ecclesia nequit instituere sacramēta, ergo nequit circa ea aliquid præcipere, quare D in eo casu, quo Christus cōfessionē sacramētalē minime imperasset, nō valeret Ecclesia eā præcipere, ad eandē enim potestatē pertinere videtur, & rem aliquam instituere, & circa eā debita præcepta imponere. Huic tamen argumento facile respondetur, Ecclesiam minime posse instituere sacramenta, quia eorum institutio ad potestatem pertinet excellentiæ, quā non esse à Christo Ecclesiæ communicatam necessario fateri debemus: nihilominus tamen recte potest Ecclesia præcepta sua imponere circa sacramēta iā instituta à Deo, hoc enim po

sterius

ſterius facilius eſt, & minus illo priori, atque ita Eccleſia hanc in ſe recognoſcens poteſtatẽ in *Concil. Trident. Seſsio.* 23. *cap.* 4. Præcepit Sacramentum Confirmationis debere prius ab illis ſuſcipi, qui prima tonſura volunt initiari, & alibi præcepit ceremonias baptiſmi, & ſacrificij Miſſæ, vt huiuſmodi myſteria cum debito honore celebrarentur.

QVÆSTIO III.

Utrùm Eccleſia poſsit diſpenſare, & abrogare præceptum Confeſsionis?

1 DISPENSATIO ſecũdum communem doctrinam Theologorum, & Iuriſperitorum nihil aliud eſt, quam quædam
B
legis relaxatio, cum reſpiciens finem, vt aliqua priuata perſona legis vinculis minime teneatur licet ea lex ſemper retineat ſuam vim cæteros omnes obligandi. Vt verbi gratia, ſi Summus Pontifex à lege generali ieiunij quadrageſimalis propter rationabiles cauſas Epiſcopos iudicaret abſoluendos eſſe, tunc eiuſmodi iudicium eſſet quædam cum Epiſcopis diſpenſatio. Abrogatio verò eſt ablatio legis omnimoda è medio, ita vt nullus legis vinculis cõſtringatur, vt in exemplo appoſito Eccleſia decernente, vt nullus teneatur ad ieiunandum in Quadrageſima, lex Quadrageſimalis ieiunij
C
prorſus abrogaretur. Quærimus ergo modo an Eccleſia erga præceptum confeſsionis poſsit iure abrogationis, & diſpenſationis vti.

2 In qua quæſt. ſit prima concluſio. Eccleſia ſcilicet, Papa, vel Concilium Generale ſuper ſubſtantiam præcepti confeſsionis, videlicet vt quiſquam nunquam teneatur confiteri, diſpenſare nullo modo poteſt, aut tale præceptũ abrogare, quod difficilius eſt. Ita ſentiunt *Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 5. & Vazquez ſuper quæſtionem 91. & articulum primum. D. Thom.* Et eſt communis ſententia Doctorum. Probatur concluſio dupliciter. Primò, quia præceptum confitendi abſolutè, & in articulo mortis, & aliquando extra talem articulum, vt vidi-
D
mus in præcedenti quæſtione diuinum eſt, ergo Eccleſia authoritate ſua humana nõ poteſt illud abrogare, aut in eo diſpenſare, quia inferior diſpenſare, aut abrogare nequit legem à ſuperiore latam. Secundò probatur eadem cõcluſio ratione *Soti loco citato*, quia confeſsio taliter eſt conſtituta à iure diuino, vt ſit etiam pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ſed ſacramenta quæ ſunt fundamenta Eccleſiæ, nequit Eccleſia immutare, ſecundum illud *Pauli prima epiſt. ad Corint. cap. 3. Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, quam quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Sed tantùm poteſt Eccleſia ea Sa-
A
cramenta miniſtrare iuxta Paulum dicentem: *Sic nos exiſtimet homo vt Dei miniſtros, & diſpenſatores miniſtrorum Dei.* Vbi nomine diſpenſationis non intelligit Diuus Paulus exceptionem, aut abſolutionem alicuius à lege Sacramentorum, ſed adminiſtrationem, ſeu diſtributionem Sacramentorum, ergo Eccleſia nullo modo poteſt in præcepto confeſsionis diſpenſatione, vel abrogatione vti.

Secunda concluſio. Eccleſia valide poteſt 3
diſpenſare, imò & abrogatione vti in præcepto annuæ confeſsionis, etiamſi non adſit rationabilis cauſa, quãuis in eis actionibus graue peccatum committeretur. Hæc eſt communis ſententia Doctorum, probatur concluſio, quia hoc præceptum confitendi ſingulis annis
B
ordinatum eſt ab Eccleſia authoritate mere humana, *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de Pœnitentijs, & remiſsionibus*, ergo poteſt ab Eccleſia valide diſpenſari, & abrogari, quia res per quaſcunq; cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, quamuis vt verum fatear, minime credam aliquam rationabilem cauſam offerre ſe poſſe, ad præceptum iſtud Eccleſiaſticum, quod animis hominum ſaluberrimum eſt, auferendum media diſpenſatione, aut abrogatione. Quando vero in hac ſecunda concluſione defendimus, Eccleſiam poſſe diſpenſare in præcepto annuæ confeſsionis, & illud abrogare, nomine Eccleſiæ intelligimus Papam, & Conciliũ Generale ſubobedientia Summi Pontificis congregatum. Nam inferiores Prælati, vt Archie-
C
piſcopi, Epiſcopi, concilia nationalia, vel prouincialia in eo præcepto, neque poſſunt vti diſpenſatione, neque abrogatione, quia illud præceptum inſtitutum eſt à tota Eccleſia in Concilio Lateranenſi, vnde inferiores Prælati nullas circa illud vires habent.

Quæres tamen primo, qua ratione cum Pa- 4
pa ſæpius diſpenſet in votis, quorum obligatio eſt de iure diuino, & naturali ratione promiſsionis Deo factæ, quam quilibet ex prædictis iuribus tenetur adimplere, non poſsit etiã diſpenſare in præcepto confeſsionis, quod de iure diuino ortum habet. Huic argumẽto difficilem inuenerũt maiores noſtri ſolutionem, vt oſtendit *Suarez lib. 6. de voto cap. 6.* vera tamẽ
D
ſolutio eſt, quam adhibent *Suarez loco citato, & Leſius in tomo de iuſtitia & iure, cap. 40. de voto dubitatione* 17. Diſpenſationem voti ab Eccleſia præſtitam in hoc conſiſtere, quod Prælatus Eccleſiæ ex parte, & nomine Dei, & eius vicem gerens in terris remittit obligationem, quam homo contraxerat erga Deum per ſuum votum, quod quidem non eſt diſpenſare in iure naturali ſeruandi promiſſa Deo, ſtãte debito in ſua vi, quia hoc omninò eſſet impoſsibile, ſed condonare debitum nomine Dei, in quo tota obligatio naturalis, & diuina nitebatur, in præcepto vero diuino confeſsionis non appa-

ret aliqua via, qua possit Ecclesia dispensare.

5 Quæres vltimo in hac quæstione, an Summus Pontifex obligetur ad annuam confessionem? Respondetur obligari quidem, non ex obedientia debita alicui superiori in terris, & ita ne ꝗ quo ad vim coactiuam, per quam possit à superiore cogi ad obseruandum præceptum annuæ confessionis, quia Cōcilium, quod illam legem stabiliuit non est supra Papā constitutum, sed potius Papa supra Concilium. Tenetur nihilominus Papa illud præceptum obseruare ex conuenientia, & congruitate quadam naturali, & quoad vim directiuam, & sub peccato mortali. Ratio enim naturalis dictat debere caput reliquo corpori conformari, ne monstrum resultet, indecens enim esset Ecclesiam obligari ad annuam confessionem, & Papam minime obligari. Quare præceptum annuæ confessionis non tam respectu Papæ dicendum est præceptum, quam regula. Ita *Couarruuias, qui alios refert, cap. alma mater part. 1. cap. 1. §. 5.*

QVÆSTIO IIII.

Quas personas obliget præceptum diuinū Confessionis.

ID quod in hac quæst. definierimus de hoc præcepto diuino circa personas, quas obligat, eodem modo definiendum, & applicandum est ad præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, vnde quantum ad hæc duo præcepta æqualiter procedit quæstio.

1 In hac quæstione prima sententia est eorū, qui dicunt infideles non baptizatos obligari præcepto diuino confessionis. Ita *Scotus in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. Ricardus dist. 17. quæst. 4. art. 2. Angelus verbo confessio secundo, §. 2. Syluester verbo, confessio, 2. artic. 5.* Huius sententiæ fundamenta duo sunt. Primum est, quia Deus habet iurisdictionem in omnes infideles etiam non baptizatos, ergo eius præceptum diuinū debet eos obligare. Secundum fundamentum est, quia præceptum diuinū Eucharistiæ obligat etiam infideles, ergo præceptum diuinum confessionis etiam eos obligat.

2 Pro verioris sententiæ explicatione notandum est, confessionem sacramentalem exigere pro materia necessaria, peccata cōmissa post baptismum, ita quod si absolutio impendatur supra peccata commissa ante baptismum non sit valida, aut alicuius momenti, quod quidem indicauit *Concil. Trident. Sessio. 14. cap. 5.* Dum inquit: hoc Sacramentum Confessionis esse necessarium lapsis post baptismum, nam hoc Sacramentum solum institutum est vt necessarium, ergo solum est institutum pro illis, quibus est necessarium: si ergo solum est necessarium lapsis post baptismum, & non ante baptismum, illis solum est institutum.

His suppositis sit prima conclusio. Præceptum diuinum confessionis nullo modo obligat infideles non baptizatos. Ita docent *Soteris 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. Maior dist. 17. quæst. 1. Almai. quæst. 1. art. 2. Suarez dicto 4 tom. disp. 35. sect. 2.* Probatur primò, quia infideles nullo modo habent materiā confessionis, quæ cōsistit in peccatis commissis post baptismum, ergo nullo modo possunt obligari ad confessionem. Confirmatur, quia hoc Sacramētum Pœnitentiæ, dicitur secunda tabula post naufragium, quia est maxime necessarium illis, qui post baptismum lapsi sunt in peccata, ergo illis, qui non sunt baptizati, non est secunda tabula, quia non adepti sunt primam tabulam, quæ est baptismus, quare neq; est illis necessarius, vnde si baptizētur, & post baptismum non peccent, & postea moriantur, consequentur vitam æternam sine vlla confessione. 3

Secunda conclusio. Infideles, licèt non obligentur ad confessionem, obligantur tamen ad recipiendam Eucharistiam statim post receptum baptismum, etiamsi nullum peccatū post baptismum committant. Probatur, quia Eucharistia non requirit tanquam materiam necessariam, circa quam operetur suos effectus, peccatum commissum post baptismum, neque aliquod aliud peccatum, sicut requirit pœnitentia, quia ratione sui, & nō ratione peccati obligat, vt homo tanto beneficio, ac tam vtili ad vitam spiritualem animæ nutriendam perfruatur, ergo cum alias sit præcepta Eucharistia præcepto diuino tenentur infideles eam excipere, ad quos præcepta diuina etiam se extēdunt, vt apparet in præceptis diuinis Fidei, Spei, & Charitatis. Vnde legitime infertur primò infideles prius, ac principalius obligatos manere ad recipiendam Eucharistiam, & minus principaliter ad baptismi lauacrum suscipiēdum. Sequela patet, quia Sacramentū Eucharistiæ inter omnia alia Sacramenta principem locum obtinet, & se habet tanquam finis eorum; si ergo infideles obligantur ad recipiēdam Eucharistiam, & ad recipiendum baptismum, ad Eucharistiā obligantur principalius, tanquam ad finem, & ad baptismū minus principaliter tanquam ad medium necessarium ad consequendum illum finem. Deinde infertur secundo infidelem, qui neque baptismum recipit, neque sanctam Eucharistiam, in duo peccata incidere, vnum oppositum præcepto baptismi, aliud repugnans præcepto sanctæ Eucharistiæ. 4

5 Sit tertia conclusio. Præceptum confessionis tantummodo constringit personas eas, quæ post baptismum lethaliter lapsæ sunt, non vero eas, quæ licèt baptismum susceperint, gratia tamen

men efficaci Deī præbente baptiſmalē gratiam A nunquam dimiſerunt. Concluſio eſt de fide. Probatur primo *ex Trident. Seßio. 14. cap. 5.* vbi expreſſe continetur. Secundo probatur ex inuiolata traditione, & vnanimi conſenſu totius Eccleſiæ.

6 Ex his patet ſolutio argumentis in oppoſitum. Ad primum reſpondemus Deum habêre quidem iuriſdictionem in omnes infideles, noluiſſe tamen præceptum confeſsionis illis imponere, quia voluit materiam ei neceſſariam aſsignare peccata commiſſa poſt baptiſmum, quæ in infidelibus minime reperiuntur. Ad ſecundum vero argumentum dicimus infideles conſtringi ſine dubio præcepto diuino Euchariſtiæ, non vero præcepto diuino confeſsionis vt probauimus in ſecunda concluſione. B

Sotus loco citato, duo argumenta nobis oppoſuit primum ſit. Præcepta alicuius religionis neminem obligant, donecque illam religionem quis profiteatur, etiamſi votum emiſerit ingrediendi illam, ergo præceptum Euchariſtiæ non obligat eos, qui non ſunt profeſsi medio baptiſmo religionem Chriſtianam. Reſpõdetur tamen latum reperiri diſcrimen inter vtrunque præceptum, quia præceptum Euchariſtiæ, cum diuinum ſit, poteſt ſe extendere ad eos, qui ſunt extra Eccleſiam, præceptum vero alicuius particularis religionis, quia humanũ eſt, & tantùm fuit ab Eccleſia impoſitum pro ſubditis eius religionis, ſolùm comprehendit eos, qui pertinent ad familiam illius religionis non vero ad alios qui extra illam commorantur. C

7 Secundum argumentum Soti hoc eſt. Infidelis ante baptiſmum nón eſt capax recipiendi Euchariſtiam, ergo neque præcepti, quod obligat ad eam recipiendam. Huic argumẽtó, quod acutum ſane eſt, facile ſatisfit ex eo, quia ſicut infidelis non eſt capax Euchariſtiæ, antequam recipiat baptiſmum, ita neque eſt capax præcepti, quo conſtringatur ad recipiendam Euchariſtiam ante ſuſceptum baptiſmum. At tamen fateri neceſſariò debemus, infideles ante baptiſmum obligari ad recipiendam ſanctam Euchariſtiam ſuo tempore, ſcilicet poſt baptiſmum, ac per conſequẽs obligari ad quærendum baptiſmum tanquam medium neceſſarium ad fruendũ ſacra Euchariſtia. Quemadmodum etiam infideles ſimul obligantur ad fidem, & charitatem diuinam habendam, licet prius credituri ſint, & poſtea Deum amaturi. D

QVÆSTIO V.

Vtrùm fideles teneantur præcepto annuæ confeſsionis ad confitenda peccata interna, & venialia?

EX præcedentibus ſatis liquet, præceptum annuæ confeſsionis contineri *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſsionibus*, cuius verba placuit hic referre, quia in hac quæſtione expendenda ſunt. Illa autem hac ſerie continentur: *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur.* Circa primum punctum aliquantulum laborauimus, dum quæſtioni ſecundæ finem impoſuimus in hoc ſecundo tractatu pro eius tamen exactiori reſolutione prima concluſio ſtatuenda nobis eſt. 1

Sit prima concluſio. Omnes fideles obligãtur ad confitendum ſemel in anno peccata lethalia, etiam illa quæ ſola mente cõmiſſa ſunt. Probatur primò, quia prædictum capitulum generaliter loquitur de omnibus peccatis, ergo generaliter obligantur fideles ad confitenda peccata etiam in corde latentia. Præterea hæc concluſio probatur ab aliquibus *ex canone agite de pœnitentia diſt. 1.* Sed iſte canon aduerſarios non vrget, quia loquitur de actu externo, de quo nullus remanet ambigendi locus. Probatur ergo ſecundò concluſio *ex canone, nõ poteſt, primo, de pœnitentia diſt. 1.* vbi generaliter dicitur ſine vllo diſcrimine conſtituto inter peccatum externum, aut internum: *Non poteſt quis iuſtificari à peccato niſi confeſſus ante fuerit peccatum*. Quod concluſionis documentum. Confirmatur tertiò, ex perpetua Eccleſiæ traditione à primis ſeculis ad noſtra vſque ſine intermiſsione deriuata, quãtum colligere poſſumus *ex Clemente I. ſucceſſore Diui Petri epiſt. 1. & ex Dionyſio D. Pauli diſcipulo in epiſt. ad Demophilum, & Cypriano ſermone 5. de lapſis, & ex alijs Eccleſiæ Patribus*, qui expreſsis verbis hanc veritatem ſuffulciunt. Quartò roboratur concluſio *ex Concil. Trident. Seßio. 14. capit. 5.* affirmante omnia peccata confitenda eſſe etiamſi occultiſsima ſint. Vltimò corroboratur cõcluſio hac ratione, quia cum præceptum diuinũ ante vllam determinationem Eccleſiæ ex ſe obligauerit ad confeſsionem peccatorum internorum, facta poſtea determinatione ab Eccleſia circa confeſsionem efficiendam ſemel in anno, idem diuinum præceptum videtur etiam obligare ad confitenda interiora peccata, etiamſi ea tantùm reperiantur in anima, & hoc ſemel quolibet anno. Tùm propter integritatem confeſsionis, quam ſe Deus præcepto ſuo obſer-

obseruari voluit, cum quis commisit peccata externa, & interna, credendum est, etiam velle eandem obseruari, dum tantùm extant peccata interna, tùm etiam quia Deus vult finem Ecclesiæ minime frustrari, etiamsi totùm sint peccata interna, at Ecclesia contendit homines quotannis frui beneficijs medio hoc Sacramento collatis. Hanc doctrinam ex parte collegi ex *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 208. cap. vltimo.*

3 Imò, vt notauit idem *Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 150. cap. 2.* dum Ecclesia determinauit tempus confitendi peccata etiam interna, non vtitur iurisdictione aliqua, quia illa determinatio non est actus iurisdictionis, sed procedit ex speciali commissione Dei, nō potest tamen trāsgressores punire (quia hoc est actus iurisdictionis) vel legem condendo, vel sententiam ferendo, quod non potest circa peccata interna. ita Vazquez.

4 Circa secundum punctum quæstionis prima sententia est eorum, qui dicunt illum, qui in toto anno non commisit peccata mortalia, teneri ad confitenda venialia semel in anno. Ita sentiunt *Bonauent. in 4. dist. 17. art. 4. q. 1. Ricardus art. 2. quæst. 4. ad primum.* Probatur hæc sententia primo, quia Ecclesia præcipit confessionem semel in anno, sed si non essent peccata mortalia posset Ecclesia precipere optime confessionem venialium, non ergo est ratio, quare dicamus id non precepisse. Secundo probant, quia ista annualis cōfessio fuit instituta, vt pastores cognoscerent vultum suarum ouium semel in anno, & earum conscientias scrutarentur, at eis salutifera remedia ministrarent, ergo etiamsi non sint peccata mortalia debent fideles coram suis pastoribus cōparere per confessionem Sacramentalem venialium.

5 Multo tamen probabilius est, dicere cum secunda conclusione, solos illos qui habent conscientiam peccati mortalis obligari hoc præcepto annuæ confessionis. Ita sentit expresse *D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula tertia in secunda solutione ad tertium argumentum, & in additionibus ad 3. part. quæst. 6. art. 3. in secunda solutione, Sotus 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. Syluester confessio 1. §. 13. Suarez 4. tomo 3. part. disp. 36. sectione secunda, & alij quam plurimi.* Et probatur dupliciter. Primò, quia capitulum omnis vtriusque sexus, præcipit confessionem fieri debere quotannis de omnibus peccatis. sed hoc nullo modo potest esse verū de venialibus, quia grauissimum, & intolerabile esset præceptum omnia peccata venialia confiteri, ergo hoc præceptum non obligat ad confitenda venialia, etiamsi alia peccata nō sint. Et confirmatur, quia præceptum Ecclesiasticum de annua confessione est solùm determinatio iuris diuini, sed ius diuinum non obligat ad confitenda aliquando venialia, ergo neque præceptum humanum Ecclesiæ ad hoc obligat. Quod ius diuinum ad id non obliget, aperte colligitur ex *Concil. Trident.* quod explicans naturam confessionis de se quantum ad peccata venialia, in hæc prorumpit verba *Sessione 14. cap. 5. nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte, & vtiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt.* Ex quibus verbis duo colliguntur. Primum peccata venialia non esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ. Secundum esse peccata venialia materiam sufficientem huius Sacramenti. Quod sint materia sufficiens, patet, quia Christus, qui concessit Sacerdotibus id, quod maius est, scilicet facultatem absoluendi à peccatis mortalibus, multo melius cōcessit facultatem ad id, quod minus est, scilicet, ad absoluendum à peccatis venialibus.

Argumentis in oppositum satisfacere oportet. Primo argumento concedimus, posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium, negamus tamen id de facto præcepisse. Quod Ecclesia possit præcipere confessionem venialium nemini debet esse dubium. Tùm quia vt videbimus quæst. sequenti id præcepit aliquibus fidelibus, cur ergo non posset omnibus præcipere? Tùm etiam quia tale præceptū & nimis vtile esset animarum saluti, & valde etiā tolerabile, quare ergo potestatem illud constituēdi Ecclesiæ denegabimus? Quod vero tale præceptum Ecclesia non constituerit patet, quia de eo minime nobis constat, constaret vero, cum rem contineret tanti momenti, si in rerum natura existeret. Secundò vero argumento negamus, teneri fideles, qui totum anni spatium sine labe peccati mortalis perseuererunt, comparere coram proprio Sacerdote, vt confessionis annuæ præceptum impleant, 7
licet oppositum nouissime docuerit *Reginaldus tomo 1. lib. 6. de Sacramentali Confessione numero 46.* Nihilominus tenentur fideles semel in anno ostendere se proprijs Sacerdotibus in eo casu extra confessionem, ad vitandum scādalum aliorum, qui si viderint eos minime accedere ad Sacerdotem toto anni tempore, iudicabunt eos in aliquo prauo statu esse, nolleque recedere à peccatis, quamuis hoc scandalum rarissime, aut vix possit contingere, cum nemo scire possit, an in toto anno quis fuerit confessus, vel non. Tùm etiam debent prædicti fideles comparere coram suo Sacerdote, & ad recipiendam Eucharistiam ab eo, & vt reddant rationem, quare non confiteantur, quo fiet, vt pastor satisfaciat muneri suo, cognoscendo statum spiritualem suarum ouium.

Quæst.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Ecclesia aliquibus præceperit confessionem venialium, & sub peccato mortali?

1 DOCTORES, qui in præcedenti quæstione in eam conuenere sententiam, vt affererent non esse necessariam ex præcepto Ecclesiæ confessionem venialium, etiam notarunt Ecclesiam nulli præcepisse confessionem venialium.

2 Veruntamen sit prima conclusio. Ecclesia nostra de facto præcepit aliquibus fidelibus confessionem peccatorum venialium. Ita sentiunt *Caietanus quæst. 1. earum, quas circa confessionē addidit ad 3. part. Angelus confessio primo §. 27. Nauar. cap. placuit. de pœnitentiā dist. 6. numero* 110. Confirmatur conclusio primò ex *Clementina, ne in agro dominico*, vbi præcipitur monachis Benedictinis, cōfiteri quolibet mense, sed eo tempore prędicti monachi, qui sanctissimis sane legibus, inuiolabili clausura, obediētia admirabili gubernantur (propter quæ eos ego vehementer veneror frequentius) non habebunt conscientiam peccati mortalis, sed tantùm venialis, & hoc sine dubio pręuidit legislator, ergo cum his minime obstantibus legislator præceperit eos confiteri, credendū sine dubio est, voluisse eos ad confitenda venialia obligare. Et confirmatur, quia illa clementina fuit edita, & ordinata ab Ecclesia ad magnum profectum spiritualem illius excellentissimæ familiæ, quam magnopere diligit Sedes Apostolica, vt Christi vicariorum seminarium, sed ad profectum spiritualem maximopere conducere potest confessio venialiū vt præparet quisque Christo animæ suæ sponsam, non habentem maculam, neque rugam, & vt omnis ad peccatum mortale etiam remota dispositio penitus amputetur, ergo reuera talis venialium confessio præcipitur in prædicta clementina.

3 Difficultas vero est, an ex vi huius clementinæ obligentur præfati monachi ad confitēda venialia sub mortali? in qua *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4.* Aperte defendit partem negantem. Probatur primò, quia ex qualitate pœnæ facile colligitur qualitas culpæ, sed in ea clementina parua pœna imponitur transgressoribus illius legis, nam superiores illius religionis, qui contra eam deliquerint tantùm suspenduntur per annum à collatione beneficiorum, & subditi etiam per annum suspendūtur ab administrationibus, & à receptione beneficiorum, ergo etiam videtur culpam paruam contineri in non confitendo singulis mē-

A fibus, præsertim cum tantùm inueniantur peccata venialia. Et confirmatur, quia confessio venialium parua materia est, ergo præceptū, quod circa eam versatur, nō videtur grauiter, sed leuiter obligare.

Sit secunda conclusio. Peccatum mortale cōmitterent monachi Benedictini, cum singulis mensibus non confiterentur, etiamsi in tota venialia lapsi sint. Ita defendunt *Caietanus loco citato, & Vazquez 3. part. D. Thom. super quæst. 91.* Hæc conclusio probanda est duplici ratione. Prima sit, quia non minus potest Ecclesia obligare suos subditos, quàm quisque subditorum possit se ipsum obligare per votum, sed qui voueret confiteri peccata venialia singulis mensibus eo casu, quo peccati mortalis conscię- 4

B tiam non haberet, maneret obligatus sub peccato mortali ad confessionem venialium, ergo prædicti monachi, qui in illa clementina obligantur ab Ecclesia ad confitenda venialia singulis mensibus, quando peccatis mortalibus non sunt irretiti, sub mortali tenentur ad explicanda peccata venialia in confessione singulis mensibus. Secunda ratio sit: quia licet materia remota huius præcepti in eo casu, quo monachi tantùm commisissent venialia, esset leuis, scilicet peccatum ipsum veniale, attamē materia proxima, scilicet confessio Sacramentalis peccati venialis grauis res est, ergo præceptum cadens supra talem materiam grauiter obligare necesse est. Exemplo fiet antecedens manifestum: quia sumere Eucharistiā post par

C uum frustum panis degustatum graue peccatum continet, ibi tamen si materiam remotam respicias, paruam eam esse inuenies, scilicet frustum illud panis: Si verò materiam proximam perpendas grauem inuenies materiam, scilicet Eucharistiam sumi ab homine non ieiuno.

Ad primum argumentum oppositum respōdetur, ex magna pœna rectè inferri magnam culpam, quia Ecclesia, quæ pia mater, & benigna est, nunquam punit paruam aliquam culpā magna pœna, attamen ex parua pœna non recte inferri paruam culpam, quia sæpe Ecclesia 5

D punit peccata citra condignum multo minorē pœnam constituens, quam peccata nostra promereantur, quod in clementina citata sufficiēter apparet, vbi sub eadem pœna præcipitur receptio Eucharistiæ, quæ tamen si culpabiliter omittatur peccatum mortale committitur. Licet ergo in ea clementina parua pęna imponatur non confitentibus singulis mēsibus peccata venialia, deficientibus mortalibus, inde tamen colligere prædictam culpam venialē esse nefas est. Secundo argumēto patet solutio ex secunda ratione secundæ cōclusionis, quia materia proxima est res grauis in eo præcepto, licet materia remota sit leuis, vnde sufficiēs fundamentum reperitur ad peccatum lethale.

Quæst.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm pueri teneantur hoc præcepto annuæ confessionis ab eo tempore, quo vtuntur ratione?

1 PRIMO certum sit, tempus vsus rationis esse illud, in quo pueri cognoscunt differentiam boni, & mali, & possunt mereri, ac demereri apud Deum.

2 Secundò certum sit, ante vsum rationis non obligare præceptum confessionis. Patet quia hoc præceptum tantùm obligat eos, qui peccant, nam materia confessionis peccatum esse debet, sed homo ante vsum rationis non est capax peccati, ergo neque præcepti confitendi.

3 Quidam existimarunt, pueros minime obligari isto præcepto, statim atque ad annos discretionis peruenerunt, quorum Doctorum duplex potest esse præcipuum fundamentum. Primum sit, quia vt constat ex prædicto textu omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus, eodem tenore verborum præcipitur confessio Sacramentalis, ac perceptio Eucharistiæ, sed perceptio Eucharistiæ minime obligat pueros, vt experientia docet, statim atque ad annos discretionis perueniunt, ergo neque præceptum confessionis Sacramentalis tunc obligabit. Secũdo probatur, quia pueri ante annos pubertatis, qui in viro sunt quatuordecim expleti, & in fœmina duodecim etiam expleti, non obligantur pœnis impositis *in dicto cap. vtriusque sexus*, ergo neque etiã obligantur præcepto ibi contento.

4 Sit conclusio. Pueri cum primum perueniunt ad lumen rationis, statim obligantur præcepto annuæ confessionis, dum modo aliquod peccatum mortale perpetrauerint, neque potest assignari certum aliquod tempus, in quo lumen rationis aduentare dicamus, quia quidam prius, quidam posterius ad vsum rationis perueniunt, quamuis in iure septẽnium completum censeatur esse tempus vsus rationis, vt aperte colligitur *ex cap. litteras, & cap. accessit de desponsatione impuberum*. Hanc sententiam communiter defendunt *Scholastici in 4. Sententiarum dist. 17. specialiter Scotus ibidem quæst. 1. art. 3. in principio, Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. in fine, Nauar in summa cap. 21. num. 33.* & cõueniunt in hoc *Glossæ, & Canonistæ super dictũ caput omnis vtriusque sexus.* Probatur primò ex illis verbis prædicti textus: *Cum ad annos discretionis peruenerint*, anni enim discretionis indicant tẽpus, in quo possunt pueri peccare mortaliter. Et probatur ex *Trident.* quod eodẽ modo intelligit, & refert hunc textum *Sessione 14. cap. 5.* Et confirmatur, quia pueri in eo statu obligantur præcepto iuris diuini, nam si essent tunc in articulo mortis, tenerentur ex iure diuino confiteri, ergo obligantur præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, quod est tãtùm determinatio iuris diuini. Et confirmatur, quia pueri tunc obligantur alijs præceptis Ecclesiasticis, vt audiendi missam, & non comedendi carnes diebus prohibitis, ergo obligantur etiam ad præceptum Ecclesiasticũ de confitendo semel in anno.

5 Ad argumentum in contrarium respondetur, pueros statim à tempore vsus rationis non obligari ad recipiendam Eucharistiam, sicut ad pœnitentiam, quia magnitudo Sacramenti Eucharistiæ maiorem capacitatem requirit, & quia nõ est ita necessarium Sacrament Eucharistiæ, ac confessionis, tùm quia in dicto textu *omnis vtriusque sexus*, non præcipitur Eucharistia ita absolutè, ac pœnitentia, sed cum hac limitatione: *Nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Et vsus Ecclesiæ, vt bene notauit *Petrus Ledesma in Sũma de Sacramento Pœnitentiæ cap. 8.* qui est interpres legũ Ecclesiasticarum, ita habet, quod pueris non statim tribuitur Sacramentum Eucharistiæ. Ad secundum argumentum respondetur, impuberes non obligari pœnis impositis in dicto cap. *omnis vtriusque sexus*, vt probabile putant *Sotus loco citato, & Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 36. sect. 2.* Vnde viui minime arceantur ab Ecclesia, neque mortui à sepultura Ecclesiastica. Cui respõsioni fauet caput primum de delictis puerorum, vbi dicitur pueros, licet ante annos pubertatis peccare possint, non esse tamen puniendos, ita grauiter, ac maiores ætate. Et ratio esse potest, quia cum non maturum habeant iudicium, non censentur omninò libere peccare. Quæ doctrina intelligenda est iuxta mentem *Azor 1. part. moralium institutionum lib. 7. cap. 29. quæst. 6.* Vbi ait pueros impuberes non esse pœna vsitata, & ordinaria legis puniendos, sed arbitrio iudicis. Neq; huic resolutioni obstat, impuberes grauiter percutientes clericos incidere in excommunicationem *capitis, si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. vt patet ex cap. 1. & vltimo de sententia excommunicationis.* Hoc inquam nõ obstat, quia cum ea excommunicationis pœna, imposita in dicto capit. si quis suadente, sit latæ sententiæ, & ipso facto incurratur, non potest ipsam minuere arbitrium iudicis, at vero pœna contenta in *cap omnis vtriusque sexus*, est à iudice imponẽda, vnde eam limitare debet circa pueros impuberes arbitrium iudicis. Imò in dicto cap. vlt. de sententia excommunic. temperatur rigor canonis, si quis suadente diabolo, dum Episcopo datur facultas absoluendi ab excommunicatione ibi contenta, quam incurrunt impuberes.

Quæst.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm præceptum annuæ confeßionis obliget pro determinato tempore anni, & quomodo annus sit computandus?

1 PRIMA sententia asserit, ex vi præcepti confessionis obligari fideles ad confitenda peccata in Quadragesima. Ita *Petrus Sotus lectione quinta de Confeßione, & fanes Azor lib. 7. institutionum moralium cap. 28. quæst. 7. ex parte etiam Medina, quæst. 14. de confeßione, cui fauet Sixtus IIII. in Extrauaganti, vices, de tregua & pace*, vbi dicit litem componens inter quosdam mendicantes, & parochos *teneri parochianos ad confitendum suis parochis saltem in Paschate.* Et probatur ex consuetudine fidelium relata à *Concilio Tridens. Seßio. 14. c. 5.* Secundum quam omnes confitentur in Quadragesima, vnde tempus confessionis ratione consuetudinis videtur limitatum tanquam de iure ad tempus Paschatis, seu Quadragesimæ. Cuius etiam consuetudinis est *textus in capit. quod incipit, In capite dist. 50.* Tùm etiam multa Concilia Prouincialia, quæ refert *Vazq. super quæstionis 91. artic. tertiŭ*, præcipiunt confessionem in Quadragesima, ergo in illo tempore obligat præceptum confessionis.

Verior tamen sententia est, præceptum annuæ confessionis non obligare ratione sui in aliquo determinato tempore anni, sed determinationem temporis relinqui cuiuslibet arbitrio. Ita tenent communiter Doctores recẽtiores, *& Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. Victoria in Summa de Sacramentis num. 137. Nauar. in Summa cap. 2. num. 9. Petrus de Ledesma in Summa de Pœnitentia cap. 8. & alij.* Probatur ex capite omnis vtriusque sexus allegato, vbi solùm præcipitur, vt omnes fideles confiteantur semel in anno, & intra annum non limitatur tempus confessionis, neque nobis constat alicubi Ecclesiam hoc tempus limitasse, ergo non est dicendum obligari fideles ex vi præcepti cõfessionis ad confitẽdum in Quadragesima, aut aliquo alio tempore anni determinato. Et cõfirmatur, quia si quis ex defectu ætatis, vel propter aliquod aliud impedimentum non teneretur communicare in Quadragesima, nõ peccaret non confitendo, ergo non obligat præceptum confessionis præcise in Quadragesima.

a Per accidens autem ratione præcepti Eucharistiæ, quod obligat tempore Quadragesimæ, tenentur fideles confiteri in Quadragesima, si habeant conscientiam peccati mortalis, quia vt diceinus in materia de Eucharistia, est præceptum diuinum de præmittenda confessione ante sumptionem sacrosanctæ Eucharistiæ. Vnde ille, qui etiam ob hanc causam non confiteretur tantùm peccaret contra tantum Sacramentũ peccato irreuerentię, & non peccaret contra præceptum annuæ confessionis.

Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primum illius Extrauagantis respondetur, illam Extrauagantem esse intelligendam de obligatione confitendi in Quadragesima ratione Eucharistiæ sumendæ, & non alio modo. Ad secundum de consuetudine respondetur, illam consuetudinem esse receptã in vulgo vt necessariam ab indoctis, non vero à viris doctis, quod sufficienter indicat *Concil. Trid. loco citato*, dum sermonem instituens de hac consuetudine hæc verba subijcit: *Quem morem hac sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & merito retinendum.* Quæ verba vtilitatem indicant, & non necessitatem, tùm etiam hæc consuetudo introducta est, vt recipiatur tempore Paschatis sacrosancta Eucharistia. Ad illud de Concilijs respondetur, illa Concilia, quia Prouincialia sunt, non posse determinare tempus confessionis, quia hoc pertinet ad totam Ecclesiam. Vt bene tamen notauit *Azor lib. 7. institutionum moralium capit. 28. quæst. 7. cum Medina, quæst. 14. de confeßione.* Ratione iuris specialis alicubi recepti, oportere confessionem annuam tempore Paschatis fieri, vel ratione consuetudinis alicubi receptæ apud omnes, vt obligantis. Id enim quod ius cõmune iubet, scilicet quotannis esse peccata explicanda in confessione, bene potuit consuetudo, vel speciale ius interpretari, aut declarare, imò etiam præcipere taliter, vt annua confessio peccatorum tempore Paschatis sit facienda. Vnde Cõcilia Prouincialia tãtũ potuerunt suis Prouincijs præceptũ confessionis in Paschate imponere, non vero toti Ecclesiæ vniuersali.

Neque obstat asserere, Episcopos efacere, aut præcipere parrochis, vt efficiant catalogũ eorum, qui in Quadragesima confitentur, hoc facto significantes suos subditos tantùm satisfacere præcepto confessionis in Quadragesima, non vero in alio tempore, alias etiam præciperent effici catalogum eorum, qui extra Quadragesimam confitentur. 3 Neq; etiam obstant secundo censuræ, quas Episcopi solent pronũciare contra eos, qui in Quadragesima minime sunt confessi, hoc enim magnum indicium videtur esse eius obligationis, qua constringuntur fideles ad confitendum in Quadragesima, alias censuræ nullum sortirentur effectum. Ad primum enim respondetur, prædictum catalogum ad id deseruire, quod cum tunc fideles communiter confiteantur, conteodentes satisfacere præcepto annuæ confessionis, volunt cognoscere Episcopi, an omnes fuerint confessi, & obseruare, an alij, qui tunc temporis nõ

confi-

confiteantur, quia non debent suscipere Eucharistiam reliquo anni tempore confiteantur. Vnde in Diœcesi Toletana præcipitur, vt graues Autores referunt, fieri catalogum eorum, qui vel in Quadragesima, vel in reliquo anni tempore confessi sunt. Ad secundum dicimus illas censuras solùm ligare eos, qui habentes conscientiam peccati mortalis, & obligati ad Eucharistiam sumendam non sunt cõfessi in Quadragesima propter Eucharistiam sumendam, cuius susceptionis præceptũ obligat in Quadragesima.

4 Circa secundum quæstionis punctum plures inuenio diuersas sententias. Primam *Dominici Soti in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. conclusione 1.* asserentis annum esse computandum ab eo tẽpore, in quo quis semel fuit cõfessus, vt si hoc anno sit confessus prima die Ianuarij, annus computetur ab ea die vsque ad primum diem mensis Ianuarij proxime sequentis. Secũdam sententiam inuenio *Azor loco citato q. 6.* defendentis annũ in præcepto annuæ confessionis computari debere ab vno tẽpore Paschali Resurrectionis Dominicæ vsque ad Paschale tempus proxime sequentis anni, quia cum hoc præceptum sit Ecclesiasticum numerandũ est tempus impletionis eius iuxta consuetudinem Ecclesiasticã, consuetudo autẽ Ecclesiastica quantum ad hoc punctum computat annum à Paschate in Pascha.

5 Sit vnica conclusio. In isto puncto, annus computandus est à principio mensis Ianuarij vsque ad finem mensis Decembris eiusdẽ anni: vnde qui semel in toto illo curriculo confitetur peccata mortalia, siue in Quadragesima, siue extra illam, satisfacit præcepto annuæ confessionis. Probatur, quia in *cap. omnis vtriusque sexus supra allegato*, tantùm dicitur debere homines cõfiteri semel in anno, at canones, leges, & iura, nisi aliud expresse addant, annum accipiunt, vt cõmuniter ab omnibus computatur, ab omnibus autem computatur annus à prima die mensis Ianuarij vsque ad vltimam diẽ mensis Decẽbris, quod si ab aliquibus annus cõputatur in materia confessionis à Paschate vnius anni vsq; ad Pascha alterius anni, id prouenit ex vulgari modo numerãdi annos à tẽporibus in quibus aliquid memoria dignum contigit, aut operamur.

QVÆSTIO IX.

Vtrũ omittẽs confessionẽ in vno anno, teneatur statim in principio anni sequẽtis cõfiteri, vt anno præterito satisfaciat?

1 QVIDAM dicunt, eum qui vno anno confessionem omittit, non teneri ad confitendum in alio anno, vt satisfaciat præcepto anni præcedentis. Ita *Syluester verbo, Eucharistia tertio, quæst. 15. D. Antoninus 2. part. titulo 9. cap. 9. §. 3. Tabiena verbo communicare num. 10. & alij.* Probatur hæc sententia, quia præceptum confessionis est affirmatiuum, & obligat pro determinato tempore, ergo illo tempore elapso non obligat, vt patet de præcepto ieiunij, & audiendi sacrũ, quæ ita obligant determinatis diebus, quod si in illis non impleantur, nõ obligant in alijs diebus sequentibus, quam sententiam non iudico improbabilem.

Sed nihilominus dicendum est, eum, qui cõfessionem in vno anno omisit, teneri, si habet conscientiam peccati mortalis illius anni, ad confitendum statim in principio anni sequentis sub eodem præcepto cõfessionis, alias prius peccatum continuabit. Ita tenent *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Nauar. cap. 21. nume. 45. Suarez 4. tom. 3. partis disp. 36. sectione 3.* Probatur ex vsu Ecclesiæ, secundum quem excommunicãtur fideles, qui non sunt confessi in toto anno, & non absoluuntur donec confiteantur, ergo signum est eos teneri ad statim confitendum, quæ conclusio amplius probabitur soluendo argumentum in oppositum. 2

Ad argumentum in oppositum respondetur, quod cum præcipitur aliquid in honorem alicuius diei, primò vt ieiunium & auditio sacri, transacto illo die non obligat præceptum, at vero cum non sic res præcipitur, sed in bonum spirituale hominum, primo & principaliter, & absolutè, tunc transacto tempore quod erat designatum ad rem efficiendã etiam obligat præceptum: vnde in nostro casu erat præceptum impositum confessionis ad frequentandum hoc Sacramentum, primo, & principaliter, & ad reconciliandos homines cum Deo ergo quamuis transeat annus manet præceptũ in sua vi, & probatur ex *cap. cum dilecti de dolo, & contumacia.* Vbi ille qui iubetur Romæ cõparere certo die, si non compareat tenetur cõparere quam primum possit: ergo idem in nostro casu, cuius rationem reddit *Iurisconsultus in l. Celsus ff. de receptis arbitris, §. sed ipse, & habetur in cap. cum dilecti allegato*, quia si Titius ad Kalendas Ianuarias soluere aliquid debet duo præcepta sunt, vnum vt soluat ad kalendas Ianuarias, alterum vt soluat absolutè, & simpliciter ac proinde si ad Kalendas Ianuarias non soluerit non est à soluendo liber: pari ergo ratione dum Ecclesia præcipit nobis annuã confessionem duo præcepta imponit, vnum confitendi absolutè, & simpliciter, quia ipsa contendit hoc Sacramentum tam salutare sæpius in vita frequentari ab his, qui lethaliter delinquũt, alterum vero præceptum confitendi semel in anno: ergo qui hoc secundum præceptum non potest modo implere transacto anno tenetur ad primum præceptum quam primum 3

commode posSit. Secundò eadem veritas confirmatur duobus exemplis. Primum sit, quia cum olim Ecclesia præcipiebat, vt in Paschate, & Pentecoste catechumeni baptisma susciperent, si forte impediti tunc nõ susciperent baptisma culpabiliter, aut inculpabiliter cum primum commode possent debebant ad baptismũ accedere, vt docuit *Paludanus in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. in secundo casu*, ergo idem etiam contingere debet in nostro casu. Secundum exemplum sit, qui olim inter Iudæos propter aliquod impedimentum primo mense anni Pascha non celebrabant, celebrare illud tenebantur secundò mense proxime sequenti: ad eum ergo modum in nostro casu philosophari quilibet debet.

4 Ex his aliqua colliguntur pro maiori quæstionis cõprehẽsione. Primũ cum quis in principio anni confitetur vt satisfaciat obligationi dimananti ex anno præterito, in quo non fuit confessus eum non posse illa confessione implere nouam obligationẽ confitendi anni præsentis, quia alias frustraretur finis præcepti Ecclesiastici, quo intendit Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ sæpius suscipi, sæpiusque reparari deperditam amicitiam Dei. Quæ doctrina intelligenda est in eo casu quo quis præsenti anno noua peccata committat.

5 Sequitur secundo eum qui, propter obliuionem, vel aliam iustam causam propter quã infra dicemus posse subticeri aliquod peccatum in confessione, omisit aliqua peccata in confessione vnius anni, neque teneri in eo anno eadem peccata cessantibus impedimentis confiteri: quia sufficienter satisfecit præcepto confitendi illius anni per illam confessionem, quæ modo possibili moraliter fuit integra, neque teneri illa eadem pecca in principio anni sequentis confiteri, sed in toto anno in ea temporis parte, quam maluerit. Hanc vltimam partem docent *Nauar. in enchiridio, capit. 2. num. 9. & Reginaldus tom. 1. praxis pœnitentialis, lib. 6. de Sacramentali Confessione capit. 2.* Probatur, quia ille, vt vidimus sufficienter satisfecit præcepto confessionis anni præcedentis, & sufficienter confessionem frequentauit, ergo ratione illius præcepti non tenetur statim in principio anni sequẽtis cõfiteri.

6 Tertiò colligitur cum aliquibus recentioribus satisfacere præcepto annuæ confessionis illum, qui in principio huius anni confitetur peccata anni præcedentis, quia nulla habuit peccata mortalia commissa hoc anno, neque teneri de nouo confiteri eo anno, etiamsi postea in eodem anno noua peccata mortalia committat. Probatur, quia iste iam confessus est semel in anno, quod contendit, & imperat Ecclesia, imò propter eandem rationem credo etiam satisfacere præcepto annuæ confessionis eum, qui in principio anni confitetur sola peccata venialia eo anno commissa, quis non commisit mortalia quamuis postea eodem anno in mortalia laberetur.

Sed contra nostram conclusionem duo insurgunt argumenta. Primum sit ex capite sicut de sponsalibus. Vbi præfigitur certus dies ad implendum contractum, & illo transacto cessat obligatio contractus, ergo præceptum annuæ confessionis transacto anno omninò cessat. Respõdetur huic argumento in casu illius capitis cessare obligationem implendi contractum elapso termino præfixo, quia terminus præfixus est, vt in illo finiretur obligatio: in præcepto vero annuæ confessionis, non ita contingere, vt vidimus soluendo argumentum adductum pro contraria sententia. 7

Secundum argumentum sit, quia ille, qui multis annis non est cõfessus sua peccata mortalia, sæpius non tenetur confiteri in hoc anno vt satisfaciat obligationibus præteritorum annorum, ergo neque ille, qui anno tantùm præterito non fuit confessus tenetur hoc anno confiteri, vt satisfaciat anno præterito. Sed respondetur diuersam esse rationem vtriusque casus: illе enim, qui multis annis confessionem omisit satisfacit confessione statim in principio huius anni facta, quia per eam sufficienter reconciliatur Deo, qui erat finis præcepti Ecclesiastici annorum præteritorũ. Vnde non eget alia noua confessione, ne obligetur sæpius ad confitendum peccata iam dimissa. Quemadmodum, neque ille qui habet conscientiam peccati mortalis, & præuidet se non posse in aliquibus annis futuris confiteri propter inopiam confessarij, tenetur nisi semel tantum confiteri modo, quando habet copiam confessarij. Non enim est maior ratio cur obligetur ad sæpius reperendam cõfessionem in primo casu, quam in hoc secundo. Ille vero qui conscius peccatorum mortalium anni præteriti, eo anno non fuit illa confessus tenetur statim in principio huius anni confiteri, vt reconciliettur cum Deo, cuius amicitiam deperdidit. 8

QVÆSTIO X.

Vtrùm sint aliqui casus, in quibus præceptum confessionis obliget determinato tempore anni?

PRIMVS casus, in quo tenemur confiteri considerari posset tunc temporis quando quis iudicat confessionem, vt medium necessarium ad vitandum peccatum. Et quidem *Sotus lectione quinta de Confessione* 1

in hoc casu nullam audet imponere obligationẽ confessionis *Suar. vero disp.35.sect.3.* sentit quod cum cõfessio iudicatur medium necessariũ ad vitandum aliquod peccatũ in particulari vt furtum, tunc debemus confiteri per accidens ratione præcepti de non furando non vero cum in generali confessionem, vt necessariam reputamus ad non incidendum in peccata.

2 Sed ad hoc dico primò, difficile posse iudicari medium necessarium ad vitanda peccata cõfessionem, cum alijs vijs possint vitari. Deinde dicò secundò cum *Caietano in Summa verbo, confeßio,* in eo casu quo confessio iudicetur medium necessarium ad vitanda peccata in communi, vel in particulari esse necessarium per accidens confiteri quoties contingeret. Patet, quia alias non satisfaciet quis suæ conscientiæ, sicut medicus, qui quamuis multa essent remedia alicuius morbi vnum tantùm iudicaret necessarium, omninò deberet illud adhibere.

3 Secundus casus est, vt cum quis sumere vult Eucharistiam debeat necessariò confiteri. Ita definitur in *Concilio Tridentino Sessione 13. capite septimo*, vbi illud *Pauli prima ad Corinthios 11. Probet autem seipsum homo, quod refertur capite qui scelerata capite quotidie de consecratione, distinctione secunda.* Asserit Conciliũ esse intelligendum de confessione ante Eucharistiam præmittenda. Vnde si quis in fine anni, cum obligat præceptum confessionis minime confiteatur, & sine præmissa confessione Eucharistiam sumat, duplex committet peccatum, aliud contra præceptum confessionis, aliud contra præceptum de non indigne recipienda Eucharistia. Si vero præceptum confessionis ratione sui non obliget, vt quia annus non finitur, tunc vnicum tantùm peccatum committetur, dum sine confessione recipiatur Eucharistia. Quod peccatum cõsistet in hoc quod est suscipere indigne sacrosanctam Eucharistiam. Hoc enim speciale sibi vendicat Sacramentum Eucharistiæ inter reliqua omnia Sacramenta: quod reliqua non requirunt tanquã necessariam dispositionem confessionem Sacramentalem: sancta vero Eucharistia tanquam præcipuum Sacramentum Cõfessionem præuiam postulet.

4 Quod si *Leo Papa epistola 81.* dicit: *Fideles ad communionem Sacramentorum recipiendos esse per ianuam reconciliationis.* Id est per confessionem ibi per communionem Sacramentorum Eucharistiam intellexit quod appellatur Sacramentum communionis, quia est Sacramẽtũ vnitatis, & pacis. Appellauit autem Pontifex hoc Sacramentum nomine plurali Sacramẽtorum, quia cõtinet duplicem speciem, aliam panis, aliam vini consecratam, quarum vtraque dicitur Sacramentum.

Circa secundum casum in hac quæstione 5 propositum duo specialiter notanda sunt. Primum sit, Concilium in prædicto loco peculiariter statuisse eum Sacerdotem, qui propter defectum confessarij necessitate vrgente ad celebrandum, vt quia scandalum causabitur non celebrando, & quia ante celebrationem missæ conscientiam haberet peccati mortalis, siue è memora elapsi in confessione præcedenti, siue post confessionem commissi, accedit ad celebrandum non præmissa confessione, etiamsi sit contritus teneri post peractum missæ sacrificium statim peccatum confiteri nacta occasione confessarij; quia sicut præceptum diuinum confitendi potuit Ecclesia limitare pro omnibus fidelibus obligando eos ad confitendum semel in anno, ita etiam potuit in hoc casu generale præceptum fidelibus impositum, ita determinare pro Sacerdotibus, vt illi in prædicto casu teneantur statim confiteri. Quod intelligẽdum est iuxta doctrinam à nobis allatam quæstione quinta, huius tractatus, etiamsi solùm reperiantur peccata mortalia interna. Imò etiam hæc doctrina intelligenda est in eo casu, quo Sacerdos velit consummare sacrificium ab alio inchoatũ, quia ille alter morte correptus non potuit illud consummare, & quando in die Veneris Sancti vult celebrare eo modo, quo tunc celebratur, quia ille actus dicitur celebratio sacrificij Missæ iuxta communem modum loquendi, vt notat *Suarez tertio tomo in tertia parte disp. 60. sectio 7.* Cuius ratio est, quia Concilium loquitur de Sacerdote celebrante: in prædictis autem proxime casibus Sacerdos dicitur celebrare Missam etiamsi tantùm consumeret corpus & sanguinem Christi. Quod si aliquis Sacerdos habens copiam confessarij, habensque conscientiam peccati mortalis, nollet cõfiteri, sed in peccato celebrare, vel incepta iam Missa recordaretur alicuius peccati mortalis, cuius antea inuincibilem obliuionem conceperat nõ teneretur finito sacrificio statim peccata confiteri, sed suo ordinario tempore, imò neque laicus eo præcepto statim confitendi tenetur, quamuis peccati mortalis conscius, & copia confessoris desertus, necessitateque aliqua vitandi aliquod scandalum coactus ad sacræ Eucharistiæ Sacramentum accedat, tandẽ neque ad id teneretur Sacerdos, si eo modo, quo de laico diximus, sacram Eucharistiam susciperet more laico, & non celebrando, quam doctrinam huius paragraphi expressam esse cẽseo in *Suarez tertio tomo tertiæ partis disp. 60. sectione septima, & Vazquez 3. tomo in tertia part. disp. 208. capit. tertio.* Cuius doctrinæ duplex mihi videtur ratio. Prima quam attigit *Suarez loco citato*, quia quamuis alij casus videantur similes lex autem positiua solùm obligat pro vt lata est, & in hac materia, quæ odio-

odiosa est, & præcepti argumentum. A paritate rationis inefficax iudicandum est. Secunda ratio desumpta ex *Sua. & Vazq. locis citatis*, quæ contendit assignare rationē huius determinationis Cōcilij in primo casu, & non in alijs, & quæ contemnenda minime est, ita se habet, ideo Concilium imposuisse prædictū præceptum Sacerdoti ne accipiat occasionem fingendi necessitatem celebrandi, & sic non confiteatur ante celebrationem Missæ, & postea nimium differat susceptionem Sacramenti pœnitentiæ prætextu afferendi se non habere copiam confessarij, & ne talis Sacerdos omittat occasiones confitendi. Si enim Sacerdos teneretur confiteri peccata statim post peractum sacrificium Missæ nacta occasione confessarii, quando necessitate vrgente ad celebrandum celebrat, sine præmissa confessione, quia non habet copiam confessarij, multo magis erit solicitus de præmittenda confessione ante celebrationem Missæ, quam si post celebrationem, non teneretur statim confiteri, ne grauiter delinquat indigne celebrando. Illis autem qui sine vlla necessitate celebrant habentes conscientiam peccati mortalis, & sine præuia confessione, non fuit necessarium nouum laqueum imponere, cum certo constet esse obligatos ad confessionem præmittendam, antequam ad sacrificium Missæ celebrandum accedant. In alijs vero casibus, in quibus diximus non teneri laicos, neque Sacerdotes statim post susceptam Eucharistiam, aut post peractum Missæ sacrificium confiteri statim, non fuit necessarium præceptum eos obligans ad proxime confitendum, quia illi casus non ita frequenter accidunt, neque ex illis tanta potest ansa desumi differendi confessionem cū graui animarum pernicie.

Tertius casus, in quo obligat præceptū confessionis determinato tempore, ille est, cum quis in principio anni præuidet, se non habiturum copiam confessarij in reliquo anni tēpore, & commisit aliquod peccatum mortale, tunc enim tenetur in principio anni confiteri, Ita docent communiter Theologi *in 4. dist. 17. Durandus ibidem quæst. 10. num. 6. Syluester confessio prima, quæst. 2. & alij.* Probatur, quia præceptum confessionis obligat semel in anno, sed in isto casu, qui non confiteretur in principio anni, non posset in reliquo anni tempore confiteri, ergo tunc tenetur in principio anni confiteri. Diuerso vero modo se habēt præcepta ieiunij, & audiendi Missam, & alia huiusmodi, his enim non obligamur anteponere ieiunium, vel auditionē Missæ, etsi præuideamus, hæc in proprijs diebus obseruari minime posse. Ratio discriminis in eo sita est, quia huiusmodi præcepta ieiunij, & auditionis Missæ sunt instituta in honorem alicuius diei principaliter, & ita tota obligatio finitur in illis diebus, & restringitur ad illos dies, præceptū vero confessionis non est principaliter institutum in honorem temporis, sed vt homo sæpius reconcilietur cum Deo. Vnde eius obseruatio præueniri debet in dicto casu, sicut de obseruatione præcepti communionis in Paschate idem obseruandum videtur, vt suo loco dicemus.

Quartus casus, in quo obligantur fideles ad confitendum determinato tempore, tunc contingit, cum adest periculū mortis propter nauigationem, bellum, ęgritudinem, aut aliam similem causam pestis, vel partus, &c. In quo ea sit necesse non est modo immorari, quia de eo satis disputauimus quæst. 2. huius tractatus, dū de necessitate confitendi in articulo mortis secundum ius diuinum locuti sumus; & secundū ius Ecclesiasticum ad eum modum, & propter easdem rationes eam constituendam esse iudicamus. Ideo autē dicimus resolutionem huius casus ex dictis circa articulū mortis liquido cōstare, quia eadem est ratio articuli mortis, atq; periculi eiusdē, vt quæst. 33. latius apparebit.

Circa ægritudinē autem notandū est, *in cap. cum infirmitas de Pœnitentijs statutū esse ab Innocent. III.* medicos, cum primū vocantur ad visendos ægrotos, debere eos hortari ad confessionem, vt animæ morbis ab anima depulsis, facilius corporis sanitas à Deo impetretur, & à *Pio V. in Motu proprio anni 1566. qui incipit, super gregem*, sub grauissimis pœnis præceptum esse medicis, ne vltra, tertiū diem audeant visitare ægrotos, nisi ipsi cōfessionis sacramētalis beneficiū susceperint. Circa quæ decreta tria debemus nobis ante oculos proponere. Primū ea tantū obligare, dū infirmi habent cōscientiā peccati mortalis. Secundū, non esse necessariū eas diligentias præstare in quouis morbo, sed tantum in his, vbi febris est acuta, vel putrida, vel maligna, vel periculū habet aliquod horū, vel in alijs morbis similibus, vt nobis significarunt *Nauar. in Sum. cap. 25. sequens doctrinā Angeli, & alij recentiores Doctores.* Tertiū sit circa *Decretū Pij V.* si probabile periculū sit debere medicū deserere infirmum, cū speret alios medicos eius necessitati opitulaturos fore, quod si hoc desperet, & periculū mortis immineat, nullatenus posse medicum ęgrotum deserere, quamuis pertinax sit, & Sacramentum Confessionis non recipiat (nisi ex desertione probabiliter expectaretur cōuersio) Patet resolutio. Primo, quia neq; creditur aliā fuisse mētē Pij V. viri sanctissimi, & nomine, ac moribus pijssimi, neq; aliter receptū est eiusmodi decretū, vt docent *Suar. disp. 35. sect. 3. & per scntus, ac totus Augustinianus Magist. mens. Vazq. supra quæstionem 91. 3. part. & Thomas Sanchez, lib. 3. Summæ cap. 16.* atque alij nouiores Doctores. Secūdo probatur, quia si infirmus in ea casu deseratur contra charitatem manifeste procedetur, quæ dictat etiam prauis hominibus

vt Turcis nolentibus ad fidem conuerti ministrandum esse potum, & cibum cum extrema fame laborant. Tum quia infirmi, si conualescant, alijs temporibus poterunt se ad meliorē frugem conuertere, tum etiam vt hac ratione filius filij Patris nostri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos.

QVÆSTIO XI.

Quas conditiones habere debeat Sacramentalis Confessio.

1 SEDECIM communiter inueniuntur Sacramentalis confessionis cōditiones, quę his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequēs, nuda, discreta, lubens, verecūda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Quarum numerum late recensent *D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncula 4. D. Antoninus 3. part. titulo 14. cap. 19. Nauar. in cap. fratres, de pœnitentia dist. 5. Reginaldus tom. 1. praxis pœnitentialis, lib. 6. cap. 3. Coninc. tomo de Sacramentis, disp. 6. in principio.* Quam quæstionē breuiter percurremus, quia multa continet in proprijs sedibus huius tractatus latius à nobis explicanda.

2 Primo simplex debet esse confessio, quia absque verbis superfluis, & ita clare pronunciari debent in ea peccata, vt à confessario species peccatorum, ac numerus eorum, & grauitas malitiæ mortalis ne fit, an venialis facile, ac breuiter comprehendantur. Quamuis autem aliqua superflua addantur confessio non redditur inualida, quamuis ea resecare debeat confessarius, ac curare, vt si quę alia admisceantur, quæ consolatione, vel consilio egeant, post absolutionem differantur.

3 Secundò debet esse humilis confessio, tam quoad animum tribuendo sibi soli peccata, nō Deo, non dæmoni, non denique alicui alteri creaturæ, quam quoad corpus flectēdo genua, & aperiendo caput, quæ conditio quantum ad humilitatem corporis necessaria non est ad valorem confessionis, est tamē necessaria quoad animi humilitatem.

4 Tertiò debet esse confessio pura ex duplici capite. Primo, vt fiat ex honesto fine, secundo, vt vitentur in ea alienorum peccatorum detectiones, quamuis pœnitens propter aliquod graue commodum suum possit alienum peccatum detegere, vt à prudente confessario cōsilium, vel fauorem recipiat, quæ conditio necessaria est ad valorem confessionis, quia alias

A aut confitendo ob prauum finem, aut aliena peccata manifestando sine causa, & mala fide Sacramentum redditur nullum. Quamuis rustici in hoc non peccent de se, cum bona fide nescientes sua peccata alio modo declarare, sæpius aliena immisceant, à confessarijs tamen sunt docendi.

Quartò confessio debet esse fidelis, id est verax, vt notauit *Nauar. super dictum caput fratres, num. 14.* De qua conditione postea disputabimus, quæst. 16. huius tractatus. 5

Quintò debet esse confessio frequens, ita vt qui frequenter labitur in noua peccata, frequenter confiteatur illa, quæ conditio necessaria non est, nisi iuxta doctrinam à nobis explicatam supra de præcepto diuino, & Ecclesiastico confitendi intelligatur. 6

B

Sextò debet esse confessio nuda, ita vt iuxta explicationem *Nauar. super caput allegatum num. 51.* Careat coloribus, & ambagibus verborum, quibus veritas necessario explicanda in confessione, de qua quæst. 13. 14. & 15. huius tractatus disputabimus, obscuretur. 7

Septimò confessio debet esse discreta. Primò, quantum ad verba, vt verbis honestis peccata aperiantur. Secundò, quantum ad circunstantias, vt non nisi quæ necessariæ sunt explicentur. Tertiò, quantum ad confessarium, ita vt ad confessionem efficiendam quæratur prudens confessarius, & doctus, iuxta ea, quæ in fine huius tractatus aperiemus. 8

Octauò debet esse confessio lubens, id est 9

C iuxta *Syluestrum verbo, confessio 2. quæst. 1.* Ita vt fiat sine metu, aut verecundia, aut vi humana, quamuis vt bene notauit Nauar. valida sit & optima confessio eius, qui propter amicitiā à Deo obtinendam principaliter confitetur, quamuis minus principaliter propter vitandum aliquem metum temporalem cōfiteatur, etiamsi forte confessurus non esset, nisi metus ille adfuisset, quod patet exēplo vulgari eius Sacerdotis qui à labe simoniæ prorsus excusatur, & ab alio peccato, quando principaliter propter Deum Missæ sacrificium celebrat, illud non celebraturus, nisi aliquod stipendium temporale ei offerretur.

Nonò, confessio sit verecunda, ita vt secundum Sūmistas erubescat homo de fœditate ani- 10

D mæ suę, & de opprobrio, quod contrahit apud confessarium. Vnde optimum consilium recētiores Doctores nobis præbent eligendi confessarios minime nobis familiares, quosque sciamus non esse contaminatos pari nobiscum scelere, neque esse nostri sceleris conscios, quare & confessarij vitare debent familiaritatem earum personarum quarum confessiones audiunt, præsertim fœminarū. Sed qualis, ac quantus, quamque necessarius sit dolor ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum explicabimus quæst. 27. huius tractatus.

De-

1 Decimo, confessio debet esse integra, quæ A conditio necessaria est ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, vt postea explicabimus quæst. 29. huius tractatus.

12 Vndecimo requiritur confessionem esse secretam, quæ conditio qua ratione intelligenda sit, disputabimus in isto tractatu quæst. 26. Addenda tamen hic sunt duo. Primum desumptũ *ex Syluestro verbo, confessio, 1. num. 23.* scilicet mortaliter peccare Sacerdotes simul audiẽtes confessiones multorum puerorum in vnũ cõgregatorum, quando sunt doli capaces, quia frangunt præceptum Ecclesiasticum contentũ *in cap. omnis vtriusque sexus, de Pœnitentijs, & remissionibus*, vbi præcipitur ei qui ad vsum rationis peruenerit, vt solus omnia peccata sua confiteatur. Secundum sit, imminente morte vt in B naufragio, quando non possit vnus solus, & post alterum confiteri, decere Sacerdotem plurium simul confessiones audire, & eos simul absoluere, ne aliqui sine Sacramento damnentur, si forte contritionem, quæ difficilis est, non obtineant.

13 Duodecimo requiritur confessionem esse lachrymabilem, quæ conditio, quantum ad lachrymas corporis non est necessaria, est tamẽ necessaria quantum ad lachrymas cordis, id est quantum ad verum dolorem, de quo agemus, quæst. 27. huius tractatus.

14 Decimotertio requiritur confessionem esse acceleratam, id est eam fieri statim post peccatum commissum, quæ conditio non est de præcepto, sed tantũ de consilio, vt patet ex quæst. 2. huius tractatus.

15 Decimo quarto requiritur confessionẽ esse fortem, id est vt nihil in ea de necessario explicandis in confessione omittatur ob metum, aut verecundiam, aut aliam similem causam leuem, quod ad integritatem pertinet: cuius integritatis naturam in quæst. 29. huius tractatus explicabimus.

16 Decimoquinto exigitur confessionem esse accusantem, quæ conditio eadem est ac illa, quam secundo loco explicuimus explicantes humilitatem confessionis.

17 Decimosexto, & vltimo requiritur, confessionem talis esse naturæ, vt pœnitens sit paratus ad satisfaciendum Deo pro peccatis iuxta prudens arbitrium cõfessarij, quæ conditio necessario requiritur ad valorem Sacramẽti Pœnitentiæ, vt videbimus in tractatu de satisfactione, alias cum praua dispositione pœnitens accedet ad Sacramentum.

QVAESTIO XII.

Vtrùm confessio de omnibus peccatis sit facienda eidem Sacerdoti de iure diuino?

DVRANDVS *in quarto dist. 17. quæst. 15. & Medina codice de Confessione q. 8.* Iudicarunt solum esse necessarium ex præcepto Ecclesiæ omnia peccata mortalia eidem Sacerdoti confiteri. Probatur, quia omnia peccata mortalia eidem Sacerdoti esse cõ- 1
B fitenda non constat ex institutione huius Sacramenti, neque ex aliquo præcepto diuino, ergo tantùm exigitur ex præcepto Ecclesiastico.

Sit prima conclusio de fide. Pœnitens omnia peccata mortalia, etiam occulta, quæ non est antea confessus, eidem Sacerdoti explicare tenetur in confessione, vt recipiat vnicum absolutionis Sacramentum. Probatur primò *ex capite omnis vtriusque sexus*, in quo hoc præcipitur. Secundò probatur *ex Conc. Tridentino Sessione 14. capite quinto, & canone 7.* cuius hæc sunt verba: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt, qui autem secus faciunt, &* 2
C *scienter aliqua retinent; nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Et probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione Sanctorum Patrum testimonijs confirmata, quos refert *Suarez disputatione 22. sectione prima*. Et probatur ratione *Diui Thomæ in quarto dist. 47. quæst. 3. articulo 4.* quia Sacerdos nequit absoluere ab vno peccato mortali, quin absoluat ab omnibus, quia absolutio debet esse generalis. Tum quia Sacerdos debet intendere iustificationem pœnitentis, quæ nullo modo fit, nisi omnia peccata deleantur, ergo pœnitens nequit confiteri vnum peccatum mortale, quin omnia simul confiteatur.

D Secunda conclusio. Prædicta integritas in conclusione præcedenti explicata de iure diuino est, quæ conclusio de fide etiam est. Probatur primo, *ex capite omnis vtriusque sexus, & ex Concil. Tridentino allegatis in prima conclusione*, in quibus non conditur nouum ius circa istam integritatem seruandam, sed diuinum explicatur. Secundo probatur, quia Christus dum præcepit confessionem Sacramentalem, eam instituit iuxta exigentiam suæ naturæ, sed natura confessionis postulat omnia peccata mortalia eidem confessario patefieri, quia alias nullo modo potest anima expiari, ergo Christus confessionem 3

præcepit cum hac obligatione confitendi eadem peccata mortalia eidem Sacerdoti, quæ conclusio amplius patet ex prima conclusione.

4 Argumento in oppositum respondemus, prædictam integritatem non solùm esse de iure Ecclesiastico, quod certum omninò est, sed etiam de iure diuino, vt patet ex secunda conclusione.

5 Quæret aliquis, an sit contra integritatem debitam Sacramento Pœnitentiæ aliquem pœnitentem duos habêre confessarios, vnum ad quem solùm deferat peccata leuia, & alium, ad quem deferat peccata grauia. Vt apud primum confessarium bonam conseruet opinionem, & an iste modus confitendi contineat peccatum mortale? Huic quæsito facilis se offert solutio, affirmando tunc committi peccatum mortale, & debitam integritatem confessionis violari, cum ille qui priori cōfessario tantùm confitetur peccata venialia, tacet mortalia, quorum tunc habet conscientiam, si vero tunc temporis pœnitens nullum habet peccatum mortale, neque peccat lethaliter, neque contra prædictam integritatem operatur, si priori confessario tantùm explicat peccata venialia. Cuius ratio est, quia nullum in hoc graue damnum reperitur, quidquid contra dicat *Sylnester verbo, confessio prima quæst. 6.* Imò in hoc tantùm reperietur peccatum veniale, cum proceditur ex affectu vanæ gloriæ, aut alicuius leuis motiui, nullum autem reperietur peccatum, cùm pœnitens vult vitare eo modo confitendo aliquod graue damnum, quod prudēter timet ex eo, quod confessarius prauam dē eo opinionem conci- piat.

6 Ex his duo colliguntur necessaria ad praxim confessionis. Primum sit, de se, & natura sua conceptam confessionem debere esse integram, id est, omnium peccatorum eo modo, quo in sequentibus quæstionibus explicabimus, veruntamen talem integritatem concipiendam esse moraliter, & pro vt humanò modo sit possibilis. Si enim per naturalem inaduertentiam, aut per inculpabilem obliuionem, aut propter alias honestas causas, quas infra explicabimus, aliqua peccata mortalia confessario minime pateant, & confessio integra est, quia moraliter non potuit alio modo fieri, & prædicta peccata saltim indirectè prorsus delentur.

7 Secundò notandum est, iure diuino ad confessionem Sacramentalem prærequiri pœnitentem diligenter scrutari suam conscientiam, vt hac ratione possit omnia peccata integre confiteri. Examen vero hoc nequit certa regula præfiniri, sed debet esse prudens, quale timorati homines in ordine ad confessionem efficiunt, quod non debet esse illud maximū, quod homines in hac vita præstare possunt, sed illud quod in negotijs arduis, & magni momenti prudentes homines adhibere solēt, neque ad integritatem confessionis requiritur peccata scribi, quamuis sit periculum obliuionis aliquorum peccatorum, quia plus timeri debet periculum amittendi eam scripturam, cum quo mitis Deus non obligauit fideles ad confitēdum. Quod si quis certo cognoscat numerum peccatorum, non debet dicere toties peccaui plus, minusve. Si autem non certo cognoscat numerum, potest addere illam particulam plus, minusve. Quod si postea memoriæ occurrat aliquod peccatum, non est necesse illud explicare in confessione, cum satis sit explicatum in illis verbis, plus minusve. Quod si occurrat memoriæ aliquis numerus peccatorum, qui secundum prudentis iudicium non sit inclusus in numero explicato in confessione, etiam cum illo addito plus, minusve, explicandus est in alia noua confessione, vt si quis confiteatur se furatum esse ter, plus minusve, & postea recordetur aliorum trium furtorum, necessariò ea debet confiteri.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm omnes species peccatorum sint necessariò explicandæ in confessione?

MODO non loquimur de diuersis peccatorum speciebus in genere tantùm physico consideratis, quia illæ malitiam aliquando non mutant, neque diuersum semper constituunt peccatum, nostrum autem institutum est, peccata quæ sunt materia confessionis inquirere. Solùm itaque loquimur de diuersis speciebus peccatorum secundū genus moris à nobis conceptis. Tunc autem sunt diuersæ species moris in eodem actu, quando actus opponitur diuersis virtutibus secundum speciem, & illæ species requirunt diuersum iudicium, ac diuersum consilium confessarij, & in pœnitente diuersam satisfactionem, ac lōge aliam medicinam. Quas ob causas occidere Clericum diuersum peccatum continet secundum speciem, ab eo, quod continetur in occisione laici, quam doctrinam eleganter prosequutus *Enriquez tomo primo suæ Summæ, in tractatu de Confessione, & Vazquez super 3. part. Diui Thomæ quæst. 92. artic. 1.*

Sit prima conclusio de fide. In confessione tenemur explicare omnes circunstantias mutan-

tantes ſpeciem tàm in actu interno, quàm externo, ita vt ille, qui furatus eſt rem ſacram magnæ quantitatis, non ſatisfaciat præcepto confeſsionis aſſerendo ſe furatum eſſe rem magnæ quantitatis, niſi ſimul addat rem illam fuiſſe ſacram, quia ille actus præter ſpeciem in iuſtitiæ induit ſpeciem ſacrilegij. Probatur primò iſta concluſio ex *Concil. Trident. Seſsione* 14. *capit.* 5. *& canone* 7. vbi hæc veritas expreſſe definitur his verbis: *Colligitur præterea, etiam eas circunſtantias in confeſsione explicãdas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integre exponerentur, neque iudicibus innoteſcãt, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſsint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere*. Secundò probatur ex illis verbis *Ioannis* 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retẽta ſunt.* Nam ex eo quod confeſſarij poſſunt ferre iudicium de abſoluendis, & retinendis peccatis colligitur fideles obligatos eſſe ad confitenda peccata, ſed ijdem confeſſarij poſſunt ferre iudicium abſoluendi, & retinendi omnes circunſtantias mutantes ſpeciem, vt de ſe patet, alias curtum, & inane foret eorum iudicium: ſequitur ergo fideles obligatos eſſe ad explicandum in confeſsione omnes circunſtantias malitię ſpeciem mutantes.

Hinc ſequitur iudicem extrahentem aliquẽ iniuſte à loco ſacro, qui iam emiſerat votum neminem extrahendi ab eo loco, duplicis ſpeciei ſacrilegium perpetrare, quarum prima procedit ex præcepto Eccleſiæ præcipientis ne homines extrahantur à loco ſacro propter reuerentiam debitam ei loco, altera vero procedit ex fide Deo data in voto. Si vero religioſus profeſſus, qui Sacerdos eſt, carnalem copulam cum aliqua habuerit, ſufficienter cõfitebitur, aſſerendo ſe eſſe profeſſum tacito Sacerdotio, aut è contra, quia ratione Sacerdotij non reſultat alia malitia, niſi ea, quæ opponitur voto, votum autem idem eſt ſecundum ſpeciem, quod reperitur in ſuſceptione Sacerdotij, & in profeſsione Religionis approbatæ: Primam veritatem de iudice docuit *Thomas Sanchez lib.* 7. *de Matrimonio diſp.* 27. *numero* 14. Secundam de Sacerdote profeſſo indicauere *Medina lib. primo Summæ cap.* 14. *§.* 18. *folio* 119. *& Manuel Rodriguez primo tomo Summæ in ſecunda editione cap.* 53. *numero*. 5. Si quis vero ſemel voueat aliquid, & millies repetat votum circa idem, quia non incurrit nouam obligationem, ſed tantùm oſtendit complacentiam antiquæ, etiamſi violet prædicta vota, ea tamen violatio ſolùm includit vnicam ſpeciem malitiæ. Ita ſentit *Medina prima ſecundæ, quæſt.* 72. *art.* 6. *col.* 2. *verſiculo, ſed.*

Quia tamen in quæſt. de ſpeciebus peccatorum verſamur, & quia in materiam voti incidimus, aliqua de ea materia obiter explicemus, ad huius quæſtionis, & præſentis tractatus intelligentiam ſalutaria. Primum ſit cum *Enriquez lib.* 3. *de pœnitentia capit.* 5. *numero* 6. *& Sanchez lib.* 7. *de Matrimonio diſp.* 27. *numero* 26. Tunc reperiri malitiam diuerſam ſecundùm ſpeciem, ſi votum, & iuramentum de eadem re violentur: quia votũ & iuramentũ differunt ſpeciẽ, votum enim obligat ad ſeruandum promiſſum ob fidem Deo datam, iuramentum verò, ne Deus adducatur in teſtem falſi. Religioſus fornicans ſatisfacit, ſe dicendo contra votum peccaſſe, quia votum ſolenne à ſimplici nõdiffert ſpecie. Ita quidam teſte *Enriquez lib. quinto de Pœnitentia capit.* 5. *numero ſexto, commento littera G. & Sanchez lib.* 7. *de Matrimonio numero* 27. Et Epiſcopus, & Sacerdos, ſat eſt, ſi dicant, dum neceſſe eſt eis, votorum ſuorum mentionem facere, ſe eſſe in ordine ſacro conſtitutos, quia nullam aliam obligationem ex vi voti habent, niſi contractam in ſubdiaconatu, imò neque aggrauant peccatum per hoc notabiliter, ſicut neque eſſe ſanctiorem, doctiorem, &c. notabiliter aggrauat peccatum. Ita *Sanchez loco citato numero* 31. *&* 33. *& Enriquez loco proxime citato.* Niſi peccatum Epiſcopi præberet publicum ſcandalum, quia tunc peccaret contra obligationem, qua tenetur ſubditos verbo, & exemplo paſcere, & peccatum eſſet diſtinctum ſpecie. Secundum ſit, quia vt bene notauit *Suarez ſecundo tomo de Religione lib. quinto capit.* 3. Etiamſi vnica tantùm ſpecies malitiæ ſit conſtituta in violatione votorum, etiam in materijs diſtinctis ſpecie, vt caſtitatis, & iuſtitiæ, tamen pœnitens debet materiam fracti voti aperire in confeſsione, quia non ſolùm nudam ſpeciem malitiæ tenemur confiteri, ſed vt in re committitur peccatum per talem actum. Tùm propter neceſsitatem medicinæ ad curandum peccatum, tùm quia ex parte materiæ aliquando additur noua ſpecies malitiæ, vt cum quis frangit votum caſtitatis, ibi reperitur ſacrilegium, & incontinentia. Quod intellige, niſi aliquando propter vtramque rationem impertinens narratio ſit, vt quod votum ſit ad viſitanda limina Eccleſiæ Pampilonenſis, vel Calagurritanenſis. Tertium ſit *Leſius tomo de iuſtitia, libro ſecundo, capit.* 40. *de voto*, ſentit, quod quia peccata contra votum ſunt eiuſdem ſpeciei eum, qui vouit caſtitatem, & commiſit fornicationem, & confeſſus fuit fornicationem, omiſſa per obliuionem circunſtantia voti, ſatisfacere, ſi poſtea eidem, vel alteri confeſſario explicet ſe votum in re graui violaſſe, vt multi Doctores tradunt allegati à Leſio loco citato. Neque obſtat, quod ea via non intelligatur tota malitia ſtatus pœnitentis: hoc enim non eſt neceſſarium, vt patet

in peccatis per obliuionem omissis in vna con-
fessione, quæ licet antea essent coniuncta cum
aliis peccatis, sufficit ea peccata explicare in
noua confessione, & non alia. Tùm probatur,
quia malitia vnius peccati non dependet ab
alia, ob quam doctrinam addo cum *Enriq. lib. 5.
cap. 5. §. 4.* etiam posse pœnitentem illas duas
circunstantias diuisim explicare in confessio-
ne eadem.

3 Quod si reuera aliquæ circunstantiæ non
sunt notæ pœnitentibus, præsertim imperitis,
tunc possunt iuuari prudentia, & peritia con-
fessarij, quod si facta sufficienti diligentia, ad-
huc aliquæ circunstantiæ mutātes speciem ig-
norentur, confessio nihilominus integra erit,
& omnia peccata auferentur.

4 Huic quæstioni annexa videtur illa difficul
tas, an in confessione sint necessario explican
da peccata mortalia, quæ sunt dubia. Pro cuius
resolutione prælibare oportet, quatuor mo-
dis posse contingere huiusmodi dubium. Pri-
mus quando aliquis certus est se peccatum cō
misisse, & dubitat tamen an illud sit mortale.
Secundus est, vt cum quis hæc duo simul du-
bitat, an peccato cōsenserit, & an illud sit mor
tale. Tertius, quando dubitat, an illud pecca-
tum sit explicatum in aliqua confessione, vel
an confessio, in qua explicatum est, fuerit va-
lida. Vltimus, quando dubitat quis an illud
peccatum sit reseruatum.

5 Sit secunda conclusio In hac quæstione.
Quando quis certus de peccato commisso est,
& dubius est, an fuerit mortale, vel veniale, te-
netur præstare omnem diligētiam, vt dubium
vincat, quod si dubium vicerit, non tenetur cō
fiteri, si apparet veniale. Hæc cōclusio commu-
nis est apud omnes, & generalis in omni ma-
teria.

6 Tertia conclusio. Dum quis post diligen-
tiam præstitam adhuc est dubius, an peccatum
sit mortale, vel veniale tenetur illud explica-
re in confessione. Ita sentiunt *D. Thom. in 4.
dist. 21. quæst. 2. art. 3. ad 3. D. Antoninus 3. part.
titulo 14. cap. 19. §. 8. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2.
art. 4. post tertiam conclusionem, Suarez tomo 4. in
3. part. disp. 22. sectione 9. nu. 1. & 2. Thomas San-
chez lib. 1. suæ Summæ cap. 12.* Probatur primò,
ex *Trident. Sessione 14. in decretis de Sacramento
Pœnitentiæ cap. 5. & canone 7.* Vbi agens Con-
cilium de materia remota, de solis venialibus
pronunciauit, ea non esse necessariò confiten-
da, omnia ergo peccata mortalia, etiam dubia
censuit Concilium esse explicanda in confes-
sione. Secundò probatur, quia confessarius in
Sacramento Pœnitentiæ iudex constituitur,
ergo debet integre cognoscere totam materiā
confessionis eo modo, quo latet in conscientia,
scilicet certo commissa tanquam certa, & du-
bia tanquam dubia. Tùm vt peccatorum per-
fectum iudicium concipiat, tùm vt debitam
A satisfationem imponat, tandē vt salutaria præ-
beat consilia, & conuenientia adhibeat medi-
camenta, quibus peccata etiam dubia in poste-
rum præcaueantur. Vltimò probatur, quia iux
ta regulam *in pari. 65. de regulis iuris in 6. in pari
delicto, vel causa melior est conditio possidentis*, sed
in hoc dubio par est causa ex parte præcepti
confessionis, & ex parte pœnitentis, & alias
possessio stat ex parte præcepti, nam eo ipso,
quod dubium est, an peccatum sit mortale, cer
tum est præceptum obligare ad illud confiten
dum, vt testatur vsus Ecclesiæ, & communis
consensus Doctorum hoc præceptum ita intel
ligentium, ergo credendum est in hoc dubio
aperiendum esse peccatum in confessione, &
eadem est ratio de circunstantijs talis peccati
B dubij, quæ vel mutant speciem, vel taliter ag-
grauant, quod peccatum veniale efficiāt mor-
tale, & hoc propter rationes in ista conclusio-
ne allatas. Ea autem peccata tenetur pœnitens
proferre vt dubia non vt certa, quia tenetur ea
confiteri eo modo, quod de illis iudicat, quod
si postea certo cognoscat se cōmisisse tale pec-
catum mortale, debet illud iter confiteri vt
certū, vt rectè notauit *Sanchez loco citato num.
69.* Vt certum iudicium, & plenum feratur à
confessario, & grauior ei imponatur satisfactio
maiorque medicina præseruatiua.

Quarta conclusio. Quando contingit secun- 7
dum, & tertium dubium adductum in nostro
notabili, etiam est necessarium tale dubiū con-
fiteri. Communis est hæc resolutio Doctorum,
C & patet ex rationibus secundæ conclusionis.

Quinta conclusio (licet alij relati *à Sanchez* 8
loco citato, sine magno fundamēto sentiant op-
positum) cum dubium est, an peccatum sit re-
seruatum nec ne, post factam sufficientem di-
ligentiam censendum est illud peccatum non
esse reseruatum. Ita sentiunt *Sanchez loco citato
num. 74. Suarez 5. tomo in 3. part. disp. 40. sectione
6. num. 5. & alij Doctores.* Probatur hac vnica
ratione, quia cum reseruatio sit odiosa, vt pote
auferens potestatem alias alicui conuenientē,
restringenda est aperte iuxta notam regulam
iuris, odia restringi, fauores conuenit amplia
ti. Ergo credēdum est, solos casus certos, & in
dubitatos reseruari, non vero incertos, & du-
bios, iuxta quam resolutionem affirmauimus
D in materia de voto, ea vota, de quibus dubium
est, an sint, vel nō sint reseruata, non esse reser
uata sedi Apostolicæ, sed ab Episcopis posse
commutari.

Vltima conclusio. Quando sunt probabiles 9
opiniones, quarum vna asserit, hominem ma-
nere obligatum ad confitendum aliquod pec-
catum, & altera negat, potest pœnitens illud
peccatum tacere, etiamsi contraria opinio sit
probabilior, & securior. Ita docet *Suarez tomo
4. in 3. part. disp. 22. sectione 9. Syluester verbo cō-
fessio Sacramentalis secundo, quæst. 2. §. 3. & alij
multi.*

malis. Probatur, quia tunc homo nititur fundamento sufficienti, & probabili, quod sufficit ad humanum modum operandi, si quis autem sequens illam opinionem probabilem non confitendi siue in mortis articulo, siue extra illum, absolueretur ab alijs peccatis, etiam indirectè absolueretur ab isto non explicato, quia tunc illud peccatum tolleretur, sicut tolluntur oblita, quod si in articulo mortis non confiteretur iste, deberet conteri, ne in dubio constituat salutem, quod si non posset tunc facile conteri, deberet confiteri etiamsi alia Sacramenta reciperet, quia non est certum Sacramenta viuorum auferre etiam peraccidens peccatum mortale.

10 Obijcies primo, quia iniustū est pro culpis dubijs certam adhibere pœnam *ex capit. graue 23. quæst. 3.* sed respōdetur pœnitentiam posse imponi pro peccato dubio, quia est medicina sanans, & præseruans in futurum licet pœnæ, quæ tantum sunt punitiuæ, in eo casu non possint imponi.

11 Secundò obijcies *regulam iuris 57. in 6.* vbi dicitur *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est facienda interpretatio*, ergo cum Ecclesia posset explicare præceptum confessionis in peccato dubio, & non explicuerit, iudicandū est, hominem ad eius confessionem non obligari. Sed huic argumento respondetur facilè obligationem confitendi tale peccatum satis fuisse expressam in *Concil. Trident. loco citato.*

12 Ad prædicta autem addendum est, necessarium esse declarare in confessione circunstantiam, quæ peccatum de veniali efficit mortale etiamsi non variet speciem malitiæ, vnde ille, qui furatus est quantitatem notabilem, non satisfaciet dicendo, furatus sum, sed debet addere quantitatem furti. Ita definitur *in Trident. Sessione 14. canone 7.* & ratio est, quia licet mortale, & veniale possint esse eiusdem speciei, vt furari parum, vel multum, tamen in genere moris, & in ordine ad offensam diuinam, multum distant, & diuersum iudicium causant in confessione, ergo cum peccatum est mortale, explicandum est in confessione.

13 Secundò addendum est, quod siue actus exterior addat nouam malitiam supra exteriorē, siue non addat, & siue sit in illo formaliter malitia, siue solùm extrinsecè, semper tamen est explicandus in confessione actus externus, quia voluntas, quæ ad executionem perducitur, non satis explicatur sine tali actu. Neque status pœnitentis potest satis cognosci in ordine ad medicinam omnem applicandam, & notant recentiores, circunstantias etiam mutantes speciem non esse necessariò explicandas in confessione confessario erudito, quando ipsas nouit, quia pœnitentem agnouit, sed satis est, peccatum ipsum dicere, vt Monachus, qui contra votum in luxuriam lapsus est, satis est,

A si dicat peccatū luxuriæ, imò vt *Medina notat Codice de confessione quæst. 8.* Sufficit quo ad nostra cōfessario peccata, dicere, Accuso me de his, quę scis me patrasse, quia sic habetur sufficiens peccatorum notitia in pœnitentia quam requirunt Concilia. Alia, quæ hic desiderari possunt, subsequens ostendit quæstio.

QVÆSTIO XIIII.

Utrùm circunstantias aggrauantes notabiliter teneamur explicare in confessione?

B PRima sententia asserit has circunstantias esse explicandas in confessione. Ita tenent *Altisiodo lib. 4. summæ tit. 6. cap. 3. quæst. 3. Marsi. in 4. quæst. 12. art. 1. pars. 1. illius Caiet. prima secunda, quæst. 7. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4 Suarez tom. 4. 3. part. disp. 22. sect. 3. & Petrus de Ledesma in Summa verbo Pœnitentia* Probatur primò hæc pars ex *cap. consideret de pœnitentia dist. 5.* vbi dicitur, *confitendā esse circunstantiam temporis, loci, & ætatis, & vtrum necessitate fecerit, an voluntate, & quanta fuerit vis tentationis*, quæ tamen circunstantiæ non mutant speciem. Probatur secundò, *ex Concil. Trident. Sessione 14. cap. 5.* vbi postquam ex potestate absoluendi, & detinendi peccata colligit necessitatē confessionis, subdit: C *Constat enim iudicium hoc Sacerdotes incognita causa exercere non posse, neque æquitatem in imponendis pœnitentijs seruare posse, si solum in genere, & non in specie, ac sigillatim sua peccata declarent.* Ex quo loco manifestè colligitur esse explicandas in confessione circunstantias aggrauantes, alias non possent Sacerdotes circa peccata sufficiens ferre iudicium, neque cum æqualitate pœnitentias assignare. Tertiò probatur ex cōsuetudine Ecclesiæ antiquę, in qua eisdem peccatis in specie propter diuersas circunstantias diuersæ pœnæ imponebātur, ergo necessariò sunt confitendæ. 1

Opposita sentētia verior est, quæ asserit has circunstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, & quæ non faciunt peccatū D de veniali mortale, sed peccatum mortale grauius faciunt, non esse necessariò confitendas. Vt si quis per longum tempus fuit in voluntate furandi 100. & intensissimum habuit affectum circa furtum, quamuis hæc notabiliter aggrauent, non sunt necessariò confitenda. Ita tenent multi & grauissimi Doctores *D. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula quinta, Paludan. quæst. 3. art. 3 Durand. quæst. 4. Bonauent. dist. 17. quæst. vltima, Nauar. in Summa capit. 6. num. 6. & in dicto cap. considerct de pœnitētia dist. 5 num. 6. & Glossa in dicto cap. considerct.* Proba- 2

tur hæc sententia. Primò, quia quod teneamur confiteri has circunstantias, neque constat ex traditione Ecclesiæ, neque ex doctrina Patrũ, neque ex Ecclesia. Quinimo *Concilium Trident. loco citato*, solùm præcipit confiteri circunstantias mutantes speciem, ergo aggrauantes non sunt confitendæ. Secundò probatur ratione *Nauarri loco citato*, quia ad impossibile nemo obligatur, est tamen moraliter impossibile omnes circunstantias aggrauantes explicare, ergo ad id non tenemur. Probatur id esse impossibile, quia alias vt exactum esset iudicium confessarij deberemus circunstantias etiam diminuentes peccatum patefacere ei, ac simul etiam, quanta esset intensio affectus, qua homo perpetrauit peccatum, quod genus intensionis nemo de se ipso poterit explicare, deberemus etiam patefacere quantum temporis actus peccaminosus durasset, etiamsi multis ab hinc annis præterisset, & quot essent, ac quanta beneficia à Deo accepta, grauius enim fit peccatum, quo plura, & maiora Dei beneficia illud præcessere. Et quod hæc omnia in illo casu confitenda essent, colligitur aperte ex opposita sententia, quia notabiliter aggrauant peccatum, hæc autem omnia, & memoria recolere, & in confessione aperire impossibile est, ergo ad explicandas circunstantias aggrauantes minime obligamur.

3 Antequam argumentorum solutiones inuestigemus, aliqua maxime necessaria prælibare oportet. Primum sit hanc esse potissimam differentiam inter diuersas numero malitias necessariò explicãdas in cõfessione, vt videbimus quæst. sequenti, & inter circunstantias peccatorum, quarum aliquas vt aggrauantes defendimus non esse explicandas in confessione, nã cum malitiæ sunt numero diuersæ, & vna non est circunstantia alterius, non supponit necessariò illam, nec ei necessariò annectitur. Vt si quis vno, eodemq; actu plures occidat homines, occisio vnius non est circunstantia respectu occisionis alterius, illa vero quæ dicitur propria circunstãtia necessariò supponit peccatum aliquod, & ex se sola non constituit peccatum, cuiusmodi est perseuerantia, hæc enim se sola non est peccatum, imò neque opus virtutis, sed res indifferens, vnde vt sit peccatum, debet necessariò supponere aliquod peccatũ.

4 Secundò prælibare oportet, plures à Doctoribus communiter assignari circunstantias peccatorum, eas tamen ad octo reduci necessum esse, quæ tales sunt. Quis, quid, circa quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Quis, prima circunstantia significat circunstantiam peccantis, vt an ille sit Monachus, vel coniugatus, &c. quæ circunstantia cum hac ratione speciem mutat, nemini dubium esse debet, quin explicanda sit in confessione. Quid circunstãtia est secunda, quæ significat effectus nociuos ex peccato secutos. Ita sentit *D. Thom. prima secunda, quæst. 7. art. 7.* Vt si quis occidit opificem, & inde tantùm damnum resultet vxori, & filijs, vt prorsus fame pereant. Isti enim effectus, quando addunt malitiam distinctam, vt in exemplo posito, debent subijci confessioni, & etiam cùm ab operante præuidentur. Tertia circunstantia, circa quid, significat aliquid annexum operi, quod exercemus, quæ aperiẽda est in confessione cum mutat speciem, vt cum furtum est rei sacræ, furtum cõstituitur in specie sacrilegij, nomine autem rei sacræ res omnes cultui diuino emancipatas, & bona immobilia, ac ius decimarum percipiendarum pertinentia ad personas Ecclesiasticas ratione suorum beneficiorum comprehendimus, non vero bona parrimonialia Clericorum, vel fructus à clericis collectos. In quo genere sacrilegij etiam est confitenda vt mutans speciem circunstãtia personæ, quæ peccat, vt si fornicator fuit Clericus in sacris constitutus, de quo in præcedenti quæstione disseruimus, & persona circa quam peccatur etiam explicanda est, cum constituit malitiam diuersam in specie, vt si occidi Clericum, etiam primæ tonsuræ, & Monachum, aut monialem etiam in nouitiatu existentes, vt docent communiter Summistæ. Et etiam explicandum est in confessione, quod occisus sit cõsanguineus, vel affinis intra quartum gradũ, quia in eo reperitur quoddam genus impietatis, cum pietas doceat magnam exhibendam esse beneuolentiam erga sanguine, & affinitate coniunctos. Ideò autem quartũ gradum constituimus, quia Ecclesia in capite non debet de consanguinitate, & affinitate limitans impedimẽtum ex his proueniens matrimonio ad quartum gradum etiam incestum limitauit. Et si forte (quod Deus auertat) contingat aliquem confessarium committere peccatum luxuriæ cum aliqua pœnitente in ipsa confessione, vel proxime ad illam, talis circũstantia etiam esset explicanda in confessione, quia mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum Pœnitentiæ commissam. Imò iste talis punitur ab Ecclesia vt suspectus in fide, & peccatum est reseruatũ Inquisitoribus. Cum vero tale peccatum committitur vnico die post confessionem, non habet eam specialem deformitatem necessariò confitendam. Tùm quia non dicitur proximũ ad confessionẽ, tùm quia ex confessione minime contrahitur aliqua cognatio spiritualis per ptuo duratura, sicut nascitur ex baptismi Sacramento. Quarta circunstantia est, vbi, quæ necessariò confitenda est, cum mutat speciem, vt si quis in loco sacro furetur, committit sacrilegium, ita docent communiter *D. Thom. secunda secunda, quæst. 99. art. 3.* Et omnes Thomistæ, & Summistæ, triplex autem in furto reperitur sacrilegium, iuxta *caput quisquis 17. quæst. 4.* Pri-

A Primum cum accipitur sacrum de loco sacro, vt calix consecratus de templo. Secundum cũ accipitur sacrum de non sacro, vt cum calix consecratus accipitur de domo œconomi. Tertium cum accipitur non sacrum de sacro, vt cũ supellectilia Ecclesiæ minime consecrata, aut res depositæ apud Ecclesiam surripiũtur. Hoc triplex membrum sumitur ex communi doctrina Doctorum: controuertitur tamen inter illos, an cum quis furatur in Ecclesia crumenã alicuius laici, sacrilegium committat? *Petrus de Ledesma Summa de Sacramentis, capit. 19. de Pœnitentia*, parti adhæret affirmatiuæ ductus ex textu allegato, vbi generaliter pronunciatur sacrilegium committere eum, qui furatur non sacrum de sacro. Oppositum tamen asserẽdum B est cum *Victoria in Summa, folio 194. Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 4. & colligitur ex dicto textu*. Vbi postquam dicitur, sacrilegium inueniri in furto rei non sacræ de sacro, postea subditur, *vt cum res sunt depositæ in Ecclesia*. Etiam vt sacrilegium explicandum est in confessione homicidium, vel grauis læsio iniuriosa, vel effusio seminis cum hæc in Ecclesia perpetrantur. Hæc est communis sententia Autorum. Qua ratione etiam explicanda erunt omnia peccata, quæ specialem habent repugnãtiam cum sanctitate loci sacri. Quinta circunstantia est, quibus auxilijs, quæ communiter non est confitẽda, quia nõ mutat speciẽ, aliquãdo tamẽ cõfitẽda est, quia eam mutat, vt cũ quis grauiter percussit aliquem, & fustibus percussit, vel cum adhibuit aliquem socium sui criminis, & illum in C duxit. Quod speciale peccatum inductionis aduertere maxime debent confessarij, dum aliorum conscientias explorant. Sexta circunstantia est, cur, quæ debet explicari in cõfessione, cũ mutat speciẽ, vt si quis furetur propter fornicationem. Verumtamẽ qui in vna confessione confessus est furtum, oblitus fornicationis finis; satisfacit in alia fatendo fornicationem solam, sicut diximus in quæst. præcedẽti de eo qui contra votum fornicatur, ex doctrina Lesij. Ita aliqui dicunt licet contra dicat Ledesma loco citato dicens, inde furto aliquam specialem malitiam addi, quod falsum est, si dicat in genere furti in alio fatemur. Quomodo est alia circunstantia septima, quæ aliquando fatenda D est, quia mutat speciẽ, vt cum quis furatur coram Domino cum vi illata, vel fornicatur cum vi, vel cum cognoscit fœminam contra naturam, & est explicanda circunstantia, vt mutans speciem, cum peccatum est cõtra naturam, vel pollutionis, vel bestialitatis, & in peccatis hæ sunt explicandæ circunstantiæ personæ, vt si sit religiosa, &c. Octaua circunstantia est, quãdo hæc non est necessariò fatenda vt diei festi. Ita *Caiet. in Summa verbo, festi* dies cum communi sententia, quia non mutat speciem, quod peccatum cõmittatur in die festo, vel alio die.

5 Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primum ex capit. consideret dicimus ibi multas circunstantias numerari, quæ non sunt aggrauãtes notabiliter, vt tempus in quo quis peccauit, & locus in quo peccauit. Si quis enim falsum testimonium dicat in die festo, vel in loco sacro, propter hoc non crescit peccatum notabiliter, debet ergo intelligi dictum caput ita vt sit vtile eas circunstantias confiteri. Ad secundum respondetur sufficere illud Sacerdotis iudicium, in quo numerum, & circunstãtias mutantes speciem cognoscat, & Ecclesiam noluisse ad exactius iudicium, quo cognoscantur circunstantiæ aggrauãtes obligare. Ad tertium desumptum ex consuetudine Ecclesiæ antiquæ, quæ colligitur ex Concilio Vvormaciensi canone 25. respondetur, quod tunc temporis etiam propter circũstantias leuiter aggrauantes imponebatur maior pœnitentia, & istas erat in vsu confiteri (quas modo sine dubio nõ debemus confiteri) quod quidem fiebat propter magnum feruorem fidelium.

6 Obijcies contra hæc primò. Quãtitas furti, quæ solùm est circunstantia aggrauans debet explicari in confessione, vt nõ satisfaciat quis dicendo. Furatus sum notabilem quantitatem, nisi dicat 100. verbi gratia. Sed respondetur quod ratione malitiæ aggrauantis non deberet hoc explicari in confessione, sed ratione excommunicationis, quæ solet imponi vt pœnitentes explicent quantitatem furti.

7 Obijcies secundò. Qui alicui suadet peccatũ luxuriæ, verbi gratia, non satisfacit dicendo se peccasse, sed etiam debet dicere se suasisse tale peccatum, ergo. Sed respõdetur hoc esse confitendum, quia est distincta malitia in eo secũdum numerum. Ita *Nauarr. in Manuali capit. 6. num. 19. Ledesma de Sacramẽto Pœnitentiæ, c. 19.*

8 Obijcies tertiò, si quis vno ictu occidit plures homines, vel vno actu concupiuit plures fœminas, vel si quis coniugatus habuit rem cũ fœmina coniugata, hæc omnia debent necessariò explicari in confessione, & tamen solùm sunt circunstantiæ aggrauantes: ergo circunstantiæ aggrauantes, tenemur confiteri. Sed ad hæc omnia respondetur cum *Diuo Thom. prima secunda, quæst. 18. articulo 11.* Illa esse necessariò explicanda in confessione, quia ibi sunt peccata numero diuersa in vno actu, & numerus peccatorum necessariò explicandus est, vt in quæst. sequenti apparebit. In prædictis autem exemplis minime est fatendum, vnam rem esse circunstantiam alterius, quia nõ supponit necessariò illam, vt vnus homo occisus non necessariò supponit alium, neque coniugium vnius complicis in copula illicita supponit necessariò coniugium alterius complicis. Duratio vero seu continuatio peccati iure optimo circunstantiæ nomen meretur, quia supponit necessariò peccatum, iuxta doctri-

nam

nam à nobis explicatam in primo notabili huius quæstionis.

9 Eodem modo respõdendum est ad alia exẽpla, quæ adduxit *Suarez. 4. tomo disp. 22. sectione 3.* In confirmationem oppositæ sententiæ, quorum primum est eius, qui frangit ieiuniũ comedendo carnes in die ieiunij, & sæpius comedendo eodem die etiam cibos non prohibitos. Secundum exemplum est eius, qui infamiæ notam alicui inurit, falsum testimonium contra illum proferendo, & reuelando occultum peccatum eius, hæc enim prædicta peccata ex eo respondemus necessario explicanda esse in confessione, quia sunt diuersa numero, non vero quia constituant circunstantias solũ aggrauantes.

10 Quarto obijcies, quia in peccato incestus debent explicari gradus affinitatis, & consanguinitatis in confessione, sed tamen isti gradus solum aggrauant peccatum inter eandem speciem, ergo circunstantiæ aggrauantes sunt necessario confitendæ. Huic argumento quidam respondent esse omnia peccata incestus eiusdem speciei infimæ, ita sentire videtur *Petrus de Ledesma in summa de Sacramentis. cap. 19. de Pœnitentia.* Pro qua sententia refert, *D. Thom. 2. 2. quæst. 154. artic. 9.* Verumtamen si ego crederem hanc sententiam esse D. Thom. libenti animo eam amplecterer, verum minime credo talem sententiam esse, D. Thom. quia in citato articulo, vbi de peccato incestus disputat, diuersas esse species incestus neque affirmat, neque negat. Vnde prædicto argumẽto respondetur, in prædictis casibus esse explicandos in confessione aliquos gradus, quia mutant speciem malitiæ.

11 Quod vt intelligatur, notandũ est in incestu duas species malitiæ in communi, & generali considerari posse, vnam, quæ opponitur castitatis virtuti, aliam quæ opponitur virtuti pietatis, seu honori debito consanguinibus, & affinibus. In qua pietate secundum rationem genericam, seu specificam subalternam, sunt considerandæ aliquæ species interse diuersæ. Alia enim est species pietatis debitæ consanguineis, qui sunt in recta linea, vt parentibus naturalibus, alia vero est species pietatis debitæ affinibus in recta linea, vt quam debeo ei homini, qui matrem meam duxit vxorem, quem loco parentis habere teneor. Aliã vero inueniemus speciem pietatis ordinatam erga fratres, distinctam ab ea, quam erga parentes designauimus. Parricidium enim, quod continet patris occisionem, distinctum peccatum est à fratricidio, quod continet occisionem fratris. Rursus reperiemus alterius speciei pietatem conuenientem fratribus consanguineis, & aliam alterius speciei conuenientem fratribus affinibus. Tãdẽ præter has omnes species pietatis, sunt considerãdæ aliæ duæ, quædam respiciens omnes alios consanguineos, alia respiciens omnes alios affines. Cuius notabilis eam possumus assignare rationem, quia in his omnibus speciebus pietatis moraliter, vt loquimur, conceptis, diuersa ratio honoris reperitur, neque enim verbi gratia negari vllatenus potest, diuersum prorsus honorem, & minime cum alio in eandem speciem conuenientem, deberi patribus naturalibus, ac fratribus affinibus. Vnde matrimonium filiæ naturalis cum suo patre iure naturali dictante irritum omnino est, ita vt impedimentum ad contrahendũ matrimonium inter illos inuentum omnino indispensabile sit à sede Apostolica. At vero matrimonium inter affines fratres non est iure naturali irritum, quin potius à Summis Põtificibus obtenta dispensatione sæpius licitum fuit. Qua ratione, *Alexander VI.* Dispensauit in eo casu affinitatis cum Rege Lusitaniæ, & *Iulius II.* cum Enricho VIII. & Catherina Regibus Angliæ, & etiã in alijs speciebus pietatis assignatis, facile inuenietur diuersa ratio pietatis, ergo sanciendum est, prædictas species diuersas esse, quare diuersi incestus eis oppositi diuersas constituunt species moris, necessario explicandas in confessione.

Secundó notandum est, peccatum luxuriæ commissum cum consanguinea spirituali, vt cum matrina spirituali baptismi, vel confirmationis esse speciale peccatum, distinctũ specie à peccato luxuriæ, est enim sacrilegium cõmissum contra reuerentiam debitam sacramẽto, & similiter peccatum cõmissum à persona adoptante cum adoptata est speciale peccatum contra virtutem pietatis. Hæc enim virtus nõ solum honorat parentes naturales, sed etiam adoptantes, istæ autem circunstantiæ necessario sunt explicandæ in confessione, quia sunt diuersæ in specie. 12

Quinto obijcies. Si quis habuit rem cum fœmina, vel cum bestia, vel commisit peccatum pollutionis, debet hæc omnia explicare in cõfessione, & tamen solum videntur istæ circunstantiæ aggrauantes, ergo huiusmodi circunstantiæ confitendæ sunt. Ad hoc respondetur hæc peccata specie differre, & ita esse explicãda in confessione, ita respondet *Vazquez in materia de pœnitentia, quæst. 92. dubio 2.* 13

D Obijcies sextò. Circunstantia temporis, in quo quis peccat, vt si peccet in die festo, est necessario explicanda in confessione, tum quia videtur esse contra præceptum seruandi dies festos, tum quia opponitur fini diei festi, qui est reconciliari cum Deo, sed hæc circunstantia est solum aggrauans, ergo. Ad hoc respondetur cum communi sententia, quod si in die festo fiat aliquod opus seruile, quod sit proprium seruorum, vt si feratur, vel metatur triticum, tunc est speciale peccatum contra præceptum Ecclesiæ seruandi dies festos, si vero 14

aliud

aliud peccatum cōmittatur, vt iurare falſum,
&c. non eſt ſpeciale peccatum circunſtantia
temporis, neque eſt confitenda neceſſario, *Ita*
Caiet. 2.2. quæſt. 122. artic. 4. Conar. in cap. alma
mater p. 1. §. 5. num. 3. Nauar. in cap. conſideret n.
22. Tum quia non eſt præceptum, quod illud
prohibeat fieri illo tempore, tum quia licet op
ponatur huic, quod eſt reconciliari cum Deo,
quod eſt finis præcepti dierum feſtorum, iſte
tamen finis eſt remotus, & finis legis, præſer-
tim remotus non cadit ſub lege.

Finis autem proximus eſt cultus Dei, abſti
15 nendo ab opere ſeruili, & audiendo Miſſam,
qui finis non violatur per quodcumque pecca
tum, ſed ſolum per peccatum non audiendi
Miſſam, & efficiendi aliquod opus ſeruile.

16 Obijcies ſeptimo, quia ſi quis luſit cum mi-
nori, & ab eo lucratur aliquid, debet hoc confi
teri, imo pecuniam lucratam tenetur reſtitue-
re, ergo aggrauans circunſtantia explicanda
eſt in confeſsione, nam circunſtantia minoris
tantum videtur aggrauans.

Huic argumento reſpondetur, hanc actionē
17 ludendi cum minori confitendam eſſe, vt con-
trariam legi iuſte prohibenti talem ludum, ne
bona minorum cum prodigalitate dilapiden-
tur, ex ea tamen actione non oriri obligatio-
nem reſtituendi, quam doctrinam docet, *Pater*
Molina 1. tomo de Iuſtitia & iure tractatu 2. diſp.
224. *in fine*. Vbi hæc doctrina latius videri po-
terit, quia huius loci propria non eſt.

Obijcies octauo contra noſtram concluſio-
18 nem, quia circunſtantia ſtupri in fornicatione
neceſſario explicanda eſt in confeſsione, & ta
men tantum aggrauat malitiam intra eamdem
ſpeciem, non vero mutat ſpeciem, ergo circun
ſtantiæ aggrauantes explicandæ ſunt in con-
feſsione. Hoc argumentum attingit grauem
quandam difficultatem ad aliam materiā per-
tinentem, quid tamen in ea ſentiamus, prædi-
ctum argumentum neceſſario efflagitat, in qua
difficultate diuerſæ ſunt doctorum ſententiæ,
quas late refert, *Sanchez lib. 7. de impedimentis to*
mo 2 diſp. 14. Ea tamen mihi ſemper plus pla-
cuit, quæ defendit violationem virginis ſpon-
te conſentientis, quamuis ſit ſub cura pater-
na, & contra voluntatem parentum, non dif-
ferre à ſimplici fornicatione, & tunc tantum
peculiarem ſpeciem conſtituere, quando vir-
go inuita violatur. Hanc reſolutionem docēt
Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. colum. 13. verſi
culo de ſimplici vero ſtupro, & Bañez 2.2. quæſt.
62. artic. 2. dubio 7. in confirmatione 1. concluſio-
nis. Nauarra lib. 2. de reſtitutione cap. 3. part. 4. de
ladenſe in cæteris corporis bonis dubio 1. in noua
editione, num. 419. Vazquez 1.2 diſp. 112. num.
1. & 3. Thomas Sanchez loco citato nu. 5. Leſsius
de Iuſtitia, & iure cap. 10. Et communiter rectē
tiores modo ſcribētes. Quod vt probetur, præ
definiendum eſt, vt circunſtantia aliqua addat

A ſupra ſimplicem luxuriæ malitiam aliam ratio
nem malitiæ diſtinctam ſecundum ſpeciem, re
quiri neceſſario, vt vel addat nouam malitiam
alteri virtuti oppoſitam, quam caſtitati, vt in-
ceſtus addit malitiam oppoſitam pietati, vel
quod priuet conditionibus requiſitis ab ipſa
natura generica in omnibus animalibus in ip
ſo concubitu, ratione cuius peccata luxuriæ
fiunt contra naturam, quando verbi gratia, cō
cubitus contingit inter perſonas eiuſdem ſe-
xus, &c. Probatur ergo noſtrum reſponſum,
quia violatio virginis in caſu propoſito non
conſtituit nouam ſpeciem luxuriæ, eo quod is
concubitus ſit contra ordinem à natura præſ-
criptum in concubitu, vt de ſe patet, quia in
iſto caſu loquimur, neque addit ſpecialem ma-
B litiam, qua opponatur alicui ſpeciali virtuti,
quia ſi alicui opponeretur maxime virginita-
ti, aut iuſtitiæ, non vt opponitur virginitati,
quia caſtitas, & virginitas ſecundum *D. Tho.*
2.2. quæſt. 152. art. 3. ſe habent interſe inſtar
magnificentiæ, ac liberalitatis, & ita non ſunt
virtutes diſtinctæ formaliter, ſed materialiter.
Quæ materialis diſtinctio in eo conſiſtit, quod
caſtitas inclinet ad abſtinendum ab omni actu
venereo illicito, virginitas autem inclinet ad
abſtinendum ab illicito, & licito, qualis eſt
actus coniungij. Nō etiam ſtuprum conſtituit
ſpecialem malitiam oppoſitam iuſtitiæ, nulla
enim in hoc reperitur iniuſtitia, ex parte fœ-
minæ, & naturæ ordinantis clauſtrum virgi-
neum, vt aptior fiat matrimonio, quia fœmina
C eſt domina vſus illius membri, ſicut, & alio-
rum: & quia ſicut fœmina poteſt in perpetuū
non nubere, poteſt etiam cedere ei iuri, quod
habet ad matrimonium ratione clauſtri virgi-
nalis. Neque adeſt iniuſtitia ex parte prolis
generandæ, quia cum illa nondum ſit, non ha
bet ius, quod poſsit violare. Præterea non eſt
iniuſtitia in ordine ad parentes, quando enim
nulla via infertur parentibus, neque inde ali-
qua timetur perturbatio, nulla maior iniuria
fit parentibus per illam copulam habitam cum
virgine, quam cum corrupta: neque pater ha-
bet maius dominium filiæ virginis, quam ſolu
tæ, ergo ſtuprum non mutat ſpeciem luxuriæ
communis, vnde non eſt neceſſario explican-
da in confeſsione circunſtantia virginitatis.
D Obijcies nono, quia qui facit opus duplici le 19
ge prohibitum, vt qui non audit ſacrum in
die Dominico, in quo incidit feſtum ſancti Pe
tri, debet explicare in confeſsione duplex il-
lud præceptum, & tamen inde non mutatur
ſpecies, ſed aggrauatur malitia, ergo circunſtā
tia aggrauans aperienda eſt in confeſsione.
Huic argumento reſpondetur cum *Vazquez*
1.2. quæſt 98. num. 8 Quando diuerſa præcep-
ta habent diuerſas rationes ſecundum ſpeciem
motiuas, ob quas actum aliquem præcipiunt,
aut vetant, tunc opus factum contra illa præ-
cepta

cepta habet diuersas malitias secundum speciē necessariò explicaodas in confessione. Quando vero illa præcepta solùm respiciunt rationem diuersam secundùm numerum, vt cum coniugatus fornicatur cum coniugata, tunc opus habet diuersas malitias secundùm numerū necessariò explicādas in confessione. Quando vero omnia præcepta respiciunt eādem rationem omnimodam virtutis, tunc opus factū contra illa non est explicandum in confessione vt factum contra duo præcepta, quia tantū addit circunstantiam aggrauantem. Propter quam vltimam rationem qui nō audit sacrum in die festo incidente in Dominicam, & qui non ieiunat in vigilia incidente in quatuor tēpora, non peccat peccato duplicis speciei, aut duplicis malitiæ secundùm numerum, nec tenetur eam circunstantiam explicare in cōfessione, quia plura illa præcepta eandem rationem virtutis respiciunt, quidquid neget *Coninc. tomo de Sacramentis disp. 7. dub. 6. num. 47.*

20 Vltimò obiicies contra nos fundamentum *Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. colum.* 10. Quia is qui continuo peccat tota vna hora continua propositum retinendo occidendi inimicum, nō minus peccat cæteris paribus, quam is qui eodem tempore ter, aut quater repetit idem propositum interruptum, ergo ad integritatē confessionis seruandam tenetur quis confiteri circunstantias notabiliter aggrauantes inter eandem speciem, qualis est circunstantia durationis operis. Huic argumento respondetur obligationem confitendi peccata, & circunstātias totam oriri ex voluntate Christi instituentis Sacramentum Pœnitentiæ. Christum autē voluisse nos obligare ad confitendas circunstantias aggrauantes, affirmare minime possumus cū aliquo fundamēto, aut in sacra Scriptura, aut in Ecclesiæ traditione, aut in eius definitione, aut in aliqua vrgente ratione, sicut affirmare debemus, Christum obligasse homines ad explicandum circunstantias mutantes speciem, quia talem voluntatem nobis indicat *Concil. Trident. Sessione 14. cap. 5. & canone 7.* verbis citatis in præcedente quæstione. Quinimo de Christi benignitate credere debemus, noluisse nos obligare ad confitendas circunstātias notabiliter aggrauantes, ne iugum suum de se suaue nobis grauissimum efficeret. In aliquibus tamen casibus iuxta doctrinam *Nauar. in enchiridio cap. 6 num. 8.* circunstantia aggrauans necessario explicanda est in confessione. Primò cum ratione talis circunstantiæ peccatum reseruatum est alicui superiori. Vnde quia certæ quantitatis furtum alicubi reseruatur Episcopis per Synodalem constitutionem, nō est satis dicere in confessione sum furatus, sed necessarium est dicere, furatus sum tantā quantitatem, & quia in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur mutilātes, vulnerantes, aut interficientes, peregrinos Romam accedentes deuotionis causa, is qui aliquem huiusmodi interfecit, non confitetur sufficienter, dicens, cōmisi homicidium, nisi addat circunstantiam hominis occisi, ratione cuius excommunicationem incurrit. Imò in materia furti, etiamsi alicubi non sit contra illud imposita excommunicatio, debet explicari quantitas furti, quia cōfessarius debet iudicare de facultate pœnitentis, de restitutione ipsa facienda, & arbitrari quando, & quomodo sit facienda. Secundò confitenda est circunstantia aggrauans, quando confessarius, aut pœnitens cognoscunt sine explicatione talis circunstantiæ pœnitentem non accepturum cōgruam medicinam ad peccatum vitandum. Imò etiam addimus tertiò, cum *Nauar. loco citato, & cum Reginaldo tom. 1. lib. 6. cap. 4.* teneri pœnitentem explicare cōfessario prauam consuetudinem peccandi, vt confessarius cognoscat, an cum debito dolore accedat, & cum firmo proposito corrigendæ vitæ anteactæ. Reincidentia enim frequens in aliquod peccatum magnum argumentum esse solet propositi infirmi, & indeliberati, & an maneat in aliqua propinqua occasione peccādi mortaliter. Authoritas enim iudicialis in cōfessario iure diuino residens ad hoc necessariò videtur obligare confessarium, vt de his omnibus interroget, hac enim ratione perfectū erit iudicium eius, & res tanti momenti, in qua pœnitens facile potest aliqua passione ductus tanquam in propria causa errare, non est relinquenda soli eius iudicio. Imò etiam pœnitens, minime interrogatus de tali consuetudine, debet eam vltro patefacere confessario, non quidem semper, & absolutè loquēdo, sed vt loquitur *Reginaldus lib. 6. de Sacramentali confessione, cap. 4. num. 1, 8.* Cum pœnitens clare non videt esse ablatam occasionem incidendi in peccata consueta, ratione cuius timere potest nouum lapsum, & cum aduertit se alioqui non recepturum congruam animæ suæ medicinam. In materia autem consuetidinis maior cura adhibenda est, plusque prædicta aduertenda sunt, cum consuetudo magna est, quam cum parua, & etiam cum consuetudo versatur in vno genere peccati, quam cum in pluribus. Rarò enim consuetudo peccandi in diuersis speciebus peccatorum explicanda est in confessione iuxta doctrinam *Cani in relectione de pœnitentia part. 6.* Quia hæc licet aggrauet malitiam non ita periculosa est, neque ita arguit infirmum propositum, atque prior, nisi cum nimia est, & coniungitur cum deperdita, & corrupta vita, de quo puncto aliqua valde vtilia cōfessarijs postea in hoc tractatu quæst. 39. dum de obligationibus confessariorum disputemus, subiiciemus.

Tandem addimus quarto, cū pœnitens nescit explicare in confessione, an peccatum à se 21

com-

commissum sit mortale, vel veniale, vel an teneatur ad aliquam restitutionem honoris efficiendam, vel non, & quomodo, & quibus verbis eam efficiet; debet, nisi aliunde ante confessionem de his instruatur, explicare circunstantias tantum aggrauantes intra eandem speciem, vt cum aliquem contumelia affecit, debet in isto casu in confessione explicare se cũ contumelia affecisse, hoc vel illo modo. Nã diuersas contumelias omnes esse eiusdem speciei docent, *Caiet. 2. 2. quæst. 72. artic. 1. Sotus lib. 5. de Iust. & iure, quæst. 9. in fine art. primi, &* *Molina tractatu quarto de Iust. & iure disp. 15. num. 3.* Quia omnes contumeliæ conueniunt in vna, eademque ratione formali moralis speciei, quæ est intentio auferendi alteri suum honorem absque iusta causa. Vnde satis erit in confessione pronunciare toties hac graui contumelia affeci proximũ. Extra casus prædictos, & consequenter eiusdem speciei etiam erunt contumeliæ, & omnes modi aliquem inhonorandi vt fustibus cædendo, vel non assurgendo ei, &c. Quia omnes tendunt ad iniustam ablationem honoris proximi; quæ est vnius speciei. Ac detractio, quæ est ablatio iniusta famæ, cuiuscumque modi sit, est vna specie, & à contumelia distincta: quia fama, cui opponitur, est vna secundum speciem infimam, & distincta ab honore in specie. Doctrina est Caietani vbi supra.

Quæ autem sint circunstantiæ mutantes speciem, & quæ non, non est nostrum explicare, sed hoc pertinet ad diuersas materias morales, in quibus explicabitur. Aliqua circa hoc videri possunt apud *Suarez 4. tom. disp. 22. sect. 3. apud Dominicum Sotum in tomo de iustitia, & sort variis in locis, & apud summistas antiquos; & recentiores in verbis correspondentibus diuersis materijs, & Vazquez, 1. tomo in 1. 2. D. Thom. sparsim in varijs disputationibus.*

QVÆSTIO XV.

Quomodo explicandus sit in confessione numerus peccatorum.

1 IN hac quæst. vnum supponitur, & alterũ quæritur: Supponitur esse explicandum in confessione numerum peccatorum, & quæritur, qua ratione explicandus sit in confessione?

Circa id, quod supponitur, certum est de fide, declarandum esse in confessione numerum peccatorum. Probatur primo, *Ex Con. Triden. sess. 14. Canone 7.* his verbis, *Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorũ necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorũ memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiã occulta, & c. anathema sit.* Probatur hæc veritas ratione desumpta ex eadem sessione, *Concilij Trid. cap. 5.* Quia alias non possent Sacerdotes exactum iudicium ferre de statu peccatorum, cum tamen sint iudices à Deo, constituti ad soluendum, & ligandum, quod quidem maximũ inconueniens est. Secundo probatur, quia explicatio numeri peccatorum multo facilior est, quam explicatio circunstantiarum aggrauantium, ergo cum illa sit necessaria ad formandum perfectum iudicium in confessario, mirum esse non debet, eam esse constitutam sub præcepto diuino.

Circa id vero, quod in quæstione quæritur, quædam notanda sunt. Primum sit, duplex esse peccatum, aliud interius, quod in solo actu voluntatis consistit, vt propositum occidendi; aliud exterius quod refunditur in actionem exteriorem, vt homicidium. Secundò notandum est vtrumque ex his peccatis eo ipso esse diuersum numero ab alio, quo interrumpitur, ita vt nihil illius peccati neque interius, neque exterius maneat, tunc enim nullo modo vnũ peccatum coniungitur cum alio, & ita est diuersum ab eo, sicut cum vnaqua separatur ab alia, fiunt diuersæ aquæ numero. Tertio notandum est actionem aliquam tribus modis posse interrumpi. Primo per actionem contrariam. Secundo per actionem diuersam, vt cum quis cogitat de vno negotio, & ad alia diuertit cogitationem. Tertio per somnum, quando homo libertate non vtitur. 2

His suppositis sit prima conclusio. Loquẽdo de actu interiori; quando interruptio eius prouenit ex voluntate desistendi à peccato illo, cui quis consensit interius, tunc communis sententia Doctorum docet, talem interruptionem esse explicandam in confessione. Probatur primo, quia talis interruptio facile cognoscitur ab homine peccante, & facile potest explicari quoties illa contigerit, ergo cum alias sit valde necessarium eam explicare, vt confessarius exactum iudiciũ efformet de statu pœnitentis, asserendum est, talem interruptionem esse explicandam esse. Secũdo probatur, quia consensus posterior in idem peccatum, contingens post talem interruptionem, nullo modo potest constituere vnum, & idem peccatum numero cum priori consensu, etiam si paucissimo temporis interuallo contraria voluntas perseuerauerit, quæ interruptio indaganda est prudenter, & vt commode fieri potest, sine scrutinio nimis scrupuloso. 3

Quando vero interruptio ex cogitatione non contraria, sed diuersa prouenit, & ex somno, ciborum sumptione, aliisque diuersis occupationum generibus, an sit explicanda in confessione quasi diuersa numero peccata causans, vel non sit explicanda sub iudice lis est, *Pater Suarez disp. 22. sect. 5. tomo 4. in 3. part. &* 4

Conin.

Conin. tomo de Sacramentis Disp. 7. dub. 7. Tres in hoc puncto referunt sententias, prima est eorum, qui dicunt (& quidem vt ego scio grauissimorum recentiorum) semper quantum fieri poterit, explicandas esse in confessione omnes illas interruptiones, quantumcumque breuissimas, quia ratione illarum fiunt diuersa peccata numero, quæ diuersitas, vt vidimus in nostro præsupposito, necessario explicanda est in cõfessione. Secũda sentẽtia docet, prędictas interruptiones etiã longas non esse explicandas in confessione, sed omnes illos consensus sæpe repetitos vnum peccatũ efficere moraliter, quia prior consensus nunquam reuocatus per contrariam voluntatem, semper censetur moraliter, & habitualiter permanere. Tertia vero sententia est eorum, qui defendunt illas interruptiones confitendas esse, quãdo sunt longæ, non quando breues, quia in primo casu moraliter censentur plures actus, in secundo vero vnicus.

5 Sit ergo secunda conclusio. Quando interruptiones sunt notabiles, explicandæ sunt in confessione, quia affectus erga peccata antecedentes, & consequentes illas efficiunt duo peccata diuersa secundum numerum; quando vero breues sunt interruptiones, non sunt explicandæ, quia ex prædictis consensibus tantum resultat vnicum peccatum moraliter. Hãc sententiam ex parte defendit, *Suarez. loco citato*, & in totum tuentur aliqui recentiores. Probatur quia cum sacramentum pœnitentiæ graue natura sua sit, cum in eo idem pœnitens sit reus, & accusator, credendum est esse à Christo institutum suaui modo, ac hominibus humanitus, & moraliter possibili, sed breues interruptiones consensus interni, cum nostra cogitatio difficile in eadem re persistat, facileque per varias diuagetur, nequit eas aduertere, neque numerare, ergo non est credendum, Deũ obligare ad eas confitendas. Secundo probatur, quia consensus ille paruas admittens interruptiones moraliter censetur idem numero peccatum, quia illæ interruptiones moraliter nõ variant iudicium circa illum actum. Quemadmodum eadem oratione, & pari merito cæteris paribus censetur orare ille, qui per horã continuam eleuatam habet mentem ad Deum, & cum interruptione trina breui tamẽ, atque ille qui sine vlla interruptione totam horam consumpsit in oratione mentali, ergo istæ interruptiones confitendæ non sunt, quãdo sunt breues. Ex quibus satis refellitur prima sententia. Quod vero interruptiones longæ explicandæ sint, patet quia aliàs, qui per annum habuisset firmum propositum occidendi inimicum, & tantum illud repetijsset singulis mensibus, alijs grauioribus negotijs occupatus, satisfaceret præcepto confessionis, dicendo se habuisse propositũ vnũ occidẽdi inimicũ, quod

A. absurdũ sane est. Secundo probatur: quia alias eluderetur iudicium confessarij, qui debet cognoscere omnia peccata distincta numero, in eo autem casu confessio fit, tanquam vnius peccati, sine dubio autem sunt plura diuersa numero, quia illa proposita tanta temporis intercapedine disiuncta neque physice, neque moraliter sunt vnum propositum, quare neque vnũ peccatum, sed plura.

Difficultas vero circa hanc conclusionem se offert, qualis interruptio dicatur notabilis, ita vt necessario sit cõfitenda? Varij Doctores varijs modis respondent. Saluo tamen meliori iudicio, eam iudico notabilem interruptionẽ, quæ sit vnius diei, & non minorem. Primò quia moraliter loquendo inter homines, qui B. singulis diebus aliquid desiderat, semper, & continuo dicitur desiderare, & quando vltra interrumpitur desiderium, non censetur cum alio simili desiderio continuari. Secundo, quia in rebus moralibus non requiritur tanta continuatio, ac in rebus physicis. Cuius duplex exẽplum se offert. Primum sponsalium, in quibus vnus contractus resultat ex duobus tamen cõsensibus, quorum vnus hodie habetur, & alter cras. Secundum sacramenti pœnitentiæ, quod vnicum est, & tamẽ componitur ex absolutione hodie collata, & ex cõfessione, quæ multis ab hinc diebus præcessit, quando dilata est à confessario absolutio, vt pœnitens ostenderet signa contritionis. 6

Si loquamur de peccato exteriori, vt cum C. plures actus exteriores sibi inuicem succedentes, & ad eundem finem, verbi gratia, tendentes perseuerant, sit tertia conclusio. Licet tũc propositum occidendi sæpius repetatur, vnũ tamen solum est peccatum, etiam si aliæ cogitationes interrumpant illud propositum expressum. Verbi gratia, vult aliquis occidere inimicum, & ex hac voluntate mouetur ad surgendum ex lecto, ad quærẽdum ensem, & ad quærendum inimicum, tunc, etiam si obliuiscatur sæpe occisionis inimici, vnum tamen est solum peccatum. Probatur. Primò quia hæc omnia processerunt ab illa voluntate occidendi inimicum, & sunt media ad eum finem, ergo sunt vnum peccatum. Secundo probatur, quia tũc manet semper eadẽ volũtas ratione actuũ D. exteriorũ virtualiter, & cõfuse imperans illos actus externos, cuius euidens signum est, quia si ille homo interrogetur, quo tendunt omnes istæ tuæ machinationes, & solicitudines, absq; dubio respõdebit, vt meũ occidam inimicũ, ergo quãdo eadẽ voluntas repetitur, solũ explicatur, & viuificatur eadẽ volũtas prior, quare vnum tantum constituetur peccatum. 7

Quod siquis in eo itinere, quod peragit ad occidendum inimicum, fatigatus ex itinere, interdum quiescat, aut ad hospitium diuertat ad comedendum, vel bibendum, vel aliquod 8

aliud

aliud huiuſmodi præſtandum, tunc idem met actus cenſetur, & idem peccatum continuari, quia hæc omnia cum ſint media neceſſaria, ad hoc vt poſsit peruenire ad locum, vbi eſt inimicus, non diuidunt peccata. Imò addo conſequenter ad dicta in §. poſt. Secundam concluſionem huius quæſtionis, & propter rationes in eo tactas, & in ea concluſione, prædictū homicidam, qui aliquantulum diuertit (dūmodo minus quam integrum diem conſumat in diuerticulo) vt amicum alloquatur, & vt recreationis gratia lepôrem quærat, vnum tantū peccatū moraliter perpetrare, quia illa actio peccaminoſa morali modo conſiderata apud homines, ſemper eſſe eadem, atque perſeuerare iudicatur.

9 Quarta concluſio. Cum actus fuit conſummatus vt v. g. cum fornicatio contigit, tunc omnia media quæ aſſumuntur ad talem finem tam indifferentia, vt ingreſſus in domū meretricis, quam de ſe mala per malitiam de ſumptam ex ipſo fine fornicationis, ad quam ordinantur, conſtituunt vnum, & idem peccatum, quare non eſt neceſſe, ea explicare in confeſſione, ſed ſat erit ipſam fornicationem patefacere confeſſario. Probatur concluſio, quia iſta omnia media cum ſuo fine conſtituunt vnam actionem moralem peccaminoſam ex vna parte, & ex alia explicata actione ipſa conſummata, ſufficienter intelliguntur à confeſſario reliqua omnia, cum homines his medijs, & nō more belluarū ſoleant coire, ergo illa media non ſunt neceſſario explicanda in confeſsione. Secundo probatur, quia illa omnia media nullam aliam habent malitiam, niſi malitiam illiciti cōcubitus, illo ergo explicato reliqua taceri licite poſſunt. Quod ſi poſt peccatum conſummatum ſequantur aliqua media ad rem illicitam, vt oſcula, &c. (Quamuis aliqui ſentiant ea conſtituere vnicum peccatum cum præcedenti opere, quia ſunt annexa operi præcedenti, in quo non loquuntur probabiliter) illa media diuerſum conſtituunt peccatum, quare explicāda ſunt in cōfeſsione. Cuius tota ratio eſt, quia illæ actiones non ſe habent tanquam media ad concubitum præcedentem, vnde taliter explicādæ ſunt in confeſsione, cū non ſequitur alia noua copula, quod ſigillatim, oſcula, amplexus, tactus impudici, & alia huiuſmodi debeāt expreſſe explicari, quia cōtinent diuerſas malitias ſecundum numerum, ita vt vna non includatur in alia, neque ſit medium ad illam. Bene video, *Petrum de Ledeſma in ſumma tr. 17. de pœnitentia in fine*, Aperte ſentire, cū media ſunt multa, explicanda eſſe in confeſsione, vt cum quis ſemel tantum cognouit aliquam fœminā, verum totam noctem conſumpſit in rebus impudicis, quia omnia illa media non erant neceſſario annexa actui principali. Verūtamē hæc ſententia rigoroſa eſt, & ideo plus placet do-

A ctrina propoſita, quam expreſſe amplectūtur, *Suarez 4. tomo in 3. part. diſp. 22. ſectione 5. & alij recentiores.*

Quod ſi media præambula ad actionem aliquam peccaminoſam tanquam ad finem, habent diuerſam malitiam vel ſecundum ſpeciē, vel ſecundum numerū à malitia finis, tunc media illa explicanda ſunt confeſſario. Vt ſi quis ad hoc vt fruatur aliqua fœmina, inducat aliquē, & eius auxilium imploret, aut inter amplexus pollutionem patiatur, ita ſentiunt *Suarez 4. tom. loco citato, & Vazquez*. Cuius eſt tota hæc doctrina de medijs aſſumptis ad actionem peccaminoſam, 1. 2. *quæſt. 20. art. 3. & in 3. p. ſuper quæſtionem 92. D. Thom.* Probatur, quia huiuſmodi media conſtituunt noua peccata, & diſtincta ab ipſa fornicatione, neque cum ea conſtituunt vnum actum: ergo aperienda ſunt in confeſsione, nō ſolū quando nō ſequitur actus ipſe conſummatus, ſed etiam ſi ſequatur. 10

B

Quinta concluſio. Quando plures actiones exteriores conſummatę inueniūtur, & prauæ, vt duæ copulæ illicitæ, plura reſultant peccata, & neceſſario ſunt confitenda, quamuis ſibi inuicem ſuccedant immediate. Cōcluſio aperta eſt propter hanc rationem, quia vna actio, iſtarum non eſt annexa alteri, neque eam reſpicit tāquam finem ſuum, ex eis ergo diuerſa peccata promanare nemo negabit. 11

Quæret verò aliquis primò. Quomodo ſit explicandus numerus peccatorū, cū nimius eſt, ratione diuturnæ conſuetudinis peccādi, ita vt 12

C non poſsit ad certū numerū reduci? Cui quæſito reſpondetur, primò in hac re non eſſe pœnitentem nimium cogēdum, ſed ſuauiter edocendum. Secundo reſpondetur cum communi doctrina Scholaſticorum iſtum numerum peccatorū explicādum eſſe per hebdomadas, aut dies, ſi fieri poſsit, ſin minus quia conſuetudo peccandi nimia fuit, tunc ſatisfacere pœnitentem, ſi aperiat confeſſario tēpus cōſumptum in peccatis, nimiam cōſuetudinem peccādi, ac præparationem animi ad peccandū procliuis. Verum tamen aliqua peculiaria in hoc caſu tenetur aduertere confeſſarius. Primū vt quærat à pœnitēte peculiaria, & grauiora peccata, quæ non poſſunt eſſe multa, vt quærat à meretrice, quoties concubuerit cum conſan-

D guineis coniugatis, vel Sacerdotibus, quod ſi neque hæc peccata vnico numero comprehēdi queant, obſeruauit confeſſarius prædictā regulam. Præterea diligenter inquiret confeſſarius à fornicarijs tam meretricibus publicis, quam occultis, an acceperit aliquid ab his, qui poteſtatem non habent alienandi, vt illud reſtituant, vt à religioſo, verbi gratia, imò etiam debent illud reſtituere monaſterio, etiā ſi facultatem habeat alienandi, quia illa facultas non intelligitur conceſſa ad illum finem, tum quia facultas ita peculiaris non

O compre-

comprehenditur in generali facultate, iuxta regulam iuris in generali, de regulis iuris in 6. Tum quia superior ad fines illicitos non potest dare facultatem alienandi religioso, vnde pecuniam, quam meretrices à religiosis obtinerent, debent restituere Monasterio, nisi Monasterium eam condonaret, vt consulat famæ religiosi, vel propter paupertatē fœminæ. Et eadem ratio est restituendi, cum superior ipse dat aliquid meretrici pro copia corporis, quia ad hos fines nequit sibi facultatem dare, sicut neque alijs. Quod si fraude meretrices, vt fingendo se esse virgines, &c. aliquod superfluū accipiant, tenentur superfluum restituere, nō vero quod blanditijs extorquent, quia id voluntariè datur, vnde non tenentur illud restituere. Ita *Molina 1. tomo de institia, tractatu 2. disp. 84.*

13 Quæ res secundò, quod examen conscientiæ sufficiat ad confessionem, & respondetur cum dictis Autoribus, non posse certam regulam tradi, sed prudens examen debere fieri, quale timorati faciunt, & iuxta qualitatē personæ, & dilationem confessionis, neque est necessarium scribere peccata, quamuis sit periculum obliuionis. Et si quis non cognoscat numerum, potest dici hoc verbum, toties peccaui plus minusve, quod si postea occurrat aliquod peccatum, non est cōfitendum, quia iam fuit inclusum. Si autē occurrat multitudo peccatorum, est explicanda quia non fuit inclusa in illo verbo, plus, minus ve. *Victoria ait in Summa Sacramentorum, nu. 178.* & approbatur à recentioribus, vt à *Reginaldo 1. tomo praxis lib. 6. cap. 3.* Non esse necessarium, magnam adhibere diligentiam ad cognoscendum distinctè numerum peccatorum. Vt si quis cogitat se semel in hebdomada iurasse plus, minusve ratione mediocris diligentiæ adhibitæ, quod si amplius cogitaret, scit posse se reperire certum numerum, non erit necessaria illa amplior cogitatio. Fundamentum huius doctrinæ est, quia vt communiter docent Autores ad hoc iudicium pœnitentię, quod potius est misericordiæ, quam iustitiæ, & in quo potius agitur de emendatione vitæ, quam de exigenda solutione pœnarum pro delictis, vsque ad vltimum quadrantem, sufficit mediocris cognitio peccatorum, & status pœnitentis saltim in confuso, dummodo diligenter inuestigemus verum dolorem peccatorum, ac propositum emendæ. Quæ doctrina placet mihi, qui vehementer exopto suauem viam, & à scrupulis alienam conscientijs indicare, quia pugnare videtur cum doctrina Tridentin. allegata in principio huius quæstionis, requirente explicationem numeri peccatorum, & cum alia doctrina eiusdem *Concil. Tridentin. Sessione 14. capite quinto, & canone septimo* Requirente exactum iudicium in confessario de grauitate criminum pœnitentis. Displicet doctrina *Caie. communiter recepta in tom. 5. opusculorum tractatu quinto quæst. 3.* Asserentis, præcedente consuetudine peccandi, non esse necessarium pœnitentem de eiusmodi numero, etiam verisimili solicitum esse plus, minusve, sed satis esse dicere consuetudinem habui per annum quotidie fornicandi, neque necesse esse, eum esse solicitum quoties cum religiosa, vel coniugata.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm mendatium dictum in confessione sit peccatum mortale?

IN hac quæst. duo sunt certa. Primò certum est, mentiri in confessione affirmando, vel negando aliquod peccatum mortale, esse semper peccatum mortale, nisi ignorantia, vel bona fides excuset; ita tenet communis sententia Sūmistarum, quam sequitur, & refert *Suarez 4. tomo disp. 22. sectio 10.* Et ratio est quia in tali mendacio, & notabilis irreuerētia fit Sacramento, ac frustratur etiam iudicium Sacerdotis in materia graui, & necessaria pœnitentiæ.

Secundò certum est etiam cum *Nauarr. in* 2
Summa capit. 21. numero 37. Peccatum mortale esse mentiri in confessione affirmando, vel negando aliquod peccatum veniale, quando illud solum apponitur tanquam materia Sacramenti. Patet, quia tunc ex defectu materiæ Sacramentum est nullum, & forma est falsa, ergo graue peccatum committitur in eo casu.

Tota difficultas est, an cum quis confite- 3
tur alia peccata vera; & mentitur in confessione circa aliquod peccatum veniale, an tale mendacium sit peccatum mortale. Quidam dicunt esse quidem. Ita *Caietanus in Summa verbo confessio, conditione quarta, Ledesma secunda parte quæst. 5. articulo 4. dubio 4. & Armilla verbo confessio, numero 5.* probatur dupliciter. Primo, sicut peccat mortaliter, qui iurat falsum, etiamsi non teneatur iurare, sic etiam peccat mortaliter, qui fingit in confessiooe peccatum veniale, licet illud non teneatur confiteri. Confirmatur, si quis inter hostias consecrandas plures apponat triticeas, & vnam hordeaceam, peccat mortaliter, ergo eodem modo peccat, cum inter plura alia peccata confitetur aliquod veniale, quod non commisit.

Verior tamen sententia est illa, quæ as- 4
serit, mentiri in releui in confessione, cum sunt alia vera peccata, non esse mortale. Probatur, quia veniale non est materia necessaria pœnitentiæ, ergo etiam si quis mentiatur

tiatur circa illud affirmando, vel negando, nõ facit notabilem offenſam confeſsioni. Probatur, quia non fit notabilis iniuria ſacramento, hoc enim non redditur nullum, cum ſint alia peccata vera, circa quæ poſsit verſari ſacramẽtum, neque fit notabilis iniuria Sacerdoti, ex eo quod videtur illudi eius iudicium, quod debet eſſe exactum, & perfectum de peccatis, vt ſupra vidimus, quia tale iudicium non debet eſſe de venialibus, ſed de mortalibus, ergo non eſt peccatum mortale tale mendacium.

6 Ex his reſpondetur ad argumenta oppoſita. Ad primum dicimus, eſſe mortale; iurare falſum etiam in re leui, quia fit notabilis iniuria Deo, adducẽdo Deum in teſtem falſi, at vero in mentiendo leuiter in confeſsione nulla fit notabilis iniuria. Ad ſecundum reſpondetur, eſſe diuerſam rationem de verbis conſecratiuis hoſtiarum, & de verbis abſolutionis. Verba enim conſecratoria ſunt demõſtratiua, & appellant ſupra materiam propoſitam, & ſi aliquid materiæ ſit fictum, redditur falſa forma, & irrogatur magna iniuria ſacramento Euchariſtiæ: at verba abſolutionis, ego te abſoluo per ſe primo, & determinate ſignificant perſonam, & cadunt ſupra illam, circa peccata vero indiffinite, & indeterminate, vnde non redduntur falſa, ſi ſit aliquod peccatum veniale fictum, dum alia ſint vera peccata.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm in aliquo caſu abſolui poſsit is, qui nullum peccatum in particulari confeſſus eſt, ſed tantum præbuit ſigna confeſsionis, & contritionis in generali, & Sacerdote abſente?

1 HIc non loquimur de eo, qui poteſt aliquod peccatum in particulari explicare in confeſsione aut verbis, aut nutibus, & non explicat, ſed tantum dicit in generali, ſe peccaſſe, hic enim non debet abſolui: quia non præbet confeſſario totã materiã, quã poteſt, & debet, ſed tantũ loquimur de eo, qui infirmitate correptus, & linguæ vſu priuatus, ſolũ oſtẽdit in præſentia cõfeſſarij nutibus ſuis, ſe peccaſſe in generali (cũ non poſsit explicare quo genere, aut qua ſpecie peccati peccauerit) & velle abſolui, an iſte poſsit abſolui. Et etiã obiter quæritur, an cũ talia ſigna fuerunt adhibita in abſentia Sacerdotis, ſed coram probatis teſtibus, poſsit Sacerdos pœnitentem abſoluere, nullũ videns in eo ſignũ confeſsionis ſed ductus tantum teſtimonio aliorum?

2 Circa quã quæſtionẽ ſic intellectã duæ ſunt inter ſe oppoſitæ ſententiæ. Prima aſſerit in his

A caſibus nõ poſſe impẽdi abſolutionem. *Ita Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. Canus relectione vltima de pœnitentia, fol. 101. Nauar. in ſumma cap. 26. n. 27.* Probatur primo quia vt patet ex *Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Confeſsio eſt actus iudicialis, vnde debet eſſe integra, & debẽt in ea cognoſci omnia peccata, at in hoc caſu nullum cognoſcitur peccatum, ſed tantum habetur notitia quædã generalis ſcilicet, quod pœnitens peccator ſit, quæ notitia eodẽ modo antea habebatur, nam omnes ſumus peccatores, ergo non poteſt tũc impendi abſolutio. Probatur ſecundo, quia abſolutio eſt actus prudentialis, ſed prudentia eſt actus, qui verſatur circa materiã determinatã, ergo cũ in hoc caſu nõ ſit aliquod peccatum in particulari explicatũ in cõfeſsione, nequit im-

B pẽdi abſolutio. Tertio probatur, quia abſolutio ſacramentalis neceſſario debet cadere ſuper aliqua peccata particularia directe, at hoc non poteſt contingere in iſto caſu, vbi nullum peccatum in particulari exprimitur: ergo ea abſolutio valida eſſe non poteſt.

Secũda ſententia omnino extrema ſentit moribundũ recte poſſe abſolui, etiã ſi nullum peccatũ in cõmuni, aut particulari cõfiteatur, neq; aliquo ſigno externo cõfeſsionem petat, aut dolorẽ oſtendat grauitate morbi præpeditus. Probatur hæc ſententia. Primo quia eſſentia huius ſacramenti conſiſtit in ſola abſolutione, ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria confeſsio. Secũdo probatur quia, *D. Aug. lib. de adulterinis coniugijs videtur id affirmare.* 3

C Tertia ſentẽtia eſt aliorũ defendentium talẽ hominẽ poſſe abſolui, ſi dederit ſigna peccatorũ, & contritionis præſente Sacerdote, nõ vero ſi ea exhibuit eo abſente; etiã ſi teſtes fide digni teſtẽtur ſe audiuiſſe eũ petentẽ abſolutionẽ, & vidiſſe in eo ſigna contritionis: Quam ſententiã à fortiori tuentur ex parte authores primæ ſentẽtiæ. Nã ſi illi ſentiunt, nõ poſſe Sacerdotẽ abſoluere, eũ qui nullum peccatum in particulari confeſſus eſt præſente Sacerdote, etiã ſi oſtẽdat ſe peccaſſe, etiã potiori iure ſentire debent, neque poſſe eũ abſoluere, qui ſigna contritionis in abſentia Sacerdotis adhibuit, multo enim minus datur in iſto ſecundo caſu confeſsio, quam in alio. Probatur quia tũc 4

D nulla reperitur cõfeſsio, ſed volũtas cõfitendi.

Quarta ſentẽtia docet, pœnitẽtẽ animã agẽtẽ eſſe abſoluendũ, nõ modo dum ſigna contritionis exhibet præſente Sacerdote, ſed etiã eo abſente, dũmodo teſtes fide digni corã Sacerdote teſtificẽtur, ſe ea ſigna vidiſſe, & dũmodo tunc temporis, quãdo abſoluitur, viuat: in hoc enim caſu ſine dubio procedit, quæſtio iſta.

Quinta ſententia eſt eorum, qui dicunt ſequentes quartã ſententiã, confeſsionis abſolutionem dandã eſſe in vtroque caſu memorato abſolute, & ſine vlla cõditione. Ita ſentire videtur *Vazq. ſup. 3. p. D. To. a. 2. q. 91. & Conin. to. de* 5

sacramentis disp.7.dubio 10. Quia absolute loquuntur.

5 Sexta sententia est aliorū, qui sentientes cū Doctoribus quartæ sententiæ, eam ita temperant, asserentes in eo casū, quo Sacerdos signa non videt contritionis, sed tantum ea audiat à testibus, vt vitetur periculū sacrilegij, impēdendā absolutionem esse sub hac conditione, si tu es capax absolutionis, ego te absoluo, ita docent *Melchior Zambranus in suis decisionibus aureis cap.4.dubio 2.Regin.tom.1.lib.8.ca.3.num.28.*

6 Sit prima conclusio. Si quis infirmitate correptus præbeat signum contritionis, & peccatorum in communi, cum non potest aliquod peccatum in particulari explicare, & tale signum coram Sacerdote ostendat, potest optime à Sacerdote absolui, ita sentiunt *Palud. in 4.dist.21.q.2.art.2.conclus. 2. D. Antoninus. 3.p.tit.10.cap.2. Syluester verbo confessor 3.q.23. Suarez tomo 4.in 3.part.disp.23.sectiōn.1. Vazquez in 3.part.super quæst.92.& artic.2. D.Tho. Medina de Pœniten.tract.2.quæst.39.in fine, Angelus verbo confessio 4.num.8.* Hæc cōclusio probatur primo authoritatum fundamentis. Primum sit Concilij Carthaginensis, *4.cap.77.& habetur in cap.is, qui 26.quæst.6.* Secundum sit, *Concilij Arausicani 1.Canone 12.& D. Leonis I. epist.89.* Quorum verba postea subijciemus in confirmatione secundæ conclusionis. Probatur primo, quia si quis solum meminisset in cōmuni, & in genere, se commisisse aliquod peccatum mortale, & illud eo modo, quo recordatur, confiteretur, deberet absolui, cum tamen in particulari nihil confiteretur, quia nullius peccati recordatur in particulari, ergo ad recipiendum beneficium absolutionis non est necessaria confessio alicuius peccati in particulari, quare signa peccatorum in communi sufficientem materiam ministrabunt absolutioni in nostro casu. Antecedēs huius discursus, qui verus est tam in articulo mortis, quam extra illum admittitur à *D.Thom.in 4.dist.21.q.2.art.1.ad 1.& à Vinaldo in candelabro aureo ca. de absolutione num.71.* Referente pro hac Doctrina, *Maiorem, & Nauar.in Enchir.cap.10.n.7.& à Reginaldo tomo 1.lib.8.cap.3.num.27.& à Conin.tomo de sacramentis disp.7.dub.20.num.97.* Secundo probatur, quia huiusmodi pœnitens præbet veram materiam clauibus Ecclesiæ in foro pœnitentiali, scilicet, veram sui ipsius accusationem, & ostendit verum dolorem de peccatis commissis, & in his efficit, quantū potest grauitate morbi fatigatus, sed Deus non requirit à nobis aliam confessionem, quam quæ nobis hic, & nunc possibilis est, ergo credendum est, prædictam confessionem sufficientem esse ad recipiendam absolutionem.

7 Sit secunda conclusio. Si quis mortis dolo-

A ribus oppressus ostendat signum contritionis, & petat confessionem, dum Sacerdos tamen aduenit, omnem vsum rationis perdat, ita vt præsente Sacerdote nullum signum doloris ostendat, si tamen testes fidedigni, qui ea signa viderunt, restentur Sacerdoti aduenienti, & posito coram pœnitente viuo, ipsum dedisse signa pœnitentiæ, & petijsse confessionem, & non expectetur commodior occasio absoluendi, potest à præsente Sacerdote sacramentaliter absolui. Ita docent omnes authores citati pro prima conclusione. Hæc autem conclusio, quæ omnino mihi probabilis est, probatur primo eisdem testimonijs allegatis in prima conclusione ex Concilio Carthaginensi *Quarto, & ex Conci-*

B *lio Arausicano primo, & ex Leone I.* Quorum verba ita expresse hanc Conclusionem defendunt, vt nisi eis vis inferatur, in alium sensum retorqueri non possint. Verba *Concilij Carthaginensis sunt hæc, is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum Sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, verba Concilij Arausicani,* Sub hoc tenore comprehenduntur, *Subito obmutescens, pro vt statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

His testimonijs respondent aliqui sequentes *Glossam in capit. is qui 26. quæst. 6.* Il- 8

C la tantum loqui de absolutione à censuris, verum responsio hæc effugium potius videtur, quia libere omnino adhibetur, & sine fundamento, quia prædicta concilia absolute, & generaliter loquuntur de eo, qui ægritudinis vi obmutescit, & pœnitentia indiget, tum quia verba Concilij Carthaginensis, accipiat pœnitentiam; & illa verba Concilij Arausicani, pœnitentiam accipere potest, nequaquam indicant absolutionem à censuris, quia hæc non dicitur pœnitentia, sed absolutionem à peccatis, quæ benè potest dici pœnitentia, quia est pars principalis sacramenti.

Verba, D.Leonis Primi, quibus confirmat nostram conclusionem, sic se habent, 9

D *Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt simul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Sed respondent aliqui cum *Soto & Cano locis citatis* in principio quæstionis, ibi esse sermonem de publice pœnitentibus, qui in die Cinerum confitebantur Sacerdoti, & absolutio ad diem Cœnæ Domini differebatur, quibus iubetur absolutionem impendi, etiam si in absentia Sacer-

Sacerdotis signa contritionis ostenderent, ve- A
rumtamen hæc solutio gratis inuenta est,
quia Leo primus loquitur generaliter de ab-
solutione eorum, qui post baptismum de-
liquerunt, vt postea videbimus. Secũdo refel
litur hæc solutio, quia si gratis concedamus,
ibi esse sermonem de illis publice pœnitenti-
bus, si illis in principio quadragesimæ con-
fessis, & in fine quadragesimæ moribundis
poterat concedi absolutio peccatorum, cum
tamen potuissent toto tempore quadragesi-
mæ peccare mortaliter, cur non potest eadem
absolutio cõcedi his, quibus nõ confessis in tẽ
pore quadragesimæ, similis casus periculi
mortis contingit. Secundo non valet eadem so
lutio, vt optime considerauit *Vazquez loco ci-*
tato quia D. Leo. vt apparet ex ipso textu, lo- B
quitur de his, qui ad extremum vitæ distulerunt
pœnitentiam, quos valde ibi reprehendit. Se-
cundo alij respondere possent, quod Glossa lo
co citato respondit Concilijs supra allegatis,
scilicet, Pontificem eo loci disputare de abso-
lutione à censuris, verum tamen responsionẽ
alienam esse à mente Leonis, & ex ea potius
colligi nostrã doctrinam, ex duplici ostẽdam
capite. Primo quia *D. Leo epist. 89.* cũ prius do
cuisset fideles admittendos esse ad commu-
nionem sacramentorum, idest ad recipiendum
sanctum Eucharistiæ sacramentum per ianuã
reconciliationis, postea de illis subdit, *Si autem*
aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus
quocumque interceptus obstaculo à munere indul-
gentiæ præsentis exciderit, & priùs quam ad consti C
tuta remedia peruenias, temporalem vitam huma-
na conditione finierit, quod manens in corpore non
receperit, consequi exutus carne non poterit. Ergo
non loquitur, D. Leo de absolutione à censu-
ris, quia hæc potest impẽdi mortuis, vt patet,
ex cap. à nobis, 28, & cap. Sacris 38. de sententia
excommunicationis. Secundo quia, D. Leo eo-
dem tenore verborum in principio capitis lo
quitur de sacramento pœnitentiæ, & de sacra-
mento baptismi, comprehendens sine dubio
sacramentum confessionis sub nomine pœni-
tentiæ, vt patet ex his verbis in principio epi
stolæ adductis, *Multiplex misericordia Dei ita*
lapsibus subuenit humanis, vt non solum per baptis
mi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam
spes vitæ reparetur æternæ. Et in tota epistola nõ D
est aliquod signum, ostendens nomine pœni-
tentiæ comprehẽdi absolutionem à censuris,
imo neque posset comprehendi, vt supra vidi
mus, ergo cum in fine epistolę de nostris ægro
tantibus concludit sic, *Testimonia eis fidelium*
circumstantium prodesse debeant, vt simul, &
pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conse-
quantur, absque dubio nomine pœnitentiæ sa-
cramentum confessionis intelligit.

10 Deinde hæc sententia maxime confirma-
tur authoritate *Clementis Octaui, qui Anno*
A *1608. die 16. Aprilis, vt testatis fuat se ex eo audi-*
uisse Bellarminus, & Archiepiscopus Armaca-
nus, Interrogatus, an moribundus in casu
nostræ secundæ conclusionis deberet sacra-
mentaliter absolui, respondit: debere absol-
ui, & se eum absoluturum, & se punitürum
parrochum sibi subiectum, quem sciret tali
negasse absolutionem. Quod testimonium
scriptum, & authentice subsignatum refert,
Conin. datum esse Prouinciali suo Fran-
cisco Florentino, & patri Lesio tunc exi-
stentibus Romæ, & alia similia testimonia ho-
die seruari in Academia Louaniensi, imo idẽ
Conin. cum eodem prorsus fundamento re-
fert, Clementem Octauum respondisse, suo
decreto: quo damnauit istam propositionem,
B licet per literas, aut internuntium confessa-
rio absenti peccata sacramentaliter confite-
ri, & ab eodem absente absolutionem obtine-
re, nullo modo casum istius secundæ conclu-
sionis comprehendi.

Vltimò probatur ista conclusio ratione, 11
quia cum iste moribundus ostendit signis
externis dolorem de peccatis, ac volunta-
tem confitendi, & in hunc finem Sacer-
dotem vocat, iam incipit confiteri ad eum
modum, quo quis per interpretem confi-
tetur peccata sua, dum explicat interpre-
ti laico peccata, vt ille tandem Sacerdoti
ea explicet, ergo dum astantes postea Sa-
cerdoti præsenti desideria ægroti manife-
stant, instar interpretum ipsius peccata Sa-
C cerdoti exponunt, atque ipse per eos Sa-
cerdoti iam præsenti confitetur eo modò, quo
potest: quare & ille optime poterit beneficiũ
absolutionis impendere.

Neq; valet ex hoc discursu sequi, eũ, cuius 12
linguã non nouit confessarius, posse eo absen-
te prius explicare sua peccata interpreti, &
postea ab eo præsente absolutionem recipere,
per hoc, quod in eius præsentia interpres cõfi
teatur illa peccata Sacerdoti. Hoc inquam non
obstat, quia pœnitens tenetur confiteri melio
ri modo, quo potest, ille autẽ sanus potest me
lius cõfiteri per interpretem scilicet præsen-
te Sacerdote, qui iudex est, quia hoc propriũ
est Rei, & accusatoris, ille autẽ æger nõ potest
meliori modo confiteri, quam confitetur.

D Argumẽtis in oppositũ satisfacere oportet. 13
Primo argumento primæ sententiæ respõde
mus, instãte necessitate mortis pœnitentis nõ
debere Sacerdotẽ peccata in particulari cog-
noscere, sed satis esse ea cognoscere in com-
muni, & in foro pœnitẽtię, quod totũ cõtingit
in casu, primæ conclus. Secundo argumento res
pondemus, absolutionem actum esse prudẽtia
lem, quia confessarius prudenter considerare
debet, an signa confessionis sufficientia sint
ad recipiendam absolutionem, ad quam re-
cipiendam sufficit, materiam proximam, sci-

A *Bernardo, in opusculo de forma honestæ vitæ*, vbi ait, *De nullo prorsus sinistre loquaris, licet sit verum, & manifestum, nisi in confessione, & hoc, vbi nō potes aliter peccatū tuū manifestare.* Probatur hoc vnica ratione, quia præceptum diuinum naturale est seruandum contra positiuum, quā do reperitur cum omnibus suis circunstantijs, & non cum deficit aliqua notabilis circunstantia, quare præceptum diuinum de seruanda fama proximi est seruandum, quando non adest rationabilis causa tollendi famā proximi, sed in præsenti adest, ergo potest quis reuelare peccatum proximi. Quod adsit talis causa, patet, quia integritas confessionis, quæ est solum de iure Diuino, & de iure positiuo, maioris momenti est, quam quod reueletur peccatum proximi vni cōfessario, qui sub sigillo confes- B sionis tenetur illud tacere, vbi fere nulla est infamia, & vbi nulla est detractio. Nā *D. Tho. 2.2. q. 73. art. 2.* ait, *aliam esse detractionem formalem, vt cum quis ex animo infamandi, vel sine rationabili causa reuelat peccatum proximi, & hanc esse peccatum. Aliam esse materialem, cum id fit sine tali animo, & cum rationabili causa, & tunc non esse peccatum:* Ex hac enim integritate sequuntur multa cōuenientia. Primū quod non sumatur occasio cōmittendi grauissima crimina, ex eo quod homines videant illa nullo modo esse reuelāda. Secundū quod homo patefaciens illud peccatū cōfessario, maiore suffunditur dolore, & pudore, vnde crescit gratia sacramenti. Tertiū quod poterit recipere pœnitens circa illud peccatum proportionatum remediū. C Vltimò probatur, quia alias parrochi nō possent audire cōfessiones suorū subditorū in his oppidulis, vbi omnes viros, & fœminas cognoscunt, sed semper esset quærendus etiam tēpore iubilei nouus cōfessarius, quod esset grauissimum onus absque necessitate imponere, & exponere fideles periculis non lucrandi iubileum, & non confitendi tempore suæ saluti necessario.

4 Vt autē hæc reuelatio cōplicis licita sit, duo sunt præ oculis habenda. Primum est, cū commode quæri potest alius confessarius, qui complicem minime cognoscat, cum esse quærendum, quia hac ratione, & satis fit integritati confessionis, & bonæ famæ complicis. Secun- D dū est prædictā regulam seruandam esse, cum non timetur aliquod aliud notabile malum ex reuelatione complicis, quā quod confessarius cognoscat eum perpetrasse tale crimē, si enim aliquod aliud graue malū immineat, in quæst. 31. explicabimus, subticendū esse cōplicem.

5 Ad argumenta in oppositum respondetur, ad primū dicimus, præceptū naturale esse seruandū contra positiuū, quando se offert cum omnibus suis circunstantijs, hoc autem præceptū naturale seruandi famam proximi non adest cum omnibus suis circūstantijs, vna enim A circunstantia est, quod non adsit rationabilis causa reuelandi peccatum, in nostro autem casu adest rationabilis causa propter integritatem confessionis. Ad secundum respondetur, quod cum sequitur mors, aut publica infamatio apud populum, ex eo quod ego reuelem peccatum in confessione, non adest rationabilis causa illud reuelandi, quia tunc defectus integritatis minus damnum est, quam cætera mala dicta, at in nostro casu adest, vt vidimus, rationabilis causa.

Ex dictis sequitur cum Soto quidquid dicat *Suarez tomo 4. 3. partis disp. 34. sect. 2.* Eodem modo esse explicandum in confessione peccatum alterius, quamuis non sit ille alter socius delicti; sed solum sit obiectum peccati B pœnitentis, necessarium tamen ad explicandam circunstantiam mutantem speciem, vel numerum. Vt si filius det venenum matri grauidæ ex concubinatu, tenetur circunstantiam grauidæ matris explicare, propter easdem omnino rationes, & cum eisdem limitationibus, quibus supra defendimus posse reuelari complicem. 6

Propter solum scandalum eius, qui auditurus est confessiones, non est tacenda in confessione circunstantia complicis, quando eius explicatio necessaria est ad integritatem confessionis, ad quam tenemur ex præcepto Diuino, nam vt optime perpendit, *D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 8.* Nullum præceptum etiam positiuum humanum est prætermittendum, vel C transgrediendum ob vitandum scandalum, aut pusillorum, hoc est peccantium ex infirmitate seu ignorantia, vel Pharisæorum, id est peccantium ex malitia, ita *Vazquez 3. tomo in 3. p. disp. 208. cap. 2.* Quæ doctrina vera est cum nō adest alius confessarius commode, qui sine scādalo possit audire confessiones, si enim adsit, quis dubitet illum esse adeūdum? Ratio huius resolutionis ea est, quia in eo casu scandalum non est datum, sed acceptum, cuius bene possum curam negligere, vt integritati meæ confessionis consulam. 7

Vltimo addo cum *Nauar. in Enchir. c. 7.* Etiā si adsit alius cōfessarius, qui nō cognoscat complicē, posse aliquē cōfiteri ei, qui eum cognoscit, cū cōplici potest esse vtilis cōfessio ad vi- D tæ emēdationē, imò vt bene *Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 4.* licet pœnitēti detegere circūstātiā cōplicis, vt consiliū à confessario capiat cōtra dānum imminens sibi à complice. Et tandē addendū est cum, *D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 11.* Siquis explicet in confessione circunstantiam, media qua alterum manifestet bona intentione inducendi confessarium ad orandum pro illo, aut illum corrigat, cū bene agere. Similiter potest confessarius interrogare de complice, vt ei prouideat, inter laicos, non inter religiosos, iuxta id quod tracta- 8

ta tertio de sigillo quæst. 7. ex motu proprio Clmentis Octaui notabimus, in quo foro nō potest compellere prælatus ad reuelandum complicem magis, quam quilibet alius confessarius.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas reseruandi casus in foro interiori.

1 VVICLEF, *vt refert Vvaldensis tomo 2. de sacramentis cap.* 149. & Alij hæretici huius temporis senserunt, Ecclesiā non habere potestatem reseruandi casus in foro interiore pœnitentiæ, sed in exteriori, & politico.

2 Sit conclusio de fide. Ecclesia potest, & solet reseruare casus in foro interiori confessionis, ita quod non valeat absolutio eorum corā Deo, nisi ab eo cōferatur, cui est reseruata, ita expresse definitur, *In Trid. sess.* 14. c. 7. Et expresse habetur, *In extrauagā:i inter cūctas de priuilegijs, & in c. si Episcopus de pœnitentijs, & remissionibus in* 6. Et probatur, ex *Innocētio III. in sermone natalis Petri, & Pauli,* Vbi dicit, *Quedā peccata sunt, quorū absolutio soli Petro est reseruata.* Probatur ratione *Concilij Trid. loco citato,* Quia hoc sacramentū, cū sit quoddā iudicium, nō potest exerceri, nisi cū iurisdictione ordinaria, aut delegata, sed aliquando reseruantur aliqui casus, quod est auferre ab aliquibus iurisdictionem, ergo non potest ab illis impendi absolutio.

3 Ex concilio autem Trident. patet Pontificem, & Episcopos posse reseruare casus, quia hoc conueniens est ad optimum regimen totius Ecclesiæ, & Ecclesiarum particularium, vt atrociora peccata à superioribus iudicibus cognoscantur, vt hac ratione homines arceantur à peccatis, difficultate absolutionis considerata; & etiam illi qui habent potestatē quasi Episcopalem, vt aliqui Abbates, & religiones possunt casus reseruare iuxta breue Clementis VIII. & iuxta formam ibi præscriptā. Sed de parrochis non est in vsu, vt casus reseruent, quando suam iurisdictionem delegant alijs, quia hoc altioris videtur esse iudicij.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm reseruatio fiat ratione censuræ, & ratione culpæ etiam.

1 DVRANDVS *in 4. dist. 17. quæst.* 15. Ait Ecclesiam Romanam non reseruare culpam, nisi ratione censuræ, & feA reidem docent *Caiet. in summa verbo, casus, & Ricardus in artic.* 3.

Sit prima conclusio. Tā Pontifex, quam cæteri pastores ordinarij, de quibus supra loquuti sumus, possunt reseruare peccata, non solum quantum ad censuras, sed etiam quantum ad culpas, probatur ex decretis, & ratione adductis in præcedenti quæstione. 2

Circa id verò quod de facto contingit, sit secunda conclusio. In Ecclesia contingit valide, & licite reseruatio peccatorum, quæ non habent annexam excommunicationem, quod patet ex vsu religionum, & Episcoporum, & communiter peccata sine censura etiam reseruata non reseruātur Summo Pontifici, quā uis aliquando, vt in extrauaganti inter cūctas, B de priuilegijs, quædam reseruatio contineatur peccatorum sine reseruatione censuræ. 3

Sit Tertia conclusio. Peccata non tantum reseruantur quantum ad censuras, quas habent annexas, sed etiam quantum ad culpas ipsas, quando reseruantur Summo Pontificia, *ita D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. quæst. 2. ad quartum Scotus dist. 18. quæst. 2. artic. 5. Suarez 4. tomo 3. part. disp. 29. sectione* 2. Ratio prima est, quia vsus Ecclesiæ, & communis intellectus Doctorum ita interpretatur reseruationes Pōtificias. Et probatur, quia si quis habeat excommunicationem nō reseruatam, & oblitus eius, confiteatur peccata, & absoluatur ab eis, & nō à censura, valet absolutio, quia nihil de est ad valorem absolutionis: sed si quis ita bona fide C absoluatur à peccatis reseruatis Pontifici, non aduertendo peccata reseruata, neque reseruatam censurā, non valet absolutio, ergo signum est ablatam esse iurisdictionem, non solum ad absoluendum à censura, sed etiam à culpa. 4

Notandum autem est, quod quia peccata non reseruantur Pontifici iure ordinario, nisi habeant annexam excommunicationem, ideò qui sint casus reseruati Pontifici, videndum est in tractatu de excōmunicatione. De Episcopis verò dicendum est, solo iure communi, & seclusa consuetudine, nullum peccatum esse reseruatū Episcopis. Nā licet, *in Extrauagā ti super Cathedram,* quinque vel sex casus reseruati numerentur, hoc tamen Decretum in Clementina dudum, de sepulturis reuocatum D est, vt notauit, *Suarez loco citato sect.* 3. Circa casus vero, qui possunt inter religiosos reseruari, notanda est constitutio Clementis Octaui edita anno 1594. In qua nō solum denegatur superioribus religionum facultas reseruandi omnia peccata exteriora, sed certi casus præscribuntur, qui possunt reseruari: hi autē sunt isti. *Primus veneficia, incantationes, sortilegia.* 2. *apostasia à religione siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenit, vt extra septa monasterij fiat.* 3. *nocturna, ac furtiua è monasterio egressio etiam non animo Apostatandi.* 4. *proprietas contra*

votum 5

votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. iuramentũ falsum in iuditio regulari, seu legitimo 6. Procuratio, auxilium, seu consiliũ ad abortũ faciendum post animatum fœtum etiam effectu non consecuto. 7. Falsificatio manus, seu sigilli officialium Monasterij. 8. Furtum de rebus Monasterij in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale, 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus, 10. Occisio aut vulneratio, seu grauis percußio cuiusque persona, 11. Malitiosum impedimentum, retardatio aut apertio litterarũ à superioribus ad inferiores, vel è contra Addit vero statim Põtifex: *Si quod aliud peccatũ graue pro religionis conseruatione, aut pro cõscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discußione, & consensu.* Pro aliqua tamen speciali domo ratione particulæ conscientiæ puritate posset fieri reseruatio, censuras autem ob alios casus potest quilibet superior reseruare non peccata, vt patet ex dicto textu; vt optime notauit *Suarez loco citato*, Licet simplicibus Sacerdotibus posit per reseruationem largo modo dictam impediri absolutio ab omnibus peccatis, non tamen ordinariis pastoribus, quia hoc esset contra rationem sui muneris, & contra vtilitatem pœnitentium.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm omnia peccata possint reseruari, & ex qualibet causa?

1 CIRCA primum punctum quæstionis, scilicet, quæ peccata possint reseruari, primò certum est venialia non posse reseruari. Patet quia ad rationem reseruationis duo requiruntur, Primo quod inferior Sacerdos non posit absoluere, deinde quod peccata reseruata necessariò debeāt deferri ad superiorem Sacerdotem, at venialia non sunt materia necessaria, quæ quis necessariò debet deferre ad aliquem Sacerdotem, ergo non possunt reseruari. Credo tamen posse Papam valide auferre potestatem absoluendi à venialibus à suis inferioribus, quia hanc potestatẽ habent ab eo, Episcopum vero minime. Loquendo vero de peccatis internis, secundò certum est, illa posse reseruari. Probatur. Illa sunt materia necessaria, & possunt superiores negare inferioribus potestatem absoluendi ab illis, & eam sibi reseruare, quod non est habêre potestatẽ directam in actus interiores, sed solũ indirectã, de qua supra diximus, ad hoc sufficere. Inter peccata vero mortalia externa, nullũ est, quod non posit reseruari, quia nullum in hoc est incõueniens, de facto tamen nullũ est peccatum interius reseruatum. Tùm quia graue A esset onus, hæc peccata reseruare, tùm etiam, quia hæc peccata non sunt ita nociua, cum proximis non pateant.

Circa secundum punctum quæstionis certũ est, nullum superiorem posse licitè reseruare sibi peccata sine rationabili circunstantia, quia hoc esset onerosum ouibus, in quarum fauorẽ data est pastoribus potestas. Secundo certum est, respectu Sacerdotum inferiorum, qui solum habent potestatem delegatam, posse superiores efficere validam reseruationem, etiam sine rationabili causa. Patet, quia cum hæc potestas delegata non sit annexa alicui officio, sed ex sola voluntate superioris dependeat, ex illa sola auferri potest. 2

Difficultas vero est respectu Sacerdotum, 2
B. qui habent potestatem ordinariam annexam officio, vt respectu parrochorum, & Episcoporum, & Prælatorum Religionum, an sine vlla causa facta reseruatio sit valida. Circa quod sunt variæ opiniones, quas refert *Suarez disp. citata sect. 4.* sed nobis sub distinctione loquẽdum est, cum *Maiori in 4. dist. 17. quæst. 5. & Angelo verbo, casus* Nam si loquamur de Papa, dicendum est illum posse valide reseruare casus respectu omnium horum inferiorum, sine rationabili causa. Patet, quia à Papa confertur dependenter omninò iurisdictio suis inferioribus, ergo potest illam cum voluerit limitare: Episcopi vero non possunt valide reseruare casus respectu parrochorum, neque prouinciales respectu aliorum Prælatorum sine causa, C quia neque institutio parrochorum, neque iurisdictio non est ab Episcopis, sed à Summo Pontifice, ergo non possunt Episcopi sine causa respectu parrochorum casus reseruare. Vnde Episcopi non possunt parrochias diuidere, aut mutare, & Prælati inferiores regulares nõ habent iurisdictionem suam à prouincialibus, cum sit ordinaria, sed à Papa.

Cum superior rogatur, vt det facultatem absoluendi à reseruatis alicui inferiori, videat cui dat, & cum quibus conditionibus, & cam non potest licite denegare cum est necessaria ad bonum corporale, vel spirituale pœnitentis magnum, ne confessio fiat odiosa, quod maxime cauendum est. Et vt notat *Suarez tomo 4, disp. 30. sect. 4.* Communiter superiorem potius debere esse procliuem ad concedendam, D quam ad denegandam eam facultatem: nam ad concedendam sufficit, quod nõ appareat causa denegãdi, ad denegandam vero oportet interuenire aliquam rationem negandi, & sufficiens ratio est, quod videat subditum nolle ad eum accedere pro absolutione, quod totum ex eo verum est, vt forum pœnitentiale, carni & sanguini onerosum, & animis salutare iucũdum, & amabile reddatur. 3

QVÆSTIO XXII.

Verùm cum quis confitetur habenti facultatem absoluendi à casibus reseruatis pro determinato tempore, & ex ignorantia casum reseruatū omittit, elapso illo tempore, possit absolui à quolibet confessario nō habēte peculiarem potestatem?

1 SYLVESTER *confessio primo, quæst. 4. Nauar. in capit. consideret de pœnitentia dist. 5. Couar. in capit. alma mater, part. 5. §. 11. num. 12.* sentiunt, in isto casu posse pœnitentem confiteri cuilibet Sacerdoti habēti solam iurisdictionem communem, & non principalē ad casus reseruatos. Probatur primò, quia Sūmus Pontifex tollens censuras, tollit reseruationem eorum peccatorum, quibus erant annexæ censuræ, ergo Sacerdos qui tollit quidē in isto casu omnes censuras, relinquit illa peccata non reseruata, ita vt possint cuilibet patefieri. Secundò probatur, quia Sacerdos in isto casu absoluit à peccatis non reseruatis, quæ ei explicata sunt in confessione, ergo virtualiter vult absoluere à peccatis reseruatis, vt integra fiat remissio peccatorum.

2 Casus huius quæstionis hic est. Accedit quis in die Aununciationis Beatæ Mariæ Virginis, ad confitenda omnia sua peccata, tam reseruata, quàm non reseruata, videns tunc virtute iubilei ab omnibus posse absolui, confitetur peccata non reseruata, & obliuiscitur reseruatorū, sequenti die transacto iubileo recordatur peccatorum reseruatorum, quæritur an ea peccata maneant non reseruata, quia saltim indirectè est ab eis absolutus, & possit cuilibet confessario ea confiteri, ac si non essent reseruata?

3 In casibus reseruatis ab inferiori potest quis absolui ab inferiori, qui ea sibi reseruauit, & à superiori, vt si Episcopus casus reseruauit, ille potest absoluere ab eis, & Papa, non Archiepiscopus, qui quantum ad hoc non est superior.

4 Quod si quis confiteatur peccata reseruata Papæ, ipsi Papæ, & ille nolit absoluere, neque alteri committere facultatem absoluendi, siue iniustè id faciat, siue iustè, peccata semper manent reseruata, quia tunc superior vtitur iure suo, & eadem est ratio de quolibet alio prælato inferiori reseruante sibi peccata.

5 Pro verioris tamen sententiæ explicatione notandum est, hanc esse differentiam inter absolutionem ab excommunicatione, & à peccatis, quod cum excōmunicatio sit quædam mera sententia iudicis, sola eius volūtate tolli potest, sine eo quod exprimatur in cōfessione, vt late docuimus in materia de censuris. Vnde si Sacerdos habeat potestatem absoluendi ab omnibus excōmunicationibus, etiamsi pœnitens pluribus irretitus solū aliquas explicet in cōfessione, si absolutio sit generalis comprehendens etiam excommunicationes oblitas, non tenetur pœnitens eas postea expresse explicare, quamuis earum recordetur. At cum peccata sint offensæ Dei, & maculæ quædam animarum, propria voluntate peccatorum cōtractæ, debent de iure diuino semel explicari in confessione explicite, vt quod propria voluntate & actione commissum est, propria etiam volūtate, & actione deleatur. Vnde quādo non sunt explicata in confessione peccata reseruata propter obliuionem, tolluntur quidem indirectè, etiam ab eo, qui non habet directam iurisdictionem in illa, quia vnum peccatum nō potest tolli sine alio, & tunc quidem tolluntur nō reseruata, quia nullus est defectus respectu eorum ex parte pœnitentis, neque ex parte confessarij, & ita consequenter tolluntur reseruata, vt iustificatio sit integra omnium peccatorum. Reseruatio enim tantùm obligat, vt cum venerint peccata reseruata in memoriam, illa explicentur superiori, à quo directè tollūtur, non vero impedit absolutionem in directā. Tū quia alias introducta reseruatio nimis onerosa esset, Debet autem pœnitens, quando postea eorum recordatur, peccata oblita reseruata cōfiteri superiori, vt ab eo absoluatur de illis directè. Quod asserit *Reginaldus tomo 1. lib. 8. cap. 6. num. 81.* esse receptum in communi sententia, citans pro ea *Nauarrū, & Suarez*, Et placet, quod addit iste Autor ex doctrina Suarez, simplicem Sacerdotem posse absoluere à peccatis mortalibus eum, qui accedit ad confitendum coram eo peccata venialia, quia non recordatur se habere aliquod peccatum mortale, cum tamen illud habeat, quod satis probabile videtur propter rationem supra allatam in hoc notabili.

His suppositis sit prima conclusio. Si quis confiteatur Sacerdoti habenti peculiarem facultatem in ordine ad casus reseruatos, cōcessam quidem in gratiam eius, & non in gratiā pœnitentis, si quis confiteatur solūm peccata non reseruata, & obliuiscatur reseruatorum, absoluitur à reseruatis indirectè, vt vidimus in præcedenti notabili, at reseruatio non tollitur sed postea confitenda sunt ei, qui ad ea habet potestatem peculiarem. Quod manet reseruatio, patet, quia licet Sacerdos haberet voluntatem absoluendi tunc à reseruatis oblitis, hoc tamen solūm est remittere indirectè, quia ea expresse non sunt explicata in confessione, & licet habeat voluntatem absoluendi ab excommunicatione etiam reseruata, hoc tamen solū tollit excommunicationem, quæ posset esse 6

impe-

impedimentum abſoluendi à peccatis, non autem tollit reſeruationem, quia hæc obligat, vt peccata reſeruata ſemel explicentur ei, qui ad ea auferenda habeat facultatem. A

7 Sed dices contra hoc, quia cum Pontifex abſoluit ab excommunicatione, tollit reſeruationem, ergo etiam alij Sacerdotes. Ad hoc enim reſpondetur Pontificem quidem, dum tollit excommunicationem, tollere reſeruationem, quando aufert è medio legem, in qua erat impoſita cenſura reſeruata alicui delicto, aut quando abſoluit à cenſura in foro exteriori per ſe, vel per alium. Nam quando abſoluit in foro interiori, & pœnitentiali, tunc quidem tollit excommunicationem annexam reſeruatis. Etiam oblitis, vt poſsint illa peccata auferri indirectè, non tamen tollit obligationem confitendi illa peccata expreſſe, & directè ei, cui ſunt reſeruata. B

8 Sit ſecunda concluſio cum *Syluestro confeſſio. 1. quæſt. 19. Antonino 3. part. tit. 14. ca. 19. §. 17. Suarez diſp. 31. ſect. 4.* Si quis expreſſe confiteatur omnes caſus reſeruatos Sacerdoti habenti ad id iuriſdictionem, vel conceſſam in gratiam ſui, vel in gratiam pœnitentis, ſatisfacit omninò reſeruationi, etiamſi confeſſio ex aliquo capite nulla reddatur. Vnde talia peccata poteſt poſtea cuilibet confeſſario confiteri. Patet, quia reſeruatio ad id ordinatur, vt pœnitens deferat peccata proprio Sacerdoti, & eius ſententiam audiat, & pœnitentiam impoſitam acceptet, ſed hoc totum contingit cum confeſſio ex aliquo capite redditur nulla, vt ſupponimus, ergo tollitur omninò reſeruatio. Et hæc concluſio etiam eſt vera iuxta dictos Doctores, cum abſolutio datur ratione poteſtatis delegatæ, quia ſatisfit fini reſeruationis. C

9 Sit tertia concluſio. Si quis confiteatur tempore iubilei, quando conceditur facultas confeſſario in fauorem pœnitentis, vt eum abſoluat à reſeruatis, ſi obliuiſcitur in confeſſione caſus reſeruati, & abſoluitur abſolutè ab omnibus peccatis, & tranſit tempus iubilei, peccatum illud reſeruatum, iam deinceps non manet reſeruatum, ſed poteſt cuilibet confiteri. Ita Doctores in principio quæſtionis citati. Et ratio eſt, quia determinatio temporis conceſſa Sacerdoti, vt poſsit abſoluere à reſeruatis D tempore iubilei, non eſt credendum de mente ſuperioris, quod tum ſit conceſſa in fauorem pœnitentis, quod noceat inculpabiliter oblito, ſed quod non ſe extendat ad eum, qui culpabiliter omiſit reſeruata in confeſsione, quæ eſt ſententia multorũ. Imò poteſt quis, trãſacto iubileo etiam poſt annũ, abſolui à reſeruatis di rectè à quolibet cõfeſſario, quæ tẽpore iubilei omiſerat per obliuionem, quia ius adquiſiuit cuilibet ea confitendi. Ita *Sanchez lib. 8. de Matrimonio, diſp. 15. num. 17. Suarez de Pœnitentia, diſp. 38. ſect. 4. Leſius tomo de iuſtitia, lib. 2. capit. 40. dubitatione 17.* Quia hoc priuilegium non eſt ad ſtrictum certo tempori, vt colligitur ex tenore iubilei.

10 Et idem ait Leſius, ſi quis tempore iubilei, non curauit per obliuionem ſua vota commutari, vel relaxari, poſſe eum ſcilicet eorũ tranſacto iubileo obtinere commutationem, vel diſpenſationem.

11 Pro maiori tamen totius quæſtionis intelligentia præ oculis habendum eſt, in eo caſu, quo quis inualidè confitetur peccata reſeruata tempore iubilei, nullo modo tolli reſeruationem, quia tunc abſolutio à peccatis reſeruatis conceditur per modum fauoris, & cum ordine ad iuſtificationem animarum, vt media abſolutione à reſeruatis excitentur fideles ad quærendam ſalutem animæ, ergo intelligitur talis facultas abſoluendi à reſeruatis concedi cum hac conditione, vt pœnitens expiet animam à peccatis, & vere confiteatur vera, ac ſalutari confeſsione. Quam doctrinam proſequitur *Suarez loco citato.* Huius autem paragraphi doctrina non eſt contraria ſecundæ concluſioni, quia ea intelligenda eſt de poteſtate abſoluendi à caſibus reſeruatis conceſſa per modum iubilei, non vero de quavis alia facultate ſimili alijs titulis, aut finibus conceſſa, de qua procedit ſecunda concluſio.

12 Sed quæres, an cum quis confitetur in aliquo die ſeptimanę caſus reſeruatos, & poſtea non adimplet alia opera præcepta in iubileo, illa peccata maneant non reſeruata. Et reſpondetur manere quidem. Probatur, quia tunc abſolutio à reſeruatis conceditur directè, & abſolutè, quia forma abſolutionis non poteſt impendi cum conditione de futuro, ſi hæc vel illa opera faciat pœnitens, ergo peccata nõ manent reſeruata, ſed poſſunt cuilibet confiteri. Pro hac quæſt. notã cum *Suarez li. 6. de voto capit. 16.* eũm qui ſemel lucratus eſt iubileum, & abſolutus à caſibus reſeruatis in vna hebdomada, quando iubileus in duabus obtinetur, non poſſe iterum abſolui in alia hebdomada ab alijs reſeruatis poſt primam confeſſionem commiſsis, quia vt in his indultis dicitur, indulgentia pro vna tantum vice conceditur, & non pro vtraque hebdomada copulatiue, ſed diſiunctiue pro vna, vel alia.

QVAESTIO XXIII.

Vtrùm ille, qui in caſu neceſsitatis abſoluitur à reſeruatis per aliquem Sacerdotem, teneatur comparere coram ſuperiore poſtea ceſſante neceſsitate?

CERTVM eſt, quemlibet Sacerdotem cõmunem, qui alias nullam habebat iuriſdictionem, poſſe in caſu extremæ neceſ- 1

necessitatis, & articuli mortis absoluere ab omnibus reseruatis. Ita definitur in *Trident. Sessio. 14. cap. 7.* vbi dicitur: *Nulla est reseruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Et cum hæc potestas detur ob necessitatē morientis, solùm possunt simplices Sacerdotes absoluere à reseruatis, quando nemo adest, qui potestate ordinaria, vel alias delegata possit absoluere ab eis: quia si adsit, non indiget ægrotus absolutione simplicis Sacerdotis.

2 In qua quæstione notandum est, Episcopos habere potestatem absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ in aliquibus casibus, vt quando mulieres sunt senes, & viri valetudinarij, &c. qui non possunt Pontificem adire. B Vnde *in cap. mulieres 6. cap. ea noscitur 13. & cap. quamuis 58. de sententia excommunicationis*, datur Episcopis potestas absoluendi varias personas impeditas, ne adire possint Romam, cum incidunt in excommunicationē *cap. si quis suadente diabolo*. Dubitatur vero, circa priuilegium concessum Episcopis *in Trident. Sessione 24. cap. 6. de reformatione.* Concedens facultatē absoluendi suos subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis per se, vel per vicarium ad id deputatum, præterquam ab hæresi, a qua solùm per se possint absoluere, vtrùm huic priuilegio deroget Bulla Cœnæ Domini, quidam affirmant: alij negant, sed *Congregatio Cardinal. quam refert Conine. tomo de Sacramentis disp. 8. dub. 12.* ait ei derogatum esse quoad absolutionem ab hæresi, vnde C videtur concedi potestas quoad alios casus.

3 Deinde notandum est, iure communi non esse datam Sacerdotibus inferioribus potestatem absoluendi à casibus Episcopis reseruatis: nisi ipsi Episcopi dispensent eam, in quo consuetudini, & voluntati Episcopi standum est.

4 In his autē casibus omnibus certū est, quod si quis absoluitur à reseruatis, & postea liberatur à periculo, tenetur adire superiorem, ad quem pertinebat absolutio directè reseruatorum, vt præcipitur sub excommunicatione *in capit. eos qui de sententia excommunicationis in 6.* Et ab eis exigitur iuramētum, quod si illi forte cōualescant, præsentabūt se superiori *ca. ea noscitur. de sententia excommunicationis*, & nō tenētur comparere ratione culpæ confitendæ, D quia hæc iam antea erat legitime confessa, sed vt pro excommunicatione illis casibus annexa imponatur à superiore debita satisfactio. Quare si peccatum reseruatum non habuisset censuram, hoc non esset faciendum. Et licet in dicto capite. noscitur. solùm videatur fieri mētionem absolutionis datę à reseruatis tēpore mortis, vt ostendunt illa verba (si vero infirmitatis tēpore timore mortis beneficiū fuerit absolutionis indultū, iuramento præstito iniungatur A eisdem, vt postquā sanitati fuerint restituti, ad Romanā Ecclesiā, vel eius legatū accedant) at etiā est intelligendū de mulieribus senibus, & valetudinarijs viris, &c. caput hoc, quia si tempore vrgentioris necessitatis iuramentū præstandū est, multo magis tēporibus alijs, in quibus necessitas minus vrget. Per Bullam autem Cruciatæ conceditur facultas etiam extra articulum mortis absoluēdi à reseruatis: & hæc eadem facultas est concessa Mendicantibus, & aliquibus religiosis præter Mendicantes, & sine obligatione adeundi superiorē aliquo tēpore.

QVÆSTIO XXIIII.

Vtrùm habēs peccata reseruata, possit absolui de illis à Sacerdote nullo modo habēte iurisdictionem in illa, cū obligatione adeundi superiorem?

1 QVIDAM sentientes nullā inesse vim clauibus Ecclesiæ ad remittenda peccata, & alij qui tenent reseruationem solū fieri quantum ad pœnā non vero quoad culpam, dicūt quēlibet Sacerdotem in quolibet casu posse absoluere à reseruatis, cū obligatione adeundi superiorē. Verū hæc sententia falsa est, quia si peccata reseruata habeant annexā excōmunicationem reseruatam superiori, tunc nequit pœnitēs absolui ab inferiori, quia excōmunicatio impedit receptionē Sacramenti. Si autē peccatū non habeat excōmunicationē, cum Sacerdos debeat habēre iurisdictionē in personā, & in peccata, vt cōfessio sit valida, hinc fit pœnitentē in eo casu nō posse absolui ab aliquo peccato. Patet, quia non potest homo absolui ab vno peccato mortali, quin absoluatur ab omnibus, quia peccata mortalia expelluntur per gratiā, & hæc sicut pugnat cum vno mortali, ita & cum omnibus, sed de reseruatis nō potest homo absolui à cōfessario cōmuni, quia in illa non habet iurisdictionem, ergo neque ab alijs peccatis. Et probatur *ex Trident. Sessio. 14. cap. 7.* dicente, extra articulum mortis nihil posse Sacerdotes inferiores in casus reseruatos.

Illud vero quod aliqui dicunt, scilicet posse confessionē diuidi, & reseruata posse superiori explicari, & non reseruata inferiori, falsum est. Tum quia integritas cōfessionis est de iure diuino, tùm quia vt ait *Trid. Sessio. 14. cap. 5.* Sacerdos non potest ferre iudicium, nisi causa integre cognita, vnde pœnitēs debet omnia peccata eidem Sacerdoti confiteri. 2

Alij verò propius ad veritatē accedētes aperte existimarūt, etiā instāte præcepto cōfessionis, vel Eucharistię, ita vt si hoc præceptū non impleatur scādalū generetur, nō posse pœnitētē memorē suorū peccatorū reseruatorū, imò 3

in

in nullo alio casu, absolui à casibus reseruatis di-
rectè, vel indirectè ab eo Sacerdote, qui nec po-
testatem habet ordinariam, nec delegatam ab-
soluendi à casibus reseruatis. Ita sentiunt *Ri-
cardus in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. Adrianus q. 4.
de Confessione, & alij nobilissimi recentiores.* Hæc
sententia probatur primò ex *Trident. Sessio.* 14.
cap. 7. vbi expresse asserere videtur hanc do-
3 ctrinam his verbis: *Extra quem articulum (loqui-
tur autem de articula mortis) Sacerdotes cum nihil
possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus
persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos
iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Vbi in-
sinuat Concilium, tales Sacerdotes non esse le-
gitimos iudices pœnitentium incurrentium
in casus reseruatos, ac proinde non posse eos
absoluere. Vbi ponderandum est illud verbũ;
nihil possint, si enim nihil possunt, nequeunt
absoluere directè, neque indirectè. Secundò
probatur, quia non potest ab illis reseruatis ab-
solui pœnitens directè, quia in illa nullam ha-
bet iurisdictionem Sacerdos, vt supponimus,
neque potest in hoc casu, quo illa explicentur
in confessione, absolui ab illis indirectè, & ex
consequenti penes hoc, quod absoluitur à non
reseruatis, & hæc non possunt tolli sine alijs,
quia hac ratione, scilicet indirectè solùm tol-
luntur peccata oblita. Vnde in hoc casu à nul-
lo peccato, neque reseruato, neque non reser-
uato potest absolui propter rationem adductã
in præcedenti quæstione. Vnde pœnitens tũc
vel remittendus est ad superiorem, vel peten-
da est potestas ad eum absoluendum.

4 Quod si non sit locus ad eundi superiorem,
quia statim tenetur quis recipere Eucharistiã,
& non potest eam sine scandalo omittere, res-
pondent Doctores, quod tunc posset peccator
cum sola contritione recipere Eucharistiam si-
ne confessione. Ita tenent *Ricardus in 4. dist. 17.
artic. 2. quæst. 8. ad secundum, Durandus dist. 7.
quæstione* 15.

5 Secunda sententia omninò præcedenti cõ-
traria absolutè docet eum, qui non habet pote-
statem absoluendi à reseruatis, posse extra pe-
riculum mortis ab eis absoluere. Ita sentiunt
*D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 2. ad
quartum, Paludanus ibidem, quæst. 5. art. 1. circa
medium, Gabriel ibidem, quæst. 1. art. 3. dubia 2.
casu 1. cap. 19. §. 6. Syluester confessio 1. quæst. 19.*
Qui Autores omnes absolutè id asserunt, veri
simile tamen est eos requirere aliquam neces-
sitatem, vt huiusmodi absolutio impẽdatur, li-
cet id non explicent.

6 Tertia sententia defendit, vrgente aliqua
graui necessitate, posse huiusmodi pœnitentẽ
absolui à reseruatis in foro pœnitentiæ, dum
modo explicet in confessione aliqua peccata
non reseruata. Ita sentiunt *Enriquez in Summa
lib. 6. capit. 15. num. 1. & Suarez 4. tom. in 3. part.
disp. 31. sect. 3.*

A Quarta sententia apertè pronunciat, in ca- 7
sibus necessitatis supra propositis talem abso-
lutionem exhiberi posse, dum modo pœnitens
minime sit irretitus aliqua excommunicatione
reseruata superiori: quod si ea irretitur, illum
pœnitentem non posse absolui, quia confessa-
rius non potest absoluere ab ea excommunica-
tione, aut ea non ablata valide absoluere pœ-
nitentem à peccatis. Ita sentit *Sotus in 4. dist.
18. quæst. 2. art. 5. propositione 2. ad primum.*

Quinta sententia est *Conine. tomo de Sacra-* 8
mentis disp. 8. dubia 13. Asserentis prædictũ pœ-
nitentem posse absolui à casibus reseruatis in-
directè à communi confessario non habenti iu-
risdictionem circa reseruata, etiamsi sit excom-
municatus excõmunicatione reseruata, ad hoc
B tamen requiri maiorem necessitatem, quam si
non esset excommunicatus: eam tamen neces-
sitatem, quæ sufficit, vt possit pœnitens sanctũ
Eucharistiæ Sacramentum recipere sine abso-
lutione, sufficere, vt possit peccata reseruata
confiteri, etiamsi sit excommunicatus, quia mi-
norem indecentiam continet talis confessio,
quam talis communio. Hanc sententiam in ca-
su censuræ reseruatæ expresse sequitur *Suarez
loco citato num. 7.* & videtur probabilis.

Sit prima conclusio. Cum instat preceptum 9
confessionis, vel Eucharistiæ recipiendæ, ita
vt his præceptis non expletis merito causetur
scandalum, vel aliqua alia iudicio prudentum
grauis vrgeret necessitas, tunc potest pœnitẽs
absolui à casibus reseruatis ab eo confessario,
C qui alias non habeat iurisdictionem circa illa,
& non alias. Hanc conclusionem libenter am-
plector, quia video expressam esse sententiam
D. Thom. loco allegato pro secunda sententia, si re-
ctè inspiciatur, quam etiam conclusionẽ tenẽt
*Palud in 4. dist. 17. quæst. 5. Gerson alfabeto 33. lit-
tera E. & Alexander Alensis 4. part. quæst. 77.
membro 5. art. 2. ad vltimum.* Quæ conclusio in-
telligenda est de absolutione indirecta respe-
ctu casuum reseruatorum. Probatur primò cõ-
clusio, quia si quis bona fide confiteatur con-
fessario non habenti iurisdictionem in peccata
reseruata, & existimet se minime habere pec-
cata reseruata, & hoc inuincibiliter, atque ita
non confiteatur ea, sed solùm peccata non re-
seruata, sine dubio absoluitur indirectè à casi-
D bus reseruatis, vt vidimus clare in quæst. 22.
huius tractatus: ergo etiam absoluetur indire-
ctè vrgente necessitate, etiamsi peccati reser-
uati recordetur, & illud explicet in confessio-
ne, non enim est maior ratio vnius euentus quã
alterius. Nõ enim ea sola est absolutio indire-
cta, quæ conceditur à peccatis oblitis, sed etiã
illa, in qua non habet confessarius directam iu-
risdictionem. Secundò probatur, quia si pœni-
tens in dicto casu haberet aliquam causam le-
gitimam tacendi in confessione casum reser-
uatum, vt quia ex confessione eius timeret
mor-

mortem, posset istum casum subiicere in confessione, & posset legitime absolui à communi confessario indirectè, quia esset eadem ratio huius peccati, ac peccati obliti in confessione: ergo etiam si illud peccatum reseruatum pœnitens confiteatur communi confessario vrgēte prædicta graui necessitate, poterit ab eo absolui indirectè, quia tunc confessarius perfectius concipiet statum pœnitentis, & perfectius ei pœnitentiam imponet, cum onere tamen ea peccata iterum confitendi legitimo iudici. Tertiò Probatur, quia si pœnitens in his casibus per aliquot menses non obtineret legitimum confessarium, tamen teneretur quotidie celebrare, alias sequeretur scandalum, si non posset saltē indirectè absolui à communi cōfessario, posset per multos menses celebrare sine cōfessione media tantùm cōtritione. Hoc autem falsum est, tùm quia contritio difficile adquiritur, & iste si sæpius in his mensibus laberetur in peccata reseruata, exponeret se periculo multoties accedendi ad sanctam Eucharistiam in statu peccati mortalis. Tum quia cū iure diuino debeat præcedere confessio communionem, maius videtur inconueniens sine confessione præmissa communicare, quam cōmuni Sacerdoti peccata reseruata confiteri. Vltimo probatur, quia huiusmodi pœnitens circa peccata non reseruata, imò circa omnia legitime dispositus accedit, vt supponimus, & communis confessarius legitime potest à non reseruatis præcise absoluere: ergo non est credendum de Dei misericordia, non dedisse potestatem indirectam huic confessario in isto casu absoluendi à casibus reseruatis coniunctis cum non reseruatis: alias neque peccata non reseruata tollentur, cum peccata mortalia non reseruata non possint tolli sine reseruatis. Quādo vero solùm vrget præceptum confessionis, vel Eucharistiæ, & non timetur aliud damnum, nequit quis absolui à casibus reseruatis, etiam indirectè à communi confessario, quia tunc nō obligant ea præcepta, & quia materia hæc est periculosa, & minime extendenda vltra necessarios terminos.

10 Vt autem hæc doctrina vera sit, cum aliquibus limitationibus intelligenda est. Prima sit, vt prædictus pœnitens teneatur confiteri cōmuni confessario peccata reseruata simul cum non reseruatis, hoc enim requirit integritas confessionis, & rectum iudicium status pœnitentis, quod exigit in confessario *Trident. Sessione 14. cap. 5.* Secunda conditio sit, ne confessarius extra casum necessitatis huiusmodi pœnitentem absoluat, quia tunc non valebit absolutio, quia est contra Christi institutionē. Tertia conditio sit, vt ille Sacerdos indirectè absoluens, sit approbatus ab ordinario. Si enim tantùm esset simplex Sacerdos, non posset etiam indirectè absoluere à peccatis reseruatis, penes hoc quod possit absoluere à venialibus, quia hæc materia grauis est, & extendi nequit sine authoritate Doctorum, & vsu Ecclesiæ, & neque rationes adductæ pro prima conclusione omnes in isto casu vrgent, etiamsi huius cōtrarium reputent probabile *Coninr. loco citato, & Suarez 4. tomo tertia partis, disp. 31. sect. 13.* & licet nos supra contrarium duxerimus probabile, hoc reputamus probabilius. 11

Secunda conclusio. Prædictus pœnitens in præfatis casibus potest absolui à confessario communi, dummodo confiteatur aliqua peccata non reseruata. Ita sentiunt *Suarez 4. tomo 3. part. disp. 31. sectione 3. Enriquez in Summa lib. 6. cap. 15. num. 1.* Probatur, quia peccata reseruata tantùm auferri possunt à communi confessario non habente alias iurisdictionem indirectè. Sed non datur absolutio indirecta vnius peccati, nisi simul etiam detur absolutio directa alicuius peccati, vt contingit in absolutione eius peccati, quod propter aliquam iustam causam tacetur in confessione: ergo non potest pœnitens in nostro casu absolui à peccatis reseruatis, nisi simul etiam confiteatur peccata nō reseruata, & ab illis absoluatur. Ad quod sufficiet peccata tantū venialia confiteri, quādo alia peccata mortalia non reseruata minime fuerunt commissa, quia gratia virtute Sacramēti infusa delens peccata venialia directè, indirectè etiam tollit peccata mortalia reseruata.

Tertia conclusio. In prædicto casu tantùm poterit absolui pœnitens à peccatis reseruatis quando eis non est annexa excommunicatio aliqua reseruata superiori, si tamen pœnitens cognoscat, & recordetur huiusmodi excommunicationis. Ita sentit *Sot. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. propositione 2. ad primum.* Probatur, quia in eo casu confessarius non potest absoluere ab excommunicatione, ergo neque à peccatis, quia excommunicatio priuat receptione Sacramētorum. Quod si pœnitens explicans in confessione peccata reseruata, & non reseruata, contraxerat excommunicationem reseruatam, eius tamen nullo modo recordatur, valide, & rectè absoluitur ab omnibus peccatis. Hanc doctrinam sequuntur *Nauar. in Summa cap. 9. num. 4. & alij nobilissimi recentiores.* Cuius tota ratio est, quia absolutio à peccatis non requirit essentialiter præcedere absolutionem ab excommunicatione, neque credendum est de Ecclesiæ pietate huiusmodi hominem bona fide confitentem peccata, præsertim si per multos annos id contingeret, velle sua censura priuare fructu Sacramentorum. 12

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus Concilium Tridentinum esse intelligendum de absolutione directa, quæ impossibilis est communi confessario, non de indirecta, alias neque peccata reseruata obliuioni mandata auferrentur à prædicto 13

dicto confessario, quod neque Autores oppositæ sententiæ concedere possunt. Ad secundū respondetur, talem absolutionem casus reseruati esse indirectam, quia non fit ab habente alias iurisdictionem in illa, extra casum necessitatis. A

QVÆSTIO XXV.

An habens casus reseruatos, & non reseruatos, posit dimidiare confessionem propter graues occupationes superioris?

1 MVlti graues Doctores aperte pronunciant, hanc esse legitimam causam dimidiandi confessionem, posseque recte peccata reseruata explicari in vna confessione superiori, dum modo alia peccata non reseruata confessario inferiori explicentur. Ita sentiunt *Nauar. in cap. consideret de pœnitentia dist. 5. §. caatus. num. 12. D. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 6. & alij.* Quemadmodum enim ex alijs vrgentibus causis, vt cum mors timetur, vel infamia pœnitentis, licite dimidiatur confessio, ita vt ea peccata, ex quibus hæc damna non timentur, possint cōfiteri huic cōfessario, reseruando eā ex quorū explicatione huic cōfessario faciēda timētur grauia damna, alteri confessario, à quo nihil mali timetur, ita grauia negotia, quibus intentus est superior sufficientem ansam videntur tribuere, ad dimidiandam eodem modo confessionē. B C

2 Sit tamen conclusio. Hæc causa non est sufficiens ad dimidiandam confessionem. Ita sentiunt *Adrianus quæst. 5. de Confessione, Syluester confessio primo, quæst. 19. & alij Doctores.* Probatur hac vnica ratione, quia cum integritas confessionis sit de iure diuino, semper seruāda est, nisi aliqua rationabilis causa excuset, sed in isto casu non se offert aliqua rationabilis causa; ergo seruāda est integritas confessionis. Quod non se offerat rationabilis causa, patet, nam si grauibus, & vrgentibus negotijs sit intentus superior, ita vt non posit omnium peccatorum tam reseruatorum, quàm non reseruatorum confessionem audire, potest extra confessionem audire casus reseruatos, & ad id compellere pœnitentem, quando ad eius bonum spirituale necessarium esset superiorem notitiam habêre casus reseruati (ad hoc enim videtur se obligasse pœnitens, dum peccatum commisit) sed quia hoc raro potest esse necessarium, poterit superior, imò & communiter debebit remittere pœnitentem ad inferiorem confessarium, à quo absoluatur, & quia durum est, eum compellere ad explicanda peccata extra confessionem. D

3 Et hinc patet solutio argumēto in oppositū.

QVAESTIO XXVI.

Quid sentiendum sit de casibus reseruatis Episcopis, in qua alia appendices materia reseruationis explicantur.

1 EPiscopvs concedens facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non concedit absoluendi à censuris sibi reseruatis, sicut Papa concedit circa suos casus. Ita *Nauar. in enchiridio. capit. 27. §. de casibus reseruatis.* Ratio est, quia secundùm communem consuetudinem loquendi, quæ attendi debet *iuxta capit. ex litteris de sponsalibus*, per casus Episcopi intelliguntur tantùm peccata reseruata, quia multi dantur casus Episcopo reseruati, qui nō habent annexam censuram, at ferè omnes casus Papæ reseruati habent eam annexā.

Quando religiosi, vel alij habent à Papa facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ, exceptis reseruatis in Bulla Cœnæ, vt defendit *Candelabrum aureum cap. de absolutione à num. 36.* possunt à casibus Episcopis reseruatis absoluere, sine eorum licentia. Probatur primò, quia cum malus conceditur, minus quoque concessum esse videtur, sed minus est absoluere à reseruatis Episcopo quàm Papæ, ergo. Secundò probatur, quia Papa habet iurisdictionem spiritualem quoad omnia spiritualia in omnes Christianos, *ex capitibus cuncta per mundum, capi. per principalem 9. quæst. 3.* quare & potest eam facultatem quam habet ad omnia peccata alteri delegare.

2 Teste *Nauar. in Enchirid. cap. 27. §. de casibus reseruatis*, Parrochus habens potestatem à suo Episcopo absoluendi à casibus ei reseruatis, potest pœnitentem alterius Episcopatus, habentem licentiam generalem confitendi cuilibet confessario, absoluere à casibus reseruatis Episcopo alterius Diœcesis ex præsumpta, & tacita quadam licentia illius Episcopi, quam licentiam colligimus ex consuetudine. Secūdùm quam, vt notauit Nauar. legitimus confessarius nunquam remittit in eo casu pœnitētem ad suum Episcopum, vt ab eo posit absolui, sed potius ipse eum absoluit. Quæ consuetudo orta est ex desiderio boni spiritualis animarū; vt illæ, dum in peccata reseruata Episcopis labuntur facilem, vbique medicinam inueniāt.

3 Episcopus concedens alicui omnem suam facultatem absoluendi à peccatis, non concedit illam ad casus sibi reseruatos *iuxta regulam iuris 81. in 6. in generali concessione, &c.*

4 Iuxta *Sot in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. columna 10. & 11.* quamuis legitimus confessarius possit peregrinos absoluere à peccatis, vbicūque

com-

commissis, tamen quia subdũtur legibus Diœcesis, in qua sunt, cum habent casus ibidem reseruatos Episcopo, non possunt absque eius licentia absolui. Ratio huius ea potest esse, quia tunc facilis est ad Episcopum loci aditus, vnde non præsumitur ratihabitio eius. Cum *Soto sentit Enriquez in Summa, lib. 6. capit. 14. §. 8. & addit Enriquez ibidem.* Quod si casus reseruatus in Diœcesi peregrini, non sit reseruatus in alia in qua vult confiteri, ipse potest absolui à parrocho loci, vbi tunc est, propter ratihabitionem proprij Episcopi, cuius testis est consuetudo in eo fundata, quod conueniens est, vt proprius Episcopus subdito, cui ob distantiam subuenire non potest, velit per alios subuenire.

5 Tandem addit Enriquez ibidem, hanc esse differentiam inter peregrinum breui tempore alicubi commorantem (cuiusmodi est ille qui minore parte anni alicubi habitat) & peregrinum commorantem in alieno Episcopatu pro maiore parte anni, vt solent commorari Scholastici in Academijs. Quod peregrinus primi generis non potest absolui à casibus Papæ reseruatis ab Episcopo illius loci, in quo est quando illi casus tales sunt naturæ, quod Episcopus non possit ab eis absoluere, aliter quam nouo iure *Trident. Sessione 24. cap. 6.* peregrinus vero secundi generis absolui potest. Cuius ratio est, quia hæc potestas conceditur Episcopo à Tridentino, tantùm pro suis subditis in sua Diœcesi, primus autem peregrinus non potest dici subditus eius Episcopi, in cuius Diœcesi parum commoratur. Secundus autem peregrinus optime meretur nomen subditi, omnes autem prædictas doctrinas Enriq. veras reputo.

6 Dicimus præterea cum *Soto quæst. 4. citata,* religiosos ab Episcopo approbatos ad audiendas confessiones, non posse sine licentia Episcopi absoluere à casibus Episcopis reseruatis. Quod patet ex Clemẽtina religiosi, de priuilegijs, vbi excommunicantur religiosi, si tentauerint absoluere à casibus reseruatis Apostolicæ Sedi, vel locorum ordinarijs. Imò addunt *Sotus ibidem, & Suarez tomo 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2.* Non posse Episcopos plures casus reseruare religiosorum, quam parrochorum respectu, quia parès efficit parrochos, & religiosos Summus Pontifex in Clement. dudum. de sepulturis, cui legi non potest Episcopus derogare, quia est lex superioris. Nos tamen oppositum dicimus, posse nempe Episcopos plures casus reseruare sibi respectu religiosorum, quam parrochorum, quia in dicta Clementina dudum, tantùm dicitur, ne ampliorem potestatem absoluendi habeant religiosi, quam parrochi habent de iure communi. Quod ita explicat Glossa ibidem, verbo, concessa, quod non absoluat frater, quem non absoluit curatus, non tamen ibi limitatur potestas Episcoporum quoad reseruationem, neq; negatur posse eos reseruare casus aliquos sibi, ita vt ab eis non possint absoluere religiosi, & possint absoluere parrochi (quamuis hoc nunquam erit conueniens) imò nulla apparet ratio limitandi hanc facultatẽ Episcopis, cum sint pastores valde superiores, atque id possint in tota Diœcesi sua, quod potest Pontifex in tota Ecclesia, nisi specialiter sit prohibitum. Hoc autem de quo loquimur non est prohibitum alicubi, & ita sicut Pontifex prædictam reseruationẽ efficere potest, ita & Episcopus.

Si Episcopus (quod non est præsumendum de eius paternis visceribus) iniustè denegaret suo subdito facultatem alteri confitendi casus reseruatos, dum eam obnixe efflagitaret bonum spirituale subditi, non posset inferior Sacerdos absoluere directè illum subditum Episcopi à casibus illis reseruatis Episcopo (indirectè enim posset absoluere, sicut potest absoluere à casibus reseruatis Sũmo Pontifici iuxta doctrinam traditam quæstion. 24. huius tractatus.) Neque inferior Sacerdos habet licentiam interpretatiuam à Summo Pontifice ad istam absolutionem, quia Summus Pontifex non vult derogare iurisdictioni Episcoporum, licet ea male vterentur, ne ordo Monarchicus sine graui necessitate peruertatur, quod existimo verũ esse, etiamsi contradicat *Reginaldus* nullo nitens fundamento *tomo 1. lib. 8. cap. 6. num. 85.* 7

Circa secundum punctum quæstionis quædam oculate animaduertenda sunt. Primum sit, peccata reseruata semel legitime confessa superiori, posse postea cuilibet confessario explicari in confessione, quia tunc non manent reseruata talia peccata, & cum ea non teneatur pœnitens iterum confiteri. 8

Secundum sit, superiorem cui erat facta reseruatio, non solùm posse auferre reseruationem in confessione Sacramentali, sed etiam extra illam, quia huic nihil obstat præsertim cum ipse extra confessionem peccata reseruauit, inferior verò, cui ille potestatem delegauit circa casus reseruatos, cum potestas delegata est eo modo, quo residet in superiore potest reseruationem tollere extra confessionem Sacramentalem. Cum vero delegatur in ordine ad absoluendum à reseruatis, nequit talem reseruationem auferre nisi audita confessione peccatorum, quia non censetur alio modo cõcessa, ipse autem inferior nequit eam facultatem alteri delegare, nisi habeat ad id facultatem. Imò & Episcopus, & Pontifex possunt dare facultatem confessario ab ipsis electo, vt eos absoluat à casibus à se ipsis reseruatis. Ita sentiunt *Sanchez tomo tertio de Matrimonio, lib. octauo. disp. 31. Lessius lib. secundo de voto, capite 40. dubitatione 17.* Et probabile putat *Suarez lib.* 9

lib. sexto de voto capit. 11. Et sicut hæc doctrina A colligitur ex his Doctoribus, etiam colligitur *ex Diuo Thoma in 4. dist. 20. quæst. prima, artic. 9. quæstiuncula 4. & patet ex cap. vltimo de pœnitentijs & remissionibus.*

10 Tertio animaduertendum est (licet in hac re variæ sint sententiæ) quas late refert *Conine. tomo de Sacramentis, disp. 8. dubio 15.* Probabile satis esse, posse superiorem concedere facultatem subdito suo, vt possit absolui ab alio à casibus reseruatis cum onere ea postea sibi confitendi. Probatur, quia in sua re quilibet est moderator, & arbiter, ergo superior, qui posset eam facultatem denegare, potest eam concedere cum prædicto onere. Et confirmatur, quia quamuis iure diuino nemo teneatur nisi semel tantum peccata confiteri, at ex voto, vt B in sequenti quæst. videbimus, potest quis ad id obligari, quia libere, & ex sua voluntate obligatur, ergo similiter ex pacto, quod ex propria voluntate nascitur, vt in præsenti casu, in quo pœnitens non cogitur, sed ei datur optio vt vel superiori confiteatur semel, vel inferiori cum eo onere. Displicet tamen mihi vt omninò improbabilis resolutio *Conine. loco citato, numero* 123. Asserentis eum pœnitentem, qui cõfitetur confessario habenti iurisdictionem in casus reseruatos, & tantum habenti eam cum onere eadem peccata remittendi superiori, si in principio confessionis explicet aliquod peccatum reseruatum, & confessarius taceat, quasi significans se habere potestatem absolutam, & sine vllo onere, adquirere ius absolutum ad absolutionem, & non debere dictum onus acceptare. Hoc inquam falsum est, & nullo modo probatur à Conine. neque potest probari, quia bona fides pœnitentis, aut simulatio confessarij non tribuit confessario maiorem potestatem, quam antea habebat.

QVÆST. XXVII.

Vtrum possit quis obligari ad confitendã iterum peccata semel iam legitime explicata in confessione, & ablata?

1 IN qua quæstione certum est, posse nos confiteri iterum peccata semel confessa, & ablata per absolutionem, ita tenet piorum, & Catholicorum hominum consuetudo. Et probatur, quia nihil ad hoc videtur obstare, & alias magni fructus ex tali confessione sequuntur. Primo quod remittatur pœna temporalis, si qua supersit, deinde vt homo amplius iustificetur, & alia bona spiritualia assequatur, ergo cum hac conditione A videtur Deus instituisse hoc Sacramentum, vt possit supra idem peccatum sæpius absolutio impendi.

Si aliquid obstaret huic confessioni, maxime peccata esse iam absoluta à culpa, & 2 pœna aliquando, hoc tamen non obstat, quia eo non obstante ille, cui eo modo essent peccata remissa per contritionem, vel indirectè in alia confessione, quia oblita, tenetur ea confiteri, ergo etiam in nostro casu confessio valida est.

Circa quod notãdum est Primò. Quod licet 3 peccata, quæ sunt materia remota, sint eadem in diuersis absolutionibus, attamen materia proxima, quæ est confessio, debet esse diuer- B sa, sicut eadem aqua potest deseruire diuersis baptismis, debent tamen esse diuersæ ablutiones. Secundò notandum est, quod in foro exteriori supra idem delictum impertinentes essent plures sententiæ absolutionis definitiuæ, quia delictum omninò tollitur per primam; & secunda esset impertinens, quia nihil amplius potest facere, at secunda absolutio à peccatis non esset impertinens, quia effectus prædictos sortiri potest. Tertiò notandum est cum *Suarez tomo 4. tertiæ partis disp. 18. sectione 1.* Secundam formam absolutionis hunc habere sensum, Ego concedo tibi gratiam remissiuam peccati quantum est de se.

Circa id, quod inquiritur in hac quæstione quidam dicunt, posse hominem obligari ad 4 C confitenda peccata semel iam confessa, & dimissa, probant hoc *ex Extrauaganti quæ incipit, ad vberiores fructus quam refert Adrianus in quarta quæstione quinta de confessione, & ex Extrauaganti vices, de tregua, & pace,* vbi dicitur: *Quod illi, qui fratribus confessi sunt, teneantur proprijs Sacerdotibus semel in anno confiteri.* Et circa ordinem Cistercienstum fuit definitum, vt qui intra annum confitentur religiosis inferioribus ex consensu superiorum, teneantur eadem peccata Abbatibus confiteri, in quibus casibus videntur homines obligari ad confitẽdum iterum peccata iam antea confessa.

Sit tamen conclusio cum communi, & vera sententia. Homines non posse ad id obli- 5 D gari, nisi tacite, vel expresse tale onus acceptent. Probatur *ex Extrauaganti, inter cunctas, de priuilegijs, inter communes, vbi dicitur, absurdum esse, quod per pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad soluendum remaneat obligatus.* Probatur, quia hoc onus est intolerabile, ergo nequit imponi.

Vnde respondetur ad Extrauagantes ad- 6 ductas pro sententia contraria, ibi solum definiri, quod in paschate ratione Eucharistiæ recipiendæ debet fieri confessio proprijs

Sacerdotibus, etiamsi fuerit facta mendicantibus, quando scilicet post confessionem prædictam commissa sunt noua peccata mortalia, aliàs minime. Cuius oppositum, nempe non esse confitendum proprijs Sacerdotibus etiam in eo casu, asseruit *Ioannes Angeli tempore Sixti Quarti*. Qui quantum ad hoc damnatus est à Doctoribus Parisiensibus. Ad illud de Decreto Cistercienſium respondetur, illud decretum editum esse cum consensu religiosorum. Nam vt ait *Nauar. super caput. placuit. de pœnitentia dist. 6. num. 158.* Sicut qui emisit votum faciendi confessionem generalem, obligatur ad confitenda peccata mortalia iam confessa, sic & qui regulam profitetur præcipientem confessionis iterationem, ad confessionem iterandam obligatur ratione professionis, quam spōte facit, & ita ex suo consensu manet obligatus.

QVAEST. XXVIII.

Vtrùm confessio debeat secreto, & non publicè fieri?

1 QVIDAM dicunt necessarium esse cōfessionem esse secretam. Ita *Scotus, & Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. & Angelus verbo confessio, nu. 49.*

2 Cum communi sententia Scholasticorum sit prima conclusio. Non est de essentia confessionis, quod sit secreta. Ita *Diuus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. quæstiuncula 3. ad secundum, Sotus dist. 18. quæst. secunda, artic. 6. Adrianus in 4. quæst. 1. de Confessione, Castro lib. contra hæreses verbo confessio; & alij multi.* Probatur ex *Trident. Sessione 14. cap. 5.* dicente: *Et si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc diuino præcepto mandatum.* Ergo non est de essentia confessionis, quod sit secreta, alias publicitas vitaretur à Christo. Et probatur, quia publica confessio, & legitima accusatio confert Sacerdoti sufficientem notitiam peccatorum, ergo non est contra essentiam, solum enim esset quædam denigratio famæ pœnitentis, sed hæc potest fructu eo compensari, qui ex humilliatione propria, & confusione, & satisfactione, ac merito sequeretur.

Sit secunda conclusio. Ad confessionem se-
3 cretam non obligat præceptum diuinum, vt patet ex *Concil. Tridentin. loco citato*, neque præceptum humanum scriptum, quia de eo non constat, quamuis ex consuetudine obligemur ad confessionem secreto faciendam, nisi adsit rationabilis causa publicæ confessionis. Ita *Suarez quarto tomo tertiæ partis, disp. 21. sectione secunda in fine.*

Hinc aliqua colliguntur notatu digna. Pri- 4
mum est, posse hominem confiteri coram duobus confessarijs simul, ita quod quilibet diceret, Ego te absoluo, sed hoc inutile esset, & ita vitandum est.

Sequitur secundò, nullum confessionis 5
præceptum obligare ad confessionem per interpretem faciendam, non diuinum, vt patet *ex Concil. Trident. loco citato*, non Ecclesiasticū, quia de eo non constat. Si verò loquamur de confessione per interpretem, quando necessaria est, ad hoc vt homo iustificetur cum Deo, quando aliquis cognoscit se non esse contritum, neque habere tempus ad eliciendum actum contritionis, neque esse legitime confessum de mortalibus, tunc tenetur confiteri, non ratione præcepti confessionis, sed ratione præcepti, quod obligat ad procurandam iustificationem, præsertim tempore mortis. Et quod tunc non currat præceptum confessionis ratione sui, patet, quia si quis, postquā est iustificatus per confessionem in dictis casibus recordetur alicuius peccati mortalis, obliti, non tenetur illud confiteri, quia iam est iustificatus, si tamen præceptum confessionis ratione sui obligaret, reuera teneretur homo ad confitenda peccata oblita.

Sequitur tertiò, validam esse confessionem, 6
si quis Sacerdoti præsenti offerat scripturam, in qua sint scripta peccata, quia sic sufficienter cognoscitur status pœnitentis, & in hoc quidem, si fiat sine causa, peccatum committitur, si possint propria voce explicari peccata, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, sed tamen propter impedimentum gutturis, vel propter verecundiam virginis magnam, possunt exhiberi peccata scripta, quod confessoris prudentiæ relinquendum est. Nec valet, quod scriptura natura sua est instrumentū publicum, & potest arripi à Sacerdote de manu pœnitentis, & sic publicari peccata possunt: nam etiam potest Sacerdos ex malitia publicare peccata prolata sola voce, & licet scriptura natura sua sit instrumentum publicum, si tamen pœnitens habeat curam suæ scripturæ, & peccata ita scribat, vt non [illegible] cuius sint, non erit publica, neque periculosa, & prædicti periculi non est habenda ratio, quia rarissimum est.

Sed quæres, supposito quod nō sit de essentia confessionis, quod sit secreta, an possit hoc 7
Sacramentum celebrari inter absentes. Multi graues Doctores relati à *Suarez 4. to. tertiæ partis disp. 19. sectione 3.* Senserunt in casu necessitatis posse hoc Sacramentum inter absentes celebrari. Probatur primò *ex Cypriano epistola 13. alias lib. 1. epist. 17.* vbi significat se recepisse confessionem absentium per scripturam, ad quam

quam ne frustra esset, secuta videtur absolutio, A præterea refertur *S. Thom. Cantuariensem* Romam misisse pro absolutione, præterea in India, & terris hæreticorum aliqui hoc faciunt. *& capit. qualis 30. quæst. 5. dicitur confessionem quandam suscipiendam esse per scriptum.* Et probatur ratione. Primò, quia Christus hoc modo potuit hoc Sacramentum instituere, & conueniens fuit ita constitui, vt facilior esset via ad hoc Sacramentum ministrandũ. Secundò probatur, quia hac ratione sufficienter verificantur verba formæ, Ego te absoluo, si intentio dirigatur ad absentem. Hoc etiam solet probari exemplo matrimonij, quod fit inter absentes, sed dispar est ratio, quia matrimonium est quidam contractus, at Pœnitentiæ Sacramentũ est quoddam iudicium in foro conscientiæ, & B ita debet cognosci status conscientiæ.

8 Verior tamen sententia est, hoc Sacramentum non posse celebrari inter absentes. Ita *Caietan. in Summa verbo, confessio, condit. 11. Victoria in Summa, materia de confessione numero 171. Gregorius de Valentia 3. part. disp. 7. quæst. 11. puncto 1. Suarez 4. tomo disp. 19. sectione 3. & alij.* Et hæc sententia taliter est vera, quod opposita est damnata à *Clemente Octauo, his verbis ve mature, ac diligenter considerata, hãc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium confessario absenti Sacramentaliter peccata confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam dãnauit.* Vbi non solùm damnatur confessio facta absenti vt illicita, sed etiam vt inualida, ex C eo enim est illicita, quia est inualida, & hoc loquendo in casu etiam extremæ necessitatis. Probatur ratione. Primò ex vsu Ecclesiæ, secundum quem omnes confitentur in præsentia Sacerdotum. Secundò probatur, quia alias non posset verificari forma huius Sacramenti, Ego te absoluo, nam illud verbũ, te, voce prolatum dirigitur tantùm ad personam præsentem, sicut in cõsecratione panis illud verbum, hoc, refertur ad panem præsentem, vnde nequit consecrari panis absens.

9 Ex his respondetur ad argumenta oppositæ sententiæ. Ad illud Cypriani respondetur, ibi non esse sermonem de absolutione Sacramentali, sed de aliqua reconciliatione cum Ecclesia eorum, qui publicam agebant pœnitentiam. Ad Sanctũ Thomã Cantuariensem, respondetur, petijsse aliquam indulgentiam plenariam, vel absolutionem à censura, quæ ad maiorẽ cautelam poterat peti. Ad illud de his, qui in India, & terris hæreticorum confitentur absentibus respondetur, illud non esse nobis certum, quod si contingat, id fit à paucis, qui sequuntur Autoribus primæ sententiæ, & ignorant Decretum Clementis Octaui. Ad illud ex capite qualis respondetur, iuxta Glossam ibi verbo, per scripturam, quod ibi permittitur mulieri simplici, dum tamen præsens sit, in scripto peccata offerre. Ad primam rationem negamus modum confitendi absenti esse conuenientiorem propter rationes dictas. Ad secundam rationem respondetur verba huius formæ non posse inter absentes verificari.

QVAEST. XXIX.

Quis dolor requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

IN hac quæst. supponenda est veritas Catholica, scilicet, requiri aliquem dolorem ad recipiendum hoc Sacramentum. Probatur *ex Trid. Sessio. 14. capit. 3.* vbi inter partes huius Sacramenti numeratur dolor, *& capit. 4.* requiritur iste dolor vt dispositio ad gratiam huius Sacramenti obtinendam, & quidẽ quod iste dolor debeat esse cum proposito non peccãdi de cætero, & vniuersalis de omnibus peccatis, & supernaturalis, supra explicatum est in tractatu primo de Pœnitentia, vbi videri potest. 1

His suppositis quidam dixerunt, requiri ad hoc Sacramentum contritionem perfectam; sed hæc sententia falsa est. Et probatur, quia cum hoc Sacramentum sit Sacramentum mortuorum, institutum est ad viuificandas animas, ergo non male, aut insufficienter accedit, qui cum sola attritione mortuus in peccato accedit ad illud recipiendum. Et confirmatur, quia alias, si semper requiritur contritio, per quam homo iustificatur, & liberatur à peccatis, nunquam Sacramentum Pœnitentiæ confert, imò neque potest conferre primam gratiam, neque delere peccata, neque potest dici secunda tabula post naufragium, qui titulus à Patribus traditur pœnitentiæ, vt in principio huius materiæ tradidimus; quod tamen magnum est inconueniens. Quod hæc sequantur patet, quia hæc omnia semper præstaret cõtritio, & ita nihil præstare posset pœnitentiæ Sacramentum. 2

Alij vero dicunt, sufficere quod quis accedat ad hoc Sacramentum cum sola attritione, sed tamen virtute Sacramẽti semper in illo instanti, in quo recipitur gratia Sacramẽtalis, in anima contritionem causari, quæ est necessaria ad participandum fructum. Hæc tamen sententia falsa est, ex ea enim aliqua sequerentur absurda. Primũ est peccare mortaliter eũ, qui in instanti absolutionis, quãdo habiturus est cõtritionẽ necessariã ad recipiẽdũ fructũ Sacramẽti, voluntarie distraheretur, quia tunc se reddit inhabilem ad gratiam recipiendã. Secundũ sit, nõ peccare eũ, qui minime absolueret pœnitẽ- 3

tem iam confessum,& incidentem in amentiã, A quia si ille pœnitens habuit contritionem,iam fuit per cam iustificatus, si autem cõtritionem non est adeptus, minime potest absolui iuxta istam sententiam, hoc autem aperte pugnat contra *Cælestinum primum epist. 2. capit. secundo.* Vbi asserit, confessarium in eo casu esse reum animæ pœnitentis,& cõdemnationis eius causam,grauiter ergo confessarius in tali facto delinquit.

4 Tertia sententia defendit, attritionem, quæ iudicio pœnitentis iudicetur contritio, sufficientem dispositionem esse ad recipiẽdum Sacramentum Pœnitentiæ. Ita docent *Conar. in cap. alma mater, part. 1. §. 4. num. 13. Nauar. in cap. fratres num. 33. de pœnitentia dist. 5. & alij.* Affirmãtes dari confessionem validam, & informẽ. B Probatur primò, quia dolor debet respondere confessioni, sed confessio est de peccato, vt est offensa Dei: ergo dolor etiam debet respicere peccatum, quatenus est offensa Dei, qua ratione induit rationem cõtritionis. Et confirmatur, quia per peccatum auertitur homo à Deo, ergo per iustificationem debet conuerti ad Deum: at hæc conuersio debet necessariò contingere, vt sit vera conuersio ad Deum, mediante contritione, ergo talis contritio requiritur ad hoc Sacramentum, si iam non in rei veritate existens, ad minus aliqua dispositio reputata contritio.

5 Sit conclusio. Attritio vera, & quam pœnitens cognoscit non excedere limites attritionis, sufficit simul cum Sacramento Pœnitentiæ C in re suscepto, ad hoc vt homo iustificationis gratiam consequatur. Hanc conclusionem docent *Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. dubio secundo, articulo primo, Maior eadem dist. quæstione 9. Adrianus quæst. 5. de confessione, & alij.* Probatur hæc pars primo, *ex Concilio Tridentino Sessione 14. capit. 4.* vbi loquens Concilium de attritione, seu contritione imperfecta istam cõclusionem aperte insinuauit, ita vt mirer post Tridentinum aliquem oppositum defendere. Verba Concilij sunt hæc: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Vbi duo ponderanda sunt. Primum, Cõcilium nullam efficere mentionem in his ver- D bis, neque in eo capite contritionis perfectæ, veræ, aut existimatæ. Secundum, Concilium aperte loqui de dispositione proxima ad gratiam, non de remota, quia alias etiam attritio extra Sacramentum esset dispositio ad gratiam. Vnde discrimen annotatum à Concilio nullum esset, scilicet quod hæc attritio est dispositio ad gratiam in Sacramento, & non extra illud. Et confirmatur, quia hoc Sacramentum directè, & primariò institutum est ad viuificandos homines mediante vita gratiæ, quando in peccatis mortui sunt, non ergo male dispositus accedit, neque aliquam irreuerentiam irrogat huic Sacramento, qui mortuus in peccato cum sola attritione accedit ad hoc Sacramentum recipiendum, quare cum ea tantùm dispositione gratiam iustificantem virtute pœnitentiæ recipiet.

Argumentis tertiæ sententiæ respondetur. 6 Ad primum dicimus, neque confessionem, neque dolorem debere esse de peccatis, quatenus sunt offensa Dei, sed istos actus ob alia diuersa motiua posse contingere. Ad secundum respondetur, per peccatum auerti quidem hominem à Deo, non tamen ad iustificationem requiri conuersionem hominis ad Deum per actum contritionis, sed actum attritionis sufficientem esse cum sacramento.

Sed quæres, propter quem finem debeat 7 concipi dolor de peccatis, vt sit sufficiens dispositio ad Sacramenti gratiam recipiendam? Quidã existimant sufficere dolorem mere naturalem elicitum ex solis viribus liberi arbitrij. Ita defendunt *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. Nauarrus in Summa capit. 9. num. 10.* Alij vero iudicarunt, sufficere dolorem propter temporales pœnas conceptum, si tamen reputetur esse contritio. Respondetur tamen huic quæsito, primo, requiri ad hoc Sacramentum dolorem quendam supernaturalem, qui neque possit excitari à viribus naturæ, neque respiciat pœnas temporales infamiæ, & cæteras huiusmodi, in eis tantùm considerationis pede sistendo. Probatur hoc totum ex *Tridentino loco citato,* vbi pronunciatur attritionem esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti, qui modi loquendi non conueniunt, iuxta communẽ modum concipiendi, dolori naturali, neque Concilio satisfaceret dicens, satis esse dolorem hũc naturalem existimari contritionem. Nam sicut hoc Sacramentum est verè supernaturale, & eius effectus verè est supernaturalis, ita prærequiritur dispositio his omnibus rebus proportionata, quæ sit dolor verè supernaturalis. Secundò respondetur, hunc dolorem debere procedere, vel ex turpitudine peccati, vt bono aliquo supernaturali priuat, vel ex metu gehennæ, aut aliarum pœnarum etiam naturalium, vt sunt à Deo inflictæ, tanquam initium quoddam pœnæ æternæ, vel ex amissione gratiæ, vel gloriæ, quod totum magnum habet fundamentum in citato capite Concilij Tridentini.

.f.

Quæst.

QVÆSTIO XXX.

Vtrùm ex defectu doloris possit esse hoc Sacramentum informe?

1 IN hac quæstione, vt non in æquiuoco laboremus, animaduertendum est. Primò Sacramentum aliud esse validum, aliud inualidum, & aliud formatum, aliud vero informe. Validũ est quod habet omnia essentialiter requisita ad sui constitutionem, inualidum vero est illud, cui aliquid deest ex essentialiter requisitis. Formatum est Sacramentum cum causat gratiam in anima iustificantem; quia hæc est vera forma omnium virtutum, & omnium nostrorum operum; informe vero est illud quod non causat gratiam, sed remanet prorsus inane.

2 Secundò animaduertendum est, dolorem in hoc Sacramento esse partem essentialem; vnde necessariò prærequiritur ante absolutionem, alias absolutio incidet in vacuum. Probatur, quia ante absolutionem necessariò requiritur confessio peccatorum, supra quam cadat, sed hæc confessio non debet esse simplex enarratio, sicut enarratio historiæ, sed vera accusatio cum dolore, ergo prærequiritur dolor ante absolutionem. Iste tamen dolor potest esse post confessionem, & ante absolutionem, quia per illum tunc informatur confessio antecedens, & fit vera accusatio. Et etiam iste dolor debet esse in ordine ad confessionem faciendam, alias non erit pars Sacramenti, *Capreolus in quarto dist. 17. quæst. 1. articulo 3. ad quartum, contra secundam conclusionem, Nauarrus, & Couarruuias locis in præcedente quæstione citatis, & Suarez tomo 4. 3. partis disp. 20. sessione 5.* Sentiunt posse reperiri Sacramentũ Pœnitentiæ validum, & informe. Probatur primò, quia alias cum non constaret nobis de vero dolore, deberemus esse soliciti de confessione iteranda. Secundò probatur, quia alia Sacramenta dantur valida, & informia, ergo & hoc. Tertiò probatur, quia sufficiens materia confessionis adhibetur, quando homo quo vis modo explicat peccata in confessione. Hæc sententia varijs modis defenditur, circa quos consulendi sunt *Suarez loco citato, & Reginald. lib. 6. cap. vlt. num. 168. tom. 1.*

3 His suppositis verior sententia est illa, quæ asserit, nunquam hoc Sacramentum esse validum, & informe, sed semper esse formatum quando est validum. Ita *Gabriel, Maior, & Adrianus locis citatis in præcedenti quæstione, & Vazquez tertiæ partis, quæstione 93. artic. 3. D. Thom.* Probatur vnica ratione desumpta ex *Concil. Trident.* quia idem dolor, qui est pars huius Sacramenti essentialis, est sufficiens dispositio ad gratiam recipiendam, ergo eo ipso quod validum est hoc Sacramentum, etiam est formatum per gratiam. Antecedens probatur ex *Concil. Trident. Sessione 14. nam postquam capite tertio*, dixit contritionem esse partem huius Sacramẽti, postea cap. 4. distinguit contritionem in contritionẽ perfectã, & imperfectã, & vtranque dicit esse sufficientem ad gratiam obtinendam, ergo si Sacramentum est validũ, quia habet aliquam ex his contritionibus, debet esse formatum, & causare gratiam.

4 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum sufficere probabilitatem moralem doloris, quam facile possumus habere, ne simus soliciti. Imò si existimemus, tunc adesse verum dolorem, & non adsit, illa peccata tunc non tolluntur, sed postea tolluntur consequenter cum alijs, cum quis habet contritionem, vel confitetur alia peccata. Ad secundum respondetur, esse diuersam rationem de alijs Sacramentis, & de hoc, nam in hoc, idem dolor est pars essentialis, & dispositio ad gratiam. Vnde non potest esse validum, & informe, in alijs vero Sacramentis dolor non est pars essentialis, vt patet, sed tantùm dispositio, vnde possunt esse valida, & informia. Ad tertium respondetur, nõ sufficere hominem quo vis modo confiteri, nisi habeat ad minus attritionem.

5 Contra hæc tamen obijciet aliquis. Ad cõsequendam gratiam sufficit confessio formaliter integra, scilicet de omnibus his peccatis, quorum habet conscientiam, vnde si quis obliuiscatur aliquorum peccatorũ, aut inuincibiliter ignoret esse ea confitenda, & non confiteatur & erit validum Sacramentum, & gratiam cõsequetur, ergo sufficiet dolor etiam formaliter integer, scilicet de his omnibus peccatis, circa quæ quis existimat esse necessariũ dolorem. & non de illis mortalibus, circa quæ inuincibiliter ignoraret habere sufficientem dolorem, & hoc inquam sufficit, tam ad valorem Sacramẽti, quam ad gratiam obtinendã. Sed ad hoc respondetur in primis talem dolorem non sufficere ad valorem huius Sacramenti, nisi sit de omnibus peccatis commissis verè, & realiter, quia vt vidimus ex Trident. dolor requisitus ad valorem huius Sacramenti sufficit ad gratiam consequendam, sed ad gratiam consequẽdam non sufficit prædictus dolor, ergo neque ad valorem Sacramenti. Vnde consequenter patet rationem huius differentiæ eam posse assignari, quia confessio solùm est pars huius Sacramenti, at dolor non solùm est pars, sed etiam est dispositio. Et confessio solùm requiritur ex institutione diuina ad causandam gratiam, dolor vero requiritur, & ex institutione diuina, & ex natura rei.

6 Obijcies secundo *D. Thom. in 4. dist. 17. quæ*

stione 3. artic. 4. quæstiuncula prima. Vbi asserit dari Sacramentum validum Pœnitentiæ, & non iterandum, & informe, ac sine effectu gratiæ. Sed respondetur fortasse D. Thom. loquutum fuisse ex opinione vulgi, sicut solet in his libris Sententiarum, vbi rem non ita mature examinabat, quod si in Summa ad hoc punctum peruenisset, fortasse emendasset sententiam, vt in alijs rebus fecit. Ita respondet ad aliud punctum *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 3. articulo 3.*

7 Ex his sequitur, in nostra sententia non esse disputandum, an hoc Sacramentum recedente fictione operetur gratiam, quia diximus, nunquam dari fictum, seu informe, quod late disputant Sotus, & Suarez locis citatis, & nos resoluimus in materia baptismi. Neque est disputandum, an satisfaciat præcepto annuæ confessionis, qui sine vera attritione confitetur, quia cum Sacramentum tunc nullum sit, debet iterum confiteri, alias non liberatur à censuris positis contra non confitentes.

8 Quæres in fine huius quæstionis, an etiam requiratur vera attritio in confessione venialium? Et respondetur, quod cum solùm explicantur venialia, requiritur verus dolor, & supernaturalis, qui ad minus sit attritio, iste enim, vt vidimus, est pars essentialis huius Sacramenti, & respectu venialium cum eo confessio est valida, & etiam est formata, sicut & respectu mortalium diximus. Hæc tamen erit differentia, quod cum venialia non sint materia necessaria confessionis, non debet esse dolor de omnibus peccatis venialibus commissis. Imò non committitur mortale, quamuis dolor solùm habeatur de aliquibus venialibus confessis, & non de omnibus, quia non videtur in re leui fieri notabilem iniuriam Sacramento, dummodo id non fiat ex contemptu. Cuius ista ratio est, quia non sunt materia necessaria, neque ponunt obicem, seu impedimentum gratiæ venialia. Circa hoc videatur *Suarez loco citato sectione 8*. At respectu mortalium dolor debet omnia comprehendere.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum propter defectum integritatis hoc Sacramentum possit esse informe?

1 VT patet ex *Concil. Trident. Sessione 14. cap. 5.* illa confessio est substantialiter, & formaliter integra, in qua omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet peccatores, in confessione recenseantur. Vnde si aliqua peccata taceantur, vel propter obliuionem, vel propter ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem illa erit confessio integra formaliter, & sufficiens ad efficiendum Sacramentum, & ad causandam gratiam. Quærimus ergò an, cum quis ex ignorantia vincibili, & culpabili omittat aliquod peccatum mortale in confessione, possit esse validum Sacramentum, & informe.

Quidam dicunt hoc posse contingere. Ita *Sotus in quarto distin. 18. quæstione tertia, articulo 3. conclusione. 3. Cano relectione de Pœnitentia part. 5. Victoria in Summa numero 146.* Probant, quia illa confessio ex parte intentionis pœnitentis est integra, & cum aliquali diligentia, ergo tunc est valida, licet non causet gratiam. 2

Sit conclusio. Eo ipso quod aliquod peccatum vel scienter, vel ex ignorantia culpabili omittitur, & Sacramentum est informe, quia cum peccato mortali recipitur, & est etiam nullum. Hanc conclusionem tuentur *Caietanus in Summa verbo, confessio, conditione 10. Petrus de Soto lectione 10. de Pœnitentia, Nauar. in Summa capite nono, numero 16. Suarez 4. tomo in tertiã partẽ disp. 23. sectione 4.* Probatur primò *ex Concilio Tridentino loco citato*, vbi id aperte indicatur. Secundò probatur, quia materia essentialis huius Sacramenti est confessio integra ea integritate, quæ possit humana diligentia adquiri, alias iudicium confessarij de statu pœnitentis nequit esse ita perfectum, sicut requiritur ad hoc Sacramentum, sed eo ipso, quod aliquod peccatum culpabiliter omittitur, non est confessio integra modo possibili, ergo ex illa non resultat verum Sacramentum. 3

Ad argumentum in oppositum respondetur, non sufficere intentionem pœnitentis, qua intendat confessionem integram facere, si omittat aliquod peccatum in ea culpabiliter. 4

Quæres primò in hac quæst. an ex alio capite possit esse confessio nulla, & respondetur ex parte pœnitentis posse esse confessionem nullam, si non habeat intentionem recipiendi Sacramentum, aut sciat se esse excommunicatum. Tunc enim committit denuo peccatum in confessione, & ita irritatur Sacramẽtum. Nõ tamen est nullum, si quis principaliter confiteatur propter vanam gloriam, dummodo saltem minus principaliter ob veniam impetrandam confiteatur. Solùm enim hæc peruersio venialis est, & non irritat Sacramentum. Loquendo vero ex parte confessarij potest esse irritum Sacramentum ex defectu iurisdictionis, vel quia est excommunicatus, & denuntiatus nominatim, & publice, vel notorius Clerici percussor, vel etiam ex defectu intentionis, si non habeat intentionem efficiendi Sacramentum. 5

Quæres secũdo, iã quod ex multis capitibus esse 6

eſſe poteſt confeſsio nulla, ac proinde repetēda, an omnia peccata ſint neceſſariò confitēda, Et qnidē reſpōdetur quod cum cōfeſsio repetitur apud alterū Sacerdotē diſtinctū à priori, ſine dubio eſt repetenda ſigillatim, alias nōcognoſceret ille ſufficienter ſtatum pœnitentis, ſed tamen quando apud eūdem eſſet procurāda noua abſolutio, quia prior fuit inualida ex defectu, verbi gratia, doloris pœnitentis, tunc ſi ille recordatur ſtatus pœnitētis ſaltim in confuſo, vel pœnitentiæ iniunctæ, non debent repeti peccata. Probatur, quia ille iam audiuit ſingula peccata, & recordatur ſtatus pœnitentis in communi, & non eſt neceſſaria memoria ſingulorum in Sacerdote, ſicut neque hæc reperitur in Sacerdote in fine confeſsionis generalis valde longæ. Ita *Syluester verbo, confeſſio primo, quæſt. 3. verſiculo 1. Nauarr. in enchiridio. capit. 9. ſub finem.* Cum vero confeſsio prior fuit inualida ob defectum iuriſdictionis, repetenda ſunt peccata etiam eidem Sacerdoti. Sed ſi recordatur omnium, ſat eſt dicere, Accuſo me de illis peccatis, quæ ſcis. Nā prior non fuit confeſsio. Ita *Suarez 4. tomo diſp. 22. ſectio 6. & Conint. tomo de Sacramentis diſp. 7. dubio 11.*

7 Cum quis in pueritia omiſit confiteri peccatum aliquod, quia inuincibiliter ignorauit eſſe mortale, & poſtea cognouit, mortale eſſe, ſatis eſt, illud ſolùm confiteri, & non alia, quia ea fuerunt legitime confeſſa. Ita *Nauar. in Enchiridio. capite nono, numero 12. Syluester verbo confeſſio primo. quæſt. 3. Et addit Nauarr. libro quinto conſiliorum, titulo de Pœnitentia, & remiſſion. conſilio 3.* Ruſticum dicentem ſe non ſolere à parrocho interrogari ſpecies, vel numerum peccatorum, ſatis eſſe ſi eas ſpecies, & numerum iterum confiteatur, & non alia, bona fide confeſſa peccata.

8 Tertiò quæres, an confeſsio definerer eſſe integra, ſi quis non confiteretur dubia peccatorum mortalium? Et reſpondetur, non eſſe tunc integram, & ideò eſſe hæc dubia confitenda. Ita *Diuus Thomas in quarto diſt. 17. quæſtione tertia, articulo primo, Sotus in quarto diſt. 18. quæſtione ſecunda articulo quarto, Syluester confeſſio ſecundo, quæſtione ſecunda. Victoria in Summa numero 130. cum alijs.* Probatur: nam in dubijs tutior pars eligenda eſt, ſed tunc, ſi quis non confiteatur, exponit ſe periculò non confitendi mortale commiſſum, ſi autem illud dicat, nulli periculo ſe exponit, ergo debet illud confiteri. Tùm quia, vt ait Concilium Tridentinum loco citato, confitenda ſunt omnia mortalia, quæ ſunt in conſcientia, eo modo confitenda ſunt, quo ſunt in conſcientia certò, vel ſub dubio. Debet tamen quilibet cum peccato dubio adhibere certa aliqua peccata, vt ſine conditione abſoluatur, alias cum conditione abſoluendus eſt, ne forte ſi illud peccatum dubium re vera non fuit commiſſum, abſolutio inanis reddatur.

Quartò quæres, an confeſsio poſsit eſſe integra ad Sacramentum validum, & formatum faciendum, cum omittitur aliquod peccatum mortale? Reſpondetur poſſe quidem, cum prudenter tenetur vitare aliquod notabile damnum proprium pœnitentis, vel alterius, tertiæ perſonæ, & hoc in bonis rei familiaris vel honore, vel vita. Ita *Diuus Thomas in quarto diſt. 17. quæſtione tertia, articulo tertio, quæſtiuncula quarta ad quintum, Maior quæſtione quinta, Adrian. in quarto quæſtion. 1. & 4. de confeſsione, Sotus diſt. 18. quæſtione ſecunda articulo quinto ad tertium, & alij multi, Conine. tomo de Sacramentis diſput. quinta dubio 10.* 9 Ait non teneri aliquem ad confitendum cum notabili damno fortunarum, & dicit, hoc eſſe commune inter Doctores. Probatur ratione *Nauar. in Enchiridio. capit. 7.* quia confeſsionis integritas eſt de lege diuina poſitiua, & vitare illa damna, eſt de iure naturæ, cui Deus noluit derogari inſtitutione Sacramentorum, iuxta illud, Gratia perficit naturam. Et quidem, ſi vrgeat præceptum confitendi, reliqua peccata confitenda ſunt, & illud, ex quo tale periculum timetur, relinquendum, & tacendum eſt. Prima neceſsitas ſic confitendi vrget in articulo mortis, tunc enim maxime vrget neceſsitas confitendi, & confitendum eſt hoc modo ad expiandam animam cum in hoc nullum ſit peccatum. Sed vt *Reginaldus libro ſexto capite vltimo ait*, cum quis tunc haberet illud peccatum, ex quo alteri ſequeretur, vel ſibi aliquod damnum prædictorum, deberet illud confiteri, quia ſalus ſpiritualis proximi noſtræ corporali præponenda eſt in extrema neceſsitate: ergo etiam noſtra ſpiritualis præponenda eſt corporali proximi, & noſtræ. Secunda neceſsitas eſt, cum obligat præceptum annuæ confeſsionis, vel cum propter implendum præceptum ſumendi Euchariſtiam præmittenda eſt Sacramentalis confeſsio: tunc enim ſine aliqua iniuria alicuius Sacramenti, hæc præcepta recte poſſunt eo modo adimpleri, quin potius, & neceſſariò eo modo ſine dubio adimplenda ſunt. Tertia neceſsitas eſt, cùm ex omiſsione confeſsionis timetur ſcandalum aliorum, tunc enim confitenda ſunt prædicto modo reliqua peccata.

In his autem caſibus, cum peccata omittuntur in confeſsione, neceſſariò obſeruanda 10 eſt doctrina *Enriquez libro quinto capite nono, §. ſexto.* Aſſerentis, tunc confitendum eſſe genus peccati externi, ita vt pœnitens, dum peccatum commiſit inceſtus, quod confiteri timet propter aliquod notabile damnum, debeat dicere, ſe commiſiſſe

peccatum luxuriæ, imò & addere debet peccatum internum illius determinatæ speciei, scilicet se concupiuisse matrem in ordine ad copulam, quia confessio debet esse integra modo possibili. A

Tandem huic quæstioni annexum videtur,
31 annotare cum *Vazquez, tertio tomo in 3. part. disp. 208. capit. 2.* Sacerdotem ministrantem in altari Sacramentum Eucharistiæ, nullius ibi confessiones excipere debere, sed potius dare operam, vt si quis scrupulo vrgente velit ibi confiteri, aut discedere ab altari, in quo genuflexus expectabat Eucharistiam, potius maneat in eo loco, & recipiat Sacramentum Eucharistiæ non præmissa confessione, quia ex discessu, & ex confessione communiter sequetur scandalum. Imò consequenter asserendum B est, Sacerdotem, qui positus in altari ad celebrandum, alicuius peccati mortalis recordatur, non debere ab altari discedere, neque illuc vocare confessarium, aut ibi confiteri, etiã si eum habeat præsentem, siue talis recordatio contingat ante consecrationem, siue postea. Quod quidem communiter ita obseruãdũ est; quia vix potest huiusmodi Sacerdos aliàs fugere notam infamiæ.

QVAEST. XXXII.

Vtrùm per quamcunque confessionem satisfaciamus præcepto annuæ confessionis? C

1 QVIDAM dicunt, nos satisfacere huic præcepto per confessionem factam sine dolore, dummodo defectũ doloris satis confiteamur, etiam si non recipiamus absolutionem. Probant primò *ex capit. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus*, vbi dicitur loquendo de præcepto communionis: *Nisi forte de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum*, vbi videtur hominem excusari à præceptis communionis, & confessionis simul. Secundò probant *ex capite. quod quidam, eodem titulo*, vbi dicitur: *Quod confessio eius, qui dicit se non posse abstinere à peccato, debet recipi.* D Sed tunc non absoluitur, ergo satisfacit quis sola confessione sine absolutione.

2 Sit prima conclusio. Sola confessione non satisfacit præcepto confessionis pœnitens, nisi etiam recipiat absolutionem. Patet, quia hoc præceptum præcipit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sed hoc Sacramentum non solùm constat ex confessione, sed etiam ex absolutione, ergo non satisfit præcepto sola cõfessione.

Secunda conclusio. Nemo satisfacit præcepto confessionis, nisi recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, & gratiam per illud collatam. Patet, quia nemo satisfacit huic præcepto, nisi validum Sacramentum recipiat pœnitentiæ, sed si gratia non recipiatur, non est validum hoc Sacramentum, vt vidimus quæstione 30. ergo præceptum confessionis obligat ad recipiendum hoc Sacramentum, & gratiam eius. Et confirmatur, quia Ecclesia in hoc precepto tantùm modificauit ius diuinum, sed ius diuinum exigit confessionem Sacramentalem, qua homo verè iustificetur, ergo ius Ecclesiasticum præcipiens annuam confessionem Sacramentalem, eodem modo illam præcepit. Bene video hanc conclusionem à multis Doctoribus antiquioribus, & recentioribus aperte negari, propter eorum tamen authoritates non est deserenda veritas.

Restat respondere argumentis in opposi-
tum. Ad primum dicimus, ibi solùm insinuari, hominem excusari à communione, donec bene disponatur, & per aliquod tempus non vero in totum. Ad secundum respondetur, ibi tantùm indicari, debere in eo casu recipi confessionem, vt pœnitens recipiat à confessario documenta salutis, non vero vt excusetur ab impletione præcepti confessionis. 4

Hinc sequitur, pœnitentem confessum sine debito dolore, etiamsi recipiat absolutionem, non satisfacere præcepto annuæ confessionis, quia hoc præceptum partim est diuinũ, scilicet ex ea parte, qua obligat ad confitẽdum absolutè, & ita obligat ad habendum verum dolorem, qui est actus internus voluntatis. Tùm etiam, quia ea parte, qua Ecclesiasticum est, obligat ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ quolibet anno, quod sine dolore non subsistit. Imò neque etiam per talem confessionem sine dolore, etiamsi recipiatur absolutio, liberabitur quis à censuris positis contra eos, qui non confitentur quot annis, quia istæ censuræ, quamuis mere humanæ sint, possunt ad actum internum doloris obligare, quia talis dolor est necessarius ad verum actum externum confessionis, quem directè præcipit Ecclesia. Vt si Ecclesia alicui sub pœna excommunicationis præcipiat baptizare, si ille baptizaret, sed non haberet intentionem baptizandi, eam excommunicationem incurreret. 5

Quæst.

QVÆST. XXXIII.

Vtrùm quilibet Sacerdos valide possit absoluere à peccatis?

1 HÆc conclusio supponit contra *Vvicleph relatum ab Vvaldensi tomo 2. cap. 135. & Lutherum relatum à Roffense art.* 13. Id quod est de fide, scilicet, solùm Sacerdotem esse ministrum huius sacramenti, probatur, *ex Flor. in litteris vnionis, & ex Trid. sess. 14. cap. 6. & canone 9. & 10.* Et probatur, quia nemo potest absoluere à peccatis, nisi habeat à Deo potestatem, quæ supernaturalis est, & non conuenit omnibus necessario, sed Christus per illa verba, *Ioannis 20. Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Vbi dedit potestatem absoluendi à peccatis, vt patet ex traditione Ecclesiæ, solù dedit illā Apostolis, & eius successoribus, ac Sacerdotibus, quia rem ita grauem non conueniebat cuilibet de populo committere, ergo solum Sacerdotes, & non laici possunt absoluere à peccatis. Traditio enim Ecclesiæ est, vt hæc potestas non possit committi laicis, vnde Ecclesia nunquam hoc facit, quia Sacerdotes cum facile possint adesse cuilibet prouinciæ, noluit Christus dare potestatem Ecclesiæ, vt laicis committeretur facultas absoluendi. Vnde cum *Iacobi 5.* dicitur, *confitemini alterutrū peccata vestra*, Intelligitur eis, scilicet, qui ad id habeāt potestatē. Quod si *Cyprianus* dixit posse hominē in articulo mortis recōciliari à Diacono, hoc intelligitur de absolutione ab excommunicatione facta in foro exteriori, cum vero, *In cap. fures, de furtis dicitur, si fures comprehensi presbytero, aut diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Respondetur illud caput sic esse intelligendū, non quod diaconus possit sacramentaliter absoluere furem, sed quod possit audire illius confessionē, vt iudicet, an vere sit contritus, & dignus, cui communio detur, quam tunc absente Sacerdote Diaconi ministrabant.

2 Secunda conclusio. Sacerdos, etiam si prauus sit habet potestatem absoluēdi à peccatis, probatur *ex Trid. sess. 14. vbi dicitur canone. 10. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem non habere ligandi, & soluendi, anathema sit.* Et probatur ratione, quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate, sed in potestate Sacerdotis, sed hæc non amittitur per peccatum, ergo valet absolutio collata à Sacerdote prauo.

3 Sit tertia cōclusio. Per se loquendo, nō quilibet Sacerdos potest valide absoluere à peccatis mortalibus antea non confessis. Hæc conclusio colligitur, *ex Florent. post vltimam sessionem, vbi dicitur, ministrum huius sacramenti esse*

A *se Sacerdotem habētem potestatem ordinariam, vel delegatam, & sumitur etiam ex Trid. sess. 14. cap. 7. ibi, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Et ratio est, quia cum hoc sacramentum sit institutum per modum iudicii, requirit iurisdictionem in eo, qui illud administraturus est, sed non omnes Sacerdotes habent hanc iurisdictionem. Nō ordinariam, quia nō omnes sunt animarum pastores, quibus conuenit iurisdictio ordinaria, neque habent eam subdelegatam, scilicet, acceptam, aut commissam ab eis pastoribus, ergo non omnes possunt valide absoluere.

B

QVÆST. XXXIIII.

Vtrùm Sacerdotes in sua ordinatione aliquam potestatem accipiant remittendi, & detinendi peccata?

QVIDAM dicunt, Sacerdotes in sua ordinatione accipere quandam iurisdictionem actiuam, & incompletam, iurisdictionem vero cōpletam, & applicationem materiæ fieri ab Ecclesia postea, & non recipi in ipsa ordinatione. Ita Multi Doctores, *Anton. 3. part. tit. 17. ca. 4. Panorm. in Clementina 1. de priuilegijs num. 16. & Vazq. in 3. part. super. 94. quæst. art. 1.* Probatur primo: quia iurisdictio est potestas ius,

C seu sententiam dicendi, sed Sacerdotes in sua ordinatione, cū dicitur eis, Accipite Spiritū Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. accipiunt potestatem ligandi, & absoluendi, ergo iurisdictionem, quare etiam erunt iudices. Et confirmatur: quia alias, si iurisdictio daretur à Summo Pontifice, possent dicere Sacerdotes, se absoluere authoritate Summi Pontificis. Probatur secundo hæc sententia, quia si potestas iurisdictionis necessaria huic sacramento conferenda esset ab homine, nemo posset Summum Pontificem absoluere, quia neque ipse, neque alius homo potest conferre alicui iurisdictionem in Papam, quia hæc collatio à superiore debet dimanare, nemo vero est superior

D respectu Pōtificis. Tertio probatur, quia alias in articulo mortis non possent homines absolui à quolibet Sacerdote, quia ad id non habebit iurisdictionem, quod tamen omninō falsum est. Quarto probatur, *ex ca. placuit, de pœnitentia, d. 6. vbi sic inquit Vrbanus II. Placuit, vt deinceps nulli Sacerdotum liceat, quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui prius se commisit,* Ergo prius licitum fuit cuilibet pœnitenti, confiteri cuilibet Sacerdoti. Qua ratione ponderauit

hûc textũ, *Nauar. in cap. placuit, de pœnitentia.* Sed hæc sententia licet verũ sensum retineat, modus tamen loquendi durus est, & contra, *D. Thom. loco* infra citando, & contra graues Theologos, & non est conformis modo loquẽdi, *Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.* Quem postea expendemus.

2 Alij vero Doctores, *vt Palud. in 4. dist. 17. q. 3. ar. 3. casu 4. & Nauar. in cap. placuit. de pœnitẽtia dist. 6.* Et alibi sentiunt, in ordinatione recipi iurisdictionem habitualem, quæ de iure diuino erat sufficiens ad sacramentum efficiendum, iurisdictionem vero actualem ab Ecclesia communicari, quæ Ecclesia impedinir priorem iurisdictionem ad actum reduci. Inquit enim Nauar. antiquitus omnes Sacerdotes absoluisse à peccatis, donec *Vrbanus II. in ca. placuit de pœnitentia dist. 6. id prohibuit.* Sed hæc sententia falsa est, quia si ex iure diuino, & in ipsa ordinatione Sacerdotes accipiunt hãc potestatem sufficientem de se, vt absolutio valida esset, sequitur hoc non posse impediri per Ecclesiam, ita quod absolutio nõ valeat. Sicut si Ecclesia prohibeat, ne aliquis in pane fermẽtato consecret, valebit tamen consecratio si de facto Sacerdos consecret illum, quia ad talem consecrationem data est potestas iure diuino, & in ipsa ordinatione: ergo si eodem modo datur cuilibet Sacerdoti iure diuino ad absoluẽdum iurisdictio, valebit absolutio.

3 His suppositis sit nostra sententia, Sacerdotes in sua ordinatione accipere potestatem ordinis in ordine ad ministrandum hoc sacramentum, quæ consistit in eo, quod quis per caracterem deputetur, & assignetur ad hoc, vt ei concedatur potestas absoluendi, in ordinatione tamen non accipiunt potestatem iurisdictionis, quæ est ipsa facultas proxima ad ministrandũ hoc sacramentum. Et prima potestas non sufficit ad validam efficiendam absolutionem, sed requiritur secunda. *Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 39. art. 3. & in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 4. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. Cano relect. de pœnitentia part. 1. Conar. lib. 1. variarum cap. 10. num. 11. citans alios multos.* Probatur primo, ex *Trid.* Vbi inuenitur posse Sacerdotem carere omni iurisdictione, cum tamen non possit carere potestate ordinis, & habere subditos, idẽ esse, quod habere iurisdictionem, ita enim habetur, *Sess. 14. cap. 7. Quantum igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem,* Sed Sacerdos in sua ordinatione non recipit subditos, ergo non recipit aliquam iurisdictionem, quia non est alia iurisdictio nisi, ordinaria, vel delegata. Et confirmatur, quia cum illa iurisdictio esset annexa characteri, si daretur in ordinatione, esset quidem ordinaria, vnde omnes Sacerdotes haberent potestatem ordinariam, quod nullus concedere audebit.

4 Ad argumenta in oppositum restat satisfacere. Primo argumento respondemus, per illa verba. Accipite Spiritum Sanctum, &c. conferri solam potestatem ordinis, quæ est potestas remota in ordine ad remittenda peccata, non vero dari potestatem proximam, quæ est iurisdictio. Cum vero affirmatur iurisdictionem esse potestatem ius, seu sententiam ferendi, hoc intelligendum est de potestate proxima, non de remota. Et cum huiusmodi potestas recepta in ordinatione dicitur iudiciaria, ex eo est, quia nequit suum actum exercere, nisi per modum iudicij, non vero quia sine potestate iurisdictionis possit ferre iudicium. Et cum dicitur Sacerdotes in ordinatione constitui iudices, intelligitur esse iudices aptitudine, quia ex vi ordinationis sunt capaces iurisdictionis, non vero intelligitur esse iudices actu, quia ad hoc necessaria esset iurisdictio, qua ipsi carent.

5 Hanc autem iurisdictionem, & potestatem proximam absoluendi à peccatis Summus Põtifex, & Episcopi recipiunt à Christo, à quo Summus Pontificatus, & Episcopatus sunt instituti, & hanc iurisdictionem Summus Pontifex immediate recipit à Christo, Episcopi vero eam recipiunt à Christo mediãte Papa eos confirmante in Episcopos: cæteri vero Sacerdotes recipiunt suam iurisdictionem ab Ecclesia.

6 Ad confirmationem primi argumenti respondetur, non posse Sacerdotem pronunciare, se absoluere authoritate Summi Pontificis, sed authoritate Iesu Christi: quia licet iurisdictio illius per Pontificem conferatur, tanquam per medium, principaliter tamen manat à Christo. Ad secundum argumentum dicimus, negando Pontificem, non posse absolui ab aliquo Sacerdote, quia actus iurisdictionis, qui exercetur immediate nomine Dei, potest saltem remote Pontifex in se ipsum exercere, maxime quando iurisdictio est libera, sicut hæc, & non coactiua. Põtifex enim induit in hoc negotio diuersam personam: nam tanquam Vicarius Christi, eiusque personam immediate gerens, quia habet iurisdictionem in omnes Christi fideles, habet etiam illã quodã modo in se ipsum, quatenus est ouis, & persona particularis, atque ita dat facultatem confessario suo, vt se absoluat, tanquam hominẽ priuatum. Neque enim dici potest priuandum esse Pontificem sacramentorum necessario fructu, neque propterea affirmare debemus, Pontificem posse se ipsum absoluere: quia nõ est conueniens, vt vnus, & idem homo simul sit reus accusator, & iudex. Ad tertiũ patebit, quæst. sequenti. Ad quartum dicimus in illo capit.

capite solùm decerni, ne aliquis illorum, qui agunt solemnẽ pœnitentiam: de his enim agebatur, postquã committitur alicui Sacerdoti proprio, vt notat Glossa ibi, vt eam agat iuxtã eius iudicium, possit sine eius licentia alteri se committere, nisi in casu, in quo prior Sacerdos præcepisset ei aliquid intolerabile, tunc enim conceditur ei, vt alteri possit confiteri habenti tamen veram iurisdictionem, vel in casu ignorantiæ proprij Sacerdotis.

7 Ad Nauar. respondetur, negando vsque ad tempora Vrbani II. durasse talem consuetudinem, vt quilibet Sacerdos absoluerit, quia *Caput primum, 9. quæst. secũda, & caput primum, 13. quæst. 1.* Antiquiora sunt Vrbano, & in illis non habetur talis consuetudo, quinimo oppositum omninò continetur, scilicet vt vnusquisque suis subditis sit contentus. Præterea Vrbanus in eo capite placuit, non loquitur de omnibus presbyteris, sed solum de illis, qui in eũdem pœnitentem iurisdictionem habent, inter quos vult seruari ordinem, vt si supra eum vnus iudicium tulerit, alius non se intromittat.

8 Quidam hic disputant, an Episcopi habeãt iurisdictionem de iure diuino, vt *Conınc. tomo de Sacramentis disp. 8. dub. 3.* Sed tamen licet diuisio Episcopatuum, & designatio personæ in Episcopum sit de iure humano, at iurisdictio est de iure diuino, sed hæc quæstio alterius loci est.

QVAEST. XXXV.

Vtrùm quilibet Sacerdos in articulo mortis habeat iurisdictionem de iure diuino ad remittenda peccata?

1 SIT prima conclusio certa. In articulo mortis quilibet Sacerdos, potest absoluere à peccatis. Probatur primò ex *Concil. Trident. Seßione 14. cap. 7.* vbi dicitur: *Pie admodum ne in hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Et probatur ex multis decretis *26. quæst. 6. cap. de his, & sequentibus*, & talis iurisdictio solum est delegata pro illo articulo, vt constat ex verbis Concilij.

2 Sed quæres, an iurisdictio hæc sit de iure diuino. Quidam dicunt esse quidem. Ita *Durãd. in 4 dist. 19. quæst. 2. ad quartum, Armilla verbo absolutio, & alij.* Probant, quia si Christus non dedisset hanc facultatem pro illo articulo, nõ sufficienter prouidisset hominibus remedia salutis. Secundò, quia non constat, quando ab Ecclesia hæc fuerit potestas data, ergo secun- A dum regulam *August. lib. 4. de Baptismo, capite 24.* est de iure diuino.

3 Sed verius est, hanc potestatem esse datam ab Ecclesia. Ita *Diuus Thomas in 4. dist. 9 quæst. 1. art. 3. & alibi, Victoria in Summa num. 156. & alij relati à Couarru. in capit. alma mater, part. 1. §. 6. n. 8.* Probatur primò ex *Trid. Conc. loco citato*, vbi ad hoc propositũ ponderanda sunt illa verba: *Pie admodum, & in Ecclesia semper custoditũ fuit.* Si enim iurisdictio esset de iure diuino, alijs loqueretur verbis. Et probatur, quia in alijs casibus potestas iurisdictionis est concessa ab Ecclesia, ergo etiam in hoc. Ad primum argumentum in oppositum respondetur, quod cum Christus dederit Ecclesiæ facultatem cõcedendi hanc iurisdictionem, & illa concesserit B eam, non deficit prouidentia Christi. Ad secundum respõdetur, nullum esse inconueniẽs, quod non constet initium huius decreti Ecclesiastici, quia de multis alijs etiam non constat, hæc autem potestas est expressa discursu temporis in iure *in cap. ea noscitur, de sententia excommunicationis.*

4 Quæres secundò, an quilibet Sacerdos etiã hæreticus, & quovis modo excommunicatus possit in hoc articulo absoluere. Quæstio hæc ad materiã de censuris latius pertinet, sed breuiter respondetur posse quidem. Patet *ex Concil. loco citato*, vbi vniuersaliter dicit Concil. quemlibet Sacerdotem posse absoluere quemlibet pœnitentem, sed quilibet pœnitens etiã hæreticus, & excommunicatus in articulo illo C potest absolui: ergo quilibet Sacerdos etiam excommunicatus potest absoluere, nisi adsit periculum hæresis, vel confessio sit signum communicandi in errore. Vnde pœnitens in illo casu licite potest petere absolutionem, imò debet, etiamsi alius peccaturus sit, quando alter potest licite dare, & quia propter instantẽ necessitatem suam permittit peccatum alterius. In quo casu cuilibet simplici Sacerdoti datur hæc facultas in defectum aliorum, licet aliqui dicant oppositum, quare in eo casu prius homo debet absolui à Sacerdote habente iurisdictionem ordinariam. Secundò in defectũ eius ab eo, qui illam habet delegatam, Tertiò, in defectum eorum ab eo, qui non est excommunicatus. Quartò, in defectum eorum, ab ex D communicato non denuntiato, neque notorio percussore Clerici. Quintò, à denũtiato. Sextò, in defectum eorum ab hæretico. In defectũ autem tantùm prioris potest absoluere valide posterior, & non alias, vt docent recentiores, quia tunc tantùm est necessitas, cui vult Ecclesia subuenire, & non extra eos casus.

5 Quæres tertiò, vtrùm idem dicendum sit in periculo mortis. Articulus mortis est illud tẽpus præcisum, in quo animam agit quis. Periculum vero est quilibet morbus periculosus, sed respondetur, quod etiam in periculo mortis

tis quilibet Sacerdos potest absoluere. Probatur primo quia istud priuilegiũ est concessum pro eo tempore, quo quis tenetur, confiteri ratione morbi sed tam tenetur quis confiteri ratione morbi in periculo, quam in articulo mortis, ergo in periculo quilibet Sacerdos potest absoluere. Cõfirmatur quia aliàs Christus nnn sufficienter prouidisset remedium animarum, si solum pro articulo mortis illud prouidisset, quia tunc facile est, infirmum ita morbo impediri, vt non possit confiteri, & ita careret remedio vel confessarium non reperiri.

6 Quæres quarto vtrùm ad omnia venialia Sacerdos habeat iurisdictionem, *Palud. in 4. dist. 19. quæst. 2. num. 25. & ibi Capreolus ad 3. contra 2. conclusionem*, negant. Probant quia Ecclesia nequit reseruare hæc peccata, & quia nõ sunt materia necessaria, ergo iurisdictio ad hæc non datur ab Ecclesia. Sed cum *Medina quæst. de confessione non necessitate, sed volũtate facta, & Suarez disp. 26. sect. 5.* dicendum est est, hanc potestatem esse datam ab Ecclesia, & quidem quod possint etiam simplices Sacerdotes à venialibus absoluere, patet ex consuetudine Ecclesiæ. Et quod hæc iurisdictio communicetur ab Ecclesia probatur, quia Sacerdos nominatim denunciatus, & publice, & etiam degradatus non potest valide absoluere à venialibus solũ propter prohibitionẽ Ecclesiæ, ergo signũ est nõ habere iurisdictionẽ iure diuino eum, quia alias non posset ea omnino tolli. Vnde licet Ecclesia nõ posset secundum communem stylum hæc peccata reseruare, de potestate tamen absoluta posset ea reseruare, & efficere materiam necessariam, sicut præstitit in Monachis Benedictinis. Et eodem modo dicendum est, hanc iurisdictionem datam esse ab Ecclesia cuilibet simplici Sacerdoti, & delegatã vt docet inuiolabilis Ecclesiæ consuetudo.

QVÆST. XXXVI.

Quis dicatur proprius Sacerdos, & an liceat aliquando confiteri alieno.

1 ILLE dicitur proprius Sacerdos, qui habet iurisdictionem legandi, & soluendi à peccatis alligatam alicui officio, vel dignitati, quales sunt Summus Pontifex, Episcopi, parrochi, & vicarij parrochiarum, quãdo plenam habent iurisdictionem, & isti possunt delegare suam facultatem alteri. Probatur quia vt dicitur in capit. citato, cõfessio est facienda proprio Sacerdoti, vel de eius licentia, ergo ille est proprius Sacerdos, qui potest dare licentiam, at isti omnes possunt eam dare, ergo sunt proprij Sacerdotes: at religiosi, & alij non possunt eam licentiam committere, & ita nõ sunt A proprij Sacerdotes. Hi omnes possunt iurisdictionem ad audiendas confessiones delegare, qui eam habent ordinariam vt patet, ex *cap. cũ Episcopus de officio ordin. in 6.* Sub his autem cõprehenditur vicarius Episcopi, vt apparet in nostro tractatu de matrimonio, dum de impedimento clandestinitatis disputamus. Et legatus Summi Pontificis potest delegare, *Cap. cũ cantam 62. de appellat.* Et valet delegatio metu, vel dolo extorta. *Ita Lessius de iustitia cap. 17. dub. 5. & 6.* Quia voluntas coacta voluntas est. Illi, quibus delegatur certa iurisdictio, vt potestas audiẽdi cõfessiones, aut iudicandi de his, vel illis causis, non possunt eam subdelegare, quia eis solum conceditur iurisdictio ad certũ exercitium, à quo distinctum est, alteri delega- B re iurisdictionem, & Archiepiscopus potest absoluere à peccatis, dum visitat diœcesim Episcoporum suffraganeorum. *Teste Enriq. li. 11. de matrimon cap. 3. num. 6.* Si autem alicui cõmittitur vicario officium pastoris, poterit eam ex parte delegare. Patet, quia iste est quasi ordinarius, licet non sit ordinarius in totum, cum non sit proprietarius.

Iste tamen proprius Sacerdos habet iurisdictionem in foro interiori in subditum, etiam si in alio territorio delinquat, tum quia hæc iurisdictio est in ordine ad personas, & non loca. Tum quia cõfessio debet esse de omnibus peccatis. Vide de hoc, *Sylue. verbo cõfessio 1. q. 13. conclus. 6.* Licet alij oppositum sentiant, ducti, *Cap. vltimo de foro competenti, vbi dicitur in foro* C *externo fieri aliquem subditum ratione delicti alibi commissi.* Qui textus propter dictas rationes in foro interno nullam habet vim. 2

Illi, qui in duobus oppidis habent fixa domicilia, duos habent proprios Sacerdotes, & cui maluerint, poterunt confiteri, *Ita Nauar. cap. placuit, num. 77.* Dummodo æqualiter in vtraque parrochia habitent, non mathematice, sed moraliter in vna hyeme, in altera æstate, ita relato à *Sanchez infrà disp 24.* 3

De peregrinis vero, *Eugen IIII. viua voce*, Dixit, eos illum Sacerdotem habere propriũ, in cuius parrochia sunt, tempore præcepti cõfessionis, & idem dicendum videtur extra tale tempus, etiam si paruo tempore sint peregrini, *Ex eodem Decreto Eugenij relato à compendio* D *priuilegiorum mendicantium, verbo, absolutio 1.* 4

Vagi ad eam diœcesim pertinent, & parrochiam, in qua sunt tempore præcepti confessionis, quia non est, cur ad aliam pertineant: & si sunt in oppido plurium parrochiarum, eligant Sacerdotem, quem maluerint, & idem dicendum est de vagis, qui nullibi certam sedem habent, etiam si habeant animum collocandi domicilium certo loco, ad quem nondum peruenerunt. Vagi enim sunt quoad receptionem huius sacramenti illi, qui nondum statuerunt, in qua parrochia habitaturi sint, sed quærunt domum, 5

domum, & interim in aliqua parrochia commorantur, vt patet, *ex l. 1. §. hac autem verba ff. de his, qui eiecerunt, ibi, hospes plane non senebitur, quia ibi non habitat, sed paulisper hospitatur.* Et etiam quantum ad hoc est vagus, qui reliquit primam parrochiam, & in alia secunda inuenit locum habitationis, & dum domus reparatur, hospitatur in tertia parrochia, quia iste ad nullam pertinet parrochiam illarum, ita sentit, *Sanch. lib. 3. de matrimonio disp. 25. cum alijs.*

6 De Scholasticis, litigatoribus, & mercatoribus idem videtur dicendum, & idem tenet communiter consuetudo, nisi contrarium alicubi obseruetur. Ita sentiunt, *Nauar. loco citato num. 85. & Gloss. in Clement. 1. de priuil. & ca. omnis vtriusque sexus: de pænit. & remis.* Quæ citat in huius doctrinæ confirmationē, *Hostiens.*

7 Et quidem parrochus non habet aliū proprium Sacerdotem, nisi suum Episcopum, & Episcopi non habent alium, nisi Papam, & eūdem habent vt proprium suum Sacerdotem, ac Pastorem Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

8 Difficultas verò esse poterat, an Vicarius generalis Episcopi posſit ex proprio officio sine speciali licentia Episcopi audire confessiones suæ Diœcesis, & alijs licensiam præbere audiendi confessiones. Hanc tamen difficultatem nos late prosequimur in tractatu secundo de matrimonio quæst. 24. vbi agimus, an idem Vicarius posſit aſsistere matrimonio, & alijs licentiam præbere aſsistendi, in quo eadem est ratio, ac in nostro casu de confessione quare rationes ibi adductæ, huc applicandæ sunt. Respondetur tamen, recte prædicta officia in ordine ad confessionem præstare poſſe Vicarium juxta doctrinā, *Nauar. lib. 4. consiliorum tract. de sponsal.* Cuius doctrinæ tota ratio est, quia vt patet, *ex ca. Romana de appellationibus in 6.* Eadem est jurisdictio Vicarij & Episcopi, & idem tribunal, ergo ratione sui officij potest audire confessiones omnium subditorum illius Episcopatus, & alijs licentiam dare audiendi easdem, & eadem est ratio de Vicarijs eorum, qui babent iurisdictionem Episcopalem, teste *Nauar. loco sitato*, Et de Vicarijs ordinum militiarum, teste *Manuel Rodrig. 1. tomo summæ in 2. editione cap. 219.*

9 Difficultas vero non modica se offert, an cōfessarius, qui non habet verum titulum parrochi, vel confessarij, sed tantum putatiuum, & coloratum, aut qui propter aliquod crimē occultum ipso iure est priuatus titulo, vel facultate audiendi confessiones, & qui habet commiſsionem ad id datam ficto animo superioris, communiter tamen, & probabiliter existimatur verus confessarius, an valide posſit absoluere eos, qui bona fide accedunt ad confitendum ei sua peccata. Breuiter tamen huic difficultati respondemus cum communi senten-

A tia Doctorum, quam his temporibus eleganter prosequūtur, *Lesius to. de Iustitia, & iure li. 2. c. 29. dubitatione 8. & Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 22. num. 20.* Et quam ex antiquis præclare exornauit, *Caiet. in summa verbo, absolutionis impedimenta.* Validas esse absolutiones ab his Sacerdotibus collatas, dūmodo impedimētum earū non sit de iure diuino, aut de iure naturali, quia hoc nō potest Ecclesia supplere, vt cum non Sacerdos absolueret à peccatis. Sed tantum hæc doctrina vera est, cum impedimentum horum Sacerdotum absolutiones prohibens, esset constitutum à iure humano, vt excomunicatio, irregularitas, &c. quia tunc defectus causatus per tale impedimentum suppletur ab Ecclesia. Imo etiam hæc do-

B ctrinæ vera est, licet defectus sit notorius in alio loco, vel licet in eo, in quo quis moratur modo cum bona fide populi, & ignorantia cōmuni eius defectus, talis defectus antea fuerit notorius, siue tales Sacerdotes habeant iurisdictionem ordinariam, vel delegatam ad absoluendum à peccatis. Quam resolutionem communiter probant Doctores, *ex l. Barbarius Philippus ff. de officio prætoris, & ex c. infamis 3. q. 7.* Ecclesia enim propter bonum commune animarum tribuit iurisdictionem eis, qui alias ea prorsus erant destituti. Semper tamen requiritur, vt optime notauit, *Sanchez loco citato num. 49.* Titulus collatur à vero superiore, licet in se sit inualidus, propter defectus supra allegatos recipientium tales titulos, vi-

C de nostrum, secundum tractatum de matrimonio quæst. 22. vbi de hoc late.

Subditi vero indigentes proprio Sacerdote 10
vere illi dicuntur, quo ad sacramentum hoc pœnitentiæ, & quo ad reliqua sacramenta excepto ordine, qui, & si non habeant in aliqua parœcia fixū domiciliū, sed in alia in ea tamē habitant cum animo ibi permanendi maiori parte anni. Ita docent expresse *Lesius tomo de Iustitia lib. 2. cap. 40. dubitatione 18. & alij relati à Conin. tomo de Sacramentis disp. 8. dub. 3.* Et hi possunt confiteri vel in ea paræcia, in qua habitant, vel in alia, in qua habent domiciliū potest parrochus extra suam paræciam audire cōfessiones suorum subditorum, quod aduertare etiam oportet pro completa intelligentia hu-

D ius quæstionis, vt docuerunt nos *Syluester verbo, confessor 1. quæst. 14. & Suarez 4. tomo 3. part. disp. 25. num. 17.* Quia iurisdictio, quæ sine strepitu iudicij exercetur, qualis est hæc, quæ pertinet ad forum pœnitentialem, potest extra territorium executioni mandari, *Iuxta legem 2. ff. de officio proconsulis.*

Circa secundum punctum huius quæstio- 11
nis, in quo quæritur, an aliquando liceat confiteri alieno Sacerdoti, quædam notanda sunt. Primo notādum est, eum dici Sacerdotem alienum, qui nō est ex his proprijs Sacerdotibus,

quos

quos in hac quæst. enumerauimus, quique non habet ordinariam facultatem absoluendi à peccatis, sed tantum ex speciali licentia, & priuilegio potest audire confessiones.

Secundo notandum est, licentiam, seu iurisdictionem alicui delegatam audiendi confessiones non sufficienter conferri sola voluntate interiori. Sed præter eam requiri signa externa potentia manifestare delegato animum delegantis. Quod exinde aperte liquet, quia talis iurisdictio, cum communicetur homini, communicari debet modo hominibus proportionato, scilicet, medijs signis externis. Inter huiusmodi autē signa ratihabitio sufficiens signum iudicatur, sed quia triplex ratihabitio cōsiderari potest, alia de præterito, alia de præsente, alia vero de futuro, illam quæ est de præterito primo secundum communem sententiam Doctorum existimo sufficientem esse ad tribuendam iurisdictionem circa sacramentū pœnitentiæ, vt cum quis præterito tempore dixit, cum Episcopus esset, se ratas habere ex tunc absolutiones, quas Petrus impenderet suis subditis, vel cum sæpius elapsis diebus vidisset Petrum audientem confessiones suorū subditorum, & confessus illi, Petrum non habere ad id iurisdictionem, & cum id videns talis esset naturæ, quod si illud non approbaret, facile contradiceret, cùm ad id nullum haberet impedimentum, neque interius verecundiæ, neque exterius ratione alicuius vis ei illatæ, in his enim casibus sine dubio Episcopus tribuit iurisdictionem Petro ad futuras confessiones. Secundo ratihabitionem de præsenti iudico etiam tribuere iurisdictionem circa hoc sacramentum, quæ in eo consistit, vt legitimus superior, qui potest eā iurisdictionem tribuere, videat Petrum audientem confessiones, & alias non habere ad id potestatem, & cum possit contradicere, & soleat alias contradicere, modo taceat. Hanc secundam partem absolute sequuntur *Sylnest. verb. confessor 1. quæst. 6. in fine Caiet. in summa verbo, absolutio ex parte absoluentis versiculo, licentia*, & alij. Probatur primo hæc pars ex doctrina *Abbatis cap. nonne de præsumptionibus nu. 3. scientia, & patientia in his, quæ sunt modici præiudicij, operatur consensum*, Sed quod Petrus audiat confessiones subditorum Pauli, nō affert ei præiudicium, quin imo vtilitatem, ergo scientia, & patientia Pauli sufficientem tribuunt Petro iurisdictionem. Secundo probantur prima, & secunda pars nostræ resolutionis, quia non est credendum, superiorem in illis casibus velle peccare grauiter, consentiendo Sacerdotem inualide ministrare sacramentum pœnitentiæ, cum facile possit peccatum vitare contradicendo, credendum ergo est, eum tribuere iurisdictionē, vt vtriusque peccatum vitetur. Tertio existimo, ratihabitionem de futuro in eo consistētē vt Petrus, qui alias nōn est confessarius, audiat confessiones in hac Diœcesi, certus Episcopum, qui amicus eius est, eius absolutiones approbaturum, non satis esse ad tribuendam iurisdictionem de præsenti, ita vt ratione eius præsentes absolutiones validæ sint. Ita docuit *Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 319. & Enriquez lib. 11. de matrimonio ca. 3. n. 5.* Et alij. Patet quia vt præsens absolutio valida sit, requiritur iurisdictio de præsenti, sed ratihabitio de futuro non tribuit de præsenti iurisdictionem, ergo non sufficit, vt valeant absolutiones præsentes. Quod si dicitur, *In regula 10. iuris in 6. ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Hæc doctrina intelligitur de contractibus, qui pendent ex solo iure ciuili, non de sacramentis quæ nōn possunt habere effectum suspensum, & dependentem ex futuro euentu. Ita notarunt *Baldus in l. obseruare §. post hæc ff. de officio proconsulis num. 8. Felinus in ca. prudentiam, de officio delegati.*

Tertio notandum est, eam licentiam, seu delegationem ad audiendas confessiones concessam non extingui morte delegantis, neque suspensione eius, aut excommunicatione, sed durare tempore successoris, donec reuocetur. Ita sentiunt *Nauar. in cap. placuit, de pœnitentia d. 6. num. 161. Sanchez lib. 8. de matrimonio*, Et eadem est ratio in hoc gratiæ factæ à Papa, & ab alijs, quia fauores conuenit ampliari, & quia alias confessarij remoti à ciuitate, in qua moritur Episcopus, semper deberent esse soliciti de vita Episcopi, & in maximo versarentur periculo efficiendi confessiones inualidas, si forte ante eas collatas moreretur Episcopus. Ratio est quia hæc licentia non est regulanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, regula autem gratiarum est, vt non expirent morte concedentis, vt indulgentiæ, &c. Atque ita obseruat vsus ecclesiæ: imo non sufficit reuocatio secreto facta, nisi certo nuntio, vel alia simili via ei directe intimetur, etiamsi aliūdē cognoscatur. Ita Sanch. li. 3. de matr. disp. 26. 13

In hoc autem puncto. 1. dicendum, licere cuilibet generaliter eligere confessorem, quādo ignorantia proprij sacerdotis, de qua postrà dicemus, tanta est, vt reddat nullam confessionem. Ita statuitur *In canone placuit de pœnitentia dist. 6.* Ita plures iuris interpretes, cū *Panor. in cap. omnis vtriusque sexus, & Mag. in 4. d. 21. Ricar. d. 17. art. 3. q. 7. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 4. & alij, cum Nauar. in cap. placuit, nu. 150.* Licet oppositum defendat *Suarez*, *scilicet in eo. r. non concedi talem facultatem. 4. to. disp. 27. sec. 2.* Et tunc, vt notauit, *Glossa in dicto cap.* simplici verbo pœnitentis credendum est, dicenti suum proprium sacerdotem esse ignorantem, quia non est credendū tunc mentiri, vt patet, *ex ca. sancimus 1. q. 7.* in hoc autem casu pœnitēs prius debet adire sacerdotē idoneū 14

qui

qui habet licentiã audiẽdi cõfessiones, quod si iste non adsit, potest adire quemlibet Sacerdotem idoneum etiam non habentem talem licentiam *D. Antonin. 3. part. tit. 17. cap. 4. ait:* Quod quando proprius Sacerdos esset solicitator ad malum, vel reuelator confessionis, deberet adiri superior, quod si non potest, satis esse à parrocho petere licentiam, etiam nõ obtentam, vt possit alieno confiteri Sacerdoti, quod ego non admitto, quia in eo nimia licentia datur pœnitenti sine textu, & ratione vlla.

15 Secundò dico, Summum Pontificem habere de iure diuino priuilegium eligendi confessarium, quia iure humano non habet superiorẽ, à quo possit concedi. Tertiò omnes prælati, vt Episcopi, & Prælati Religionum, vt Priores, Prouinciales, Abbates, præter sui superioris licẽtiã, &c. Possunt eligere confessarium, vt habetur in capite vltimo de pœnitentijs, & remissionibus, non verò conuenit hoc Abbatissis, at Cardinalibus, qui neque sunt Episcopi, neque legati, conuenit siue ex priuilegio, vel consuetudine eligere confessarium, vt *Caieta. ait in Summa verbo. absolutio secundo.* Cui cum Cardinalis fuerit, maxime in hac re est credẽdum. Hoc tamen priuilegium conuenit parrochis, & omnibus Sacerdotibus ex consuetudine, quod quantum ad Sacerdotes notarunt *Nauar. in cap. placuit de pœnitentia dist. 6. & Caietan. in verbo absolutio à peccatis secundo, versu licẽtia:* Sed *Manuel Rodriguez in explicatione Bullæ*, dũ disputat, an religiosi ex vi Bullæ possint eligere confessarios dicit, hoc esse per Concilium Tridentinum ablatum, sed hæc facultas cõcessa cuilibet simplici Sacerdoti non est ablata per Tridentinum, vt docent *Corduba in Summa quæst. 10. Angles in 1. impressione num. 112. & Pater Salas, in quibusdam manu scriptis de Bulla Cruciata*, & ratio huius est, quia cum Sacerdotes frequenter celebrent, debent habere paratos confessarios, Concilium autem vt ibi Salas notat, solum id præstitit, vt cum antea simplices Sacerdotes possent eligere ex consuetudine simplices Sacerdotes, modo solum possint eligere approbatos ab Episcopis, & Regibus, & imperatoribus, ac multis principibus ex priuilegio Pontificum conuenit hoc, & cõuenit etiam omnibus habentibus Bullas Cruciatæ, aut alias sufficientes, & possunt sæpe eligere confessorem eundem, vel diuersos. Et quidem illis, qui ratione Bullarum, & aliorum priuilegiorum concessorum in gratiam eorum possunt eligere confessarium, conuenit ea electio præsente proprio Sacerdote, vel eo qui habeat iurisdictionem absque ex commissione, quia beneficia Principis latissime sunt interpretanda, vt habetur in iure. Illud verò priuilegium canonis placuit, solum prodest in defectum proprij Sacerdotis, vt patet ex textu.

16 Quæres tamen in hoc puncto, an illi qui habent prædicta priuilegia, possint eligere confessarium etiam nõ approbatum ab Episcopo? Quidam respõdent posse quidem, quia verba generalia videtur pro omnibus Sacerdotibus, vt possint eligi, sed dicimus ante tempora Cõcilij Trid. hoc non fuisse concessum, quia incredibile videtur, quod pœnitenti etiam ignoranti concedatur facultas eligendi quemlibet Sacerdotem in confessarium, cum ipse nesciat discernere inter doctum, & indoctũ. Ita *Glossa in capit. omnis vtriusque sexus, Cano relectione de pœnitentia parte quinta.* Quamuis alij dicant potuisse quidem, dum modo esset dignus, & idoneus. Post *Concil. tamen Trident.* multo minus hoc potest fieri, quia in eo statuitur *Sessio. 23. cap. 15. Quod non eligatur per priuilegium generale Sacerdos nisi approbatus per ordinarios.* Et quidem solus Papa potest concedere facultatem eligendi quemlibet Sacerdotem in confessarium, nõ verò parrochi, aut Episcopi possunt eam concedere, quia hoc esset contra legẽ superioris, hæc autem priuilegia ad hoc prosunt, vt dictæ personæ possint approbato alias non habenti iurisdictionẽ confiteri, quod magnum priuilegium est.

Ab hac regula generali eligendi ex vi dictorum priuilegiorum modo etiam post Tridentinum Sacerdotem approbatum ad audiendas confessiones, quidam excipiunt eum, qui ex vi canonis placuit, potest eligere cõfessorem, putantes eum posse eligere etiam non approbatum ab Episcopis. Sed huic sententiæ non acquiesco, sed existimo debere esse approbatũ: quia Concilium Tridentinum loco citato omnia priuilegia reuocat dum dicit, debere esse approbatum, ibi, priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus. 17

Non potest vllo modo quis consuetudine obtinere, vt confiteatur Sacerdoti simplici, nõ habenti iurisdictionem, hoc enim videtur esse contra ius diuinum, contra quod non præualere potest consuetudo, est autem de iure diuino iurisdictio, vt patet *ex Trident. Sessione 14. cap. 7. vbi dicitur sine ea absolutionem esse nullam.* Esset autem valida si solum de iure humano requireretur iurisdictio, quia consuetudo eam facile concederet. 18

QVÆST. XXXVII.

Quale priuilegium sit concessum mendicantibus in ordine ad audiendas confeßiones, & alijs cum eis communicantibus?

QVIDAM dicunt, vt *Enriq. quodlibeto 7. quæst. 26. & Ioannes De poliaco, vt refert Ioannes XXII. in Extrauaganti* 1

A ganti *vas electionis, de haereticis.* Mendicantes ex vi suorum priuilegiorum taliter posse absoluere à peccatis, vt pœnitentes eadem peccata tenerantur confiteri semel in anno suis parochis, probant. Primò, quia hæc priuilegia non derogant capiti, omnis vtriusque sexus, sed in eo cap. præcipitur, vt omnes confiteantur semel in anno proprio sacerdoti, vel alteri de licentia eius, vbi per proprium sacerdotem parochus videtur esse intelligendus: ergo hæc sententia vera est. Et confirmatur, quia *Martinus quintus, in quadam extrauaganti ad vberes,* quam refert *Enricus* supra, & non habetur in corpore iuris concedens hoc priuilegium mendicantibus audiendi omnium confessiones, ait fideles confessos mendicantibus teneri semel B in anno ad confitendum suis parochis, & idem sentire videtur *Sixtus quartus in extrauaganti viers, de tregua & pace.*

2 Sed contra istum errorem dicendum est, peccata confessa mendicantibus non esse iterum parochis confitenda. Ita tenent *Suarez 4. tom. 3. partis disp. 26. sect. 2. & Vaz. in 3. p. super q. 94. ar. 2.* Ita definitur *à Benedicto 11. in extrauaganti, inter cunctas, de priuilegijs.* Vbi hanc reddit rationem supra allatam. *Ne sequatur, inquit, absurdum, vt peccata semel remissa aliquis confiteri teneatur, & liberatus debitor iterum soluere cogatur.* Et probatur ratione. Primò quia hæc priuilegia concessa sunt absolute, & simpliciter, ergo non cum tanto onere, quantū esset iterum confiteri. Secundò quia hæc priuilegia concessa sunt in fauorem religionum, C sed nullus fauor esset in talibus priuilegijs, si cum tanto onere concederentur, quia nullus vellet eis cōfiteri, si iterum eadem peccata essent confitenda parochis, ergo illa non debet iterum aliquando confiteri.

3 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum per hæc priuilegia non derogari *Capiti omnis, vtriusque sexus, nam in dicto cap. dicitur confessionem esse faciendam proprio sacerdoti, vel alteri de eius licentia.* Vbi per propriū sacerdotem intelligitur Papa, Episcopus, & parochus, & confessio facta mendicantibus ex vi horum priuilegiorum fit de licentia Papæ, qui est proprius sacerdos. Ad alias extrauagantes respondetur, in illis solum obligari D fideles ad confitendum proprijs sacerdotibus semel in anno, non vt satisfaciant præcepto annuæ confessionis, quia propter hoc cuilibet mendicanti possunt confiteri, sed cum semel in anno tempore paschatis recepturi sunt Eucharistiam, & habent conscientiam mortalis alicuius, quod non fuerint confessi mendicantibus, vel alijs.

4 Multa & varia priuilegia sunt concessa mēdicantibus, & alijs cum ipsis communicantibus in priuilegijs, quæ possunt apud multos autores videri in hac materia, sed priuilegium A quod modo viget, & seruatur hoc est, quòd illi audiant confessiones etiam eas, quæ tempore paschatis fiunt pro Eucharistia recipienda, sine licentia parochorum, & Episcoporum, ab Episcopis tamen prius debent approbari. *Ita Vaz. loco citato.* Religiosus, cui à suo superiori facta est facultas eligendi confessarium, potest confiteri alterius Ordinis religioso, vel Sacerdoti sæculari etiam per nullum Episcopum approbato, tùm quia concilium requirens approbationem confessarij, non loquitur de confessionibus regularium, tùm quia iste accipit iurisdictionem extraordinariam, in eo casu à prælato illius subditi religiosi, qui vult confiteri.

Et religiosus habens priuilegium cum clau- 1
B sula, quod possit audire peccata quorumcumque, non potest audire confessiones aliorum religiosorum, sine licentia superioris eorum, quia hoc præiudicaret alteri religioni, cùm religiosi in vita sua instituenda debeant dirigi à suis prælatis, vel ab eorum commissarijs, non ab alienis. Vndè, vt refert *Candelabrum aureum cap. de absolutione Pius quintus.* Consultus, an religiosus ex mendicantibus possit pro arbitrio suo eligere sibi cōfessarium virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius concedentis potestatem eligendi confessarium, qui absoluat à casibus reseruatis, respondit nō posse. Quòd similiter responderunt Doctores Salmanticenses olim consulti, imò vt idem. *Autor notat loco citato n. 23. & 24.* Nouitij religionum posC sunt sicut professi absolui ab excommunicatione reseruata à prælatis illius Religionis, in quā tamen recidunt, si non perseuerent, etiam si iusta causa dimittantur, quia priuilegium tātum eis fauet, dùm sunt in religione, religiosus non potest sine licentia sui prælati absolui ab Episcopo loci, in quo est, nisi quando prælatus est nominatim excomunicatus, vel longe abest, vel mortuus est, tunc enim tacitam habet licentiam, ne contingat regularem vagari recurrendo ad Papam. *Ex cap. religioso de sententia excomunicationis in 6.*

QVÆST. XXXVIII.

D *Qualis scientia requiratur in insacerdote, vt eligatur in confessarium?*

CERTVM est requiri aliquam scientiā ad hoc munus exercendum, sicut & ad reliqua munera ex natura rei requiritur. Ita omnes Doctores in hac materia *Caietanus, in summa verbo, confessori necessaria, Syluester confessor. 3. Ant. 3. p. tit. 17. cap. 16. & alij.* 1

Vndè talis sacerdos debet cognoscere differentiam inter mortalia, & venialia in commu- 2

nibus.

ni licet in particulari non teneatur cognoscere omnia peccata, an sint venialia, vel mortalia, quia hoc valde difficile est; & tenetur cognoscere peccata, & circunstantias, quæ communiter cognosci solent, & etiam debet cognoscere quis dolor sit necessarius, & quod propositum. Deinde scire debet esse obligationē restituendi alienum, licet omnes casus restitutionis non teneatur cognoscere, sed satis est quod sciat dubitare, & suspendere absolutionem, & hoc idem sufficit in excommunicationibus, & casibus reseruatis, donec doctos consulat, & quando audit confessiones Clericorum, tenetur saltem scire dubitare circa irregularitates.

3 Circa quod notandum est, ignorantiam cōfessarij non posse suppleri per hoc, quod obliget pœnitentes ad consulendos doctos, hoc enim nimis esset onerosum: posset tamen suppleri, & iuuari per scientiam pœnitentium, & sic doctos audire in confessione posset confessarius ignorans.

4 Sed quæres, an confessio facta Sacerdoti ignoranti ea, quæ communiter scire tenetur, esset inualida, & reiteranda? Ad hoc respondet probabiliter *Suarez, 4. tom. in 3. p. disp. 28. sect. 5. nu. 7. & Reginal. tomo. 1 suæ praxis lib. 1. cap. 16. nu. 197.* Vt approbatio valeat confessarij, non esse quidem necessarium, eam procedere ex iudicio Episcopi re ipsa vero circa sufficientiam confessarij, sed sufficere solam existimationem sufficientiæ cum mediocri diligētia habita, quia alias præberetur locus dubitationibus circa valorem sacramenti, cum sæpe contingat deceptio in approbando, & vt notant bene, *Suarez ibidem sect. 2. & Reginal. ibid. c. 13.* Si adsint bona fides pœnitētis, bona cōtritio, & cōfessio, & aliqua intelligētia, sed nō sufficiēs cōfessarij, valeret Sacramētū. Sed respōdetur esse quidem inualidā quod tutius est, quā oppositum, ita *Anton Sylu. & alij citati supra,* Et ratio est, quia ad actū iudicialem, qualis est confessio, requiritur cognitio causæ ex parte cōfessoris, alias iudicium inane erit: iste autem ignarus posset in articulo mortis absoluere, si aliquod peccatum cognouit, sicut cum pœnitens infirmitate impeditus, solum vnum peccatum explicaret habens multa; quare in nostro casu solum indirecte absolueret Sacerdos à peccatis, quæ non intellexit, quod si confessarius mediocriter sciat, & in aliquo casu peccata mortalia iudicet venialia, non debet pœnitens iterum cōfiteri, sicut neque in casu, quo quis in articulo mortis confiteatur ignoranti, & neque in eo casu, quo quis peccatum mortale confiteatur vt veniale, quia in his casibus iā explicatum est peccatum ipsum, & non est ita necessaria cognitio grauitatis culpæ, & alias fieret onerosum nimis sacramētum hoc. Quod quidem probabile est, licet oppositum suprà

A defenderimus vt probabilius, & securius, & hanc resolutionem probabilem defendunt aliqui recentiores. Ii, quibus incūbit populo idoneos pastores prouidere, maxima diligētia curare debent, ne ineptos ministros constituant ad sacramentum pœnitentiæ ministrandum, nisi forte graui necessitate ad id compellantur. Nam si alij meliores inueniri non possent, præstaret ignorantem confessiones audire, quam totum populum hoc sacramento priuari, aut aliquem mori sine hoc sacramēto, in hoc enim casu Ecclesia dat hanc iurisdictionem in bonū fidelium.

Iste tamen confessarius, licet ignarus alias, 5
vt posset valide absolutionem præstare, deberet, cognoscere materias, & formas, & inten-
B tiones sacramentorum omnium, quæ ministraturus est, & intelligere regulas Manualis parochorum, & Doctrinam Christianam, quam deberet alios docere, & inter peccata quædam esse venialia, alia mortalia, & dolorem sufficientem ad recipienda sacramenta, & esse obligationem restituendi alienum.

QVAEST. XXXIX.

Vtrum præter scientiam confessarij requiratur in eo aliqua approbatio obtēta ab Episcopo?

HÆc quæstio tota versatur in expli- 1
C cando decreto *Concilij Tridentini sessione 23. capit. 15.* Cuius verba sunt hæc: *Decernit sancta Synodus nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut parrochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.*

Hoc decreto supposito, sit prima conclusio 2
certissima. Nullus potest valide absoluere à peccatis pœnitentes sæculares, etiam Sacerdotes (exceptis parrochis qui iure cōmuni, & nō ab Episcopis sunt approbati) nisi approbatio-
D ne obtēta ab Episcopis. Hæc cōclusio expressa est in *Conc. Trid. loco citato*, Fundamentum Conc. potuit esse, quia ad tātū, ac tam difficile munus obeūdū cōueniēs sane est, vt ministri ab Episcopis, qui sunt cōmunes pastores Ecclesiarum, & moribus, vita, ac scientia, commendantur, eligantur, & non ab alijs inferioribus prælatis, aut à quolibet de populo.

Pro qua cōclusione intelligenda aliqua no-
tanda sunt. Primo notandum est, ministrum 3
huius sacramenti debere esse approbatum ab Episcopis, siue sit secularis, siue regularis, ita

patet ex Conc. loco citato, & siue Episcopus A
rationabili causa reprobet aliquem, ne absoluat à peccatis, siue cum rationabili causa, ibi enim approbatio Episcopi, vt conditio necessaria, & essentialis ad valorem absolutionis requiritur. Et quidquid contradicat, *Conin. tomo de Sacramentis disp. 8. dub. 7.* Non tenetur episcopus loquendo ex natura rei, & secluso priuilegio approbare ad audiendas confessiones Sacerdotes regulares, aut seculares, quia nullum video circa hoc præceptum, quamuis illi idonei sint, licet peccaret nō approbando cōfessarios exigente approbationem bono communi fidelium, aut bono religionum.

4 Secundo notandum est cum communi sententia Doctorum, approbationem episcoporū circa confessarios requiri quidem respectu pœ- B
nitentium secularium, quorum audiant confessiones, siue tales pœnitentes sint Sacerdotes, siue laici, hoc enim expresse habetur in dicto Cōcilio loco citato. Cum vero audiendæ sunt confessiones religiosorum, non requiritur ibidem aliqua approbatio Episcoporum circa cōfessarios. Quare vt bene notauit. *Vazquez super q. 94. art. 3. D. Thom.* Prælati religiosi possunt concedere suis subditis religiosis, vt cuilibet Sacerdoti, etiam non approbato ab Episcopis, dummodo sit idoneus, confiteantur, siue talis Sacerdos sit regularis, siue secularis. Et etiam religiosus habens facultatē eligendi cōfessarium, potest eligere quemlibet Sacerdotem etiam secularem non approbatum ab Episcopis, & etiam moniales habentes priuilegia C
talia, possent eodē modo quemlibet Sacerdotē eligere in cōfessariū. Cuius doctrinæ ea potest sufficiens assignari ratio, quod peccata seculariū communiter, & plura sunt, & grauiora, & ideo requirunt perfectiores, & doctiores confessarios, quam peccata religiosorum, quæ cōmuniter, & pauciora sunt, & leuiora, lex autem semper attēdit ad id, quod cōmuniter accidit.

5 Tertio notandum est cum *Suarez. 4. tomo 3. partis in materia de pœnitentia disp. 28.* Etiā Doctores, & Licentiatos in Theologia, & iure Canonico requirere approbationem Episcoporum, & similiter Cardinales, & Episcopos titulares, seu annulares, qui nullū habent Epis- D
copatum, eandem requirere approbationem, quod totum patet ex Concil. loco citato. Vbi dicitur nullum posse audire confessiones sine approbatione Episcoporum. Et propter eandem rationem prælati inferiores qui non habent Iurisdictionem Episcopalem, debent eligere in confessarios approbatos ab Episcopis, circa quod, *Gregor. XIII. ait, vt refert Suarez loco citato sect. 4.* In re dubia tutius esse adhære re decreto *Concil. Trid.* Quamuis Episcopus possit quemlibet eligere in cōfessarium, alias non approbatum, quia potest sua electione approbare, vel prō se solo, vel pro alijs fidelibus.

Quarto notandum est, Episcopum non posse dare facultatem suis subditis secularibus cō- 6
fitendi cuilibet Sacerdoti etiam non approbato, quia lex, *Concil. Trident. loco citato,* Lata est à Concil. Generali, quod superius est ad Episcopum, vnde in ea nequit Episcopus dispensare; imò etiam priuilegia generalia Pontificū, tam ea quæ generaliter concessa sunt aliquibus religiosis, vt audiant confessiones omniū, quam concessa generaliter omnibus fidelibus, vt possint confiteri cuilibet, intelligūtur præcedente approbatione Episcoporum, in quantum pertinent ad seculares, quia ibi comprehenduntur seculares, quibus nōn est credendū dari facultatem confitendi etiam Sacerdotibus non approbatis. Quia Pōtifex censetur loqui iuxta ius commune, & in Trident. loco citato statuitur ius commune circa seculares, scilicet, vt non possint Sacerdotibus non approbatis confiteri. Addimus etiam, quod siquis habeat iurisdictionem delegatam siue concessam ab Episcopo, siue à Papa absolute, & sine eo quod fiat mentio præuiæ approbationis, aut examinis, non potest valide absoluere à peccatis, nisi sit approbatus ab Episcopis. Quod patet, quia istæ potestates generales intelligūtur concessæ secundum commune ius.

Sit secunda conclusio. Qui habet beneficiū 7
parrochiale, potest audire confessiones in qualibet Diœcesi sine approbatione Episcoporū, probatur hæc conclusio, *ex Trident. loco citato.* Vbi hoc expresse dicitur, in quo quidem explicatur ius antiquum, secundum quod ita fiebat olim, quod parrochi sine aliqua approbātione aut examine poterāt eligi incōfessarios. 8

Circa quam conclusionem aliqua notanda sunt. Primo notādum est, per parrochum non solum intelligi eum, qui habet infimum beneficium patrochiale, vt ille qui cōmuniter, parrochus dicitur, sed etiam illi intelligūtur, qui habent superiora beneficia, vt Episcopi, abbates, & aliqui Archidiaconi, & aliqui archipresbyteri, qui habent annexam curam animarum quia omnes isti cum beneficia recipiunt, à iure communi pro tota Ecclesia Catholica approbantur.

Secundo notandum est, parrochum, qui re- 9
liquit beneficium, non posse confessiones audire sine approbatione Episcopi. Patet, quia ait Concil. loco citato, nisi parrochiale beneficium habeat. Cuius ratio est, quia post relictū beneficium potuit mutare mores, & scietiam. Ita sentiunt *Suarez. 4. tom. in 3. p. disp. 28. sect. 4. & Reginal. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 194.*

Tertio notandum est, hanc approbationem 10
posse fieri à capitulo sede vacante, & ab aliquibus Abbatibus, qui habent Episcopalem iurisdictionem, qui quidem nomine Episcoporum intelliguntur. Religiosi, quibus Pontifex ex priuilegio dedit potestatē audiē
di cou-

di confessiones omnium fidelium, post quam approbati sunt ab Episcopo, non egent Episcopi, vel parrochi licentia, vt eorum subditorum audiãt confessiones, quia ad hoc Pontifex dat licentiam sine vllo dubio, nam si præter licentiam Summi Pontificis necessaria esset alia secunda licentia Episcopi, cum hæc sola secunda sufficiat, impertinens esset illa prima. Et cõfirmatur, quia obtenta iurisdictione ad audiendas confessiones ab Episcopo, non est necessaria aliqua licentia parrochorum, quia Episcopus superior est illis, ergo dum religiosi obtinent prædictam licentiam à Papa, non indigent noua licentia Episcoporũ, aut parrochorum, quia hi sunt inferiores Papa. Grauiter tamen peccarent Episcopi sine causa iusta denegantes eis religiosis huiusmodi approbationem, quia hac ratione impedirent illos vti priuilegio à Papa concesso, quod tenentur saluũ ipsis seruare, iuxta *caput, quando, de priuilegijs.*

Quæret tamen aliquis ad quid deseruiat huiusmodi approbatio, & an per eam conferant Episcopi iurisdictionem delegatam circa suas oues eis simplicibus Sacerdotibus, quos ad cõfessiones audiendas idoneos approbant. Huic quæsito respondetur. Primò aliquos Episcopos sine dubio, dum approbant prædictos Sacerdotes, delegare eis suã iurisdictionẽ, propter quam eorum subditi sine licentia parrochorum, aut sine alio priuilegio bullæ Cruciatæ, &c. possunt eis Sacerdotibus confiteri: quam approbationẽ nihil obstat Episcopos eo modo concedere, dummodo diligẽtius, maiori cura, ac vigilantia, eorum scientiam, moresque inuestigent, quam aliorum, quos simpliciter tantum approbãt. Quam iurisdictionẽ, simul atque aliquem approbabat, se solitum esse concedere, respondit aliquando mihi vigilantissimus, & prudentissimus Dominus Ludouicus Fernãdez de Cordoua olim meritissimus Salmanticæ Ecclesiæ præsul, modo autem Ecclesiæ de Malaga, qua in re intentioni Episcoporum standum est. Secundo respondetur loquẽdo ex natura rei, & secundum communem cõsuetudinem eo ipso, quod aliquis approbatur ab Episcopo ad audiendas confessiones, nõ accipere iurisdictionem circa eas, vt optime notarunt, *Vazquez 2. tomo in 3. disp. 147. cap. 3.* Et alij recentiores, vnde approbatio Episcoporum hoc tantum operatur, vt quis idoneus iudicetur ad hoc, vt possit ei aliquis confiteri, requiritur tamen præterea vt ipse habeat à superiore licentiam audiendi illas confessiones, vel quod pœnitentes habeant licentiam ei confitendi.

(⁂)

QVÆSTIO. XL.

Vtrùm approbatus ab vno Episcopo pro sua diœcesi intelligatur manere approbatus pro qualibet alia?

A Hic duo dubia ab aliquibus agitãtur. Primũ, an cõfessarij debeãt approbari ab Episcopo pœnitentis: an verò ab Episcopo confessarij. Secundũ dubium est, an approbatus ab vno Episcopo possit rectè audire cõfessiones in alio Episcopatu, sine approbatione alterius Episcopi, sed quia hæc dubia coincidũt inter se, ideo ex resolutione vnius, alterius resolutio manifeste constabit.

B Quidam Doctores existimarunt, approbatum in vna Diœcesi optime posse in qualibet alia sine noua approbatione confessiones audire. Ita sentiunt, *Enriquez lib 7. cap. 12. nu. 4.* Vbi plures alios in suum fauorem allegat. Et nouissime, *Conin. to. de Sacramentis, disp. 8. dub. 7.* Probatur primò ex duabus declarationibus Cardinaliũ, quæ referuntur ex ore Pontificis dimanasse, quarũ meminit Conin. loco citato. Prior sit hæc, Sanctus Dominus noster audita cõgregationis cõsultatione declarauit, Episcopũ vigore priuilegij, de quo in ca. fin. de pœnit. & remis. non posse sibi eligere Sacerdotẽ sibi non subditum, qui à proprio ordinario nõ fuerit ad hoc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiẽdas confessiones.

C Secunda declaratio est hæc, Sanctus Dominus noster declarauit, tẽpore iubilei posse omnes regulares cõfiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab ordinario ad audiendas confessiones. In bulla enim nõ fit mentio, nisi de ordinario eorũ, qui audiunt confessiones, non autem de ordinario pœnitentium, ergo ille, qui à suo Episcopo semel est approbatus, potest vbicũque audire confessiones, & non indiget approbatione alterius Episcopi. Secũdo quia Cõciliũ non requirit nisi vnam approbationem, ergo nõ sunt necessariæ plures in pluribus Diœcesibus. quod, *Si Conc. Trid. ses. 23. c. 15. dixit Sacerdotes debere approbari ab Episcopis,* Hoc ita intelligẽdũ est, quia diuersi Sacerdotes debent à diuersis Episcopis approbari, scilicet quili-

D bet Sacerdos à suo Episcopo. Tertio probatur, quia, vt ostẽdimus in fine præcedẽtis q. hæc approbatio nõ dat vllã iurisdictionẽ approbato, sed tãtũ est authẽticũ testimoniũ, quo declaratur idoneus, vt ei iurisdictio cõferatur, sicut Licẽtia, aut Doctoratus tãtũ est testimoniũ doctrinæ, sicut ergo testimonium doctrinæ semel datum, & in vno loco vbiq; vim habet idem etiã dicendum est de nostra approbatione. Et cõfirmatur quarto, nã sicut in hac re se habent duo Episcopi in eodem Episcopatu sibi succedentes, ita videntur se habere duo Episcopi exi-

stēres in diuersis Episcopatibus, quibus idē Sa A
cerdus in diuersis tēporibus subijcitur, quia in
illis habitat Episcopatibus successiue, ergo si-
cut Episcopi, sibi succedentes in eodem Epis-
copatu, non debent secūdo approbare eundē
Sacerdotem, ita neque hi, qui diuersis diœcesi
bus præsunt.

3 Notandum est, nos non loqui de parrochis,
quia de eis satis notū est, posse in qualibet diœ
cesi confessiones audire, quia sunt approbati
pro tota Ecclesia eo ipso, quòd beneficiū par-
rochiale suscipiūt, & hoc à iure communi.

4 Vnde fit cōclusio. Approbatus ab vno Epis
copo nō potest etiā eos, qui habent bullas Cru
ciatæ, aut alia priuilegia ad eligēdū cōfessorē,
absoluere in alia Diœcesi, si sint subditi alte-
rius Diœcesis, sed rursus requiritur noua ap- B
probatio Episcopi pœnitentis, ita tenent gra-
uissimi Doctores, & inter recentiores, *Ioannes
Gutierrez, lib. 1. canonicarum quæst. cap. 27. Ema-
nuel Rodriguez in expositione Bullæ §. 9. & Vaz-
quez super 3. p. D. Thom. q. 94. art.* 3. Et proba-
tur primo *Ex verbis Concilij*, In quibus dici-
tur, *nullum posse audire confessiones, nisi ab Episco
pis iudicetur idoneus*. Si autē approbatio vnius
Episcopi pro omni loco sufficeret, non dicere
tur ab Episcopis, sed ab Episcopo. Probatur
ex congregatione Cardinalium relata à *Rodri
guez loco citato*. Vbi Archiepiscopo Valentino
sic est responsum, Cōgregatio Concilij respō
det, approbatum ab alio, quā à Valentino Epis
copo in Diœcesi Valētina, non censeri appro
batū ab ordinario, & idem respondet congre- C
gatio Cardinal Domino Ludouico Fernādez
de Cordoua Episcopo Salmantino, sed nemo
potest audire confessiones, nisi sit approbatus
ab ordinario, ergo cum ordinarij nomine in-
telligatur ille, in cuius Diœcesi quis audit con
fessiones, non potest approbatus ab vno Epis
copo, in omni loco audire confessiones. Ter-
tio, quia *Gregorius XIII.* Concessit religiosis
Societatis priuilegiū, vt semel approbati, & à
superioribus expositi, quando iter faciūt per
alias Diœceses possint ibi audire cōfessiones
fideliū, ergo sine eo priuilegio hoc non pote-
eant. Quarto probatur, quia ex opposita sentē
tia sequeretur, non posse Episcopū alienū sub
ditū approbare ad audiēdas cōfessiones in suo
Episcopatu, qui non esset approbatus à pro- D
prio Episcopo, quod, & difficile videtur, & cō
tra praxim Ecclesiæ. Quinto probatur, quia
valde conueniens videtur, quēlibet Episcopū
approbare eos Sacerdotes, si in sua Diœcesi
audituri sint confessiones suorū subditorū, vt
videat, an illis possint committi suæ oues.

5 Vnde sequitur, nomine Episcoporū intelli
gi Episcopos locorū, in quibus administratur
Sacramentū confessionis, ita patet ex, *Gutier
rez locis citatis, & Rodriguez locis citatis*, & ex
prædicta congregatione Cardinalium.

Sed cōtra hoc obijciet aliquis, si per appro- 6
bationē Sacerdotis datur cuilibet fideli pote-
stas, vt possit huiusmodi approbato confiteri,
ad quid deseruit priuilegiū concessum fideli-
bus, vt possint cuilibet cōfiteri? Ad hoc respō
detur quod per approbationē solū indicatur
Sacerdos capax, & idoneus ad habendā iurisdi
ctionē, nō tamē per hoc datur ei iurisdictio, at
vero per priuilegiū datur iurisdictio Sacerdo
tibus, vt possint absoluere à peccatis.

Quæret tamen aliquis, an approbatio semel 7
cōcessa possit ab Episcopo reuocari? Ad quod
respōdetur primo, approbationē parochorū
nō posse ab Episcopo prolibito suo reuocari,
quia, cū sit cōcessa à iure cōmuni, nequit ab E-
piscopo sic reuocari, quāuis propter aliquod
delictū suspendi possit. Respōdetur, 2. appro-
bationē aliorū Sacerdotū seculariū posse reuo
cari ab Episcopo pro nutu suę volūtatis, patet,
quia cū Episcopus possit pro suo libito impe
dire iurisdictionē eorū, quia tota est delegata,
& ex cōmissione sua, ita etiā potest approba-
tionē tollere, quæ ad eam ordinatur. Respōde-
tur tertio religiosorū approbationē reuocari
nō posse ab Episcopo prolibito suo, quia hāc re
duxit, *Greg. XIII. anno 1. sui Pōtificatus ad ius
cōmune*; In hoc autē iure solū videtur, posse re
uocari propter vrgentissimā causam, quia, fa-
cta semel approbatione, Episcopus videtur
functus munere suo. Et confirmatur hæc pars,
quia in bulla Cruciatæ, dicitur, quod quilibet
possit eligere in cōfessariū approbatū, & addi
tur pro religiosis, semel approbatum, quod sa-
tis declarat hanc partem.

Quarto respondetur circa religiosos, quod 8
respondit, *Pius V. in extrauaganti Romani Ponti
ficis 8. Idus Aug.* 1571. Vbi ait religiosos men-
dicātes, semel approbatos, mortuo Episcopo,
non quidē debere, posse tamē ab eius successo
re secundo per examen approbari, & eadem
est ratio aliorum religiosorum.

His ita statutis respondetur argumentis in 9
oppositū. Ad primū desumptū ex declaratio-
nibus Cardinaliū, in fine quæstionis latius res
pōdebimus, dū doctrinā generalē circa decla-
rationes Cardinaliū adducemus, specialiter ta
mē respōdemus. Primā declarationē posse in-
telligi de Episcopo, qui in alieno Episcopatu
vult confiteri Sacerdoti, subdito alteri Episco
po; ille enim Sacerdos, vt possit audire confes
sionem illius Episcopi, debet approbari à suo
proprio Episcopo. Ad secundam declaratio-
nem dicimus, in bullis, dum requiritur appro
batio ordinarij cōfessariorum, nō autem pœni
tentium, explicari id, quod communiter acci-
dit, scilicet confessarios approbari à suis pro-
prijs Episcopis, quia in eorum Diœcesibus cō
muniter audiunt confessiones: ob hoc tamē nō
negari sufficientē esse approbationem factam
ab ordinario pœnitentis, dum in eius Diœcesi
con-

confessiones excipiuntur. Ad secundum argumentum respondetur Conciliũ requirere plures approbationes in pluribus Diœcesibus eiusdem cõfessarij, quia dixit eum approbandũ esse ab Episcopis. Neque obstat replica eiusdẽ secundi argumenti, scilicet ex eo pronuntiari Sacerdotes approbãdos esse ab Episcopis, quia plures Sacerdotes approbandi sunt à pluribus Episcopis, vnusquisq; à suo. Hęc enim replica manifeste conuincitur verbis eiusdem Concilij, adductus in principio præcedentis quæst. *Conc. enim ca Ses. 23. cap. 15. de reformatione*, de confessario loquitur in singulari, & de Episcopis in plurali, ibi: *Aut ab Episcopis per examẽ si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur.* Ergo idẽ Sacerdos à pluribus Episcopis debet approbari, si in pluribus Diœcesibus cõfessiones vult audire. Ad tertiũ argumentum respondetur, concedendo approbationẽ non tribuere iurisdictionem, negando tamẽ vnam approbationẽ sufficere, sicut sufficit vnum testimonium Doctoratus, quia cum approbatio confessarij sit in ordine ad regimen spirituale animarũ, magisq; periculosa quã approbatio Doctoris, sæpius discutiẽda est à pluribus Episcopis, tãquam actus iurisdictionis Episcopalis, non ordinis Episcopalis. Quod approbatio sit actus iurisdictionis ex eo patet, quia vt supra vidimus Vicarius generalis Episcopi potest, concedere huiusmodi approbationẽ, & quãuis hoc verũ sit, bene potest Episcopus approbare alienum subditum ad audiendas confessiones, suorum subditorũ, quia cum habeat directã iurisdictionem in suos subditos, etiam habet eã indirectam in huiusmodi confessariũ. Ad quartum argumentũ respondetur, diuersam esse rationem eorũ Episcoporũ, qui sibi succedunt in eodem Episcopatu, & eorũ qui præsunt diuersis Episcopatibus. Nam cũ illi priores easdem oues cõmittant, non requiritur noua approbatio, quia vero posteriores diuersas oues cõmittunt, & proprias, in quibus gubernandis maior potest se offerre difficultas debent dẽ nouo eundem Sacerdotem approbare.

10 Quæres primò, an approbatus ab Episcopo ad certas personas vel certũ locum possit audire confessiones aliorũ, & in alijs locis? Respondetur primò ad huiusmodi approbationes concedendas minorẽ scientiam, & prudẽtiã requiri in Sacerdote, quam ad eas absolute cõcedẽdas pro omnibus personis, & locis. Secũdò respondetur illũ Sacerdotẽ tantũ posse valide audire confessionẽs illarũ personarũ, & illorum locorũ, pro quibus data est facultas. Ita sentit, & vt certũ supponit *Conınc. tom. de Sacramentis, disp. 8. dub. 7.* Patet primò, quia sicut Episcopus potest negare valide facultatẽ absoluendi omnimodã, ita etiã potest valide eam restringere, prout voluerit: ergo sicut in primo casu nõ valebit absolutio, ita neq; in secũdo cõtra formã ab Episcopo præscriptã, tũ etiam, quia cum restringitur facultas absoluendi ad certũ locũ vel personas, hoc fit iuste propter ignorantiã Sacerdotũ, & cum restringitur ad certas personas, vt ad viros, id fit iuste propter paruã ætatẽ Sacerdotum, ne aliquid mali contingat, ex eo quod audiant confessiones fœminarũ (in quo caute vellem procedere dominos Episcopos) ergo qui eo modo restrictam habẽt facultatẽ, non possunt eius limites egredi.

Quæres secundò iã quod in ista quæst. duas declarationes Cardinaliũ, alijs duabus opposuimus, etiam quod passim eas allegare solent Doctores, & eas aliquãdo deserere, vt videre licet in operibus *Nauar. & in tractatibus Beneficiorũ Garcia*, quam authoritatẽ habêre debeãt? huic quæstioni respondent *Manuel Rodriguez, tom. 1. Regularũ quæstionum, quæst. 11. art. 2. & Miranda in suo tom. 1. q. 26. art. 11.* Indistincte declarationes Cardinal. esse authenticas, & habêre vim legis, & authoritatis Pontificiæ, quia congregatio Cardinal. facta est authoritate Põtificis ad declaranda dubia occurrentia, & nihil declarat, nisi consulto Pontifice. 11

Huic tamen quæst. respondetur primò multas conditiones requiri, vt declarationes Cardinal. vim habeant obligandi in cõscientia, ita vt vna deficiente non obligẽt. Prima sit certa, & indubitata, vt cõstet sufficienti authoritate esse eas declarationes sacræ Congregationis. Sufficienter autẽ constabit, si ea subscribatur, vel rubrica aliqua signetur per secretarium sacræ congregationis, vel per aliquẽ Cardinalẽ eiusdem congregationis, & cum sigillo autentico, de cuius fidelitate, & veritate non possit dubitari; & hoc necessarium est declarationibus, quæ transferuntur ex declarationibus, originalibus. Secunda cõditio est, vt in ipsa declaratione referatur, eam fuisse pronunciatã consulto Pontifice, quia Sixtus V. quando huic congregationi concessit facultatem, interpretandi Concilium, dixit requirens conditionẽ necessariam, *nobis tamen consultis*. Tertia conditio est, vt solùm Cardinales declarent, & interpretentur, non vero dispensent, restringãt aliquid, aut amplient vltra vim verborũ, & regulas iuris. Hanc enim formam congregationi præscripserunt in suis Bullis, & *Gregor. XIII. & Sixtus V.* quod si aliquid, vltra limites prædictos præstet congregatio necessum est in ea explicari, id ortũ habuisse ex peculiari cõmissione, aut voluntate Pontificis. Quarta conditio est, vt declarationes obligent in foro interiori, & exteriori, vt prædictæ declarationes Cardinal. constent notitia publica, qualis est illa, quam Episcopus potest præbere in suo Episcopatu, declarando illas forma iuridica, & quæ oriri potest ex fama publica, & certa, deriuata ex principio autẽtico. Quam doctrinam veram reputat Suarez, vt in specie huius 12

casus mihi respondit consultus per epistolam, & cõsonat doctrinæ ab eo traditæ, circa epistolas pontificias, quibus respondetur ad speciales interrogationes lib. 4. de legibus c. 14 à n. 3. Secùdò respondetur declarationes Cardinal. quæ communiter circumferuntur, non habere vim obligandi. Ita sentiunt *Suarez in eadem responsione, Pater Salas in suo tractatu de legibus disp. 2. sect. 9. in fine & Garcia tractatu 2. de beneficijs p. 7. cap. 4. n. 62.* Vbi vnam declarationem Cardinal. alteri præfert. Probatur primò, quia declarationes typis mandatæ, non sunt mandatæ typis approbatione Papæ, vel congregationis, vt patebit legenti earum libros. Secundò probatur, quia, vt notauit optime in eadem responsione *Suarez ex doctrina Mandosij, neque* istæ declarationes typis mandatæ, neque aliæ, quæ manu scriptæ communiter circumferuntur, non sunt sufficienter promulgatæ eo modo, quo requisiuimus in quarta conditione, & ita non possunt obligare, quia promulgatio tam necessaria est, vt declaratio obliget, quàm, vt lex obliget. Quia accessorium sequitur naturã principalis. Tertiò probatur, quia inter leges obligantes, non datur vna alteri contraria, at in his declarationibus aliquando vna est alteri contraria, vt patet in his, quæ pro contraria sententia, & pro nostra adducta sunt in hac, q. & vt patet in alio exemplo adducto, *à Garcia loco citato n. 59. & 6.* Tertiò respondetur prædictas declarationes autoritatem habere communiter cuiusdã opinionis magni momenti, & cuiusdam decisionis grauis.

QVAEST. XLI.

De obligationibus confessarij.

1 Primo quæret aliquis, an confessarius proprius teneatur audire eas confessiones, quæ solius causa deuotionis fiunt, (nam teneri illas audire, quæ necessariæ sunt ad implendum aliquod præceptum, vt confessionis, Eucharistiæ, &c. Vel ad lucrandum Iubileum, non est dubium.)

2 Huic interrogationi respondetur, *Primò cũ Adriano q. 5. de confessione dubio 8. Soto dist. 18. q. 4. ar. 2. Nauar. cap. consideret. de pænitentia dist. 6. 2. n. 152.* Proprium sacerdotem teneri ad audiendas confessiones, factas ex sola deuotione, quamuis sint solum venialium. Probatur: quia proprij pastores, & Sacerdotes non solùm tenentur ratione officij ad facienda ea, quæ necessaria sunt, vt subditi adimpleant præcepta, ad quæ obligantur, sed etiam tenentur prospicere profectui spirituali eorũ, qui quia communiter sequitur, ex frequentatione confessionum, quæ ex deuotione fiunt, ideò ad ta- A les confessiones audiendas tenentur proprij Sacerdotes. In quo quidem difficile potest assignari certa regula ad cognoscendum, quoties iste sacerdos teneatur audire cõfessiones, quia iudicio prudentis hoc relinquendum est. Sed tamen respondetur secundo ad audiendas confessiones, nimis frequentes, non tenentur isti sacerdotes, quia hoc esset graue onus eis imponere. Respondetur tertiò quolibet mẽse teneretur sacerdos proprius audire confessiones suarum ouium, quia hoc satis videtur ad profectum spiritualem earum, vt patet de monachis Benedictinis, quibus confessio semel in mense præcipitur. Et quidem si parochus negaret hoc Sacramentum confessionis extra casum necessitatis, peccaret quidem mortaliter, B in his casibus, in quibus aliqua grauis causa vrgeret, vt si vrgeret tentatio, aut longum iter, siue Iubileus se offerret: extra hos tamen casus nõ esset mortale semel, vel iterum negare hoc Sacramentum. Circa istas obligationes confessarij videatur Rebello tomo de obligationibus iustitiæ in fine.

Secundò quæret aliquis, an confessarius monere debeat pœnitentem de peccato, quod omisit in confessione. Ad quod respondetur primò quod, quando confessarius moralẽ habet certitudinem, factam esse à pænitente sufficientem diligentiam, etiamsi probabiliter existimet suis interrogationibus aliquod peccatum esse manifestandum; non debet aliquid interrogare. Ita *Petrus de Ledesma in Summa de Sacramentis cap. 19. de pænitentia in fine.* Proba- C tur primò, quia interrogatio est ad supplendum defectum præparationis pœnitentis: hîc autẽ nullus est defectus, ergo non est necessaria interrogatio. Secundò probatur, quia licet tunc sacerdos aliquam possit facere diligẽtiam, per quam aliquod peccatum eliciat à pœnitente, eam tamen non tenetur facere, cum debeat, & possit fidere diligentiæ factæ à pœnitente, qui veluti fidelis minister, circà iudicium de se faciendum, quantum potuit, & debuit fecit in scrutanda sua cõscientia. Sicut etiam iudex in secularibus, bene potest fidere, circa aliquam rem inquirendam fideli, & probato ministro, licèt ipse possit amplius inquirere. Cuius tota ratio ea videtur esse, quia nemò tenetur in rebus maximam, quam potest facere diligen- D tiam, sed sufficit, si faciat prudentem, & sufficientem. Hæc autem omnia intelligenda sunt, quando pœnitens scit cognoscere ea, quæ sunt de substantia confessionis, & circunstantias. Nam si sit rusticus, qui id nesciat cognoscere, interrogandus est à principio secundum omnia peccata, quæ refert, & secundum præceptorum ordinem, vt peccata, & circunstantias distinguat, & non est necesse expectare finem cõfessionis ad hoc, licet reprehensio ad finem, sit differenda. Interrogationes autem non debent

bent eſſe prolixæ, ſed iuxta ſtatum pœniten-
tis, vt ſi ſit artifex, vel negotiator, ſufficeret in
terrogare, an aliquam fraudem fecerit, iniuriā
ve alicui, modi enim fraudum ab illis optime
& melius ſciuntur, quàm à cōfeſſario. Quòd ſi
pœnitens adeo ſit ruſticus, quòd ſibi ſoli reli-
ctus, neſciet examinare conſcientiam ſuam me
lius erit eum iuuari à confeſſore varijs interro
gationibus in confeſsione, quam eum dimitte
re, vt ſolus conſcientiam ſuam ſcrutetur, quia
ille neſciet examen præſtare.

4 Vt autem quis debite interrogetur, hæc ad-
uertenda ſunt, cum *Syluestro verbo confeſſor 3.
cap. 18.* quem in hoc laudat *Ledeſma in Summa
de Sacramentis ra. 19. de Sacramento pœnitentiæ.*
Primum, vt quilibet peccator interrogetur de
peccatis, quæ ſolent eſſe in hominibus illius
conditionis: non enim bene à milite quęruntur
peccata clericorum. Secundum vt non fiat ex
plicita interrogatio, niſi de his peccatis, quæ
omnibus manifeſta ſunt, de alijs verò remote,
& à longe interrogatio facienda. Tertium, vt
in peccatis carnis nō deſcendatur ad nimis par
ticulares circunſtantias, ne confeſſarius ſibi, &
pænitenti noceat.

5 Reſpondetur ſecundò in hoc puncto, quod
ſi confeſſor certo ſciat aliquod peccatum in cō
feſsione omitti, etiam ſi omittatur per ignorā-
tiā inuincibilem, tenetur monere pęnitētē ta-
lis peccati. Ita *D. Tho. in 4. diſt. 19. in fine litteræ
poſt omnes quæſtiones, Angelus verbo, interrogatio
nes §. 3. Nauar. in Summa cap. 5. n. 2.* Patet quia
confeſſor gerit vices iudicis: vnde curare de-
bet, vt iudicium integre fiat, & cauſam debet
perfecte examinare, & inquirere, vt ſententiā
debite proferat, quòd ſi confeſſor euidenter
ſciat aliquod peccatum pænitentis, & ille etiā
admonitus nolit confiteri illud, non debet eū
abſoluere: in hoc enim foro ſecreto, & ad bonū
rei ordinato, ſcientia priuata confeſſoris vtilis
eſſe poteſt, licet in foro externo ad bonum cō-
mune ordinato, iudex debeat procedere non
iuxta ſuam priuatam ſcientiam, ſed iuxta alle-
gata, & probata. Iuxta *Suarez 4. tom. 3. p. diſp.
32. ſect 3.* Reſpondetur tertiò in eo caſu, quo
confeſſarius cognoſcat peccatum ex alterius
relatione, & pœnitens illud neget, indubio eſ-
ſe ei credendum in hoc foro, in quo ipſe eſt ſui
accuſator, imò quamuis cōfeſſarius certus ſit,
commiſſum eſſe peccatum à pænitente, ſi po-
teſt probabiliter exiſtimare, quod illud eſt cō
feſſus, poteſt diſsimilare credēdo eſſe cōfeſſū.

6 Tertiò quæret aliquis, an confeſſarius tenea
tur monere pœnitentem, quando abſolutio ſit
nulla, vt talia peccata iterum confiteatur. Ad
quod reſpondetur primò, quod ſi pœnitens ſit
abſens, qui prius cū aliquo cōfeſſus eſt ſi con-
feſsio, & abſolutio fuerunt nullæ, nullo modo
poteſt abſolui à primò confeſſario. Patet, tùm
quia ille nō poteſt cognoſcere diſpoſitionem

A pænitentis, qui fortaſſis eſt indiſpoſitus, tùm
quia abſolutio non poteſt dari in abſentia. Reſ
pondeo ſecundò ſi confeſsio facta eſt nulla, &
non eſt data aliqua abſolutio, non debere eā cō
cedi, etiam magno dāno inminente, quia alias
magna iniuria fieret Sacramēto, quæ omnino
vitanda eſt. Reſpondetur tertiò confeſſarium,
qui dedit abſolutionem inualidam, teneri ad
monendum pænitentem huius defectus, vt ite-
rum confiteatur. Ita reſpondet *Sotus in 4. diſt.
18. q. 4. ar. 6. Cordoua in Summa Hiſpana. q. 7. Syl
ueſter confeſſor 3. in princ.* Quòd intelligitur, ni-
ſi graue damnū, aut ſcandalū ſequatur cōfeſſa-
rio. Ita *Vazquez, loco citato* ſupra. Cū aliquod
enim ex his damnis, non tenetur confeſſor mo
nere pænitentē, pœnitens enim, tūc poteſt per
B aliam confeſsionem, vel contritionem iuſtifi-
cari: ſolum in hoc videtur obſtare confeſsionis
integritas, contra quā videtur fieri, ſi illa pec-
cata non iterū confiteātur, ſed contra eſt, quia
ſi propter dictas cauſas poteſt pœnitens in cō-
feſsione omittere aliquod peccatū, ita poterit
confeſſor propter eas relinquere admonitio-
nē, & permitrere pœnitentē non integre con
fiteri de illis peccatis, niſi ſit conſtitutus in ar-
ticulo mortis, in quo non poſsit quis recipere
Sacramentū pœnitentiæ. Tūc enim admonen
dus eſſet illius defectus, vt ſaltem contritionē
haberet, vt ab illis peccatis expiaretur, & hoc
etiā cum detrimento notabili cōfeſſoris. Secus
autem eſt in baptiſmo, & in ordine, vt cū quis
inualide hæc adminiſtraſſet: quia enim ex hoc
C multa poſſunt grauia mala ſequi, ideo tenere-
tur miniſter reuelare illos defectus, etiā cùm
magno periculo honoris, aut vitæ. Quod ſi pę
nitentē debite diſpoſitū dimiſit quis, ſine ab-
ſolutione, per inaduertentiā, aut alia via, ſi poſ-
ſet ſine graui incōmodo, deberet illum reuoca
re, & admonere. Cum vero non poteſt, ſine ſcā
dalo reuocare, & pœnitens, vel expectat cōmu
nionē, vel ex qualitate perſonæ cognoſcitur,
quod non incidit in nouum peccatū, debet ab
ſolui ſi eſt præſens, licet aliquantum remotus,
aliàs cōmoditas expectanda, & admonendus,
*Sanchez tom. 1. de matrimonio lib. 2. diſp 16. alle-
gata, D. Tho in 4. diſt. 21. q. 3. ar. 1. q. 1. ad 3 Pa-
lud. in 4. diſt 18 q. 8. ar. 1. n 20. Syluester confeſsio
3. q. 14.* Dicunt ex auditis in confeſsione non
D cogi confeſſarium ad aliquid faciendum, vel
omittendum, vel remedium adhibendum ex-
tra confeſsionem, quia multi pænitentes ægre
ferent eam licentiam peti ad loquendum, vel
conſulendum de peccato audito in confeſsio-
ne, ne memoria refricetur peccati.

Quæres quartò, an confeſſor teneatur tolle-
re ignorantiam pænitentis, circa aliquod pec- 7
catū? Ad quod reſpondetur primò quādo igno
rātia eſt vincibilis, & culpabilis, ſine dubio de
bere tolli, ne pœnitēs amplius peccet, cum ve
rò ignorantia eſt inuincibilis, & cedit in danū

tertij, vt cum quis retinet rem alienam, putans esse suam, etiam si admonitio confessoris nullius futura sit vtilitatis, debet tamen confessor monere pœnitentem ratione rei retentæ, tùm vt deinceps pœnitens rem mala fide possidens teneatur restituere, & rei fructus, tùm quia vtile est illud scire, vt quando velit restituat, quod si hoc damnum alteri non sequatur, & credatur malum perseueraturum, etiam post monitionem, vt si aliquis contraxit matrimonium nullum bona fide, & si admoneatur nullitatis, credatur permãsurus in illo mala fide, tunc respondetur secundò, pænitentem esse relinquendum in sua ignorantia, ne deinceps peccet, & absoluendus est, cum nullum habeat peccati impedimentum. Ita autores citãdi infrà, *& Petrus de Ledesma in Sũma de* B
Sacramentis cap. 19. ad finem, de pœnitentia titũ Canum. Probatur, Quia correctio ordinatur ad bonum spirituale proximi, sed tunc nullum bonum sequitur, ergo. (ait tamen Ledesma publicum Magistrum non posse omittere doctrinam in communi ob scandalum priuatum) & resolutio patet, *Ex cap. siquis autem de pœnitentia dist. 7. ibi, si sciret non sibi prodesse, non tradmoneret.* Et idem dicendum est, cum matrimonium illud, sine graui damno vitari non potest, Hoc vltimum patet. *Ex Innocentio III. in cap. quia circa de consanguinitate, & affinitate*, Vbi loquens Papa, de quodam nobili, quod matrimonium nullum contraxerat, ait *dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, graue videas scanda-* C
lum imminere. Ita Suarez 4. to. disp. 32. Comm. tomo de Sacramentis disp. 8. dub. 17. De quo noster tractatus 2. de matrimonio. q. 10. videatur, Quòd si confessor probabiliter credat suam admonitionem profuturam, & malum posse sine graui damno, vel scandalo vitari, tunc etiã si in re non sit peccatum, propter ignorantiam est vitandum, & est pœnitens admonendus. Ita *Adrianus q. 5. de confessione dubio. 7. Quodlibeto. 5. art. 2. Sotus dist. 18. q. 2. art. 4. circa finem & alij.*

8 Quæres quinto, quid faciendum sit, cũ pœnitens adhæret opinioni probabili, & confessor iudicat contrariã probabiliorem, vt in casu restitutionis? Respondetur debere confessarium conformari pœnitenti, & eum absol- D
uere, ità *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5. in fine Nauar. in cap. siquis autem de pœnitentia dist. 7. n. 66.* Patet quia tunc pœnitens bene procedit, ergo debet absolui, quod etiam est verum, cùm pœnitens secundum probabilem opinionem vult cum sola attritione existimata tali absolui tũc enim debet absolui. Horum totã ratio est, quia satisfacit quilibet suæ conscientiæ, si sequatur opinionem probabilem, quia ea ratione sufficienti nititur fundamento.

9 Pro quo, & pro alijs casibus notandum est, quemlibet confessarium, siue proprium, qui ex iustitia tenetur audire confessiones, siue alienum, qui ad id non tenetur, teneri semel audita confessione absoluere pœnitentem, si ille bene sit dispositus, quia est quidam contractus initus inter confessarium, & pœnitentem, vt pœnitens legitime confiteri debeat, & confessarius audita confessione non possit sine causa negare absolutionem pro suo libito.

Quæres sexto, an confessarius, qui dubitat 10
de sua iurisdictione, debeat absoluere; & respondetur, cum dubium est practicum, non debere absoluere, nisi in casu necessitatis, & cũ conditione, cum verò est speculatiuum, potest absoluere absolute deposito eo dubio, & securus practicè.

Quæres septimo ad quid amplius teneatur 11
confessor? & respondetur. Primò confessorẽ debere cognoscere sufficienter dispositionem pœnitentis, & dolorem peccatorum, & propositum non peccandi de cætero, quod quidẽ ex confessione, vel interrogationibus à se factis potest conijcere, ad quod sufficiet cognoscere, pœnitentem modo habere de facto bonũ propositum. Quamuis probabiliter credatur statim esse mutandum. Ita *Suarez cum cõmuni sententia disp. 32. sect. 2.* Quia confessor sicut iudex debet iudicare secundum præsentẽ iustitiam. Respondetur secundò debere confessorem negare absolutionem pœnitenti, donec restituat, aut aliquam occasionem peccandi relinquat, non quidem cum pœnitens semel tantum hæc peccata confitetur, quia hoc esset nimis rigidum, sed potest aliquoties eius promissioni de vitando peccato confidere, ad id tamen tenetur confessarius cum iterum, atque iterũ pœnitens hæc peccata confitetur, & emendam promisit, neque impleuit (nisi in prima vice videat, non esse dolorem sufficientem, quia tunc propositum non videtur efficax) ita *Caiet. verbo restitutio cap. 6. Aur. 2. pa. tit. 2. r. 8.* Quando verò est moralis perplexitas, quia si quis relinquat occasionem peccandi, sequitur graue scandalum, & si eam nõ relinquat, manet in periculo peccandi, tunc magna prudentia confessoris adhibenda est, & quæ hic dicentur de consuetudine iurandi, applicanda sunt ad alias consuetudines aliorum peccatorum.

Quæres octauo, quomodo se debeat gerere 12
confessarius, cum eo pœnitente, qui sæpius in idem peccatum est lapsus. Certũ est, etiãsi consuetudo diuturna sit, & sæpius pœnitens sit admonitus in alijs confessionibus eius consuetudinis, tamen semper esse concedendam absolutionem, si vera signa doloris appareant; hic enim verificatur illud, *Ezech. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, amplius iniquitatum eius non recordabor.* Imò quo consuetudo fuerit diuturnior, eo maiora signa doloris appare-

parere debent, quia eo est difficilior dolor, & animus auertendi se à tali peccato. Difficultas vero est, quando existimandus sit verus dolor, & quando concedenda sit absolutio.

13 Et quidem, vt sit homo capax beneficij absolutionis, sine dubio vitare debet externas occasiones, quæ morale, ac proximum periculum afferunt peccandi, si potest sine magno incommodo, quod generale est in alijs peccandi occasionibus. Ita docent *Sotus lib. 8. de iustitia quæst. 2. art. 3. post 7. conclusionem, versiculo at fortasse, & Sanchez lib. 3. Summæ cap. 5.*

14 Sit ergo prima conclusio. In hoc puncto si ille, qui habet istam consuetudinem peccandi, seu iurandi, nunquam admonitus est in cōfessione grauitatis peccati, & periculi, quamuis sæpe eam sit confessus, potest absolui, quia credi potest, quod admonitus resipiscet, quod si est admonitus, & absolutus in confessione semel, & bis potest ter absolui. Ita docent hanc vltimam partem *Medina lib. 1. Summa cap. 14. Vega 2. tomo Summæ cap. 16. casu 14. & Sanchez lib. 2. Summæ cap. 32. num. 45.* Imò si ter, & sæpius est admonitus, & absolutus peccator, potest rursus absolui, si tamen aliquid curæ, & laboris apposuerit ad eam consuetudinem extirpandam, licet non extirpauerit. Ita docet *Azor tomo 1. lib. 11. Institutionum moralium cap. 3. quæst. 4.* & tandem in hac conclusione addit *Sanchez loco citato* bene quidem, quando nihil curę apposuit ad emendam pœnitens, admonitus qui est sæpius in alijs confessionibus prauæ consuetudinis, posse illum adhuc in rigore absolui statim, si apparet verus dolor de præteritis, ac in posterum emendam firmiter proponat, quia nullam occasionem extrintecam habet, vt sic impediatur absolutio, sed tantum fragilitatem carnis. Vbi aduertendum est, non facile in hoc proposito credendum esse pœnitenti, neque communia signa, quæ in alijs pœnitentibus ad cognoscendum dolorem sufficiunt, in hoc satis esse propter inueteratū peccandi vsum.

15 Secundò aduerto cum *Sanchez loco citato, num. 45.* Pendere ex confessoris prudentia, an optimum sit consilium differre absolutionem, si enim pœnitēs id non multum ægre ferat, & speretur eum propter id non esse retrahendū à confessione, sed potius fructus spiritualis expectetur, bonum consilium erit negare absolutionem, sin autem minime, nisi peccatū sit scandalosum, quod tollendū prius est.

16 Tertio aduerto cum *Suarez loco citato,* quod si pœnitens sæpe proposuit emendam, neque tamen eam est assecutus, teneri eum admittere remedia apposita à confessario ad suā salutem, scilicet frequentes confessiones, & aliquas orationes, vel eleemosynas facere pro singulis iuramentis falsis, verbi gratia. Probatur, quia claues Ecclesiæ ad animas ligandas sine dubio ad hoc se extendunt, & obligatio curandi salutem ad hoc obligare potest. Sicut & homo tenetur medicinas præseruatiuas salutis corporalis à medico assignatas seruare, quidquid immerito contra dicant *Sanchez loco citato, scilicet lib. 3. Summæ cap. 5. num. 17.*

Quartò aduerto, quando consuetudo peccandi est mortalis, esse explicandam in confessione, & simul explicandum tempus durationis illius, & quoties homo eam aduertens voluit in ea permanere, sicut notant Autores in materia restitutionis, cum quis diu retinuit rem alienam, cum posset, & deberet eam restituere. 17

Quid faciendum, cum occasio est proxima peccandi, & nequit sine scandalo vitari? vide in *Reginaldo tomo 1. lib. 8. cap. 2. num. 19. & Suarez tomo 4. disp. 31. sectione secunda, Nauar. in Summa cap. 31. num. 2.* In quo negotio prudentiæ confessoris res est relinquenda, cum certa regula tradi non possit, vt autem aliquis sit indignus absolutione, spectandum est, an sit occasio proxima, & voluntaria. Occasio autem dicitur proxima, quæ frequenter homines similis conditionis inducit ad peccatum, vel quæ experientia monstrante habet in hoc homine talem effectum, erit non voluntaria, quando moraliter, id est facile non potest vitari, quod si apparet stante occasione aliquod remedium præseruatiuum, & illud admittatur cum vero proposito absoluendus est pœnitens, & licet sæpius cadat, si tamen peccata minuuntur absolui debet, non vero si profectus non appareat. Pro praxi concedendæ absolutionis nota, quæ aduertit *Reginald. loco citato, num. 14.* 18

Quæres vltimo. Quæ pœna sit imposita cōtra eum, qui indigne ministrat hoc Sacramentum? Et respondetur in iure communi nullam esse impositam contra Sacerdotem indigne ministrantem hoc Sacramentum: ille vero qui Sacerdos non est, & ministrat hoc Sacramentum serio, & scienter, siue sit laicus, siue clericus, manet irregularis. Patet ex capite primo de clerico non ordinato ministrante. Ita communiter *Canonistæ in eo loco, Paludan. dist. 17. quæst. 3. & Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. in fine.* Neque obstant verba rubricæ, in quibus dicitur *de clerico non ordinato,* vbi non videtur includi laicus. Nam contra est, tùm quia vt in codice Gregoriano refertur, multa exemplaria solùm habent, de non ordinato ministrante, tùm quia rubrica sic est explicanda, de eo qui cum nō sit clericus ordinatus ministrat, vt exponit *Suarez loco citato in fine,* quomodo etiam laicus includitur, & verba capitis ad omnesse extendunt, vt patebit legenti. 19

Vltimo nota cum *Nauar. in Summa cap. 12. num. 23. Syluestro iuramentum 2. quæst. 9. Angelo iuramentum 4. num. 11. Suarez lib. 3. de iuramento cap. 14.* Imprudēter agere confessarios, 20

qui à pœnitentibus facile iuramenta exigunt, vel de emendatione, vel de tollenda occasione peccandi, vel de alia re simili, quia eo modo exponunt pœnitentes periculo peierandi. Quod quidem optime significauit Pontifex, dum *in cap. clericos 3. de cohabitatione clericorum, & mulierum.* Dum prohibet, ne exigatur iuramentum à clericis concubinarijs de abiurandis concubinis, propter periculum periurij. Credo tamen huiusmodi iuramenta sponte oblata magnum signum constituere resipiscentiæ, & veri doloris peccatorum.

QVÆST. XLII.

Qua ratione confessarius mederi valeat conscientijs scrupulosis.

1 HANC quæstionem merito huic tractatui adiungendam esse existimaui, quia eius cognitio maxime necessaria est ad depellendos continuos morbos scrupulorum, qui continuo in timoratis conscientijs generari solent, & in eis occasionem præbere ruinæ spiritualis, & maxime impedire profectum spiritualem animarum.

2 In qua quæstione subijcienda medicamenta, vt securius possint applicari, nemo iudicet leuiter esse inuenta, desumpta enim sunt ex *Sairo lib. primo clauis Regiæ capit. 14. & ex Sanchez lib. primo in Summa capit. 1. & Vazquez prima secunda, quæst. 19. art. 6. disp. 67. & Reginal. tom. 1. lib. 2. capit. 10. & ex plurimis confessarijs Antiquis, diuque in hac materia expertis, & ex superioribus religionum, & ex multis Doctoribus, ac magistris spiritualibus per multos annos circa hoc punctum consultis.*

3 Scrupulus, vt nomen ipsum præsefert, nihil aliud significat, quam opinionem quandam ex quibusdam leuibus subortam fundamentis.

4 Pro intelligentia eorum, quæ explicanda sunt, quædam sunt maxime animaduertenda. Primum sit, scrupulos varijs modis contingere, sicut & variæ sunt materiæ, circa quas possunt se offerre, non est autem nostrum disputare, quot sint genera scrupulorum, sed tantùm aliqua exempla eorum adducere, aliquasque regulas ante oculos proponere, quibus rectè applicatis facile possint omnes pullulantes scrupuli penitus euelli.

5 Secundò animaduertendū est, aliquem esse scrupolosum, ex eo facile deduci posse, quod ea quæ proxime grauia, & vrgentia peccata videbantur, statim leuia appareant, & quod modo ille putabat se fecisse, in eodem momento existimet non fecisse, & ita per singula tempo-

A ris momenta decipiatur, ac diuersa efformet iudicia.

6 Tertiò animaduertendum est, secundum communem legem nullam inueniri aptiorem viam ad inueniendum remedium vexationi scrupulorum proportionatum, quam petere consilium à viro probo, & prudenti cum recta intentione, & indifferentia, & eius monitis acquiescere, quo fiet vt scrupulosus recta via procedat, & practice loquendo laudabiliter operetur, licet in re contingat errare. Quod consilium sequi necesse est, dum in eo non deprehenditur aliquis error, patentissimus, ac luce meridiana clarior. Quantumcunque enim scrupulosus varijs pœnitentijs, & mortificationibus, alijsque remedijs vtatur B ad depellendos scrupulos, intentum finem minime consequetur, nisi ad hoc remedium tanquam ad salutis anchoram confugiat, iuxta illud proloquium *Sancti Vincentij de vita spirituali capit. 4. quod nunquam Dominus dabit gratiam suam ei, qui cum habeat à quo duci possit in via virtutis, negligit, vel non curat alterius ductum amplecti.*

7 Quarto animaduertendum est, in rebus dubijs, & opinionum varietati subiectis posse scrupulosum, dum ea infirmitate vexatur, laxiorem, & benigniorem partem sequi absque vlla prorsus aliorum consultatione, non solùm ex toto rigore, & vt non peccet (hoc enim alteri cuilibet licitum esse debet) sed etiam ex consilio, & ad meliorem eius statum conse- C quendum, licet ea pars scrupuloso satis laxa videatur, quia quod ei latum videtur, alijs prudentibus, & sanis strictum apparet, quemadmodum laboranti aliqua febri amarum videtur, quod sanis dulce est.

8 Quinto animaduertendum est, in eo casu, quo scrupulosus quasi densissimis tenebris circunfusus formidare incipit, & cogitabundus dubitat, an inciderit in grauem aliquam culpam vehementi quadam anxietate fatigatus similiterve de aliqua alia re dubitat, non debere eum curare de suæ conscientiæ discussione, aut de rei propositæ oculata meditatione, quia tunc passio quædam viget inordina- D ta, & ita nequit rectum iudicium ferri, quemadmodum ille, cuius animus ita feruet, non potest perseuerante passione rectum de vindicta iudicium formare. In eo enim casu de quo loquimur, compertum esse debet talem dubitationem ex diaboli fraudibus prouenire, & nihil ibi latere culpæ, dum absque vllo prorsus examine in ea occasione culpa clarissime non appareat.

9 His suppositis sit conclusio. Cum scrupuli vrgent circa confessiones, an aliquid debeat de nouo confiteri, nullo modo illud explicandum est in confessione, nisi luce meridiana clarius constet, absque vllo prorsus examine, consulta-

fultatione, ac discussione fuisse peccatum mortale, nunquam; fuisse in confessione patefactum. Vnde neque momentum temporis consumere debet scrupulosus in huiusmodi cogitationibus anteactæ vitæ, sed potius eas diuertere, & fugere, sicut cogitationes, quæ se se offerre solent contra castitatem, fidem, & alias virtutes. Ita sentiunt prædicti Doctores in hac quæstione citati. Quę doctrina intelligēda est, cum quis mediocri adhibita diligentia ac dolore secundum prudentis arbitrium, vel semel confessus est generaliter totius vitæ peccata, vel in omnibus confessionibus prudenter se gessit (& cum contingit, circa earum confessionum valorem scrupulose dubitare, nihili pendenda est eiusmodi dubitatio) Huius conclusionis aliqua sunt potissima fundamenta. Primum sit, quia nullus, etiamsi scrupulis non vexetur, post mediocrem adhibitam diligentiam in discussione conscientiæ suæ in ordine ad confessionem peccatorum efficiendam, tenetur vlterius de anteacta vita cogitare, quin potius si aliquid occurrat memoriæ forte non dum explicatum in confessione, licitè potest sibi persuadere, illud iam fuisse explicatum. Quāto ergo magis homini scrupuloso huiusmodi persuasio erit necessaria ad pacandam conscientiam suam? Quod si ob aliquem timorem sibi suadere non possit, vt quietem sentiat, potest saltem per rationem superiorē cognoscere eum timorem inanem esse, & oriri ex passione quadam inordinata, & erronea, & talem dubitationem practice deponere, operando contra eam, quia omninò ante operationem, vel in ipsa operatione quietem sentire, tantū pertinet ad eos, qui scrupulosi non sunt. Secundum fundamentum est, quia iudicium rectum de rebus agendis, vel vitandis non oportet esse certum, aut verum speculatiue, sed practice. Vnde licet scrupulosus speculatiuè dubitet de opposita parte, potest tamen in alterā inclinare, & eam executioni mandare his principijs ductus, quidquid homines pij, & docti recta intentione ducti consulāt, potest fieri licite, etiam renitente propria conscientia: sed in casu nostræ conclusionis prædicti homines iubent scrupuloso contra suum dictamen operari, potest ergo ille licite operari. Tertium fundamentum sit, quia velle scrupulosum, rem in qua scrupulis agitatur, amplius æquo disquirere, & inuestigare, videtur quodammodo velle agere cum Deo, ac cum exactore iudice, quo cum velis omnia iuris, & iustitiæ puncta ad vnguem resecare, ac si nihil liberaliter, aut gratiose velis, aut accipere, aut tribuere, quod quantum diuinæ iustitiæ, magnificentiæ, mi-

A sericordiæ, bonitati, charitati, benignitati, &c. dissonum sit, quis non videat? Imò & stultum sit certè homunciuin etiam in virtute parum prouectum velle agere cum Deo, cum nō solùm vnum pro mille, sed neque pro centies millibus illi respondere valeamus. Iacta scrupulose super Dominum curam tuam, si in te fluctuas, in eius bonitate, & misericordia quiescas: si in te, & in omnibus diligentijs pacem non inuenis, in ipsa Dei charitate inuenies: quietet suæ bonitatis confidentia, quod propria non quietat diligentia. Aliud namq; est, quod ad omnem rigorem impletionis præceptorum requiritur, aliud id, ad quod pro fragilitate, & imbecillitate nostra, Deique Optimi Maximi mansuetudine sufficit, & quod iuxta

B illud defectuosum, iuxta hoc satis esse videtur.

Quartò animaduertendum est, timere me scrupulosum posse, hoc plusquā omnes meos scrupulos, ne propter meam pusillanimitatē, & inordinatum timorem vsus sanctissimorum Sacramentorum intolerabilis iudicetur alijs, & sic aliquo modo infametur, quod cum me videant alij, ita in scrupulis perditum, & infirmum, aliqui poterunt timere vsum Sacramentorum, & forte sic retrahi à perfectione accuratius sectanda, magisque declinare in laxitudinem, ne in tale extremum incidāt, in quale me vident incidisse, potius quam in obseruantiam & rigorem. Quintò animaduertendum, quod timere etiam plurimum debeo, ne aliquid mi-

C hi simile accidat, ac alijs accidit hac infirmitate laborantibus, qui etiam post vota emissa, & Sacerdotium acceptum, cum incurabiles viderentur, & inutiles, exclusi à religione sunt, & tunc forte miserabilius, & laxius, quam oportet, vixerunt.

Ex his sequitur cum scrupuloso pœnitente confessarium sic se gerere debere. Primum nō 10 admittere in plurimum scrupulosi dubia. Secundum non acquiescere eius precibus, quibus roget, vt eum ad confitendos scrupulos admittat.

Sed obijcit scrupulosus, si modo morerer, nunquid non confiterer? Cur ergo non modo? Sed huic respondet *Corduba in suo Quæstionario, lib. 3. quæst. 5. propositione* 4. Etiam in illo 11

D articulo consultius esse contemnere scrupulos & eos non confiteri. Rursus dicit scrupulosus. Ignoro me scrupulosum esse, sed huic respondendum est, quod stet confessoris, vel alterius viri docti iudicio, quantum ad hoc, an sit scrupulosus, vel non.

TRACTA-

TRACTATVS TERTIVS DE SIGILLO.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrùm sit præceptum seruandi secretum in confeßione?

1 

DICITVR obligatio seruandi secretũ circa peccata, quæ in confessione manifestantur, sigillum per metaphoram. Primò nam sicut sigillum continet occultam rem obsignatam *L. prima, § finali, & l. cum ab initio, & l. si quis signatoribus, ff. quemadmodum testamentum aperiatur*. Ita obligatio seruandi secretum confessionis, efficit peccata confessa occulta. Secundò sigillum confessionis nuncupatur nomine sigilli, quia Deus ita contegit suo sigillo sacro, quod est Sacramentum Pœnitentiæ, peccata, quæ remittit, vt deinceps non appareant, sed omninò radicitus ab anima euellantur.

2 Communis doctrina Autorum est, esse præceptum, seu obligationem seruandi secretum in his peccatis, quę in confessione audita sunt, ita vt non liceat alicui indicare, se scire peccatum alicuius ex vi confessionis, hancque obligationem, ita rigorosam esse, vt in nullo casu, & propter nullum finem violari possit, quamuis talis violatio ad vitandum graue damnum temporale, aut spirituale totius Reipublicæ Christianæ videretur vtilis. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art.* 1. vbi contrariæ sententiæ erroris notam inurit, *Bonauent. eadem dist. 2. p. illius art. 2. quæst. 1. Scotus quæst. 2. Durand. quæst. 4. Capreolus quæst. 2. Adrianus, quæst. vltima de Confessione, Viguerius in Summa, cap. 16. §. 4. Petrus Soto lectione 11. de Confessione*. Fundamentum autem huius tam certæ veritatis est desumptum ex communi consensu Ecclesiæ, eiusque perpetua traditione, à qua non videmus in aliquo casu circa huiusmodi obligationem factum esse aliquod genus dispensationis.

Secundo in hac quæst. conueniunt omnes Autores, esse præceptum humanum seruandi sub sigillo peccata audita in confessione, & nõ reuelandi peccatorem, qui confessus est. Quod quidem præceptum *in capit. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus sub his verbis continetur* (vbi sermo est cum confessario) *Caueat autem omnino ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ caute requirat*. Deinde circa hoc secretum seruandum etiam est præceptũ naturale iustitiæ, ex iustitia enim tenemur seruare famã proximi, & ita ex iustitia tenemur silentio tegere peccata audita in confessione, quia ex eorum manifestatione non potest nõ sequi aliqua infamia pœnitenti, & ex iure etiã naturali tenemur rem nobis sub secreto commissam sub eodem secreto seruare, alias humana consultatio, & humanum periret consortium, est etiam hoc præceptum de sigillo diuinum, quod constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quod præceptum diuinum est præceptum religionis in eo consistens, vt debitam reuerentiam exhibeamus Sacramento pœnitentiæ, penes hoc quod peccata huic Sacramento commissa nullatenus reuelẽtur, & hoc præceptum est diuinum naturale, ex institutione enim huius Sacramenti nascitur, vt secretum peccatorum debeat diligenter obseruari. Si enim hoc Sacramentum taliter fuit institutum, vt homines, sicut supra vidimus, debeant necessariò confiteri peccata sua, necessariò illa sub sigillo seruanda sunt, alias & homines retrahe- 3

trahe-

traherentur à receptione huius Sacramenti, & magna fieret iniuria Sacramento ipsi, sic etiam non accedere indigne, & cum conscientia peccati mortalis ad recipiendam sacrosanctam Eucharistiam est præceptum diuinum naturale, quia nascitur ex institutione Sacramenti Eucharistiæ. Imò etiam datur præceptum diuinum positiuum seruandi secretum, vt patet ex *Vazquez in tractatu de Pœnitentia, dum de sigillo disputat.*

Quæret tamen aliquis. Primo ex quo præcepto istorum oriatur tanta hæc obligatio seruandi secretum, vt nullo modo poßit peccatũ confessionis reuelari, etiam quolibet damno imminente? Ad quod respondetur, hanc obligationem non oriri ex mero præcepto naturali, quia præceptum naturale secreti propter aliquod damnum imminens posset non seruari, vt eum cedit in præiudicium boni communis, vel personæ Tertiæ vt docet *D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad secundum*, possum ego reuelare peccatum mihi sub secreto cõmissum, neque etiam hanc obligationem oriri ex præcepto humano, tùm quia lex humana non potest obligare cum dispendio, & periculo boni communis ad aliquid præstandum, sicut obligat præceptum secreti confessionis. Tùm etiã quia si præceptum de seruando tali secreto esset solùm humanum, posset à Pontifice abrogari ex aliqua causa, vel dispensari, at nulla datur causa talis dispensationis, vel abrogationis, ergo huiusmodi præceptum non est humanum. Tantum oritur ergo hæc tanta, & tam rigorosa obligatio ex præcepto quodam diuino connaturali religionis, quo tantam debemus adhibere reuerentiam Sacramento Confessionis, vt peccatum Sacramento commissum perpetuo claudatur sigillo. Magna autem fieret iniuria Sacramento, si tale sigillum aliquo modo aperiretur, iniuria autem illa consistit in hoc; quod confessio fieret odiosa, nam retardarentur homines ab eius vsu, neq; cum fiducia possent ad manifestanda sua peccata in confessione accedere.

4 Quæret aliquis secundo, quotuplex sit malitia in frangendo hoc sigillo? Ad quod in primis respõdetur esse ex suo genere malitiã mortalẽ quia materia eius est grauissima. Secundò respõdetur, duplicẽ esse in hoc peccato malitiam, vt optime aduertit *Suarez 4. tom. 3 partis disp. 33. sect. 1.* Vnam sacrilegij contra reuerentiã debitam Sacramento, aliam contra iustitiam infusam, secundum quam tenemur seruare secretum commissum in confessione, & vtraque malitia est inseparabilis, quia in nullo casu potest reuelari secretum confessionis, quin vtraque malitia reperiatur. De prima malitia sacrilegij constat assumptum, quia semper dum frangitur sigillum fit iniuria Sacramento. Secunda malitia iniustitiæ ex inde patet, quia inter confessarium, & pœnitentem intercedit virtuale quoddam pactum de seruando isto secreto in omni casu, & sine vlla exceptione eius, ergo violatio cum semper sit iniusta, semper inducet peccatum contra iustitiam infusam.

His tamen prædictis quædam obstant argumenta. Primum sit desumptum *ex Concilio Carthaginensi 7. ca. 5.* vbi supponi videtur, Episcopum posse aliquando licite patefacere ea, quæ in confessione cognouit, imò *in Concil. Maguntino cap. 10. & 21.* Significatur olim fuisse in vsu, vt secundum prudentiam cõfessarij quædam peccata silentio tegerentur, alia vero in publicum proderentur, ergo aliquando licitum est reuelare confessionem. Ad primum tamen argumentum satisfit, ibi non esse sermonem de confessione Sacramentali, sed de exteriori confessione facta Episcopo interroganti. Secundo vero argumento respondemus ea peccata, quæ in eo Concilio significatur olim fuisse in publicam lucem edita, ex licẽtia pœnitentis fuisse patefacta, quod prohibitum esse non debet. 5

Secundum argumentum sit, quia saltim confessio potest reuelari, quando talis reuelatio creditur esse vtilis pœnitenti ad vitam, vel honorem eius tuendum, & dum existimatur gratam fore pœnitenti eiusmodi reuelationem. Sed in primis respondetur, non posse reuelari peccatum pœnitentis absque eius licentia, etiamsi in magnam eius cedat vtilitatem, vt dũ ipse renititur, ne Sacramentalis confessio reddatur onerosa. Deinde dicimus licentiam præsumptam, seu ratihabitionem de futuro, quidquid contra dicant recentiores, sufficientem esse, vt confessarius licite reuelet confessionem cum eo modo non fiat confessio onerosa. 6

Tertium argumentum sit, quia mortuo pœnitente, si necessum sit aperire crimen eius ad impediendum aliquod matrimonium, quod non possit alia via impediri, licitum apparet confessionem reuelare. Sed respõdetur etiam post mortem pœnitentis obligari confessariũ ad non reuelanda eius peccata, quia hoc est præceptum negatiuum, & obligat semper, & pro semper. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 2. Panormitan. in cap. nouit de iudicijs Archid. in cap. si sacerdos 2. quæst. 1. & Nauar. in Summa cap. 8. num. 7.* Tùm quia testimonium confessoris ex sola scientia confessionis latum nullam fidem facit in foro exteriori, vt patet ex *a. c. de officio ordinarij, & ex capit. dilectus de excessibus Prælatorum.*

Quartum argumentum est desumptum ex aliquibus textibus Decretalium, in quibus significari videtur posse Sacramentalem confessionem reuelari. Hoc patet *ex capit. lecta. de renuntiatione, cap. nemo, cap. Matthæus de simonia, cap. significasti de adulterijs, cap. officij de pœnitentijs,* 7

tijs. & remissionibus. Ad hoc tamen argumentũ respondetur, ex illis textibus nihil colligi cõtra nostram resolutionem *in capit. enim lectæ. de renunciatione, & in c. nemo, & in cap. Mattheus de simonia.* Nullomodo est sermo de confessione Sacramentali, sed de manifestatione quarundam rerum extra Sacramentum. In capite autem significasti de adulterijs ipsi pœnitẽtes patefecerunt extra confessionem peccatum, quod prius fuerant confessi adulterij cuiusdã, quod non est contra sigillum confessionis. Est autem contra illud quod confessarius, vel alij audientes confessionem, peccatum reuelent. In capite autem officij de pœnitentijs, & remissionibus, vbi est sermo de quodam partu supposititio simulato à quadam fœmina, ne possessio viri ad extraneos perueniret, solum significatur esse patefactum à Sacerdote peccatum auditum in confessione in communi, non reuelando personam directè, vel indirectè, quod rectè potest fieri, præsertim ad petẽdum consilium, vt ibi factum est.

QVÆSTIO II.

Quas personas obliget sigillum?

1 IN hac quæst. primò dicendum est, Sacerdotem debere seruare sigillum confessionis, est enim huius Sacramenti minister, & eum conuenit primo loco obligari, imò etiam tenetur hoc sigillo superior, quando ab ipso petitur licẽtia absoluendi à casibus reseruatis, quia ad illum deferuntur peccata confessionis tunc tanquam ad iudicem, & ita deferuntur sub obligatione sigilli, alias fieret odiosa confessio, quod notauit optime *Suarez 4. tomo disp. 33. sectione 4.* Secundò dicendum est, licet aliqui contrarium sentiant, eodem sigillo teneri interpretem confessionis. Ita *Scotus in 4. dist. 17. quæst. 1. circa finem, Nauar. in cap. Sacerdos, num. 42. D. Tham. in 4. dist. 21. quæst. 3. artic. 1. quæstiuncula tertia.* Patet, quia interpres concurrit ad ipsam confessionem, vt pœnitẽs explicet peccata, & vt confessor ea audiat, ergo tenetur eodem sigillo, alias fieret onerosa confessio, neque valet, quod confessio per interpretem nõ est necessaria, vt supra vidimus, nam ad hoc respondetur hoc non obstare, nam peccata venialia non sunt materia necessaria, & tamen tenetur ea seruare Sacerdos sub sigillo. Vnde male *Coninc. loco infra citato*, docet eos, qui sponte à pœnitente, & sine necessitate adhibentur ad audienda peccata, non obligari sigillo.

2 Tertiò dicendum est consiliarium, à quo petitur consilium, siue intra confessionem, siue extra illam de peccato audito in confessione

A teneri eodem sigillo. Ita sentiunt *Nauar. in Summa cap 8. num. 4. Petrus Sotus lectione 11. de confessione.* Et ratio est, quia in illo casu consiliarius cum confessore efficit vnum integrum ministrum, quia ex scientia vnius, & iurisdictione alterius procedit absolutio, ergo tam cõsiliarius, quàm confessarius ad sigillum seruandum tenentur, & etiamsi ex licentia pœnitentis petatur consilium ab alio, credo propter eandem rationem illum alium obligari sigillo, quidquid contradicat *Coninc. tom. de Sacramentis disp. 9. dub. 3.* nobiscum docent *Syluester verbo confessor 3. quæst. 1. Petrus Sotus lect. 11. de confessione.* Et confirmatur, quia pœnitens non dat tunc reuelandi licẽtiam peccata ea via, vel alia, siue vt petatur facultas absoluendi à reseruatis, vel vt alijs de causis pandatur peccatum, nisi ea conditione, vt ille alter obligetur

B sigillo, ergo obligatur. Quartò, qui casu, vel consilio transiens per aliquem locum, audit confitentis aliquod peccatum, tenetur eodem sigillo. Ita *Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. Suarez loco citato, Vazquez super 3. part. D. Thom. quæst. 94. art. 4.* Et ratio est, quia cum iste talis ex vi solius confessionis peccata cognoscat, eam tenetur seruare reuerentiam huic Sacramento, vt illa non reuelet aliquo modo. Qui vero inuenit papyrum, in qua erant peccata alicuius scripta in ordine ad confessionem, non tenetur ea tacere sub sigillo, sed sub magno secreto naturali, eo quod illa charta non erat confessio, sed via ad illam. Ita *Sotus de secreto num. 3.*

C *quæst. 4. dub. 3. Bañes secunda secundæ, quæst. 33. art. 8. dub. 5. conclusione secunda, Petrus Nauarra, lib. 2. de restitutione cap. 4. num* 450. Denique si confessor inique reuelet alteri confessionem, omnis ille qui audit, & omnis ille, qui habet notitiam comparatam ex confessione mediate, vel immediate tenetur sigillo. Ita *Syln. ver. confessor, 3. q. 1. Nauar. dict. c. Sacerdos, n. 43.* Et ratio est, quia notitia confessionis trãsit ad omnes cum onere sigilli, ne iniuria fiat Sacramento, & ne molesta reddatur confessio.

Qui vero rem aliquam commendat alicui extra confessionem, rogando illum, vt seruet eam sub sigillo confessionis, non male facit, 3
quia non sentit illi rei tantam reuerentiam deberi, quanta debetur Sacramento, sed verbum

D est exaggerationis. Vnde audiẽs rem illam nõ obligatur sub sigillo confessionis ad seruandũ secretum, quia hæc obligatio sigilli non nascitur ex conuentione partium, sed ex ipso Sacramento, ibi autem nullum est Sacramentum.

Quæret tamen aliquis, ex qua confessione oriatur hoc sigillum, ex confessione tantùm 4
valida, an etiam ex nulla? Ad quod respondetur primo ex parte pœnitentis requiri confessionem fieri intentione Sacramentali, & animo se accusandi, & subijciendi peccata clauibus Ecclesiæ, vt sigillum obliget. Hoc sentiunt

tiunt *Caietan. secunda secundæ, quæst. 70. art. 1. & Sotus dist. 18. in 4. quæst. 4. a. 5. & Suarez loco citato sect. 2.* Et ratio est, quia alias confessio nõ est Sacramentalis, neque peccata subiiciuntur clauibus, ergo non obligat sigillum. Respondetur secundo, ad obligationem sigilli non requiri confessionem esse ex omni parte absolutam, & perfectam. Nam licet pœnitens non absoluatur propter indebitam dispositionem, si tamen habeat animum recipiendi verum Sacramentum, & ex tali animo confessus est, tenetur Sacerdos ad seruãdum sigillum. Ita sentit *D. Thom. in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Et ita tenet communis sensus Ecclesiæ. Probatur, quia alias maxime retraherentur homines à confessione.

5 Hinc sequitur cum communi sententia *Gabriel, in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2. Adriani quæst. vltima de confessione, & cum alijs*, Eum, qui fingens se esse Sacerdotem confessarium cum bona fide pœnitentis audit confessionem, teneri ad sigillum, probatur quia pœnitens confitetur bona fide, & intentione Sacramenti efficiendi, ergo debet ei seruari sigillum, alias ipsi Sacramento & pœnitenti maxima fieret iniuria, quæ omnia necessaria sunt, vt Sacramentũ de se onerosum, suaue reddatur.

6 Quod si laicus confitetur laico ex deuotione, quamuis vera censeatur propter ignorantiam confessio, non tenetur audiens seruare sigillum confessionis, quia neque est Sacerdos neque talis existimatur: ignorantia enim iuris non sufficiet ad obligandum ad secretum sigilli, sicut ignorantia facti, quare ille laicus in aliquo casu poterit reuelare peccatum, quod non posset Sacerdos confessarius.

7 Quæret tamen aliquis pro huius maiori declaratione, cum quo proposito emendæ, & dolore præteritorum peccatorum accedere debeat pœnitens, vt circa eius peccata debeat seruari sigillum? *Suarez, loco citato, sectione secunda, in fine* sentit, quod licet pœnitens à principio accedat sine proposito recipiendi absolutionẽ vel sine contritione, & proposito emendæ, si tamen habeat animum se accusandi, vt potuerit, vt aliquo modo satisfaciat Ecclesiæ; vel vt aliquo modo medelã recipiat à Sacerdote, obligat Sacerdotem ad sigillum, quia illa accusatio est saltim inchoata confessio. Ad quod citat *Caietan. secunda secundæ, quæst. 70. art. 1.* in quo loco non inueni talem doctrinam. Verum hęc doctrina sic generaliter intellecta difficilis videtur mihi. Vnde in hac parte distinguendũ esse censeo. Si enim nullum sit propositum emendæ, & nullus dolor ad sit in pœnitente, nõ obligabitur confessarius ad sigillum, quia iste pœnitens non habet animum efficiendi confessionem Sacramentalem, sed animum illudẽ di, vel alium similem, vel animum petendi cõsilium, quia confessio non est sine aliquali dolore, & sine isto animo non obligat ad sigillũ. Quod si adsit aliquale propositum emendæ, & aliqualis dolor, licet imperfecta sint hæc duo, & non sufficientia ad efficiendum verũ Sacramentum, tunc obligat sigillum, quia pœnitens habet animum confitendi Sacramentaliter, & alias retraherentur homines à confessione huiusmodi, quæ tamen vtilis est, vt homo à confessore instruatur ad veram confessionem efficiendam.

QVAESTIO III.

Quæ sit materia sigilli confessionis?

PECCAT contra sigillum sine dubio secundum communem doctrinam Autorum confessarius, qui dixerit se audiuisse in confessione peccatum mortale Petri, siue hoc dicat in communi, vel in particulari, explicando quale peccatum hoc sit. Similiter peccat, qui dixerit se audiuisse aliquod peccatum veniale in particulari, quia in his & fit iniuria Sacramento, & etiam redditur odiosa cõfessio. Licet possit dicere, se audiuisse peccata venialia alicuius, quia omnibus certum est, quemlibet ad minus habere peccata venialia, & ita ex hoc dicto nullum sequitur inconueniens. Ita *Suarez loco citato, sectione 3. & Vazq. loco citato.* Nequit tamẽ dicere Sacerdos, post quam confessiones multorum audiuit, Petrus solum est mihi confessus venialia, quia indirecte manifestat alios mortalia confessos, quod & dicti Autores notarunt cum *Nauar. in capite Sacerdos de pœnitentia dist. 6. num. 71.* Sicut nequit dicere in aliquo oppido, vel ciuitate esse frequens aliquod genus peccati, quia redderetur odiosa confessio.

Et licet non violetur sigillum, si dicatur aliquod peccatum auditum in confessione, quãdo nullo modo potest deueniri in cognitionẽ pœnitentis, sine magna tamen necessitate, vel vtilitate, neque hoc modo loquendum est de peccatis confessionis, præsertim in eodem loco, vbi auditum est peccatum, & coram multis, & post breue tempus transactum ab audita cõfessione. In quo magna debet adhiberi prudẽtia, ne peccator directè, vel indirectè reueletur, quia hoc neque pro seruanda vita faciendũ est, cum sit maioris momenti seruare sigillum, quam vitam, neque potest confessarius dicere, Ego non absolui Petrum, alias peccaret contra sigillum, quia licet non absoluere, possit ex causis multis accidere, generatur tamen praua suspicio inter audientes alicuius prauæ dispositionis, quod est contra sigillum. 2

Difficultas vero est, an confessarius possit reuelare quoddam propositum peccãdi, quod solum nouit in confessione, quando pœnitens habet 3

habet animum adimplendi tale propositum, ad quod respondetur primò, quod quando pœnitens confitetur tale propositum, vel animo inducendi confessarium, ad simile peccatum, vel animo illudendi illum, vel irridendi confessionem, vel simpliciter narrandi tale propositum, vt historiam quandam, tunc certum esse, non obligare sigillum, quia tunc neque adest confessio valida, neque aliquis animus efficiendi illam, sed tantùm adest simplex enarratio. Ita *Vazquez loco citato*, & in hunc sensum possunt intelligi *Syluester, confessio 3. quæst. 5. Adrianus quæstione vltima de confessione, & Abbas in capite omnis vtriusque sexus, & Decius in capite cum non ab hoc, de iudicijs.* Secundò respondetur, quod si quis cum animo accusandi se, & cum aliquali detestatione sui peccati confiteatur prauum propositum præsens peccandi, confessarius non potest peccatum futurum reuelare. Probatur, quia peccatum futurum explicatur in confessione, veluti obiectum prauum voluntatis præsentis, ergo fieret contra secretum debitum Sacramento, si illud reueletur. Tùm etiam quia cum per hoc sequatur infamia pœnitenti, maximè retraherentur homines à confessione, si hæc peccata futura reuelarentur. Ita videntur sentire *D. Thom. in quarto dist. 21. quæst. 3. artic. primo, quæstiuncula prima, Ricardus, artic. 4. quæst. 1. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. ad secundum, Nauar. cap. Sacerdos allegato num. 20. & alij.*

4 Non est tamen contra sigillum confessionis, si quis reuelet virtutes pœnitentis, dona Dei, aut voluntatem ingrediendi religionem, vel ducendi vxorem Mariam, aut factum aliquod, quod impertinenter fuit narratũ in confessione ad explicandum peccatum, quia per hæc non detegitur aliquid, ex quo sciri posit, pœnitentem commisisse aliquod peccatum, occultanda tamen hæc sunt secreto naturali, iuxta intentionem pœnitentis. Ita *Victoria 6. 171. Caietanus verbo confessori necessaria, & alij.*

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm Sacerdos confitens sua peccata, possit reuelare peccatum alicuius pœnitentis, vt integram efficiat confessionem suam?

1 SOTVS *in 4. dist. 16. quæst. 4. art. 5.* sentit, in hoc casu posse Sacerdotem explicare peccatum alterius pœnitentis auditum à se in confessione, quando id esset necessariũ ad explicandum aliquod peccatũ, quod ipse commisit in audienda illius confessione, fundamentum est, quia maioris videtur esse momenti integritas confessionis, quam obseruatio sigilli.

Nihilominus tamen cum *Syluestro confessore tertio, quæstione 13. Nauarro in Summa capite octauo, numero sexto, & Adriano quæstione vltima de confessione, & alijs,* Dicendum est, in hoc casu potius tacendum peccatum esse in confessione, quam reuelandum peccatum alterius auditum in confessione. Probatur hæc vnica ratione, quia maiorem obligationem inducit seruare secretum illud, quod propter nullam causam est violandum, quam seruare integritatem confessionis, quæ pro defendenda vita, & honore, & propter alias causas potest non seruari. Nam licet integritas confessionis formalis sit de essentia confessionis, quæ in hoc consistit, quod confiteatur quis omnia peccata, quæ non habet rationabilem causam silendi, integritas tamen materialis, quæ in hoc sita est, vt omnia peccata commissa confiteatur quis, non est de essentia confessionis. 2

Ex his patet ad argumentum oppositum, maiorem obligationem esse seruandi sigillum, quod fit in honorem Sacramenti, quam integre confitendi. 3

QVÆSTIO V.

Vtrùm obtenta licentia à pœnitente, possit confessarius reuelare peccatum auditum in confessione?

IN hac quæstione primò dicendum est, non posse confessarium peracta iam confessione loqui cum ipso pœnitente de peccatis auditis in confessione, sine eius licentia, alias procedet contra sigillum generali modo acceptum, quatenus significat obligationem non loquendi cum pœnitente etiam de peccato audito in confessione. Ita *Sotus in quarto dist. 18. quæstione quarta, articulo 6. Victoria in Summa numero 185. & Suarez quarto tomo tertiæ partis disp. 33. sectione 5.* Probatur, quia alias fieret onerosa confessio, quilibet enim suffunditur pudore huiusmodi sermones audiens. 1

Circa id vero, quod quæritur, quidam dicunt, non posse etiam de licentia pœnitentis loqui confessarium cum alijs de peccatis auditis in confessione. Ita *Scotus in quarto, dist. 21. quæstione 2. Durandus quæstione 4. Angelus cõfessio, octauo, numero quinto.* Probatur primò, quia Sacerdos scit illa peccata vt Deus, ergo non potest pœnitens dare illi facultatem, vt de illis extra confessionem loquatur vt homo. Probatur secundò. Hoc secretum confessionis fuit institutum à Deo primo in honorem, & dignitatem Sacramenti, & minus principaliter

ter in vtilitatẽ personæ pœnitentis, ergo etiã si ipse velit reuelari cõfessionem, ea tamen reuelari non poterit, quia fiet iniuria Sacramento, sicut si aliquis Sacerdos cedat suæ immunitati, & velit iudicari à iudice seculari, manet tamen immunis, quia immunitas concessa est in dignitatem potius status clericalis, & ordinis, quam priuatæ personæ.

3 Dicendum est tamen secundò recte posse reuelari peccatum auditum in confessione de licentia pœnitentis. Ita docent *D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. Ricard. art. 4. quæst. 1. Enriquez quodlibeto 7. quæst. 26. Syluester confessor 3. quæst. 3. Antonin. 3. part. titulo 22. §. 1. Nauar. in Summa cap. 8. num. 2. Couarru. in 4. Decretalium, parte 2. capit. 8. §. 12. Abbas in capit. significasti de adulterijs, Felinus in capit. testimonium de testibus.* Probatur vnica ratione, quia secretum sigilli, licet etiam, vt supra vidimus, fuerit imperatũ in dignitatem ipsius Sacramenti, principaliter tamen, & primo loco fuit imperatum in fauorem personæ confitentis, vt facilis, & suauis reddatur confessio. Ergo eo ipso, quod quisque cedit iuri suo, non fit iniuria Sacramento, sicut si quis sub iuramẽto promittat alicui centum, & ille postea remittat promissionẽ, tollitur omnis obligatio seruandi promissionem; quia hæc principalius ordinatur in fauorem personæ, cui promittitur, quam in Dei cultum, & reuerentiam; quæ licentia debet esse spontanea, & expressa sufficienter.

Ex his respondetur ad argumenta in oppo-
4 situm. Ad primum dicimus confessarium etiam scire vt hominem peccata audita in confessione, & ita posse extra Sacramentum loqui de illis cum licentia pœnitentis. Ad secundũ respondetur sigillum principaliter fuisse institutum in fauorem particularis personæ. Vnde eius licentiam maxime prodesse, vt non frangatur sigillum: immunitas autem Ecclesiastica principaliter fuit instituta in fauorem ordinis clericalis, & non particularis personæ, vnde non prodesse licentiã seu cessionem particularis personæ, vt illa maneat exempta ab immunitate, & subiecta foro exteriori laico.

Ex his nota, posse pœnitentem dare licentiam confessario, vt reuelet personam complicis, qui eum ad furandum, verbi gratia, iuuavit, & hoc licite, cum contra eum petit consiliũ vel vires ad vitandum aliquod damnum sibi ab eo imminens.

Quæret aliquis, an eum Sacerdos de licentia
5 pœnitentis reuelat alijs peccatum, illi alij teneantur ad sigillum? Ad quod respondetur cum
b *Suarez loco citato*, teneri quidem. Patet, quia illi non cognoscunt peccatum, nisi ex vi notitiæ confessionis, in qua fundatur Sacerdos reuelans, ergo peccatum cadit sub sigillo. Tum quia res semper transit ad aliũ, cum suo proprio onere, tum quia non est credendum, pœ-

A nitentem dedisse huiusmodi facultatem, nisi cum onere sigilli. Vnde confessarius eo modo reuelans tenetur modum suæ cognitionis explicare, vt alij seruent secretum debitum Sacramento Pœnitentiæ.

QVÆSTIO VI.

Vtrum peccatum alias publicum, & alias sibi notum poßit confessarius reuelare?

CIRCA primum punctum quidam dixerunt, posse cõfessarium alias publi- 1
B cum peccatum reuelare, quamuis solũ illud cognoscat ex confessione. Cum veriori tamen sententia in hac quæstione dicendum est primo nullo modo id posse fieri, quia licet non esset talis reuelatio contra naturale præceptum secreti, cum res esset alijs euidens, est talis reuelatio contra præceptum diuinum, quo prohibemur propter nullam causam reuelare confessionem. Tùm etiam quia communitèr reuelatio confessoris faciet rem alijs certiorem, quam antea erat, si non adsit euidentia facti, sed publica vox, & fama.

Circa secundum punctum quæstionis *Alsisiod. lib. quarto Summæ tractatu 6. capite tertio, quæst. 4.* Sentit, non posse confessarium reue- 2
lare peccatum auditum in confessione, quam-
C uis illud alias extra confessionem nouerit. Verumtamen certum est, posse confessarium in- 2
hoc casu reuelare peccatum, dummodo ostendat, se non reuelare peccatum illud ex vi confessionis, sed ex alio capite ita vt non addatur noua aliqua circunstantia, vel certitudo ex eo, quod auditum est in confessione. Probatur hæc pars, quia tunc nullam facit iniuriam Sacramento, neque aliquid efficit contra sigillum, sicut enim ante confessionem poterat de illo peccato loqui, cur non postea? Vnde posset accusare in foro exteriori latronem, quem nouisset extra confessionem sibi aliquid furatum esse: alias daretur occasio illudendi confessorem, & inhabilem illum ad testimonium ferendum efficiendum, quæ magna inconuenientia
D nientia continent.

Ex his colligitur, quod si quis dum confi- 3
tetur alicui Sacerdoti, furatur aliquid ab eo, & confitetur statim tale furtum, vt obliget Sacerdotem ad tacendum, dicens se non accessisse animo confitendi, sed animo furandi, tunc potest rem ablatam repetere in iudicio, confessarius. Tum propter signa externa habita extra confessionem, scilicet, quia pecuniam, quam antea habebat in crumena, non inuenit, & videt non accessisse aliam personam ad se nisi pœnitentem, tum etiam posset tale pecca-

tum patefacere auditum in confessione, quia talis confessio non videtur Sacramentalis, quia est facta animo illudendi Sacerdotem, & animo tantùm obligandi confessorem ad celandum peccatum, nemo autem debet reportare commodum ex sua malitia. Quando vero peccatum non est extra confessionem notum, sed tantùm in illa. Vt si confessor sciat proditiones in ciuitatem, vel principem, &c. & pœnitentem nolle mala denuntiare, potest verbis generalibus monere eos, quibus imminet malum, vt sibi, aut gregi consulant, dum modo nō deueniatur eo modo in cognitionem Rei cogniti in confessione. Ita *Enriquez, multos allegans in Summa tomo 1. de Pœnitentia cap. 2a.*

QVÆSTIO. VII.

Vtrùm liceat superiori, amouere pœnitentem ab officio pro peccato audito in confessione, quando videtur oriri suspicio peccati auditi in confessione?

1 QVIDAM dicunt hoc posse fieri, cum suspicio solùm timetur apud illum, qui alias iam nouerat tale peccatum. Ita *Enriqus Quodlibet, octauo, quæst. 29.*

2 Verum cum vera sententia, quam sequūtur *Diuus Thomas in quarto dist. 21. articulo primo, quæstione tertia, Syluester confessor, tertio, quæst. 14. Bonauentura secunda parte, dist. 21. art. primo, quæstione tertia, ad vltimum. & alij plurimi.* Dicendum est, quod si officium non pendeat ex solo nutu superioris, sed solùm videamus auferri propter culpam, tunc non posset auferri officium à superiore pro peccato audito in confessione, alias suspicio confessionis generaretur, & fieret contra eius sigillum. Si autem officium esset mobile ad nutum superioris, & non generaretur vlla suspicio peccati confessi, posset superior ex vi notitiæ habitæ in confessione auferre prædictum officium. Patet, quia hoc nullum habet inconueniens. In qun Syluester, & alij dicunt hoc posse fieri, etiamsi pœnitens intelligat se priuari tali munere pro peccato confesso, quia dum alijs non præbeatur occasio suspicionis non censetur reuelatio sigilli. Ita *Suarez loco citato, sectione 7.* quia tunc pœnitenti sine causa displiceret talis vsus, licet alij, quos refert *Suarez quarto tom. tertiæ partis disp. 33. sectione 7.* Etiam propter suspicionem pœnitentis negent hoc posse fieri. Melius autem erit, vt quidam notant, monere pœnitentem in confessione, vt

A illud officium deponat. Et quidem certum est ex sola notitia ex confessione adquisita non posse quempiam in foro externo puniri, quia ad pœnam inferendam requiritur probatio delicti in foro externo, à quo longe abest notitia ex vi confessionis deducta.

Hinc sequitur primò, posse confessarium, imò & debere negare pœnitenti ratione peccati in confessione cogniti suffragium secretū, dū agitur de cōferēdo aliquo officio, vel beneficio, quando ex hoc nulla sequeretur alijs suspicio peccati ex vi confessionis cogniti. Nā si potest prædictum officium tuta conscientia denegare, vt vidimus proxime, tenetur illud denegare cum prædictis circunstantijs, ne indigno conferatur officium. Nequaquam vero B posset confessarius denegare suum suffragiū, cum publice illud esset ferēdum, quamuis plures cādidati essent æquales in meritis exterius cognitis, quia ex hoc maxima posset oriri suspicio peccati cogniti in confessione. Ita sentiunt multi Doctores, vt *D. Thom. in 4. dist. 9. art. 5. quæst. 1. in corpore, Suarez 4. tomo in 3. part. disp. 33. sect. 7. & alij relati à Coninc, tomo de Sacramentis disp. 9 dub. 4.*

Secundò sequitur, vt bene aduertit *Enriquez in Summa, tomo primo de pœnitentia, lib. 3. capit. 23.* Summum Pontificem, vel Episcopū recte posse promulgare aliquam legem etiam sub excommunicatione contra perniciosa peccata, quæ nouit in confessione frequentari in Republica, ideò enim casus reseruantur superioribus, C dummodo non reueletur aliqua ratione confessio: Hanc conclusionem optime, & latissime disputat *Thomas Sanchez, tomo primo de matrimonio lib. 3. disp. 16.* Vbi respondet negatiue. 3

Sequitur tertiò cum eodem *Enriquez loco citato*, Episcopum posse vti notitia adquisita in confessione, vt neque indignis conferat literas, quas reuerendas vocant, neque eos ad ordines admittat, neque det licentiam efficiendi monitiones in ordine ad matrimoniū eis, quorum occultum impedimentum matrimonij ex confessione nouit, dummodo id fiat cum magna simulatione, & cautela, differendo hæc omnia, vt cōfessio non reueletur alijs. Si enim aliquod genus suspicionis inde oriretur peccati D auditi in confessione, hæc omnia cauenda essent. 4

Sequitur quartò, posse Episcopum non cōferre beneficiū, quod ex beneuolentia confert Episcopus cui vult, ei, quē ex confessione nouit indignum, quia per hoc non reuelatur cōfessio, dum modo inde nulla suboriatur apud alios suspicio peccati ei confessi.

Quæret tamen aliquis primò, an omnibus superioribus, tam religiosis, quàm non religiosis licitum sit propter peccata audita in confessione amouere aliquem ab officio mobili ad nutum,

nutum, vel aliquid aliud efficere, vel ordinare, aut condendo legem, aut suffragium in aliquo officio denegando, vel alio modo procedendo, quod ad exteriorem suam gubernationem conducere videatur? Ad hoc respōdetur huiusmodi vsum confessionis in ordine ad gubernationem exteriorem esse superioribus religiosis omnibus absolutè, & simpliciter prohibitū à *Clemente VIII. in motu proprio anno* 1594. 26 *Maij, cuius verba relata à Suarez sectio. 7. citata hæc sunt. Tam superiores pro tēpore existentes, quā confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerunt promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur, atque ita per quoscunque regularium superiores quicunque illi sint obseruari mandauit.* Hæc autem sancta cōstitutio Clementis ex eo tantùm circa religiosos edita est, quia superiores religionum plures casus solent sibi reseruare, quam alij superiores, & eorum gubernatio circa subditos est magis immediata, & potest esse periculosum, & onerosum subditis superiores notitia confessionis vti ad suum regimen.

8 Secundò quæret aliquis, an liceat imponere pœnitenti pœnitentiam publicam in satisfactionem peccati alicuius grauis auditi in confessione, etiamsi inde oriatur reuelatio saltim indirecta alicuius confessionis? Ad quod respondetur primò, nullam reuelationem cōfessionis siue indirectam, siue directam, siue verbis, siue factis, siue alio quouis modo effectam licitam esse. Secundò respondetur, si pœnitēs spontanee acceptat pœnitentiam publicā, bene posse eam imponi, quia tunc confessor nō reuelat peccatum; sed pœnitens: sine hac autē acceptatione, & licentia pœnitentis nō potest prædicta pœnitentia imponi, quia alias reuelaretur confessio.

9 Hinc tamen oritur non contemnenda difficultas, an cum aliquid præcipitur á cōfessario, quod non tantùm est in punitionem peccati commissi, sed etiam in remedium cauendi simile peccatum, vt quod relinquat prauam societatem, vel non intret in talem domum, possit id fieri sine licentia pœnitentis, etiamsi inde sequatur, quod alij sciant istum confessum esse aliquod graue peccatum, & in remedium eius hæc illi esse á confessario præcepta? Ad quod respondetur cum *Suarez loco citato*, quod si illud medium sit necessarium ad salutem pœnitentis, potest confessor, & debet illud præcipere, & iste tenetur obedire, quod si noluerit potest ei negare absolutionem, in quo nulla est fractio sigilli. Nam si pœnitēs prædictas occasiones dimittit, ex quo aliqui suspicantur peccatum confessum, totū hoc fit consentiente eo rationabiliter, & ita non frangitur sigillum, & confessor satisfacit in hoc muneri suo, & explicat obligationem, quam pœnitens de se habet.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm Sacerdos, qui audiuit confessionem alicuius socij furum, fugere possit, vt euadat periculum?

HAEC difficultas in eo casu locum habet, quo aliquis socius furum confiteatur alicui Sacerdoti iter agenti secum alijs paratum esse ad ipsum occidendum in eo itinere, & ad omnia eius bona diripiēda, & nolle desistere ab eo proposito, an Sacerdos in illo casu possit fugere ad liberādam vitam, si quidem ex illa fuga alij socij poterunt colligere peccatum confessum. 1

In hac quæst. quidam dicunt, illum Sacerdotem rectè posse fugere ad saluādam vitam. Ita tenent *Scotus in 4. dist. 22. quæst. 2. ad tertium, Gabriel, art. 3. dub. 1. & alij relati à Suarez dicta disp. 33. sect. 7.* Quod probant, quia illa fuga de se indifferens est, & potest propter multos fines contingere, ergo potest illa vti Sacerdos, quia de se non inducit cognitionem peccati confessi, sed per accidens supposita malitia spectantium confessionem. 2

Contrariam tamen sententiam, quod tunc Sacerdos ille non possit fugere, tenent communiter Doctores *Nauar. in dicto cap. Sacerdos, num. 135. Ricardus, art. 4. quæst. 2. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. Suarez, loco citato, & Vazquez super 3 part. D. Thom. quæst. 94 art. 4.* Quæ quæstio distinctione quadam, vt video, dirimenda est. Si enim ille fur accedens ad confessionem habeat animum accusandi se sacramentaliter, & aliqualem displicētiam peccatorum habeat quod ex confessione ipsa poterit colligi, debet ei seruare sigillum Sacerdos, & non fugere alias saltem indirectè, reuelabit cōfessionem, & alijs socijs videntibus generabitur suspicio peccati confessi. Quod si ille pœnitens solùm accederet animo illudendi confessorem, & metum ei incutiendi, ne fugiat, & vt alij socij interea accedant, & ipsum Sacerdotem securius occidant, in eo casu non obligat secretum confessionis vllo modo, quia alias magna præberetur occasio dolis, & fraudibus, ergo nullū ei debetur sigillū. Aduertūt tamen bene *Sotus, & Suarez locis citatis*, in eo casu non esse difficile alia media rationes, & indicia inuenire, quibus confessarius tantam vitæ iacturam possit euadere, ita vt fugiat, & alijs videntibus significet se ob alias causas sui itineris celerius ambulare quam antea: semper tamen cauendum erit ne directè, vel indirectè aliqua suspicio causetur confessionis præcedētis, quibus remediis posset vti in dubio, an animus pœnitentis esset verus, vel fictus, quia maxime sua interest. 3

Ad argumentum oppositum respondetur, illam fugam hic & nunc posse esse determinatiuam, & reuelatiuam confessionis, in dubio tamen, an confessio fiat cum animo Sacramentali, vel non, seruandum est sigillum propter reuerentiam Sacramentalem, si aliquod remedium ex dictis à Soto vbi supra non occurrat.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm confessarius interrogatus à iudice de peccato audito in confessione sub iuramento, illud possit negare, & de pœna reuelantis?

1 GABRIEL *in 4. dist. 21. art. 3. dub. 1. casu 3.* Asserit in isto casu confessarium nihil debere respondere, etiamsi in alijs per accidens generetur aliqua praua suspicio, quia non respōdere propter multas causas potest fieri, vnde male faciunt audiētes, vel videntes silentium illud; dum in malā partem interpretantur illud.

2 Pro quæstionis intelligentia notandum est, iudicem solùm posse licite interrogare testes de his, quæ secundùm iudici possunt, & de his quæ iudicio suo sunt subiecta, & in foro exteriori nota, quod si aliter interroget, potest testis enim verbis æquiuocis illudere, & non respondere ad eius mentem. Vt si, verbi gratia, inquisitor Catholicæ fidei efficiens in hac Ciuitate Salmantina quandam Inquisitionem generalem circa peccata ad suum tribunal pertinentia, nimio fidei zelo ductus interroget aliquem, an commiserit aliquod peccatum hæresis mentalis, non tenetur ille alius respondere, ad mentem inquisitoris, sed poterit respōdere se illud non commisisse, intelligendo in sua mēte, vt tibi dicam, vel aliquod aliud, quia secundum probabilem opinionem, quam nos in materia de censuris dum cathedram Legionēsem regeremus, secuti sumus, Respublica Ecclesiastica, vel secularis non habet iurisdictionem in actus mere internos.

3 Quibus suppositis sit prima conclusio. Si iudex interroget confessarium, an sciat, verbi gratia, homicidium Petri, quod ipse audiuit in confessione, non interrogando eum an audierit in confessione, vel non, sed absolutè an audierit, confessarius absolutè, & sine hoc additamento mente retento vt tibi dicam, &c. potest respondere se nescire illud peccatum. Ita sentiunt *D. Thom. in 4 dist. 21. quæst. 3. artic. 1. quæstiuncula 1. ad tertium, Maior quæst. 3. & 8. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 5. ad quartum, Adrianus, quæst. vltima de confessione, Enricus quodlibeto 8. quæst. 29. omnes Summistæ, & recentiores Theologi, & Canonistæ.* Probatur, quia interrogatio hæc iudicis intelligitur, an confessarius illud peccatum cognoscat, ita vt possit illud secundum ius, & secundam rectam conscientiam dicere, sed confessarius, qui scit illud peccatum tantùm ex vi confessionis, non potest neque secundum ius, neque secundum rectam rationem reuelare illud, ergo rectè respondet se illud nescire.

4 Quod si iudex interroget confessarium, an illud peccatum in confessione audierit, licet *Sotus vbi supra*, respondeat, tunc non debere illum quid quam respondere, sed tacere, & obiurgare iudicem propter huiusmodi interrogatibnem.

5 Sit tamen secunda conclusio. Tunc potest respondere confessor, se non audiuisse etiam in confessione, subintelligendo in mente sua, vt tibi dicam. Ita docuerunt *Adrianus quæstione vltima de confessione, Medina, Codice de confessione, quæst. de confessione celanda, Ledesma quæst. 10. art. 1. dubio 6. Suarez loco citato, & Vazquez loco citato, in praecedenti quæstione.* Quia tunc iudex iniuste interrogat, quare confessarius non tenetur ad eius mentem respondere, sed poterit verbis eum illudere, quod etiam patet amplius ex nostro notabili.

6 Sed si confessarius sua sponte vellet esse testis in iudicio circa vitam, & mores sui pœnitentis, & dicat se nō audiuisse peccatum quoddam in confessione, vt furti, verbi gratia, quod tamen revera audiuit in confessione, nunquid hoc potest præstare sine mēdacio? Ad hoc respōdetur cum *Soto, & Vazquez*, rectè posse sine mendacio confessarium dicere etiam in isto casu, se nescire illud peccatum, siue in mente sua intelligat hanc conditionem, vt tibi dicam, siue non retineat eam. Probatur, quia confessarius sic loquens semper intelligitur excipere notitiam confessionis, & secundùm eam nunquam loqui, sed secundùm notitiam habitam extra confessionem, ergo si secūdùm eam rem ignorat, sine vllo mendacio respondet, se nescire.

7 Hinc ex dictis in hac quæst. & in toto isto tractatu sequitur primo semper esse peccatum mortale ex se, & ex genere suo, nisi bona fides aut inaduertētia excuset, reuelare peccatum auditum in confessione, etiamsi illud tantùm sit veniale, quia licet materia remota, vt sic dicam, sit leuis vt ipsa culpa venialis reuelata, tamen materia proxima, scilicet quod reueletur confessio, & odiosa possit pœnitentibus reddi (vt revera potest reddi, etiamsi sola venialia reuelentur.) Materia grauis est, sicut, verbi gratia, comedere paruam buccetam panis, de se materia leuis est, at tamen eam comedere ante sumptionem Eucharistiæ graue peccatum est.

8 Confessio facta Sacerdoti, Sacramentalis, in quam alicuius criminis, nullum effectum ope-

operatur ad torturam, inquisitionem, vel informationem, etiamsi iniquus Sacerdos eam patefaciat, & crimen hoc publicum fiat. Ita communiter Theologi, & Canonistæ, vt notat *Lessius tomo de iustitia lib. 2. cap. 29. dubitatione 17. argumento capitis, si Sacerdos, secundo, de officio ordinarij*. Probatur primò, quia pœnitens non confitetur confessario vt homini, sed vt Deo peccatū, vnde nō magis nocere debet id quàm si soli Deo diceretur. Secūdò quia alias tantùm Sacramentum omnibus, qui crimen occultum commiserunt, suspectum redderetur, & odiosum cum Dei iniuria, qui illud tribunal voluit esse suum, & sine animatum pernicie.

9 Secundò sequitur, omnes illos, qui peccatum aliquod ex vi confessionis cognoscunt, præter confessarium, de quibus supra loquuti sumus, teneri etiam cū discrimine vitæ celare tale peccatū, alias peccabunt mortaliter, quod eisdem rationibus probatur, quibus probatum manet, confessarium non posse reuelare peccatum, etiam cum discrimine vitæ.

10 Sequitur tertiò, non teneri pœnitentem sub sigillo celare defectus, quos confessarius commisit in confessione, quia sigillum solùm ordinatur in bonum, & fauorem pœnitentis, vt confessio reddatur suauis, & amabilis, non vero ordinatur in fauorem confessarij, tenebitur autem ad celandos istos defectus pœnitentis præcepto naturali, quo tenetur seruare famam proximi, vt bene notauit *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. & Reginaldus 1. tom. lib. 3. cap. 1.* Et pœnitens interrogatus extra confessionem de peccato confesso, rectè posset etiam negare illud esse confessum, quia non est confessum vt homini, sed vt Deo.

Quæret aliquis, quæ pœna imponatur confessori reuelanti secretum cōfessionis. Ad quod respondetur *in cap. si Sacerdos de pœnitētia dist. 6.* duas pœnas imponi, primā depositionis à iudice imponendę, secundam vt cogatur iste Sacerdos perpetuo ignominiose peregrinari, *in cap. autem omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs & remissionibus*. Confirmatur eadem depositionis pœna, & additur, vt perpetuo detrudatur in monasterium, vnde antiquum illud ius capitis Sacerdos, de perpetua peregrinatione per hoc ius nouius capitis omnis vtriusque sexus sublatum est, & illa pœna est in perpetuam reclusionem immutata. 11

Sed quæret aliquis secundo, quomodo possit constare de hoc delicto secretissimo? Et respondetur in primis per confessoris dictū posse constare, alioqui alijs coniecturis vtendum, & interdum sufficient plures testes, quamuis non sint contestes propter naturam delicti, circa quod vix possunt plures testes contestes, & eiusdem actus inueniri. Quod si confessor dicat se habuisse licentiam à pœnitente ad reuelandum peccatum, & pœnitens id neget, vt bene notauit *Bernardus Diaz in Practica cap. 109.* in hoc negotio non potest dari certa regula, sed ex qualitate peccati, & circunstantiis personarū, & publicatione delicti præsumptio est desumenda, ad quod videatur *Panormitanus in dicto capite omnis vtriusque sexus.* 12



TRACTATVS VLTIMVS DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit satisfactio?

1 
SIT prima conclusio apud omnes nota. Satisfactio est actio, qua ille qui alterum lesit, tantùm facit, quantum satis est ad iniuriam compensandam, siue quantum is qui læsus est, iuste exigit. Quæ cóclusio nō indiget vlla probatione, quia de se satis est aperta.

2 Ex hac conclusione sequitur, differentiam versari inter restitutionem, & satisfactionem: quia restitutio nihil est aliud quam cessatio ab iniuria, non vero tendit ad resarciendam iniuriam illatam. Quod ex eo patet, quia qui rem alienam inuito Domino retinet, tam diu facit iniuriam, donec rem illam restituat, dum vero restituit cessat ab iniuria vlterius inferenda: pro ea tamen, quæ illata est, non constituit restitutio aliquam satisfactionem, quamuis damna interim proximo sequuta subiaceant restitutioni. Præterea restitutio non respicit personam iniuria affectam, sed damnum illatum, & inæqualitatem productam, quam contendit reducere ad æqualitatem. Satisfactio vero non solùm cótinet cessationem ab iniuria, sed præterea respicit personam iniuria affectam, etiam si talis persona nullum damnum receperit in se. Quantum actionum defferentia respectu Dei facile perspici potest: nam Deo nihil possumus restituere, quia ipse nullum damnum potest à nobis in se recipere, possumus tamen Deo satisfacere pro peccatis nostris, quia illis verè iniuriam Deo irrogamus.

Secunda conclusio. Per satisfactionem non solùm compensamus iustitiam erga Deum, sed etiam amicitiam. Hanc conclusionem defendit *D.Thomas in quarto, dist. 15. quæst. 1. art. 3*, quem vniuersi Theologi sequuntur. Probatur conclusio, quia qui Deum offendit iustitiam quandam lato modo sumptam, & propriam amicitiam Dei violat, ergo qui satisfacit, & iustitiam, & amicitiam restaurare debet. 3

Et quidem eadem actione potest homo iustitiæ simul, & amicitiæ satisfacere, sæpe tamē contingit, vt vna actio solam iustitiam reparet, & altera solam amicitiam. Inter homines id facile apparet: nam si aliquis reus à iudice cogatur contra suam voluntatem tantam pœnam subire, quantam ipse meruit pro iniuria proximo illata, satisfacit pœnæ lege iustitiæ statutæ, non tamen amicitiam amissam cum proximo reparat, quia hæc sine propria voluntate nunquam reparatur. Similiter cum quis aliquem ita grauiter læsit, vt non possit nisi longo tempore iniuriam compensare, is quidem poterit amicitiam recuperare petendo veniam à proximo, postea tamen multo indigebit tempore, vt ei pro damnis ex læsione corporis prouenientibus satisfaciat. Si vero oculos conuertamus ad Deum, reperiemus eadem actione aliquando reparari amicitiā Dei, & omnem pœnam pro peccatis debitam, qui 4

ratio-

ratione beatâ Magdalenâ feruentissimo actu
contritionis, & adquisiuit amicitiam Dei, &
satisfecit pro pœnis debitis peccatis. Aliquan-
do vero reparatur amicitia Dei vnico actu,
& tamen remanet aliqua pœna temporalis,
pro qua quis satisfacie decursu temporis, vt
cum quis iustificatus est per contritionem te-
pidam, parumque feruentem. Deinde potest
contingere pœnam peccatis debitam remitti
secundum aliquos, & tamen amicitiam Dei
prorsus esse amissam, qua ratione in discursu
huius tractatus videbimus, posse hominem in
peccato mortali constitutum satisfacere per
pœnitentias impositas à confessario pro pœ-
nis temporalibus relictis ex peccatis dimissis
in aliqua confessione.

QVAESTIO II.

Vtrùm remissa culpa maneat aliquid pœnæ temporalis purgandum?

a LVTHERVS *in concione de indulgentijs,*
anno 1518. negauit vllam pœnam re-
manere purgandam post remissam cul
pam, quem errorem sequutus est *Ioannes Cal-*
uinus lib. 3. institutionum, capite quarto, § 31. Et
eundem errorem secuti sunt nostri temporis
hæretici, cuius erroris aliqua sunt fundamen-
ta. Primum sit, quia neque in sacris Litteris,
neque apud antiquos Patres inuenitur aliqua
mentio satisfactionis, ergo immerito admit-
tenda est. Secundum fundamentum sit, quia
Deum recordari peccatorum, est ea punire,
& obliuisci peccatorum, est eorum amplius
pœnas non exigere. Sed *Ezechielis* 18. pro-
mittit Deus, se non amplius recordaturum
eorum peccatorum, quæ remissa sunt per pœ-
nitentiam. Vt patet ex illis verbis: *Si au-*
tem impius egerit pœnitentiam ab omnibus pecca-
tis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia
præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam
vita viuet, & non morietur, omnium iniquita-
tum eius, quas operatus est, non recordabor. Er-
go post remissam culpam non remanet ali-
qua pœna luenda. Tertium fundamentum
sit, quia Deus gratis remittit peccata, non
solum quantum ad culpam, sed etiam quan-
tum ad pœnam, ergo ea non remittuntur
per aliquam satisfactionem, quia satisfactio
dicit iustum pretium, & excludit remissio-
nem gratis operatam. Quartum fundamen-
tum sit, quia Christus plene, & integre sa-
tisfecit pro nostris peccatis, ergo nulla no-
bis relinquitur satisfactio pro illis, alias in-
iuria fieret satisfactioni Christi. Vltimum
fundamentum sit, quia Christus, dum Mag-
dalenæ, Paralytico, & Latroni remisit pec-

A cata, nullam imposuit satisfactionem pro illis,
ergo signum est, post remissionem pecca-
torum nullam remanere pœnam purgandam per
satisfactionem.
Sit conclusio de fide. Post remissam cul- a
pam sæpe remanet aliquid pœnæ temporalis,
quod purgandum sit. Probatur conclusio
primo ex *sacris Litteris, Numerorum enim* 14.
Propter preces Moysis Dominus remisit po-
pulo peccatum detractionis, & post factam
remissionem dixit Dominus: *Attamen om-*
nes homines, qui tentauerunt me, non videbunt
terram, pro qua iuraui Patribus eorum, & Nume-
rorum vigesimo. Moyses, & Aaron, quia non
glorificauerunt Deum ad petram loquentes
b ad eam, vt mitteret aquas, sed percusserunt
B eam, quod peccatum sine dubio remisit Deus
illis, quia fuerunt viri sancti, & in gratia re-
cesserunt, post remissum tale peccatum puni-
ti sunt in eo, quod mortui sunt, antequam po-
pulus ingrederetur terram promissionis, vt
patet ex illis verbis *Deuteronomij* 32. vbi Do-
minus sic alloquitur Moysem. *Ascende in*
Montem istum Abarim, id est, transituum, in
Montem Nebo, qui est in terra Moab contra Hie-
rico, & vide terram Chanaan, quam ego tradam
filijs Israël obtinendam, & morere in Monte,
quem conscendens iungeris populis tuis, sicut
mortuus est Aaron frater tuus in Monte Hor,
& appositus populis suis, quia præuaricati estis
contra me in medio filiorum Israël ad aquas con-
tradictionis in Cades Deserti Sin, & non sancti-
C *ficastis me inter filios Israël.* Præterea *secundo*
Regum decimotertio, Dixit Nathan ad Dauid
Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te.
Et tamen Propheta statim prædixit mala,
quæ passurus erat per tale peccatum. *Et se-*
cundo Regum 24. Dauid Deum offendit in nu-
merando populo, & postquam per pœniten-
tiam obtinuit remissionem illius peccati, da-
tur illi à Deo optio, vt eligat in pœnam sui
peccati bellum, famem, aut pestem. Tan-
dem probatur conclusio ex *Matthæi tertio*, vbi
Ioannes Baptista dixit Iudæis: *Facite ergo fru-*
ctum dignum pœnitentiæ. per quem fructum in-
telliguntur bona opera satisfactoria pro pec-
catis iuxta doctrinam *Diui Chrysostomi, &*
Theophilacti, & aliorum. Secundò probatur
D conclusio ex *Concilio Carthaginensi tertio, capi-*
te 31. *& ex Concilio Florentino Sessione vltima,*
in Decreto Eugenij, & ex Concilio Tridentino
Sessione 14. *canone* 12. Cuius hæc sunt verba:
Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa re-
mitti semper à Deo, satisfactionemque pœ-
nitentium non esse aliam, quam fidem, qua ap-
prehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathe-
ma sit. Tertiò probatur ex antiquissimo Ec-
clesiæ vsu, secundum quem pœnitentibus locus
assignabatur, vbi opera satisfactoria pro pec-
catis exhiberent. Vltimò probatur, quia Sancti

Patres sæpe meminerunt huius satisfactionis, vt *Augustin.tomo 7.lib.2. de peccatorum meritis, & remissione, cap.34. & tomo 10. Sermone 39. de Sanctis, & Chrysostomus homilia de pœnitentia, & confessione.* & alij multi Patres, quorũ innumera testimonia colligit *Canisius in suo catechismo de Sacramento Pœnitentiæ, cap.7.*

3 Ex his respondetur argumentis in oppositum. Ad primum dicimus, huius satisfactionis nostræ magnam fieri mentionem, & in sacris Litteris, & in sanctis Patribus. Ad secundum argumentum respondet *Pater Vazquez tom.4. in 3. part. quæst.94. art.1. dubio.1.* Optime iuxta contextum *Ezechielis*, ibi Deum promittere, se non recordaturum iniquitatum eorum, qui egerint pœnitentiam, vt morte æterna, & pœna inferni eos puniat, non autem promittere Deum, se non puniturum peccata remissa media aliqua pœna temporali. Ad tertium respõdetur, non obstante vera satisfactione à nobis exhibita pro nostris peccatis, verè dici Deum remittere gratis nobis peccata, quia gratis omnino nullo opere nostro præcedente præuenit nos Deus suo auxilio, & gratia, vt verè satisfaciamus. Vnde cum totum negotiũ satisfactionis nitatur gratia Dei gratis nos præueniente, optime dici potest, Deum gratis nobis remittere peccata. Ad quartum respondetur cum *Vega. lib.13. super Concilium Tridentinum, capite 39. & cum Vazquez loco citato*, Christum satisfecisse pro nostris peccatis quantum ad culpam, & pœnam quoad sufficientiam, quia meruit nobis omnia auxilia necessaria ad hoc, vt peccata deleantur, esse tamen necessariam nostram operationem, & applicationem Sacramentorum, vt meritum Christi nobis efficaciter prosit. Ad vltimum argumentum contrariæ sententiæ dicimus, credibile esse Magdalenam, & bonum Latronem ita perfectam habuisse contritionem peccatorum, ac feruẽtem, vt omnino ea deleuerit peccata quantum ad culpam, & pœnam, paralyticus vero, vel prædictam nactus est cõtritionem, vel aliquam exhibuit satisfactionem, licet eam non inueniamus in sacris litteris.

QVAESTIO III.

Vtrum pœna temporalis, quæ aliquando remanet post remissam culpam, tollatur bonis operibus condigne?

1 HÆRETICI nostri temporis, vt *Lutherus, Philippus, Ioannes Caluinus, & Martinus Kemnitius*, quorum meminit doctissimus *Bellarminus tomo 2. lib.4. de pœnitentia cap.3. & 7.* nullo modo admittunt, nostris operibus vllam fieri satisfactionem pro peccatis, hæreticorum fundamenta postea subijciemus.

2 Sit prima conclusio de fide. Aliquæ sunt pœnæ temporales huius vitæ, quæ non vult Deus nostris bonis operibus redimi, quia illas vult à nobis tolerari. Hoc probatur primò, exẽplo mortis humanæ, quia nullus eam quantumuis iustus aliquo pio opere vitare potuit. Probatur secundò, ex pœna illa Moysis, cuius meminimus in præcedenti quæstione, ne intraret in terram Promissionis, quam nullo modo declinauit precibus, aut alijs bonis operibus.

Secunda conclusio de fide. Aliquando pœnæ temporales huius vitæ tolluntur bonis operibus. Probatur primò ex illis verbis *Hieremiæ 18. Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud, si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Præterea 2. Paralipomen. 7. sic loquitur Dominus. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis, & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Tandem vt apparet *Ionæ cap. vltimo* Niniuitæ, qui ob grauia peccata meruerant subuersionem suæ ciuitatis, ieiunijs, saccis, & precibus obtinuerunt à Deo conseruationem suæ ciuitatis. Ex his ergo manifeste liquet, aliquas esse pœnas temporales huius vitæ, quæ nostris bonis operibus deleantur.

Tertia conclusio. Pro pœnis temporalibus relictis post remissam culpam, & in purgatorio luendis rectè potest homo in hac vita condigne satisfacere. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist.15. quæst.1. art.2. quæstiuncula 1. Diuus Antoninus 3. part. tit.14. cap.20. in initio, Suarez tomo 4. in 3. part. disp 37. sect. 9. Vazquez tomo 4. in 3. part. quæst.94. art.1. dubio 3. & nouissime Coninc. tom. de Sacramentis, disp.10. de satisfactione, dubio 3. & communiter Theologi.* Probatur conclusio primo ex *Concilio Tridentino, Sessione 14. cap.8. Cuius hæc sunt verba. Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Vbi cum Concilium eodem modo loquatur de merito nostro virtute Christi, & de satisfactione, sicut meritum nostrum in ordine ad vitam æternam est de condigno, ita etiam satisfactio nostra pro pœnis temporalibus est de condigno. Secundò probatur, quia bona opera nostra merentur de condigno vitam æternam, quod maius quid est, & difficilius, ergo etiam merentur remissionem pœnæ temporalis, quod facilius est, & minus. Tertiò probatur,

batur, quia ad meritum de cõdigno nihil aliud
requiritur, quam dignitas operantis, & pro-
portio operis cum eo, quod per tale opus me-
retur. Sed cum nostra bona opera operamur
in statu gratiæ reperitur dignitas operantis, &
proportio operum cum remißione pœnæ tẽ-
poralis relictæ post peccatum remissum, ergo
reperitur quidquid necessarium est ad condig-
nam satisfactionem pro tali pœna.

5 Quæres tamen primo, an pœna temporalis
relicta post remissam culpam maneat ex sola
Dei voluntate, an vero ex natura rei? *Scotus in
4. dist. 2 a. quæst. 1. §. de secundo argumento.* Senti-
re videtur, pœnam temporalem manere soluẽ
dam ex mera Dei voluntate, non ex natura iu
stificationis. Verumtamen respondetur cum
Vazquez loco citato, dubio 7. pœnam temporalẽ
quæ purganda est pro peccatis dimißis in hac
vita, vel in alia, remanere ex natura iustifica-
tionis, non vero ex voluntate Dei commutan-
tis pœnam æternam in temporalem. Quod pa
tet, quia quemadmodum iustificatio hominis
non fit per voluntatem Dei condonantis pœ-
nam æternam, & superuenientem voluntati
Dei infundenti in anima qualitatem gratiæ iu
stificantis, sed ex natura rei aufertur reatus pœ
næ æternæ ex eo, quod per infusionem gratiæ
animæ inhærentis ex natura rei constituitur
homo dignus vita æterna, & dignus, qui careat
morte æterna, & pœna æterna, ergo ex natura
rei aufertur ab eo homine dignitas, seu reatus
pœnæ æternæ, quia impossibile est, eundem
hominem simul esse dignum pœna æterna, &
vita, seù præmio æterno. Sed secundum fidem
certum est, vt vidimus in secunda quæstione,
post remissam culpam manere aliquando tem-
poralem pœnam luendam, ergo non manet
per voluntatem Dei commutantis pœnã æter
nam in temporalem, sed ex natura rei. Et con
firmatur, quia quælibet iustificatio tollit pœ-
nam æternã ex natura rei, quia cũ ea habet na-
tura sua oppositionem, at non omnis iustifica-
tio, sed ea tantùm, quæ fit per actus feruentes
habet oppositionem cum pœna temporali, er-
go ex natura rei, cum illa iustificatio fit per
actus tepidos, & remissos, manet pœnæ tempo
ralis reatus in anima. Neque potest affirmari,
hominem ex sola voluntate Dei puniri post
culpam remissam, cum alias non sit dignus ta-
li pœna: Deus enim neminẽ punit, qui non sit
dignus pœna. Tùm etiã, quia si sola voluntate
Dei pœna adderetur tẽporalis iustificato, non
diceretur homo post iustificationem dignus
pœna temporali, sicut per solam voluntatem
Dei non dicitur homo dignus præmio. Neque
mirum videri debet, manere hominem dignũ
pœna temporali sine vlla culpa, sed potius cũ
statu gratiæ, quia non est inconueniens, homi-
nem dignum vita æterna dignum etiam esse,
vt à consecutione vitæ æternæ aliquantulum

A retardetur, licet esset inconueniens, ab ea in
perpetuum excludi, sicut inter homines con-
tingit, Petrum redire in amicitiam Ioannis læ-
si, & tamen Ioannem ab eo satisfactionem exi
gere.

Quæres secundò, an opera nostra sint satisfa 6
ctoria de condigno pro pœna temporali ex na
tura sua eo ipso, quod eliciantur ab homine iu
sto, & ex auxilio Dei, an vero ex Dei benigna
acceptatione, qua vult intuitu ipsorum pœnas
temporales remittere? *Durandus in 4. dist. 15.
quæst. 5. ad secundum*, Respõdet, hominem tan-
tùm posse Deo æqualiter satisfacere pro pœ-
na ex beneuolentia Dei acceptantis talem sa-
tisfactionem, cui sententiæ videntur adhærere
illi Theologi, qui dicunt opera iustorum eli-
B cita in statu sanctitatis, & procedentia ex au-
xilio gratiæ Dei totam dignitatem, & rationẽ
meriti vitæ æternæ desumere ex promißione,
& pacto Dei volentis acceptare ea opera ad
præmium vitæ æternæ. Qua ratione loquun-
tur *Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. §. hic potest dici,
Alfonsus de Castro, lib. 10. de hæresibus, verbo me-
ritum, & alij.* Respondetur tamen, prædicta o-
pera iustorum ex auxilio gratiæ Dei proue-
nientia esse de condigno satisfactoria ex natu-
ra sua, & absque vllo pacto, aut acceptatione
Dei superueniente ipsis operibus (vbi non lo-
quimur de satisfactione facta virtute clauium
Ecclesiæ, de qua postea disputabimus.) Hanc
resolutionem defendunt *D. Thom. prima secun-
dæ, quæst. 114. art. 3. in corpore, cuius hæc sunt ver
C ba. Si autem loquamur de opere meritorio, secundũ
quod procedit ex gratia Spiritus sancti, sic est meri-
torium vitæ æternæ ex condigno. Et infra sic in-
quit, Attẽditur etiam pretium operis secũdum dig-
nitatem gratiæ, per quam homo consors factus di-
uinæ naturæ adoptatur in Filium Dei.* Diuũ Tho
mam quantum ad hanc partem comitantur
*Caietanus super articulum citatum Diui Thomæ,
Capreolus in secundo Sententiarũ, dist. 27. q. 1. a. 3.
ad tertium, & alij.* Qui dum dicunt, bona opera
iustorum esse meritoria vitæ æternæ absque
promißione, acceptatione, & pacto Dei, etiã
idem videntur sentire de operibus nostris sa-
tisfactorijs respectu pœnæ temporalis. Sed in
proprijs terminis nostram resolutionem defen
dit *Gabriel Vazquez 4 tomo in 3 part. quæst 94.
D art. 1.* Hoc autem probandum est ex eo, quod
probatur opera iustorum ex auxilio Dei eli-
cita sine vlla alia Dei condonatione, aut pacto
esse condigne meritoria vitæ æternæ: nam quã
tum ad hoc eadem est ratio meriti, & satisfa-
ctionis. Probatur autem primò, talia opera es-
se meritoria gloriæ absque vllo pacto, quia si
tota ratio cõdigni meriti nostrorum operum
prouenit ex promißione, & ex acceptatione
Dei, sequitur, iustitiam, & æqualitatem, quæ
attenditur in reddenda vita æterna bene labo-
rantibus, non attendi inter laborem, & opera

ipsa ex vna parte, & mercedem vitæ æternæ A
ex alia, sed in eo, vt promissum compleatur,
quod maximum videtur inconueniens, tum
quia etiam in eo casu, quo Deus promitteret
gloriam sine vllis nostris operibus, diceretur
illā nobis donare ex iustitia, quia seruat æqua-
litatem inter mercedem, & promissionem, tū
quia ea ratione maxime detrahitur dignitati
eorum operum, quæ à iustis eliciuntur. Secun
do probatur, quia si Deus alicui peccato com-
minaretur maiorem pœnam, quam ipsum me-
reretur natura sua, non tamen propterea illud
peccatum diceretur dignum tali pœna, ergo
etiam si Deus promittat operibus iustorum
vitam æternam, aut acceptet ea ad vitam æter-
nam, non tamen ob hoc opera ipsa efficiuntur
digna vita æterna, si alias ex natura sua non B
sunt condigna. Sed bona opera iustorum sunt
sine dubio digna vitæ æternæ, vt Sacra Scrip-
tura multis in locis clamat, ergo non recipiūt
suam dignitatem ex aliquo pacto Dei super
addito naturæ ipsorum operum cum debitis
circunstantijs elicitorum. Vltimò, confirma-
tur, quia homo per sanctitatem sibi inhæren-
tem constituitur Sanctus, & Filius Dei adop-
tiuus secundum illud, *Ioan. 1. quotquot autem re
ceperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri:*
Et hoc absque vllo fauore, & acceptatione di-
stincta ab ipsa infusione gratiæ, filius autem
etiam si tantum sit adoptiuus, est hæres, iuxta
illud *Pauli ad Galat. 4. si quod filius, & hæres per
Deum.* Ergo sanctitas constituens hominem na
tura sua filium Dei adoptiuum constituit illū C
natura sua hæredem hæreditatis Dei, quæ est
vita æterna, ergo eadem sanctitas efficit opera
iustorum digna vitæ æternæ natura sua tanquā
præmij, & coronæ: nam filius obediens patri
dignus est hæreditate patris ex natura meriti,
& operis obedientiæ. Quod si probatum relin
quitur, opera iustorum ex se, & natura sua, &
absque vllo pacto Dei super addito esse meri-
toria de condigno vitæ æternæ, aperte liquet,
eadem opera ex se, & absque tali pacto esse sa-
tisfactoria pro pœnis temporalibus relictis
post culpam dimissam, quod minus est. Et qui-
dem licet prædicta certa sint, negare tamen nō
possumus, quin vt nostra opera de facto satisfa
ciant, & remittant pœnas temporales alterius
vitæ infallibiliter, necessaria sit promissio Dei D
promittentis remissionem talis pœnæ cum cō
ditione talis operis. Quod indicauit, *Conc. Tri-
dent. dum sess. 14. cap. 8. sit inquit, omnis gloriatio
nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo mere-
mur, in quo satisfacimus, facientes fructus, dignos
pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offerun-
tur Patri, & per illum acceptantur à patre,* Nā in
illis verbis, *In quo satisfacimus,* Significat Con-
cil. gratiam collatam per Christum ad hæc o-
pera efficienda, & in illis verbis postea subie-
ctis, *Ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptā-
tur à Patre.* Necessariò denotatur necessariam
esse prædictam promissionē. Secundo proba-
tur, quia pœna parua huius vitæ est satisfacto-
ria pro magna pœna alterius vitæ per modum
meriti natura sua, ergo vt ea magna pœna tolla
tur, necessaria est promissio Dei. Quemadmo
dum ad hoc vt dominus vineæ det pro labo-
re diurno denarium, nō satis est operarium tā
tum laboris impendere, quantum sit necessa-
rium ad condigne merendum denarium, sed
vltra requiritur pactum domini vineæ.

Quæres tertio cum in hac vita satisfaciamus 2
condigne pro aliquibus pœnis temporalibus,
vt pro pœnis soluendis in purgatorio, ita, vt il
læ pœnæ omnino deleantur, & non satisfacia-
mus pro alijs pœnis temporalibus huius vitæ,
ita vt à nobis auferantur, vt vidimus in prima
conclusione huius quæstionis? Respondemus,
duas rationes huius notatæ differentiæ assigna
ri posse alijs relictis. Prima sit, quam inuenit
pater *Conin. tomo de Sacramentis disp. 10. de satis
factione dub.* 3. Scilicet, quia aliquas pœnas
Deus imponit in hac vita, & pro illis nullam
satisfactionem admittit, quia ea ratione vult
ostendere seueritatem suam in puniendis de-
lictis, vt ita peccantes deterreat à nouis pec-
catis committendis, & vt ea ratione aliorum
saluti prospiciat, qui in alieno capite cau-
tiores in dies euadant ad cauenda peccata.
Pœnæ verò purgatorij peccatis debitæ remit
tuntur nobis media satisfactione nostrorum
operum, quia illæ non infliguntur, vt pec-
catores amplius corrigantur, sed solum, vt
iustitiæ vindicatiuæ satisfiat. Secunda verò
ratio huius discriminis prædicti, quam nos
excogitauimus, sic se habet, quia scilicèt ali-
quæ sunt pœnalitates, & labores in hac vita,
quas vult Deus remanere ad exercitium vir-
tutum, & vt homo tales labores patienter
tolerans patientiam adquirat, humilitatem
augeat, & spem in Deo foueat, non verò in vindictam delictorum: qua ratione his
adultis, qui cum vera dispositione bapti-
zantur, relinquuntur à Deo infirmitates,
bella, & aliæ calamitates, etiam si pecca-
ta eorum prorsus sint dimissa quantum ad
culpam, & pœnam: & qua ratione Diuo
Paulo post confirmationem in gratia, &
post totalem abolitionem peccatorum quan-
tum ad maculam, & reatum pœnæ, da-
tus est stimulus carnis eius An-
gelus Sathanæ, qui
eum colaphi-
zaret.
(?)

QVÆ-

QVÆSTIO. IIII.

Vtrum per opera extra charitatē facta possimus Deo pro pœna temporali ex peccato antea dimisso relicta satisfacere?

1 IN præsenti non disputamus de satisfactione imposita virtute clauium Ecclesiæ in confessione sacramentali, quia de ea specialis est nobis futurus sermo posteà in hoc tractatu. Sed loquimur de satisfactione alis extra forum sacramentalem operata.

2 Prima sententia generaliter defendit, posse nos satisfacere temporali pœnæ relictæ post peccatum remissum per opera facta in statu peccati mortalis. Hanc sententiam inter alios docuerunt, *Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 5. §. de quarto dicitur, Nauar. cap. 1. de pœnit. dist. 6. in principio num.* 46. Probatur hæc sententia vnica ratione, quia apud Regem terrenum, cum aliquis propter delictum meretur pœnam abscissionis capitis, & illam patitur, etiam si illam patiatur extra gratiam, & amicitiam Regis, totam pœnam debitam soluit, ergo similiter ille, qui existit in statu peccati mortalis, dum aliqua opera pœnalia efficit, potest soluere totam pœnam temporalem debitam peccatis antea dimissis.

3 Et quidem multas conditiones operis satisfactorij requirunt hic aliqui Doctores, & de illis late disputant, ab aliquibus tamen earum super sedendum duxi, quia illæ potius pertinent ad primam secundæ diui Thomæ, & ad quæst. 114. de merito. Atque ita tantum immorabimur in his explicandis, quæ ad nostrum institutum proxime pertinere videntur.

4 Quibus suppositis sit prima conclusio. Nullus in peccato mortali existens potest satisfacere pro pœna tēporali ratione peccati remissi debita. Verbi gratia. Cōfessus est quis semel, & cum debita dispositione fractionē ieiunij quadragesimalis, & post talem confessionem, quia non plene deplorauit peccatum, manet obnoxius pœnæ Purgatorij luendæ per annum, & postea contingit, eundem hominem labi in nouum peccatum mortale: dicimus ergo existentem in statu huius noui peccati non posse satisfacere pro pęna temporali prædicta. Hāc conclusionem pro viribus defendunt, *D. Tho. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. D. Bonauent. eadem distinctione 1. p. art. 1. quæst. 3. Dominicus Sotus in 4. d. 19. quæst. 1. art. 4. Suarez 4. tomo in 3. part. disp. 37. sect. 1. Gabriel Vazquez 4. tomo in 3. part. quæst. 94. art. 1. dubio 4.* Probatur primo, ex *Concil. Trident. sess. 14. cap.* 8. Vbi hæc duo testimonia adducit Cōcilium. Primū fit his verbis: *Accedit ad hæc, quod dum satisfa-*
A *ciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* Secundum testimonium his verbis continetur, *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.* Quæ testimonia vera esse non possent, si solis operibus pœnalibus extra gratiam, & sanctitatem factis posset contingere satisfactio. Probatur deinde conclusio rationibus. Prima sit, quia quemadmodū offensa sumit grauitatem suam ex persona offensa; ita vt quo persona offensa excellentior est, eò
B maior sit ratio offensæ: ita etiam satisfactio desumit suum valorem ex persona satisfaciente, sed ille, qui existit in peccato mortali, nullius est valoris, & dignitatis, ergo inde satisfactio non potest desumere aliquam dignitatem ad hoc, vt deleat offensam. Secunda ratio sit, quia si satis est ad satisfaciendum, pati aliquam pœnam, & non requiritur dignitas aliqua personæ, sequitur, neque etiam requiri satisfacientem cognoscere id, quod patitur, aut patienter id tolerare, quia sine his conditionibus vere patitur: at hæc consequentia sunt absurda, ergo etiam illud, ex quo sequitur. Vltimo probatur conclusio, quia opera facta extra statum charitatis neque sunt satisfactoria pro pœnis temporalibus de condigno, neq; de congruo:
C at non est aliud genus meriti præter hæc duo, ergò nullo modo sunt satisfactoria. Maior propositio huius discursus probatur: Et quidē in primis non sunt satisfactoria de cōdigno, quia satisfactio de condigno pro pœna temporali, nihil aliud est, quam meritum de condigno remissionis pœnæ temporalis: sed existens in peccato mortali non potest mereri de condigno remissionem pœnæ temporalis: quia non potest condigne mereri aliquod temporale bonum, cum condigne mereatur amissionem cuiuscunque boni temporalis, sequitur ergo manifeste, non posse prædictum peccatorem condigne satisfacere pro pœnis temporalibus. Præterea talia opera non sunt satisfactoria de congruo, quia meritum de congruo consistit
D in impetratione, sed tale opus non impetrat remissionem pœnæ temporalis, quia non constat, impetrationem huius remissionis promissam esse à Deo operibus peccatoris: sicut aliquibus operibus hominis peccatoris promissa est remissio peccatorum, impetratiua enim vis promissione nititur.

Sit secunda conclusio. Ex parte operis secundum authores citatos in prima conclusione, necessarium est, opus esse voluntarium aliquo modo satisfacienti. Probatur quia in hoc distinguitur satisfactio à satispassione, quod 5

satisfactio

satisfactio requirit voluntariam susceptio-
nem pœnæ, propter quod habet specialem ra
tionem meriti, at vero satispassio hoc non re-
quirit: ob quam rationem pœnæ à Deo nobis
inflictæ non habent rationem satisfactionis, ni
si eas voluntariè suscipiamus.

6 Ad argumentum oppositæ sententiæ respõ
detur, apud Regem terrenum satisfacere delin
quentem pro pœna temporali debita suis pec-
catis, quando pariter totam pœnam per legẽ
assignatam, etiam si delinquens eam tolerãs
sit inimicus Regis, quia ipsi tolerantiæ pro-
missa est remissio pœnæ per legem: at vero
peccator efficiens aliqua opera bona in statu
peccati mortalis non satisfacit, medijs illis pro
pœnis temporalibus, quia his operibus nõ est
promissa à Deo remissio pœnæ. Si enim hæc
esset promissa, prædicta opera satisfaceret sal-
tim de congruo.

7 Quæres tamen primo, quia status gratiæ re
quiratur ad satisfaciendum? Ad hoc responde-
tur cum communi sententia Theologorum, ad
hunc finem necessariam esse gratiam status
viatoris, id est hominis commorantis in hac vi
ta mortali, & corruptibili. Probatur, quia quã
diu homo in hac vita commoratur, versatur in
certamine quodam, & palæstra, in quo potest
mereri, & demereri, habetque in sua potesta-
te constitutam vitam, & mortem spiritualem,
ergo potest opus satisfactorium elicere, me-
dio quo paruo suo labore compenset ingen-
tem calamitatem luendam, sicut paruo quodã
opere virtutis vitam æternam promeretur, in
alia verò vita non est locus satisfactioni, sed tã
tũ satispassioni, animæ enim in purgatorio
existentes, (nam de alijs existentibus in alijs
locis nullus remanet dubitandi locus,) ex eo
non possunt satisfacere pro pœnis temporali-
bus debitis, sed tãtum satispati totum id, quod
lege diuina statutum est in pœnam peccato-
rum. Quia ibi sunt quasi in carcere detentæ, nõ
verò in palęstra: & quia, sicut non sunt in statu
merendi vitam æternam, ita etiam non sunt in
statu satisfaciendi pro pœna.

8 Quæres secundo, an possit homo in hac vita
satisfacere pro vno peccato non satisfaciendo
pro alijs? Huic puncto longius, quam necesse
sit respondet, *Conin. tom. de Sacram. disp.* 10. *du-
bio* 6. Breuiter tamen respõdetur iuxta doctri
nam *Suarez tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 37. *sect.* 2. *n.* 6.
Existẽte in homine reatu aliquo æternæ pœ-
næ ratione alicuius peccati mortalis, non pos-
se eum satisfacere pro pœna aliqua æterna, vel
temporali debita alteri peccato, vt late proba-
uimus in prima conclusione huius quæstio-
nis, quia status ille, & meriti vitæ æternæ in
capacem hominem reddit, & talis satisfactio-
nis. Secundo respondetur remanente in ani-
ma culpa veniali, nondumque expiata per pę
nitentiam, non posse hominem tali macula af-

A fectum pro pęna illi debita satisfacere, nisi cul
pa illa deleatur. Patet quia satisfactũ esse pro
culpa nihil aliud est, quam remissam esse pœ-
nam ei debitam, & ablatum esse reatum pœnæ
correspondentis illi culpæ: sed quandiu culpa
venialis manet in anima, semper homo est dig
nus pœna illi correspondẽte; quia dignitas pę
næ est passio culpæ ab ea inseparabilis, ergo
non potest pro ea satisfacere, alias sequeretur
eum satisfecisse, & non satisfecisse. Tertio res
pondetur, hominem in gratia Dei constitu-
tum, & in statu peccati venialis recte posse sa-
tisfacere pro pœna temporali debita peccato
veniali, aut mortali, iam remisso quoad culpã.
Patet, quia peccatum veniale nõ tollit statum
gratiæ necessarium ad satisfaciendum, & etiã
B non implicat hominem, qui ratione vnius pec
cati venialis non remissi est dignus pœna pur
gatorij per annum, & ratione alicuius peccati
mortalis, vel venialis iam remissi est dignus
pœna purgatorij per alium annum, satisfacere
pro pœna debita in secundo anno, & dignum
manere pœna debita pro primo anno. Secun-
do probatur hoc tertium responsum, quia po-
test remitti culpa mortalis, & vna culpa venia
lis sine eo quod alia culpa venialis remittatur,
vt patet ex supra dictis in hac materia de pœ-
nitentia, ergo etiam potest remitti pœna tem-
poralis debita peccato mortali, aut veniali iam
remisso, etiã si in anima adhuc relinquatur ali-
quod peccatum veniale, quia difficilius est re-
mitti culpam, quam pœnam. Vltimo respon-
C detur id, quod satis liquet ex dictis, in eo casu,
quo homo pro vno peccato dimisso debeat
quandam pœnam temporalem, & aliam pro
alio, recte posse pro vna parte pœnæ satisfa-
cere, sine eo quòd pro alia satisfaciat. Patet,
quia in hoc nullum experimur inconueniens,
quemadmodum inter homines sæpius contin-
git hominem alteri debentem aliquam quanti
tatem pecuniæ soluere ei vnam partem, & aliã
debere.

Quæres tertio, an opera extra statum chari
tatis, & gratiæ facta, quæ supra diximus nul-
lius esse valoris, & efficacię ad satisfaciendum
pro pœnis temporalibus, postea adueniente
D charitate reuiuiscant, & fiant pro his pœnis
satisfactoria aliqua ratione? *D. Thom. in* 4. *dist.*
15. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 3. *ad* 3. Significare vide
tur, ea opera incipere esse satisfactoria adue-
niente charitate. Verba eius hæc sunt. Ad ter-
tium dicendũ, quod aliquæ satisfactiones sunt,
ex quibus manet aliquis effectus in satisfacien
tibus, etiam postquam actus satisfactionis trãs
sit, sicut ex ieiunio manet corporis debilita-
tio, ex eleemosynis largitis diminutio substan
tiæ, & sic de similibus. & tales satisfactiones in
peccatis factæ, non oportet, quod iterentur,
quia quantum ad id, quod de eis manent, per
pœnitentiam acceptę sunt. Respondetur tamẽ

cum

cum communi sententia Doctorum antiquorum,& recentiorum,prædicta opera etiam adueniente postea eis charitate neque reuiuiscere, neque vllam recipere vim ad satisfaciendum pro pęnis temporalibus.Ita sentiunt,**Sotus in 4.dist.19.quæst.1.art.5. Medina codice de satisfactione,quæst.2.Adrianus quæst.2. de satisfactione,Suarez 4.tomo in 3.part.disp.37.sect.2.num.8.Vazquez 4.tomo in 3.part.quæst.94.art.1.** Probatur ratione,quia opera facta in peccato mortali nunquam reuiuiscunt,vt condigne mereātur vitam æternam,quia non contingit reuiuiscere id,quod nunquam habuit vitam, neque etiam viuificantur per charitatem subsequentem,quia charitas subsequens non potest viuificare opera præterita, ergò neque etiam eadem opera reuiuiscunt, aut viuificantur, vt sint satisfactoria de condigno pro pęnis temporalibus;quia charitas operantis eodem modo requiritur ad satisfaciendum de condigno, & ad merendum de condigno. Et quidem verbis D. Thomæ varias adhibent solutiones authores recentiores aliqui, alij verò, vt Vazquez loco citato nullam congruam inueniunt solutionem. Placet tamen defendere D. Thomam solum voluisse,effectus relictos ex operibus bonis in statu peccati mortalis factis, scilicet,macerationes corporis relictas ex ieiunio, vel ex flagellatione prodesse quidem adueniente charitate, quatenus offeruntur à Deo in compensationem pœnarum temporalium, ita vt non sint tales effectus satisfactorij pro his pœnis,quatenus dimanant ex bonis operibus in statu peccati mortalis factis, sed quatenus per nouos actus offeruntur Deo ab homine iusto,& sancto, post quam recuperata est charitas,

QVAESTIO V.

Vtrùm quodlibet opus etiam si non sit pœnale,sit satisfactorium pro pœna temporali.

1 HÆc quæstio duplicem sensum potest reddere, primum an omne opus bonum sit satisfactorium, secundum an sit satisfactorium ratione alicuius pœnæ, quam in se continet,an vero sit satisfactorium ex propria natura, & specie, & ex dignitate morali,quam in se habet: & in vtroque sensu à nobis examinanda est quæstio.

2 Prima sententia defendit, omne opus meritorium esse satisfactorium,etiam si pœnam nō cōtineat ratione dignitatis,& meriti vitæ æternæ,quod in se habet ex eo,quod sit opus virtutis elicitum ab homine iusto,& sancto. Ita sentiunt **Scotus in 4.dist.15.quæst.1.§. de tertio dico.** A **Gabriel ibidem quæst 1.art.1.notabili 1. Dominicus Sotus in 4.dist.19.quæst.2.art.1. Gabriel Vazquez 4.tomo in 3.partem quæst.94.art.1. dubio 5.** Probatur hæc sententia primo ex Concilio Tridentino sess.14.Cano.13. his verbis, *si quis dixerit,pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis,& patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis,sed neque sponte susceptis,vt ieiunijs orationibus eleemosynis,vel alijs etiam pietatis operibus,atque à Deo optimam pœnitentiam esse nouā vitam tantum,anathema sit,* In quibus verbis in primis denotat Concilium homines satisfacere per opera pœnalia,quæ sunt ieiunia,orationes,& eleemosynæ, deinde docet etiam eos satisfacere per opera non pœnalia, quia asserit B etiam satisfacere per opera aliarum virtutum. Secundo probatur conclusio,quia omnia opera etiam si pœnalia non sint,si tamen sunt opera virtutis,& ab hōmine iusto eliciuntur, sunt meritoria vitæ æternæ, quod plus est, ergo etiam sunt satisfactoria pro pœna temporali, quod minus est. Tertio probatur ratione Vazquez,quia qui suis operibus condigne meretur consequi gloriam, etiam si aliunde reus sit temporalis pœnæ soluendæ,quo plura congerit opera,non tantum plus gloriæ meretur,sed etiam magis appropinquat consecutioni gloriæ,ergo magis se expedit à debito pœnæ temporalis,ergo satisfacit illis operibus pro pœna temporali. Addit vero Vazquez ibidem,satisfactionem præcipuè desumi ex opere virtutis,ex eo quod laboriosum est,quia cum sa-C tisfactio sit pro pęna, præcipue reperitur in passione aliqua,quam homo sibi assumit, ante quam ei infligatur ?

Secunda sententia est, **Scoti in 4.dist.15.q.1.§.de Tertio,dico Gabriel dist.16.quæst.2.art.1.notabili 1.** Affirmantium satisfactionem regulariter solum fieri per opera pœnalia, verisimile tamen esse Deum remittere aliquam pęnam temporalem propter aliquod opus perfectum charitatis. 3

His tamen non obstantibus sit prima conclusio,omne opus bonum est etiam satisfactorium pro pęna temporali. Conclusionē docent **Caiet. tomo 1.opusculorum tractatu 6.quæst.1. Ledesma 2.par.4.quæst.4.art.1.dub.2.Suarez 4.to-** 4 D **mo in 3.part.disp.37.sect.6.num. 8. & Vazquez loco citato,** Probatur cōclusio, quia omne opus bonum est homini laboriosum, & aliquam secum affert difficultatem,ergo aliquo modo est pęnale,quare aliquo modo erit satisfactoriū; & quidem licet homines aliqui iusti per continuam exercitationem bonorum operum in aliqua virtute fere nullam reperiant difficultatē in bene operando, tamen quia semper aliquā sentiunt, & feruentius ac alacrius operantur, inde opera eorum maiorem sumunt rationem satisfactionis. Secundo probatur quia omne opus

opus vlti; respicit bonum vtile, aut delectabile sibi, ergo opus virtutis ei oppositum pœnale esse debet, quia priuat ea vtilitate, aut delectatione. Vnde sequitur, quodlibet opus bonũ esse simul meritorium vitæ æternæ, si fiat cum omnibus suis circunstantijs, & satisfactorium pro pœna temporali, si eisdem circunstantijs adiungatur, neque diminui, vt optime notauit *Ioannes Medina Codice de satisfactione quæst. 4.* Rationem meriti ex eo quod coniungatur cũ ratione satisfactionis in eodem opere, quia cũ istæ rationes ex diuersis principijs dimanent, nam ratio meriti prouenit ex dignitate operis, & ratio satisfactionis ex pœnalitate inuenta in ipso opere, vna ratio non impedit aliam, quemadmodũ in naturalibus videmus in eodẽ lacte reperiri albedinem, & dulcedinem, & neque dulcedinem diminui ex coniunctione cũ albedine, nec è contra.

5 Sit secunda conclusio. Opera nostra ex eo sunt satisfactoria, quatenus aliquo modo sunt pœnalia. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. quæstiuncula prima in corpore, Durand. ibidem, quæst. 5. & Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 37. sectione 6.* Probatur primò, ex doctrina sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, secundùm quam quotiescunque fit mentio satisfactionis pro nostris pœnis, semper afferuntur opera pœnalia, *Ioelis enim secundo dicitur, in ieiunio, & fletu, & Matthæi 11. dicitur in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, & Paulus 1. ad Corinth. 11. sic ait: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur, dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Quem locum *Diuus Augustinus in Enchirid. capit. 66. de his temporalibus pœnis interpretatur, quibus iusti in hac vita puniuntur, Eucherius lib. 2. Regum cap. 8. sic loquitur. Proculdubio Dominus delet peccatum, sed sine vltione non deserit. aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percutit, & Irenæus lib. 3. contra hæreses, ca. 37.* Fatetur ab ipso Adamo sumpsisse exordium, vt in satisfactionem culparum assumantur opera pœnalia. Probatur deinde ratione primò desumpta ex Diuo Thoma, quia recompensatio offensæ, ad quam ordinatur satisfactio, importat adæquationem, quæ debet esse inter personam offensam, & personam offendentem, adæquatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab vno, qui plus habuit, quam debebat habere, & per additionem ad alterum, cui subtractum est illud, quod debebat habere, Deo autem quamuis ex parte sui nihil subtrahi possit, tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ergo ad hoc, quod recompensatio fiat, oportet, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat, opus autem bonum ex eo, quod ita est, nõ subtrahit aliquid, sed magis perficit hominem, vnde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Secunda ratio sit, quia satisfactio huius vitæ fit pro pœna in Purgatorio luenda, ergo æquum est, talem pœnam nõ compensari in hac vita, nisi per aliam pœnam. Tertia ratio sit, quia satisfactionem efficit homo in hac vita per modum iudicij, & vindictæ secundum illud *D. Bernardi sermone 55. in Cantica: Dabo operã, ne Deus in me aliquid nõ iudicatũ inueniat, vt fugiam iudicium eius.* Hoc autem iudicium, seu vindicta non fit, nisi homo tolleret aliquod opus pœnale, ergo opus pœnale necessarium est ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus,

Ex dictis sequitur primò, rectè posse contingere, vt actus virtutis, qui magis est meritorius vitæ æternæ, sit minus satisfactorius pro pœna temporali. Quia cum ratio satisfactionis desumatur ex opere, quatenus pœnale est, & ratio meriti desumatur ex opere, quatenus in se perfectum est, & ad perfectiorem habitum virtutis pertinet, aliquando inueniemus opus quod in se perfectius est, magisque meritoriũ, esse minus satisfactorium, quia minus pœnale est. Vt verbi gratia, oratio perfectius opus est, quam ieiunium, & ita magis meritoria, minus vero satisfactoria est, quàm ieiunium, quia minorem pœnam continet. 6

Sequitur secundò, non esse tantùm opera satisfactoria pro peccatis ieiunia, orationes, & eleemosynas, sed etiam quæcunque alia opera virtutis, quod sufficienter nobis significauit *Concilium Tridentinum Sessione 14. canone 13.* Vbi inter opera satisfactoria pro pœnis non solùm numerat ieiunia, orationes, & eleemosynas, sed etiam alia opera pietatis. Quod autem tria prædicta opera sint satisfactoria patet *Psal. enim 49. Dicitur de oratione inuoca me in die tribulationis, eruam te.* Quãtum ad ieiunium extat exemplum *Dauidis secundo Regum 12.* Eleemosyna commendatur à Christo, *Lucæ 11. Ibi Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, tum etiam Tobiæ 12. hæc continentur verba, Bona est oratio, cum ieiunio, & eleemosyna.* Quod si multi nobiles Theologi tres tantùm actus virtutis ad satisfaciendum pro nostris pœnis temporalibus assignant, hoc non prouenit ex eo, quod istæ tantùm tres virtutes, scilicet, virtus ieiunij, virtus eleemosynæ, & virtus orationis subministrant nobis actus satisfactorios, sed quia sub his nominibus comprehẽdere videntur opera omnium virtutum, & omnia bona, quæ pro nostra satisfactione offerri possunt Deo. Nam per eleemosynã intelliguntur duo bona fortunæ, scilicet diuitiæ, & honor, ac fama: per ieiunium vero intelligũtur bona corporis, per orationem vero, quæ nihil aliud est quam eleuatio mentis in Deum, intelliguntur omnia bona spiritualia, vt actus Fidei, Spei, & Charitatis, &c. vel certe sub illa diuisione trimembri omnia nostra bona intelligun-

ligimur, tum bona externa per eleemosynam bona verò interna per ieiunium, & orationē, tum etiam bona corporalia, & spiritualia, corporalia nomine eleemosynæ, & ieiunij comprehensa, bona verò spiritualia nomine orationis subintellecta. Ex verbis autem Concilij, in quibus numerat orationem, patet esse etiam satisfactorios actus internos, tum quia isti sunt liberi, boni, & difficiles, quod ad satisfaciendum requiritur.

8 Sequitur tertio, per quodlibet opus virtutis huius vitæ satisfieri pro pœnis debitis cuilibet peccato, sine eo quod necessarium sit, vnū opus virtutis correspondere vni pœnæ debitæ huic peccato, & aliud alteri pœnæ debitæ alteri peccato. Quod patet primò, quia nullū habemus fundamentum ad constituendam hāc correspondentiam operum bonorum cum pœnis debitis, tum etiam, quia ratio satisfactionis pro qualibet pœna ex eo tantum desumitur, quod opus bonum in gratia elicitum pœnale sit operanti, ita vt medio illo contendat vindicare in se offensam contra Dei maiestatem commissam, vnde habet vim in ordine ad omnes pœnas.

9 Sequitur quarto, ad consequendam in hac vita remissionem pœnæ temporalis debitæ Deo pro nostris peccatis commissis, nullam superesse aliam viam de lege ordinaria Dei, quam cōdignam satisfactiunem. Probatur primo, quia neque autoritate aliqua sacræ Scripturæ, aut sanctorum patrum, neque ratione aliqua nixi affirmare possumus, aliam esse viā in hac vita remittēdi pœnam temporalem. Quin imò omnes autoritates sacræ Scripturæ, & sanctorum, de quibus supra mentionem fecimus, apertè nos cogunt ad asserendum operibus tā tum pœnalibus, & satisfactorijs promissam esse remissionem pœnarum. Secundo probatur, ratione *Concilij Tridentini sess. 14. cap. 8. cuius hæc sunt verba. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, veluti iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Tertio probatur, quia cum homo suis prauis operibus promeritus sit talem pœnam, dignum & iustum est, suis condignis satisfactionibus easdem pœnas luere, ac soluere.

10 Argumenta opposita non erit operosum dissoluere. Primum enim argumentum desumptum ex Concilio Tridentino ex eo facile soluitur, quia vt vidimus in prima conclusione, quodlibet opus virtutis est satisfactorium pro pœna temporali, quatenus continet in se aliquid pœnæ, quare Concilium inter opera pœnalia, non solum numerasse loco citato eleemosynam, orationem, & ieiunium, sed etiam alia opera virtutis. Secundum argumentum ex eo dissolui potest, quod licet remissio pœnæ minus

A nus quid sit, quàm consecutio gloriæ, ob hoc tamen opus bonum in quantum meritorium est vitæ æternæ, non sequitur esse satisfactoriū pro pœna temporali, quia non ordinatur ad eā natura sua. Quemadmodum licet opus virtutis sit condigne meritorium vitæ æternæ, non tamen est condigne meritorium bonorum temporalium, quæ minora bona sunt. Et quemadmodum, licet semen tritici productiuum sit fructus tritici, qui perfectior est hordeo, non tamen est productiuum hordei. Pari ergo ratione philosophandum est in nostris operibus respectu præmij illis debiti, quia in ordine ad illud se habent, tanquam semen in ordine ad fructum. Ad tertium Argumentum Vazquez respondetur, aliud esse augeri gloriam

B intensiue, aliud verò accelerari consecutionē eius auferendo temporalem pœnam, quæ impedit consecutionem gloriæ, neque vnum pro prie ordinari ad aliud. Quare etiamsi opera meritoria sint ex ea parte, qua meritoria sunt, mereantur augmentum gratiæ, aut gloriæ, non tamen ex eo precise merentur remissionem tē poralis pœnæ, & accelerationem consecutionis gloriæ.

QVAESTIO VI.

Vtrùm per opera posita sub præcepto possit satisfieri pro pœnis temporalibus:
C *& per flagella à Deo missa?*

IN hac quæstione variæ sunt Doctorum sententiæ, Prima est illorum, qui asserunt per opera alias debita Deo ex præcepto non fieri rectam satisfactionem pro pœna temporali. Ita docent *Maior 4. dist. 15. q. 2. dub. 1. Palud. ibidem q. 1. art. 2.* & alij. Probatur primo, quia, qui aliquid debet ex vno titulo, quā do superuenit nouum debitum, non satisfacit vtrique titulo, & debito eodem opere. Vt verbi gratia, qui alicui promisit laborem diurnū in sua vinea ex libera sua promissione, & postea debet per diem laborare in vinea ratione mercedis, quam recipit anticipata solutione, nō satisfacit vtrique obligationi, & debito vni

D eo labore diurno: ergo si quis Deo debeat ex præcepto ieiunium, eodem ieiunio non satisfaciet pro suis pœnis temporalibus. Secundo probatur, quia si quis ex voto debeat audire sacrum, non satisfacit voto audiendo vnum sacrum in die festo, quia ad illud renebatur ex præcepto. Tertio probatur, quia aliàs non esset necessarium homines aliquid aliud efficere in remissionem peccatorum, quam implere præcepta sibi imposita. Quarto probatur, quia si opposita sententia esset vera, sequeretur optime satisfacere pœnitentium pœniten-

tiæ

tiæ iniunctæ sibi à confessario, vt ieiunio, vel A auditioni sacri, si ieiunet, aut sacrum audiat in die præcepti, quod tamen falsum videtur, & contra intentionem confessariorum, & Ecclesiæ, quæ contendit multiplicationem nostrorum operum. Vltimò probatur *ex Anselmo libro primo, cur Deus homo, capite vigesimo, in hæc verba loquente. Cum reddit aliquid, quod debes Deo, etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato.*

2 Secunda sententia est *Syluestri verbo satisfactio quæstione octauo*, defendentis licet ea, quæ sunt de præcepto naturali, non sint satisfactoria, nec possint imponi à confessario in satisfactionem, at vero ea, quæ sunt de præcepto positiuo, & esse satisfactoria, & posse imponi in pœnitentiam. Probatur hæc sententia, B quia præceptum Ecclesiæ potest ordinari ad eundem finem, ad quem ordinatur satisfactio.

3 His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Per opera, quæ alias sunt constituta sub præcepto tam diuino, quàm naturali, & Ecclesiastico possumus satisfacere pro pœna temporali. Hanc conclusionem defendunt *Sotus in quarto distinctione 19. quæstione secunda, artic. primo, Adrianus quæstione tertia, de satisfactione in quarto, Caietanus tomo primo opusculorum, tractatu sexto, quæstione prima, Vazquez quarto tomo in tertia parte, quæstione 94. articulo primo, dubio sexto, Suarez quarto tomo in tertia parte, disp. 37. sectione quarta.* Probatur primò, *ex Concilio Tridentino Sessione 14. capite 9. dicente nos* C *satisfacere flagellis à Deo immissis pro nostris pœnis.* Et tamen illa necessariò patimur, ergo etiam satisfacimus operibus præceptorum necessarijs. *Et capite octauo, eiusdem Sessionis præcipit Concilium Sacerdotibus, vt pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungant.* Vbi non excluduntur opera alias præcepta. Et præterea *Concilium Sessione sexta capite decimo* asserit, nos implendo præcepta mereri vitam æternam, ergo eadem implendo satisfacimus pro peccato. Secundò probatur, quia alias qui martyrium pateretur in eo casu, quod id teneretur ex præcepto, reuera non satisfaceret pro pœnis debitis pro peccatis, sed detineretur in Purgatorio, quod absurdum est, cum D maiorem hac dilectionem nemo habeat, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tertiò probatur, quia opera alias præcepta sunt libera cum præceptum non tollat libertatem, & sunt bona, præterea sunt pœnalia, ergo si in statu gratiæ fiant, sunt satisfactoria de condigno pro pœnis temporalibus.

4 Secunda conclusio. Opera alias præcepta possunt à Sacerdotibus imponi in satisfactionem delictorum. Conclusio patet ex dictis in prima conclusione, quia talia opera, vt vidimus, sunt satisfactoria natura sua, ergo recte possunt imponi à confessarijs in satisfactionem peccatorum. Confirmatur, secundo conclusio *ex loco citato Concilij Tridentini Sessione 14. canone decimotertio.* Vbi absolutè definit Concilium sine vlla distinctione operum præceptorum, aut non præceptorum nos *Satisfacere pro peccatis, quoad pœnam temporalem, per ieiunia, orationes, & eleemosynas, & alia pia opera.* Tertiò probatur conclusio, quia talia opera alias præcepta à Deo, vel ab Ecclesia ex eo, quod imponuntur ad satisfactionem à confessario, inducunt in pœnitentibus nouam obligationem, nouumque vinculum, ac per consequens nouum quoddam genus pœnæ, ergo ex ea parte possunt imponi à confessarijs ad satisfactionem culpæ remissæ.

Ex dictis in hac quæstione, & in præcedentibus sequitur primò, falsam esse sententiam 5 *Coninc. tomo de Sacramentis disputatione decima, dubio quarto,* Asserentis, pendere rationem satisfactionis in operibus alias præceptis, & in alijs ex Dei voluntate, quia inquit, cum sit omnium absolutus Dominus, sine dubio posset nobis multa opera ita præcipere, vt illis nulla ratione pro peccatis satisfaceremus. Hæc inquam, sententia falsa est ex his principijs, quæ notauimus in quæstione tertia huius tractatus. Nam opera bona pœnalia facta in statu gratiæ de se, & natura sua, & absque vllo pacto Dei sunt satisfactoria pro peccatis, quod non amittunt ex eo, quod sint alias præcepta à Deo. Posset quidem Deus negare illis remissionem pœnæ, & alijs bonis operibus etiam non positis sub præcepto, si talem remissionem non promisisset, propter hoc tamen prædicta opera non desinerent esse satisfactoria de se. Sequitur secundo, ex dictis, longe vtilius esse in hac vita mortali, vbi ratione status viatoris, & ratione libertæ subiectionis hominis prouenit meritum, & satisfactio, satisfacere pro peccatis, quam in Purgatorio satispati. Tùm, quia hìc facile, & sæpe paruo labore pro magnis pœnis satisfit, illic autem difficile satispatitur, tùm quia hìc cum merito vitæ æternæ, & augmento gratiæ fit satisfactio, illic autem sine his meritis contingit satispassio: quæ doctrina vera est etiam loquendo de satisfactione proueniente ex operibus alias præceptis.

Circa secundum, quod in hac quæstione, 6 quæritur sit secunda conclusio in ordine huius quæstionis. Per flagella à Deo immissa homo satisfacit, si patienter ea sustineat. Ita sentiunt generaliter loquentes *Diuus Thomas in quarto distinctione 15. quæstione prima, articulo quarto, quæstione secunda, Nauarrus in Summa, capite quarto, numero quarto, Dominicus Sotus, in quarto distinctione 19. quæstione secunda, articulo secundo, & alij plurimi.* Probatur expresse

ex

ex Concilio Tridentino Sessione 14. Canone 13. Cuius hæc sunt verba: *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, anathema sit.* Vnde hæc conclusio ita generaliter intellecta de fide est, hoc tamen non obstante difficultatem continet, & multas patitur opiniones, quas late referunt *Suarez, quarto tomo tertiæ partis, disp. 38. sectione 7. & Vazquez quarto tomo in 3. part. quæst. 94. art. primo.* Circa modum, quo per hæc flagella contingit satisfactio, an scilicet, per quæcunque flagella siue à Deo immissa, siue quæ Deus permittit per iniustam actionem alicuius hominis satisfiat secundùm quantitatem pœnæ patienter toleratæ.

7 Secundum aliquos, qui patienter suscipit flagella Dei, satisfacit pro peccatis, non solùm ratione actus interioris, quo Deo illa offert, sed etiam ratione exterioris pœnæ, quam patitur. Hanc partem defendunt re-
7 centiores Theologi sequentes *Diuũ Thomam, in quarto distinctione 15. quæstione prima, articulo quarto, quæstiuncula secunda. Verba Diui Thomæ hæc sunt. Vnde si flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis rationem satisfactionis accipiunt.* Ecce vbi Diuus Thomas rationem satisfactionis in ipsis flagellis constituit, tantum requirens, vt conditionem, liberam hominis acceptationem. Deinde probatur ratione, quia ratio meriti non tantùm sita est in opere interno hominis, sed etiam in opere externo. Vt verbi gratia, non tantùm meretur quis vitam æternam per actum interiorem voluntatis, quo vult dare eleemosynam, sed etiam per ipsum opus externum dandi eleemosynam; quare Christus in die iudicij electos ad dexteram suam constitutos sic alloquetur, vt patet ex *Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere.* Ergo etiam ratio satisfactionis non solùm sita est in actu interno, sed etiam in opere externo.

Verumtamen sit certa conclusio: Quando
8 flagella missa sunt à Deo; vel ab aliqua alia causa externa, nec sunt in potestate patientis, tunc sola voluntas interior acceptans illa flagella propter Deum satisfactoria est, non vero opus externum patiendi. Hanc cõclusionẽ docuit *Gabriel Vazquez quarto tomo, in tertia parte, quæstione 64. articulo primo, dubio vltimo, numero decimo, & vndecimo.* Eaque facilè probatur, quia huiusmodi passio exterior flagellorum non est actus humanus, id est liber; quia non pendet ex voluntate hominis illa flagella vitare, sed tantùm actus interior est humanus, & liber, quo acceptantur libenter illa flagella, cum tamen possent impatienter tolerari, qui quidem actus interior non efficit prædictam passionem exteriorem liberam; quia nunquam dependet ea à voluntate: ergo tota vis satisfactionis constituta est in hoc casu in actu interno. In quibus flagellis ferendis, qui patitur tanquam innocens plus satisfacit, quam ille, qui patitur ob suas culpas, quia actus interior innocentis patienter tolerantis sua flagella perfectior est, quam actus interior nocentis. Imò communiter qui maius malum patitur, plus satisfacit, quam ille, qui minus, quia regulariter actus interior patientiæ superans maius malum intensior est actu eo interiori, qui leuius malum superat.

Quarta conclusio. Quando aliquis assumit 9
sibi aliquod malum in vindictam suorum peccatorum, tunc mensura satisfactionis sumitur ex actu interiori patientiæ, & ex actu exteriori patiendi. Hæc conclusio probatur sufficienter ex rationibus proxime adductis ante tertiam conclusionem. Quæ si hoc tantùm probent, vim habent, alias vero nullam. Quæ conclusio præterea probatur, quia in isto casu non solum actus interior est liber, sed etiam actus exterior, ergo si reliquæ adsint conditiones, vterque est satisfactorius quemadmodum actus exterior est meritorius, quando est liber, non vero quando est necessarius.

Quinta conclusio. Tantùm contingit sa- 10
tisfactio, quando quis æquo animo patienter 11
acceptat flagella, non vero quando quis illa suffert sine vlla acceptatione, & patientia mere materialiter, & tantùm satispatiendo. Hæc conclusio est *Diui Thomæ, loco citato proxime, & eandem sequuntur Gabriel Vazquez, loco citato, & Suarez quarto tomo, in tertia parte, disputatione 37. sectione septima, numero decimo.* Probatur cõclusio primò, quia si sola satispassio flagellorum remitteret pœnam temporalem, ergo ex opere operato, sicut Sacramentum remitteret talem pœnam, quod nullo modo, vt per se constat, affirmandum est. Præterea sequeretur hominem satisfacere per illa flagella, etiamsi impatienter illa ferat, & mortaliter peccet per impatiẽtiam, quia peccatum, ex quo relicta erat illa pœna, iam erat remissum quoad culpam, & alias contingit satispassio in illo casu, etiamsi in peccato mortali contingat. Secundò probatur, quia hæc satisfactio, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad emendationẽ pœnitentis, quia est filialis quædam punitio: ergo requirit saltem voluntariam acceptationem pœnitentis. Tertiò probatur, quia pœnæ huius vitæ non habent proportionem cum pœnis Purgatorij, cùm illæ paruæ sint, istæ autem maximæ, quando ergo paruis pœnis huius vitæ remittuntur magnæ pœnæ Purgatorij, hoc necessario pro-

uenit ex dignitate, vel voluntate patientis, A scilicet ex eo, quod patiens sit in statu gratiæ, & eas pœnas toleret æquo animo.

11 Ex dictis circa secundum punctum, sequitur primò cum *Suarez loco citato*, quando Deus specialiter punit in hac vita aliquem iustum pro peccato, non omninò liberare eum à tota pœna, quæ illi peccato correspondet in Purgatorio (licet aliqui, quos iste Autor refert, sentiant oppositum) Quod probatur, quia potest interdum pœna à Deo inflicta ad eo esse exigua, & breuis, vt non omnem pœnam purgatorij remittat, sed partem tantùm eius, ita vt reliqua pœna luenda relinquatur in Purgatorio. Secundò probatur, quia non constat nobis de aliquo priuilegio, medio quo Deus concesserit iustis, vt pœnam Purgatorij debitam pro suis peccatis soluant in hac vita per quodlibet opus pœnale, ergo tale priuilegiū non est concedendum absque fundamento.

12 Secundò sequitur contra *Enricum quodlibeto tertio, quæstione 18*. Non esse necessarium ad satisfaciendum reperiri in satisfaciente intentionem satisfaciendi, sed satis esse opus pœnale exerceri cum omnibus suis circunstantijs, etiamsi absit ea intentio. Quod probatur à simili ex merito, nam quemadmodum ad merendum non requiritur intentio merendi, ita ad satisfaciendum non requiritur intentio satisfaciendi.

13 Tertiò sequitur contra eundem *Enricum loco citato*, minime requiri ad rationē satisfactionis opus satisfactorium à charitatis habitu imperari actu, vel virtute ratione alicuius actus charitatis, qui præcesserit, & ordinauerit opus satisfactorium in Deum. Quod exinde mihi sufficienter probatur, quia sicut ad meritum vitæ æternæ, quod excellentius quid est, non requiritur opus imperari à charitate, ita etiam ad satisfaciendum pro pœnis Purgatorij quod minus est, non requiritur talis conditio. Quod autem opera sint meritoria vitæ æternæ absque eo, quod imperentur à charitate patet ex *Concilio Tridentino Sessione sexta, capite 16*. Cuius hæc sunt verba: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam, verè promeruisse censeantur.* In quibus verbis Concilium nō exigit ad rationem meriti opus meritorium imperari à charitate, ergo talis conditio non est necessaria.

14 Sequitur quartò, ex dictis in præcedentibus cōclusionibus, ex opere proprio ipsius operātis non restare nobis aliam viam certā, & ordinariam ad obtinendam remissionem pœnæ tēporalis, quam cōdignam satisfactionem: quod sufficienter nobis indicauit *Conciliū Tridentinū Sessione 13, capite vltimo*, dum loquens de huiusmodi satisfactione in hæc verba prosiliuit: *Nec vero securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit, ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Ex hoc quidem consonum est diuinæ iustitiæ vindicatiuę Nam sicut diuina iustitia commutatiua Dei ad reddendum præmium vitæ æternæ postulat à nobis meritum, ita etiam iustitia vindicatiua, vt remittat nobis pœnas Purgatorij, exigit à nobis satisfactiones in hac vita. Præterea tales satisfactiones huius vitæ necessariæ sunt ad eos fines, quos commemorat his verbis *Concilium Tridentinum Sessione 13, capite 8. Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus male viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt.* B

Ex his respondetur argumentis in oppositum adductis in principio huius quæstionis. 15
Ad primum dicimus seclusis alijs solutionibus quando debita sunt diuersa in materia iustitiæ, non rectè satisfieri eadem solutione, quia in huiusmodi debitis consideratur æqualitas inter datum, & acceptum, vel inter datum, & ablatum. Idem autem, verbi gratia, numus aureus, quem ego soluo, non adæquat vnum aureum quem ego accepi mutuum, & alium quē ego accepi per furtum. At vero in nostro casu, C eodem opere possumus satisfacere præcepto, & pœnæ, quia ad satisfaciendum præcepto, nihil aliud requiritur, quam quod efficiatur opus, quod præcipitur, & ad satisfaciendum nihil aliud exigitur, quam opus esse pœnale. Ad secundum dicimus, dependēre ex intentione vouentis, an eodem sacro satisfiat præcepto audiendi sacrum, & obligationi voti. Cum enim votum sit priuata quædam lex, in qua vouens est legislator, & dependeat ex intentione legislatoris obligatio legis, ex intentione vouentis dependēre debet, an sit obligatus ad audiendum nouum sacrum. Quod si de intentione non constet, attendenda sunt verba vouentis, materia voti, conditio vouentis, & aliæ D conditiones, quæ considerantur in materia de voto, dum sermo est de interpretatione obligationis voti, quādo dubium circa illam emergit. Ad tertium respondetur, nullum esse inconueniens homines solis operibus positis sub præcepto satisfacere pro pœnis temporalibus: inde enim non sequitur, relinquenda esse alia opera supererogationis, & voluntaria, cum illa vtilissima sint ad multos sanctos fines, quorum meminit Concilium Tridentinum loco proxime citato.

Ad quartum respondemus, Sacerdotem optime posse in Sacramēto Pœnitentiæ iniū- 16
gere

gere opus, quod alias erat in præcepto in pœnam peccatorum pœnitentis, quod vt rectè fiat considerari debet pœnitentis dispositio, vt conditio, vt opportunitas, taliter enim istæ circunstantiæ occurrere possunt, vt prudenter opus alias præceptum in satisfactionem imponatur à Sacerdote. Tunc autem cũ opus alias preceptum imponeretur in satisfactionem pœnitenti, tale opus haberet maiorem vim satisfaciendi, quam secundùm se haberet. Quod si Sacerdos intenderet opus imponere alias non præceptum, non satisfaceret pœnitens tantùm implendo opus positum sub præcepto. Quando vero nihil in particulari constat de intentione Sacerdotis confessarij, neque ex verbis, aut materia pœnitentiæ impositæ, aut ex alio capite colligitur oppositum; intelligendum est, voluisse eum iniungere pœnitentiam de operibus, quæ alias non erant in præcepto, quia tunc creditur cõfessarium voluisse pœnitenti propter sua specialia peccata specialia onera iniungere. Dixi in hac solutione, nisi ex materia, in qua iniuncta est pœnitentia, colligatur oppositum, quia cum ieiunium iniungitur certis diebus signatis, tunc intelliguntur illi dies præfixi, siue sint in præcepto, siue non, quia in eodem die nõ potest esse plusquã vnũ ieiuniũ. Si autẽ vage præcipiantur ieiunia aliqua, tunc semper intelliguntur ea, quæ alias non sunt posita sub præcepto. Et hanc solutionem quantum ad pœnitentias impositas à confessario receptam inuenio à *Diuo Antonino tertia parte, titulo 14. capite 20. §. 1.* & à quibusdam recentioribus doctissimis. Ad vltimum argumentum Anselmi dicimus, satisfactionem pro peccatis, cum non sit de rigore iustitiæ, optime posse coniungi in eodem opere cum obseruatione præceptorum tam legis naturalis, & diuinæ, quam
17 Ecclesiasticæ.

Aliqui Doctores recentiores in hoc loco disputant, an posit quis de condigno mereri alicui iusto remissionem temporalis pœnæ, sed alij Doctores maturius reperpensa huiusmodi quæstionem tanquam à præsenti tractatu alienam in tractatum de suffragijs, & indulgentijs reseruant, quorum placitis annuendum putauimus.

QVAESTIO VII.

Utrùm satisfactio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quem effectum habeat?

SIt prima conclusio certa secundum fidem. Potest confessarius imponere pœnitenti opus aliquod pœnale in satisfactionem pro peccatis. Hæc conclusio pro-

A batur primò ex perpetuo vsu Ecclesiæ, *& ex capite Deus, & ex capite ex definitione de pœnitentia, distinctione prima, & ex alijs textibus, quæ in ea dist. & dist. 50. referuntur.* Et talis veritas ita aperte constat ex *Concilio Tridentino*, vt nullus qui Ecclesiæ authoritatem recipit, eam posit negare. *Verba Cõcilij Sessione decimaquarta, Canone decimoquinto hæc sunt. Si quis dixerit, claues Ecclesiæ datas tantum ad absoluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitẽtibus, agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, anathema sit.* Eandem veritatem præclaris testimonijs illustrarunt *Diuus Leo epis-*
B *tola 91. ad Theodorum, Diuus Cyprianus in sermone de Lapsis, & Diuus Gregorius lib. tertio in primum caput Regum.* In cuius veritatis confirmationem dilucidè considerari possunt rationes. Prima sit ex differentia, quæ reperitur inter Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ. Baptismus enim, quia est regeneratio quædam spiritualis, non requirit, vt ille, qui regeneratur, in ea re multum laboret, at pœnitentia, quia est medicamentum animæ ægrotantis, requirit in eo, qui sanitatem recipit, medicinales incisiones, amaras potiones, & alia plura huiusmodi. Secunda ratio sit, quia in sacris Literis sæpe coniunguntur misericordia, & iustitia, & ita consentaneum est rationi, vt taliter Deus iuxta suam misericordiam pec-
C cata remittat, vt etiam iustitiæ, quoad eius fieri posit, velit satisfieri. Tertia ratio sit, quia conueniens fuit confessarijs relinqui potestatem iniungendi pœnitentias propter eas maximas vtilitates, quæ ex illis sequuntur, quarum eleganter meminit *Concilium Tridentinum Sessione decimaquarta, capite octauo, in hæc verba. Procul dubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus male viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt.*

Sit secunda conclusio. Satisfactio à confessario imposita est pars Sacramenti Pœniten-
D tiæ. Probatur *ex Concilio Tridentino Sessione 14. capite tertio, cuius hæc sunt verba. Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Secundò probatur conclusio ratione, quia hoc Sacramentum est institutum ad remittendum peccatum post baptismum cõmissum ex opere operato. Quidquid ergo pertinet ad talem remissionẽ, pars

est Sacramenti Pœnitentiæ, sed satisfactio virtute clauium Ecclesiæ imposita, vt statim videbimus est remissiua peccati, quantum ad pœnam, ergo verè annumerāda est partibus pœnitentiæ. A

3 Primo quæres tamen, an satisfactio sit pars essentialis, vel integralis huius Sacramenti? Huic interrogationi facilè respondetur primò, satisfactionem non esse partem essentialem huius Sacramenti. Ita docent communiter *Theologi in quarto distinctione 16. vt Capreolus ibidem, quæstione secunda, articulo tertio in fine, Sotus in quarto distinctione 17. quæstione prima articulo tertio, Suarez quarto tomo in tertia part. disp. 38. sectione prima.* Probatur hæc pars, quia cum hoc Sacramentum simpliciter, & principaliter ordinetur ad remissionem culpæ, secundario autem, & minus principaliter ad B remissionem pœnæ, illud debet esse tantùm pars essentialis eius, quod pertinet ad remissionem culpæ, sed ad hanc remissionem tantùm pertinent oris confessio, & cordis contritio ex parte pœnitentis, non vero satisfactio, quia hæc tantum ordinatur ad remissionem pęnæ, ergo satisfactio non est pars essentialis huius Sacramenti. Secundò respondetur satisfactionem esse partem integralem. Patet, quia vt vidimus ex Concilio Tridentino loco proxime citato, satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, sed non est pars essentialis, ergo saltim erit pars integralis. Pars vero integralis ea dicitur, quæ licet pertineat ad C perficiendum aliquod totum, essentia tamen totius subsistere potest sine illa. Quemadmodum in homine manus dicitur pars integralis, quia licet perficiat totum hominem, quia sine manu homo maneret deformis, & imperfectus, hominis tamen essentia potest optime cōsistere sine manu.

4 Secundò quæres, an in satisfactionem possint imponi à confessario opera interna. Ad hoc respondetur *cum Suarez tomo quarto, disp. 38. sectione sexta, numero secundo*, Actum externum esse magis accommodatum ad satisfaciēdum, quia solet esse magis pœnale posse tamen imponi in pęnitentiam actum internum. Tùm quando ægrotus non potest exercere actum externum aliquem, tùm quando confessor iudicat, conueniens esse statui pœnitentis, D aliquoties concipere propositum non peccandi: confessarij autem possunt huiusmodi actus internos iniungere, quemadmodū possunt absoluere à peccatis internis. Tunc autem illi actus possunt esse pars Sacramenti, licet non sint sensibiles ratione sui, quia sunt sensibiles per accidens, quatenus exterius pręcipiuntur, & acceptantur, sicut contritio est pars Sacramenti, & tantum est sensibilis ratione confessionis.

5 Difficultas vero huius quæstionis in eo versatur, quem effectum habeat in anima satisfactio imposita à confessario. In qua difficultate quidam existimant satisfactionem tantùm remittere peccatum ex opere operantis, & non ex opere operato. Ita indicarunt cum alijs *Adrianus quæstione secunda de satisfactione, in solutionibus argumentorum, Sotus in quarto distinctione 19. quæstione prima, articulo quinto.* Probat primò Sotus, quia satisfactio non est pars essentialis, sed integralis Sacramenti Pœnitentiæ, ergo non operatur ad modum Sacramenti ex opere operato. Secundò probat Sotus, quia alias si satisfactio fieret per opus malum, quod esset peccatum veniale, & conferret gratiam, & prodesset ad satisfaciendum, sicut baptismus cum per peccatum veniale ob vanam gloriam susciperetur, *Suarez quarto tomo in tertia parte, disput. 38. sectione secunda, citans pro se Caietanum tertia part. quæst. 90. artic. secundo ad secundum, & Sotum in quarto dist. 17.* Sentit satisfactionem conferre ex opere operato gratiam gratum facientem. Probatque suam sententiam primo, quia Sacramenta nouæ legis causant gratiam ex opere operato, sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo causat gratiam ex opere operato. Secundò probatur, quia si homo eo tempore, quo absoluitur à peccatis, iam exhibuisset omnia satisfactionis opera, & ita esset melius dispositus ad Sacramentum recipiendum pœnitentiæ, maiorem effectum gratiæ reciperet ex opere operato, sed satisfactio licet post receptam absolutionem fiat, tamen moraliter coniungitur, cum alijs partibus pœnitentiæ, vt cum illis vnum Sacramentum constituat; ergo etiam postea confert aliquam partem gratiæ ex opere operato. Tertiò probatur sententia Suarez, quia satisfactio magis principaliter ordinatur in medicinā pęnitentis, & ad hoc vt ille peccata omninò abijciat, & vires recuperet ad vincendas tentationes peccatorum quam ad remissionem pœnæ, sed ad istum effectum principalem necessaria est gratia, quæ non potest aliter conferri per satisfactionem nisi ex opere operato, ergo satisfactio confert gratiam gratum facientem ex opere operato. Et addit Suarez dari ex opere operato per satisfactionem Sacrametalem auxilium aliquod ad emendanda peccata, quia propter hunc finem emendandi peccata fuit instituta satisfactio primario.

Ad hoc tamen vltimum punctum respondetur primò, non solùm satisfactionem remittere pęnam temporalem, sed etiam Sacramentum Pœnitentiæ constitutum ex absolutione Sacerdotis, & oris confessione, ac cordis contritione pęnitentis remittere aliquam pęnam temporalem. Quod probo primò, quia satis probabile videtur, reliqua Sacramenta dum conferunt gratiam ex opere operato, remit- 6

remittere ex opere operato, saltim secundo loco pœnam temporalem, dum enim conferunt amicitiam Dei, etiam videntur auferre reatum pœnæ, quo homo aliquo modo est aduersus à Deo: ergo Sacramentum Pœnitentiæ etiam remittit pœnam temporalem ex opere operato. Secundò probatur, quia cum Sacramentum Pœnitentiæ suppleat vices contritionis, ex cõstitutione Dei videtur accepisse à Deo eandem virtutem remittendi peccata ex opere operato, quam habet contritio ex opere operantis, sed contritio ex opere operantis delet peccata, quantum ad culpam, & pœnam, ergo Sacramentum Pœnitentiæ remittit peccatum quantum ad culpam, & pœnam ex opere operato.

6 Respondetur secundò, satisfactionem impositam à confessario remittere aliquam pœnam temporalem ex opere operato, præter illam pœnam, quæ remittitur per opus satisfactorium ex merito, & proportione ipsius operis, ita vt si ieiunium, verbi gratia, vnius diei remittat pœnam vnius anni Purgatorij de se, hoc quidem ieiunium impositum à confessario plus pœnæ remittat, quod quantum sit, solo iudicio Dei reseruatum est. Hoc secundum responsum communiter defendunt *Theologi in quarto distinctione 15. & 16. & Caietanus tomo primo, opusculorum tractatu sexto, quæstione vltima, & Suarez, loco citato.* Probatur primò, quia satisfactio maxime instituta est in remissionem pœnæ temporalis, ergo vel effectum nullum confert ex opere operato, vel hunc præcipue cõfert. Secundò probatur, quia Sacramentum pœnitentiæ institutum est à Deo ad remittendum peccatum ex opere operato secundum omnes suas partes, sed satisfactio, quæ pars est eius Sacramenti, non remittit peccatum quantum ad culpam ex opere operato, ergo remittit illud, quantum ad pœnam ex opere operato.

7 Tertiò respondetur, satisfactionem Sacramentalem non conferre gratias sacramentales, id est auxilia gratiæ in ordine ad emendanda peccata, quia vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere, gratia Sacramentalis nihil aliud est, quam gratia habitualis cum iure ad aliqua specialia auxilia, sed hæc gratia, vt statim videbimus in quarto responso, non confertur per satisfactionem ex opere operato, ergo neque gratia sacramentalis eo modo confertur.

8 Quartò respondetur, satisfactionem non cõferre gratiam habitualem gratum facientem ex opere operato. Ita docent *Diuus Thomas in quarto distinctione 16. quæstione prima, articulo primo, quæstiuncula secunda ad tertium ibi: Ad tertium dicendum, quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamuis satisfactio actualiter gratiam præsupponat, vel dicendum, quod consequitur pœnitens per satisfactionem perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter à peccati reatu.* Et eandem doctrinam sequutus est *Connic. tomo de Sacramentis, disp. 10. dubio, 10.* Probatur primò, quia neque Sacramentum, nec pars eius conferunt aliquem effectum, quem non significant, quia sacramenta in tantum operantur, in quantum significant, sed satisfactio non significat collationem gratiæ sanctificantis, ergo illam non confert. Secundo probatur, quia pars integralis in Sacramento Eucharistiæ non confert nouam gratiam sanctificantem, vt constat in Sacerdote sumente secundam particulam hostiæ consecratæ, qui quidem dum primam particulam sumpsit recepit totam gratiam, & nullam recipit per alias particulas, si est eodem modo dispositus: ergo etiam satisfactio, quæ tantum est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, non confert gratiam sanctificantem. Tertio probatur, quia si satisfactio conferret gratiam ex opere operato, quia est pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod illam eo modo confert, sequeretur, eum qui semel rite confessus, & absolutus est, & paulo post peccauit mortaliter, & habens attritionem pœnitentiam iniunctam adimplet, recepturum gratiam, & remissionem peccati, quia si satisfactio confert gratiam ex opere operato ad modũ Sacramẽti pœnitentiæ, ergo potest in homine attrito delere peccata mortalia, sicut illa delet Sacramentum pœnitentiæ. Vltimò probatur, quia iste effectus cum sit ita præcipuus, non est assignandus satisfactioni absque fundamento in sacra Scriptura Concilijs, aut Patribus, sed tale fundamentum non reperitur, quin imò *Concilium Tridentinũ dum Sessione decimaquarta* Varios effectus enumerat satisfactionis, huius effectus nullo modo meminit, ergo nullatenus illi concedendus est.

Ex his respondetur ad argumenta proposita contra istam vltimam resolutionem. Ad primum Soti respondemus, satisfactionem nõ esse quidem partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantùm integralem, hoc tamen non obstare ad hoc, vt remittat pœnam temporalem ex opere operato, obstare vero posset vt conferret gratiam ea ratione. Ad secundum respondetur, satisfactionem factam ob vanam gloriam non conferre gratiam, remittere tamen pœnam tampotalem, quia ille finis vanæ gloriæ non tollit intrinsecam bonitatem, & intrinsecum laborem operis. Argumentis Suarez testat satisfacere, & quidem ad primum, dicimus satisfactionem tantùm esse partem integralem Sacramenti, atque ita non conferre gratiam sanctificantem ex opere operato (non negamus autem satisfactio- 9

nem conferre gratiam ex opere operantis, quia hac ratione quodlibet opus bonum elicitum in gratia illam confert.) Ad secundum argumentum Suarez respondemus eum, qui ante receptionem absolutionis peragit pœnitentiam impositam maiorem gratiam recipere, quam si pœnitentiam non impleret, eam tamen gratiam recipere virtute absolutionis tanquam causæ, non vero eam recipere à satisfactione tanquam à causa, sed tanquam à dispositione, atque ita satisfactionem impletam post absolutionem non conferre gratiam tanquam causam ex opere operato. Ad tertium argumentum Suarez respondemus satisfactionem ordinari in remissionem pœnæ, & in medicinam animæ, quæ quo ordine conferat, postea patebit, sed ex opere operato non confert gratiam, sed remissionem pœnæ temporalis.

11 Ex dictis sequitur primò, virtute satisfactionis Sacramentalis non remitti pœnam temporalem, nisi illa in re fiat, neque sufficere illam adimplendi propositum. Hoc quidem apertum est, quia quemadmodum Sacramentum non habet suum effectum ex opere operato, donec re ipsa suscipiatur, ita etiam pars Sacramenti qualis est satisfactio, non potest habere effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato, donec executioni mandetur.

12 Ex dictis sequitur secundò, satisfactionem, siue sit exhibita ante absolutionem Sacramentalem, siue postea, non remittere pęnam temporalem ex opere operato ante datam absolutionem. Probatur primò, quia contritio est potior pars, quam satisfactio, & tamen contritio non habet effectum ex opere operato ante receptam absolutionem, ergo neque etiam satisfactio. Secundò probatur, quia pœna non remittitur ante remissionem culpæ, ergo satisfactio, quæ ordinatur ad remissionem pœnæ, non habet suum effectum ante datam absolutionem, quæ ordinatur ad remissionem culpæ: propter quod nulla ratione intendimus negare satisfactionem Sacramentalem exhibitam ante datam absolutionem remittere pœnam temporalem ex opere operantis, quando subiectum est capax: nam omnis satisfactio habet hunc effectum independentem ab absolutione Sacramentali, ergo etiam satisfactio Sacramentalis.

QVÆSTIO. VIII.

An confessarius habeat potestatem imponendi satisfactionem, & obligandi pœnitentem ad eius executionem?

IN hac quæst. quidam sentiunt nulla ratione posse obligari pœnitentem, vt pœnitentiam accepret, si tamen illam acceptauerit, teneri illum ad impletionem eius. Ita sentiunt *Scotus in 4. dist. 19. quæst. 1. §. ad quæst. notam post medium illius, Nauar. in Summa Latina, cap. 26. num. 20. Syluester verbo confessio primo, quæst. 25. Reginaldus in suo foro pœnitentiali, lib. 7. cap. 2. sectione prima*. Probatur primò, quia Sacerdos duo præstare potest in foro pęnitentiali. Primum, commutare pęnam æternam in temporalem. Secūdum, commutare pęnam temporalem Purgatorij in pęnam temporalem huius vitæ, sed pœnitens potest se subijcere Sacerdoti quoad primum, non subijciendo se quoad secundum, ergo potest recusare pœnitentiam impositā, reseruando sibi pœnam luēdam in Purgatorio. Secundò probatur, quia si pœnitens teneretur condignam pœnam in satisfactionem delictorum acceptare, ergo qui quam plurima peccata confitetur, teneretur, omnem condignam pęnam admittere, quod nimis durum videtur, si ergo non tenetur acceptare totam pœnam, ergo neque partem. Quod vero teneatur exequi pœnitentiam, postquam illam acceptauit, probatur, quia per illam acceptationē subiecit se iudicio cōfessarij, ergo tenetur eius sentētiam pati, quod commune est cuilibet alteri foro iudiciali. 1

Secunda sententia est *Caietani tomo primo, opusculorum tractatu 6. quæstione secunda*. Asserentis tantùm esse peccatum mortale omittere satisfactionem iniunctam ex contemptu, quod intelligit adhuc post acceptatam pœnitentiam, quia in primis non est mortale ratione obedientiæ iniunctę. Deinde non est mortale, quia sit contra charitatem, aut iustitiam, aut quia sit contra integritatem Sacramenti, quia sine satisfactione saluatur vera ratio Sacramēti, ergo nullo modo est peccatum mortale prædictam satisfactionem omittere. 2

Sit prima conclusio. Confessarius tenetur satisfactionē imponere suis pœnitētibus. Conclusio est de fide. Probatur ex *Concilio Triden. Sessione 14. cap. 8. Cuius hæc sunt verba: Debēt ergo Sacerdotes Domini, quantū spiritus, & prudētia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitētium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere*. Secundò probatur, quia Sacerdos in 3

hoc

hoc Sacramento ministrando gerit personam iudicis, & medici, & ita tenetur integrum iudicium efficere, & integram sanitatem procurare, sed ad istos effectus necessaria est satisfactio, vt plenum iudicium feratur circa absolutionem peccatorum, & vt integre illa deleantur quoad culpam, & pœnam; ergo tenentur Sacerdotes eam satisfactionem imponere. Hæc autem obligatio, cum sit in materia graui constringit Sacerdotem sub peccato mortali.

4 Sit secunda conclusio. (Quam etiam existimo esse de fide iuxta aliquos recentiores) posse confessarios obligare pœnitentes suos ad satisfaciendum in hac vita pro pœnis temporalibus in Purgatorio debitis pro culpis iam remissis. Ita sentiunt *Diuus Thomas in 4. dist. 18. quæstione 1. articulo 3. quæstiuncula tertia; Paludanus dist. 20. quæst. 2. numero 5. Dominicus Sotus, dist. 20. quæst. 2. artic. 2. Petrus de Soto, lectione 2. de satisfactione, & Victoria in Summa, numero 240. ac Vazquez quarto tomo in 3. part. quæst. 94. artic. 2. dubio primo.* Hanc conclusionem ita tuetur, vt existimet illam esse de fide, & eandem tuetur *Suarez quarto tomo in 3. part. disp. 38. sectione 7. conclusione prima.* Existimans eam sine temeritate non posse negari, & quidem cum duplex sit pœnitentia, alia satisfactoria, quæ imponitur ad satisfaciendum Deo in hac vita pro pœna temporali, & alia medicinalis seu necessaria ad hoc, vt quis absoluatur à peccatis vt alieni restitutio, depositio odij mortalis, &c. De hac secunda, quæ medicinalis est, nulla est controuersia inter Doctores, sed omnes conueniunt eam esse implendam necessario, etiã absque vllo præcepto confessarij, quia ex natura rei est necessaria ad delendum peccatum, sed tota controuersia est de prima pœnitentia, & de ea procedit secunda nostra conclusio. Quæ probatur primò ex *Concilio Salegunstadiensi cap. 18. relato in 3. tomo Conciliorum in hæc verba. Multi tãta falluntur stultitia, vt capitali crimine culpati pœnitentiam à suis Sacerdotibus acceptare nolint.* Deinde probatur ex *Concil. Tridentin. Sessione 14 cap. 8.* vbi postquam dixit, *incumbere* Sacerdotibus obligationem imponendi pœnitentibus condignas pœnitentias ad satisfaciendum. Hæc verba subijcit: *Nam claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt & docent.* Et præterea *Canone 15. eiusdem Sessionis his verbis veritas hæc definitur, Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantum ad soluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus; agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, anathema sit.* Ex quibus locis Concilij Tridentini aperte colligitur, pœnitentes debere acceptare pœnitentias sibi impositas à confessarijs, alias, si pœnitentes possent pro suo libito repudiare pœnitentias, non possent obligari à Sacerdotibus ad eas acceptandas, neque possent Sacerdotes habêre potestatem ligandi quantum ad satisfactiones peccatorum. Ad quæ loca Tridentini nullatenus responderi potest, id quod aliqui defendunt, scilicet posse Sacerdotes ligare pœnitentes quoad pœnitentias, id est, posse eos arbitrari iustam pœnitentiam debitam pro peccatis dimissis, quia talis respõsio omni prorsus robore destituitur. Quia si tantùm Sacerdotes arbitrarentur pœnitentias relinquendo illas voluntati pœnitentium, nõ dicerentur ligare pœnitentes, quia ligare includit in se vim quandam coactiuam, qua quis etiam inuitus cogitur ad aliquid præstandum. Tertiò probatur conclusio ratione, quia confessarius debet, in quantum potest, integrum efficere iudicium Sacramentale, quo iudicet secundum æquitatem inter Deum, & hominẽ, sed integritas, & æquitas iudicij huius postulat, vt homo satisfaciat Deo: talem ergo satisfactionem debet confessarius imponere, & eam tenetur acceptare pœnitens, si quidem ipse tenetur subire perfectum iudicium; & perfectæ sententiæ parêre.

Præcedens conclusio aliquas patitur exceptiones. In triplici enim casu excusatur pœnitens ab acceptanda pœnitentia à confessario imposita. Primo, quãdo manifeste constat cõfessarium errare in imponenda pœnitẽtia, maiorem pœnitentiam imponendo, quam sit debita peccatis (nam in dubio, an penitentia iniusta sit, vel non standum est iudicio Sacerdotis, sicut in quolibet dubio stãdum est iudicio iudicis, vt probe considerauit *Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 2.*) Ad hoc autem, vt confessarius existimetur errasse, circa impositionem pœnitentiæ, satis est, aut eum maiorem pœnam imponere in hac vita, quam soluenda sit pro peccatis in Purgatorio, vel maiorem pœnam pro illis peccatis imponere, quàm ea, quæ imponi solet in pœnitentiali foro considerata qualitate personæ, & peccatorum, commoditate, ac possibilitate pœnitentiam peragendi, quare vt optime vidit *Nauar. cap. consideret, de pœnit. dist. 5. §. ponat se num.* 8. Si homini debilissimo multa ieiunia, aut homini in multis negotijs magni momenti occupato multæ preces quotidie recitandæ iniungerentur, non teneretur pœnitẽs huiusmodi penitẽtias acceptare, quia moraliter sunt impossibiles. Secundò excusatur pœnitens ab acceptanda penitentia, quãdo est in eo statu constitutus, vt nullam pœnitentiam implere posset. Tertio excusatur, quando confessarius prudenti iudicio ductus perspicit pœnitentem sufficienter satisfecisse pœnis debitis pro peccatis, quia sicut iustum iudicium exigit puniri eum, qui aliquam pœnam debet pro culpa, ita etiam exigit, liberari à pœna eum, qui pœnam debitam pro cul- 5

A opus vitij respicit bonum vtile, aut delectabile sibi, ergo opus virtutis ei oppositum pœnale esse debet, quia priuat ea vtilitate, aut delectatione. Vnde sequitur, quodlibet opus bonũ esse simul meritorium vitæ æternæ, si fiat cum omnibus suis circunstantijs, & satisfactorium pro pœna temporali, si eisdem circunstantijs adiungatur, neque diminui, vt optime notauit *Ioannes Medina Codice de satisfactione quæst. 4.* Rationem meriti ex eo quod coniungatur cũ ratione satisfactionis in eodem opere, quia cũ istæ rationes ex diuersis principijs dimanent, nam ratio meriti prouenit ex dignitate operis, & ratio satisfactionis ex pœnalitate inuenta in ipso opere, vna ratio non impedit aliam, quemadmodũ in naturalibus videmus in eodẽ B lacte reperiri albedinem, & dulcedinem, & neque dulcedinem diminui ex coniunctione cũ albedine, nec è contra.

5 Sit secunda conclusio. Opera nostra ex eo sunt satisfactoria, quatenus aliquo modo sunt pœnalia. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. quæstiuncula prima in corpore, Durand. ibidem, quæst. 5. & Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 37. sectione 6.* Probatur primò, ex doctrina sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, secundùm quam quotiescunque fit mentio satisfactionis pro nostris pœnis, semper afferuntur opera pœnalia, *Ioelis enim secundo dicitur, in ieiunio, & fletu, & Matthæi 11. dicitur in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, & Paulus 1. ad Corinth. 11. sic ait: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudi-* C *caremur, dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Quem locum *Diuus Augustinus in Enchirid. capit. 66. de his temporalibus pœnis interpretatur, quibus iusti in hac vita puniuntur, Eucherius lib. 2. Regum cap. 8. sic loquitur. Proculdubio Dominus delet peccatum, sed sine vltione non deserit. aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percutit, & Irenæus lib. 3. contra hæreses, c. 37.* Fatetur ab ipso Adamo sumpsisse exordium, vt in satisfactionem culparum assumantur opera pœnalia. Probatur deinde ratione primò desumpta ex Diuo Thoma, quia recompensatio offensæ, ad quam ordinatur satisfactio, importat adæquationem, quæ debet esse inter personam offensam, & personam offendentem, adæquatio autem in humana iusti- D tia attenditur per subtractionem ab vno, qui plus habuit, quam debebat habere, & per additionem ad alterum, cui subtractum est illud, quod debebat habere, Deo autem quamuis ex parte sui nihil subtrahi possit, tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ergo ad hoc, quod recompensatio fiat, oportet, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat, opus autem bonum ex eo, quod ita est, nõ subtrahit aliquid, sed magis perficit hominem, vnde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Secunda ratio sit, quia satisfactio huius vitæ fit pro pœna in Purgatorio luenda, ergo æquum est, talem pœnam nõ compensari in hac vita, nisi per aliam pœnam. Tertia ratio sit, quia satisfactionem efficit homo in hac vita per modum iudicij, & vindictæ secundum illud *D. Bernardi sermone 55. in Cantica: Dabo operã, ne Deus in me aliquid nõ iudicatũ inueniat, vt fugiam iudicium eius.* Hoc autem iudicium, seu vindicta non fit, nisi homo toleret aliquod opus pœnale, ergo opus pœnale necessarium est ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus.

Ex dictis sequitur primò, rectè posse contingere, vt actus virtutis, qui magis est meri- 6 torius vitæ æternæ, sit minus satisfactorius pro pœna temporali. Quia cum ratio satisfactionis desumatur ex opere, quatenus pœnale est, & ratio meriti desumatur ex opere, quatenus in se perfectum est, & ad perfectiorem habitum virtutis pertinet, aliquando inueniemus opus quod in se perfectius est, magisque meritoriũ, esse minus satisfactorium, quia minus pœnale est. Vt verbi gratia, oratio perfectius opus est, quam ieiunium, & ita magis meritoria, minus vero satisfactoria est, quàm ieiunium, quia minorem pœnam continet.

Sequitur secundò, non esse tantùm opera 7 satisfactoria pro peccatis ieiunia, orationes, & eleemosynas, sed etiam quæcunque alia opera virtutis, quod sufficienter nobis significauit *Concilium Tridentinum Sessione 14. canone 13.* Vbi inter opera satisfactoria pro pœnis non solùm numerat ieiunia, orationes, & eleemosynas, sed etiam alia opera pietatis. Quod autem tria prædicta opera sint satisfactoria patet *Psal. enim 49. Dicitur de oratione inuoca me in die tribulationis, eruam te.* Quãtum ad ieiunium extat exemplum *Dauidis secundo Regum 12.* Eleemosyna commendatur à Christo, *Lucæ 11. Ibi Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, tum etiam Tobiæ 12. hæc continentur verba, Bona est oratio, cum ieiunio, & eleemosyna.* Quod si multi nobiles Theologi tres tantum actus virtutis ad satisfaciendum pro nostris pœnis temporalibus assignant, hoc non prouenit ex eo, quod istæ tantùm tres virtutes, scilicet, virtus ieiunij, virtus eleemosynæ, & virtus orationis subministrant nobis actus satisfactorios, sed quia sub his nominibus comprehẽdere videntur opera omnium virtutum, & omnia bona, quæ pro nostra satisfactione offerri possunt Deo. Nam per eleemosynã intelliguntur duo bona fortunæ, scilicet diuitiæ, & honor, ac fama: per ieiunium vero intelligũtur bona corporis, per orationem vero, quæ nihil aliud est quam eleuatio mentis in Deum, intelliguntur omnia bona spiritualia, vt actus Fidei, Spei, & Charitatis, &c. vel certe sub illa diuisione trimembri omnia nostra bona intel-

ligua-

liguntur, tum bona externa per eleemosynam bona verò interna per ieiunium, & orationē, tum etiam bona corporalia, & spiritualia, corporalia nomine eleemosynæ, & ieiunij comprehensa, bona verò spiritualia nomine oratio nis subintellecta. Ex verbis autem Concilij, in quibus numerat orationem, patet esse etiam satisfactorios actus internos, tum quia isti sunt liberi, boni, & difficiles, quod ad satisfaciendum requiritur.

8 Sequitur tertio, per quodlibet opus virtutis huius vitæ satisfieri pro pœnis debitis cuilibet peccato, sine eo quod necessarium sit, vnū opus virtutis correspondere vni pœnæ debitæ huic peccato, & aliud alteri pœnæ debitæ alteri peccato. Quod patet primo, quia nullū habemus fundamentum ad constituendam hāc correspondentiam operum bonorum cum pœnis debitis, tum etiam, quia ratio satisfactionis pro qualibet pœna ex eo tantum desumitur, quod opus bonum in gratia elicitum pœnale sit operanti, ita vt medio illo contendat vindicare in se offensam contra Dei maiestatem commissam, vnde habet vim in ordine ad omnes pœnas.

9 Sequitur quarto, ad consequendam in hac vita remissionem pœnæ temporalis debitæ Deo pro nostris peccatis commissis, nullam superesse aliam viam de lege ordinaria Dei, quam cōdignam satisfactionem. Probatur primo, quia neque autoritate aliqua sacræ Scripturæ, aut sanctorum patrum, neque ratione aliqua nixi affirmare possumus, aliam esse viā in hac vita remittēdi pœnam temporalem. Quin imò omnes autoritates sacræ Scripturæ, & sanctorum, de quibus supra mentionem fecimus, apertè nos cogunt ad asserendum operibus tātum pœnalibus, & satisfactorijs promissam esse remissionem pœnarum. Secundo probatur, ratione *Concilij Tridentini sess. 14. cap. 8. cuius hæc sunt verba. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Tertio probatur, quia cum homo suis prauis operibus promeritus sit talem pœnam, dignum & iustum est, suis condignis satisfactionibus easdem pœnas luere, ac soluere.

10 Argumenta opposita non erit operosum dissoluere. Primum enim argumentum desumptum ex Concilio Tridentino ex eo facile soluitur, quia vt vidimus in prima conclusione, quodlibet opus virtutis est satisfactorium pro pœna temporali, quatenus continet in se aliquid pœnæ, quare Concilium inter opera pœnalia, non solum numerasse loco citato eleemosynam, orationem, & ieiunium, sed etiam alia opera virtutis. Secundum argumentum ex eo dissolui potest, quod licet remissio pœnæ minus quid sit, quàm consecutio gloriæ, ob hoc tamen opus bonum in quantum meritorium est vitæ æternæ, non sequitur esse satisfactoriū pro pœna temporali, quia non ordinatur ad eā natura sua. Quemadmodum licet opus virtutis sit condignè meritorium vitæ æternæ, non tamen est condignè meritorium bonorum temporalium, quæ minora bona sunt. Et quemadmodum, licet semen tritici productiuum sit fructus tritici, qui perfectior est hordeo, non tamen est productiuum hordei. Pari ergo ratione philosophandum est in nostris operibus respectu præmij illis debiti, quia in ordine ad illud se habent, tanquam semen in ordine ad fructum. Ad tertium Argumentum Vazquez respondetur, aliud esse augeri gloriam intensiuè, aliud verò accelerari consecutionē eius auferendo temporalem pœnam, quæ impedit consecutionem gloriæ, neque vnum pro prie ordinari ad aliud. Quare etiamsi opera meritoria ex ea parte, qua meritoria sunt, mereantur augmentum gratiæ, aut gloriæ, non tamen ex eo precise merentur remissionem tēporalis pœnæ, & accelerationem consecutionis gloriæ.

QVAESTIO VI.

Vtrùm per opera posita sub præcepto possit satisfieri pro pœnis temporalibus: & per flagella à Deo missa?

IN hac quæstione variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est illorum, qui asserunt per opera alias debita Deo ex præcepto non fieri rectam satisfactionem pro pœna temporali. Ita docent *Maior 4. dist. 15. q. 2. dub. 1. Palud. ibidem q. 1. art. 2*, & alij. Probatur primo, quia, qui aliquid debet ex vno titulo, quā do superuenit nouum debitum, non satisfacit vtrique titulo, & debito eodem opere. Vt verbi gratia, qui alicui promisit laborem diurnū in sua vinea ex libera sua promissione, & postea debet per diem laborare in vinea ratione mercedis, quam recipit anticipata solutione, nō satisfacit vtrique obligationi, & debito vni eo labore diurno: ergo, siquis Deo debeat ex præcepto ieiunium, eodem ieiunio non satisfaciet pro suis pœnis temporalibus. Secundo probatur, quia si quis ex voto debeat audire sacrum, non satisfacit voto audiendo vnum sacrum in die festo, quia ad illud tenebatur ex præcepto. Tertio probatur, quia aliàs non esset necessarium homini aliquid aliud efficere in remissionem peccatorum, quam implere præcepta sibi imposita. Quarto probatur, quia si opposita sententia esset vera, sequeretur optime satisfacere pœnitenti pœniten-

tiæ

tiæ iniunctæ sibi à confessario; vt ieiunio, vel A
auditioni sacri, si ieiunet, aut sacrum audiat in die præcepti, quod tamen falsum videtur, & contra intentionem confessariorum, & Ecclesiæ, quæ contendit multiplicationem nostrorum operum. Vltimò probatur *ex Anselmo libro primo, cur Deus homo, capite vigesimo, in hæc verba loquente. Cum reddis aliquid, quod debes Deo, etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato.*

2 Secunda sententia est *Syluestri verbo satisfactio quæstione octaua*, defendentis licet ea, quæ sunt de præcepto naturali, non sint satisfactoria, nec possint imponi à confessario in satisfactionem, at vero ea, quæ sunt de præcepto positiuo, & esse satisfactoria, & posse imponi in pœnitentiam. Probatur hæc sententia, B
quia præceptum Ecclesiæ potest ordinari ad eundem finem, ad quem ordinatur satisfactio.

3 His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Per opera, quæ alias sunt constituta sub præcepto tam diuino, quàm naturali, & Ecclesiastico possumus satisfacere pro pœna temporali. Hanc conclusionem defendunt *Sotus in quarto distinctione 19. quæstione secunda, artic. primo, Adrianus quæstione tertia, de satisfactione in quarto, Caietanus tomo primo opusculorum, tractatu sexto, quæstione prima, Vazquez quarto tomo in tertia parte, quæstione 94. articulo primo, dubio sexto, Suarez quarto tomo in tertia parte, disp. 37. sectione quarta.* Probatur primò, *ex Concilio Tridentino Sessione 14. capite 9. dicente nos* C
1 *satisfacere flagellis à Deo immissis pro nostris pœnis.* Et tamen illa necessariò patimur, ergo etiam satisfacimus operibus præceptorum necessarijs. *Et capite octauo, eiusdem Sessionis præcipit Concilium Sacerdotibus, vt pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungant.* Vbi non excluduntur opera alias præcepta. Et præterea *Concilium Sessione sexta capite decimo* asserit, nos implendo præcepta mereri vitam æternam, ergo eadem implendo satisfacimus pro peccato. Secundò probatur, quia alias qui martyrium pateretur in eo casu, quoad id teneretur ex præcepto, reuera non satisfaceret pro pœnis debitis pro peccatis, sed detineretur in Purgatorio, quod absurdum est, cum D
maiorem hac dilectionem nemo habeat, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tertiò probatur, quia opera alias præcepta sunt libera cum præceptum non tollat libertatem, & sunt bona, præterea sunt pœnalia, ergo si in statu gratiæ fiant, sunt satisfactoria de condigno pro pœnis temporalibus.

4 Secunda conclusio. Opera alias præcepta possunt à Sacerdotibus imponi in satisfactionem delictorum. Conclusio patet ex dictis in prima conclusione, quia talia opera, vt vidimus, sunt satisfactoria natura sua, ergo rectè possunt imponi à confessarijs in satisfactionem peccatorum. Confirmatur, secundo conclusio *ex loco citato Concilij Tridentini Sessione 14. canone decimotertio.* Vbi absolutè definit Concilium sine vlla distinctione operum præceptorum, aut non præceptorum nos *Satisfacere pro peccatis, quoad pœnam temporalem, per ieiunia, orationes, & eleemosynas, & alia pia opera.* Tertiò probatur conclusio, quia talia opera alias præcepta à Deo, vel ab Ecclesia ex eo, quod imponuntur ad satisfactionem à confessario, inducunt in pœnitentibus nouam obligationem, nouumque vinculum, ac per consequens nouum quoddam genus pœnæ, ergo ex ea parte possunt imponi à confessarijs ad satisfactionem culpæ remissæ.

Ex dictis in hac quæstione, & in præcedentibus sequitur primò, falsam esse sententiam 5
Coninc. tomo de Sacramentis disputatione decima, dubio quarto, Asserentis, pendere rationem satisfactionis in operibus alias præceptis, & in alijs ex Dei voluntate, quia inquit, cum sit omnium absolutus Dominus, sine dubio posset nobis multa opera ita præcipere, vt illis nulla ratione pro peccatis satisfaceremus. Hæc inquam, sententia falsa est ex his principijs, quæ notauimus in quæstione tertia huius tractatus. Nam opera bona pœnalia facta in statu gratiæ de se, & natura sua, & absque vllo pacto Dei sunt satisfactoria pro peccatis, quod non amittunt ex eo, quod sint alias præcepta à Deo. Posset quidem Deus negare illis remissionem pœnæ, & alijs bonis operibus etiam non positis sub præcepto, si talem remissionem non promisisset, propter hoc tamen prædicta opera non desinerent esse satisfactoria de se. Sequitur secundo, ex dictis, longe vtilius esse in hac vita mortali, vbi ratione status viatoris, & ratione liberæ subiectionis hominis prouenit meritum, & satisfactio, satisfacere pro peccatis, quam in Purgatorio satispati. Tùm, quia hic facile, & sæpe paruo labore pro magnis pœnis satisfit, illic autem difficile satispatitur, tùm quia hic cum merito vitæ æternæ, & augmento gratiæ fit satisfactio, illic autem sine his meritis contingit satispassio: quæ doctrina vera est etiam loquendo de satisfactione prouenientе ex operibus alias præceptis.

Circa secundum, quod in hac quæstione, 6
quæritur sit secunda conclusio in ordine huius quæstionis. Per flagella à Deo immissa homo satisfacit, si patienter ea sustineat. Ita sentiunt generaliter loquentes *Diuus Thomas in quarto distinctione 15. quæstione prima, articulo quarto, quæstione secunda, Nauarrus in Summa, capite quarto, numero quarto, Dominicus Sotus in quarto distinctione 19. quæstione secunda, articulo secundo, & alij plurimi.* Probatur expressè ex

ex *Concilio Tridentino Sessione* 14. *Canone* 13. Cuius hæc sunt verba: *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, anathema sit.* Vnde hæc conclusio ita generaliter intellecta de fide est, hoc tamen non obstante difficultatem continet, & multas patitur opiniones, quas late referunt *Suarez, quarto tomo tertiæ partis, disp.* 38. *sectione* 7. *& Vazquez quarto tomo in* 3. *part. quæst.* 94. *art. primo.* Circa modum, quo per hæc flagella contingit satisfactio, an scilicet, per quæcunque flagella siue à Deo immissa, siue quæ Deus permittit per iniustam actionem alicuius hominis satisfiat secundum quantitatem pœnæ patienter toleratæ.

7 Secundum aliquos, qui patienter suscipit flagella Dei, satisfacit pro peccatis, non solùm ratione actus interioris, quo Deo illa offert, sed etiam ratione exterioris pœnæ, quam patitur. Hanc partem defendunt recentiores Theologi sequentes *Diuũ Thomam, in quarto distinctione* 15. *quæstione prima, articulo quarto, quæstiuncula secunda. Verba Diui Thomæ hæc sunt. Vnde si flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis rationem satisfactionis accipiunt.* Ecce vbi Diuus Thomas rationem satisfactionis in ipsis flagellis constituit, tantum requirens, vt conditionem, liberam hominis acceptationem. Deinde probatur ratione, quia ratio meriti non tãtùm sita est in opere interno hominis, sed etiam in opere externo. Vt verbi gratia, non tantum meretur quis vitam æternam per actum interiorem voluntatis, quo vult dare eleemosynam, sed etiam per ipsum opus externum dandi eleemosynam; quare Christus in die iudicij electos ad dexteram suam constitutos sic alloquetur, vt patet ex *Matthæi* 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere.* Ergò etiam ratio satisfactionis nõn solùm sita est in actu interno, sed etiam in opere externo.

8 Verumtamen sit tertia conclusio. Quando flagella missa sunt à Deo, vel ab aliqua alia causa externa, nec sunt in potestate patientis, tunc sola voluntas interior acceptans illa flagella propter Deum satisfactoria est, non verò opus externum patiendi. Hanc cõclusionẽ docuit *Gabriel Vazquez quarto tomo, in tertia parte, quæstione* 64. *articulo primo, dubio ultimo, numero decimo, & vndecimo.* Eaque facilè probatur, quia huiusmodi passio exterior flagellorum non est actus humanus, id est liber; quia non pendet ex voluntate hominis illa flagella vitare, sed tantùm actus interior est humanus, & liber, quo acceptantur libenter illa flagella, cum tamen possent impatienter

A tolerari, qui quidem actus interior non efficit prædictam passionem exteriorem liberam; quia nunquam dependet ea à voluntate: ergo tota vis satisfactionis constituta est in hoc casu in actu interno. In quibus flagellis ferendis, qui patitur tanquam innocens plus satisfacit, quam ille, qui patitur ob suas culpas, quia actus interior innocentis patienter tolerantis sua flagella perfectior est, quam actus interior nocentis. Imò communiter qui maius malum patitur, plus satisfacit, quam ille, qui minus, quia regulariter actus interior patientiæ superans maius malum intensior est actu eo interiori, qui leuius malum superat.

B Quarta conclusio. Quando aliquis assumit sibi aliquod malum in vindictam suorum peccatorum, tunc mensura satisfactionis sumitur ex actu interiori patientiæ, & ex actu exteriori patiendi. Hæc conclusio probatur sufficienter ex rationibus proxime adductis ante tertiam conclusionem. Quæ si hoc tantùm probent, vim habent, alias verò nullam. Quæ conclusio præterea probatur, quia in isto casu non solum actus interior est liber, sed etiam actus exterior, ergo si reliquæ adsint conditiones; vterque est satisfactorius quemadmodum actus exterior est meritorius, quando est liber, non vero quando est necessarius. 9

Quinta conclusio. Tantùm contingit satisfactio, quando quis æquo animo patienter acceptat flagella, non verò quando quis illa C suffert sine vlla acceptatione, & patientia mere materialiter, & tantùm satispatiendo. Hæc conclusio est *Diui Thomæ, loco citato proxime, & eandem sequuntur Gabriel Vazquez, loco citato, & Suarez quarto tomo, in tertia parte, disputatione* 37. *sectione septima, numero decimo.* Probatur cõclusio primò, quia si sola satispassio flagellorum remitteret pœnam temporalem, ergò ex opere operato, sicut Sacramentum remitteret talem pœnam, quod nullo modo, vt per se constat, affirmandum est. Præterea sequeretur hominem satisfacere per illa flagella, etiamsi impatienter illa ferat, & mortaliter peccet per impatientiam, quia peccatum, ex quo relicta erat illa pœna, iam erat remissum quoad culpam, & alias contingit D satispassio in illo casu, etiamsi in peccato mortali contingat. Secundò probatur, quia hæc satisfactio, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad emendationẽ pœnitentis, quia est filialis quædam punitio: ergo requirit saltem voluntariam acceptationem pœnitentis. Tertiò probatur, quia pœnæ huius vitæ non habent proportionem cum pœnis Purgatorij, cum illæ paruæ sint, istæ autem maximæ, quando ergo paruis pœnis huius vitæ remittuntur magnæ pœnæ Purgatorij, hoc necessario pro- 10

S uenit

uenit ex dignitate, vel voluntate patientis, scilicet ex eo, quod patiens sit in statu gratiæ, & eas pœnas toleret æquo animo.

11 Ex dictis circa secundum punctum, sequitur primò cum *Suarez loco citato*, quando Deus specialiter punit in hac vita aliquem iustum pro peccato, non omninò liberare eum à tota pœna, quæ illi peccato correspondet in Purgatorio (licet aliqui, quos iste Autor refert, sentiant oppositum) Quod probatur, quia potest interdum pœna à Deo in flicta ad eo esse exigua, & breuis, vt non omnem pœnam purgatorij remittat, sed partem tantùm eius, ita vt reliqua pœna luenda relinquatur in Purgatorio. Secundò probatur, quia non constat nobis de aliquo priuilegio, medio quo Deus concesserit iustis, vt pœnam Purgatorij debitam pro suis peccatis soluant in hac vita per quodlibet opus pœnale, ergo tale priuilegiū non est concedendum absque fundamento.

12 Secundò sequitur contra *Enrirum quodlibeto tertio, quæstione* 18. Non esse necessarium ad satisfaciendum reperiri in satisfaciente intentionem satisfaciendi, sed satis esse opus pœnale exerceri cum omnibus suis circunstantijs, etiamsi absit ea intentio. Quod probatur à simili ex merito, nam quemadmodum ad merendum non requiritur intentio merendi, ita ad satisfaciendum non requiritur intentio satisfaciendi.

13 Tertiò sequitur contra eundem *Enrirum loco citato*, minime requiri ad rationē satisfactionis opus satisfactorium à charitatis habitu imperari actu, vel virtute ratione alicuius actus charitatis, qui præcesserit, & ordinauerit opus satisfactorium in Deum. Quod exinde mihi sufficienter probatur, quia sicut ad meritum vitæ æternæ, quod excellentius quid est, non requiritur opus imperari à charitate, ita etiam ad satisfaciendum pro pœnis Purgatorij quod minus est, non requiritur talis conditio. Quod autem opera sint meritoria vitæ æternæ absque eo, quod imperentur à charitate patet ex *Concilio Tridentino Sessione sexta, capite* 16. Cuius hæc sunt verba: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam, verè promeruisse censeantur*. In quibus verbis Concilium nō exigit ad rationem meriti opus meritorium imperari à charitate, ergo talis conditio non est necessaria.

14 Sequitur quartò, ex dictis in præcedentibus conclusionibus, ex opere proprio ipsius operātis non restare nobis aliam viam certā, & ordinariam ad obtinendam remissionem pœnæ tēporalis, quam cōdignam satisfactionem: quod sufficienter nobis indicauit *Conciliū Tridentinū Sessione* 13. *capite octauo*, dum loquens de huiusmodi satisfactione in hæc verba prosiliuit: *Nec vero securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit, ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Et hoc quidem consonum est diuinæ iustitię vindicatiuę. Nam sicut diuina iustitia commutatiua Dei ad reddendum præmium vitæ æternæ postulat à nobis meritum, ita etiam iustitia vindicatiua, vt remittat nobis pœnas Purgatorij, exigit à nobis satisfactiones in hac vita. Præterea tales satisfactiones huius vitæ necessariæ sunt ad eos fines, quos commemorat his verbis *Concilium Tridentinum Sessione* 13. *capite* 8. *Procul dubio enim magnoperè à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus male viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt*.

Ex his respondetur argumentis in oppositum adductis in principio huius quæstionis. 15
Ad primum dicimus seclusis alijs solutionibus quando debita sunt diuersa in materia iustitiæ, non rectè satisfieri eadem solutione, quia in huiusmodi debitis consideratur æqualitas inter datum, & acceptum, vel inter datum, & ablatum. Idem autem, verbi gratia, numus aureus, quem ego soluo, non adæquat vnum aureum quem ego accepi mutuum, & alium quē ego accepi per furtum. At vero in nostro casu, eodem opere possumus satisfacere præcepto, & pœnæ, quia ad satisfaciendum præcepto, nihil aliud requiritur, quam quod efficiatur opus, quod præcipitur, & ad satisfaciendum nihil aliud exigitur, quam opus esse pœnale. Ad secundum dicimus, dependêre ex intentione vouentis, an eodem sacro satisfiat præcepto audiendi sacrum, & obligationi voti. Cum enim votum sit priuata quædam lex, in qua vouens est legislator, & dependeat ex intentione legislatoris obligatio legis, ex intentione vouentis dependêre debet, an sit obligatus ad audiendum nouum sacrum. Quod si de intentione non constet, attendenda sunt verba vouentis, materia voti, conditio vouentis, & aliæ conditiones, quæ considerantur in materia de voto, dum sermo est de interpretatione obligationis voti, quādo dubium circa illam emergit. Ad tertium respondetur, nullum esse inconueniens homines solis operibus positis sub præcepto satisfacere pro pęnis temporalibus: inde enim non sequitur, relinquenda esse alia opera supererogationis, & voluntaria, cum illa vtilissima sint ad multos sanctos fines, quorum meminit Concilium Tridentinum loco proxime citato.

Ad quartum respondemus, Sacerdotem optime posse in Sacramēto Pœnitentiæ iniūgere 16

gere opus, quod aliàs erat in præcepto in pœnam peccatorum pœnitentis, quod vt rectè fiat considerari debet pœnitentis dispositio, vt conditio, vt opportunitas, taliter enim istæ circunstantiæ occurrere possunt, vt prudenter opus alias præceptum in satisfactionem imponatur à Sacerdote. Tunc autem cũ opus alias præceptum imponeretur in satisfactionem pœnitenti, tale opus haberet maiorem vim satisfaciendi, quam secundùm se haberet. Quod si Sacerdos intenderet opus imponere alias non præceptum, non satisfaceret pœnitens tantùm implendo opus positum sub præcepto. Quando vero nihil in particulari constat de intentione Sacerdotis confessarij, neque ex verbis, aut materia pœnitentiæ impositæ, aut ex alio capite colligitur oppositum; intelligendum est, voluisse eum iniungere pœnitentiam de operibus, quæ alias non erant in præcepto, quia tunc creditur cõfessarium voluisse pœnitenti propter sua specialia peccata specialia onera iniungere. Dixi in hac solutione, nisi ex materia, in qua iniuncta est pœnitentia, colligatur oppositum, quia cum ieiunium iniungitur certis diebus signatis; tunc intelliguntur illi dies præfixi, siue sint in præcepto, siue non, quia in eodem die nõ potest esse plusquã vnũ ieiuniũ. Si autẽ vage præcipiantur ieiunia aliqua, tunc semper intelliguntur ea, quæ alias non sunt posita sub præcepto. Et hanc solutionem quantum ad pœnitentias impositas à confessario receptam inuenio à *Diuo Antonino tertia parte, titulo 14. capite 20. §. 1.* & à quibusdam recentioribus doctissimis. Ad vltimum argumentum Anselmi dicimus, satisfactionem pro peccatis, cum non sit de rigore iustitiæ, optime posse coniungi in eodem opere cum obseruatione præceptorum tam legis naturalis, & diuinæ, quam

17 Ecclesiasticæ.

Aliqui Doctores recentiores in hoc loco disputant, an posit quis de condigno mereri alicui iusto remissionem temporalis pœnæ, sed alij Doctores matuirus reperpensa huiusmodi quæstionem tanquam à præsenti tractatu alienam in tractatum de suffragijs, & indulgentijs reseruant, quorum placitis annuendum putauimus.

QVAESTIO VII.

Vtrùm satisfactio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quem effectum habeat?

1 SIt prima conclusio certa secundum fidem. Potest confessarius imponere pœnitenti opus aliquod pœnale in satisfactionem pro peccatis. Hæc conclusio probatur primò ex perpetuo vsu Ecclesiæ, *& ex capite Deus, & ex capite ex desunctione de pœnitentia, distinctione prima, & ex alijs textibus, quæ in ea dist. & dist. 50. referuntur.* Et talis veritas ita aperte constat ex *Concilio Tridentino*, vt nullus qui Ecclesiæ authoritatem recipit, eam posit negare. *Verba Concilij Sessione decimaquarta, Canone decimoquinto hæc sunt. Si quis dixerit, claues Ecclesiæ datas tantum ad absoluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, anathema sit.* Eandem veritatem præclaris testimonijs illustrarunt *Diuus Leo epistola 91. ad Theodorum, Diuus Cyprianus in sermone de Lapsis, & Diuus Gregorius lib. tertio in primum caput Regum.* In cuius veritatis confirmationem dilucidè considerari possunt rationes. Prima sit ex differentia, quæ reperitur inter Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ. Baptismus enim, quia est regeneratio quædam spiritualis, non requirit, vt ille, qui regeneratur, in ea re multum laboret, at pœnitentia, quia est medicamentum animæ ęgrotantis, requirit in eo, qui sanitatem recipit, medicinales incisiones, amaras potiones, & alia plura huiusmodi. Secunda ratio sit, quia in sacris Literis sæpe coniunguntur misericordia, & iustitia, & ita consentaneum est rationi, vt taliter Deus iuxta suam misericordiam peccata remittat, vt etiam iustitiæ, quoad eius fieri posit, velit satisfieri. Tertia ratio sit, quia conueniens fuit confessarijs relinqui potestatem iniungendi pœnitentias propter eas maximas vtilitates, quæ ex illis sequuntur, quarum eleganter meminit *Concilium Tridentinum Sessione decimaquarta, capite octauo, in hæc verba. Procul dubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus male viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt.*

Sit secunda conclusio. Satisfactio à confessario imposita est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Probatur ex *Concilio Tridentino Sessione 14. capite tertio, cuius hæc sunt verba. Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Secundò probatur conclusio ratione, quia hoc Sacramentum est institutum ad remittendum peccatum post baptismum cõmissum ex opere operato. Quidquid ergo pertinet ad talem remissionẽ, pars 2

est Sacramenti Pœnitentiæ, sed satisfactio virtute clauium Ecclesiæ imposita, vt statim videbimus est remissiua peccati, quantum ad pęnam, ergo verè annumerāda est partibus pœnitentiæ.

3 Primo quæres tamen, an satisfactio sit pars essentialis, vel integralis huius Sacramenti? Huic interrogationi facile respondetur primo, satisfactionem non esse partem essentialem huius Sacramenti. Ita docent communiter *Theologi in quarto distinctione* 16. *vt Capreolus ibidem, quæstione secunda, articulo tertio in fine, Sotus in quarto distinctione* 17. *quæstione prima articulo tertio, Suarez quarto tomo in tertia part. disp.* 38. *sectione prima.* Probatur hæc pars, quia cum hoc Sacramentum simpliciter, & principaliter ordinetur ad remissionem culpæ, secundario autem; & minus principaliter ad remissionem pœnæ, illud debet esse tantùm pars essentialis eius, quod pertinet ad remissionem culpæ, sed ad hanc remissionem tantùm pertinent oris confessio, & cordis contritio ex parte pœnitentis, non vero satisfactio, quia hæc tantum ordinatur ad remissionem pęnæ, ergo satisfactio non est pars essentialis huius Sacramenti. Secundò respondetur satisfactionem esse partem integralem. Patet, quia vt vidimus ex Concilio Tridentino loco proxime citato, satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, sed non est pars essentialis, ergo saltim erit pars integralis. Pars vero integralis ea dicitur, quæ licet pertineat ad perficiendum aliquod totum, essentia tamen totius subsistere potest sine illa. Quemadmodum in homine manus dicitur pars integralis, quia licet perficiat totum hominem, quia sine manu homo maneret deformis, & imperfectus, hominis tamen essentia potest optime cōsistere sine manu.

4 Secundò quæres, an in satisfactionem possint imponi à confessario opera interna. Ad hoc respondetur *tum Suarez tomo quarto, disp.* 38. *sectione sexta, numero secundo,* Actum externum esse magis accommodatum ad satisfaciēdum, quia solet esse magis pœnale posse tamen imponi in pęnitentiam actum internum; Tùm quando ægrotus non potest exercere actum externum aliquem, tùm quando confessor iudicat, conueniens esse statui pœnitentis, aliquoties concipere propositum non peccandi: confessarij autem possunt huiusmodi actus internos iniungere, quemadmodū possunt absoluere à peccatis internis. Tunc autem illi actus possunt esse pars Sacramenti, licet non sint sensibiles ratione sui, quia sunt sensibiles per accidens, quatenus exterius pręcipiuntur, & acceptantur, sicut contritio est pars Sacramenti, & tantùm est sensibilis ratione confessionis.

5 Difficultas vero huius quæstionis in eo versatur, quem effectum habeat in anima satisfactio imposita à confessario. In qua difficultate quidam existimant satisfactionem tantùm remittere peccatum ex opere operantis, & non ex opere operato. Ita indicarunt cum alijs *Adrianus quæstione secunda de satisfactione, in solutionibus argumentorum, Sotus in quarto distinctione* 19. *quæstione prima, articulo quinto.* Probat primò Sotus, quia satisfactio non est pars essentialis, sed integralis Sacramenti Pęnitentiæ, ergo non operatur ad modum Sacramenti ex opere operato. Secundò probat Sotus, quia alias si satisfactio fieret per opus malum, quod esset peccatum veniale, & conferret gratiam, & prodesset ad satisfaciendum, sicut baptismus cum per peccatum veniale ob vanam gloriam susciperetur, *Suarez quarto tomo in tertia parte, disput.* 38. *sectione secunda, citans pro se Caietanum tertia part. quæst.* 90. *artic. secundo ad secundum, & Sotum in quarto dist.* 17. Sentit satisfactionem conferre ex opere operato gratiam gratum facientem. Probatque suam sententiam primo, quia Sacramenta nouæ legis causant gratiam ex opere operato, sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo causat gratiam ex opere operato. Secundò probatur, quia si homo eo tempore, quo absoluitur à peccatis, iam exhibuisset omnia satisfactionis opera, & ita esset melius dispositus ad Sacramentum recipiendum pœnitentiæ, maiorem effectum gratiæ reciperet ex opere operato, sed satisfactio licet post receptam absolutionem fiat, tamen moraliter coniungitur, cum alijs partibus pœnitentiæ, vt cum illis vnum Sacramentum constituat; ergo etiam postea confert aliquam partem gratiæ ex opere operato. Tertiò probatur sententia Suarez, quia satisfactio magis principaliter ordinatur in medicinā pęnitentis, & ad hoc vt ille peccata omninò abijciat, & vires recuperet ad vincendas tentationes peccatorum quam ad remissionem pœnæ, sed ad istum effectum principalem necessaria est gratia, quæ non potest aliter conferri per satisfactionem nisi ex opere operato, ergo satisfactio confert gratiam gratum facientem ex opere operato. Et addit Suarez dari ex opere operato per satisfactionem Sacrametalem auxilium aliquod ad emendanda peccata, quia propter hunc finem emendandi peccata fuit instituta satisfactio primario.

6 Ad hoc tamen vltimum punctum respondetur primò, non solùm satisfactionem remittere pęnam temporalem, sed etiam Sacramentum Pœnitentiæ constitutum ex absolutione Sacerdotis, & oris confessione, ac cordis contritione pęnitentis remittere aliquam pęnam temporalem. Quod probo primò, quia satis probabile videtur, reliqua Sacramenta dum conferunt gratiam ex opere operato, remit-

remittere ex opere operato, saltim secundo
loco pœnam temporalem, dum enim conse-
runt amicitiam Dei, etiam videntur auferre
reatum pœnæ, quo homo aliquo modo est a-
uersus à Deo: ergo Sacramentum Pœniten-
tiæ etiam remittit pœnam temporalem ex o-
pere operato. Secundò probatur, quia cum
Sacramentum Pęnitentiæ suppleat vices con-
tritionis, ex cõstitutione Dei videtur accepis-
se à Deo eandem virtutem remittendi pecca-
ta ex opere operato, quam habet contritio
ex opere operantis, sed contritio ex opere o-
perantis delet peccata, quantum ad culpam,
& pęnam, ergo Sacramentum Pęnitentiæ re-
mittit peccatum quantum ad culpam, & pę-
nam ex opere operato.

6 Respondetur secundò, satisfactionem impo-
sitam à confessario remittere aliquam pęnam
temporalem ex opere operato, præter illam
pęnam, quæ remittitur per opus satisfactoriũ
ex merito, & proportione ipsius operis, ita vt
si ieiunium, verbi gratia, vnius diei remittat
pęnam vnius anni Purgatorij de se, hoc qui-
dem ieiunium impositum à confessario plus
pęnæ remittat, quod quantum sit, solo iudicio
Dei reseruatum est. Hoc secundum respon-
sum communiter defendunt *Theologi in quar-
to distinctione 15. & 16. & Caietanus tomo primo,
opusculorum tractatu sexto, quæstione vltima, &
Suarez, loco citato.* Probatur primò, quia satis-
factio maxime instituta est in remissionem pę
næ temporalis, ergo vel effectum nullum con-
fert ex opere operato, vel hunc præcipue
cõfert. Secundò probatur, quia Sacramentum
pęnitentiæ institutum est à Deo ad remitten-
dum peccatum ex opere operato secundum
omnes suas partes, sed satisfactio, quæ pars est
eius Sacramenti, non remittit peccatum quan
tum ad culpam ex opere operato, ergo re-
mittit illud, quantum ad pęnam ex opere ope
rato.

7 Tertiò respondetur, satisfactionem Sacra-
mentalem non conferre gratias sacramenta-
les, id est auxilia gratiæ in ordine ad emen-
danda peccata, quia vt vidimus in tractatu de
Sacramentis in genere, gratia Sacramentalis
nihil aliud est, quam gratia habitualis cum iu-
re ad aliqua specialia auxilia, sed hæc gratia,
vt statim videbimus in quarto responso, non
confertur per satisfactionem ex opere opera-
to, ergo neque gratia sacramentalis eo modo
confertur.

8 Quartò respondetur, satisfactionem non cõ
ferre gratiam habitualem gratum facientem
ex opere operato. Ita docent *Diuus Thomas in
quarto distinctione 16. quæstione prima, articulo
primo, quæstiuncula secunda ad tertium ibi: Ad ter-
tium dicendum, quod ex proposito satisfaciendi gra-
tia confertur, quamuis satisfactio actualiter gra-*
A *tiam præsupponat, vel dicendum, quod consequitur
pœnitens per satisfactionem perfectum effectum
gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter
à peccati reatu.* Et eandem doctrinam sequutus
est *Conınc. tomo de Sacramentis, disp. 10. dubio,
10.* Probatur primò, quia neque Sacramen-
tum, nec pars eius conferunt aliquem effe-
ctum, quem non significant, quia sacramenta
in tantum operantur, in quantum significant,
sed satisfactio non significat collationem gra-
tiæ sanctificantis, ergo illam non confert. Se-
cundo probatur, quia pars integralis in Sacra-
mento Eucharistiæ non confert nouam gra-
tiam sanctificantem, vt constat in Sacerdote
sumente secundam particulam hostiæ conse-
cratæ, qui quidem dum primam particulam
B sumpsit recepit totam gratiam, & nullam re-
cipit per alias particulas, si est eodem modo
dispositus: ergo etiam satisfactio, quæ tantum
est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ,
non confert gratiam sanctificantem. Tertio
probatur, quia si satisfactio conferret gratiam
ex opere operato, quia est pars Sacramenti
Pęnitentiæ, quod illam eo modo confert, se-
queretur, eum qui semel rite confessus, & ab-
solutus est, & paulo post peccauit mortaliter,
& habens attritionem pęnitentiam iniunctam
adimplet, recepturum gratiam, & remissio-
nem peccati, quia si satisfactio confert gratiam
ex opere operato ad modũ Sacramẽti pęniten
tiæ, ergo potest in homine attrito delere pec-
cata mortalia, sicut illa delet Sacramentum pę
C nitentiæ. Vltimò probatur, quia iste effectus
cum sit ita præcipuus, non est assignandus sa-
tisfactioni absque fundamento in sacra Scrip-
tura Concilijs, aut Patribus, sed tale funda-
mentum non reperitur, quin imò *Conciliũ Tri-
dentinũ dum sessione decimaquarta* Varios effe-
ctus enumerat satisfactionis, huius effectus
nullo modo meminit, ergo nullatenus illi con-
cedendus est.

Ex his respondetur ad argumenta propo- 9
sita contra istam vltimam resolutionem. Ad
primum Soti respondemus, satisfactionem nõ
esse quidem partem essentialem Sacramenti
Pęnitentiæ, sed tantùm integralem, hoc ta-
D men non obstare ad hoc, vt remittat pęnam
temporalem ex opere operato, obstare vero
posset vt conferret gratiam ea ratione. Ad
secundum respondetur, satisfactionem factam
ob vanam gloriam non conferre gratiam, re-
mittere tamen pœnam temporalem, quia ille
finis vanæ gloriæ non tollit intrinsecam bo-
nitatem, & intrinsecum laborem operis. Ar-
gumentis Suarez restat satisfacere, & quidem
ad primum, dicimus satisfactionem tantùm es-
se partem integralem Sacramenti, atque ita
non conferre gratiam sanctificantem ex ope-
re operato (non negamus autem satisfactio-

nem conferre gratiam ex opere operantis, A quia hac ratione quodlibet opus bonum elicitum in gratia illam confert.) Ad secundum argumentum Suarez respondemus eum, qui ante receptionem absolutionis peragit pœnitentiam impositam maiorem gratiam recipere, quam si pœnitentiam non impleret, eam tamen gratiam recipere virtute absolutionis tanquam causæ, non vero eam recipere à satisfactione tanquam à causa, sed tanquam à dispositione, atque ita satisfactionem impletam post absolutionem non conferre gratiam tanquam causam ex opere operato. Ad tertium argumentum Suarez respondemus satisfactionem ordinari in remissionem pœnæ, & in medicinam animæ, quæ quo ordine conferat, postea patebit, sed ex opere operato non confert gratiam, sed remissionem pœnæ temporalis.

11 Ex dictis sequitur primò, virtute satisfactionis Sacramentalis non remitti pœnam temporalem, nisi illa in re fiat, neque sufficere illam adimplendi propositum. Hoc quidem apertum est, quia quemadmodum Sacramentum non habet suum effectum ex opere operato, donec re ipsa suscipiatur, ita etiam pars Sacramenti qualis est satisfactio, non potest habere effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato, donec executioni mandetur.

12 Ex dictis sequitur secundò, satisfactionem, siue sit exhibita ante absolutionem Sacramentalem, siue postea, non remittere pęnam temporalem ex opere operato ante datam absolutionem. Probatur primò, quia contritio est potior pars, quam satisfactio, & tamen contritio non habet effectum ex opere operato ante receptam absolutionem, ergo neque etiam satisfactio. Secundò probatur, quia pœna non remittitur ante remissionem culpæ, ergo satisfactio, quæ ordinatur ad remissionem pœnæ, non habet suum effectum ante datam absolutionem, quæ ordinatur ad remissionem culpæ: propter quod nulla ratione intendimus negare satisfactionem Sacramentalem exhibitam ante datam absolutionem remittere pœnam temporalem ex opere operantis, quando subiectum est capax: nam omnis satisfactio habet hunc effectum independentem ab absolutione Sacramentali, ergo etiam satisfactio Sacramentalis.

QVÆSTIO. VIII.

An confessarius habeat potestatem imponendi satisfactionem, & obligandi pœnitentem ad eius executionem?

IN hac quæst. quidam sentiunt nulla ratione posse obligari pœnitentem, vt pœnitentiam acceptet, si tamen illam acceptauerit, 1 teneri illum ad impletionem eius. Ita sentiunt *Scotus in 4. dist. 19. quæst. 1. §. ad quæst. notam post medium illius, Nauar. in Summa Latina, cap.* B *26. num. 20. Syluester verbo confessio primo, quæst. 25. Reginaldus in suo foro pœnitentiali, lib. 7. cap. 2. sectione prima.* Probatur primò, quia Sacerdos duo præstare potest in foro pęnitentiali. Primum, commutare pęnam æternam in temporalem. Secūdum, commutare pęnam temporalem Purgatorij in pęnam temporalem huius vitæ, sed pœnitens potest se subijcere Sacerdoti quoad primum, non subijciendo se quoad secundum, ergo potest recusare pœnitentiam impositā, reseruando sibi pœnam luēdam in Purgatorio. Secundò probatur, quia si pœnitens teneretur condignam pœnam in satisfactionem delictorum acceptare, ergo qui quam plurima peccata confitetur, teneretur omnem condignam pęnam admittere, quod C nimis durum videtur, si ergo non tenetur acceptare totam pœnam, ergo neque partem. Quod vero teneatur exequi pœnitentiam, postquam illam acceptauit, probatur, quia per illam acceptationē subijcit se iudicio cōfessarij, ergo tenetur eius sentētiam pati, quod commune est cuilibet alteri foro iudiciali.

Secunda sententia est *Caietani tomo primo, opusculorum tractatu 6. quæstione secunda.* Asse- 2 rentis tantùm esse peccatum mortale omittere satisfactionem iniunctam ex contemptu, quod intelligit adhuc post acceptatam pœnitentiam, quia in primis non est mortale ratione obedientiæ iniunctę. Deinde non est mortale, quia sit contra charitatem, aut iustitiam, aut quia sit contra integritatem Sacramenti, quia D sine satisfactione saluatur vera ratio Sacramēti, ergo nullo modo est peccatum mortale prædictam satisfactionem omittere.

Sit prima conclusio. Confessarius tenetur satisfactionē imponere suis pœnitētibus. Con- 3 clusio est de fide. Probatur ex *Concilio Triden. Sessione 14. cap. 8. Cuius hæc sunt verba: Debēt ergo Sacerdotes Domini, quantū spiritus, & prudētia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitētium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere.* Secundò probatur, quia Sacerdos in hoc

hoc Sacramento ministrando gerit personam iudicis, & medici, & ita tenetur integrum iudicium efficere, & integram sanitatem procurare, sed ad istos effectus necessaria est satisfactio, vt plenum iudicium feratur circa absolutionem peccatorum, & vt integre illa deleantur quoad culpam, & pœnam; ergo tenentur Sacerdotes eam satisfactionem imponere. Hæc autem obligatio, cum fit in materia graui constringit Sacerdotem sub peccato mortali.

4 Sit secunda conclusio. (Quam etiam existimo esse de fide iuxta aliquos recentiores) posse confessarios obligare pœnitentes suos ad satisfaciendum in hac vita pro pœnis temporalibus in Purgatorio debitis pro culpis iam remissis. Ita sentiunt *Diuus Thomas in 4. dist. 18. quæstione 1. articulo 3. quæstiuncula tertia; Paludanus dist. 20. quæst. 2. numero 5. Dominicus Sotus, dist. 20. quæst. 2. artic. 2. Petrus de Soto, lectione 2. de satisfactione, & Victoria in Summa, numero 240. ac Vazquez quarto tomo in 3. part. quæst. 94. artic. 2. dubio primo.* Hanc conclusionem ita tuetur, vt existimet illam esse de fide, & eandem tuetur *Suarez quarto tomo in 3. parte, disp. 38. sectione 7. conclusione prima.* Existimans eam sine temeritate non posse negari, & quidem cum duplex sit pœnitentia, alia satisfactoria, quæ imponitur ad satisfaciendum Deo in hac vita pro pœna temporali, & alia medicinalis seu necessaria ad hoc, vt quis absoluatur à peccatis vt alieni restitutio, depositio odij mortalis, &c. De hac secunda, quæ medicinalis est, nulla est controuersia inter Doctores, sed omnes conueniunt eam esse implendam necessariò, etiã absque vllo præcepto confessarij, quia ex natura rei est necessaria ad delendum peccatum, sed tota controuersia est de prima pœnitentia, & de ea procedit secunda nostra conclusio. Quæ probatur primò ex *Concilio Saleguntadiensi cap. 18. relato in 3. tomo Conciliorum in hæc verba. Multi tãta falluntur stultitia, vt capitali crimine culpati pœnitentiam à suis Sacerdotibus acceptare nolint.* Deinde probatur ex *Concil. Trident. Sessione 14 cap. 8.* vbi postquam dixit, incumbere Sacerdotibus obligationem imponendi pœnitentibus condignas pœnitentias ad satisfaciendum. Hæc verba subijcit: *Nam claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt & docent.* Et præterea Canone 15. *eiusdem Sessionis his verbis veritas hæc definitur, Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantum ad soluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus; agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, anathema sit.* Ex quibus locis Concilij Tridentini aperte colligitur, pœnitentes debere acceptare pœnitentias sibi impositas à confessarijs, alias, si pœnitentes possent pro suo libito repudiare pœnitentias, non possent obligari à Sacerdotibus ad eas acceptandas, neque possent Sacerdotes habêre potestatem ligandi quantum ad satisfactiones peccatorum. Ad quæ loca Tridentini nullatenus responderi potest, id quod aliqui defendunt, scilicet posse Sacerdotes ligare pœnitentes quoad pœnitentias, id est, posse eos arbitrari iustam pœnitentiam debitam pro peccatis dimissis, quia talis respõsio omni prorsus robore destituitur. Quia si tantùm Sacerdotes arbitratentur pœnitentias relinquendo illas voluntati pœnitentium, nõ dicerentur ligare pœnitentes, quia ligare includit in se vim quandam coactiuam, qua quis etiam inuitus cogitur ad aliquid præstandum. Tertiò probatur conclusio ratione, quia confessarius debet, in quantum potest, integrum efficere iudicium Sacramentale, quo iudicet secundum æquitatem inter Deum, & hominẽ, sed integritas, & æquitas iudicij huius postulat, vt homo satisfaciat Deo: talem ergo satisfactionem debet confessarius imponere, & eam tenetur acceptare pœnitens, si quidem ipse tenetur subire perfectum iudicium, & perfectæ sententiæ parêre.

5 Præcedens conclusio aliquas patitur exceptiones. In triplici enim casu excusatur pœnitens ab acceptanda pœnitentia à confessario imposita. Primo, quãdo manifeste constat cõfessarium errare in imponenda pœnitẽtia, maiorem pœnitentiam imponendo, quam sit debita peccatis (nam in dubio, an pœnitentia iusta sit, vel non standum est iudicio Sacerdotis, sicut in quolibet dubio stãdum est indicio iudicis, vt probe considerauit *Sotus in 4. dist. 20 quæst. 2. art. 2.*) Ad hoc autem, vt confessarius existimetur errasse, circa impositionem pœnitentiæ, satis est, aut eum maiorem pœnam imponere in hac vita, quam soluenda sit pro peccatis in Purgatorio; vel maiorem pœnam pro illis peccatis imponere, quàm ea, quæ imponi solet in pœnitentiali foro considerata qualitate personæ, & peccatorum, commoditate, ac possibilitate pœnitentiam peragendi, quare vt optime vidit *Nauar. cap. consideret, de pœnit. dist. 5. §. ponat se num. 8.* Si homini debilissimo multa ieiunia, aut homini in multis negotijs magni momenti occupato multæ preces quotidie recitandæ iniungerentur, non teneretur pœnitẽs huiusmodi pœnitẽtias acceptare, quia moraliter sunt impossibiles. Secundò excusatur pœnitens ab acceptanda pœnitentia, quãdo est in eo statu constitutus, vt nullam pœnitentiam implere posset. Tertiò excusatur, quando confessarius prudenti iudicio ductus perspicit pœnitentem sufficienter satisfecisse pœnis debitis pro peccatis, quia sicut iustum iudicium exigit puniri eum, qui aliquam pœnam debet pro culpa, ita etiam exigit, liberari à pœna eum, qui pœnam debitam pro cul-

pa anticipata solutione soluit, & in quo neque ad præseruationem, neque ad alium finem est necessaria satisfactio.

6 Cæterum cum nimis arduum sit, tale iudicium formare, & cum huiusmodi satisfactio Sacramentalis, valde vtilis sit ad delendam pœnam temporalem debitam pro peccatis, ideò regulariter imponenda est aliqua satisfactio maior quidem, aut minor secundum quod pœnitens magis, vel minus satisfecerat pro peccatis.

7 Sit tertia Conclusio. Obligatio incumbens Sacerdotibus imponendi pœnitentias pro peccatis ex se, & ex suo genere grauis est, & ita illam violans de se peccatum mortale committit. Probatur conclusio, quia materia huius obligationis de se grauis est, & ad multas, ac magnas animarum vtilitates ordinatur, ergo præceptum circa illam impositum ex se, & ex genere suo obligat sub mortali, nihilominus tamen huiusmodi obligationis violatio tantùm constituit peccatum veniale in materia leui. Ita tenet communis sententia, cuius meminit *Suarez quarto tomo in tertia parte disp. 28. sectione septima, numero quarto*. Probatur hæc vltima pars primò, ex generali ratione, quia etiam si peccata ex genere suo grauia sint, ex leuitate tamen materiæ leuia fiunt, vt contingit in furto, quod ex genere suo peccatum mortale continet, tamen si in parua materia contingat tantùm continet peccatum veniale. Probatur inductione a. quia cum pœnitens tantum confitetur peccata venialia, aut mortalia peccata iterum antea confessa, vt *Suarez loco citato, & alij Doctores notant*, tantùm peccaret leuiter confessarius, non imponens pœnitentiam, quia tunc pœnitentia, quæ imponenda esset leuis tantùm est. Tertiò, tantum peccaret venialiter confessarius, non imponens aliquam partem pœnitentiæ ei pœnitenti, qui confessus est peccata mortalia, & cui alias partes pœnitentiæ imposuit, quando illa pars omissa pœnitentiæ tantùm esset leuis. Cui resolutioni addit *Suarez loco citato, numero quinto*, posse confessarium obligare tantum sub veniali pœnitentem ad implendam grauem pœnitentiam, & tunc etiamsi non imponat talem pœnitentiam, eum tantùm peccare venialiter, hoc tamen falsum iudico, quia vt rectè notauit *Vazquez quarto tomo in 3. part. loco citato, numero quarto*. Et vt nos aduertimus dum de voto disputauimus, licet ex voluntate propria confessarij dependeat, aut ex voluntate cuiuslibet alterius legislatoris, obligare, vel non obligare subditum ad aliquid præstandum, quia ex voluntate sua dependet, præcipere, vel non præcipere, posito tamen præcepto, non pendet ex eius voluntate quantitas obligationis, sed hæc iuxta materiæ grauitatem regulanda est.

A Quæres tamen in fine quæstionis, quando debeat pœnitens huiusmodi satisfactionem implere? Ad hoc respondetur primo, cum confessarius non designat aliquod tempus ad implendam pœnitentiam, eam esse implendam statim, si commode id fieri possit. Tùm quia hæc est intentio confessarij, sicut & cuiuslibet alterius aliquid præcipientis, tùm etiam, quia sicut obligatus ex voto ad aliquid præstandum, dum nullum tempus ad implendum votum designauit, tenetur illud implere, quã primum commode potest; & sicut obligatus ex contractu emptionis ad soluendum pretium nullo præfixo termino, tenetur statim illud soluere, pari ratione pœnitens, cui pœnitentia est iniuncta absque præfixione termini, tenetur illam implere statim, iuxta legem in omnibus obligationibus, ff. de regulis iuris, ita vt si iudicio prudentis viri nimium differatur impletio, peccatum mortale committatur, nimia autem erit communiter dilatio si vltra tertium diem differatur impletio. Secundò respondetur cum confessarius præscribit aliquod tempus intra quod implenda sit pœnitentia, intra illud necessariò implendam esse, quod commune est omnibus alijs præceptis, imò & debitis pecuniarijs. Quod si præfixum tempus prætereat, ob hoc tamen nõ extinguitur obligatio adimplẽdi pœnitentiam, quemadmodum extingui solet obligatio audiendi sacrum prætereunte die festo. Tùm quia intentio confessarij non eo tendit, vt extinguatur eo modo obligatio, sed vt intra illud tempus, sine vllo peccato impleatur, tùm etiam, quia in eo præcepto confessarij duæ obligationes includuntur, quarum prima est vt pœnitentia impleatur in satisfactionem peccatorum, Secunda, vt impleatur intra tempus designatum. Licet ergo secunda obligatio extincta sit, quia tempus iam præterijt, primam tamen in sua vi remanere omninò affirmandũ est. Cui resolutioni consonat, *L. Celsus, 27. §. primo, ff. de receptis arbitris*, vbi dicitur duo esse præcepta, alterum pecuniam dandi, alterũ intra Kalendas dandi.

Ex his respondetur ad argumenta primæ sententiæ in oppositum. Ad primum respondemus pœnitentem subiectum esse Sacerdotis iudicio, quantum attinet ad acceptandã pœnitentiam impositam à confessario, quia vt vidimus in secunda conclusione dum verba sacri Concilij Tridentini expendimus Sacerdotes confessarij potestatem habent obligandi pœnitentes ad huiusmodi satisfactiones. Ad secundum respondetur, modo non imponi condignam pœnam, quæ per se debetur peccatis ratione fragilitatis pœnitentis, ne grauis pœnitentia occasio sit noui peccati, & vt pœnitentes facilius alliciatur ad Sacramentum pœnitentiæ, & ita iure optimo recep- 9

tum

tum esse consuetudine Romanæ Ecclesiæ, vt
remissior penitentia imponatur, quam sit de
bita pro peccatis, quare penitens non tenetur
modo acceptare penitentiam condigne, &
æqualiter debitam pro suis peccatis, quia illa
iam nō est in vsu, nihilominus tamen tenetur
penitens acceptare aliam penitentiam mitio-
rem, quæ iuxta prudentis confessarij arbitriū,
& iuxta præsentem consuetudinem Ecclesiæ
sufficiens iudicatur. Ad argum. secundæ sentē
tiæ dicimus penitentem non acceptantem pe-
nitentiam impositam à confessario peccare cō-
tra virtutem religionis, quia hanc virtutem
respicit confessarius iustè præcipiens satisfa-
ctionem, cum in eo integritatem debitam Sa-
cramento penitentiæ intendat.

QVÆSTIO IX.

*Vtrùm ea tantum opera sint satisfacto-
ria, quæ à confessarijs imponuntur
sub præcepto?*

1 IN hac quæstione quidam existimarunt, nō
solum esse satisfactoria ex opere operato
pro peccatis illa opera, quæ posita sunt à
confessario sub præcepto penitentibus, sed
etiam illa, quæ tantum assignata sunt sub consi
lio, & relicta in arbitrio penitentium. Ita sen-
tiunt *Nauarr. cap. 1. de penit. dist. 6. in principio,
numero 43. & Petrus de Soto lectione 2. de satisfa
ctione, Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 38. sect. 3. n. 2.*
Probatur hæc sententia primo, quia satisfactio
medicinalis est, & ita accommodari debet dis
positioni penitentis, sed sępe penitentem nō
est necessarium obligare, ad satisfaciendum,
sed satis est relinquere satisfactionem eius ar-
bitrio, ergo tunc satisfactio remittit pęnam
ex opere operato, si quidem imponitur à con-
fessario. Secundo probatur, quia ad denotan-
dum opera consilij, etiam esse satisfactoria ex
opere operato, solent confessarij hæc verba
subijcere formæ absolutionis. Quidquid boni
feceris, & mali sustinueris, sit tibi in augmen-
tum gratiæ, &c. Tertio probatur, quia conces-
sio indulgentiarum est actus iurisdictionis, &
dimanans à clauibus Ecclesiæ, & tamen dum
conceduntur indulgentiæ, opera non ponun-
tur sub præcepto, sed relinquuntur in arbitrio
hominis, quæ necessaria sunt ad lucrandam in-
dulgentiam, pari ergo ratione, opera quæ re-
linquunt confessarij in arbitrio penitentium
sunt satisfactoria pro peccatis.

2 Sit prima conclusio. Illa tantum opera sunt
satisfactoria virtute Sacramēti penitentiæ ex
opere operato, quæ à sacedote imponuntur
sub præcepto penitentibus. Hāc conclusionē
nouissime, docuit *Vazquez 4. tom. in 3. part. q.*

A *94. art. 2. num. 9. & 10.* Probaturque, hac vni-
ca ratione, quia illa tantum opera habent vim
satisfaciendi virtute Sacramenti, & ex opere
operato, quæ imponuntur à sacerdotibus, per
potestatem clauium Ecclesiæ, quam habent a-
nimas ligandi, quod sufficienter nobis indica-
uit *Concil. Trid. sess. 14. cap. 8.* Dum postquam
meminit satisfactionis, quam imponunt sacer
dotes in Sacramento penitentiæ: *Subijcit. Nā
claues sacerdotum, non ad soluendum duntaxat, sed
& alligandum concessas, etiam antiqui Patres &
credunt, & docent.* Sed quādo opera tantum im
ponuntur sub consilio à sacerdotibus, non di-
manant ex potestate ligandi, quia vt vidimus
in præcedenti quæstione non dicitur ille liga
ri aliqua re, quia ad illam non obligatur ex præ
B cepto, ergo talia opera non sunt satisfactoria,
ex vi Sacramenti, ac per consequens, nec ex
opere operato, quia opus operatum tantum
correspondet Sacramento.

Sit secunda conclusio. Potest confessarius 3
imponere in satisfactionem bona opera gene-
raliter nō determinādo vnum opus, aut aliud.
Ita docent *Nauarr. in principio cap. 1. de penitē
tia, dist. 6. n. 36. & Reginald. lib. 7. suæ Praxis pe
nitentialis, cap. 3. sect. 1.* Patet, quia tunc confes-
sarius sufficienter ligat pœnitentem, vt cum
illi præcipit, quod se exerceat in cultu Dei
per horam, vel in charitate proximi, quamuis
vt verum fatear, hæc opera, ita generaliter in-
iuncta, non tantum satisfaciunt, quantum illa,
quæ specialiter præcipiuntur, Quia tunc ma-
C gis specialiter applicatur illis virtute clauium
Ecclesiæ vis satisfaciendi ex opere operato.

Ad primum argumentum oppositæ senten
tiæ respondetur, communiter, necessarium es-
se imponere satisfactionē sub precepto, quod
si in aliquo casu nō esset necessaria satisfactio,
sed tantum imponeretur sub consilio illa non
esset satisfactoria ex opere operato. Ad secū-
dum dicimus in illis verbis. Quidquid boni fe-
ceris, &c. non imponi aliquod præceptum,
nec tribui operibus virtutem satisfaciendi, ex
opere operato, sed tantū contineri deprecatio
nem quandam sacerdotis desiderantis, omnia
opera penitentis, & prodesse ad augmentum
gloriæ, & ad remissionem pęnæ. Ad tertium
respōdetur concessionem indulgentiarum es-
D se quidem actum iurisdictionis, sed non oriri
ex potestate ligandi, quemadmodum oritur
impositio pænitentiæ, quare opera, quibus lu-
crantur indulgentiæ, posse constitui tantum
sub consilio, at verò opera quibus est satis
faciendum pro peccatis, ex opere ope
rato, debere constitui sub
præcepto.

QVAESTIO X.

Vtrum vnus homo possit pro alio satisfacere, & an satisfactio imponi debeat ante absolutionem?

1 HÆRETICI acriter reprehendunt catholicos, eo quod existiment satisfactiones vnius hominis alteri prodesse. Ita reprehendit *Vvitclepb, apud Vvaldensem tom. 2. de Sacramentalibus tit. 10. cap. 100. & nouissime Lutherus, cuius meminit Sotus in 4 dist. 19 q. 2. art. 4.*

2 Aliqui vero Catholici, tam longe distare voluerunt à sententia Hæreticorum, vt aperte existimauerint, posse propter peccata vnius alteri imponi pœnitentiam in confessione, si ille alter velit eam acceptare. Ita docent *Sotus loco citato. D. Bonau in 4. dist. 20. art. 1. q. V. Ioannes Medina, Codice de confessione quæst. de pœnitentia* iniuncta, tempore, quo missa celebratur impleta, quod dicit Sotus, verum esse, quando pœnitentia non imponitur in medelam, & præseruationẽ peccatorũ futurorũ; sed in satisfactionẽ & punitionẽ præteritorũ. Probat Sotus, quia nihil obstat, quominus id fieri possit, & siquidẽ lex charitatis cõmunis docet vnum posse pro alio satisfacere, præsertim cum satisfactio est exhibenda per eleemosynam, vel peregrinationem, vel per aliquid huiusmodi. Quam pœnitentiam, inquit Sotus posse imponi vni pro altero, etiam si alter possit eam implere.

4 His suppositis sit prima conclusio certa secundum fidem. Recte potest vnus homo pro alio satisfacere, ita vt pœna temporalis, quam vnus debet pro suis peccatis, remittatur per opera facta ab altero (dummodo tamen & ille qui satisfacit, & ille, pro quo satisfit sint in statu gratiæ.) Hæc conclusio probatur primo. *Ex symbolo Apostolorum, in quo confitemur communionem sanctorum,* Communio enim sanctorum aperte, significat opera vnius iusti prodesse alteri iusto, tum in ordine ad merita, tum etiam in ordine ad satisfactionem. Secundo probatur *Ex Paulo 1. Epistola ad Corinth. cap. 12. asserente, Vos autem estis corpus Christi, & membra de mẽbro.* Sed in corpore naturali, pes, verbi gratia, non tantum ambulat in suam vtilitatem, sed etiam in vtilitatem totius corporis, & oculus non tantum videt propter suam vtilitatem, sed etiam propter vtilitatem totius corporis, ergo etiam in corpore mystico constituto ex Ecclesia, & Christo, & in quo Christus se habet tanquam caput, non solum vnus iustus satisfacit pro se, sed etiam pro alijs membris, scilicet, pro iustis alijs. Tertio probatur *Ex eodẽ Paulo ad Colossenses cap. 1. ibi. Nũc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia,* vbi significat Paulus se satisfacere pro alijs fidelibus, sicut Christus satisfecit pro genere humano. Vltimo probatur, quia alias frustra fideles pro defunctis orarent sacrificia offerrent, & alia pietatis opera exercerent, quod tamen nullo modo admittendum est, vtpote ex diametro pugnans tum recepta consuetudine Ecclesiæ, & cum illis verbis, 2. *Lib. Machabæorum cap. 12. Sãcta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Vbi per illam particulam à peccatis cõmunis sensus Ecclesiæ intelligit pœnas temporales debitas pro peccatis. Hæc autem conclusio intelligenda est de satisfactione exhibita ab vno iusto pro alio ex opere operantis, & 1
ita in ea nulla est difficultas. Tota vero difficultas est; an vnus homo possit satisfacere pro alio ex opere operato, ita quod virtute clauiũ Ecclesiæ, possit imponi pœnitentia vni pro alio, & hæc alterius pœnas remittat, ex opere operato, plus scilicet, remittendo virtute accepta à Sacramento pœnitentiæ de pœna temporali, quam remitteret natura sua.

Sit secunda conclusio. Vnus homo non potest pro alio satisfacere, ex opere operato virtute Sacramenti pœnitentiæ. Hanc conclusionem apertis verbis, defendit *Vazquez 4. tom. in 3. part. quæst. 94. art. 2. dubio 1.* Probatur primo, quia Sacramenta ab vno recepta non causant gratiam in altero, ex opere operato, etiã si talis receptio alteri applicetur, ergo etiam non operantur satisfactionem, ex opere operato in altero, etiamsi ad eum ordinentur: ergo satisfactio, quæ est pars Sacramentalis, non remittit pœnam ab alio debitã ex opere operato. Secundo probatur, quia ea tantum opera sunt satisfactoria virtute clauium Ecclesiæ, & ex opere operato, quæ sunt posita sub præcepto, vt vidimus in præcedenti quæstione, & quæ ligant pœnitentem, sed claues Ecclesiæ tantum possunt ligare pœnitentem ipsum, & non alium pro eo, ergo tantum possunt communicare virtutem satisfaciendi ex opere operato operibus ipsius pœnitẽtis. Minor propositio probatur, quia claues Ecclesiæ non tantũ imponunt opera satisfactoria ad custodiam nouæ vitæ, sed etiam ad vindictam peccatorum præteritorum, vt sanctissime notauit *Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. in illis verbis, in quibus alloquitur confessarios. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiã, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Ad hos autem fines immerito imponeretur satisfactio debita ab vno homine alteri. Nam inprimis non imponeretur recte ad nouæ vitæ custodiã, nã qua ratione, quæso opus ab vno homine exhibitum de-

fer-

seruit alteri ad custodiam vitæ, & illum præseruat à peccatis? Vt quæ ratione ieiunis, aut flagella assumpta ab vno homine effrænatam libidinem alterius compescunt, ne deinceps laxis cupiditatis habenis suis deseruiat voluptatibus? Secundò non recte imponeretur eo modo satisfactio ad vindictam præteritorum peccatorum, quia vindicta tantum sumitur de eo, qui peccatum commisit. Imò etiam iudiciaria potestas, quam habent Sacerdotes ad imponendas satisfactiones pro peccatis in confessione explicatis, nequaquam se extendit ad alios, sed tantum ad ipsos pœnitentes, quod nõ obscure explicuit Concilium Tridentinum, dum loco citato hæc verba pronunciauit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

5 Ex his sequitur in eo casu, quo pœnitens non possit implere pęnitentiam sibi iniunctã, non teneri per alium illam implere, nisi sit talis, vt possit per alium exerceri, vt eleemosyna, quæ optime datur per famulum, vel hæredem, quia illa pœnitentia est omnino personalis in quantum Sacramentalis est, & continet vim remittendi pęnam temporalem ex opere operato, ergo non debet per alium impleri: quemadmodum votum personale, quod quis non potest per se ipsum implere, non tenetur implere per filios, vel hæredes.

6 Ad argumentum in oppositum adductũ pro sententia Soti respondemus, vnum hominem recte posse pro alio satisfacere ex opere operantis, quia hoc est conforme legi charitatis, non posse tamen vnum pro alio satisfacere ex opere operato, quia hoc est contrarium institutioni Christi, & potestati clauium, vt vidimus in nostra conclusione.

7 Quæret tamen aliquis primò, circa id, quod in secundo loco quæsitum est, an satisfactio imponenda sit ante absolutionẽ, vel postea? *Glossa in Clementina Dudum de sepult. verbo, audire.* Pronunciat, satisfactionem esse imponendam ante absolutionem. Fundamentũ eius est; quia in eo textu pœnitentis prius imponitur, quam absoluatur pęnitens. Respondetur tamen, liberum esse confessario, ante absolutionem, & postea imponere satisfactionem. Ita docuerũt *Diuus Antoninus 3 part. titulo 17. capit. 20. §. 1. ad medium, & Suarez 4. tomo in 3. part. disp. 38. sectione 4.* Probatur primò ex *capite Finali, de censibus in sexto*, posse pœnitentiã imponi post absolutionem Sacramẽtalem, quia ibi sic dicitur: *Potest etiam idem Archiepiscopus dum visitat confessiones subditorum suffraganeorum audire, ac absoluere confitentes, & ipsis pœnitentias iniungere salutares*, ante absolutionẽ vero potest ea iniũgi, *vt patet ex allegata Clementina*. Secundò respondetur, consuetudinem iam obtinuisse tanquam quid melius, vt prius imponatur pœnitentia, quam pœnitens absoluatur à peccatis. Quæ consuetudo non induxit obligationem, sed probauit id, quod consultius est, & melius. Hoc autem melius est propter duo. Primũ vt satisfactio, quæ est pars materialis in Sacramẽto Pœnitentiæ, præsupponatur absolutioni sacramentali, quæ forma est, quemadmodum in compositis naturalibus materia præsupponitur formæ. Secundum vt pęnitens, antequam absoluatur, habeat propositum satisfaciendi, quod vtile est ad hoc, vt ille cum meliori dispositione recipiat gratiam.

Quæret aliquis secundò, de qua pęnitentia sit intelligenda prædicta doctrina explicata in primo quæsito. Respondetur, eam doctrinã tantum procedere in pęnitentia mere satisfactoria, & quæ non est simpliciter necessaria ad præcauẽdum aliquod peccatum. Nã hanc potest confessarius ante absolutionem, & postea imponere, licet in nullo casu habeat ius obligandi illum ad exhibendam pœnitentiam ante absolutionem, non vero procedere de pœnitentia, quæ necessaria est ex natura rei ad cauendum peccatum, ad medelam peccati, & ędificationem populi, qualis est restitutio alicuius notabilis damni, & vitatio consortij alicuius fęminæ, aut alterius occasionis proximæ inducẽtis ad peccatum mortale. Quia huiusmodi pœnitentia necessario imponenda est à cõfessario antequam absoluatur pęnitens, vt ea ratione inuestigare possit verum propositum emendæ, & verum dolorem pręteritorum peccatorum. Hæc enim sine illa pœnitentia subsistere non possunt, quinimo pęnitens tenetur talem pœnitentiam implere, etiamsi illa non præcipiatur à confessario. Vt optime tamen aduertunt recentiores, & considerauit *Reginaldus, lib. 7. sua praxis pœnitentialis, cap. 1. sectione posteriori*; licet sit exigendum firmum propositum ante absolutionẽ vitandi occasiones proximas peccatorum mortalium, pœnitentem tamen non esse ad id obligandum voto, vel iuramento, vel alia promissione, quia ea ratione posset induci nouus laqueus ad hoc, vt ille grauius peccaret in antiquum peccatum incidendo. Quæ doctrina generaliter loquendo vera est, nam aliquando ius vt recte notauit *Nauar. in Enchirid. cap. 26. num. 1.* exigit promissionẽ pœnitentis non incidendi in antiquum peccatum, vt absolutionem sacramentalem recipiat. Vt primò quando absoluendus est excõmunicatus notorius. Secundò, quando incendiarius. Tertiò, quando mutilator. Quartò, quando manifestus raptor, aut Ecclesiæ violator. Quinto, quando vsurarius publicus. 8

Sexto,

Sexto, quando publice afficiens iniuria perso nas Ecclesiasticas absoluendi sunt à peccatis: Sed hic quamuis vtile esset, propter grauitatem peccatorum, non esset tamen necessariũ.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm confeßarius posßit pœnitentiam publicam imponere?

1 PRo huius quæstionis intelligentia notandum est, hic nomine pœnitentiæ publicæ non intelligi omnem illam, quæ coram multis fit, nam si contingeret, penitentiam ita esse in se publicam, vt persona efficiens illam pęnitẽtiam velo aliquo sit cooperta, & à nemine cognoscatur, vel saltim causa, propter quam sit pęnitentia, sit oculta, neque talis causa posset colligi ex pęnitentia, quia illa pęnitentia solet fieri ex mera deuotione, vel pro leuibus peccatis, tunc eam pęnitentiã non vocamus publicam, neque de ea aliquis ambigere potest, posse eam imponi à confessario, etiam pro peccatis omnino occultis: eam ergo vocamus publicam pęnitentiam, quæ ita exercetur multis alijs aspicientibus, vt ex ea illi colligere pòsint, confessarium propter graue peccatum eam imposuisse.

2 Prima sententia defendit, pro nullis peccatis etiam publicis imponi posse pœnitentiam publicam à confessario, quando homines colligere possunt, eam pœnitentiam fuisse impositam à confessario propter peccatum, quod audiuit in confessione. Ita docuit *Nauarr. in sum ma, cap. 18. num. 10.* Fundamentum huius sententiæ illud esse potest, quia confessarius ea ratione violaret sigillum confessionis. Nam, quemadmodum contra sigillum delinqueret confessarius referens publicam meretricem confessam esse sua peccata cum magno animi dolore, quia ea ratione reuelaretur confessio, & exosa hominibus redderetur, sic etiam non potest confessarius aliquid præstare, quo significet, se graue peccatum audiuisse in confessione etiam alias publicum: sed si pęnitentiam publicam pro peccato publico imponeret, quando alij possent suspicari, explicatum esse à pęnitente in confessione aliquid graue peccatũ, indicaret confessarius, se aliquod peccatum graue audiuisse in confessione, ergo sigillum debitum confessioni sine dubio violaret.

3 Sit prima conclusio. Potest imponi pęnitentia publica in foro interriori pęnitentiæ à confessario pro peccatis publicis, & notis in aliquo oppido. Ita docet *Diuus Thom. in 4. dist. 14 quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 1. in corpore, Diuus Anton. 3. p. tit. 14. cap. 17. §. 6. Dominicus Sotus in 4. dist. 19 q. 2. art 5. & Suar. 4. tom. in 3. part. disp. 38. sect. 6. num. 3. Vazquez 4. tom. in 3. part.*

A *quæst. 94. art. 2, dub. 2.* Probatur primo. *Ex cap. 1. de penit. & remiss. cuius hæc sunt verba. Manifesta peccata nõ sunt occulta correctione purganda.* Secundo probatur *Ex Concilio Tridentino sess. 24. in decreto de reformatione cap. 8. his verbis, quãdo igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commißum fuerit, vnde alios scandalo offensos cõmotosq́; fuisse non sit dubitandum, huic cõdignam pro modo culpæ pœnitentiam publice iniungi oportet, vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam.* Tertio probatur, quia vt supra vidimus in hac materia de pęnitentia dum explicuimus factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, quod referunt *Nicefor. lib. 12. historiæ cap. 28. & latissime Socrates lib. 5. historiæ*

B *cap. 19.* Olim fuit consuetudo tempore Nectarij à tempore Nouati introducta in oriente, & occidenti, vt publice fieret in Ecclesia pęnitentia de peccatis publicis, & quod publice pęnitentes deferrent omnia sua peccata ad presbyterum media confessione, qui presbyter in publico recitaret publica delicta pęnitẽtium, quorum erat agenda pęnitentia publica, ita vt sub sigillo seruaret alia peccata secreta, quę presbyter audiuit in confessione, si ergo olim fuit licitũ hæc efficere, multo melius hodie licebit publicam pęnitentiã imponere pro peccatis publicis. Vltimo probatur conclusio ratione Diui Thomæ loco citato, quia oportet aliquando pęnitentiam esse publicam ob quatuor causas. Prima, vt peccatum publicum pu

C blicam habeat medicinam. Secũda, quia maxima confusione in hoc mundo est dignus, qui grauissimum scelus cõmisit. Tertia, vt sit alijs ad terrorem. Quarta, vt sit ad exemplum pęnitendi, ne desperent qui in grauibus peccatis detinentur.

Nec valet solutio Nauarri respondentis ad 4 locum Concilij, Concilium tantum loquutũ esse in foro exteriori, non vero in foro interiori pęnitentiæ, quam solutionem colligere potuit ex eo, quia conceditur in eodem cap. Cõcilij Episcopis facultas commutandi pęnitentias illas publicas, quod intelligitur, etiam nõ audita confessione: sequitur ergo in eo loco sermonem esse de foro exteriori. Hæc autem solutio non habet vim. Primo ex eo, quod in

D eo capite Concilij præcipitur pro omni peccato publico imponendam esse publicam penitentiam, & tamen iudex Ecclesiasticus in foro externo nõ iudicat de omni peccato publico, vt non iudicat de homicidio & furto, solum autem iudex Ecclesiasticus iudicat de omni peccato publico in foro interiori penitentiæ. Secundo, non habet vim dicta solutio ex eo, quia cum Episcopo in dicto cap. committitur potestas commutandi pœnitentiam publicam (quam potestatem recentiores intelligunt cõcessam esse, etiamsi non audierit confessionem

talium

talium peccatorum) tantum conceditur facultas conferendi indulgentias, quibus pœnitentia illa publica, & pena temporalis debita pro peccatis confessis tollatur per aliquod aliud opus facilius, & secretum iniunctum penitenti.

5 Sit secunda conclusio. Penitens non potest cogi ad publicam penitentiam pro peccato occulto. Ita sentiũ Doctores allegati in fauorem primę conclusionis. Et probatur facile cõclusio, quia tantum potest cogi penitens ad acceptandam penitentiam impositam à confessario, quando confessarius debite vtitur sua potestate, & adhibet conuenientem medicinam peccato, sed in isto casu non est cõueniens medicina neque respectu penitentis, quia peccatum secretum non est dignum penitentia publica, neque etiam respectu aliorum, quia ex ea penitentia potius causaretur scandalum, quam spiritualis vtilitas proximi, sequitur ergo ad talem penitentiam acceptandam non posse cogi penitentem.

6 Ad argumentum pro contraria sententia adductum respondetur cum *Diuo Thom. loco citato*, quem alij recentiores sequuntur, peccare quidem contra sigillum eum cõfessarium, qui diceret meretricem publicã legitime expiasse conscientiam suam confitendo sua peccata luxuriæ, quia tunc ipse, & non penitens reuelaret confessionem, non verò peccare contra sigillum confessarium imponentem penitentiam publicam, quia ex consensu penitentis, ad quem iuste potest obligari ad medelam sui peccati, & ad tollendum scandalum aliorum, tunc reuelatur confessio, in quo nulla fit iniuria sigillo confessionis, quia sigillum tantum obligat confessarium, dum penitens contradicit reuelationi peccatorum.

QVÆSTIO XII.

Vtrum penitentia ab vno confessario imposita possit per alium confessarium commutari?

1 IN hac quæstione primo non loquimur de confessarijs, qui concedere possunt indulgẽtias, vt Summus Põtifex & Episcopus, quia hos certum est posse tollere penitentias etiam extra confessionem concedendo indulgentias. In quo casu cum cõceduntur indulgẽtiæ, & his concessis datur facultas absoluendi à peccatis, debet imponi iusta penitentia, quia facile potest accidere, quempiam absolutum fuisse à peccatis virtute indulgentiarum, & deinde non cõsequi indulgentiã, quia nõ præstitit aliquod opus, quod assignatum est tamquam necessarium ad lucrandam indulgentiam.

2 Secundo, non loquimur in eo casu, quo quis rationabiliter iudicet confessarium errasse in imponenda penitentia. Neq; in eo, quod penitentia fuit quidem iuste posita à principio; postea vero penitens impotens redditur ad implendam penitentiam, tunc enim quilibet homo prudens, & doctus, etiamsi confessarius non sit potest interpretari talem penitentiam non obligare, penitentia enim debet esse in se honesta, & possibilis. Qua ratione contingit, votum etiam eo modo emissum non obligare, cum materia eius vel non est iusta, vel est impossibilis. Et quemadmodum vouens in his casibus non tenetur commutationem voti postulare, quia omnino excusatur ab impletione eius, ita etiam penitens qui prædictam penitẽtiam acceptauit, non tenetur eam commutare etiam ex iudicio cõfessarij. Extra hos vero casus non potest penitens pro suo libito, & propria autoritate commutare penitentiã sibi impositã à cõfessario in quid melius, etiamsi possit commutare votum à se emissum propria autoritate in melius. Cuius discriminis potest assignari ratio duplex. Prima sit illa, cuius meminerunt *Enriquez prima parte suæ summ. lib. 5. capit. 20. §. 5. & Reginaldus lib. 7. Praxis pœnitentialis cap. 8. in principio*, quia scilicet homo per suam tantum voluntatem obligauit se voto, at vero ad implendam penitentiam obligatus est per voluntatem confessarij præcipientis talẽ penitentiam. Sicut autem Ecclesia præcipiente nobis ieiuniũ non satisfacimus eius præcepto, etiamsi aliud opus excellẽtius efficiamus; pari ratione non satisfaciemus præcepto confessarij, si illo præcipiente aliquod genus operis, nos illo omisso, aliud opus excellẽtioris generis præstemus. Secunda ratio eiusdem resolutionis sit, quia cum confessarius prudenter imponit aliquam penitentiam in indiuiduo attendit medicinam necessariam ad illud peccatum, Recte autem potest contingere, opus in se quidem melius, quam opus impositum in satisfactionem non ita recte mederi peccatis, ac aliud inferioris ordinis. Verbi gratia, propter peccata luxuriæ imposuit confessarius pœnitentiam ieiunij, non satisfaciet penitens, preces aliquas fundendo, quod melius est, quia istæ preces non ita refrænant concupiscentiam carnis, ac ieiunium. Loco vero vnius preces alia similis posset adhiberi à penitente absque vllo peccato.

3 In quæstione ergo proposita varia sunt Doctorum placita. Primum sit *Nauarri in summa Latina cap. 26. num. 22.* Asserentis, quemlibet confessarium posse commutare penitentiam impositam ab alio confessario superiori, etiam si non audiat confessionem illorum peccatorum, ob quæ fuit imposita talis penitentia, loquitur

quitur tamen Nauarrus in eo casu, quo pecca-
ta non sint reseruata superiori, si enim reserua
ta sint, sicut inferior nõ posset ab illis absolue
re, ita neque posset pœnitentiam iniunctam
commutare.

4 Secundum placitum fuit *Soti in 4. dist. 20. q.*
2. art. 3. Et recentiorum Thomistarum iudicã
tium fortasse pœnitentiam ab inferiori confes
sario impositam posse à superiori commutari,
non tamen ab alio confessore æquali. Quod to
tum ex eo patet, quia licet par in parem non
habeãt imperium, superior tamen habet impe
rium in inferiorem. Et ita quamuis æqualis cõ
fessarius in iurisdictione non posit commuta
re pœnitentiam ab alio impositam, superior
tamen optime potest eam commutare.

5 Tertium placitum fuit *Ioannis Medinæ Codi*
ce de confessione quæst. de pœnitentia iniũcta accep
tanda docentis, in sententia eorum, qui dicunt
posse confessarium obligare pœnitentem ad
acceptandam pœnitentiam, posse æqualem sa
cerdotem commutare pœnitentiam ab alio im
positam, imò etiam superiorem, non vero infe
riorem.

Quartum placitum fuit *Patris Vazquez 4.*
tom. in 3. part quæst. 94. art. 2. dubio 3. Affirman
tis primo, quemlibet sacerdotem cõfessarium
posse commutare pœnitẽtiam in foro interio-
ri impositam à quocumque superiori, dummo
do audiat in noua confessione peccata prius
confessa, quod nos postea probabimus in no-
stris conclusionibus. Affirmantis secundo, mul
to verius esse, penitentiam impositam ab vno
confessario posse quidem commutari ab alio
superiori, non vero ab æquali confessore,
aut inferiori. Affimantis tertio probabile esse
pœnitentiam impositam à confessario superio
ri etiam in casibus reseruatis, posse commuta-
ri à confessario inferiori. Quia quemadmodũ
peccata reseruata, semel explicata in confes-
sione superiori, possunt explicari inferiori, ita
etiam videtur priorem pœnitentiam posse
commutari ab inferiori.

6 His suppositis sit prima cõclusio. Sacerdos
confessarius æqualis in iurisdictione potest cõ
mutare pœnitentiam ab alio æquali impositã.
Hanc conclusionem defendunt communiter
Doctores, specialiter *Syluester cõfessio 1. quæst.*
27. Angelus confessio 6. num. 4. Nauarr. loco cita
to, Rosella verbo, confessio Sacramentalis, num. 61
Suarez 4. tom. in 3. part. disp. 38. sect. 10. num. 4.
Et alij multi. Quæ conclusio intelligenda, &
probanda est, non quidem de commutatione
pœnitentiæ facta extra confessionem, sed de
ea, quæ fit in ipsa confessione, dum de nouo au
ditur confessio eorundem peccatorum. Quod
non posit hæc commutatio fieri extra confes
sionem, patet, quia confessarius, qui nõ habet
potestatem concedendi indulgentias extra cõ
fessionem, & medijs illis auferendi pœniten-

A tiam iniunctam, aut tali potestate non vtitur
(in hoc enim casu procedit quæstio) nullam ha
bet in pœnitentem iurisdictionem ligandi eũ,
aut absoluendi, quia potestas clauium tantum
est concessa sacerdotibus intra confessionem
cognitis peccatis, quare extra confessionem
non potest confessarius commutare pœniten-
tiam, quia hæc commutatio est quoddã genus
ligaminis, quo liberatus pœnitens ab vna pœ
nitentia obligatur ad aliam nouam. Quod ve-
ro æqualis confessarius posit commutare pœ
nitentiam ab alio impositam confessione de
nouo audita eorundem peccatorum, patet pri
mo, quia hæc est differentia inter forum pœni
tentiale, & forum externum. Quod licet in fo
ro externo par in parem non habeat imperiũ,
B sed causa ab vno iudice semel iudicata nõ pos
sit ab altero æquali iterum iudicari, attamen
in foro penitentiali, licet vnus cõfessarius sen-
tentiam tulerit super aliqua peccata, nihilo-
minus pœnitens eadem peccata potest iterũ
in iudicium afferre, & nouam sententiam de
eisdem postulare à nouo confessario etiam
æqualis iurisdictionis, vt probat vsus piorum
hominum sæpius eadem peccata confitentiũ
eidem sacerdoti, vel diuersis. Ergo etiam con-
fessarius nouus, & æqualis poterit iuxta suam
prudentiam nouam pœnitentiam imponere,
ac per consequens commutare priorem pœni
tentiam ab alio impositam in aliam posteriorẽ,
aut maiorem, aut minorem, aut æqualem. Cu-
ius ea tota ratio est, quia non est cogendus pœ
C nitens duplicem satisfactionem condignã pro
eodem peccato implere. Vltimo probatur
hæc prima conclusio, quia iurisdictio clauiũ
Ecclesiasticarum non est concessa ab Ecclesia
in fauorem confessariorum, sed in fauorem pe
nitentium, ob quam causam idem net confessa
rius, postquam iam tulit suam sententiam cir
ca aliqua peccata, potest aliam sententiam fer
re circa eadem peccata in noua confessione.
Imô etiam sacerdotes æqualis iurisdictionis
hoc habent, vt posit vnus ferre sententiam in
eisdem peccatis, in quibus ab alio lata erat sen
tentia, quia hoc conueniens est ad maiorem
vtilitatem animarum. Ergo si necessarium sit
ad bonum spirituale pœnitentium, conuenĩe-
tissimum est naturæ huius Sacramenti, vt pos-
D sit vnus confessarius immutare pœnitentiam
ab alio impositam, in quo quidem casu secun-
dus confessarius nullam iniuriam irrogat prio
ri. Quia cum hoc Sacramentum sit institutum
in solam vtilitatem pœnitentis, pœnitens iuſ-
te vtitur iure suo, dum postquam semel accep
tauit sententiam vnius confessarij, alterius no
uam sententiam super eadem peccata quærit,
Et hoc non per modum appellationis, sed ex
natura huius fori.

Sit secunda conclusio. Superior potest im- 7
mutare pœnitentiam ab inferiori confessario
im-

impositam,& hoc audita confessione, quando vel non habet potestatem concedendi indulgentias extra confessionem, quibus commutetur pœnitentia, vel ea non vtitur. Ita sentiunt *Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. ar. 3. in fine, Syluest. & Suar. locis citatis.* Quod superior extra confessionem non possit tunc mutare pœnitentiam, patet, quia tunc tantum vtitur iurisdictione clauium concessa, quoad forum internum, quæ non potest exerceri, nisi audita confessione peccatorum. Quæ conclusio aperte patet ex rationibus primæ conclusionis. Si enim æqualis confessarius potest immutare pœnitentiam ab alio impositam, cur superiori hæc potestas deneganda est?

8 Sit tertia conclusio. Cõfessarius inferior, si peccata semel confessa, quibus imposita est pęnitentia, non sunt reseruata superiori, potest commutare pœnitentiam á superiore impositam. Ita sentiunt *Nauarr. Syluest. & Suar. & Vazquez locis citatis.* Et probatur, quia in ipso casu quoad forum confessionis, omnes confessarij habent æqualem iurisdictionem, quia proferunt sententiam vltimam, & diffinitiuam, tã quam Christi immediati ministri: si ergo ex prima conclusione patet, æquales confessarios habere hanc potestatem, vt vnus possit immutare pœnitentiam ab altero impositam, vt videre licet in duobus cõfessarijs, qui habent iurisdictionem delegatam ab vno Episcopo, idẽ dicendum est de confessarijs inæqualibus, quorum vnus est altero superior, vt de Episcopo, & Parrocho, Parrochum posse immutare pœnitentiam ab Episcopo impositam, audita tamen (vt semper loquimur) confessione eorundem peccatorum.

9 Solum ergo procedit quæstio in peccatis reseruatis superioribus, in quibus inferiores sacerdotes iurisdictionem non habent, an postquam superior directe absoluit ab illis peccatis, & pro eis pęnitentiam iniunxit, possit sacerdos inferior illam pœnitentiam immutare.

10 In qua difficultate *Vazquez 4. tom. in 3. p. loco citato* sentit, probabile esse, pęnitentiam impositam à superiore in confessione pro peccatis reseruatis posse commutari ab inferiori cõfessario. Quod probat, quia reseruatio non facit sententiam magis irreuocabilem, sed tantũ impedit, ne stante reseruatione aliquis possit absoluere ab illis peccatis, iam vero semel absolutis peccatis, quoad culpam, & imposita pęnitentia à superiori, cui erant peccata reseruata, iterum potest pęnitens illa confiteri inferiori sacerdoti, & ab illo accipere pœnitentiã. Ergo iste inferior potest commutare illam pęnitentiam, & liberare pœnitentem ab obligatione illam implendi, quia nemo tenetur duplicem satisfactionem pro eisdem peccatis exhibere. Secundo probatur hæc sententia, quia

A in votis reseruatis, postquam superior commutauit votum sibi reseruatum in aliam materiã, potest inferior habens potestatem commutandi vota ordinaria, etiam illam materiam commutare, ergo similiter potest contingere in nostro casu.

11 His tamen non obstantibus sit quarta conclusio. Postquam superior directe absoluit à peccatis reseruatis, & pro eis pœnitentiam iniunxit, nequit confessarius inferior illam pęnitentiam commutare per se, & iure ordinario. Hanc conclusionem, defendunt *Cardinalis in Clementina vltima de pœnitentijs & remissionibus, Syluester confessio 1. quæst. 27. Enriquez lib. 5 sua summa cap. 22. num. 1. Suarez alios referens, 4. tom. in 3. part. loco citato num. 14. & nouissime* B *Reginaldus lib. 7. Praxis pœnitentialis cap. 8. numero 91.* Probatur primo, quia ideo superior sibi reseruauit peccata, vt pro illis debitam iniungeret pęnitentiam, & ne hoc iudicium imponendi, ac taxandi pęnitentiam, quod magni momenti est ad medelam animarum alijs relinqueret, ergo eo ipso, quod superior imposuit pęnitentiam, non potest eam commutare inferior, sed manet reseruata. Secundo probatur, quia inferior non habet per se iurisdictionem in illa peccata reseruata, quatenus commissa sunt, sed quatenus sunt ablata à superiori, ergo non potest pœnitentiam motare pro illis impositam. Patet consequentia, quia nequit sacerdos pœnitentiam impositam mutare, nisi aliam imponendo loco illius: quod si C peccata sint reseruata, non potest pro illis pęnitẽtiam imponere, nisi ex suppositione prioris iudicij, & ex eo quod eadem peccata absoluerit superior, & eis pęnitentiam iniunxerit. Debet ergo in secũdo iudicio confessarij inferioris (in quo inferior potest iudicare de peccatis illis, quia iam post absolutionem superioris manent non reseruata) imponi pęnitentia, absque præiudicio prioris iudicij, ergo absque commutatione pœnitentiæ in illo impositæ, alias fieret iniuria illi iudicio, & fini illius. Tertio probatur, quia cum superior imposuit pęnitentiam, imposuit quoddam præceptum implendi illam, sed inferior non potest mutare D præceptum superioris iure ordinario, ac per se, ergo non potest talem pęnitentiam immutare. Quarto probatur ex cap. accedẽs, 50. dist. Vbi Pontifex concedit cuidam Episcopo facultatem ad commotandam pœnitentiam à se impositam cuidam reo, ergo Episcopus iure ordinario illam non habebat, tãquam inferior Papa, & in casu irregularitatis Papæ reseruato, qui textus tam in foro externo, quam interno videtur procedere.

Optime vero considerarunt autores citati in vltima cõclusione in his casibus, in quibus ratione necessitatis, aut piæ vtilitatis occurrẽtis pie præsumitur superiorẽ velle ab inferiori com- 12

commutari pęnitentiam, posse eam commutari ab inferiori, tunc autem recte præsumitur ea voluntas, quando difficilis est recursus ad superiorem, qui pęnitētiam imposuit, & adest moralis necessitas iudicio prudentis viri perpendenda.

13 Ex his, quæ pro contrarijs sententijs prænotauimus, quia reliqua ex dictis facile soluuntur, tantum restat respondere argumentis Vazquez allatis, contra quartam conclusionem. Ad primum argumentum eius sententiæ respondetur, posse quidem pœnitentem peccata reseruata superiori, & ei semel confessa iterum confiteri inferiori sacerdoti, quia iam manent libera à reseruatione, & cum teneri acceptare pęnitentiam positam ab inferiori sacerdote, quia hoc est necessarium ad integritatem huius secundi iudicij: ob hoc tamen non commutari pęnitentiam impositam à superiore, sed vtramque pœnitentiam manere in sua vi. Si enim prior pęnitentia commutaretur, fieret iniuria superiori, vt vidimus in secunda ratione quartę conclusionis, neque propter hoc nimis grauatur pęnitens obligatus ad duplicē satisfactionem implendam. Primò, quia secunda pęnitentia semper est mitior, quam prima, & cum prima non fuerit semper æqualis, & condigna totam extinguens pęnam temporalem, adhuc potest restare locus secundæ pœnitentiæ. Secundò, quia ipse pęnitens voluntarie se subijcit duplici pęnitētiæ eo ipso, quod bis vult acceptare sentētiam super eadem peccata, quia Sacramenti noua gratia non datur, nisi parato recipere nouam pęnitētiam. Tùm etiam tertiò ex eo nō grauatur pęnitens, quia vel creditur per priorem pęnitentiam impositam à superiori illum sufficienter satisfecisse pro suis peccatis, & tunc inferior confessarius non potest imponere nouam pœnitentiam. Si autem creditur pęnitentem condigne non satisfecisse, nihil mirum, si aliqua noua pęnitentia imponatur ab inferiori, vt condigne satisfaciat. In dubio vero, an condigne satisfecerit pęnitens, vel non inferior confessarius debet imponere pęnitentiam, quia cum talis pęnitentia ex opere operato magnam afferat vtilitatē animabus, ideo in fauorem earum non est in dubio omittenda pęnitentia. Ad secundum argumentum respondemus iuxta doctrinam *Syluestri verbo, votum 4. q. 7. vers. 8. & Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 20.* Votum emissum in materia reseruata, quod commutatur à legitimo superiore in materiam non reseruatam, nō manere reseruatum, at verò pęnitentiam impositam à superiori in casibus reseruatis semper manere reseruatam superiori. Ratio discriminis est, quia cum superior commutat aliquod votum materiæ reseruatæ in non reseruatā, non imponit aliquod speciale præceptū implendi illud secundum votum, sed tota obligatio implendi nascitur ex iure diuino; quod non reseruat illam materiam, quando verò superior pęnitentiam imponit, constituit speciale præceptum illam implendi, & ita eam sibi reseruat. Vnde, quamuis quilibet habens potestatem commutandi vota possit illud votum eo modo commutatum à superiore, iterum cōmutare, etiamsi inferior sit; at inferior sacerdos non poterit commutare pęnitentiam iniunctam à superiore.

QVÆSTIO. XIII.

Vtrùm ille qui oblitus est pœnitentiæ, sibi impositæ à confessario teneatur cōfessionem repetere?

1 SYluester *confessio 1. q. 3.* Defendit eum pęnitentem qui culpabiliter oblitus est pęnitentiæ sibi impositæ debere confessionem repetere, non vero eum naturaliter, & absque culpa oblitus est pęnitentiæ, quæ sententia nullum habet pro se fundamentum.

2 Sit cōclusio communis inter Doctores: Nō est necessarium repetere confessionem ei; qui oblitus est pęnitentiæ impositæ, siue culpabiliter, siue inculpabiliter sit oblitus illius, sed satis est confiteri culpam negligentiæ, ob quā pęnitentia obliuioni mandata est. Hanc conclusionem tuentur *Maior in 4. dist. 17. q. 6. dubio vltimo, Sotus in 4. dist. 20. q. 2. art. 2. in solutione cuiusdam tertij argumenti, & Vazquez 4. tom. in 3. p. q. 94. art. 2. dubio 4. & alij Doctores.* Probatur conclusio primo, quia de iure diuino tantū tenemur confiteri peccata, quæ nunquam explicata sunt in confessione, & præterea nō est aliquod præceptum humanum obligans ad cōfitenda peccata, quorum satisfactio non est impleta, ergo peccata semel explicata in confessione, quorū satisfactio obliuioni mandata est, non sunt repetenda in alia confessione. Secundo probatur, quia absolutio Sacramētalis peccatorum absolute conceditur, & sine vlla conditione dependente ex euentu futuro, sed satisfactio executioni mandanda post absolutionem est euentus futurus, ergo ab illo non dependet absolutio peccatorū antecedens illum, quare peccata vere fuerunt ablata per illā absolutionem: ergo non sunt repetenda, quāuis postea satisfactio minime impleatur superueniente obliuione aliqua culpabili, aut inculpabili. Et quidem permanente obliuione pęnitentiæ impositæ non obligatur pœnitens ad illam obseruandam, quia tunc est impossibilis obseruatio eius. Tertio probatur conclusio, quia grauissimū esset, imò intolerabile onus obligare pęnitentem, propter obliuionem pęnitentiæ ad confitenda iterum peccata, semel expli-

explicitã in confessione, ergo tale onus nõ est illi imponendum.

3 Tantùm vero in eo casu sequitur hoc incõueniens, vt optime considerauit *Dominicus Sotus loco citato*, scilicet, quod pœnitens non fruitur satisfactione illa, quæ ex opere operato correspondebat pœnitentiæ præteritæ, & ita obligatus manet ad soluendam pęnam pro peccatis dimissis debitam, vel in hac vita, vel in Purgatorio.

QVÆSTIO XIIII.

Quæ opera sint imponenda à confessarijs in satisfactionem, & an aliquando pœnitens sit liber ab illis implendis?

1 SIT prima conclusio. Opera imponenda in satisfactionem debent esse moraliter bona, & habêre reliquas cõditiones, quas supra diximus necessarias esse ad hoc, vt peccator satisfaciat ex opere operãtis. Patet, quia confessarius tantùm imponere potest ad satisfaciendum ex opere operato illa opera, quæ de se sunt satisfactoria ex opere operantis.

2 Sit secunda conclusio. Potest optime à confessario imponi in satisfactionem opus internum. Cõclusio satis aperte liquet, ex quæst. 7. huius tractatus post secundam conclusionem, §. secundo quæres.

3 Tertia conclusio. Possunt Sacerdotes imponere in satisfactionem opera alias posita sub præcepto. Conclusio patet ex quæst. 6. huius tractatus conclusione secunda, iuncta solutione ad quartum argumentum.

4 Quarta conclusio. Possunt imponi in satisfactionem Sacramentalem opera, quæ in rigore, nec sint ieiunium, oratio, aut eleemosyna, quãuis ad illa opera reduci debeãt aliqua ratione. Conclusio hæc certa est, ex quæst. 5. huius tractatus.

7 Circa secundum punctum quæst. sit quinta conclusio. Etiamsi pęnitens lucratus sit indulgentiam plenariam, aut iubileum, non tamen ob hoc liberatur à præcepto implendi pœnitentiam à confessario iniunctam. Ita docuit *Enriq. in Sum. lib. 5. cap. 21. nu. 6.* Alios multos referens in huius partis confirmationem. Probatur primò, quia lex ieiunij, quia propter varios fines instituta est, obligat etiam eos, qui non indigent carnis castigatione, & qui essent in gratia confirmati, & obligabat D. Thom. qui concupiscentiæ fluctibus sedatis fruebatur: ergo pari ratione preceptum implendi pœnitẽtiam obligat etiam eos, quibus ob iubileum tota pœna temporalis remissa est. Secũdo probatur, quia pœnitentia iniuncta respicit alios fines, præter solutionem pœnæ temporalis, vt

A præseruationem peccatorum in futurum, obedientiam iudicis, & exercitationẽ in bonis operibus, propter quos fines etiã imponi olim solebat baptizatis genus quoddam pęnitentiæ.

Sit sexta conclusio. Cum pęnitens videt absolutionem fuisse inualidam ob aliquam rationem, aut se tenentem ex parte confessarij, aut pœnitentis, non tenetur implere pœnitentiã in ea confessione iniũctam. Patet, quia accessorium sequitur naturam principalis, sed nõ valet principale, scilicet absolutio à peccatis, ergo neque accessorium, scilicet, impositio pœnitentiæ. 6

Septima conclusio. Non obligat præceptũ implendi pœnitentiam, cum continet intolerabilem errorem, vt si pro vno verbo otioso imponatur ieiunium vnius anni. Patet quia reus tantùm tenetur obedire iustæ sententiæ iudicis, non vero iniustæ, qualis est hæc. 7

B

QVÆSTIO XV.

Vtrùm satisfactio Sacramẽtalis in peccato mortali facta habeat suũ effectũ?

IN præsenti quæstione variæ sunt Doctorũ sentẽtiæ. Prima asserit, sacramẽtalem satisfactionem in peccato mortali factam, quando fit, nullum habêre effectum quantum ad remissionem pœnæ temporalis. Postea tamen recedente fictione remitti pœnam per eam satisfactionem ex opere operato. Hanc sententiam sequitur *Palud. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. conclusione 4. Syluest. verbo, satisfactio, q. 7.* Quæ sententia non procedit de quacunque satisfactione Sacramentali, sed de ea, quæ relinquit aliquem effectum permanentem, vt ieiunium relinquit macerationem carnis. Nõ vero procedit de ea satisfactione, quæ non relinquit aliquem effectum, vt de oratione. Probatur hæc doctrina ratione, quia baptismus in peccato susceptus postea recedẽte fictione peccati operatur gratiam: ergo etiam satisfactio quamuis non remittat pęnam tẽporalem ex opere operato, dum fit in statu peccati mortalis, eam tamen remittit postea adueniente statu gratiæ. 1

C D

Secunda sententia est aliorum affirmantiũ, omnem Sacramentalem satisfactionem factam in peccato remittere pęnam temporalem postea adueniente statu gratiæ, siue relinquat aliquem effectum in satisfaciente, siue non. Ita sentiunt *Caietanus tomo primo opusculorum tractatu 6. quæst. 2. Nauar. in capite primo de pœnitentia dist. 5. in principio num. 48. & nouissime Reginald. lib. 7. praxis pœnitentialis, capit. 1. sectione posteriori, & alij.* Et addidit Caietanus hanc satisfactionem non habêre omnem suum effe- 2

ctum postea recedente fictione. Nam licet habeat effectum correspondentem illi ex opere operato, & ex virtute Sacramenti, non habet effectũ correspondentẽ illi ex virtute ipsius operis. Quod satisfactio Sacramentalis in peccato facta non habeat eum effectũ probat Caietanus, quia nulla satisfactio est Deo accepta, neq; remittit pœnam temporalẽ nisi supposita Dei amicitia. Quod vero satisfactio recedente fictione remittat pęnã probat Caietanus, quia opus Sacramẽtale operatur recedente fictione: sed satisfactio Sacramentalis est opus Sacramẽtale, ergo remittit pęnã recedente fictione. Secundò probatur hæc sententia ratione *Patris Suar. 4. tom. in 3. part. disp. 78. sect. 8. num. 5.* Vbi eam expresse sequitur, quia Sacramentũ Pœnitentiæ si contingat esse informe habet suum effectum recedente fictione, ergo credibile est satisfactionẽ Sacramentalẽ, quæ pars est eius, etiam habẽre suum effectũ remittendi pœnam temporalem recedente fictione. Tertiò probatur ratione eiusdem Suarez, quia sicut nõ tenetur quis repetere confessionẽ informẽ, ita neque satisfactionem factam in peccato mortali, ergo sequitur hæc duo habẽre effectum adueniente statu gratiæ.

3 Tertia sentẽtia est aliorũ defendentiũ opus satisfactoriũ quatenus est pars Sacramenti, & à confessario imperatum remittere pęnã tẽporalem debitam pro peccatis dimissis per absolutionẽ Sacramentalem precedentẽ, & hoc ex opere operato, etiamsi in peccato mortali fiat. Hanc sententiã tuentur *Ioannes Medina Codice de confessio. quæst. de pœnitent. iniuncta, extra gratiam adimpleta, Marsil. in 4. Sentent. q. 11. a. 3.* Et hanc partem etiam defendunt illi, qui etiam satisfactioni non Sacramentali tribuunt suũ effectum etiamsi impleatur in statu peccati mortalis, vt *Scotus in 4 dist. 15. q. 1. a. 5. & Nauar. c. 1. de pœnitent. dist. 6. in principio* Et communiter discipuli Scoti, & tandẽ hanc sententiã nouissime defendit pro viribus *Vazq. 4. tom. in 3. p. q. 94. a. 2. dub. 5. n. 10.* Qui quidem tantũ concedit hoc priuilegiũ num. 11. satisfactioni Sacramentali. Probatur primò hæc sententia, quia satisfactio Sacramentalis est pars Sacramẽti, ergo debet habẽre aliquẽ effectũ ex opere operato, sicut habẽt omnia Sacramẽta, sed alius effectus nõ potest assignari satisfactioni, quã remissio pęnæ tẽporalis, ergo illã operabitur satisfactio, & hoc etiamsi in peccato mortali fiat, in quod lapsus sit penitens post confessionem legitimã. Secũdò probatur eadẽ sententia; quia si aliquid obstaret quo minus satisfactio Sacramẽtalis in peccato exhibita remitteret pęnam tẽporalem, aut hoc esset, quia homo in peccato mortali existens incapax est remissionis pęnæ. Et hoc non, quia ei, qui existit in peccato mortali, remitti potest pęna tẽporalis, licet nõ possit remitti culpa aliqua mortalis, aut venialis, quod ex se patet, cum nullũ habeat incõueniens. Nec etiã obstat prædictæ remissioni pœnæ, quod opus nõ est meritoriũ ex defectu hominis satisfacientis, qui debebat ad satisfaciendũ esse in gratia, quia satisfactio non operatur ibi per modũ meriti cõdigni, sed per modum Sacramẽti mortuorũ impetrãdo remissionem pęnæ tẽporalis, ergo ad hoc non est necessaria gratia. Tertiò probatur, quia licet peccatũ mortale non retractatũ impediat ne Sacramentum operetur suũ effectum, at nõ impedit ne satisfactio Sacramentalis operetur suũ effectũ. Cuius discriminis ea ratio est, quia effectus Sacramenti est infusio gratiæ, vel augmentũ gratię, qui non potest cõpati peccatũ mortale: at vero effectus satisfactionis Sacramẽtalis, qui est cõdonatio pœnæ ex opere operato, & nõ per modum meritoriæ satisfactionis non impeditur per peccatum mortale: ergo habet illum statim, atque fit in peccato mortali, etiãsi non recedat fictio, hãc sentẽtiã puto satis probabilẽ.

His suppositis sit prima cõclusio. Satisfactio exhibita in statu peccati mortalis sufficit ad implendam obligationem à confessario impositam, ita tenet communis sententia. Quæ cõclusio est intelligenda dummodo tota satisfactio fiat secundũ quod iniuncta est à confessario & habeat totam pęnã ipsius operis iniuncti. Probatur conclusio primo, quia confessarius tantũ præcipit opus, & non præcipit modũ eius, ergo vt satisfiat eius præcepto, nõ est necessariũ opus satisfactoriũ fieri in gratia, quod pertinet ad modũ operis, sed quod fiat ipsũ opus quod pertinet ad substantiam. Probatur secundò, quia ad implenda alia præcepta, vt audiendi sacrum, vel ieiunandi, tantùm requiritur efficì substantiam operis præcepti, & non requiritur opus fieri in gratia, ergo vt impleatur præceptum de satisfaciendo, satis esse debet opus ipsum pęnale imperatum executioni mãdari, etiamsi executio contingat in statu peccati mortalis. 4

Secunda conclusio. Ex duobus effectibus, qui possunt correspondere satisfactioni impositæ à confessario, vnus remittendi pœnam tẽporalem ex opere operantis, alter remittendi pœnam ex opere operato. Primus non consequitur quando opus satisfactorium exhibetur in statu peccati mortalis. Conclusio certa est apud omnes Doctores eaque liquet ex dictis in quæst. 4. huius tractatus, vbi hoc punctum late discussimus, quare nõ est necesse in eo amplius immorari. 5

Tertia conclusio. Satisfactio impleta in statu peccati mortalis non remittit pœnam temporalem pro peccatis dimissis ex vi absolutionis debitam ex opere operato, dum fit & coniuncta est cum mortali peccato. Hanc conclusionem docent plurimi Doctores *Sotus in quarto lib. Sententiarum, dist. 19. quæst. prima art.* 6

quinto

quinto, Adrianus in quarto quæstione secunda, Ledesma secunda parte 4. quæst. 13. art. 3. dubio 4. & Pater Suarez loco citato, num. 3. Probatur conclusio primò, quia cum remissio pœnæ temporalis sit effectus supernaturalis aliqua ratione præparans hominem ad gloriam, quatenus remouet impedimentum gloriæ, quod erat debitum soluendi pœnam temporalem in Purgatorio ante ingressum gloriæ, non debet conferri nisi ei, qui est proportionatus ad gloriam media amicitia Dei. Secundò probatur, quia ad satisfaciendum revera ex vi Sacramenti, & tanquam pars Sacramentalis ex opere operato tantùm videtur assumptum illud opus pœnale, quod ex se & natura sua, & ex omnibus suis circunstantijs est satisfactorium ex opere operantis, illa enim tantùm est satisfactio legitima, quemadmodum ad rationem Sacramenti Matrimonij tantùm videtur assumptus à Christo contractus matrimonialis legitimus inter legitimas personas, sed opus pœnale factum in statu peccati mortalis nō est satisfactorium ex opere operantis, vt patet ex secunda conclusione, ergo neque est satisfactoriū ex opere operato, & ex vi Sacramenti. Tertiò probatur cōclusio, quia aliæ partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, vt absolutio, & oris confessio non producūt gratiam ex opere operato, si in peccati mortalis complacentia contingāt, vt de se patet, ergo satisfactio, quæ est pars tantùm integralis, & quæ minus participare debet virtutem clauium non habet hunc effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato si in complacentia peccati mortalis fiat, & dum ipse status perseuerat.

7 Sit quarta conclusio. Satisfactio Sacramentalis semel exhibita in peccato mortali non remittit pœnam ex opere operato postea recedēte fictione, ita sentiunt Autores citati in tertia conclusione, & hanc doctrinā indicat esse probabilem *Vazq. loco citato num. 12.* Probatur primò, quia vt vidimus in tractatu de Baptismo ad finem, tantùm Sacramento Baptismi cōcedendum est hoc priuilegium, vt semel receptū in peccato mortali operetur gratiam recedēte fictione, quia ipsum est simpliciter necessariū ad salutem, & non potest reiterari, quæ conditiones non reperiuntur in aliquo alio Sacramēto, ergo sequitur Sacramentum Pœnitentiæ, aut partem eius, qualis est satisfactio Sacramētalis, non potiri hoc priuilegio. Secundò probatur, quia opera in peccato mortali facta non sunt satisfactoria de se, & ex opere operantis etiam adueniente charitate, quia cum à principio fuerint mortua non reuiuiscunt, ergo neq; sunt satisfactoria ex opere operato adueniente charitate, quamuis imponantur à confessario, quia, vt vidimus in tertia conclusione, illud tā tum opus est satisfactorium ex opere operato, quod ex se consideratum, & sine ordine ad Sa-

A cramentum Pœnitentiæ esset satisfactorium ex opere operantis.

8 Ex dictis non erit operosum, argumenta in oppositum dissoluere, nam argumētum primæ sententiæ ex eo facile dissoluitur, quod notauimus in prima ratione quartæ conclusionis. Ad tria argumenta secundæ sententiæ pugnantia contra nostram quartam conclusionem respōdetur facile. Ad primū dicimus, hoc quod est, operari effectum recedente fictione tantū cōuenire, vt vidimus, Sacramēto Baptismi, & ita non conuenire Sacramento Pœnitentiæ, neq; eius partibus, qualis vna est satisfactio. Ad secundum respondetur negando, Sacramentum Pœnitentiæ semel receptū in peccato mortali habêre suum effectum recedente fictione, qua- B re negamus etiam satisfactionem eius partem talem effectum sortiri. Ad tertium respōdetur teneri pœnitentes iuxta ea, quæ supra diximus in hac materia tractatu 2. quæst. 30. repetere confessionem informem, quamuis non teneātur repetere satisfactionem in peccato mortali exhibitam, vt statim videbimus.

9 Ad primum argumentum tertiæ sententiæ respondetur, satisfactionem Sacramentalē exhibitam in peccato mortali non habêre aliquē effectum ex opere operato.

Ad secundum dicimus illi satisfactio ni repugnare remissionem pœnæ temporalis ex opere operato, vt vidimus in tertia conclusione huius quæstionis. Tùm ratione ipsius operis, tum ratione ipsius operantis. Ad vltimū ar- C gumentum patet ex tertia conclusione, in qua vidimus, repugnare remissionē pœnæ ex opere operato factam cum statu peccati mortalis.

10 Quæres primò, an satisfactio Sacramentalis facta ob finem prauum venialiter, vt propter vanam gloriam, remittat pœnam ex opere operato. In hac difficultate *Vazq. loco citato, n. 13. & 14.* sentit hanc satisfactionem non habêre illum effectum ex opere operato, quia virtus Sacramētalis remittendi pœnam tantum videtur applicari operi moraliter bono, talis autem satisfactio non est moraliter bona. Sed respondetur cum *Suarez loco citato, num. 6.* talem satisfactionem esse remissiuā pœnæ ex opere operato. Probatur, quia tale opus est moraliter bo- D num, & meritorium vitæ æternæ, & factum in gratia est satisfactorium ex opere operātis, vt contingit in ieiunio, in quo quis se exercet ob vanam gloriam, ergo etiam est satisfactorium ex opere operato, si in gratia fiat, & à confessario fuerit imperatum.

11 Quæres secundò, an satisfactio Sacramentalis exhibita ob prauum finem adimpleat obligationem iniunctam à confessario? Ad hoc respondetur cum *Vazquez loco citato, num. 17. & 18.* Pœnitentiam etiam in peccato mortali factam, & ob prauum finem (in quo casu sentit Vazquez nullo modo, & nunquam etiam

recedente fictione remittere pœnam ex opere operato, siue venialem, siue mortalem satisfacere præcepto confessarij, & non esse repetendam, tùm quia ea ratione satisfacit pœnitens præcepto Sacerdotis efficiendo substantiam operis, & patiendo pœnalitatem eius, ad quod tantùm obligauit Sacerdos, sicut ad hoc tantum obligant præcepta Ecclesiæ. Tùm etiam confirmatur hæc resolutio, quia primarius effectus, & ad quem obligat Sacerdos, dum imponit pœnitentiam, non est, vt tollatur pœna alterius vitæ, sed medelam, & præseruationem imponere pœnitentibus, vt pœnis ipsis cohibeantur à nouis peccatis, & etiam vt imponat vindictam pro peccatis præteritis, quos fines quia consequitur pœnitentia ob prauum finem exhibita, ideò per eā A impletur præceptum confessarij.

12 Tertiò quæres, an ille, qui pœnitentiam implet in statu peccati mortalis peccet mortaliter. Respondetur primò eum peccare venialiter, quia ponit obicem remissioni pœnæ temporalis ex opere operato, in quo & peccat contra reuerentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ, & est prodigus contemnendo rem ita sibi vtilem. Secundò respondetur in rei veritate non peccare mortaliter, tùm quia vt proxime vidimus implet substantiam operis sibi impositi in satisfactionem, tùm etiam quia facile poterit redire ad statum gratiæ, in quo satisfaciat pro suis pœnis ex opere operantis: vnde non erit nimia prodigalitas in impletione talis pœnitentiæ, nisi cum pœnitentia esset nimia ob multa peccata.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm facta satisfactione iuxta arbitrium prudentis Sacerdotis tota pœna temporalis debita pro peccatis dimissis remittatur?

1 VT in hac quæstione certa ab incertis separemus, in primis certum est conueniens esse minorem pœnitentiam imponi à confessarijs, quam delicta postulent, quia cum ea assignetur in medicinam animæ spiritualem, cauendum est ne grauis pœnitentia sit occasio supposita fragilitate hominum labendi in noua peccata, imò hæc minor pœnitentia imponenda est, cum probabiliter timetur maiorem non esse mandandam executioni.

2 Secundò certum est, quod si tanta pœna imponeretur quanta deberet iuste imponi ad tollendam omnem pœnam ea impleta tolli omnem pœnam debitam in Purgatorio, si vero imponeretur minor iusto, maneret aliquid soluendum in Purgatorio, etiamsi ob iustas causas minor imponatur pœnitentia, quàm par est. Difficultas vero est, an cum Sacerdos iuxta arbitrium suum iustam assignat pœnitentiam secundum totum rigorem rem perpendendo, etiamsi non assignet eam, quæ in re peccatis debetur, sed minorem, talis pœnitentia extinguat totam pœnam debitam.

Tertiò certum est, nullam esse determinatam satisfactionem ab Ecclesia assignatam pro peccatis, sed hanc determinationem relinqui arbitrio prudentis confessarij. Patet hoc *ex 26. quæstione septima, capite, tempora, secundo, capite, de his tertio, ex capite, pœnitentibus quinto, Cuius hæc sunt verba. Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Et ratio huius est, B quia pœnitentia est à Deo instituta in punitionem peccatorum præteritorum, & medelam ac præseruationem peccatorum futurorum. Nō est autem omnibus hominibus, & pro omnibus peccatis eadem adhibenda pœna aut medicina, sicut nec omnibus morbis corporis eadem est applicanda medicina curatiua, aut præseruatiua. Et quidem antiquitus nunquam pro singulis mortalibus assignata est pœnitentia septem annorum, quia nullibi constat tale decretum, & tempus durationis relinquebatur arbitrio Episcopi, vt patet *ex Concilio Carthagin. tertio, c.* 31. Quod si in aliquibus decretis à Gratiano relatis de pœnitentia, & aliàs aliquæ pœnitentiæ erant taxatæ pro peccatis, semper concedebatur locus arbitrio C Sacerdotis confessarij. Et hac nostra tempestate totum hoc negotium est reuocatum, & relictum in iusto, ac prudenti arbitrio confessariorum, vt optime perpendit *Suarez aliot Doctores allegans 4. to. in 3. part. disp. 38. sect. 4. n. 2.*

Quartò, certum est hoc iudicium confessarij circa assignandam peccatoribus pœnitentiam exercendum esse considerata grauitate peccatorum, & dispositione pœnitentis, & seruata proportione iustitiæ (quamuis magis habenda est ratio medelæ, & præseruationis in futurum quam satisfactionis pro pœna temporali) secundum quod humana prudentia dictauerit. Probatur primò *ex Concilio Tridentino Sessione 14. capite 8. his verbis loquente: Debens ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, &* D *prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares satisfactiones iniungere, nisi forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes fiant.* Et probatur ratione, quia confessarius est veluti medius arbiter inter Deum, & peccatorem. Si autem leuissimam pœnam imponeret pro grauissimis peccatis, iniuriam Deo faceret, & iniuriam pœnitenti faceret, si pro leuissimo peccato maximam pœnitentiam imponeret, neque

3

4

neque huic resolutioni obstat, qood *Christus, Ioann. 8.* remisit peccata mulieri adulteræ absque vlla imposita satisfactione, dum dixit. Neque ego te condemnabo, vade, iam noli amplius peccare. Nam respondetur primò ex eo quod non fiat ibi mentio pœnitentiæ, non recte sequi nullam à Christo fuisse assignatam. Secundò respondetur *cum Soto in quarto dist. 20. q. 2. art. 3.* Christum Dominum remisisse peccatom absque vlla imposita satisfactione vtendo potestate excellentiæ, nec debere à Sacerdotibus factum illud imitari, quia eorum potestas minor est, nempe ministerij, & instrumenti.

5 In hac re sententia foit aliquorum affirmantium ita in arbitrio Sacerdotis collocatum esse iudicium imponendæ pœnitentiæ, vt si ipse imponat omnem pęnitentiam, quam iustam arbitratur, etiamsi errauerit, minorem constituendo, quam par est, remitti omninò pœnam temporalem in Purgatorio soluendã. Probatur ratione primò, quia confessarius est iudex arbitrarius in hac causa, sed arbitrium non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; vt sit iustum, ergo intra illam latitudinem non errat confessarius, dum assignat parum minorem pęnitentiam, confessario autem non erranțe, optime intelligitur, totam pęnam extinctam esse. Secundò probatur, quia in satisfactione ex opere operãtis homo non est iudex, sed reus soluens pęnam, & ideò datur certa satisfactio in eo genere cõsistẽs in indiuisibili soli Deo cognita, at vero in satisfactione ex opere operato homo est iudex arbiter, & assignat pęnam condignam peccatis, & ideò, licet assignet minorem pęnam, qoam par est, erit tamen æqualis iuxta iudicium humanum, alias non posset confessarius iustum iudicium ferre in hoc negotio. Hanc sententiam tuentur *Maior in 4. dist. 20. quæst. 1. Medina Codice de confessione, quæst. de effectu pœnitentiæ iniunctæ, Dominicus Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3.*

6 His tamen non obstantibus sit conclusio. Quantumcunque prudenter arbitretur confessarius pœnitentiam pro peccatis à se auditis in confessione, si minor pęnitentia imponatur, iustum est assignari peccatis, non soluitur tota pęna Purgatorij, sed aliquid manet soluẽdum. Hanc conclusionem pro viribus amplectuntur *Petrus de Soto, lectione prima, de satisfactione circa medium, Pater Suarez 4. tomo in 3. p. disp. 38. sect. 5. Pater Vazquez 4. tom. in 3. part. quæst. 94. art. 2. dubio 6. & nouissime Reginaldus lib. 7. praxis pœnitentialis, cap. 5. num. 47.* Probatur primò, quia confessarius in pęnitentia imponenda imitari debet iustitiam Dei, non est autem conforme diuinæ iustitiæ, vt illi qui minus operatur, tanta pęna remittatur, ac ei, qui plus operatur. Si autem opposita sententia esset vera, sequeretur tantũ pęnæ remitti ei, qui minus operatur, quam ei, qui plus. Vt cum vnus pœnitens pro quibusdam peccatis ab vno confessario reciperet in satisfactionem ieiuniũ vnius mensis, & alius pro eisdem peccatis reciperet ab alio confessario ieiunium 20. dierum quod facile potest cõtingere, quia arbitria hominum etiam in eadẽ causa sunt diuersa. Secũdò probatur, quia in alijs effectibus Sacramentorũ ille, qui habet meliorem dispositionẽ, maiorem effectum recipit. Sed qui maiorẽ pœnitentiam ex iudicio confessarij implet, quam alius, meliorẽ dispositionẽ habet in ordine ad remissionẽ pœnæ ex opere operato, ergo maiorẽ remissionem consequitur. Tertiò probatur efficaciter, quia licet in humanis rebus in arbitrio prudentũ constitutũ sit, assignare pretiũ rerum, & quod illi bona fide decepti plus minusve assignãt, illud iudicatur iustũ pretiũ, quia iudiciũ humanum in his rebus non fertur mathematicè, sed moraliter paulò plus, minusve. Tamẽ in iudicio, quo ponderatur peccata, equitas consistit in certo pondere, & mensura quadam indibisiuili, ita vt hæc pœnitentia indiuisibilis, & non alia sufficiens sit ad tollendã pœnã in Purgatorio debitam pro his peccatis, quam pœnitentiam ita condignã, & æqualem Pœnæ Purgatorij indiuisibiliter nõ potest Ecclesia arbitrari, quia nequit cognoscere grauitatem, aut durationẽ pœnæ temporalis in Purgatorio debitæ pro peccatis dimissis in Sacramento pœnitentiæ, neque proportionẽ, quam cum illa pœna habet satisfactio temporalis ex se, & ex virtute Sacramenti, ergo nullus confessarius potest assignare ita ęqualem pœnitẽtiam, vt ea assignata tollatur tota pęna temporalis. Erit quidem satisfactio condigna, quãdo prudenter imponitur à confessario, quia eam satisfactionẽ assignat, quam iudicat esse sufficientem consideratis circunstantijs peccatoris & peccatorũ: non tamen est condigna, quia ad æquet semper totam pœnam debitam pro precatis dimissis ex vi Sacramenti.

Ex his respondetur argumẽtis in oppositũ. 7
Ad primũ dicimus, non esse constitutũ in arbitrio iudicis confessarij, assignare condignam satisfactionem, quæ tollat omnem pœnam debitam in purgatorio: quia hoc, vt vidimus in conclusione, est impossibile, sed condignam iuxta exigentiam peccatorum, & pœnitentis arbitrio suo, quæ si casu ex virtute eius, & ex opere operantis, & ex opere operato adæquet totam pœnam temporalem debitam, totam remittit, si autem adæquet partem, tantum partem remittet. Ad secundum respondetur, etiamsi in assignanda satisfactione ex opere operato confessarius sit iudex, non tamen posse assignare æqualem pœnitentiam in ordine ad tollendam omnem pœnam Purgatorij, vt vidimus in nostra cõclusione, sed in ordine ad vindictam peccatorũ, & medelã, ac præ

T 3 ser-

seruationem eorum, & ad tollendum scandalum fidelibus illatum, & quod hac tantùm ratione appellandum sit iudicium confessarij iustum, & æquale, & quod hanc tantùm æqualitatem intendat Ecclesia. Patet, quia antiquitus omnibus eodem modo peccantibus, & cõfessis eadem imponebatur pœnitentia, & tamen in vno superesse poterat minor pœna Purgatorij, quam in alio propter maiorem eius contritionem.

QVÆSTIO XVII.

De prudentia, & regulis seruandis in imponenda pœnitentia?

1 VT tota hæc doctrina apprime intelligatur, quæ ad praxim valde necessaria est, ne clauem Ecclesiasticam contingat errare aliquæ constituendæ sunt regulæ.

2 Prima regula sit, minus malum esse, si pure contingat errare dando nimis paruam pœnitentiam, quam dando nimis grauem. Doctrina est *Diui Antonini tertia parte, titulo 17. cap. 20. §. primo.* Quod probat *ex Diuo Chrysostomo: Afferentes melius esse reddere rationem Deo de nimia misericordia, quam de nimia seueritate, si enim, inquit, benignus est Dominus, vt quid Sacerdos vult videri austerus?*

3 Secunda regula sit, probata ab eodem *Diuo Antonino ibidem*, ne vlla ratione imponatur pœnitentia, cuius impletio sit in præiudicium tertij, vt ferno non sunt imponenda longa ieiunia, vel longæ peregrinationes, vel aliquid, quod notabiliter impediat obsequia Domino debita, neque fœminæ non habenti bona paraphernalia, aut filio familias imponendæ sunt magnæ eleemosynæ in præiudicium mariti, aut patris.

4 Tertia regula sit, deducta ex eodem *Diuo Antonino loco citato*. Vt pro peccato occulto non imponatur aliqua pœnitentia, ob quam proximi possint suspicari, pœnitentem commisisse aliquod graue peccatum. Tùm vt seruetur fama pœnitentis, tùm ne sigillum confessionis sine causa, etiam ex licentia pœnitentis reueletur. Quare optime notant recentiores, imprudenter se gerere confessarios, qui ieiunia, & cæteras graues pœnitentias imponunt, quæ nequeunt impleri, nisi alijs videntibus in familia, aut communitate, quando his personis eas imponunt, qui non solent eas pœnitentias sua sponte suscipere, sed ea ratione præbebitur occasio suspicandi, graue aliquod peccatum commissum esse, propter quod tales pœnitentiæ sunt impositæ. In cuius imprudentiæ exemplum adducit *Enriquez, libro quinto suæ Summæ, capite 21. §. sexto.* Eas pœnitentias, scilicet si fœminis, aut religiosis, qui in communi mensa comedere debent, iniungantur ieiunia in pane, & aqua. Tunc enim prælati, & mariti facile possunt colligere, aliqua grauia peccata commissa esse ab illis personis.

Quarta regula sit, in imponenda pœnitentia obseruandam esse qualitatem personæ. Huius regulæ meminerunt *Sotus in quarto distinctione 20. quæstione secunda, articulo tertio, conclusione secunda, Reginaldus lib. 7. praxis pœnitentialis, capit. 4.* Vt non est imponenda magna eleemosyna homini secundùm rationem sui status pauperi: aut longæ orationes homini cõtinue occupato in rebus necessarijs, neque multa ieiunia ei, qui in sudore vultus sui vescitur pane suo, neque austeritas magna imponenda est homini delicato, neque etiam imponenda est aliqua pœnitentia, quæ sit contra honorem pœnitentis, neque illa, quæ periculum contineat lapsus spiritualis. Vt fœminam sine viro peregrinari, aut cum illo lõgam suscipere peregrinationem, neque etiam recreationes omnes etiam honestæ prohibendæ sunt in satisfactionem peccatorum. Deinde vbi vehementior est propensio ad peccandum, maior est imponenda pœnitentia, quare iuueni pro eadem fornicatione maior est imponenda pœnitentia, quam seni, licet leuius peccet, quia attrahitur ardore libidinis, & homini auaro amplior est iniungenda eleemosyna, quia cùm vehementius incitentur ad malum, maiori indigent fræno. Ad cuius rei confirmationem perpendenda sunt verba *Textus in capite tempora, secundo in ordine 26. quæstione septima. Quæ sic se habent. Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quoque quorumcunque, aut ægritudinum respicientes necessitates.* Et necesse est, vt minime, nisi ea pœnitentia detur, quam pœnitentis infirmitas corporalis, siue spiritualis, languorque, aut tepor animi ferre potest. Quam doctrinam hoc exemplo declarauit *Caietanus in Summa verbo, satisfactio*, sicut ægroto secundum corpus sorti, ac bene constituto dari potest fortis medicina, debili autem minime. 5

Quinta regula sit, ab omnibus recepta, pœnitentibus imponendam esse pœnitentiam ex diametro oppositam peccatis ad extirpandas eorum radices. Vt luxurioso, vitare familiaritatem personarum, quæ possunt esse causa ruinæ, & sæpius ieiunare, auaro, eleemosynas largiri, & superbo, opera humilitatis exercere. 6

Sexta regula sit, quam notauit *Nauar. in Enchir. c. 26. n. 33.* vt constitutis in articulo mortis 7

impo-

imponatur pro pœnitentia interior animi contritio, & non pœnitentia magna exterior statim implenda. Item imponendum est illis in pœnitentiam, vt iubeant eleemosynas fieri, & missas celebrari, & quod si conualescant, aliqua opera efficiant suis peccatis proportionata.

8 Et pœnitentia quidem, vt notauit *Caietanus verbo satisfactio, §. 1. in fine in sua Summa*, si ex negligentia, vel alia causa non impletur tempore signato, alio tempore proximo adimplenda est, quia impositio illius pœnitentiæ continebat duo præcepta, vnum magis principale implendi pœnitentiam, alterum implendi illam certo tempore: quando autem hoc secundum præceptum non potest impleri, implendum est primum.

9 Septima regula, quam conuenientissimum est obseruare confessarios, ea est, vt ipsi ante oculos habeant canones pœnitentiales, in quibus specialibus peccatis specialis quædam pœnitentia assignatur, qui licet modo non sint in vsu, vtiles tamen esse possunt cõfessariis propter duo. Primũ, vt illis dirigatur ad cognoscendam in his nostris temporibus quantitatem, & qualitatem pœnitentiæ, quam imponere possint pro peccatis. Tum etiam, vt pœnitentes deterreant proponentes illis pœnitentiam, quam antiquitus in illis Canonibus Sancti Patres iudicabant esse imponendam pro aliis peccatis similibus his, quæ modo perpetrant pœnitentes. Quos Canones doctissime collegerunt *Diuus Antoninus tertia parte, titulo 17. capit. 21. §. 5. & Regnaldus lib. 7. praxis pœnitentialis, capit. 5. numero 54.* Apud quos Autores studiosus lector eos videre poterit, vel aliquos eorum studiose collectos potest quærere apud *Gratianum in fine decreti.*

10 Octaua regula sit, pro peccatis luxuriæ esse præbenda hæc documenta pœnitentibus. Primum, vt considerent, quantis malis se subiecerint pro momentanea voluptate. Secundum, vt occurrente tentatione memoria recolatur præsentia Dei, & Angeli Custodis. Tertium, vt studiose pœnitens vitet occasiones, ex quibus nascuntur istæ tentationes. Quartum, vt voluptatis tentationibus in principio maxima adhibeatur resistẽtia. Hic enim maxime verificatur illud Poetæ *Principiis obsta, sero medicina paratur*. Et tam in principio, quàm in progressu huius perniciosissimi vitii admonendi sunt pœnitentes, vt Eucharistiam sæpius suscipiant. De qua pronuntiauit *Zacharias Propheta capite nono. Frumentum est electorum, & vinum germinans virgines.* Sequẽtes autem pœnitentiæ sunt assignandæ huiusmodi peccatoribus, ieiunare, carnem domare verberibus, ciliciis, humi cubatione, hospitalibus inseruire, ægrotis ministrare, & alia similia.

A Illis verò, qui infirmiores sunt corpore, aut spiritu ad prædicta toleranda, eleemosynæ sunt præcipiendæ.

11 Nona regula sit pro his, qui labuntur in peccata gulæ. Primo, vt illis proponant confessarii perniciem huius peccati, tam quoad corpus, tollendo sanitatem, & vitam longam, quàm quoad animam, tollendo aptitudinem ad orandum, & ad sectandas virtutes. Deinde proponãt memoriam fellis, & aceti, quæ Christo propinarunt Iudæi, & deinde spem æterni prandii, quo vt fruamur, necesse est in hac vita sobrios nos esse. Præcipiant verò confessarii in pœnitentiam huiusmodi pœnitentibus ieiunia, & abstinentiam ab aromatibus, & cõdimentis, & ab his, quæ illos maxime delectant.

B

12 Decima regula obseruanda est à confessariis pro his, qui pigri sunt in Dei cultu, & obsequio, nempe, vt illis ad memoriam reuocẽt, quàm breue tempus concessum sit ad merendum, quantos labores infatigabiliter tolerent homines propter diuitias, & honores, & quantos labores Christus, & sancti in hac vita perpessi sunt: & ne se aliquando otio dent. Pœnitentiæ autem his peccatoribus assignandæ istæ sunt. Prima, vt vitetur amicitia eorum, qui dediti sunt mundanis deliciis. Secunda ieiunium, aut vigilia. Tertia exercitium aliquod manuum. Quarta, vt aliquo die visitẽt virum aliquem virtute, & amore Dei excellentem, vt eius igne calefiãt quantum ad spiritum.

C

13 Vndecima regula, contra auaros obseruanda in confessione hæc est, vt primo ad extirpandam hanc pestem perspiciant, paupertatem esse regalem viam ad beatitudinem, & amorem diuitiarum esse radicem omnium malorum, iuxta *Paulum prima ad Timoth. sexto*, deinde perspiciant summam paupertatẽ Christi, & eius matris, & *illud Pauli loco citato. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus*. His vero auaris ea est imponenda pœnitentia, vt primo dent eleemosynas. Secundo, vt visitent hospitalia, in quibus videbunt pauperum miserias, & miserebuntur earum. Tertio cum paupercs sunt, vt aliquoties meditentur paupertatem Christi.

D

14 Duodecima regula notanda est contra superbos à confessariis, vt primo ad eos humiliandos proponant ante oculos corporis miserias, morbos, ac calamitates, & animæ vitia, peccata, ac defectus ignorantiæ, ac alios, & etiam proponant illud *Pauli prima ad Corinthios 4. O homo quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quantum Christus se humiliauerit in natiuitate, vita, ac morte sua, his autem loco pœnitentiæ imperati potest, vt se in operibus humi-

humiliatiū exerceant, visitando hospitalia, in A seruiendo infirmis, humi se prosternant, alapas in secreto sibi impingant, & terram deosculentur, & superbientibus contra patres, & alios superiores præcipiatur, vt eis obediant, & se subijciant.

15 Decimatertia regula contra inuidos obseruanda à confessarijs est, vt primo illis suadeāt amorem proximorum, secundo vt cæci videāt quam grauiter hoc vitium ipsos peccatores torqueat, & quam viles eos reddat. Pœnitentia verò eis iniungenda est, primò vt rosarium B recitent pro his quibus inuident, & eis benefaciant, & eos alloquantur, secundò, vt aliquoties contemplentur Christum Crucifixum pro suis persecutoribus, & sanguinem suum fundentem pro illis ipsis, qui illum fundebant.

16 Decimāquartā regulam seruare debent cōfessarij contra iracundos, suadendo illis vt cōsiderent mansuetudinem Christi, & Dauidis, & quantum ratio ipsa ea passione conturbetur. His imponendum est in pœnitentiam, pri C mò vt orent, & benefaciant his, contra quos irati sunt, memores illorum verborum Domini relatorū *Matth. 6. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Secundò si aliquem occiderint vt pro illo sacrificia offerant, & lōgam peregrinationem absque viatico suscipiant.

17 Vltima regula sit, vt confessarij in legendis libris Sanctorum Patrum, & piorum hominū assidue se exerceant, sed præsertim illud aureum opus *Diui Gregorij Magni de cura pastorali*, è manibus non deponant, quo fiet vt ad specisilia, quæ se offerre possunt, peccata in confessione ex animis hominum exturbanda salubberrima, & excellentissima in dies remedia inueniant.


18 Hæc materia de clauibus, cuius non paruam in hoc tractatu mentionē fecimus, vt ex actiis comprehenderetur, aperte postulabat multas alias disputationes, sed quia id instituti nostri ratio non patitur, qui tantum Sacramentorum materias suscepimus disputandas, ideò ampliorem clauium Ecclesiasticarum notitiam desiderantes ad materias de excommunicatione, & indulgentijs remittimus, in quibus longius explicatur potestas, quam Ecclesiæ suæ pro sua infinitate bonitate, & liberalitate concessit in animarum maxima lucra Deus noster Optimus Maximus, cui honor, & gloria in sæculorum sæcula. Amen.

(∴)



TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS DE SACROSANCTO, ET INEFFABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.



D huius sacrosancti Sacramenti, quod finis est reliquorum Sacramentorum, profundissima mysteria ad salutem maxime necessaria Christianæ Reipublicæ ante oculos proponenda Spiritus Sancti instinctu, & Catholicæ Religionis studio mirifice in vnũ conspirarũt, & sacra Concilia, & sancti Patres, & illustres veteris, & noui seculi Doctores Scholastici, vt *Concilium Tridentinum Sessione* 13. *& Concilium Florentinum instructione Armenorum, Cyrilus Hierosolymitanus, in suis Catechesibus; Diuus Ambrosius in libris de Sacramentis, Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia, Hugo Victorinus lib. secundo de Sacramentis, Magister Sententiarum, in quarto lib. à distinctione* 8. *Alexander Alensis quarta parte, quæst.* 10. *aliàs* 33. *& præclarissimum Ecclesiæ lumen Diuus Thomas tertia parte, à quæst.* 73 *Lindanus, lib.* 4. *Panopliæ, à capit.* 37. *Hosius in Confessione, à cap.* 39. *Driedo lib. quarto de Dogmatibus, capit. quinto, parte secunda, & quinta, Bellarminus tomo secundo suorum operum, tractatu de Eucharistia, Paschasius, Lantfrancus, Algerus, & alij antiqui quorum scripta referuntur, tomo quarto Bibliothecæ Sanctorum Patrum, varij ac diuersi Summistæ, verbo Eucharistia, Enriquez in Summa tomo secundo tractatu de Eucharistia, in cuius principio innumerabiles refert huius materiæ professores, Suarez tertio tomo in* 3. *part. Diui Thomæ, Vazquez, tertio tomo, in* 3. *part. Diui Thomæ in principio, Sotus in quarto sententiarum; distinctione* 8. *Coninc. tomo de Sacramentis, Reginaldus secundo tomio suæ praxis, lib.* 29. *& alij quam plurimi Doctores tam antiqui, quàm recentiores.*

(.?.)

A

QVÆSTIO I.

Vtrùm Eucharistia sit verum Sacramentum à Christo Domino institutum, & inter reliqua præstantissimum?

HOc Sacramentum multis solet nominibus nuncupari propter varias 1
eius significationes. Quorum nominum, qui longiorem voluerit inuestigare rationem, *legat Suarez in to.* 3. 3. *part. q.* 73. *artic.* 4. B *in commentario articuli*. Mihi tamen ea sufficit nominis & explicatio, & ratio, quam adducit *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 73. *art.* 4. *in corpore articuli*, vbi ait, hoc nomen triplicem sortiri significationem secundum triplicem temporis differentiam, aliam præteriti, in quantum est cõmemoratiuum Dominicæ Passionis, quæ fuit verum sacrificium, & secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam significationem habet respectu præsentis temporis, scilicet Ecclesiæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & secundum hoc nominatur hoc Sacramentum communio: Dicit enim *Damascenus lib.* 4. *Orthodox. fidei capit.* 15. *à medio. Quod dicitur communio, quia communicamus per ipsam* C *Christo, & quia participamus eius carne, & Deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipsam*. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacramentum est præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ est in patria, & secundum hoc dicitur via ticum, quia præbet nobis viam illuc perueniẽdi, & secundùm hoc dicitur etiam Eucharistia, id est bona gratia, quia gratia Dei vita æterna, vt dicitur *Romanorum* 6. vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia, dicitur etiam in Græco metalepsis, id est assumptio,

quia vt Damascenus dicit, per hoc filij Deitatem assumimus.

2 In principio autem huius materiæ non est silentio tegenda similitudo quædam, seu analogia eleganter tacta à *D. Thom. 3. p. q. 73. art. 1 in corpore.* Inter vitam spiritualem, & corporalem, quod scilicet, sicut in vita corporali prius contingit generari hominem, & inde deduci ad perfectam ætatem, & postea medio cibo, & potu vitam iam auctam conseruari, pati etiā ratione si ad vitam spiritualem oculos conuertamus, in ea sine dubio. Primò reperiemus hominem regenerari per Baptismum. Secundò perduci ad maiorem ætatem, & ad vires perfectas media gratia roborante ad pugnam spiritualem, quod resultat ex susceptione Sacramēti confirmationis. Et tertio tandem loco reperiemus vitam spiritualem medio cibo, & potu spirituali mirificè ali, qui effectus necessario tribuendus est sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

3 Huius diuini Sacramenti multæ in veteri lege præcessere figuræ, quas diffuso calamo explicat *Enriquez in summa lib. 8. cap. 1. & D. Th. 3. p. q. 74. art. 6. in corpore, & eas indicat Tridentinum sessione 22. cap. 1. in fine.* Nam primam figuram possumus considerare oblationem Melchis. qui obtulit panem & vinum. Secundam omnia sacrificia veteris testamenti præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Tertiam manna, quod vt dicitur Sap. 16 habebat omnem saporem suauitatis. Quartam agnum Paschalem, qui quia comedebatur cum panibus, azymis figurabat id, quod est in hoc Sacramento, Sacramentum tantum & quia immolabatur ab omni populo Israel 14. Luna fuit figura passionis Christi, qui dicitur agnus, & quia per sanguinem agni Paschalis protecti sunt filij Israel ab Angelo vastante, fuit huius Sacramenti figura, quod à morte æterna liberat. Quintam panē Eliæ 1. *Regum* 19. Sextam Lignum vitæ, *Genes.* 2. vt nutat *Innoc. lib. 4 de officio Missæ c. 44.* Septimam, mel Ionathæ, 1. *Regum* 14.

4 *Suarez loco citato disp. 1. de Eucharistia sect. 1.* Refert aliquos Hæreticos suis erroribus obcecatos, ita petulanter lapsos esse, vt specialiter hoc Sacramentum Eucharistiæ è medio auferre conati sint, vt *Arcbonticos, Messalianos, & Petrobrusianos, Vazquez tamen 3. tom. in 3. partem disp. 167.* Aperte probat nullum fuisse Hæreticum, qui hoc Sacramentum ausus fuerit negare, præter eos, qui omnia Sacramenta in vniuersum negarunt. Licèt quidam eorū hoc Sacramentum impugnare ausi sint, atque circa illud aliqua contra sensum Catholicum Ecclesiæ libera voce docere. Quia tamen in his amplius immorari nostri instituti ratio minime pati videtur, & quia in proprijs huius materiæ sedibus sese offerentes errores attingemus, ideo illis hic recensendis super sedēdū duxi.

Sit prima conclusio, Eucharistia est vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis. Hanc veritatem Catholicam expresse definitam inspicimus *ab Eugenio IIII. in Decreto fidei, quod est post vltimam sessionem Concilij Florentini, §. 5. Ecclesiasticorum, & à Concilio Tridentino sess. 7. canone 1. verba autem Tridentini hæc sunt. Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem videlicet Baptismum, Cōfirmationem Eucharistiam, pœnitentiam, extremam Vnctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod eorum septem non esse vere & proprie Sacramentum, anathema sit.* Ita etiam decreta est hæc doctrina *In cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Cathol. & c. cum Marthæ de celebr. Miss.* Probaturque ratione conclusio. Quia, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere, in principio, Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis nos, sed Eucharistia est signū rei sacræ, vt apparebit consideranti quæstionem sequentem. Imò est signum rei sacræ sanctificantis nos, vt eadem quæstione patefiet. Quod expresse notauit *Concilium Tridentinum sess. 13. c. 3.* Ergo Eucharistia est verum, & proprium Sacramentum. 5

Secunda conclusio. Sacramentum Eucharistiæ est institutum à Christo Domino. Probatur conclusio primo *Ex Matthæi c. 26. Marci, c. 14. Lucæ c. 22.* Secundò probatur ex *Trident. loco citato.* Vbi in principio hæc conclusio manifeste definitur. Tertio probatur, ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ hanc veritatem magnopere confirmat. 6

Tertia conclusio. Hoc Sacramentum Eucharistiæ inter cætera omnia Sacramenta præstantissimū est. Probatur conclusio *ex Trident. sess. 13.* Vbi Concilium diuino afflante spiritu hoc Sacramentum appellauit *Sanctissimum, Venerabile, & Sacrosanctum.* Quibus nominibus, cum alia Sacramenta Concilium nuncupare non soleat, sed alijs minorem excellentiam significantibus, absque dubio indicare nobis contendit Concilium, Sacramentum Eucharistiæ inter reliqua omnia Sacramenta principem locum obtinere. Exinde autem hoc Sacramētum præstantiam suam desumit, vt notauit *Cōcilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. & vt docuere D. Thom. 3. part. quæst. 65. art. 3. & Durand. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 6.* Quia videlicet reliqua omnia Sacramenta tantummodo continent in se virtutem quandam à Christo deriuatam ad sanctificandos homines. Hoc vero Sacramentum Eucharistiæ in se ipso continet ipsam sanctitatis naturam, nempe Christum Dominum nostrum. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ex his facile colligitur vera definitio Eucharistiæ. 7

Est

8 Est enim Eucharistia Sacramentum corporis,& sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur.Ita definierunt Eucharistiam *Dominicus Sotus in 4.dist.8.ante a.1.Enriquez in summa,lib.8.de Eucharistia,cap.6.§.1.*

QVÆSTIO II.

In quo constituenda sit natura & essentia Sacramenti Eucharistiæ?

1 QVatuor maxime in hoc mirabili Sacramento consideranda sunt, de quibus controuersia oriri valeat,in quo eorum constituta sit essentia huius Sacramenti,& pro quo supponat nomẽ ipsum. Primò enim contemplari possumus verba,quibus efficitur consecratio. Secundo, species panis,& vini iam consecratas. Tertio, corpus & sanguinem Christi,qua perfecta consecratione sub speciebus latent. Quarto,tandẽ sumptionem ipsam specierum.

2 Deinde hoc Sacramentum in duplici statu considerari potest. Primo in fieri,idest, dum fit.Secundo in facto esse,idest, postquam Sacramentum confectum est.Si primum statum attendamus,facile inueniemus,in eo genere vicem materiæ panem & vinum.Quibus accedunt consecrationis verba, gerere vero vicẽ formæ verba consecrationis panis,& verba consecrationis vini.

3 Variæ sunt in hoc puncto nostrorum scholasticorum sententiæ. Prima enim defendit, totam essentiã Sacramenti Eucharistiæ in verbis consecrationis cõsistere. Pro qua sententia allegari solent *D.Thom.in 4.dist.8.quæst.1.artic.2.in corpore. Durand.in 4.dist. 8.quæst.2.n.5.Caietan.3.part.quæst.63.artic.5. §. aduerte 2. & art.6.prope finem,& alij.*Probatur, quia forma in qualibet re ea est,quæ præcipuum locũ obtinet.Vnde,dum ea incipit existere in rerum natura,res per illam constituta recipit esse,& dum illa definit,res ipsa amitit suum esse.Sed in Sacramento Eucharistiæ verba ita se habẽt, quod ex illis prolatis resultat Sacramẽtum Eucharistiæ, & sine illorum prolatione Sacramentum subsistere nullatenus potest,ergo Sacramentum Eucharistiæ in verbis,tantũ consecrationis situm habere naturam suam necessum est.

4 Secunda sententia defendit,vsum seu receptionem huius Sacramenti pertinere ad essentiam illius.Ita sentit *Aureolus,vt refert Capreolus in 4.dist.8.quæst.vnica art.2.in 3 argumento contra primam conclusionem.*Probatur hæc sententia,quia essentia Sacramenti exigit, & significare gratiam,& eam in anima producere: sed species consecratæ,quamuis ante sumptionem earum contineant Christum in se,non tamen causant gratiam antequam assumãtur: ergo assumptio pertinet ad essentiam huius Sacramenti.

5 Tertia sententia indicat,essentiam Eucharistiæ constare ex speciebus, vt materia, & ex verbis consecrationis,vt forma.Probatur hæc doctrina *Ex Concilio Florent.post vltimam sessionẽ §.tertiũ est Eucharistia.Vbi Eugen.IIII.generaliter definiuit Sacramenta omnia constare rebus, vt materia & verbis,vt forma*, ergo etiam Sacramento Eucharistiæ idem conuenire debet.

6 Quarta sententia,quam significarunt *Suarez loco citato,disp.42.sect.3.* Et alij recentiores,affirmat, hoc Sacramentum essentialiter consistere in duobus,nempe in speciebus consecratis loco materiæ,& loco formæ in denominatione quadam relicta ex verbis cõsecrationis, quæ præterierunt.Huius sententiæ fundamẽtum illud est,quia constitutio Sacramenti nõ est physica,sed artificialis,vt patet discurrenti per omnia Sacramenta,ergo non est necessarium,formam verborum consecrationis permanere cum speciebus consecratis, sed satis erit,ex illis resultãtem denominationem permanere cum speciebus.

7 *Petrus de Ledesma in summa Sacramentorum, verbo Eucharistia c.1.* Quintam secutus sententiam pronunciauit,species consecratas esse veram materiam huius Sacramenti, significationem vero,qua huiusmodi species significant rem sacram,esse veram formam.

8 Sit prima conclusio. Hoc interest inter reliqua Sacramenta,& hoc Sacramentum Eucharistiæ,quod reliqua Sacramenta in vsu, & operatione consistunt, & tantum habent esse eo tempore,quo perficiuntur,nostrum vero Sacramentum habet esse quoddam permanens, & etiam transacta actione,qua fit,vt transacta consecratione, integrum perseuerat. Harum rerum diuersitatis in rebus naturalibus facile inueniemus exemplum. Motus enim tantum habet esse,dum fit,& dum corpus aliquod mouetur,quiescente enim corpore prorsus euanescit.At vero homo non tantum habet esse, dum generatur,sed etiam generatione præterita vere in rerum natura existit. Conclusio nostra de fide est,quæ probatur primo, ex infallibili Ecclesiæ traditione,cuius rania est auctoritas,vt plurimum valeat ad fidei dogmata confirmanda.Secundo probatur *Ex Tridentino sess.13.ca.1.in principio in illis verbis. In almo sancta Eucharistiæ Sacramento post panis,& vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christũ verum Deum,atque hominem, vere, realiter, & substantialiter sub specie illarum rerum contineri.* Alia vero Sacramenta post eorum actionem non subsistunt,vt baptismus transacta ablutione,& semel prolatis verbis non habet esse.

Tum

Tum etiam, *cap. 6. Tridentinum*, approbat morem seruandi Eucharistiam in sacrario, & defendi ad infirmos; quæ omnia alijs sacramentis non conueniunt, & indicant hoc sacramentum habere esse permanens. Vnde constat, essentiam huius sacramenti non cõsistere in vsu contra secundam opinionem supra allatam. Est tamen, vt bene, *Petrus de Ledesm.* loco citato, sumptio ipsa conditio media, qua hoc sacramentum gratiam operatur; sicut approximatio est conditio, media qua ignis calefacit, & sicut cibus corporalis debet comedi, vt prosit corpori. Quod si dicas sumptionẽ esse signũ sensibile gratiæ practicum, ergo est sacramentũm: respondetur, esse signum vt conditionẽ, non vt causam.

9 Secunda conclusio. Essentia sacramenti Eucharistiæ non consistit in verbis, neque in aliquo constituto ex verbis, & rebus, sed in speciebus panis, & vini consecratis, idest in quantitate, colore, sapore, &c. Quæ accidentia remanserũt ex substantijs, & panis, & vini, quibus antea erant affixa, & postea ab illis seiuncta manent, quia per consecrationem perierũt illæ substantiæ. Hanc conclusionem tradiderunt nobis, *Ricardus 4. d. 8. art. primo, Scotus, ibidem, quæst. 1. §. ex his patet ad tertium argumentum, Dominicus Sotus 4. distinct. 8. quæst. vnica, art. 1. Alanus, lib. 1. de Eucharistia cap. 3. 4. & 5. & hoc fortasse voluit D. Thom. cum 3. p. quæst. 73. art. 1. ad 3. asserit, & ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificãdum.* Nõ enim sentit ipsam consecrationem esse sacramentum, sed esse causam effectricem sacramenti, quod post consecrationem remanet in solis speciebus continentibus Christum, quam interpretationem colligo ex D. Thom. ibidem dicẽte, *Eucharistiam continere aliquod sacrum absolute, scilicet, ipsum Christum*, sed Christum continet hoc sacramentum, postquam factum est, quando non remanent verba, sed species: ergo sentit D. Thom. in speciebus cõsistere Eucharistiæ sacramentum. Hæc conclusio probatur primo, *Ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 5. vbi ait, huic sacramento latriæ cultum deberi, & cap. 6. vbi consuetudinem seruandi in sacrario hoc sacramentum seruandam esse præcipit.* In quibus locis plane loquitur de solis speciebus, & nõ de forma verborum. Secundo probatur, *Ex decreto Eugenij IIII. in Concilio Florentino post vltimã sessionem, §. tertium est Eucharistia, vbi dicitur, formam huius sacramenti esse verba Saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum*, Ecce vbi Eugenius taliter assignat verba pro forma huius sacramenti, vt dicat, esse ea causam efficientẽ huius sacramenti, sed verba sunt causa efficiẽs consecrationis specierum, ergo solum species consecratæ sunt sacramentum, & forma verborum non est causa formalis intrinsece constituens hoc sacramentum in facto esse, nam causa efficiens, & formalis eiusdem rei inter se differunt maxime. Verba autem consecrationis ex eo dicuntur forma, quia sunt certa, & determinata, & virtutem habent consecrandi. Qua ratione explicuit formam hanc, *Vazquez 3. t. in 3. p. disp. 167. num. 23.* Tertio probatur hæc pars, quia de essentia sacramenti est, quod sit signum rei sacræ, idest gratiæ sanctificantis nos, & de ratione sacramentorum nouæ Legis est, causare eãdem gratiam. Sed hæc omnia, primo conueniunt speciebus consecratis, non vero verbis consecrationis, neque alicui toti constituto ex speciebus, & verbis: ergo species consecratæ sunt sacramentum, & non verba, vel aliquid compositum ex verbis, & speciebus. Patet consequentia, quia illud necessario in Eucharistia habet rationem sacramenti, sicut in reliquis sacramentis contingit, cui primo conuenit, & significare, & causare gratiam. Minor propositio huius discursus, scilicet, significationem, & causalitatem gratiæ primario cõuenire speciebus consecratis, probatur, quia quamuis verba consecrationis & significent, & efficiant corpus, & sanguinem Christi esse sub speciebus panis, & vini, tamẽ non immediate significant gratiam sanctificantem, quæ in hoc sacramento est gratia vnionis corporis mystici: neque illam immediate in anima producunt. Sed tantum mediantibus speciebus, neque aliquid constitutum ex speciebus, & verbis immediate significat, aut operatur gratiam. Sed isti omnes effectus immediate conueniunt speciebus consecratis: ergo tantum species consecratæ constituunt sacramentum Eucharistiæ.

10 Ex dictis satis aperte liquet, nomen sacramenti pro solis speciebus consecratis supponere, & non pro verbis. Atque etiam liquido constat, hoc sacramentum in facto esse consideratum, idest, eo tempore, quo perseuerat finita consecratione, non constitui ex materia, & forma, quia tantum constat ex speciebus, in quibus non possunt materia, & forma distingui.

11 Tertia conclusio. Ad hoc sacramentum non pertinet essentialiter tanquam forma eius aliqua denominatio deriuata in species consecratas ex verbis consecrationis præcedentibus. Probatur primo, quia, *Eugen. IIII. loco citato*, expresse definiuit, omne sacramentum tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis vt forma, & persona ministri, ergo talis denominatio non potest esse forma huius sacramenti. Secundo probatur, quia, si Deus sine vllis verbis cõficeret hoc sacramẽtũ Eucharistiæ (quemadmodum possibile est, quia hoc nullam implicat contradictionem) idem tunc esset sacramẽtum, quod modo est. Sed tamen tunc neque verba,

verba, neque extrinseca denominatio à verbis dimanans possent esse sacramentum, quia ea non extarent. Pari ergo ratione affirmandum est, nunc neque verba, neque prædictam deno minationem esse formam huius sacramenti. Quod si modo necessum est, verba præcedere ad hoc, vt species maneant consecratæ hoc tãtum requiritur tanquam conditio de facto, & supposita institutione Christi necessaria ad hoc sacramentum producendum. Ex eo vero idem esset sacramentum Eucharistiæ, quod tũc produceretur à Deo sine verbis, & quod modo à nobis producitur cum verbis, quia hoc sacramentum non consistit in aliqua actione, sed habet suum esse permanens. Quod esse idẽ est siue vno modo, siue alio producatur; quem admodũ homo, qui modo educitur extra causas per generationem, eiusdem rationis est eũ illo, qui à Deo educeretur per creationẽ, quãuis actiones lõge diuersæ essent. Si vero Deus per seipsum baptizaret, non esset baptismus eiusdem rationis, ac ille est, in quo homo baptizat, quia illæ actiones baptizãdi maxime sunt diuersæ, & ita baptismata, quæ in actionibus consistunt, maxime etiam diuersa esse, necessarium est.

12 Quarta conclusio. Licet in hoc sacramento species consecratæ in ordine ad significationẽ gratiæ se habeant, vt materia, & significatio vt forma in ordine ad species; attamen in eo sensu, in quo procedit hæc quæstio, significatio non habet rationem formæ constituentis hoc sacramentum. Probatur primo, quia communiter Doctores, dum sacramentis assignant materiam, & formam, ea assignant ex parte subiecti materialis, cui inest significatio; vt in baptismo, verbi gratia, ablutio assignatur vt materia, & verba illa, Ego te baptizo, &c. assignantur vt forma. Quæ quidem duo se habent vt subiectum quoddam recipiens in se significationem gratiæ, vt formam totalem, ergo significatio in hoc sensum habet vicem formæ. Secundo probatur, *Ex Eugenio IIII. loco citato*, Asserente, sacramẽta perfici verbis tanquam forma, ergo significatio non potest esse forma huius sacramenti.

13 Quinta conclusio. Ad essentiam sacramenti Eucharistiæ pertinet corpus, & sanguis Christi, sicut contritio pertinet ad essentiam sacramenti pœnitentiæ, & non quomodocunque, sed directe, & in recto. Hanc conclusionem defendunt *D. Thom. in 4. distinct. 8. quæst. 1. ar. 1. Caietanus 3. p. quæst. 75. art. 1. in fine, Suarez 3. t. in 3. p. disp. 42. sect. 3. Gabriel Vazquez loco citato num. 38.* cum alijs Doctoribus, quos ipse refert, ibidem. Probatur primo, conclusio ex c. hoc est, de consecratione, distinct. 2. vbi dicitur, *Sacrificium Ecclesiæ, id est, sacramentum duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Iesu Christi Domini carne.* Vbi huic sacramẽto vtrũq; attribuitur ex æquo, scilicet, & species, & corpus Christi. Secundo probatur, *Ex canone in illo de cõsecratione, dist. 2. desumpto ex Ambros. lib. de mysterijs.* Vbi hoc sacramẽtũ dicitur corpus Christi, ibi, *In hoc sacramento Christus est, quia corpus Christi est.* Tertio probatur ex modo loquendi multorum Sanctorum Patrum, quos refert *Vazquez loco citato, num. 40.* Secundum quem Eucharistia dicitur corpus Christi, seu constare ex corpore Christi. Sed hoc sacramentum est sacramentum Eucharistiæ, ergo est corpus Christi, vel constat corpore Christi. Quarto probatur, *Ex Eugenio IIII. in dicto decreto*, vbi dicit, *Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* Sed species non conficiuntur à Sacerdote, sed tantum hoc perficit Sacerdos, vt corpus Christi sit sub speciebus, ergo hoc sacramentum cõstat corpore Christi, & speciebus. Quinto quia illud est sacramentum, quod significat, & causat gratiam, sed species simul cum corpore Christi, & corpus Christi simul cum speciebus causant gratiam, ergo vtrũque ex æquo, & in recto est sacramentum essentialiter loquendo. Vtrumque autem concurrit vt instrumentum speciale causans gratiam, non humanitas Christi, quia hæc in triduo nõ erat, in rerũ natura, quãdo equidẽ eodẽ modo posset fieri cõsecratio ac modo, & quãdo sacramentum idẽ essentialiter resultaret, ac modo resultat, ob quod non humanitas Christi sed corpus Christi sacramẽtũ Eucharistiæ cõstituit. Vnde vt instrumentũ principalius speciebus, & vt coniunctum diuinitati concurrit corpus, species vero concurrunt, vt instrumentum minus principale, & vt instrumentum separatum, corpus Christi certum est; causare gratiam per se ipsum, & immediate. Species vero gratiam causare eodem modo, aliqui negant, quia tantum eis tribuũt virtutem causandi gratiam mediante corpore Christi, quod in seipsis cõtinent. Quod placuit *Caietano 3. p. quæst. 80. ar. 12. dubio 2.* Sed verius est, etiam species causare gratiam per se ipsas, & immediate; quemadmodum ablutio, & aliæ materiæ sacramentorum eodem modo operantur gratiam in animis. Quamuis enim corpus Christi immediate gratiam producat, ex hoc tamen non tollitur, quin species eandem gratiam producere possint. Vt optime perpẽdit, *Suarez loco citato.* Patet, quia species, vt probauimus in secunda cõclusione, sunt sacramentum nouæ Legis, ergo significant, & operantur gratiam sanctificantem animarum. Caro autem Christi specialiter in hoc sacramento operatur gratiam per se ipsam, & immediate, (quam eodem modo in alijs sacramentis operari, non est certum.) Tũ quia eam gratiam in Eucharistia operatur vt sacramentum, & vt realiter præsens speciebus. Tum etiam per contactum realem, medio quo caro

caro Christi nostram attingit carnem.

14 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad illud primæ sententiæ dicitur, formam intrinsecam rei talis esse naturæ, vt illa incipiente incipiat res,& desinente desinat, at vero in hoc sacramento verba consecrationis sunt forma extrinseca,& efficiens, non intrinsece, & formaliter constituens illud, & ideo simul cũ illis non debet desinere. Ad argumentum secundæ sententiæ patet ex fine primæ conclusionis. Ad argumentum tertiæ sententiæ respondetur. Eugenium IIII. non dixisse sacramenta tribus constare, vt bene notauit *Vazquez, loco citato, num.31. sed tribus perfici, scilicet, rebus vt materia, verbis vt forma, & persona ministri conferentis sacramentum.* Vtitur autem Pō tifex verbo, perficere, & non verbo constare, vt patet ex loco citato, ibi, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum, quod verũ est iuxta id, quod in secundo notabili huius quæstionis diximus. Quare verba, licet dixerit, esse necessaria, non intelligit, quod sint necessaria vt forma componens intrinsece sacramentum in facto esse, sed vt forma efficiẽs sacramentum; sicut eodem modo necessarius est minister, scilicet, vt causa efficiens sacramẽti. Ad argumentum quartæ sententiæ patet ex tertia conclusione.

15 Pro sententia eorum, qui dicunt, corpus, & sanguinem Christi non esse huius sacramenti partem essentialem Contra nostram quintam conclusionem sunt aliqua argumenta; quorũ Authores refert *Vazquez loco citato, num.36.* Primum argumentum sit ex communi sententia Theologorum cum *Magistro in 4 distinct.8.* Quæ distinguit in sacramento tria, alterum est sacramentum tantum, alterum res tantum, tertium res,& sacramentum simul: sed in hoc sacramento, sacramentum tantum dicuntur esse species consecratæ, res tantum gratia, res & sacramentum simul corpus, & sanguis Christi, ergo corpus Christi non pertinet ad substantiam huius sacramenti. Nam cum quæritur de substantia huius sacramenti, solum quæritur de substantia eius, quod est sacramentum tantum. Secundum argumentum sit, quia sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, sed species tantum sunt sensibiles, & visibiles, & corpus Christi existens sub speciebus modo quodam spirituali non est signum sensibile, vel visibile, ergo species tantum, & non corpus Christi constituunt essentiam huius sacramenti. His tamen argumentis facilis se offert solutio. Ad primum enim respondemus verũ esse illa tria supradicta distingui in quolibet sacramento, & ea omnia recte adaptari sacramento Eucharistiæ per hoc, quod species sacramentales sint sacramentum tantum; quia significant gratiam,& ipsæ non significantur per aliquid aliud, & gratia vero iustificans sit res tantum, quia ipsa significatur per species sacramentales, & ea nihil aliud significat, corpus vero,& sanguis Christi sint res,& sacramentum simul: sacramentum, quia significant refectionem spiritualem causatam in anima media gratia. Sunt autem res sacramenti, qnia significantur per species consecratas. Inde tamen non colligitur, corpus,& sanguinem Christi non pertinere ad essentiam eius, quod est sacramentum simpliciter, nam in sacramento pœnitentiæ dolor de peccatis est res & sacramentum simul, & tamen est pars essentialis sacramenti, non tamen est pars eius quod est sacramentum tantum, quale est confessio oris, pari ergo ratione in præsenti puncto philosophandum est, scilicet corpus & sanguinem Christi non esse partem eius, quod est sacramentum tantum, quia hoc in solis speciebus sacramentalibus constitutum est, esse tamen partem sacramenti simpliciter, quod ex speciebus,& corpore ac sanguine Christi coalescit. Ad secundum argumentum concedimus sacramentum debere esse signum sensibile gratiæ, negando tamen quamlibet partem essentialem sacramenti debere esse sensibilem ratione sui, sufficit enim vnam ratione alterius esse sensibilem, quemadmodum contingit in dolore de peccatis, qui licet pars sit essentialis sacramenti pœnitentiæ, tamen non est sensibilis ratione sui, sed ratione exterioris confessionis. Simili modo corpus, & sanguis Christi sunt partes essentiales sacramenti Eucharistiæ, non quia sint sensibiles ratione sui prout existunt in hoc sacramento, quia certum est, nullo sensu percipi posse, sed, quia sunt sensibiles ratione specierum, cum quibus coniunguntur.

16 Ex dictis aperte colligitur. Primo id, quod perdocte notauit *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 42. sectione 4.* Sacramenti Eucharistiæ nomen supponere pro toto composito ex speciebus, & corpore, ac sanguine Christi. Probatur primo, quia in alijs sacramentis nomen sacramenti supponit pro toto composito, quod commune est alijs rebus similiter artificialibus. Nam domus supponit pro toto composito, & cathedra, & alia huiusmodi nomina. Ergo similiter nomen sacramenti Eucharistiæ significat totum id, quod resultat ex speciebus, ac corpore & sanguine Christi. Quæ doctrina, licet vera sit, interdum tamen nomen Eucharistiæ sumitur pro speciebus ipsis,& sæpius pro corpore,& sanguine Christi. Quam nominis appropriationem Ecclesiæ vsus potuit obtinere.

17 Secũdo colligitur sufficiẽter ex dictis, adorationẽ debitã speciebus consecratis propter Christum, quem in se continent, vere esse adorationem latriæ, in qua vnicus reperitur actus completus,& perfectus ex duobus, nepe ex

pe ex signo externo summissionis, vt genuflexionis, quod exhibetur speciebus sensibus nostris obiectis, & ex affectu animi interno summissionis, qui exhibetur Christo media fide cognito. Hæc vero adoratio, vt exhibeatur absolutè, & sine conditione satis est moralis certitudo, qua certi sumus, species verè esse consecratas.

QVAESTIO III.

Vtrùm Eucharistia sit vnum tantum Sacramentum?

1 QVIA duas species consecratas in Eucharistia cōtēplamur, alterā panis, alterā vini, & similiter duas formas consecrationis, alteram panis, alterā vini, merito dubitamus in præsenti quæstione, an Sacramentum Eucharistiæ sit vnum tantùm tam secundùm speciem, quàm secundùm numerum. Secundum speciem dicitur aliqua res diuersa ab alia, quia habet diuersam naturam ab ea, diuersasque induit proprietates. Vt Petrus secundum speciem est diuersus ab equo, quia habet diuersam naturam, & diuersas proprietates ab eo, nam Petro inest natura rationalis, equo autem irrationalis, & Petrus proprietate, gaudet risibilitatis equus vero non est risibilis, sed hinnibilis. Secūdum numerum vero vna res dicitur ab alia diuersa, quia est diuisa ab ea, & habet diuersas conditiones indiuiduales, vt apparet in Petro, & in Paulo. Primo ergo disputabimus de vnitate specifica huius Sacramenti, postea de numerica seorsum disputaturi.

2 Quidam affirmarunt, reperiri in Eucharistia plura Sacramentā. Ita sentiunt *Maior in 4. dist. 8. quæst. vnica, §. contrà prædicta propositione secunda, Gabriel ibidem, quæst. 2. art. 1. notatione 4.* Probatur primò hæc sententia *ex Canone comperimus, canone, tribus gradibus, canone, species, ecanone, iteratur de consecratione dist. 2.* In quibus sancti Patres Eucharistiam vocant plura Sacramenta. Secundò probatur, quia si non esset Eucharistia plura, sed vnum Sacramentum, sequeretur, eum qui solum sumit corpus Christi sub speciebus panis, & non sanguinem sub speciebus vini, non sumere integrum Sacramentum. Et cum asseruatur in sacrario pro infirmis solum Christi corpus sub speciebus, non asseruari integrum Sacramentum, neque eos integre recipere hoc Sacramentum. Tertiò probatur, quia in Eucharistia reperitur duplex materia, & duplex forma, vt vidimus in ratione dubitandi, ergo etiam reperitur duplex Sacramentum.

A Sit tamen prima conclusio. Eucharistia absolutè, & simpliciter est vnum Sacramentum secundum speciem infimam, quemadmodum homo est vnicus secundum speciem. Hanc cōclusionem docent *D. Thom. 3. part. quæst. 73. ar. 2. Caietan. ibidem, D. Bonauent. in 4. dist. 8. 2. par. art. 2. quæst. 2. Scotus, quæst. 2. §. responde. Dominicus Sotus quæst. vnic., art. 2. Suarez 3. tomo in 3. part. quæst. 73. art. 2. disp. 1. sectione 3. Vazquez 3. tomo in 3. part. eadem quæstione, & eodem artic. disp. 168. num. 3.* Probatur primò conclusio ratione *D. Thom. loco citato*, quia hoc Sacramentum est institutum ad reficiendam animam spiritualiter medio cibo admirabili gratiæ, & ita institutum est per modum cuiusdam conuiuij affirmante id *Christo Ioann. 6. caro mea verè est* 3

B *cibus, & sanguis meus verè est potus, & decantāte Ecclesia, ò sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur.* Sed conuiuium, quamuis constet cibo, & potu, & quamuis ad suam perfectionem, & integritatem hæc duo requirat, vnicum tamen est, ergo Eucharistia, licet constet cibo, & potu spirituali, vnicum tamen est Sacramentum secundum speciem. Secundò probatur *ex Decreto Eugenij IIII. in Concilio Florentino post vltimam Sessionem §. tertium est Eucharistia, & ex Concilio Tridentino Sessione 13. cap. 5.* In quibus locis sermo est de hoc Sacramento, veluti de vno, & non de pluribus, sed non est vnum secundum numerum, vt videbimus in secunda conclusione, ergo est vnum secundum speciē.

C Argumentis in oppositum satisfaciamus, si placet. Primo respondemus, Eucharistiam appellari plura Sacramenta, tùm quia continet plures res sacras, tùm etiam, quia continet plures res absconditas, scilicet corpus, & sanguinem Christi, res enim abstrusa, & quæ hominum captum latet iure optimo in sacra Scriptura Sacramenti nomine exornatur iuxta illā sententiam *Raphaelis Thobiæ 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Vltimò Eucharistia dicitur Sacramēta, quia vt postea probabimus, cōtinet plura Sacramenta diuersa secundum numerum. Ad secundum argumētum dicimus primo *cum Suarez loco citato*, sub qualibet specie seorsum sumpta verè & Catholice pronunciari, recipi à fidelibus totum Sacramentum, quia ibi continetur totus Christus, qui est præ 4

D cipua ratio huius Sacramenti. Secundo respondemus *cum Vazquez loco citato num. 10.* ex eo dum recipitur vnica tantum species panis, vel vini, sufficienter affirmari, absolutè loquendo recipi Sacramentū Eucharistiæ, quia vna quęque species est signum rei sacræ sanctificantis nos, sumpta tamen vnica specie, vel asseruata non dici sumi, aut asseruari integrum, vel totum Sacramentum, quia vnica tantum species non significat totam gratiam conuiuij, & refectionis spiritualis. Quod ita intelligendum est, quod licet quælibet species sit perfectum sa-

cramentū, imo & conuiuium essentialiter (cō- A uiuium enim tantum panis conuiuium est) tamen nō est perfectū, integraliter accidentaliter; sicut homo non habens pedes, accidentaliter est imperfectus, essentialiter tamen perfectus est. Hanc doctrinā expresse docet *Bellar. lib. 4. de Eucharistia, c. 22. propositione 3.* Probatur primo *Ex Triden. sess. 21. c. 3. dicēte sub vna specie non solū totū Christum sumi, sed etiam verū sacramētum*: tum quia vna species significat aliquam refectionē vel per modum cibi, vel potus, & significat gratiam, atque vnionē fideliū cū Christo, quia fit ex multis granis. Ad tertiū respondetur, quod licèt Eucharistia pluribus rebus distinctis in specie naturali, vt speciebus panis, & vini, & corpore Christi, & sanguine cōstet, est tamē vnicū sacramentū in genere B moris, quia ordinatur ad vnū cōuiuiū spirituale, sicut domus vnica est in specie artificiali, imo & in indiuiduo, vt bene *D. Th. loco citato*, licèt cōstet ex rebus diuersis in specie naturali, vt lapidibus, lignis, &c. quia ordinatur ad efficiēdū vnū habitaculū hominū. Secūdū *Suar. 3. t. in 3. p. q. 73. a. 2. sect. 3.* vnica est relatio totalis significationis gratiæ in speciebus panis, & vini cōposita ex duabus, quarū alterā dicit species panis, alteram species vini.

5 Superest, de vnitate numerica disputemus, circa quā quidā dicunt, hoc sacramentum esse vnum numero, non solū quando vnica sola hostia est, sed etiā, quando plures hostiæ simul sumūtur eadē sumptione ab eodem homine. *Ita Sotus in 4. dist. 8. q. vnica, a. 2. circa mediū Ledes.* C *1. p. 4. q. 14. a. 2. cui adhæret Suar. loco citato sect. 4.* Probatur primo, quia licet in eodē cōuiuio plura fercula sumātur, vnū tamen solū conuiuiū est, ergo licèt plures hostiæ consecratæ simul sumātur, vnū tamen sacramentū censeri debet. Et cōfirmatur, quia, si simul ab eodē fideli plures hostiæ, seu species consecratæ sumantur, non efficiunt maiorem gratiam, quā si vna sola sumeretur, ergo sunt vnū tantū sacramentū. Alij dicunt, esse vnum sacramentū, etiāsi plures hostiæ à pluribus hominibus sumantur. Probatur primo *Ex Paulo 1. ad Corinth. 10. dicente, vnum corpus sumus omnes, qui de eodem pane participamus.* Ergo sicut omnes fideles vnum corpus sunt, ita etiam vno sacramento sustentantur, qui verus panis est. Secundo D probatur, *Ex canone, in Christo de consecrat. dist. 2. vbi dicitur, vnam esse hostiā, & non multas, quā Christus obtulit, & quā omnes Sacerdotes offerūt*, Ergo sicut est idem sacrificium seu hostia, ita idem sacramentum, nam idem, quod Ecclesia offert vt sacrificium, sumit vt sacramentum. Tertio probatur, quia si plures hostiæ in vno sacrario pro infirmis seruentur, dicuntur vnū sacramentum, ergo etiamsi sint distinctæ secundum locum, & separatæ sunt vnum sacramentum, nam propinquitas hostiarum secundum locum parum ad vnitatem referre videtur.

Sit tamen in hac quæstione secunda conclusio. 6 Plures species discontinuæ panis, & vini consecratæ sunt plura numero sacramenta, siue quæ à diuersis, siue quæ ab eodem Sacerdote consecratæ sunt, siue ante consecrationē diuidantur, siue postea, siue ab eodem Sacerdote, siue à diuersis simul sumantur. Hanc conclusionem his expressis verbis docet *Gabriel Vazquez 3. tomo in 3. p. quæst. 73. art. 2. disput. 168. cap. 2.* Quæ quidem hac vnica ratione facili probāda est. Vnitas, vel pluralitas huius sacramenti desumenda non est ex eo quod in eo est accidentale, vt ex eo, quod species consecratæ sint loco coniunctæ eodem, vel diuisæ, aut ex eo quod ex eadem hostia plures essent particulæ diuisæ, vel ex pluribus hostijs; aut ex eo quod per eandem numero formam ab eodem Sacerdote simul plures hostiæ essent consecratæ, vel per diuersas formas, & à diuersis Sacerdotibus, & in diuersis temporibus consecrarentur, aut ex eo, quod vnica sumptione Physica, vel morali, vt quando vna sumeretur post aliam immediate, plures hostiæ sumerentur ad deglutiendum, vel pluribus sumptionibus, hæc enim omnia accidentaria sunt sacramento Eucharistiæ. Sed hæc vnitas, vel pluralitas sacramēti Eucharistiæ est desumenda ex eo, quod est essentiale in sacramento nouæ Legis, scilicet, significare & causare gratiam iustificantem in anima, sed plures species panis quomodolibet considerentur (& idem iudicium est de pluribus speciebus vini) constituunt plura signa, & plures causas gratiæ, nam vnaquæque species ratione sui & significat gratiam, & habet vim operandi eam, ergo sunt plura sacramenta.

Species autē sacramentales significant Chri- 7 stum vt cibantem animam media gratia, & hāc vim recipiunt ex verbis consecrationis supra panem, & vinum prolatis; imo ex verbis ipsis & ex materia, ex qua fit sacramentum, in ordine ad quæ essentialem ordinē dicunt species, nos cognoscimus talem virtutem significandi inesse speciebus. Vnde tanquam rationem formalem immediate significant gratiam, & inde prouenit, eam etiam immediate causare, quia noua sacramenta in tantum operantur, in quātum significant.

Ad argumenta in oppositum respondetur. 8 Ad primum primæ sententiæ dicimus, cum multæ species sacramentales, vt plures hostiæ consecratæ sumuntur, esse quidem vnicum tantum conuiuium spirituale, & actuale, esse tamen ibi plura sacramenta numero diuersa, quia quælibet species ratione sui solius significat gratiam, & potens est ad causandam eam, si seorsum sumatur; quemadmodum dum ex diuersis lapidibus integratur domus, domus quidem

quidem vnica est, attamen lapides ipsi omnino diuersi sunt. Ad secundum argumentum respondetur, verum quidem esse, plures species ab eodem fideli sumptas non producere maiorem gratiam, quam vnica tantum species seorsum sumpta produceret, imo neque eas species plures gratias efficere, quia sumptio est quædam conditio, sine qua hoc sacramentum non operatur gratiam, & ita per vnicam sumptionem plura sacramenta ad vnum effectum determinantur, quia tunc est vnica tantum refectio actualis, cui refectioni promissa est gratia *Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, &c.* Licet plura sacramenta sumantur, imo ex hac sumptione dimanat plures species, quæ simul sumuntur, posse appellari vnum sacramentum propter vnam sumptionem, media qua limitantur ad eundem effectum gratiæ causandum, licèt etiam, ptopterea quod sunt diuersa signa gratiæ, possint etiam dici plura sacramenta, immerito tamen omnes species consecratæ, quæ in toto mundo seruantur in sacris locis, dicerentur vnum tantum sacramētum numero, propterea quod vnum, & idem corpus Christi significent; propter quam rationem, plures species constituere vnum sacramentum, defendit *Suarez loco citato*; non enim species sacramentales rationem, & denominationem sacramenti suscipiunt ex significatione corporis, & sanguinis Christi, sed ex significatione gratiæ sanctificantis. Ex qua resolutione aperte liquet contra doctrinam *Suarez allatam loco citato in fine*, Hanc quæstionem non tantum esse de nomine sed etiam de re ipsa, vnitas enim indiuidualis ad rem ipsam attinet, non vero ad nomen rei.

9 Ad argumenta secundæ sententiæ respondere oportet. Ad testimonium Diui Pauli dicimus, omnes fideles dici vnum corpus, quia de eodem pane participamus, vnum inquam corpus, non naturale, sed mysticum, ad eum modum, quo vna respublica dicitur vnum corpus, panis verò Eucharisticus ratione rei in se contentæ, scilicet, ratione Christi, vnus, & idem quodammodo dici potest, non tamen ratione sacramenti vnus & idem est in pluribus speciebus, vt demonstrabimus in secunda conclusione. Ad secundum argumentum desumptum ex canone in Christo de consecratione, distinct. 2. respondetur, cum canonem loqui de ea hostia, quæ offertur à Sacerdotibus incruente in sacrificio incruento, & de ea, quæ oblata est modo cruento in altari Crucis; & vtramque contendit vnam, & eandem esse, nempe Christum, de sacramento autem in eo canone nihil notatur. Imo, cum essentia sacrificij sumpta pro actione tota posita sit secundum probabilem opinionem in consecratione, inde fit, plures hostias consecratas simul, ad vnum tantum sacrificium pertinere, quia est vna tantum actio consecrandi ex parte ministri, esse tamen tunc debent plura sacramenta propter rationem secundæ conclusionis. Ad tertium argumentum respondetur, plures hostias consecratas in vno sacrario coniunctas esse plura sacramenta, non minus, ac si separatæ essent secundum locum, quia sunt plura signa, & plures causæ gratiæ, vnum autem sunt sacramentum numero species vna panis, & alia species vini à Sacerdote sumptæ, vnum inquam, moraliter in ratione conuiuij, non Physice, quia sunt plura signa gratiæ.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum Eucharistia sit medium necessarium ad æternam salutem?

Celebris est tam inter nouiores, quā inter antiquiores Scholasticos distinctio quædam rerum necessariarum simpliciter. Aliæ enim dicuntur necessariæ necessitate finis, medij, seu remedij, vel salutis. Aliæ vero dicuntur, & sunt necessariæ necessitate præcepti: cuius distinctionis meminere *Durand. in quarto, distinct. 9. quæst. 2. numero 6. Canus relect. de sacramento pœnitentiæ post 3. conclusionem §. ex his colligere, Sotus in quarto distinct. 2. quæst. 6. art. 4. Vazquez 3. tomo in 3. part. quæst. 73. art. 3. disput. 169. cap. 1.* In qua enodanda distinctione valde laborant, & dissidēt inter se Authores, vt refert, & refutat *Vazquez loco citato*, in præsenti ergo non agimus de necessitate præcepti, quia hac ratione certum est, esse hoc sacramentum necessarium, vt postea videbimus. Disputamus ergo solum de necessitate medij, seu finis. Primo modo dicitur necessarium, quod natura sua conducit ad finem. Secundo modo, quod non natura sua, sed ratione præcepti cōducit ad finem.

Quare suppono primo hanc institutionem nō fuisse simpliciter necessariā ad salutē nostrā, potuisset enim Deus sine dubio absq; hoc sacramento multis alijs modis nostrā iustificationem, & salutē ordinare, & perficere. Secūdo suppono, hāc institutionē huius sacramēti, fuisse ad nostrā salutē vtilissimā, & ita necessariam

V

sariam secundum quid,& ad melius esse, quod tunc latius patebit,cum amplissimos,& vberrimos Diuinæ misericordiæ fructus medio hoc ineffabili sacramento nobis communicatos infra explicemus.

3 Tertio suppono, omnes effectus gratiæ ad salutē nostrā necessarios ad duo præcipua capita reduci debere. Nēpe ad nostrā iustificationē, seu remissionē peccati origiualis,velmortalis, & ad perpetuā perseuerātiā in gratia vsque ad vltimū vitæ tramitē. Vt ergo sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medij, vel debet primū effectum,vel secūdū causare, aliàs non dicetur medium necessarium ad salutem,sed tantum vtile, sicut & obseruantia aliorum præceptorum.

4 Quarto suppono, hoc sacramentū non esse perse,& ex primaria intentione institutum ad remissionem peccati originalis,vel mortalis, atq; adeo, neq; ad conferendam primā gratiā ex qua talis prouenit remissio. (An autē per accidēs aliquādo causet primā gratiā illi, qui attritus solū accedit ad hoc sacramentum recipiendū existimans se esse contritū, postea videbimus,)hæc res omniuo est certa,& ita breuiter probatur primo ex cōmuni modo loquēdi Sanctorū Patrū dicente,hoc sacramentū datum esse in spiritualenutrimētū,atque augmētum charitatis.Secūdo probatur ex Concilio Lateran. cap. firmiter, vbi dicitur, hoc sacramentū esse institutū ad perficiendū mysteriū vnitatis,hoc est ad augendā charitatem, media qua Deo vnimur.Tertio probatur,*Ex Concilio Florent. in quo hæc ait Eugen.huius sacramenti effectus,quem in anima efficit dignè sumētis,est adunatio hominis ad Christum, & quia per gratiam homo Christo incorporatur,& membris eius vnitur,cōsequens est, quod per hoc sacramentū in sumentibus dignè gratia augeatur.* Vbi per adunationē cum Christo nō intelligitur adunatio facta per primā iustificationē,quia hæc nō fit per sacramentū Eucharistiæ,sed vnitur anima illo sacramēto per augmentū charitatis. Quarto probatur, *Ex Paulo prima ad Corinth. 11. probet autem seipsum homo,& sic de pane illo edat,& de calice bibat, qui enim manducat,& bibit indignè, iudicium sibi manducat,& bibit non dijudicans corpus Domini.* Quem locū *Concil. Trident. sess. 13. c. 7.* Ita intelligit, vt habenti conscientiam peccati mortalis necessum sit, confessionis sacramentū recipere ante sumptionē Eucharistiæ;sed in hoc casu iam recipit gratiā primam, & iustificationem à peccatis virtute sacramenti pœnitētiæ, ergo iste effectus non est proprius Eucharistiæ.

5 Quinto suppono, hoc sacramentū Eucharistiæ in re susceptū non esse mediū ad salutem necessariū paruulis vsu rationis carētibus. Cōclusio videtur definita, *à Concil. Triden. sess. 21. Canone 4. ibi, si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint,necessariā esse Eucharistiæ cōmunionem, anathema sit.* Probatur ratione, quia Ecclesia Catholica, nostris tēporibus (antiquitus enim alia consuetudo inualuit, vt docet *Tridentinum sess. 21. c. 4.*)non exhibet Eucharistiā paruulis ante vsum rationis, etiamsi in mortis articulo constituantur, sed isti ratione baptismi legitimè suscepti, si è vita discedāt sine dubio ad Cœlos euolant, ergo his Eucharistia non est medium necessarium ad salutem.

A

Sexto suppono, sacramentū Eucharistiæ in re susceptū non esse mediū necessariū ad salutem adultis hominibus. Probatur primo, quia baptismus in re susceptus magis necessarius est in omniū opinione ad salutē consequendā, quā Eucharistia in re suscepta, sed baptismus in re susceptus nō est mediū necessariū ad salutem, sufficit enim, si in voto suscipiatur, vt cū quis habet verā contritionē peccatorū, & non potest recipere baptismū morte præuentus salutē consequitur sine dubio, ergo etiā Eucharistia in re suscepta nō est mediū necessarium ad salutē. Secundo probatur, quia si quis post dignā susceptionē baptismi, vel sacramenti pœnitentiæ vitæ suæ periodū concludat, & nō possit recipere Eucharistiā, si in nouū nou sit lapsus peccatū, absque dubio vitā æternam consequitur, & tamen tunc Eucharistiā non consequetur in re ipsa, ergo Eucharistia in re suscepta nō est mediū necessariū ad salutē, illud enim est mediū necessariū ad salutē in re, sine quo in re ipsa suscepto salus æterna non obtinetur, vt v. g. Fides, Spes, Charitas. 6

B

C Septimo, suppono omnes huius quæstionis sententias in rei veritatē conuenire, in modo autē loquēdi maxime inter se dissidere, in hoc enim conspirarunt Eucharistiā in re susceptā non esse mediū necessariū ad salutē. Secundo eam non causare perse,& directè primam gratiā iustificantē in anima. Tertio præceptū Eucharistiæ seruandū esse si possibile sit, in eo autem casu quo impossibilis sit eius obseruantia, sufficere,& necessariū esse ad salutē votū, seu desideriū illud debitè recipiēdi. In modo autem loquendi ex eo dissident interse DD. nostri, quod quidam illorū defendunt hanc necessitatem Eucharistiæ in re, vel in voto inducere in hoc sacramento necessitatem medij, aliam vero alij Doctores secuti viam tantum huic sacramento tribuunt necessitatem præcepti. 7

D

His suppositis. Prima sententia recentiorū DD. sentit, hoc sacramentū esse necessariū necessitate medij, seu remedij, quemadmodum de baptismo communiter omnes Philosophantur, quia sine eo in re, vel in voto suscepto salutem in voto implicito nullus possit vita æterna perfrui. Probatur primo, *Ex D. Thom. 3. p. quæst. 73. art. 3. in corpore.* In quo eodem modo videtur. D. Tho. loqui de baptismo, & de Eucharistia quantū ad hoc, quod sicut baptismus est necessarius in re, vel in voto, ita & Eucharistia, 8

ristia, sed baptismus est necessarius necessitate medij, ergo eodem modo erit necessaria Eucharistia. Secūdo probatur ex sacra Scriptura, quæ quidē tribuit huic sacramento vim cōmunicandi vitam spiritualem, & ius quoddam viuēdi in æternū; vt aperte demonstrauit Christus in illis verbis, *Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnē Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitā in vobis, & in alijs ibidē, sicut misit me viuēs Pater, & ego viuo propter Patrē, & qui mādacat me, viuit propter me*; hi autem effectus sunt necessarij necessitate medij, ergo Eucharistia eos producens est necessaria necessitate medij. Tertio probatur ex Sāctis Patribus, qui eodē modo de sacrosancta Eucharistia loquuntur, vt *Greg. Nisenus oratione de Eucharistia, Ignatius in Epistola ad Ephesios, Cyrilus Alexan. li. 10. in Ioan. c. 13. Audite verba Cyrili; Nō poterat autē corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatē vitæ traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei cōiūgeretur.* Quarto probatur, quia hoc sacramentū excellentius est omnibus alijs, sed inter alia sacramēta quædam sunt necessaria necessitate medij, & præcepti vt baptismus, & pœnitentiæ sacramentū, ergo credendū est hoc sacramentū, quod omnibus alijs excellētius est, omnibus his modis esse necessariū. Quinto probatur, quia hoc sacramētū est institutū per modū corporalis cibi, sed cibus corporalis necessarius est necessitate medij ad vitā corporalē traducēdā, ergo etiā sacramētū Eucharistiæ est necessariū ad vitā spiritualem necessitate medij. Sexto, & vltimo cōfirmatur cōclusio, quia non minus est necessaria ad salutē perseuerantia in gratia, quā prima gratia, sed baptismus est necessarius necessitate medij, quia causat primā gratiā iustificantē in anima, ergo Eucharistia eodē modo est necessaria, quia operatur perseuerantiā in eadē gratia. Quod Eucharistia eam perseuerātiā operetur, docuit *Tridnt. sess. 13. c. 2. ibi, Tanquā Antidotū quo* (loquitur autē de Eucharistia) *liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur?*

9 Secūda aliorū sentētia defendit, Eucharistiā esse necessariā necessitate finis, nō quidē in re susceptā, sed in voto, quia Eucharistia est finis & cōsummatio vitæ spiritualis, finē vero aperta res est nō operari suū effectū in genere causæ finalis, prout in re existētē, sed prout in intellectu apprehēsum, vnde defendit hæc sententia aliqua vrgēte occasione, vel causa id postulāre, Eucharistiā optime posse in aliud tempus suscipiendā differri. Ita pronūtiatunt. *Caietanus 3. p. q. 73. a. 3. §. aduerte hic, Dominicus Sotus, 4. dist. 8. q. vnica articulo 3.*

10 Pro huius quæstionis elucidatione quædā nobis ante oculos proponēda sunt. Primū illud dici solū necessariū necessitate præcepti, in quo sola repetitur necessitas obseruādi præceptū, & nō alia, obseruatio autē præcepti cōducit ad salutem negatiue, quia illa necessaria est ne impediatur, & amittatur iustificatio, & salus nostra peccato aliquo cōmisso cōtra præceptū; res autē hoc modo necessaria nō potest dici mediū, seu remediū salutis absolute, licet aliquo modo possit appellari mediū ad eā, neque enim obseruationes ieiuniorū, seu dierū festorū possunt absolute dici media ad nostrā salutē, quia nō sunt necessariæ positiue ad consequēdā nostrā iustificationē, quæ initiū est salutis æternæ, quia tales obseruationes positiue nos non iustificāt, neq; formaliter ratione sui, neq; tanquā causæ efficientes operando in nobis gratiam iustificantem, quamuis ad impetrandum augmentū gratiæ maxime cōducāt, quia hoc ex bonis operibus sæpius repetitis resultat. Aliud vero est necessariū necessitate medij, & est illud quod positiue homines iustificat, & aufert ab illis peccata producēdo gratiā in anima, qua ratione sacramentū baptismi, & sacramentū pœnitentiæ, & cōtritio sunt media absolute, & positiue loquendo ad salutē necessaria, quia ratione illorū homo vere iustificatur apud Deū. Quæ doctrina ex cōmuni modo loquendi satis perspicua esse videtur, nulla enim res dicitur mediū absolute ad aliā, nisi eā operetur; quēadmodū medicina est mediū absolute ad obtinendā salutē corporis, quia eā vere producit. At vero abstinētia à cibis nociuis nō dicitur absolute, & positiue mediū ad salutē corporis adquirēdā neq; reuera est, quia cū ea sola salus corporis nō adquiritur, dicitur autē talis abstinētia necessaria negatiue, quia à cibis nociuis abstinere necessarium est, ne saluti corporis impedimenta apponamus.

Secundò notandū est, in qualibet iustificatione nostra includi votū, seu desideriū seruandi omnia præcepta nobis imposita, quia homo nequit apud Deū iustificari, quin ei saltē in rebus grauioribus parere proponat, quemadmodū neq; apud homines cōtingit, vnū fieri amicū alterius, qui eius amicitiā grauiter lædere velit. Hoc autē votū aliud est implicitū, & hoc reperitur in baptismo paruulorū, hi enim eo ipso quod baptismū recipiūt, virtualiter cōtēdūt, totā Dei legē implere. Similiter idē votū implicitū reperitur, dū aliquis ex voto corde suo, & ex tota anima sua Deū diligit sine eo, quod recordetur præceptorum eius. Aliud est votū expressum, & hoc reperitur in adultis, qui dū apud Deū iustificātur, firmū, & efficax cōcipiūt propositū obseruandi omnia Christiana præcepta, & quia Eucharistia saltē est imposita sub præcepto, ideo in contritione, baptismo, vel pœnitentiæ sacramento, medijs quibus iustificantur homines, includitur votum Eucharistiæ, siue explicitum, siue implicitum. 11

His ità prælibatis doctrinis sit prima cōclusio maxime communis, & maxime probabilis. 12

Sacramentū Eucharistiæ non est necessarium necessitate medij, sicut sacramentū baptismi, & pœnitentiæ sunt media necessaria ad salutē animæ consequendā, sed tantum est necessariū hoc sacramentum necessitate præcepti. Quem admodū sunt necessaria ea omnia, quæ constitura sunt sub præcepto, vt ieiuniū, &c. Hanc cõclusionē amplexi sunt *Durand. in 4. dist. 9. q. 2. a. n. 5. Gabriel, q. 2. a. 2. conclusione 2. & 3. Bonauent. in 4. dist. 12 p. 2. a. 2. q. 1. Petrus de Soto, lib. de institutione Sacerdotum lect. 8. de Euchar. circa mediū Vazquez to. 3. in 3. p. disp. 169. c. 1. & nouissime Conin. t. de sacramentis, q. 73. art. 3. dubio vnico,* Probatur hæc cõclusio hac vnica ratione, quā optime expēdit *Vazquez loco citato à n. 18. vsque ad n. 23.* Quia illud est necessarium ad salutē necessitate medij, sine quo salus æterna obtineri nõ potest, sed sic est, quod sine Eucharistia obtineri potest salus æterna, ergo illa nõ est necessaria tanquā mediū ad salutē. Quod autē sine Eucharistia salus æterna obtineri possit, probatur, quia ad salutē tantū requiruntur duo, scilicet, prima iustificatio, qua homo, qui prius fuerat inimicus Dei, constituitur eius amicus, & hæres vitæ æternæ, & etiā requiritur perseuerantia in iustificatione vsq; ad finē vitæ, sed ad hæc non est necessaria Eucharistia in re, vel in voto, sicut ad primā gratiā est necessariū sacramentū baptismi, & pœnitētiæ, ergo nõ est necessariū necessitate medij, sicut baptismus, & pœnitētia sunt hoc modo necessaria. Quod autē Eucharistia nõ sit necessaria in re, vel in voto ad primā iustificationē sicut baptismus, & pœnitentia, inde patet, quia hæc sacramēta baptismi, & pœnitētiæ dicūtur esse necessaria, & sunt re vera ad primā iustificationem in re, vel in voto. Quia prima gratia obtineri nõ potest sine illis in re suscep tis, vel sine cõtritione, quæ virtualiter includit votū, seu desideriū recipiendi ea sacramenta. Imo taliter in re, vel in voto hæc duo sacramenta suscipiuntur, & talē habent cum contritione fraternitatē, vt sacramenta hæc in re suscepta suppleant vicē contritionis, quando ea deest, & primā gratiam in anima causent, & contritio suppleat vices illorū, quia, cum non suscipitur aliquod sacramentū illorū, eo quod vel nõ instat obligatio illius; vt in sacramento pœnitētiæ cõtingere solet, aut nõ datur copia recipiēdi illud, vt in baptismo euenire potest, tūc contritio operetur in anima primā iustificationē. Quæ mutua vicissitudo inter baptismū & pœnitentiā ex vna parte, & contritionē ex alia cõstituit in his sacramētis necessitatem medij ad salutē, quia aut ipsa iustificāt medio voto in cõtritione incluso, aut dū realiter in se ipsis suscipiūtur. Hac autē ratione nõ cõparatur inter se Eucharistia, cõtritio, & baptismus seu pœnitētia includēs votū Eucharistiæ, nam licet votū Eucharistiæ in his rebus contentum causet primā gratiā iustificātē, attamē Eucharistia nõ supplet vicē harū rerū, quia per se nõ est instituta in homine cõscio peccati ad causandā primā gratiā, quod necessariū est ad rationē medij salutis: tū etiā Eucharistia non est de necessitate medij, seu salutis in re, vel in voto suscepta ratione perseuerātiæ in gratia, quia licet recipiētibus eā sit causa auxiliorū ad perseuerādū conuenientiū, ijs tamē, qui perseuerāt, & nõ sumunt Eucharistiam, Eucharistia in re, vel in voto nõ causat perseuerantiā, sed sola Dei volūtas specialibus auxilijs iustū præueniēs, ergo Eucharistia nõ est mediū necessariū ad salutē ratione perseuerantiæ in gratia. Sed quod ei, qui nõ recipit Eucharistiā, ea non sit vllo modo suscepta causa perseuerātiæ, probatur modo. Quia vel ille, qui in gratia perseuerat non recipiēs Eucharistiā, est paruulus infans, vel adultus: si paruulus solū saluatur ratione baptismi, & ratione peculiaris fauoris, quo Deus vult eū rapere ante, quā malitia mutaret intellectū eius: tunc autē Eucharistia in re nihil horū operatur, quia non recipitur, in voto autē idest in baptismo licet operetur primā gratiā, nõ tamē operatur hoc, quod paruulus moriatur præmatura morte. Neque enim ex eo, quod institutū fuit sacramentū Eucharistiæ, cuius votum continet baptismus, ideo Deus præripuit infantē recens baptizatū, sed quia alia de causa ipse voluit eū præripere. Quod si ille, qui sine Eucharistia vitā æternam cõsequitur, est adultus, & eā cõsequitur, quia antequā Eucharistiā reciperet, è vita discessit, iste etiā non perseuerauit in gratia ratione Eucharistiæ. In primis enim non perseuerauit in gratia ratione Eucharistiæ realiter susceptæ, quia eā nullatenus suscepit, neq; etiā perseuerauit in gratia ratione Eucharistiæ in voto receptæ, quia votum Eucharistiæ in illo adulto, aut præcessit in cõtritione, quādo sacramenta suscipi non potuerūt, aut præcessit in baptismo, vel pœnitētia, quādo aliquod sacramentū eorū receperat adultus. Sed neque his modis verū est dicere, adultū illū perseuerasse in gratia ratione voti Eucharistiæ; quis enim audebit dicere, illum adultū perseuerasse in gratia, idest omnes tētationes vicisse, vel raptum esse ante oblatas occasiones peccandi, quia institutū est sacramentū Eucharistiæ, cuius votū præclare includitur baptismo, vel sacramēto pœnitētiæ? Diuinū enim consiliū non id prædefiniuit per ordinē ad sacramentū Eucharistiæ, sed diuersis alijs de causis captū hominū excedētibus, Eucharistiæ ergo sacramentū non est necessariū ad primā iustificationē, vel ad perseuerantiam in ea iustificatione in re, vel in voto, quare neque est necessarium necessitate medij, quod contendimus.

Sit secunda cõclusio, Supposita huius tāti sa- 13
cramenti institutione, quę admirabiles in animis

mis hominũ effectus producendos ordinatur, etiãsi tale sacramẽtũ nõ cõstituisset Dominus sub præcepto aliquo, eius tamẽ vsus esset hominibus moraliter necessarius, vt lõgo tẽpore omnia peccata mortalia vitare possent. Probatur primo, *Quia vt docuit Trid. sess. 6. canone* 22. homines sine specialibus Dei auxilijs nõ possunt diu in statu gratiæ perseuerare, sed ratione huius sacramẽti specialia auxilia cõceduntur ad vitãda peccata mortalia, vt notauit *Concil. Trid. sess.* 13. c. 2. Ergo hoc sacramẽtũ Eucharistiæ est maxime necessariũ de se & natura sua ad salutẽ. Secũdo probatur quia vt constat ex Ioãnis 6. hoc sacramẽtũ est verus cibus animæ, sed sine cibo corporali, nequit homo diu viuere, ergo etiam sine isto cibo spirituali non potest homo diu in gratia perseuerare.

14 Tertia cõclusio. Absolute nõ est simpliciter necessariũ ad perseuerãdũ in gratia sacramẽtũ Eucharistiæ natura sua cõsideratũ. Ita docuit. *D. Th.* 3. p. q. 73. a. 3. *in corpore & ad secũdũ.* Probatur primo, quia aliâs illi, quibus impossibilis est receptio huius sacramẽti, quia apud infideles captiui detinẽtur, non possent in Gratia perseuerare, quod nõ est affirmãdũ. Secundo probatur, quia ille, qui labitur in peccata sæpius, potest sæpius ab illis liberari per sacramẽtũ pœnitẽtiæ & tãdẽ in statu Gratiæ mori, nõ cõcesso ei loco, ad recipiẽdã Eucharistiã, ergo necessitas quam adstruximus in secunda conclusione, non est absolute, & simpliciter necessitas.

Ex his respondetur argumẽtis in oppositũ.

15 Ad primũ primæ sentẽtiæ respõdetur in primis. *D. Th. perspicue vestræ sententiæ fauere* 3. *p. q.* 65. a. 4. vbi dũ disserit de necessitate omniũ sacramẽtorũ ad salutẽ, nostro sacramẽto solũ tribuere videtur necessitatẽ secundũ quid, secũdo responderi potest quãuis duriuscule quidẽ *D. Th.* 3. *p. q.* 73. a. 3. Esse ita intelligendũ, non quod tale sacramẽtũ in re, vel in voto susceptũ sit ad salutẽ necessariũ ratione sui, sed ita vt res huius sacramenti, scilicet, vnitas corporis mystici cũ suo capite, quam optime significat hoc sacramẽtũ, penes hoc quod ex multis granis species panis, & vini cõficiũtur, est mediũ necessariũ ad salutẽ, vt confertur per baptismũ in prima hominis iustificatione, non vero vt confertur per Eucharistiã in augmẽto gratiæ. Ad loca Sacræ Scripturæ respondetur, in illis sine dubio tribui huic sacramẽto vitã spiritualẽ, & æternã, nõ quia cõferat primã gratiã, sed quia cõferat augmẽtum gratiæ, imo in his locis aperte denotari hoc sacramentũ esse necessariũ necessitate præcepti, non vero necessitate medij, Præterea respondetur, *Diuũ Cyrillũ & alios Sãctos Patres*, Dũ sacramenti huius necessitatẽ indicant, aperte esse interpretãdos de necessitate præcepti, necessariũ enim est sub præcepto hoc sacramẽtũ recipere, cũ possibile est, si immortalitatis dono frui velimus,

A mus, hæc autẽ immortalitas sacramento Eucharistiæ vt maximus effectus adscribendus videtur, dũ in re suscipitur, quia dum caro Christi ineffabili modo tangit carnẽ nostrã, ex carne Christi, & carne nostra diuino, & mirabili nexu resultat vna caro, & ita resurgente carne Christi, carnẽ quoq; nostrã resurgere necesse est. Sed quia hæc immortalitas, dũ sacramẽtũ ipsum suscipi nõ potest, alia via consequi potest, scilicet, penes hoc quod Deus alijs modis homines ex hac vita euocet in gratia constitutos, cui statui debetur gratia, hinc fit sacramentũ Eucharistiæ neq; isto modo esse simpliciter necessariũ. Ad argumentũ respõdetur, nõ recte sequi ex eo quod sacramentũ sit excellentius alijs omnibus, etiã esse plus necessarium

B alijs, ex diuersis quipe lõge principijs prouenit excellẽtia, & necessitas. Excellẽtia namq; huic sacramẽto cõuenit, ex eo quod contineat in se Christũ, necessitas vero medij inde deriuatur in sacramentis, quia vel operãtur primã nostrã iustificationẽ, vel perseuerantiã in gratia, & quia neutrũ eorũ probauimus in prima conclusione sacramento Eucharistiæ adaptari posse, ideo ex nullo capite ei cõuenire defendimus necessitatẽ medij. Quãuis autẽ *Deus* sicut huic sacramẽto cõcessit mirificã excellentiã, potuerit omnimodã necessitatẽ cõcedere, hoc tamẽ nõ fuit necessariũ. Ad quintũ argumentũ respõdetur, negando pari ratione esse necessariã Eucharistiã ad vitã spiritualẽ, atque cibũ ad vitã corporalẽ, in vita enim spirituali

C vtpote maioris momenti plura noster Deus pro sua singulari misericordia prouidit remedia, at vero in vitæ corporalis subsidiũ solũ cibũ corporalẽ reliquit. Ad vltimũ argumẽtũ supra propositũ respõdetur, perseuerantiam in gratia aliquãdo alijs modijs obtineri sine receptione Eucharistiæ, ac propterea Eucharistiã non esse necessariam necessitate medij, vel remedij ad nostram salutem consequendam.

Cõtra præfixã in præcedẽtibus doctrinã aliqua rursus se offerũt argumẽta. Primũ sit quia 16 votũ Eucharistiæ est mediũ necessariũ ad salutẽ, quia includitur in cõtritione, baptismo, & sacramẽto pœnitẽtiæ, quæ ita sunt ad salutẽ necessaria, vt vnũ, vel alterũ necessarium sit. Sed respõdetur votũ Eucharistiæ esse necessarium

D necessitate medij quatenus includitur in contritione, & in prædictis sacramẽtis, qua ratione omnia alia vota etiã præceptorũ Ecclesiæ sunt media ad salutẽ, propterea tamen nequaquã dici posse, Eucharistiã esse mediũ ad salutẽ, quia ad hoc esset necessariũ vt nõ solũ in voto suscepta, sed etiã in re, aut produceret primam gratiam, aut perseuerantiam in gratia, quod supra probauimus ei nullatenus conuenire. Quod autem in voto concepta Eucharistia prout cõsideratur vt inclusa virtualiter in cõtritione, vel baptismo & pœnitẽtia sit necessaria necessitate medij, patet, quia eo modo nõ

 habet

habet aliud esse nisi contritionis, vel baptismi, & pœnitentiæ, sed hæc sunt media ad salutem necessaria, vt constat, ergo etiam Eucharistia eo modo considerata est medium ad salutē necessariū. Quā doctrinā à fortiori defendit, *Nuño in 3.p.D. Tho.q.73.a.3.difficultate 2.conclusione 2.* Dū asserit votū Eucharistiæ esse necessariū necessitate medij, quatenus includitur in reali susceptione baptismi, & pœnitētiæ nō solum ex generali ratione, quatenus includitur etiā in his sacramētis propositū seruandi omnia præcepta, sed speciali quadā ratione, quia hæc sacramēta sunt principiū vitæ spiritualis, atq; adeo intrinsece ordināt ad Eucharistiā, tanquā ad propriū finem, nos autem in doctrina conuenimus cum isto Doctore, non vero in ratione; neq; in hoc discrimine constituto ab eo inter propositū seruandi alia præcepta, & recipiendi Eucharistiā. Nā licet fateamur libentissime Eucharistiā esse finē eorum sacramentorum propter suam eximiā excellentiā, quia continet Christum, qui est principiū, & finis omniū sacramentorū, quod non reperitur in obseruantia aliorum præceptorū, attamen cū ad necessitatē medij nihil conducat ea excellētia, sed hæc tota proueniat, ex eo quod eminenter includatur in contritione, & baptismo, ac pœnitentia aliquid, & quod consideretur prout in his inclusum, qua ratione omniū aliorū præceptorum votum est necessariū ad salutem, hinc consequitur efficaciter nullū assignandum esse discrimen inter votum Eucharistiæ, & vota aliorum præceptorum.

17. Recētiores quidā existimantes Eucharistiā esse necessariā necessitate medij ratione perseuerantiæ in gratia, quia hæc non datur diu viuentibus, nisi hoc sacramentum recipiant. Secundum contra nostram resolutionē obijciunt argumentum, *Ex Concil. Florentino asserente, Eucharistiā conferre animæ omnes effectus, quos cibus corporalis confert corpori*, sed cibus corporalis est necessarius necessitate medij, ergo eodē modo est necessaria Eucharistia. Ad hoc argumentum respondetur Concilium non dixisse vnum cibum esse æque necessarium ac alium, sed effectus vnius cibi alteri cibo conuenire. Vnde quāuis cibus corporalis sit mediū necessarium ad vitam corporalem, non tamen propterea, vt supra vidimus, cibus spiritualis est medium necessarium ad vitam spiritualem adipiscendam.

18 Tertium argumentum fit desumptum *Ex Tridentino sessione 21.c.4. vbi dicitur, paruulis ante vsum rationis non esse necessariam Eucharistiā, quia non possunt peccare*, Ergo sequitur adultis esse necessariam, quia hi possunt peccare. Sed facile respondetur, Concilium ibi locutum fuisse de necessitate præcepti, non vero de necessitate medij.

QVÆSTIO V.

Quæ sit materia consecrationis panis in hoc sacramento?

DVm de hac re disputauit expresse *D. Tho. 3.p.q.74.a.1.* Inuenit aliquos Hæreticos in materia consecrationis panis turpiter lapsos, *Vazquez vero antiquitatis indagator acerrimus 3.tomo in 3.p.q.74.art.4. disp.170.* Contendit probare nullā hactenus Hæresim extitisse circa materiam consecrationis corporis Christi, præter Hæresim Græcorum asserentium, panem azymū nō esse sufficientem materiam ad valorem consecrationis, nobis tamē sufficit credere potius D.Thomę, quā Vazquez. Asserit ergo *D. Tho. loco citato quosdā qui dicūtur Artotiritæ, vt August. dicit lib. de Hæresibus*, Offerre panē, & caseū in hoc sacramento, ex eo quod à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouiū fuerunt celebratæ alios vero ait *D. Tho.* scilicet, Cataphrygas, & Pepucianos ex Infantis sanguine, quē de toto eius corpore minutis punctionū vulneribus extorquēt, quasi Eucharistiam suā conficere perhiberi, miscentes eum farina, & panem inde facientes. 1

Sit prima cōclusio certa secundū fidē, materia consecrationis corporis Christi est panis. 2
Hæc conclusio inoffenso decurrit pede apud omnes etiā Hæreticos, qui cōsecrationē vtriusque speciei in hoc sacramēto admittūt. Patet primo ex facto Christi, qui quidē panē in corpus suū cōsecrauit, vt demōstratur aperte his, qui fidē adhibēt Euāgelicæ historiæ, *Ex Mat. 26.c.ibi, cœnātibus illis accepit Iesus panē, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite hoc est corpus meū.* Secūdo probatur ex definitione, *Eugen. IIII. in decreto fidei, quod est in Con. Florēt. post sessionē vltimā §. tertiū est*, & ex definitione, *Innocent. III. edita in Concil. Later. & relata in c. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica.* In quibus locis hæc veritas à Spiritu Sācto stabilita est. Tertiò probatur ex traditione Ecclesiæ, quæ in Sāctis Patribus expressa est, huius autē cōclusionis præcipua ratio est Christi voluntas, qua ita voluit instituere materiā huius sacramēti, cū tamē eā posset in alia re cōstituere pro suo libito, cōueniēs autē valde fuit, corpus Christi nobis exhiberi sub specie visibili, vt esset sacramentū nostris sensibus accōmodatū, qui tātum de rebus corporalibus, & sensibilibus iudicare possunt. Secūdo cōueniēs fuit hoc sacramentum exhiberi sub specie aliena, & non propria Christi, tum vt hac ratione fides habeat meritum, vbi humana ratio non habet experimentum, tum quia si Christus in propria specie ēdēdus proponeretur, & horrorem in nobis excitaret, & tantam decentiam, quantam modo experimur

non

non id factum perse ferret. Tertio istæ species panis, & vini maxime adaptantur huic sacramento, quia sunt aptæ ad cōmunē vsum, & ad reuerentiā exhibendā, quia decenter possunt pertractari, & apprime repræsentant conuiuiū illud spirituale, quod Christus animis exhibet in hoc sacramento, iuxta illud, quod canit Ecclesia, ò sacrum conuiuiū, in quo Christus sumitur, &c. Tandem & vltimo, quia bene istę materiæ significant huius sacramenti mirabiles effectus, nempe vnitionē Ecclesiæ inter se, & cum capite ex eo, quod, vt notauit. *D. Cyprianus Epist. 63. quemadmodū ex multis granis vuarum fit vnicum vinum, & ex multis granis tritici fit vnus panis, ita etiam medio hoc sacramento plures fideles vnum corpus mysticum efficiunt*, & præterea panis, quia confortat hominem iuxta illud Dauidicū, *Et panis cor hominis cōfirmet, & vinum lætificat cor, iuxta illud eiusdem, & vinum lætificet cor hominis*, optime repræsentant eam mirabilem animarum recreationem quā *D. Tho. tribuit huic sacramento dicens, dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum, dicens, accipite, quod trado vasculū, &c.*

3 *Gabriel lectione 35. in Canonem Missæ*, Indicauit, panem confectum ex quolibet frumento satis probabiliter dici posse esse sufficientem materiam ad huius sacramenti consecrationē efficiēdam, siue sit spelta, siue typha, siue hordeum, siue auena, frumentū vero dicitur quodlibet granum habens aristas secundum *D. Isidorum lib. 17. Etymologiarū cap. 3.* Probatur primo, quia ex Sacra Scriptura, & Patribus tantū colligitur Christum in pane consecrasse, at panis ex qualibet specie frumenti cōfici potest. Tū etiam quia licet Christus in vna specie tātum panis consecrauerit, alias tamen species panis, in quibus non consecrauit, non exclusit. Vt v.g. ex eo quod in vna tātum specie vini albi, vel nigri consecrauerit, alias species vini non reddidit inhabiles ad cōsecrationis materiam. Secūdo probatur ex *Augustino in illud Ioannis 12. nisi granum frumenti cadens terrā mortuum fuerit, vbi ait Christū se cōparasse grano frumenti solius, vnde mos cepit Ecclesiæ de illo solo grano conficere corpus Domini*, ergo quodlibet granū contentū sub nomine frumenti est materia sufficiēs ad Eucharistiæ sacramētū conficiēdū. Tertio probatur, *Ex Concil. Aurelia. 4. c. 4. Carthaginēsi 3. c. 24. & ex Innocen. III. in Concil. Lateran. relato c. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica*, inter quæ testimonia si consulas Innocentiū, inuenies, materiā huius sacramēti esse panē. quod si ad aliā te cōuertas testimonia, reperies materiā esse confectam ex frumento, ergo quodlibet genus frumenti est materia huius sacramenti.

4 *Albertus vero Magnus in 4. dist. 11. a. 7. & Palud. & Domin. Sot. 4. dist. 9. q. 1. a. 2.* docuerunt nō tātū panē cōfectū ex tritico, sed etiā ex spelta, & farre esse aptā materiā huic cōsecrationi. Fūdamētū huius sententiæ illud videtur potissimū fuisse, quia vel hæc omnia eiusdem cēsentur esse speciei, vel saltem si non sint eiusdem speciei infimæ, sunt de genere tritici, panis autem ex tritico confectus sine dubio est sufficiens materia in consecratione.

Sit secūda cōclusio, Materia cōsecrationis panis est solus panis ex tritico cōfectus. Probatur primo, *Ex Eugen. IIII. in decreto fidei quod est in Cōcil. Florent. post vltimā sessionē, §. tertiū est Eucharistiæ*, Vbi definit plane materiā consecrationis Eucharistiæ esse panem triticeum, ergo alius panis qui conficiatur ex alio genere frumēti non est vera materia huius sacramenti, neque valet quidquā asserere exinde tantum colligi panem triticeum esse de præcepto in hoc sacramēto, nō vero esse de necessitate sacramēti. Contra hoc enim aperte pugnat, quia eo loci eodē modo dixit Pōtifex materiā cōsecrationis esse panē triticeū, ac dixit esse vinū de vite, quia Pōtifex eodē loquitur tenore verborū, sed vinum de vite assignatū fuit vt materia necessaria, vt cōstat ad valorem huius sacramēti, ergo dū panis triticeus etiam fuit assignatus pro materia sine dubio assignatus fuit vt materia ad valorem sacramenti necessaria. Et cōfirmatur, quia si ita liceret infringere fortissima testimonia Pōtificis, nihil nobis cōstās esset in materijs aliorū sacramētorū, cū sub eodē tenore verborū alijs sacramentis materias assignet, quod si dū de alijs materijs loquitur Pōtifex, credimus eū assignasse materiā necessariā, cur nō idē fatebimur in huius sacramēti materia. Secūdo probatur, quia Cōcilia & Patres, quæ tēpore præcesserūt Concilium Florentinū, & quæ illud subsecuta sunt, dū solū frumentū tanquā materiam assignant Eucharistiæ, per frumētū triticū solū intelligūt, ita, vt loquantur secundū magis cōmunem, & etiā antiquissimū sensum Ecclesiæ. Hac enim ratione frumentū sumitur, *Genes. 44. & Ioannis 12. teste Clemente Alexandrino, lib. 6. stromatum*, & quidem licet sint variæ species tritici, vt docuit *Vazquez tomo 3. in 3. partem loco citato*, quia habent diuersa accidentia, & inde videtur habere diuersas naturas specie, tamen ex omni grano quod simpliciter dicatur triticū, & ex quo panis confectus simpliciter panis dicatur, resultat vera materia cōsecrationis. Tertio probatur conclusio ex traditione vnanimi totius Ecclesię. Sicut enim quod simpliciter dicitur vinū est materia huius sacramēti, & quod plus versatur in cōmunibus hominū potationibus, ita etiā est apta materia cōsecrationis panis cōfectus ex eo grano, quod simpliciter dicitur triticum, & qui magis est in vsu hominum. Alij enim panes in defectum huius sunt inuenti. Hāc conclusionem docent *Doctores Theologi Authores Catechismi Romani, &*

Vazquez loco citato, Suarez 3. tomo in 3. p. q. 74. A
art. 4. disput. 44. sectione 1. Sylvester verbo Eucha
ristia prima, Enriquez lib. 8. de Eucharistia, cap. 9.
D. Thom. 3. p. q. 74. art. 3. in corpore, Verba D.
Tho. sunt hæc. *Et ideo propria materia sacramen*
ti huius est panis triticeus, vnde in granis ipsis non
potest fieri consecratio, quia non sunt panis.

6 Hinc sequitur primo, ex siligine sumpta
pro quodam tritico selecto, qua ratione sumi-
tur *à D. Isidoro lib. 7. Etymologiarum cap. 7. &*
à Plinio lib. 18. cap. 8. Veram consecrationis
materiam constitui, at vero ex siligine sumpta
pro typha Hispane centeno non resultat vera
materia consecrationis, quia neque est triti-
cum, neque panis ex eo confectus est panis
vsualis communiter, neque apud omnes natio
nes panis simpliciter dicitur, sed si apud ali- B
quos panis dicitur hoc est in defectum panis
triticei, & non absolute, & simpliciter. Apud
eos enim cum aliquando habetur panis triti-
ceus, iste dicitur panis simpliciter, & sine ali-
quo addito, alius vero dicitur panis cum addi-
to, scilicet, ex centeno. Bene video. *D. Thom. 3.*
p. q. 74. art. 3. Per siliginem typham intellige-
re, & ex ea sentire effici materiam consecra-
tionis, ea ductus ratione, quia in terris parum
feracibus ex tritico nascitur typha, tum etiam
quia est eiusdem speciei cum tritico, propter
cuius tanti Doctoris authoritatem probabile
iudico esse typham sufficiẽtem materiam cõ-
secrationis.

7 Sequitur secundo, ex quadam spelta non
posse confici panem consecrationi proportio C
natum, quæ quidem est quædam species hor-
dei. De ea enim refert *Albertus Magnus 4. di-*
stinct. 11. art. 7. & Petrus de Ledesma in Sum. ver
bo Eucharistia in principio, quendam Pontificẽ
determinasse non esse materiam consecratio-
nis, alia vero est spelta, de qua *Enriquez in Sum*
ma tomo 2. lib. 8. de Eucharistia cap. 9. Refert ali-
quos Doctores asserentes esse speciem tritici,
imo refert quendam Doctorem Parisiensem
asserentem Papam approbasse consuetudinẽ
Lugdunẽsis Ecclesiæ, quæ in spelta cõficit Eu-
charistiã, quod si reuera sit species tritici etiã
si specie differat à nostro tritico sine dubio est
vera materia Eucharistiæ.

8 Sequitur tertio, far esse verã materiã, si su-
matur pro tritico Asturũ quod dicitur scãdia, D
est enim verũ triticũ sicut & nostrũ, si vero su
matur pro quolibet granorũ genere, vel pro
quodã grano durissimo, vt accipitur *à Plinio*
lib. 18. c. 6. nõ est materia, quia nõ est triticũ,
neq; ex eo fit panis, qui apud omnes ita simpli
citer appelletur, neq; etiã si sumatur vt aliqui
cẽseut pro semine quodã quod Hispane vocãt
garrobas apud Salmantinos in alimẽtũ boũ, &
colũbarũ vsitatissimo, quia nullo modo triti-
cũ est, neq; ex eo fit panis, *à D. Tho. far accipi-*
tur 4. d. 11. q. 2. quæstiuncula 1. ad 3. & 3. p. q. 74.
a. 3. pro quodam semine granoque durissimo.

Sequitur quarto, ex leguminibus, castaneis,
herbis, & alijs rebus, quæ vere nõ sunt triticũ
nõ resultare verã materiã cõsecrationis, quia
Eugenius IIII. loco citato, panẽ solum triticeũ
assignat pro materia Eucharistiæ, ex prædi-
ctis autem rebus non fit panis triticeus.

Quinto colligitur secundũ *Suarez 3. t. in 3.* 9
p. q. 74. a. 4. disp. 44. sect. 1. Miliũ, panicũ, oriza
Hispane Arroz, mayciũ Hispane maiz, & alia
grana, quæ certissime nõ sunt triticũ, non esse
apta ad materiam consecrationis. Primo, quia
hæc grana iuxta cõmunẽ vsum hominũ, & ap-
pellationẽ non sunt triticũ. Secũdo, quia neq;
eo omnes vtuntur homines tanquã pane vsua-
li, quãuis maicio satis cõmuniter Indi vtãtur.

Ad argumenta Gabrielis respondetur. Ad B
primum dicimus *Eugeniũ IIII. satis aperte loco*
citato, scilicet, in hoc decreto, §. Tertiũ est Euchari
stia, Definisse panem triticeũ esse materiã cõ-
secrationis panis, imo ex eo quod Christus in
solo vero tritico cõsecrauerit, colligitur suffi-
ciẽter, non esse aptã materiã ad consecrationẽ
aliud quodcũque semen, quod triticũ non sit,
sicut ex eo quod Christus in vino consecraue
rit, satis colligitur id quod vinũ non est, non
esse aptã materiam consecrationis. Ad secun-
dum argumentũ desumptũ ex testimonio Au
gustini, quod continetur in Glossa Ordinaria,
respondetur, ibi per frumentum triticum in-
telligi, quemadmodum apud nos triticum etiã
eo modo appellatur. Ad tertium argumentũ
respondetur Cõcilia per frumentũ triticũ in- C
telligere, & Innocentium per panem signifi-
casse panẽ triticeum. Cogimur autem eo mo-
do Concilia, & Patres interpretari propterea
quod in nostra secunda cõclusione demõstra-
uimus tantum panem triticeum esse materiã
huius sacramenti.

Sed quæres primo, an ex Amydo possit fie- 10
ri panis qui sit materia consecrationis? Ad hoc
respõdetur, (quidquid alij negent,) cum com-
muni sententia *D. Tho. 3. p. q. 74. a. 3. ad 4.* non
esse verã materiã consecrationis panẽ ex amy
do confectũ, nisi prius in veram farinã conuer
tatur, quia panis ex amydo confectus non est
panis verus, & vsualis panis, cũ materia corru
pta sit, & quæ speciẽ farinæ longe mutarit, pa-
nis autẽ nisi ex vera farina cõfici non potest. D

Quæres secundo, an in massa triticea possit 11
fieri consecratio immediate sine eo quod co-
quatur? *Maior 4. dist. 11. q. 2.* sentit massam istã
esse sufficientẽ materiam, & esse eiusdem spe-
ciei cum pane, sed respondetur cum commu-
ni sententia *D. Tho. loco citato, art. 6.* non esse
materiã sufficientẽ ad cõsecrationẽ, quia neq;
panis est, neq; ita appellatur, imo cũ *D. Tho.*
ibidem, probabile iudico massam esse diuersæ
speciei à pane, ꝓpter diuersos effect⁹, & diuer
sa accidẽtia, quæ in ea reperiũtur ac in pane.

Quæ-

14 Quæres tertiò, an panis confectus ex aqua rosacea sit materia apta ad consecrationem? Respondetur minime quidem, quia illud mixtum potius dicitur placenta, quam panis, & quia ille panis non est vsualis, quod si in parua quantitate aqua rosacea misceatur farinæ, & magna pars sit aquæ naturalis, panis inde resultans erit vera materia consecrationis, quia illa aqua à vera aqua naturali, & farina absumitur, quamuis & eo modo peccatum committeretur contra simplicitatem, & puritatem materiæ debitam: sicut etiã delinqueret ille, qui in Ecclesia Latina salem admisceret pani conficiendo. Si vero æqualis quantitas aquę rosaceæ, vel maior aquæ naturali admisceatur ad panem conficiendum (quod ex sapore dijudicandum est, si enim aliquem saporem retinet rosarum signum est magnam quantitatem aquæ rosaceæ fuisse admixtam) non est verus panis simpliciter, sed cum addito, scilicet panis confectus ex aqua rosacea. Ita docuerunt *D.Thom.3.par. quæst.74.art.7.ad tertium; Sotus 4.dist.9.quæst.1. art. 3. ad tertium.* Quemadmodum vt optime perpendit *Suarez loco citato, sect.* 2. dum panis non est solo igni assus, vel coctus, sed oleo, vel butyro frixus non est materia sufficiens ad cõsecrationem. Tùm quia non est panis vsualis, tùm quia non dicitur simpliciter panis, sed placenta, laganum, vel quid simile.

15 Quæres quarto, an panis coctus igni, & digitis compressus, & madefactus (nam si aqua madefiat, & conuertatur in massam patet ex dictis quid sit dicẽdum) possit esse vera materia consecrationis? Respondemus *cum Soto, & Vazquez locis citatis*, in principio huius quæstionis eum esse verum panem simpliciter, atque ita veram constituere materiam consecrationis, quemadmodum species Sacramentales vi saliuæ inter dentes madefactæ retinent verã consecrationem, quod signum indicat etiam panem inter dentes aut manus compressum veram panis naturam retinere, quià vt postea videbimus, tandiu manet corpus Christi sub speciebus, quandiu maneret substantia panis sub illis.

16 Quintò quæres, an panis confectus ex tritico, & alio genere frumenti ei admixti sit sufficiens materia consecrationis. Huic difficultati optime respondet *D.Thom. 3. part. quæst. 74. art. 3. ad tertium, his verbis: Ad tertium dicendum quod modica permixtio nõ soluit speciem, quia id quod est modicum quodammodo absumitur à plurimo.* Et ideô si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui sit materia huius Sacramenti. Si vero sit magna permixtio putà ex ęquo vel quasi, talis permixtio speciẽ mutat, vnde panis ex inde confectus non erit debita materia huius Sacramenti. Probatur etiam prior pars resolutionis D.Thom. quia cũ triticum non est bene purgatum, sed habet aliquid terræ, vel palearum panis inde confectus verus est, ergo parua etiam mixtio alterius cuiuslibet frumenti non nocet, aliâs ex tritico quod in terra Compluti generatur vix posset fieri panis consecrabilis, quia communiter cẽteno admixtum est.

Sextò quæres, an panis corruptus sit sufficiens materia consecrationis? Respondetur ex dictis consequenter ad proxime allegatam doctrinam D.Thom. cum nimia est corruptio nõ esse materiam sufficiẽtem, sicut neque acetum est materia apta ad consecrationem Calicis, quia tunc mutantur sine dubio species panis, & species vini in alias species. Cum autem parua est corruptio, & non mutatur species, tunc panis ille sufficienter materiam constituit ad consecrationem conficiendam. In ea autem cõsecratione peccatum committitur propter irreuerentiam, quæ eo modo exhibetur Sacramento, corruptio autem in eo casu ex mutatione accidentium vt coloris, saporis, & c. sufficiẽter colligitur. In dubio autem, an sit corruptio magna vel non, & an mixtio magna fuerit vel non, & an mutata sit species panis, vel vini non est consecrandum etiam in casu necessitatis, quia materia est dubia, & ita exponitur quis periculo efficiendi nullum Sacramentum. 17

Ex dictis restat, eum panem esse veram materiam consecrationis, qui conficiatur ex tritico mola, vel alio modo contrito, & in farinam conuerso, admixta aqua naturali, & facta massa, quæ quidem calore ignis decoquatur, & fiat panis. 18

QVAESTIO VI.

Vtrùm materia consecrationis panis (& eadem est ratio de consecratione calicis) debeat esse determinata; & in qua quantitate?

SIT prima conclusio, Materia consecrationis panis debet esse definita, & determinata. Ita docuit *Gabriel Vazquez, super quæst.74.D.Thom.art.3.disp.171.cap.* 1. Citans in huius rei confirmationem alios Doctores. Probatur, quia intentio ministri correspõdere debet verbis consecrationis, & verba debent respicere intentiduem, sed verba significant aliquid certum, & determinatum ex parte materiæ, circa quam proferuntur, quia sunt demonstratiua, vtpote prolata his verbis: Hoc est corpus meum, ergo & intentio Sacerdotis consecrantis necessariò respicere debet materiam definitam, & determinatam. 1

Ex hac conclusione infertur primo, in eo casu, quo Sacerdos haberet præ oculis vndecim 2

hostias, & existimaret eas esse tantùm decẽ, haberet tamen intentionẽ consecrãdi omnes eas, quas corã se habet, omnes illas vndecim manere cõsecratas, quia ille error priuatus nõ nocet illi intẽtioni absolutę, qua vult omnes hostias coram se positas consecrare, vt rectè adoertit *Durandus 4 dist. 11. quæst. 7.* omnes autem conficiunt materiam determinatam.

3 Secundò colligitur cum *Syluestro verbo. Eucharistia, 2. quæst. 6. allegante pro hac parte D. Th.* & communem Theologorum sententiam, & *cum Nauarro in Enchiridio. cap. 25. num. 91.* referente in huius rei confirmationem *Scotum, Panormitanum, & communem Canonistarum sententiam.* Eum qui multas hostias consecrandas accepit ab initio missæ, & postea in actuali cõsecratione tantùm recordatur eius, quam habet in manibus, non excludendo alias, omnes quidem consecrare, quia licet reuera non habeat actualem intentionem consecrandi omnes, habet tamen virtualem prouenientem ab actuali, quam à principio habuit omnes consecrandi, dum modo omnes sint moraliter præsentes.

4 Tertiò colligitur, gutas vini positas intra calicem separatas tamen à toto vino non consecrari ob defectum intentionis, intentio enim Sacerdotis tantùm videtur se extendere ad cõsecrandum id, quod per modum vnius continui potabilis existit intra calicem, & ad tollendam omnem suspicionem tolluntur illæ gutæ linteo. Neque dum sumitur vinum consecratum, aliqua ratio habetur illarum gutarum, etiamsi aliquæ permaneant hærentes calici, licet *Conine. tomo de Sacramentis, quæst 74. art. 2. dubio 3. in fine* Doceat gutas proximas vino in fundo calicis posito simul cum eo vino consecrari, non vero remotas.

5 Quartò colligitur ex dictis Sacerdotem corã se habentem vndecim hostias, & nolentẽ consecrare nisi decem ex illis, non determinãdo, quæ illæ sint, nullam equidem consecrare ex illis. Patet, quia non consecrat omnes, vt bene docuit *Durandus loco citato*, quia non habet intentionem consecrandi omnes, non etiã consecrat decem tantùm vna relicta sine consecratione, quia non est maior ratio, quare vna maneat non consecrata quam alia. Tum etiam quia consecrans non habet intentionem tendentem ad materiam determinatam. Imò vt bene docuit *Vazquez loco citato, num. 6.* etiamsi Sacerdos habeat intentionem consecrandi decem hostias ex illis vndecim, quas Deus vellet, nulla ex eis maneret consecrata, quia cum intentio debeat verbis respondere, & verba sint demonstratiua materiæ determinatæ apud Sacerdotem, intentio etiam debet respicere materiam apud eundem Sacerdotem determinatam, & non apud solùm Deum determinatam, & idem est iudicium cum intentio ministri fertur in materiam indeterminatam apud Sacerdotem consecrantem, sed in determinandã ab alio homine, vel determinatam ab alio, quia materia debet esse determinata ab ipso offerẽte. Quod ita strictè cõsiderauit iste Autor *Vazquez loco citato*, vt defendat offerentem sacrificium Missæ pro ea anima Purgatorij, pro qua Deus voluerit, nulli animæ in particulari prodesse, sed fructum illius sacrificij remanere apud thesaurum Ecclesiæ, ad hoc vt Sũmus Pontifex illum distribuat medijs indulgentijs, quia inquit applicare fructũ sacrificij huic animæ vel illi, Sacerdoti ipsi conuenit, & in eius potestate id constituit Deus. Alij tamen recentiores merito sentiunt oppositum in hoc casu sacrificij Missæ, quibus libenter annuendum iudico, neque enim eandem esse reputo rationem materiæ, circa quam exercetur consecratio, & eius, pro quo fructus sacrificij offertur, nam materia est quid intrinsecum ipsi cõsecrationi, & sacrificio. Vnde cum ea sint determinata, materia etiam debet esse determinata, at vero anima, pro qua offertur sacrificiũ est quid extrinsecum ipsi sacrificio, vnde ea non debet esse determinata apud offerentem, sed satis est eam in se esse determinatam, & apud Deum.

Secunda conclusio. (Licet circa rem hanc diuersæ sint inter se sententiæ, vt videri possunt apud *Vazquez loco citato à num. 9.*) Si semel consecretur aliqua magna quantitas panis in quo casu quælibet pars minor sine termino consecratur, & post consecrationẽ aliquæ partes inde separentur, tunc illa pars quantumuis parua, in qua conseruaretur substantia panis, si adesset, sufficiens est ad conseruandum corpus Christi, quod prius sub ea constitutum est (& eadem prorsus ratio est de vino.) Probatur conclusio, quia corpus Christi succedit loco substantiæ panis, ergo vbicunque conserua retur panis, conseruatur substantia corporis Christi non conseruaretur autem panis nisi in ea parte, quæ esset sensibilis natura sua ab aliquo sensu, quia destructis accidentibus sensibilibus destrui quoque substantiam necesse est, quæ quidem illa requirit ad sui conseruationem, at vero vt pars quantumuis minima panis sit sensibilis, & retineat sub se corpus Christi, non requiritur eam esse omnibus sensibilẽ, quantumuis imperfectis sensibus laborẽt, hoc enim nullatenus requiritur, quia alias ea parua hostia, quæ datur laicis ad communicandum, quæ ab aliquibus ob debilitatem oculorum minime percipitur, non esset sensibilis, neque cõseruaret sub se corpus Christi, quod absurdum est omninò. Satis ergo est vt pars aliqua vetè sit sensibilis, si ab aliquo homine medio vno, vel alio sensu sit sensibilis. Hac enim ratione absolutè erit sensibilis, & absolutè appellabitur Sacramentum. Ita docuit *Sot. 4. dist. 9. q. 1. a. 2.*

Ter-

Tertia conclusio. Si Sacerdos velit consecrare aliquam quantitatem hostiæ ita paruam,
7 vt ea non possit percipi aliquo sensu Sacerdotis consecrantis, minime valet consecratio, licet ea pars ab alijs, qui sensus habeant acutiores, possit optime percipi. Ita docuit *Vazquez loco citato num.* 13. Probatur, quia consecrans vtitur nomine demonstratiuo hoc, quod denotat rem aliquo modo sibi sensibilem, demonstrare enim in rebus sensibilibus nihil aliud est, quam rem ad sensum ostendere, ergo cum res, seu materia non est consecranti sensibilis, forma verborum, quæ ad illam refertur, neque est vera, neque valida. Quæ cõclusio etiam est vera de qualibet parte etiam in toto ipso existente, quæ tamen non esset sensibilis consecranti cum eam solam vellet consecrare propter rationem supra allatam. Quod si pars illa quam naturaliter non posset sensus Sacerdotis percipere, saltem miraculose ab eo perciperetur Deo sensum acuente, valida esset consecratio, vt colligitur *ex Vazquez loco citato, & Suarez loco citato sectione 8. in fine.* Cuius ratio est, quia illa pars est sine dubio sensibilis consecranti, quod sufficit ad valorem consecrationis. In huius autem partis consecratione, quando nimis parua esset pars, sine dubio cõmitteretur peccatum, propter irreuerentiam, quæ eo modo irrogatur Sacramento, & propter difficultatẽ diuisionis. Nõ me latet contrarium nouissime sentire *Coninc. vbi supra dubio* 2. Dum defendit non requiri materiam consecrationis à consecrante aliquo sensu percipi, sed satis esse si ab alijs percipiatur. Sed nostra resolutio vera est, & ratio differentiæ inter hanc conclusionẽ, & secundam scilicet, quod vt pars retineat consecrationem, satis est eam esse ab aliquo homine sensibilem, & vt de nouo consecretur, requiri eam percipi aliquo sensu consecrantis, duplex est; prima, quia non est necessarium formã cõsecrationis verificari, postquam semel transijt consecratio in ordine ad consecrantem, quia ipse iam functus est officio suo, at vero dum ipse consecrat, id est necessarium propter rationem tertiæ conclusionis. Secũda ratio differentiæ est, quia minus requiritur ad conseruandam consecrationem, quam ad eam de nouo efficiendam, vt apparet in anima separata, quæ non potest de nouo consecrari medio charactere infuso de nouo, & tamen separata retinet characterem antiquum.

8 Quarta conclusio. Si solum consideremus rationem quantitatis, Sacerdos potest consecrare valide hostiam habentem quamlibet magnã quantitatem. Hanc partem tuentur *D. Thom. 3. part. quæst. 74. art. 2. in fine corporis ibi: Vnde non potest dici, quod quantitas materiæ huius Sacramenti sit determinata, Dominicus Sotus 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2. & communiter recentiores Theologi.* Probatur, quia nihil impedire potest cõsecrationem in eo casu, si verba rite proferantur, & non desit vera intentio, quia Christus indefinite, & sine termino dedit potestatem Sacerdotibus. Et licet ratione cuiusuis magnæ quantitatis non impediatur consecratio, at vero ex defectu præsentiæ, quia magna quantitas non posset habere omnes suas partes præsentes ea præsentia, de qua statim disputabimus respectu Sacerdotis consecrantis, posset reddi inualida consecratio.

9 Quinta conclusio. Materia consecranda sine dubio debet esse præsens Sacerdoti, vt consecratio suum effectum sortiatur. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. Durandus ibidem, quæst. 6. num. 6 Paludanus ibidem, quæst. 1. art. 3. Sotus ibidem, dist. 9. quæst. 1. art. 2. & Sũmista verbo, Eucharistia.* Probatur primò, quia verba consecrationis ratione pronominum demonstratiuorum, hoc, & hic, necessariò postulant effectum præsentem, nempe corpus, & sanguinem Christi, hæc autem præsentia esse non possunt post consecrationem; nisi substantiæ panis, & vini, in quorum locum subrogantur ante consecrationem, præsentes fuerint Sacerdoti consecranti. Cum enim substãtia corporis Christi tantum sit præsens ratione specierum panis, ratione quarũ etiam erat præsens substantia panis, si substantia panis ante consecrationem non erat præsens, nequit post consecrationem esse præsens substantia corporis Christi. Secundò probatur, quia si talis præsentia materiæ consecrandæ nõ requireretur, absque dubio posset Sacerdos consecrare totum panem Romæ existentem, cum ipse Salmanticæ existeret, quod quis negauerit absurdum valde esse? Difficultas ergo est quæ & qualis præsentia requiratur in materia Eucharistiæ, vt valide possit consecrari?

10 Pro cuius resolutione notandum est primò, Præsentiam materiæ, quam inuestigamus non consistere in præsentia tantummodo secundũ locum, sed in tali præsentia quæ denotet quidem ordinem ad cognitionem eius, cui res, vel materia dicitur esse præsens, ita vt ab eo verè cognoscatur, qua ratione dicitur Deus esse in rebus secundum præsentiam, quia res omnes cognoscit. Vnde pronomen hoc, quod demonstratiuum est, significat hoc genus præsentiæ cum absolutè, & absque nomine substantiuo ponitur. Probatur hæc doctrina, quia hæc præsentia respectu hominum non est materialis, sicut est ea, quæ reperitur inter res sensibiles non viuentes, qua ratione vnus lapis dicitur alteri præsens, sed est formalis, & moralis, qualis requiritur inter homines cognitionis capaces.

Secundò notandum est, non quamlibet præsentiam, seu quamlibet sensus cognitionem sufficientem esse in materia consecrationis, vt ea possit valide consecrari medio pronomine de-

demonstratiuo,hoc, si enim panis consecrandus per mille passus distaret, licet oculis perciperetur, non tamen possemus vti verbis consecrationis per pronomen, hoc, sed vtendum esset prouomine illud, præter cognitionem ergo sensus, cui subijciatur materia, requiritur etiam in ea certa aliqua approximatio secundum locum Sacerdoti consecranti, nam in qua libet magna distantia nequit consecrari.

12 Tertio notandum est, dum dicimus tem debere esse præsentem secundum cognitionem, nomine cognitionis comprehendi, vel notitiam oculorum, vt cum quis videt hostiam consecrandam, vel notitiam tactus, vt cum quis non videt hostiam, eam tamen tangit, quia est à tergo. Propter quam rationem dixit *Dominicus Sotus loco citato*, se vidisse Trentiquendam Episcopum cæcum ex dispensatione Summi Pontificis celebrantem factum. Et denique sufficit ad materiã valide consecrãdã, eam percipi gustu vel olfactu, quia his mo dis sufficienter percipitur, non tamen est necessarium materiam aliquo sensu percipi actu, sed sufficit eã posse percipi, vt cum quis esset distractus dum consecrat, & tamẽ consecraret, nullo sensu percipiendo materiam coram se positam. Circa quod punctum non placet id quod notauit *Coninc. tom. de Sacramentis, q. 74. art. 2. dub. 1*. Scilicet non valide consecrari hostiam à tergo constitutam, licet Sacerdos eam tangat, quia inquit, illa forma includit illũ gestum, & illam actionem designatiuam materiæ tanquam quandam partem locutionis, sine qua non haberet verum sensum forma illa. Formæ autem, inquit iste Autor, Sacramentorum excepto matrimonio solis verbis constãt. Sed falsa est eius resolutio, & eius ratio nullam vim habet, quia ille gestus, & illa actio designandi materiam consecrandam non est pars formæ vllo modo, sed tantum conditio necessaria ad proferendam formã, quemadmodũ præsentia localis eiusdem materiæ conditio quædam est ad hoc vt ea consecretur vt vidimus in quæst. ista, cõclusione quinta. Tum quia Sacerdos cæcus indigens necessariò illo gestu ad consecrãdam hostiam coram positam, quia supponamus eum nõ posse medio alio sensu eam percipere nisi tactus, sine dubio consecraret valide, ergo etiam in nostro casu, quia ea cõsecratio quæ in vno casu valida est in quouis alio valet. Differentia autem casus solum id potest præstare, vt ea consecratio, quæ in vno tempore non fieret sine peccato, in alio licite fiat. Præterea secundo non placet sententia *Soti 4. dist. 9. q. 1. a. 2. §. ad tertium respondetur, & Enriq. lib. 8. de Eucharistia, cap. 14*. Asserentiũ in eo casu, quo materia consecranda nullo modo sensu percipiatur, sufficere ad valorem consecrationis, Sacerdotem certiorem fieri materiæ coram se positæ ex relatione alterius, dummodo reuera sit præsens, hæc inquã sententia non placet, si intelligatur de illa materia, quæ nullo sensu percipi potest, nequit enim tunc pronomine, hoc demonstrari à Sacerdote. Placet tamẽ illa sententia, si intelligatur de materia, quæ licet aliquo sensu percipi possit per accidẽs non percipitur.

Quartò notandum est, cum dicimus, materiã consecrandam debere esse per cognitionẽ præsentem, non sic esse intelligendum, quasi res illa per se, & immediatè sine aliquo medio percipiatur, sufficit enim, eam percipi medio aliquo corpore ipsam cõtinente. Qua ratione hostia linteo cooperta vel inuoluta optime potest consecrari, quia demõstrabilis est per pronomen, hoc, licet aliqui recentiores id negent de hostia cooperta linteo, at vero hostia existẽs post parietem, quia neque contineri dicitur à pariete, neque demonstrari potest per pronomen, hoc, nequit valide consecrari. Huius autẽ notabilis ea assignanda est ratio, quia per figuram metonymiam continens sumitur pro cõtento, & designato continente signatur etiam contentum. Imò etiam vt bene *Vazquez 3. to. in 3. part. quæst. 74. art. 3. disp. 171. capit. 4*. Cum Sacerdos habet præsentem aliquem cumulum hostiarum, etiamsi non cognoscat omnes illas, sed tantũ aliquas, sub quibus aliæ sunt, omnes simul consecrare potest, quia cum efficiant vnum cumulum, & pronomẽ, hoc, totum cumulum denotet, satis est, percipi vnam hostiam, vt omnes pronomine, hoc, denotentur. 13

14 Sed contra secundum notabile obstat, quia cum iter in aliquam ciuitatem dirigimus, vel de illa loquebamur, & eam à longe videmus, tunc dicimus, hæc est ciuitas, de qua loquebamur, vel ad quam tendimus. Ergo pronomine, hoc potest res quocunque modo distans, modo sensu aliquo percipiatur, demonstrari. Ad hoc argumentum respondetur cum *Vazq. loco citato, & Suar. 3. tom. in 3. part. q. 74. art. 2. disp. 43. sect. 5*. In eo casu, vti nos pronomine demõstratiuo, hoc, non quia res sit in nostra præsentia morali sensibili, de qua loquimur (nõ enim loquimur de præsentia physica per contiguitatem, media qua latera duorum corporum se contingunt) sed quia res sit præsens ad intellectum, medio quo antea de illa ciuitate vel loquebamur, vel cogitabamus. At demonstratio, quæ fit per verba cõsecrationis, debet esse sensibilis, id est, ad sensum patere, & esse præsens, quia est forma saltim Eucharistiæ in fieri, quæ quia Sacramentum est, & ideò quid sensibile, debet modo sensibili fieri.

His ita iactis fundamentis fit sexta conclusio. Quam non satis explicat *Vazquez, loco citato*, sed rem indecisam aliquo modo relinquit, præsentia materiæ sufficiens ad consecrationem non potest physicè, vel matematicè definiri, ita vt tanta sufficiat, & maior nõ fit satis 15

satis, sed est moraliter definienda, ita vt illa sufficiat, quæ more, & vsu hominũ præsentia rei censeatur ad hoc, vt fiat demõstratio eius per pronomen hoc. Ita *Dominic. Sot. loco citato, §. quod si roges Suarez Durand. Palud. locis citatis.* Probatur ratione Soti, quia hoc Sacramentum est collatũ in vsum hominum, quare sine dubio humano more est facienda demõstratio materiæ, & à principio prolationis verborum adesse debet tota materia præsens, vt bene *Enriquez lib. 8 de Eucharistia, cap. 14. num. 3.*

16 Quæret vero aliquis primo, an posset sufficienter esse præsens Sacerdoti ad consecrationem materia aliqua immensæ magnitudinis ratione alicuius partis, quæ ipsi esset præsens, quæ quidem cum aliqua magnitudine continuaretur, vt an posset consecrari totum mare plenum vino per pronomen, Hic est enim calix? casus impossibilis est moraliter, vtilis tamen ad cognoscendam rei præsentiam ad cõsecrationem necessariam? In quo *Vazquez loco citato, num. 25.* sentit satis esse ad consecrationẽ præsentiam secundum partem, dummodo reliquæ partes continuæ sint, vt tota materia quã tumuis distans consecrari posit. Probat primò, quia si aliqua materia proponatur Sacerdoti cõsecranda ad modum pyramidis, ita vt à fronte videatur, & aliquæ eius partes nõ possint videri, vt quæ sunt à tergo, ita tamen, vt non multum distrent, nemo negaret, totam illam materiam posse consecrari, ergo etiam in nostro casu. Secundò probatur, quia nullum est corpus quantumuis paruum, quod secundũ omnem sui partem sentiatur, & oculo comprehendatur, ergo satis videtur ad consecrationem presentia secundum partem, dum reliquę partes continuæ sint.

17 Verum hæc sententia falsa est, & ideò respõdetur, oportere, totam materiam consecrabilẽ esse aliquo modo, & moraliter præsentem secundum omnes partes cõsecrabiles. Probatur à priori, quia ad hoc vt totum aliquod consecretur, totum ipsum debet esse præsens, sed quando res est immensæ magnitudinis, non dicitur ea esse præsens, licet aliqua sui pars sit præsens. Vt totus aër non est mihi præsens, nec tota aqua maris, ergo non potest tota consecrari ratione vnius partis solius præsentis. Secũdò probatur, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam præsentiam id nihil refert, quare tota illa pars, quæ longe distat, ita est moraliter absens, ac si esset res per se separata. Vnde solùm *Vazquez* tribuendum puto, hanc distantiam, vel præsentiam non esse æqualem in omni materia, sed eam debere esse iuxta quãtitatem, & magnitudinem eius, ita docet *Suarez loco citato.* Ad argumenta *Vazquez* respondetur, totam illam materiam positam in modum pyramidis posse consecrari, si secundum omnes suas partes

A moraliter sit præsens Sacerdoti, & intra spheram, intra quã res dicitur esse præsens. Ad s[e]cũdũ respõdetur, verũ esse nullum corpus quantumuis paruũ posse oculis etiã perspicacissimis cõprehendi, quia in eo sunt quædã partes supra alias eas tegentes, & impedientes visum; neque nos dicimus, esse necessarium, vt tota aliqua materia consectetur, quod omnes eius partes oculo, vel aliosensu comprehendantur, sed tantùm volumus, ad hoc vt tota aliqua quãtitas consecretur, requiri, vt omnes eius partes sint intra eam spheram sensuum nostrorũ, intra quam res dicitur esse præsens nobis. Vnde negamus, sufficere in materia immensa, quod aliquæ tantum eius partes sint præsentes. ad hoc, vt tota materia posit consecrari.

B Quæret aliquis secundo, quid efficiendum sit, cum adest probabile dubium, an verè facta fuerit consecratio? Ad hoc respondetur cum *Petro Soto titulo de Eucharistia, lectione 1. & Enriquez cum allegante, lib. 8. de Eucharistia, cap. 15.* Et colligitur ex missali, debere species reuerenter conseruari, & à ieiuno sumi, vt à Sacerdote postquam in missa consumpsit sacrificiũ, sed ante sumptam ablutionem. Hic enim honor debetur hostiæ, quæ probabiliter reputatur consecrata, & addit *Enriquez, loco citato*, in his dubijs posse Sacerdotem eundem, vel aliũ de ea te monitum, dum celebrat, alio die consecrare quidem determinate, & sine conditione hostiam nouam, quam de nouo obtulit, reliquas vero ibi repositas sub conditione, si non C sunt consecratæ, quod quidem necessarium puto propter reuerentiam Sacramenti tanti. 18

Quæres tertiò, an si minimum naturale daretur, quod consistit in quantitate ita parua alicuius rei, quod sub minori non potest res conseruari, vna medietas illius non separata ab alia posset consecrari? Respondetur, minime quidem, quia sicut in illa medietate sola non posset esse substantia panis, ita neque corpus Christi, vnde neque talis medietas potest consecrari. 19

QVAESTIO VII.

D *Vtrùm Christus in azymo pane, an vero in fermentato consecrauerit, & de alijs ad cœnam Christi attinentibus?*

1 VT intelligamus, an consecratio corporis Christi sit efficienda in azymo, an in fermentato pane. Quod ad nos modo rectè attinet, videndum prius est, an Christus in fermentato, an in azymo pane consecrauerit, & quia huius rei intelligentia maxime pendet ex tempore, die, & hora, qua Christus cum Discipulis in vltima Cœna cœnauit, quãdo

dò Sacramentum Eucharistiæ instituit, quia in vno tempore erat licitus vsus panis fermẽtati, in alio vero tantùm vsus azymi licebat secundùm legem, & Christus sine dubio legem obseruauit vsque ad apicem. Ideò in hac quæstione videndum est, quo tempore Christus cœnauerit, & quo pane vsus fuerit, sed quia tamen quæstio hæc longe disputata ad nos pertinere non potest, sed potius ad Theologos, & sacræ Scripturæ professores, eam sub breuitate transcurremus. Quam lōgius, & acutius per tractatam lector videat apud *D. Thom. 3. part. quæst. 46. art. 9. apud Dominicum Sotum in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. apud Suarez super quæstionem 73. Diui Thomæ artic. 5. disp. 41. & super quæst. 46. apud Vazquez nouissime, 3. tomo in 3. part. q. 74. art. 4. D. Thom. disp. 172. & sequentibus.*

2 In qua quæstione primo notandum est de fide, Christum conuenienter hoc Sacramentũ instituisse in nocte cœnæ pridie, quam pateretur. Ita definitum est à *Clemente V. in Concilio Viennensi, & habetur in Clementina vnica, de reliquijs, & veneratione Sanctorum*, & præterea probatur ex *Concilio Tridentino Sessione 13. capit. 1. ibi: Ita enim maiores nostri omnes quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cœna redemptorem nostrorum instituisse.* Tertiò probatur ex *Matthæi, 26. & Marci, 14. & Lucæ, 22.* vbi dicitur, tunc Christum consecrasse panẽ, & vinum, suisque Discipulis tradidisse, vt Sacramentum perpetuo in Ecclesia pro vtilitate fidelium seruandum. Rationes vero huius institutionis factæ eo tempore optime tradũtur à D. Thom. Prima est, quia cum postea esset Christus ex hac vita ad patrem discessurus, conueniens erat, vt in sacramentali specie se ipsum relinqueret, sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago, vt *habetur, cap. quia corpus. de consecratione dist. 4.* Secunda ratio est, quia sine fide passionis nunquam potuit esse salus, secundum illud *Pauli ad Roman. 3. Quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius.* Vnde sicut in veteri lege fuit quoddam Sacramentum, nempe Agnus Paschalis, quod fuit figuratiuum Dominicæ Passionis futuræ, ita in noua successit Sacramentum Eucharistiæ, quod est rememoratiuũ Dominicæ Passionis præteritæ, & ideò conueniens fuit, vt imminente passione, & celebrato priori Sacramento nouum aliud institueret. Vt docet *Leo Papa Sermone 7. de Passione Domini.* Tertia ratio est, quia, quæ ab amicis in vltimo tramite vitæ dicuntur, & magis memoriæ adhærent, & tunc crescit amor erga amicos, & quia hoc Sacramento nihil est maius, ideò vt in maiori veneratione haberetur Dominus in vltimo discessu ab Apostolis, hoc Sacramentum instituit, vt ait *Augustinus secundo tomo epistola 118. capit. sexto à medio.*

3 Secundò, Sacramentum hoc, vt bene aduertit *Suarez 3. tom. in 3. par. quæst. 73. art. 5.* Non fuit institutũ ante incarnationem. Primo quia non fuit conueniens, vt Christi corpus prius, quam modo connaturali existeret in rerum natura, sub hoc Sacramento constitueretur. Secundò, quia hoc Sacramentum est abundantissimus quidam fons gratiæ, abundantia autem gratiæ legi gratiæ, quæ est post aduentũ Christi seruari debuit.

4 Tertiò conueniens fuit ante passionem, huius Sacramenti institutio, tùm propter tertiam rationem *Diui Thomæ loco citato*, tùm vt tam magna oblatio sacrificij incruẽti esset meritoria nostræ redemptionis: quod non haberet, si post mortẽ fieret. Tùm etiam, quia maxime decebat, vt Christus Dominus maximum amoris signum nobis exhiberet adhuc in mortali corpore existens, vt notauit *Suarez loco citato.*

5 Secundò notandum est, hoc Sacramentum esse institutum inchoato vltimo anno vitæ Christi. De quo sunt duæ opiniones probabiles, alia asserens Christum 34. annum, alia 33. vixisse, de qua re late disputat *Suarez 2. tomo in 3. par.* quem de vita Christi instituit. De alijs rebus, quæ ad historiam huius Sacramenti institutionis attinent, & hic non sunt disputanda, quia non sunt nimis necessaria, legatur *Nicephorus lib. 1. cap. 28. & Cæsar Baronius in Annalibus anni 34.*

6 Tertiò nota pro maiori eorum, quæ dicenda sunt, intelligentia, festiuitates, & alios dies Iudæos solitos computare à prima vespera vnius diei vsque ad vesperam sequentis, id est, à solis occasu vsque ad alterum solis occasum. Patet ex *Leuitici 23.* Latinos vero à media nocte, Syrios à solis ortu, AEgyptios à meridie.

7 Quartò nota, menses apud Iudæos esse Lunares, quare idem est 14. Luna alicuius mensis & 14. dies illius, constabat autem apud eos mẽsis 30. diebus, & 12. horis, & duobus tertijs vnius horæ, & tribus minutis, & initium anni sumebatur à mense Martio, vt patet *Exodi 12. Mensis iste vobis principium mensium*, & eo mense, qui apud eos dicebatur Nisan, eductus est Israël de AEgypto, & nouilunium proximũ æquinoctio vernali erat illis prima dies mensis, & anni.

8 Quintò nota, omnia festa Iudæorum, præter Sabbathum, mobilitatẽ accepisse à neomenia, seu à Kalendis mensis primi, nam si neomenia, seu Kalendæ huius mensis incidebant in feriam quintam feriã azymorum incidebat in feriam quintam nempe in 14. Lunam, & sic in cæteris festis contingebat.

9 Sextò nota, illo anno mortis Christi cœpisse neomeniam in occasu solis feriæ quintæ, atque adeò in tertia inde quinta feria in occasu solis finitam esse secundùm naturalem cursum

14.

14. Lunam. Ita notārūt *Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. § sed est septimum, Burgensis Matt. 26.*

9 Septimò nota cum *Vazquez loco citato, cap. 9.* apud Iudæos post exitum de AEgypto in primo mense fuisse duo genera feriarum, quas sanctas vocabant. Alterum feriæ, quæ dicebatur phase, alterum feriarū, quæ dicebatur azymorum, quia non licebant nisi azymi panes. Quarum prima scilicet, Luna decimaquinta, & septima, scilicet, 21. Luna erant festiuæ, in quibus non licebat operari, nisi cibos præparare, quæ patent *Exodi 12. & Leuitici 23.* & feria phase, seu Pascha erat distincta à ferijs azymorum, vt patet *Leuitici 23.* Celebratio vero Paschæ, licet sacra, & solemnis diceretur, vt patet *Exodi 12.* (quia aliquid fiebat in cultum Dei) ib & celebrabitis eū solemnē, non tamē erat dies festus. De quibus nomine Sabbati dicitur *Leuitici 23. à vespera in vesperam, &c.* & ideò tātùm celebrabatur Luna decimaquarta, ad vesperam postremam, & cōnsistebat in sola immolatione, & manducatione. Vide in ea sola vespera, & non in tota Luna decimaquarta, erat vtendum azymis, & tantùm in manducatione agni.

10 Supponendum autem est primo contra manifestum errorem Villagagnonis relatum à *Claudio Sainctes repetitione prima de Eucharistia, cap. 7.* Christum vltimo anno vitæ suæ Pascha Iudæorū celebrasse. Probatur primò ex scriptura, nam primo *Matth. 26. r.* postquam refert Discipulos interrogasse Dominum: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et Christum eis ostendisse locum subdit: *Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha, & Marcus ca. 14. sic ait. Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha?* In quibus locis nomine Paschæ intelligitur Agnus ille celeberrimus Paschalis, qui secūdum legem erat necessario immolandus, & comedendus in cęna legali, in memoriam libertatis à captiuitate AEgyptiaca, quam miraculose Deus concessit populo Israëlitico. Secundò probatur, quia si Christus hunc ritum ita apud Iudæos celeberrimum omisisset, Pharisæi, qui accurate operib⁹ eius insidiabātur, sine dubio hanc ei culpam obijecissent, vt eius apud populum authoritatem labefactarent. Tertiò, licet Christus solutus esset legibus veteribus, nullam tamen vnquam relinquit, vt patet ex Circuncisione, Præsentatione in Templo, &c. vt ipse etiam ostendit dicens: *Non veni soluere legem, sed adimplere*, ergo credendum nullatenus est, legem celebrandi Pascha apud Iudæos clarissimam Christum omisisse. Argumenta Villagagnonis videantur apud *Vazquez loco citato, à num. 2.*

11 Secundò supponendum est vt certum, ita vt contrarium error sit, Christum Dominum, A decimaquarta Luna mensis primi iuxta inueteratum morem Iudæorum Pascha celebrasse, quando non licebat vti fermentato, sed azymo, ac proinde satis etiam constabit ex probatione huius suppositi, Christum nullo modo infermēntato celebrasse consecrationem. Hāc sententiam docent omnes Latini tam sancti Patres, quàm alij, vel Scholasticæ, vel Scripturæ professionis gnari. Et eam etiam defendunt contra Græcos asserentes Christum cœnasse Luna decimatertia aliqui insignes Patres Græci, vt *Theodorus, quæst. 24. in Exodū ante medium, Victor Antioch. super Marci 14.* Prima autem die azymorum, & refertur in primo tomo Bibliothecæ sacræ. Probatur hæc veritas Catholica ex scriptura *Matt. 26. Mar. 14. & Luca 22.* B *vbi dicitur: Prima die azymorum missos fuisse discipulos à Christo, vt pararent ei Pascha, Matthæus vero, & Marcus*, postea subdunt, *vespere facto, Lucas vero, & hora facta*, nempe eo die Christum cum discipulis suis cœnasse, & corpus, & sanguinem suum illis dedisse. Ex quibus testimonijs planum fit, Christum consecrasse eo tempore, quo debuit vesci solùm azymis, nam vel cœnauit decimaquarta Luna ad vesperam, vel decimaquinta incipiente, vt postea patebit, vtroque autem modo non potuit, fermentato vti pane. Probatur secundò, quia cum Christus in reliquo vitæ antecedentis cursu legem diligentissime obseruauerit, non credi debet in vltimo vitæ limine eam neglexisse, quin imò diligentius obseruasse. Lex C autem præcipiebat phase, seu Pascha, quod idem est, Luna 14. celebrari *Leuit. 23. ibi mense primo quartadecima die mensis ad vesperam phase Domini est.* In suum fauorem multa afferunt Græci argumenta, sed hæc latius apud *Gabriel Vazquez videantur loco citato, cap 9. & 11.*

Tertiò supponendum est, vt multo probabilius contra *Paulum Burgensem in additione in caput 26. Matt. & contra doctissimū Maldonatum in illud Matt. 26. Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Quorum argumenta referunt *Vazquez, & Dominicus Sotus, locis citatis*, & soluūt, Christū Dominum, cæterosque Iudæos eadem Luna decimaquarta Martij, & eadē hora à lege præfixa Pascha celebrasse, neque Iudæos Pascha lege præfixum in alterum diem transtulisse, D quàm erat lege præfixum. Hanc partem tenent omnes allegati in primo supposito, *Augustinus epistola 86. Ambrosius epistola 83. & Scholastici omnes D. Thom. 3. part. quæst. 46. art. 9. & recentiores Thomistæ ibidem, Bonauent. in 4. dist. 11. art. 2. quæst. 1. Dominicus Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. Abulensis noster eruditissimus huius veritatis defensor in defensorio, 2. part. capit. 1. & sequentibus*: Probatur primò, quia huius dispensationis, secundum quam Burgensis dicit, translatum esse festum Paschę iuxta legē præfixum in alium sequētē diem, nullum apparet suffi-

sufficiens fundamentum. Secundò probatur, A quia si facta fuisset illius legis dispensatio circa celebrationem Paschæ Luna decimaquinta, talis celebratio non fuisset relicta in libera hominum voluntate, ne magna populi confusio contingeret, sed in consuetudinem, & legem transisset, celebrare Pascha eo tempore, & die quo translatum esset. Vnde non esset dicendū, Christum Luna decimaquarta iuxta primam institutionem Paschæ, Pascha celebrasse, quia alias ex eius extra ordinario facto, & populus scandalum, & Pharisæi calumniarum occasionem acciperent, quæ Christus maxime contēdebat euitare. Tertiò probatur ex scriptura primo *Marci 14.* vbi dicitur: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha?* B Sed constat, eodem die ad vesperam postremum Christum Pascha celebrasse, ergo & reliqui eodem etiam die Pascha celebrarūt. Patet, quia alias non diceret Marcus, quando Pascha celebrabant, seu immolabant, quia hoc verbum sic indefinite, & vniuersaliter intellectum de omnibus Iudæis indicat, eos eodem die cum Christo Pascha celebrasse. Secundò *Lucæ 22.* habetur: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Vbi verbum, necesse, denotat totum populum obligatum esse, eodem die, & sine vlla dispensatione Pascha celebrasse. Vltimò probatur argumento ad hominem vt dici solet, contra Burgensem, quia si Iudæi eo anno, quo Christus mortuus est, celebrarunt Pascha decimaquinta Luna, C nempe die Veneris nostri, & primam diem azymorum decimasexta Luna, scilicet, die Sabbathi, ne duo dies festiui immediati essent propter populi molestiam ex cessatione operū euitandam in idem incōueniens inciderent, quod vitare contendebant, quia septima dies azymorum, quæ erat festiua sicut prima incidebat in diem Veneris sequentis hebdomadæ, & ex illa, & ex Sabbatho sequenti duo sequebantur festa continua, nisi etiam septimam diem azymorum in sequentem diem Sabbathi transferrent, quod credendum non est.

13 Quartò supponendum est contra *Ludouicum Legionensem in Opusculo quodam de vtriusque agni typici, atque veri immolatione legitimo tempore.* Cuius argumenta referunt, & refutant *Vazquez, dicta disputatione 72. & Suarez tertio tomo in tertia parte, quæstione 73. articulo quinto, sectione prima.* Christum, cæterosque Iudæos in fine Lunæ decimęquartę secūdum legem Pascha celebrasse. Hanc partem optime defendunt *Ribera lib. quinto de Templo, capit. 3. Suarez, & Vazquez locis citatis.* Probatur primò ratione *Riberæ loco citato*, quia cum dicitur *Exodi 12.* de Agno Paschali: *Immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam,* per verbum, ad vesperam omnes intelligunt finem Lunæ decimęquartę, *Lyra in eum locum Abulensis ibidem, quæst. 19. Beda in libro de ratione temporum, cap. 61. Ambrosius epistola 83.* Imò iste modus loquendi ad vesperam cum dicitur tunc fieri hoc, vel illud, denotat posteriorem vesperam, vt *Genesis 30. redeunteque ad vesperam Iacob de agro, & Matthæi 28. vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi.* Secundò probatur, quia Christus eadem die, & hora comedit Agnum Paschalem, qua Iudæi secundum legem illum comederunt. Vt patet ex quarto notabili, scilicet Luna decimaquarta ad vesperam, sed finita cœna in illa nocte traditus est, & comprehensus, vt patet ex Euāgelistis, & die proxime sequenti cruci affixus est, quæ fuit prima dies solemnis azymorum, vt asserunt *D. Ambros. epistola 83. Innocentius III. lib. 4. de sacro altaris mysterio, cap. 4. & sanctus Thomas loco citato.* Ergo sine dubio Agni cœnam celebrauit Luna decima quarta ad posteriorem vesperam.

Deinde aliqua supponenda sunt, ne tantam quæstionem ab omnibus Scholasticis longissime disputatam prætermittere videamur, & 14 vt aliqua præcipua fundamenta iaciamus, quibus magnis quæstionis difficultatibus facile quisque possit satisfacere. Vnde quinto supponendum, tempus Paschale dici etiam totum tempus azymorum, in quo alia sacrificia offerebantur Deo, quare & talia sacrificia etiam Pascha dicebantur, vt constat ex *Deuteronomij decimosexto, & secundo Paralipomenon, cap. 30. & 35.* & hac ratione intelligitur illud *Ioann. 18. Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Vt non probetur hoc testimonio, Iudæos non celebrasse Pascha Luna decimaquarta, sed decimaquinta, illud vero *Ioann. decimotertio: Ante diem festum Paschæ, &c.* (Vbi loquitur de cœna Agni à Christo facta, & videtur indicari, Christum Luna decimaquarta, & Iudæos Luna decimaquinta cœnasse eam cœnam) intelligitur à *D. Thom. 3. part. quæst. 46. art. 9. ad primum de die vsuali seu artificiali.* Qui erat pars totius festiuitatis, nam dies alius erat artificialis, vt ab ortu solis vsque ad occasum, vt apud AEgyptios, alius naturalis vt apud Latinos à media nocte vsque ad mediam noctem sequentem, D alius erat apud Hebræos legalis à prima vespera vnius diei naturalis vsque ad secūdam vesperam sequentis diei.

Sextò supponendum est (licet in hac re 15 variæ sint sententiæ) Christum Dominū hoc Sacramentum Eucharistiæ instituisse vel post cœnam legalem, & ante cœnam vsualem, vel incepta cœna vsuali, & non cōsummata. Et hoc vltimum probatur ex *Matthæi 26. Cœnantibus illis accepit panem, & benedixit, ac fregit, &c.* Inter cœnam enim vsualem voluit Iesus suis Discipulis hunc pretiosissimum cibum ministra-

ministrare. Ita sentit *Vazquez loco citato cap. 9.* In quo etiam cap. soluit ea, quæ contra hæc facere possunt, & sunt ea facilia.

16 Septimo supponendũ est cum nostro *Abulensi, in cap. 12. Exodi q. 10.* Duobus modis vsurpari in scriptura vesperam, & sumitur enim vespera pro parte diei, quæ est post meridiem vergente sole ad occasum. Et etiam secundo sumitur pro tempore illo primæ noctis, quod sequitur solis occasum. Probatur *Exodi 12. & Leuitici 23.* Nam, vbi nostra translatio vulgata loquens de immolatione agni Paschalis legit; ad vesperam. In Hebræo habetur Benhaghar baim, idest, inter duas vesperas, idest, In confinio duorum dierum, quorum dierum ille, qui prior erat finiebatur in vespera sumpta priori modo, & posterior dies in vespera sumpta posteriori modo incipiebat. Phase, seu Pascha duobus constabat, & immolatione agni, quæ in mactatione, & occisione posita erat, & etiã constabat manducatione agni, qui agnus non solum erat immolandus Luna 14. ad vesperã, idest ante Solis occasum, sed etiam in eo vespere Lunæ 14. festinanter erat comedendus cum azymis, vt scriptura clamat; manducatio autẽ agni attingere debebat aliquam partem noctis post occasum Solis, à qua incipiebat solẽnitas primi diei azymorum, qui erat Luna 15. quia vix esus agni post eius immolationem finiri poterat ante occasum Solis. Vnde cum prior cœna esset legalis, & post eam alia cœna sequeretur communis, & vsualis, aperte sequitur, cœnam vsualẽ post Solis occasum Luna 15. inchoante esse futuram.

17 His ita suppositis sit vnica conclusio respõsiua quæstioni nostræ. Christus non consecrauit in pane fermentato, sed in azymo, patet, quia, vt constat ex dictis Christus in cœna aliqua consecrauit, sed ipse, qui fuit legis obseruãtissimus, & vsus est pane secundum legẽ permisso, in nulla cœna consecrare potuit secundum legem in pane fermentato, sed in azymo, ergo in azymo consecrauit. Minor huius discursus patet, quod in nulla cœna vsus fuerit pane fermentato, sed azymo, neque vti potuerit. De cœna agni constat, quia, vt vidimus in supposito secundo, agnus erat comedẽdus Luna 14. Tunc autem erant azymi comedendi (in sola tamen cœna agni) ad quod roborandum sufficiat illud Exodi 12. primo mense 14. die mensis ad vesperam comedites azyma vsque ad diem 21. De cœna vsuali patet, quod in ea non fuerit vsus Christus pane fermentato, sed azymo, quia vt visum est in vltimo supposito, ad cœnam vsualem accessit Christus peracta cœna legali agni, quæ post Solis occasum, ac proinde intra festiuitatẽ azymorum, in qua nihil fermentati manebat in domibus filiorum Israel. Ergo in ea vsus est pane azymo. Sed quod cœnam vsualem comederit Christus post cœnam agni, in quo nititur prædictus discursus, licet tactum fuerit in vltimo supposito. Quia tamen illud negauit *Iansenius, capit. 130. concordiæ suæ*, Probandum est ex eo, quod si post esum agni non superessent alij cibi comedendi pro alia vsuali cœna, nequaquam dixisset *Matth capit. 26. cœnantibus illis, accepit Iesus panem, &c.* Quia tunc adhuc cœnabat Christus cum discipulis, cum panem in manibus assumpsit, & consecrauit, vt patet ex modo loquendi Euangelistæ, sed non cœnam agni tunc cœnabat, quia hæc erat finita ante institutionem Eucharistiæ, vt constat ex *Trident. sess. 22. capit. 1. vbi dicitur celebrato veteri Paschate Christum nouum instituisse. Et ex Clementina prima de reliquijs, & veneratione sanctorum.* Vbi dicitur. *Hoc sacramentum fuisse institutum sumpta cœna legali.* Ergo institutum est intra cœnam vsualem, & communem, in qua cibis communibus reficiebantur corpora. Quod autem vsualis cœna esset post occasum Solis, ac proinde Luna 15. intra festiuitatem azymorum, in qua non licebat vti fermentato, sed azymo, quod superest probandum, probatur, quia cœna vsualis post cœnam agni fuit, vt ex contextu Euangelistarum patet, sed cœna agni durauit vsque ad occasum Solis, vt vidimus in vltimo supposito, ergo cœna vsualis fuit post occasum Solis, & ita Luna 15. inchoante, quando non licebat panis fermentatus.

18 Ex dictis sequitur, Christum non post multam noctem; sed aliquantulum post Solis occasum consecrasse Eucharistiam. Patet, quia, cum cœna vsualis immediate secuta sit post legalem, & hæc parum post Solis occasum durauerit, & non sit credendum, Christum ità opipare, & laute cœnasse, vt cœna communis vsque ad mediam noctem durauerit, sed parum post Solis occasum finita sit, sequitur manifeste, Eucharistiam, quæ intra hanc cœnam, vel ante eam instituta est, parum post Solis occasum institutam esse. *Suarez 3. tomo tertiæ partis disput. 41. sect. 4.* Hoc sacramentum esse institutum docet in principio noctis post transactam vnam, vel ad summum duas horas post Solis occasum. Quod patet ex eo, quod post hanc institutionem Christus longam habuit concionem, & postea in horto longam orationem. Deinde comprehensus est, & ab vno ad alium Pontificem ductus, & examinatus, & tamen postea superfuit magna pars noctis, in qua ministri illudebant Christo, ergo initio noctis instituta est Eucharistia.

19 Sequitur secundo Christum, vel inter vtrãque cœnam legalem, & vsualem, vel inchoata cœna vsuali lauisse pedes Apostolorũ, & ante institutionem Eucharistiæ. Ratio moralis est

vt nobis præberet humilitatis exemplum, ratio figuralis est, vt significaret Christus mundationem animæ, quæ ante sumptionē Eucharistiæ præcedere debet. Vt docuit *Ambrosius, lib. de his, qui initiantur, cap.* 6. Et quod lotio pedum sit facta ante institutionem Eucharistiæ, patet *Ex D. Thom. super Matth. ex Dam. lib. 4. c. 14. & alijs.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm pro materia consecrationis panis sit necessarius panis azymus, vel fermentatus?

1 PANIS azymus est ille, qui sine fermento conficitur, sed simpliciter, & vere, & proprie panis est ad vsum hominum accōmodatus, qualis est panis, ex quo conficiuntur hostiæ.

2 In hac re sunt variæ sententiæ. Prima est Græcorum asserentium fermentatum panem ita esse de necessitate huius sacramenti, vt in solo illo possit confici. Ita colligitur ex *Leone IX. epist. 1. aduersus præsumptiones Michaelis Cōstantinopolit. cap.* 5. Hanc sententiam sequūtur *Euthym. Matth. 26. Nicefor. li. 1. histor. ca.* 28. Et in eodē errore persistunt modo aliqui Græci, vt patet *ex Hierem. Patriarchâ Constantinop. in lib. responsionum ad Lutheranos cap.* 10. Probatur hæc sententia. Primo quia Christus Luna 13. cœnauit, quando vtendum erat fermentatis, vnde in fermentato consecrauit; ergo, & nos in eodem pane debemus consecrare. Secundo probatur, quia panis azymus nō est simpliciter panis, sed secundum quid, neque ita est accōmodatus vsui hominum, sicut est fermentatus. Tertio probatur; *ex secunda ad Corint. 3. dicente Paulo, litera enim occidit, spiritus autem viuificat:* Ergo litera, quæ iubet vetus pascha in azymis celebrare, nos occidit, cūm eam seruamus in azymis celebrando Missæ sacrificiū. Quarto probatur ex illo *Amos 4. Sacrificate de fermento laudem.* Ergo sacrificium nostrum debet esse in pane fermentato.

3 Secunda verò sententia est *Hugonis, quem se qui videtur gloss. ca. literas, de celebratione Missarum,* asserentis necessarium esse Græco in fermentato, & Latino in azymo consecrare; ita, vt aliter consecrando nihil efficiant, quod hic author fortasse colligit ex præcepto, secundum quod Græcus tenetur in fermentato, & Latinus in azymo, vt postea videbimus, consecrare.

4 Tertia sententia est Lutheranorum, & Caluinistarum dicentium, neutrum panem esse Latinis, aut Græcis necessarium ad valorem sacramenti, sed magis conuenientem esse panem fermentatum, quam azymum. Probatur, quia non licet nobis vti ceremonia Iudaica, panis autem azymus est ceremonia Iudaica.

5 Quarta sententia est aliorum dicentium, ita consecrationem debere in azymo fieri, vt alias facta non valeat. Hanc sententiam fuisse Armeniorum, colligi *Videtur ex Nicesoro, lib. 18. histor. ca. 53. in medio.* Fundamentum esse potuit, quia Christus in azymo consecrauit. Vnde necessum est in eodem pane consecrare.

6 Quinta sententia docet, panem azymum non esse necessarium ad valorem sacramenti, omnes tamen tam Græcos, quam Latinos peccare, si in fermentato consecrent. Ita docet *Gabriel.* ex sententia Scoti, illam simpliciter referens *Lectione 34. in canone Missæ litera G. in fine.* Probatur, quia cū Ecclesia Latina cōsecrās in pane azymo sequatur traditionem Christi & Apostolorum, Ecclesia Græca debet se ill conformare.

7 Sexta sententia docet, tam in azymo, quam in fermentato consecrationem valere, sed Latinos peccare, si vtantur fermentato ad consecrationem, Græcis vero liberum esse, vti azymo, vel fermētato. Cuius sententiæ nullū authorē inuenio, quia eā *Palud. in 4. d. 11. q. 1. ar. 4. conclus. 6. non docet,* Vt aliqui sentiūt, Probatur primo, quia Ecclesia Romana noluit Græcos obligare ad consecrandum in fermentato. Probatur secundo, nam cum Ecclesia Græca schismatica, sit nullus debet eius præcepto circa consecrationem in fermentato obedire.

8 Pro explicatione verioris sententiæ sit prima conclusio de fide. Ad valorem sacramenti in consecratione Eucharistiæ sufficit panis tā azymus, quam fermentatus. Hanc veritatem docuerūt *Anselm. li. 6. de fermentato,* & azymo *Innocentius III. in 4. lib. de sacrificio Missæ ca. 4. scholástici omnes tam antiqui, quam recentiores, cū D. Thom. 3. part. quæst. 74. art. 4. in corpore. ibi. Non est autem de necessitate sacramenti, quod panis sit azymus, vel fermentatus, quia in vtroque cōfici potest hoc sacramentum.* Hanc veritatem definiuit *Eugenius IIII. in Concilio Florent. sess. vltima. in literis vnionis §. item in azymo. Idem definiit Leo IX. ea epist. 1. supra citata.* Vbi reprehendit Græcos existimantes, Latinos vtendo azymo nullum conficere sacramentum. Quod etiam probatur *ex Tridentino sess. 13. c. 3. & 4. & can. 2.* Vbi solum requiritur panis ad essentiam huius sacramenti. Probatur dupliciter ratione. Primo quia pro materia huius sacramenti sufficit ille panis, qui simpliciter dicitur panis; sed vterque tam panis azymus, quam fermentatus est verus panis simpliciter, ergo vterque est sufficiens materia; Quod vterque panis sit simpli-

ſimpliciter panis,probatur.De fermẽtato omnes tã Græci,quã Latini docẽt aperte. De azymo id patet,primo quia Christus in pane ſimpliciter conſecrauit,& ſane,vt conſtat ex præcedenti quæſtione in azymo conſecrauit. Et præterea probatur ex *Luca* 24. Ex quo patet, quod Christus Dominus eadem die reſurrectionis apparuit diſcipulis eũtibus in Emaus, & tunc diſcipuli eum cognouerunt in fractione panis,quem fregit,& dedit diſcipulis ,dies autem Azymorum adhuc perſeuerabant, vt patet ex præcedenti quæſtione:in quibus diebus nihil fermentati habebant in domibus filij Iſrael , ergo Christus vſus eſt pane azymo, quo tempore Christus miniſtrauit diſcipulis illis hoc ſacramentum , & iſte panis abſolute dicitur panis loco citato ita *Vazquez* 3. *tomo in* 3.*part.diſp*.96.*cap*.3. Secũdo probatur,quia vterque panis eſt accõmodatus vſui hominũ, & licet vſus fermentati ſit frequentior, quia eſt panis delectabilior,tamen vtriuſque panis vſus eſt proprie vſus panis,ſcilicet , vt cũ alijs cibis veluti comes adhibeatur , neque panis fermentatus eſt corruptus ex eo,quod dicitur modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Senſus enim eius loci eſt : totam maſſam fermentat,ex fermento enim non corrumpitur panis,neque amittit ſuam naturam , ſed ea alteratur.

9 Secunda concluſio.Multò congruentior eſt panis azymus pro materia conſecrationis Eucharistiæ,quam fermentatus.Ita probant late *Vazquez* 3.*tomo in* 3.*part. diſp*. 174.*cap*. 3.*&* *Suarez tom*.3.*in* 3.*part.diſp*.44.*ſect*.3. Et ,quod plus eſt, *D. Thom.loco citato in corpore*. Primo quia Christus Dominus ea materia vſus eſt, tũ etiam,quia hoc ab ipſo Christo , & Apoſtolis Eccleſia Latina accepit,vt in azymo conſecraret. Tum etiam,quia panis azymus magis repræſentat myſterium huius ſacramenti;quia, cum non habeat aliquod fermentum, neque alterationem,melius hæc duo repræſentant tũ puritatem corporis Christi,quod ſine corruptione conceptum eſt,& eius ſanctitatem. Tum etiam puritatem,quam habere debent , qui ad hoc ſacramentum accedunt,vt *Anſelm.loco citato,& D.Thom.etiam loco citato* indicant ; ob id tamen non negamus,in fermentato ſignificari aliquo modo myſteriũ hoc. Ait enim Gregor.in regiſtro,Eccleſiã Græcam offerre fermentatum pro eo,quod. Verbum patris indutum eſt carne:ſicut fermentum miſcetur farinæ:aptior tamen eſt panis azymus , vt docet *D.Thom.*3.*part.quæſt*. 74. *art*. 4. Quia hoc ſacramentum magis eſt ſacramentum corporis Christi,quam diuinitatis eiuſdem,ideoque magis debet ſignificare puritatẽ corporis,quã diuinitatẽ Christi,magis verò eſt ſacramẽtũ corporis,quia ex vi verborum id ſignificatur, & quia eſt inſtitutũ per modũ cõuiuij corporalis.

A Tertia concluſio. Tam Latinis, quam Græcis licitum eſt obſeruare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ circa materiam panis tam azymi,quã fermentati. Probatur hæc concluſio primo, *ex Eugenio IIII.loco citato in* 1.*concluſione*. Vbi id expreſſe affirmat. Secundo probatur plane,*ex Leone IX.illa epiſt*.1.*cap*.29. In qua Papa conqueritur de Græcis,quod,cum Romana Eccleſia plurima monaſteria, & Eccleſias Græcorũ haberet,& eorum in conſecrando in fermentato vſum paternè toleraret , neque hanc conſuetudinem,& paternam traditionem perturbaret,ipſi nihilominus Græci Latinorum Eccleſias non permitterent,niſi in fermentato cõſecrarent. Ex quo teſtimonio aperte cõſtat,& licitum eſſe Græcis vti fermentato, quia hoc B toleratur à Papa vt honeſtum dimanans ex traditione patrum,& etiam licitum eſſe Latinis in azymo conſecrare, ſiquidem reprehenduntur Græci non permittentes hunc conſecrandi morem.

Quarta concluſio, vnuſquiſque tã Græcus, quàm Latinus tenetur ſeruare morem ſuæ Eccleſiæ circa materiam conſecrationis , quando eſt in propria Eccleſia. Ita declarauit *Eugenius IIII.loco cita*. Et probatur ratione. Primò ex eo , quod alias ſequeretur ſcandalum. Secundo quia conſuetudo celebrandi in azymo in Eccleſia Latina obligat per modum legis Latinos in ea exiſtentes,& celebrantes, vt patet *Ex cap.litteras de celebr. Miſſar*. Et conſuetudo celebrandi in fermentato in Eccleſiã Græca C eodem modo obligat Græcos in ea celebrantes , & commorantes. Ergo quiſque tenetur morem ſuæ Eccleſiæ ſeruare. 11

Difficultas vero eſt,an Latinus Sacerdos in Eccleſia Græca debeat ſuum morem ſeruare, & Græcus ſuum dum exiſtit in Eccleſia Romana. Cui difficultati *Ledeſma*,1.*p*.4.*quæſt*.15. *artic*.4.*dubio* 5. Non licere Græco in Eccleſia Latina in fermentato celebrare conſecrationem,neque Latino in Eccleſia Græca in azymo conſecrare reſpondet. Probatur quia vnuſquiſque ad eam Eccleſiam cenſetur pertinere ; in qua eſt , quare debet omnes eius conſuetudines ſeruare. Quod aliqui interpretantur non ſolum de incolis ; ſed etiam de peregrinis. *Vazquez vero dicto tom.diſputat*. 174 *ca*. D 3. Licet defendat generaliter,omnes peregrinos,& alicubi habitantes ſolius negotij gratia debere obſeruare conſuetudinem ciuitatis , in qua ſunt: inquit tamen in materia conſecrationis ab Eccleſia eſſe receptum,vt quilibet ſeruet morem Eccleſiæ , non in qua peregrinus eſt,ſed ad quam rediturus eſt. Ad hanc tamen difficultatem reſpondetur primo,ſatis probabile eſſe,peregrinos non obligari legibus ciuitatis,per quam tranſeunt,vt videre licet apud, *Sanch*.1.*tom.de matrimonio lib*.3. *diſput*.18. *&* *apud Suar*.3.*to.in* 3.*part.quæſt*.74.*artic*.4.*diſput*. 12

44.*sect*.3.Et contrarium satis est probabile, & commune, vide *Nauar.cap.25.num.320.& Conin.tomo de Sacramentis,quæst.74.art.4.dubio* 3. Quod ad nos modo non attinet examinare. Respondetur secundo Græcos, vel Latinos viuentes in terris extraneis in modum congregationis, vel alio modo habentes proprias Ecclesias seruare debere consuetudinem suæ patriæ circa consecrationem, probatur hoc, *ex Leone IX.epist.citata cap*.29. Expresse hoc affirmante. Respondetur tertio, Latinos habitantes inter Græcos tanquam incolas, & non habentes proprias Ecclesias ibi, debere in fermẽtato consecrare, & è contra Græcos inter Latinos simili modo habitantes debere in azymo consecrare. Probatur, quia, vt patet ex *Eugen. loco citato*, vnus quisque debet seruare consuetudinem suæ Ecclesiæ, [illegible]autem censentur esse, & pertinere ad eam Ecclesiam, in qua tanquam incolæ commorantur. Quarto respondetur, Latinos per terras Græcorum transeuntes debere consecrare in pane azymo, & Græcos per Latinorũ terras trãseuntes in fermẽtato. Probatur ex Eugenio IIII. in literis vnionis, post vltimam sessionem, *Concilij Florent.* Vbi simpliciter dicit, quemlibet Sacerdotem debere cõficere in azymo, vel fermentato, iuxta cõsuetudinem suæ Ecclesiæ. Quod etiam monet Leo IX. etiam si Sacerdos in alieno solo versetur. Secundo probatur, quia Romæ quotidie faciunt Ita Græci Sacerdotes, & nostri Sacerdotes in Græcia. Tertio probatur, quia durum est, Græcum Sacerdotem transeuntem per terras nostras obligare ad consecrandum in pane azymo, & more, ac idiomate Latino. Addit tamen Suar prædictos Sacerdotes debere obseruare suæ Ecclesiæ consuetudinem obtenta pastorum licentia, in quorum territorijs versantur: quam ipsi tenentur præstare, si neque scandalum, neque aliqua alia rationabilis causa obstet. Oppositum huius quarti dicti tenet Conin loco citato ductus generali doctrina, quia quilibet potest se accommodare consuetudini loci, per quem transit. Verum hæc cõsuetudo locum hic non habet, & ita falsa est hæc sentẽtia, vt patet ex dictis.

13 Ex his respondetur ad argumenta contrariarum sententiarum. Ad primum patet ex, q.7. non consecrasse Dominum nisi Luna 14. ad vltimam vesperam, quando non erat in vsu usus panis fermentatus. Ad secundum respondetur, panem azymũ esse, & dici simpliciter panem, licet enim panis dicatur à verbo attollo, quia fermentatione attollitur: aliud est, à quo nomen imponitur, aliud, quod nomen significat. Ad tertium respondet *Anselm.li. de azymo, & fermentato*. Illa verba, litera occidit, spiritus autem viuificat. Esse intelligenda ita, vt cortex literæ legis non præbeat nobis vires ad operandum, sed occasionem peccandi. Spiritu

A autem gratiæ nos accipere vires ad seruandam legem. Ad quartum *Amos.4. Sacrificate de fermento laudem*. Respondet ibidem Anselmus, illud ironice dictum esse à Propheta, vt patet ex illis verbis, impie agite. Ad secundam sententiam nihil restat respondendum. Ad Tertiã respondetur, celebrare in azymo nõ esse ceremoniam Iudaicam, quia nõ vtimur azymo eo fine quo Iudæi vsi sunt. Neque ex obligatione veteris legis, quæ necessaria sunt, vt dicamur vti ceremonia Iudaica. Ad fundamentum quartæ sententiæ respondetur, ex facto Christi non posse colligi, ad valorem consecrationis requiri azymum, sed requiri panem verũ; panis autem azymus, & fermentatus sunt veri panes. Ad quintam sententiam respondetur, B consuetudinem Ecclesiæ Græcæ circa fermentatum optimo niti fundamento, vt patet ex secunda conclusione. Ad sextam sententiam respondetur, factum Christi consecrandi in azymo non induxisse obligationem, sicut neque consecrandi ad vesperam, & præceptum consecrandi in azymo solum ad Latinos se extendere, vt patet ex quarta conclusione.

14 Quæres tamen primo, quale sit præceptum consecrandi in azymo in Ecclesia Latina. Respõdetur cum *Enriquez lib.8. de Eucharistia capit.11.numer.* 6. Hoc præceptum obligare sub mortali, quia est in re graui, & esse Ecclesiasticum deriuatum à tempore Apostolorum, *vt ait Leo IX.epist.citata*.

15 C Quæres secundo, an ratione alicuius necessitatis, vt ratione administrandi Eucharistiam ægroto liceat vti fermentato inter Latinos, cum alius panis non est possibilis? Ad hoc respondetur cum *Vazquez, loco citato in fine disputationis, & cum Ledesma 1.part.quarti quæst.15. artic.4.dubio* 1. Id non esse licitum, tum quia Eucharistia non est medium necessarium ad salutem, sed tantum ex præcepto, tum quia præceptum Eucharistiæ nõ obligat, nisi, cum commode recipi potest, & cum commode celebratur seruatis circunstantijs, vasis sacri, & vestis sacræ, &c. Et similiter cõsecrandi in azymo, & eadem est ratio de Sacerdote Græco, qui vellet inter Græcos vti azymo ad ministrãdam Eucharistiam ægroto.

D

QVAESTIO IX.

Vtrùm vinum vitis sit neceßarium ad valorem consecrationis calicis?

HÆRETICI quidam nomine Ebionitæ aquam puram ad consecrandum adhibebãt, teste *Epiphanio hæres.* 30.

Sit

Sit prima conclusio certa de fide. Vinum vitis, quæ proprie dicitur vitis, est materia ad consecrationem calicis simpliciter necessaria, ita vt aliàs non fiat consecratio sanguinis Christi. Ita definitur, *In Concilio Lateranensi sub Innocent. III. & refertur in cap. firmiter de sum. Trinitat. & fide Cathol. & ita etiam definitur ab Eugen. IIII. in decreto fidei, quod est post vltimam sess. Concilij Florent. §. 3. est.* Dixi vinum vitis, vt excludatur vinum pomorum, & aliarum arborum, &c. Dixi, vinum vitis, quæ proprie dicitur vitis, quia sunt aliæ arbores, vt balsamus quæ dicitur vitis, sed non propriè, sed largo modo. Probatur primò, quia vt ait, *D. Thom. 3. p. quæst. 74. art. 5.* Christus creditur instituisse hoc sacramentum in solo vino vitis, vt patet, *Matth. 26. non bibam à modò de hoc genimine vitis, &c.* Secundo probatur, quia solum illud vinum est materia consecrationis, quod simpliciter, & proprie est, & dicitur vinum, at solum vinum vitis est, & proprie dicitur vinum simpliciter. Ratio autem congruentiæ ad instituendum vinum pro materia consecrationis ea est, quia, vt inquit, *Clemens Alexand. 2. pædagogorū cap. 2.* Vinum simul est nutrimentum, & medicamentum, & lætificat cor hominis, vnde apte significat huius sacramenti effectum. Quodlibet autem vinum vitis siue differant inter se vini specie, siue non, siue sit album siue rubrū, est idonea materia consecrationis.

3 Secunda conclusio. Agresta siue sit expressa, siue non, nequit esse materia consecrationi calicis apta. Probatur primo ex Missali Romano, in quo inter defectus Missæ annotatur in agresta consecrare. Secundo probatur, quia succus agrestæ non est aliquo modo vinum, donec maturescat.

4 Tertia conclusio ab omnibus in confesso habita, mustum ex vuis expressum esse sufficientem materiam ad consecrandum, (licet sine necessitate non sit adhibendum, vt postea dicemus) ita habetur, *In canone cum omne de consecrat. dist. 2. qui desumptus est ex Iulio Papa in epistol. ad Episcopos per Ægyptum missos.* Probatur ratione, quia mustum est proprie vinum, & ab aliquibus adhibetur ad potandum, quod si Iulius ibidem damnat eos, qui expressum racemum in sacrificium offerunt, ex eo est, vt sentit, *D. Thom. loco citato*, Scilicet propter impuritatem musti, quia habet admixtas alias partes alterius substantiæ, propter quam causam tollenda est consuetudo miscendi mustum vino in die transfigurationis per expressionem vuarum.

5 Quarta conclusio. In vino, quod dicitur lora Hispanè aguapie, eo modo, quo communiter fit, vt bene, *Vazquez 3. tomo in 3. par. quæst. 74. artic. 8. disp. 175. cap. 1.* Non fit consecratio valida, probatur, quia maior eius pars est aqua: quod si maior pars esset musti, & aquæ pars ua, ita vt in vinum conuerteretur, posset esse apta materia. In qua re consulendæ sunt consuetudines prouinciarum circa infusionem aquæ vuis expressis. Et simili modo dicēdum de vino, cui oua, vel species aromaticæ coniunguntur.

6 Quæres tamen primo, an acetum sit idonea materia? Respondetur perfectum acetum non esse idoneam materiam, quia reuera vinum non est, quando verò non est perfectum acetum, sed vinum ad corruptionem aceti tendens, est idonea materia. Ita intelligitur *Innocentius Tertius lib. 4. de sacrificio Missæ, cap. 30. & Isidorus lib. 4. Etymolog. cap. 3.* Dum indicant, acetum esse materiam sufficientem.

7 Quæres secundo, an vinum congelatum sit idonea materia. Quidam negant ducti, primò quia non bibi potest, sicut nec vinum in vua inclusum, secundo quia aqua congelata non est apta materia baptismi, ergo nec vinum congelatum, tertio quia per congelationem corrumpitur vinum, & amittit vini naturam. Ita *Armil. verbo Eucharistia, numero 19. Alanus libro 1. de Eucharistia capit. 11.* Sed respondetur, esse idoneam materiam; patet, quia idem requiritur ad hoc, vt species conseruent consecrationem, & ad hoc, vt eam à principio recipiant, sed ad consecrationem retinendam, non obstat congelatio, vt patet ex missale Romano dicente, quod si species consecratæ congelentur, liquefiant, & sumantur, ergo non obstabit, vt à principio fiat consecratio. Ad primam rationem in contrarium respondetur, vinum congelatum non habere rationem cibi, sed potus natura sua, licèt per accidens non possit bibi; sicut panis durus, licet non possit comedi, cibus est. Vinum enim congelatum effectum habet vini, & potus, quia temperat calorem, & siccitatem, at mustum in vuis contentum habet rationem cibi, quia temperat frigiditatem, & humiditatem, & vinum in vuis contentum, etiam si verum esset vinum, (quod satis probabile iudico) at non potest consecrari, quia non verificatur pronomen, hic, quia non est in vua, vt in vase, sed vt in toto pars, sicut sanguis in animali; de quo non dicitur, hic. Ad secundum respondetur, aquam congelatam non esse materiam sufficientem, quia nequit lauare proxime, & actu, at vinum congelatum potest bibi, & ideo est materia, est enim sacramentum hoc in facto esse, baptismus verò in fieri tantum. Ad tertiam respondetur, per congelationem non corrumpi vinum amittendo naturam vini, non tamen licet, vt bene *Suarez 3. tomo in 3. part. quæst. 74. art. 8. sect. 1. in fine*, In hac materia consecrare propter dubiū, quia contraria sententia est ali

quantulū probabilis,& quia eſt cōtrà Eccleſiæ conſuetudinem. Muſtum verò coctum, quod Hiſpane dicitur arrope, vt bene *Ledeſma in ſumma de Eucharistia cap.*4. Non eſt materia ſufficiens, quia calore ignis amittit ſubſtantiam vini.

QVAESTIO X.

Vtrum ſit neceſſarium aquam miſcere vino conſecrato?

1 IN hac quæſtione hæretici Armenij, vt colligitur *Ex patribus Trullanis canone* 32. *&* *ex Niceforo lib.*18.*historiæ cap.*53. Docuerunt,ſolum vinum ſine vlla mixtione aquæ offerendum eſſe in conſecratióne, & hunc errorem ſequuntur Lutherani,& Caluiniſtæ. Probatur primò hæc pars, quia mixtio aquæ cum vino peſsimam habet ſignificationem, nam Iſaiæ primo dicitur,vinum tuum mixtum eſt aqua,quod ibidem explicat Hieron. de ſinceritate corrupta à Iudæis. Secundo probatur, quia,ſi hæc miſtio aquæ cum vino eſſet neceſſaria,maxime ad ſignificandum ex latere Chriſti mortui fluxiſſe aquam, & ſanguinem, ſed hac ratione non eſt neceſſaria,quia aqua exiuit non mixta ſanguine,tum,quia ſanguis ille cum aqua ſignificat ſecundum patres baptiſmum,& Euchariſtiam. Tertio probatur, quia per mixtionem aquæ cum vino volumus ſignificare coniunctionem,& vnionem noſtri,cum Chriſto, hæc autem non debet hic ſignificari; ſed paſsio Chriſti,tum quià Chriſto non vnimur,niſi poſt effuſionem ſanguinis,& in morte eius,ergo perperàm aqua miſcetur ante cōſecrationem,tum etiam,quia Chriſtus ſuo ſolo ſanguine nos redemit,ergo non debet in calice,qui ſignificat paſsionem,aqua miſceri, ne opera noſtra coniungamus paſsioni Chriſti; quaſi dicentes Chriſti paſsionem non fuiſſe ſatis ad noſtram redemptionem.

2 Secunda ſententia eſt aliquorum ſcholaſticorum aſſerentium, præceptum miſcendi aquam vino eſſe diuinum, ita ſenſerunt, *Alexand. Alen.* 4.*part. quæſt.*10.*membro* 4.*art.*1.§. 6.*in ſolutione argumentorum, Hoſius in confeſsione Catholica cap.*14. Probatur primo, quia certa traditione nobis conſtat, Chriſtum aquam vino miſcuiſſe,ſed nos debemus Chriſtum in ſacramentorum conſecratione imitari,ergo hoc præceptum à Chriſto traditum eſt, vt aquam vino miſceamus. Secundo probatur ex *Cypriano epiſt.*63.*in ordine, quæ eſt.*3.*libri* 2. Vbi in principio epiſtolæ hanc miſtionem appellat Dominicam traditionem. Tertio probatur, quia *Concilium Carthaginenſe tertium Canone* 24.*&* *Affricanum Can.*4. Hoc præceptum appellant Dominicam traditionem, *& Concilium Aurelianenſ.*4.*c.*4. Vocat illud mandatum Saluatoris.

Tertia ſententia defendit, miſtionem aquæ cum vino eſſe de neceſsitate ſacramēti. Ita ſenſit *Armacanus, lib.*6.*de q. Armenorum. c.*9. Probatur primo quia materia, quam Chriſtus inſtituit,eſt de neceſsitate ſacramenti, ſed vinū miſtum aqua eſt inſtitutum à Chriſto pro materia huius ſacramenti,ergo illud eſt de neceſſitate ſacramenti. Secundo probatur tertio argumēto *D.Thom.*3.*p.q.*74.*art.*7. Quia, ſi aqua non eſſet de neceſsitate huius ſacramenti, poſſet miſceri vino aqua roſacea, vel alia quæuis, at hoc eſt contra vſum Eccleſiæ,ergo aqua eſt de neceſsitate ſacramenti. Tertio probatur ex *Cypriano ad Cæcilium.* Cuius hæc ſunt verba, *Sic calix Domini non eſt aqua ſola, & vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur: quomodo, nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, niſi vtrumque, ſcilicet farina, & aqua fuerint adunata.* 3

Quarta ſententia eſt *Vualdenſis to.*3.*qui eſt de ſacramentis, titulo* 4.*cap.*32.*num.*10. Scilicet, Chriſtum non miſcuiſſe aquam vino ad conſecrationem. Quod probatur primo ex Auguſtino, cuius locum non refert, ſed ſolum ait, illum dixiſſe, Chriſtum non inſtituiſſe vinum mixtum. Secundo probat ex *Chryſoſt. homil.* 83. *in Matth.* Vbi de Chriſto inquit. *Quoniam, & cum myſteria tradidit, vinum tradidit.* Vbi non fit mētio aquæ. Tertio probat ex *Innocent. III. in ca. de quadam noſtra, de celebrat. miſſarum*, Vbi ait, *Neque hoc poſſet argumento probari, quod in ſacramento Euchariſtiæ miſcenda ſit aqua vino, ſi de latere Chriſti non aqua, ſed flegma cum ſanguine fluxit.* Ergo non miſcuit Chriſtus aquam vino, aliàs, & nos eam miſcere deberemus, quamuis ea ex latere Chriſti non emanaſſet. 4

Prima concluſio. Conueniens eſt aquam vino miſcere ante conſecrationem. Cōcluſio eſt de fide, & probatur primo ex *Concilio Florent. in decreto Eugenij, & ex Trident. ſeſſ.*22.*ca.*7. *&* *ex cap. in quadam, & ca. cum Marthæ de celebrat. miſ. & c. cū omne crimē de cōſerrat. d.* 2. Probatur ſecūdo ex vniuerſali Eccleſiæ traditione, quæ ita miſcet aquā vino: quæ traditio ex dictis locis patet, ex multiſque Sanctis Patribus, quos refert late *Suar. dicto* 3.*to.q.*74.*art.*8.*ſect.* 2. *&* *vt bene notat D. Thom. in* 4.*diſt.*11.*art.*4.*quæſtiuncula* 1. *q.* 2. de aqua non faciunt mentionem Euangeliſtæ in inſtitutione huius ſacramenti, quia non eſt materia ſacramenti, licet eius appoſitio vino ſit conueniens. Huius autem rei congruentiæ nonnullæ ſunt, prima quia Chriſtus Dominus ita feciſſe creditur, vt poſtea videbimus. Secūda ad repræſentandū ſanguinē, & aquā, quæ de latere Chriſti exierunt, vt habetur. *In c.*1.*de conſecrat. diſt.* 2. Tertia ad ſignificādū effectū huius ſacramēti, qui eſt vnio Eccleſiæ cū Chriſto, quia per aquas populi ſigni- 5

fican-

ficantur, secundum illud *Apocalyp. 17. Aquæ multæ populi multi*, quas rationes vt potissimas attigit *Concilium Tridentinum Sessione 22. cap. 7.* alias plures adducit *Suarez loco citato.*

6 Secunda conclusio. Non sub præcepto diuino, sed tantùm sub humano, & Ecclesiastico tenemur aquam vino miscere. Ita communius Doctores, præsertim *Scotus in quarto dist. 11. quæst. 6. in fine, Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 6. Petrus de Ledesma in Summa verbo, Eucharistia, cap. 4. Vazquez 3. tomo in 3. part disp. 177. cap 2. Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 45. sectione 2.* Probatur primò ex *Eugenio Quarto in decreto fidei, quod est post vltimam Sessionem Concilij Florentini §. tertium est Eucharistia*. Vbi solùm reprehendit Armenios, quod non miscendo aquam vino ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine recederent, si autem diuinum præceptum in hac re violarent, propter hoc grauius essent reprehendendi. Secundò probatur ex *Concilio Tridentino Sessione 22. capit. septimo, ibi: Monet deinde sancta Synodus; præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant*. Si autem hæc mistio esset ex præcepto diuino, non dixisset solum Conciliũ, esse præceptum Ecclesiæ. Vnde constat, Ecclesiam in hoc præcepto iusta de causa posse dispensare, nemo autem priuata authoritate posset ob aliquam necessitatem occurrentẽ omittere hanc mistionem aquæ ad hoc Sacramentũ conficiendum, quia hoc Sacramentum non est necessarium omninò ad salutem, sed tantum ex præcepto, hoc autem non obligat, scilicet, recipere Eucharistiam etiam in articulo mortis, nisi cum consecratur debito modo. Quod præceptum non tradidit primo *Alexand. primus*, vt aliqui sentiunt, vt patet ex prima conclusione, & vt constat ex ipso *Alexand. I. epist. 1. cap. 4. ibi: Non enim debet, vt à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinũ solum, aut aqua sola offerri*. Quod præceptum vt in materia graui obligat sub mortali.

7 Tertia conclusio. Mistio aquæ cum vino non est necessaria ad valorem consecrationis. Hoc docet *D. Thom. loco citato art. 7. & omnes Theologi cum Magist. in 4. dist. 11.* Probatur primò ex *decreto Eugenij IIII.* in quo primum dicitur: *Materiam esse panem triticeum, & vinum de vite*, postea vero subditur, *cui scilicet vino an te consecrationem modicissima aqua misceri debet.* Quo modo loquendi aperte iudicat Conciliũ, mistionem aquæ non esse de necessitate materiæ, alias cum dixisset, materiam esse panem, & vinum, addidisset, vinum aqua mixtum. Secundò probatur ex *Cypriano lib. secundo, epistola 3. inter finem & medium*, vbi ait: *Si vinum sine aqua consecretur, incipere sanguinem Christi esse sine nobis*. Id est sine significatione nostræ sanctificationis, sentit ergo infusionem aquæ non esse de necessitate Sacramenti; alias sine

A aqua non consiceretur sanguis. In eo autem casu, quo vinum sine aqua consecraretur, significaretur sanguis Christi, qui potissimè, & essentialiter est res huius Sacramenti; licet non significaretur aqua, quæ de latere Christi exiuit, neque sanctificatio nostra per sanguinem Christi, quia hæc non sunt essentialia in huius Sacramenti significatione, quamuis hæc tunc non negentur, vt bene aduertit *Suarez loco citato*. Tertiò probatur hæc conclusio, quia mistio aquæ est de præcepto Ecclesiastico, vt patet ex tertia conclusione, ergo non est de necessitate Sacramenti, quia Ecclesia non potest aliquid addere, vt materiam necessariam, & essentialem Sacramentis. Vltimò probatur ex sensu communi Ecclesiæ, qui hoc

B. confirmat, vt bene *Vazquez loco citato*, tum quia, vt docet *Armilla verbo Eucharistia*, Græci non miscent aquam, & consecrant, & si post consecrationem vini deprehendatur, non esse mistum aqua, non debet aqua apponi, quia nõ debet materia non consecrata admisceri consecratæ.

Quarta conclusio. Quæ de fide est, his verbis continetur; Christus Dominus in cœna ante consecrationem aquam vino miscuit, vt sanguinem suum consecraret. Hæc conclusio non habetur in Scriptura. Probatur tamen antiqua Ecclesiæ consuetudine Patrum testimonio roborata. Primo *Iacobus frater Domini ita expressit in sua Liturgia, quæ est in sexto tomo Bibliothecæ sacræ, his verbis: Similiter postquam*

C *cœnauit accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, Marcus Euangelista sic inquit, similiter calicem postquam cœnauit accipiens, factaque vini, & aquæ commistione*. Ita tradidere ex Græcis *Basilius in sua Liturgia, Chrysostomus in sua Liturgia, ex Latinis, Clemens Roman lib. octauo, constitut. capit. 17. alias capit. 12. Ambrosius lib. quarto de Sacramentis, capite quarto, Augustinus tractatu 120. in Ioannem, & alij relati à Vazquez disp. 176 cap. 1. ex Conciliis, & Summis Pontificibus, Alexander Primus epistola 1. cap. 4. Iulius Papa relatus Canone cum omne crimen, Concilium Africanum Canone 4. Carthaginensis tertium Canone 24.* Cui interfuit *D. Augustin.* Tandem hæc conclusio probatur ex *Eugenio IIII. in de-*

D *creto fidei, quod est post vltimam Sessionem Concilij Florent. §. illo tertium est Eucharistia, ibi: Aqua autem ideò admiscetur vino, quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum creditur, Christũ Dominum in vino aqua permisto hoc instituisse Sacramentum, & ex Tridentino Sessione 22. capit. 7.* Vbi dum redditur ratio, quare vino aqua misceatur in calice, sic dicitur: *Tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur.*

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ dicimus, 9 aquæ mistionem cum vino sumptam esse in malam partem ab Isaia sumpta similitudine à

 caupo-

cauponibus, qui miſcent aquam vino, à Chriſto vero ſumptam eſſe in ſignificationem boni, vt patet ex ſecunda, & tertia ratione primę concluſionis. Ad ſecundum reſpondetur in ipſa infuſione, in qua diſtincta, & inconfuſa ſunt aqua, & ſanguis, bene ſignificari aquam, & ſanguinem, quæ de latere Chriſti inconfuſa fluxerunt, & quemadmodum poſt effuſionem aqua, & ſanguis in terra ſunt permixta, ita etiã aqua cum vino in calice miſcentur. Tùm etiã dicimus, aquam & ſanguinem, quæ fluxerunt ex latere Chriſti, ſignificare quidem duo Sacramenta Euchariſtiæ, & Bapriſmi, ſignificari tamen per aquam miſtam vino. Ad tertium argumentum reſpondetur, in Euchariſtia non tantum ſignificari paſsionem Chriſti, ſed etiã vnionem populorum inter ſe, & cum Chriſto. Tùm ſecundo, quamuis aqua vino miſceatur, nolumus ſignificare, nos Deo offerri vt ſacrificium, ſed nos participare fructum huius ſacrificij.

10 Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum concedimus, Chriſtum Dominum miſcuiſſe aquam vino, negamus tamẽ propter hoc, aliquam legem de miſtione Chriſtum nobis reliquiſſe. Ad ſecundum reſpondetur, Cyprianum in ea fuiſſe ſententia. Ad tertium ex Concilijs reſpondet optime *Vazquez diſp. 177. cap. vltimo*, traditionem, vel mandatum in his teſtimonijs expreſſa non referri ad miſtionem aquæ cum vino, ſed ad oblationem vini.

11 Ad argumenta tertiæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum dicimus aquam non eſſe inſtitutam à Chriſto pro materia huius Sacramenti, ſed vinum. Ad ſecundum reſpondetur, eſſe miſcendam aquam naturalem ex præcepto Eccleſiæ iuxta traditionem, & conſuetudinem eius, quia ita creditur, Chriſtum miſcuiſſe, & quia de latere Chriſti aqua naturalis manauit. Vt deſinitur *in capit. in quadam de celebratione Miſſarum, ſicut ſenſit D. Thom. tertia part. quæſt 74. artic. 7. ad tertium*. Ad argumentum tertium, reſpondetur cum *D. Thom. ibidem ad ſecundum, & cum Vazquez, loco citato*, Cyprianum eſſe intelligendum de neceſsitate præcepti, non Sacramenti, & ad hoc tantùm adduxiſſe illam ſimilitudinem farinæ, & aquæ, quæ ſunt neceſſaria ad conſecrandum corpus ex præcepto, licet fuerint neceſſaria ad rationem Sacramenti.

12 Ad argumenta quartæ ſententię reſpondetur. Ad primum non reperiri aliquod teſtimonium Auguſtini, quod ei ſententiæ faueat. Ad ſecundum Chryſoſtom. dicimus eum vinum cum aqua miſcuiſſe, vt patet ex ſua liturgia, ſed cum in dicto loco non fecit mentionem aquæ, ex eo eſt, quia diſputabat contra Ebionitas, qui ſolum aquam ad conſecrandum adhibebant. Ad tertium reſpondetur, Innocentium ſolù voluiſſe in eo caſu, quo aqua de latere Chriſti non manaſſet, non eſſe ob eam ſignificandã aquam vino miſcendam, non tamen negaretiã tunc non eſſe ob alias cauſas miſcendam.

Quæres primò, in qua quantitate debeat aqua miſceri? Reſpondetur *Eugenium Quartum loco citato*, dixiſſe, debere eſſe modicíſsimam, ſed quanta futura ſit, arbitrio prudentis, & cõſuetudini ſtandum eſt, vnica autem gutta ſufficiet. 13

Quæres ſecundò, quæ aliæ circunſtantiæ in infuſione aquæ ſeruandæ ſint? Ad quod reſpõdetur primo eſſe miſcendam à Sacerdore in altari, & in vaſe ſacro. Iuxta *D. Thom. loco citato, art. 8.* Tùm quia ita habet conſuetudo, tùm quia debet Chriſtum ſub præcepto ſuo facto imitari Sacerdos, quod ſi Subdiaconus aquam infundit in miſsis maioribus, hoc facit nomine Sacerdotis. Deinde fieri debet miſtio ante oblationem vini, & vt dicitur in Miſſali Romano, debet fieri poſt Euangelium facta prius oblatione hoſtiæ, in quo aliæ conſuetudines aliarum religionum ſeruari poſſunt. Quod ſi deprehendatur poſt oblationem, & ante conſecrationem non eſſe aquam miſtam, ea eſt miſcenda. 14

QVÆSTIO XI.

Vtrùm aqua, quæ miſcetur vino conuertatur in corpus Chriſti, & quo modo?

IN hac re teſte *Innocentio III. in capit. cum Marthe. de celebratione Miſſæ*. Variæ fuerunt ſententiæ. Prima aſſerentium, vinum in ſanguinem Chriſti, & aquam in humorem flegmaticum, qui de latere Chriſti exiuit, conuerti. Secunda opinio docet, aquam infuſam vino ſemper manere in natura aquæ, & ita nunquam in vinum, neque in ſanguinem conuerti. Tertia ſententia eſt, aquam prius in vinum conuerti, & poſtea in ſanguinem Chriſti. Quarta ſententia eſt, præter eas, quas refert Innocentius, recentiorum Theologorum aſſerentium, aquam miſtam ſecundum plures ſui partes cum vino manere in ſua propria natura, conuerti tamen in ſanguinem ſimul cum vino immediate. Hoc dicendi genus ſecurus eſt *Alanus lib. primo de Euchariſtia, capite decimo tertio*, & multi recentiores, inter quos eſt *Coninc. tomo de Sacramentis, quæſtione 74. articulo tertio, dubio vnico*. Probatur hæc ſententia quarta, primo authoritate multorum Patrum, qui vno ore fatentur aquam, & vinum in ſanguinem Chriſti conuerti. Ita *Damaſc. lib. quarto de fide, cap. 14. Paſchaſius Abbas Corbeiens, lib. de corpore, & ſanguine Domini, cap.*

cap.11. ſtatim poſt medium. Raban. lib. de corpore A
& ſanguine Chriſti, cap.4. Ambr. lib.4. de ſacramētis, c.4. Cuius hæc ſunt verba. *Ante verba Chriſti calix eſt vino, & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur, & ſimilem modū loquendi retinent Dam. lib.4. orthodoxæ fidei, c.14. Iuſtinus Martyr, Apologia 2. pro Chriſtianis ſub finem, & alij relati à Varonio, tom.12. Annaliū ſub finem. Anni* 118. Deinde probatur hæc ſententia, probando non poſſe aquam in vinū cōuerti, vt in ſanguioem Chriſti conuertatur per cōſecrationem, ac proinde ipſam immediate in ſanguinem tranſire. Probatur autem ſecundo in ordine, quia vix credi poteſt, aquam in vinum conuerti, quia *Concilium Triburienſe, c.19.* docet, poſſe miſceri tertiam partem aquæ vino conſecrando, at quī poteſt eo breui ſpatio, B
quod intercedit inter offertorium, & cōſecrationem, ea quantitas aquæ in vinum conuerti? Tum quia accidere poteſt, vt poſt ſumptum Chriſti corpus appareat vinum non eſſe calici infuſum, & ita neceſſe ſit, illud infundere, & aquam miſcere, & ſtatim conſecrare, tunc autem non poteſt aqua in vinum conuerti, ergo, vel aqua immediate conuertitur in ſanguinē Chriſti, vel manet in ſua natura. Tertio probatur, quia credibile eſt, Chriſtum in cœna bonā partem aquæ vino admiſcuiſſe, vt temperate biberetur: quæ quidem quantitas conuerti nō potuit in vinum. Quarto probatur, quia ſi panis efficiatur ex farina triticea, & hordeacea totus conuertitur in corpus Chriſti, ergo & totus calix in ſanguinem Chriſti conuertitur. C
Quinto probatur, quia ſi aqua nondum in vinum conuerſa non conuertatur in ſanguinem, ſequeretur, falſam eſſe formam; hic eſt ſanguis, &c. Patet, quia pronomen, Hic, ſignificat, totam materiam præſentem conuerti in ſanguinem Chriſti. Sexto probatur, quia, quāuis aqua non cōuertatur in vinum, tamē illud totum, quod eſt in calice, dicitur vinum, & demonſtratur verbis conſecrationis, quare & in ſanguinem conuertitur. Septimo probatur, quia arte aliqua poteſt ſeparari aqua à vino, cui admiſta fuerat, ergo non conuertitur in vinum. Octauo probatur, quia ſi aqua manens in ſua ſubſtantia non conuerteretur in ſanguinē, ergo ſequitur, quod in eo caſu, quo non eſſet in vinum conuerſa, & ſimul cum ſanguine ſumeretur à Sacerdote, eum non eſſe ieiunum, D
quare poſtea nō poſſe ſecundam Miſſam celebrare. Nono ſequitur, non poſſe nos adorare adoratione latriæ calicē, quia exponimus nos periculo adorandi aquam in propria natura. Quod non eſt concedendum. Decimo obijcit *Conin. loco citato à num.* 167. Quia Ariſtoteles, & Plinius, omneſque medici dicunt, aquam non poſſe in vinum conuerti. His autem vt in ſua arte pluſquam Theologis credendum eſt. Vndecimo obijcit, quia corpora ſimplicia, quā-

lis eſt aqua, non poſſunt in miſta conuerti, ergo neque aqua conuertetur in vinum. Duodecimo, quia aqua eſt tenaciſsimæ naturę, & quę maxime reſiſtit contrarijs, ergo, vel non conuertitur in vinum, vel ſaltim non omnis, ſed tātum partes eius craſsiores; ſicut homo non cōuertit in ſe totum alimentum, ſed aliquas partes. Decimo tertio obijcit Conin. quia ſaltem vina tenuia, & debilia, vt Louanienſia, nō poſſunt aquam in ſe conuertere præſertim in eo paruo interuallo tēporis, quod intercedit inter oblationem vini, & eius conſecrationem.

Prima concluſio. Aqua nullo modo conuertitur in calice in humorem flegmaticum. Ita 2
ſentit *Innocent. III. cap. in quadam de celebrat. Miſſ.* Probatur primo, quia re vera, vt conſtat ex doctrina *Ariſtotelis 1. de generat. c. vlt. textu* 88. Hæc modiciſsima aqua infuſa bonæ quātitati vini iuxta doctrinam traditam in præcedenti quæſtione facile à vino propter ſuam magnam actiuitatem in ſe ipſum conuertitur. Probatur ſecundo, quia verba conſecrationis efficiunt, quod ſignificant, vt patet de verbis aliorum ſacramenrorum. Sed verba hæc nullo modo ſignificant conuerſionem in humorem flegmaticum, ſed in ſanguinem, ergo aqua in illum humorem non conuertitur.

Secunda concluſio. Ex latere Chriſti exierunt verus ſanguis, & vera aqua. Ita docet Ca- 3
tholica fides, & docet *Innocent. eo loco citato.* Probatque *Innocent. ex illo Ioan.19. & continuo exiuit ſanguis, & aqua.* Et confirmatur, quia verba ſcripturæ accipienda ſunt vere, & proprie, cum ergo dicatur effluxiſſe ſanguinē, & aquam, de vero ſanguine, & vera aqua intelligendum eſt.

Tertia concluſio. Aqua infuſa calici prius conuertitur in vinum, & poſtea in ſanguinē; 4
& niſi in vinum conuertatur, in ſanguinem nō conuertetur. Ita docent *Diuus Bonauent. in 4. diſtinct.11 p.2. art.1. q.3. in corpore, Palud. q.1. art.6. concluſ.5. Maior. quæſt.2. parum poſt initiū.* Et communiter Thomiſtæ, & hanc concluſionem ſine dubio docuit *Innocent. III.* eo cap. cū relatis, prima, & ſecunda opinionibus à nobis ſupra allatis, & alia tertia, quæ aſſerit, aquam prius in vinum conuerti, & poſtea in ſanguinē Chriſti, addit, *Inter opiniones prædictas illa probabilior videtur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* In quibus vltimis verbis ſine dubio alludit ad hoc quod aqua prius in vinū, & poſtea in ſanguinē cōuertatur. Quia hæc erat vna ex opinionibus allatis, & nō ad illud, quod aqua immediate cum vino in ſanguinem conuertatur. Quia hæc opinio non erat inter opiniones relatas. Probatur ſecūdo, quia illud immediate cōuertitur in ſanguinem, quod eſt materia conſecrationis, at aqua non eſt materia, ergo non conuertitur in ſanguinem immediate. Minor probatur, quia *Eugen. IIII. in ſuo*

decreto relato, tomo 4. Conciliorum apud me fol. 495. §. tertium est Eucharistiæ sacramentum. Dũ de materia huius sacramenti agit, sic inquit. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Vbi modus ipse loquẽdi satis indicat, aquam non esse materiam, & infra subdit. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.* Quod si aqua immediate in sanguinem conuerteretur; sicut dicitur, vinum offerri, ita diceretur, aquã offerri. Secundo eadem minor propositio probatur, *Ex Tridentino ses. 13. nam in cap. 1. docet; Christum post consecrationem panis, & vini esse sub eorum speciebus, & cap. 3. sic ait, Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie vna cum ipsius anima, & diuinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum, & cap. 4.* sic inquit, *per consecrationem panis, & vini cõuersionẽ fieri totius substãtiæ panis in substãtiã corporis Christi Domini nostri, & totius substãtiæ vini in substantiã sanguinis eius, & eadẽ ses. Can.* 2. sic dicitur. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiã panis, & vini vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque, mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, Anathema sit.* In quibus locis, cum tantum fiat mentio vini, & non aquæ, & specierum vini, & non aquæ, & cum Canone secundo dicatur, tantum manere species vini, & panis, & non dicatur, manere aquæ species, sequitur, vinum tantum esse materiam. Vnde aqua non conuertitur immediate in sanguinem, sed mediate per hoc, quod prius vertatur in vinum. Et confirmatur, quia vt patet ex quæstione præcedenti, aqua miscetur vino tantum ex præcepto Ecclesiastico, ergo non est materia, quæ immediate possit in sanguinem conuerti, quia aliàs misceretur ex præcepto Diuino, & quia Ecclesia nequit materiam sacramentorum instituere. Vltimo probatur ratione, *Nuño super 3 p. quæst. 74. art. 8.* Quia sequitur, solam aquam posse consecrari. Tum quia vera materia est ex opposita sententia, tum quia sicut post consecrationem vini, & aquæ corruptis speciebus vini maneret sanguis sub speciebus aquæ solis. Ita etiam à principio posset manere, & posset sola aqua consecrari, vt dictum est, hæc autem inaudita sunt. Ergo dicendum est, aquam non posse immediate in sanguinem conuerti. *Sed Conin loco citato, num. 183.* Duo respondet argumento ex Cō-

A cilijs sumpto. Primum Concilia sub nomine vini, & specierum vini comprehendere aquã, quia est minor pars illius misti; & mistum denominatur à maiori parte. Secundum, Concilium Canone 2. non negare, manere etiam species aquæ, sed tantum contendere contra Lutheranos, solas species panis & vini, & nõ substantias eorum manere post consecrationem. Sed prima respõsio nimis dura, & extorta est Primò, quia illũ vulgarem, & minus propriũ loquendi modum non creditur Conciliũ imitatum esse, dum rigorose, & proprie contendit materiam demonstrare. Secundo, quia si Concilium sentiret, aquam esse materiam, ne Lutherani putarent, saltem substantiam aquæ manere post consecrationem, debebat dicere

B manere tantum species aquæ, argumento vltimo respondet *Conine*. Aquam separatam non esse materiam, sed coniunctam vino, & denominatam à vino. Sed falsa est responsio, quia illa mutatio solum est accidentalis, & non potest efficere aquam materiam. Vnde sententia opposita mihi non est probabilis pro nunc.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus, Sanctos, & Patres esse intelligendos ita, vt aqua prius in vinum, & postea in sanguinem simul cum reliquo vino conuertatur. Hanc solutionem ferre non potest *Conin. tomo de sacramentis, quæst. 74. ar. 8. dubio vnico.* Dicens, eam esse extortam, & contra authoritatem, & verba Patrum, & præcipue contra Augustinum asserentem in calice

C post consecrationem manere vinum, & aquam denotans manere eorum species. Sed respondetur, Patres esse interpretandos per Concilia, & non è contra, & vt patet, *Ex Eugen. IIII. citato in quæstione præcedente.* Vinum tantum est materia. Imo, *& Tridentinum id insinuat ses. 13. Canone* 2. Vbi definit, totam substantiam vini conuerti in sanguinem, & non meminit aquæ. Quod si ante consecrationem id, quod conuertitur in sanguinem, vocatur ab Ambro. aqua, & post cõsecrationem id prouenit, quia resultauit ex aqua, iuxta illud. *Ioannis II. cum vidisset aquam vinum factam.* Vbi vinum vocatur aqua, quia ex aqua factum erat. Ad secundum dicimus, certum esse, aquam in vinum cõuerti, si sequamur legem, *Eugen. IIII.* asserentem, aquam debere esse modicissimam. Legē

D tem, aquam debere esse modicissimam. Legē autem *Concilij Triburiensis.* Quod non fuit approbatum, sequi non licet. quod si aqua non esset in vinum conuersa in eo casu, quo postea perciperetur, non fuisse vinum infusum calici, & necesse esset: vt reuera est, ex iure diuino propter integritatem sacrificij vinum, & aquã calici infundere, & statim consecrare, de hoc non esset multum curandum, licet tunc non conuertatur in sanguinem. Ad tertium respondetur, Christũ sine dubio modicissimam aquã infudisse vino in nocte Cœnæ, vt in vinum cõuerte-

A uerteretur, neque obstitisse hoc temperantiæ
discipulorum, quia cuilibet ex eodem calice
parum vini propinauit Christus. Ad quartum
respődetur, farinam hordei, si modicissima sit,
conuerti in panem triticeum, & postea in cor-
pus Christi, sin autem in panem triticeum con
uertatur, in corpus Christi non conuertetur.
Vnde similiter in aqua calicis contingit. Ad
quintum respondetur, verba consecrationis
calicis non denotare aquam, sed vinum, quia
est præcipuum in calice tanquam maior pars,
& quod tribuit denominationem calicis. Ad
sextum respondetur, concedendo totum illud
mixtum ex aqua modica, & multo vino dici vi
nũ, quia denominatio sumitur à re præcipua,
& maiori, negando tamẽ, ob hoc aquam in san
B guinem immediate conuerti; sicut si gutta balsa
mi esset in calice pleno vino, totum illud dice
retur vinum, balsamum tamen in sanguinem
Christi immediate non conuerteretur. Ad sep
timum respondetur, aquam posse arte aliqua
separari à vino, quando est in magna quantita
te infusa, vel, licet fuerit modica, cum non po
tuit propter temporis breuitatem in vinũ con
uerti. Ad octauum respondet optime *Suarez
3. tomo in 3. part. disp. 60. sect. 4.* In eo casu con-
sultius esse, vt Sacerdos reputet se non ieiunũ,
& iterum non conficiat. Præter illum tamen
casum, vel alium similem satis est, probabiliter
credere, aquam esse in vinum conuersam, vt
Sacerdos reputet se ieiunum, & iterum cele-
bret. Ad nonum respondetur, spiritum sum-
C missionis, & subiectionis, qui est latria, & soli
Deo debetur, Deo deferri, & non alicui rei
creatæ, at vero signa subiectionis exhiberi ca-
lici, & vini speciebus, cui non obstat, aliquid
6 aliud esse mixtum speciebus.

Argumentis Conin. respondetur. Et in pri-
mis dico, virum Theologum potius debere ni-
ti Conciliorum generalium authoritatibus;
quam rationis naturalis fundamẽtis: hæc enim
fallibilia sunt; illæ minime. Ad argumentum
ergò eius primum, & in ordine decimum di-
co, satis esse Theologos, qui etiam sunt Philo-
sophi, dicere contrarium, tum quia, *Aristot. li.
1. de generat. cap. 10. tex. 89.* Sentit, aquam pos-
se in vinum conuerti, quia ait, guttam vini pos
se in aquam conuerti: eadem enim est ratio
D vnius, & alterius. Ad vndecimum argumentũ
respondetur, aquam hic apud nos non esse in
sua perfecta natura, sed mixtam aliquibus par-
tibus terrestribus, quare optime posse in vinũ
conuerti. Ad duodecimum argumentum fate-
mur equidem aquam esse tenacissimæ naturę,
hoc tamen non impedit, quominus dum illa
modicissima est, & multo vino infunditur, to-
ta conuertatur in vinum. Ad vltimum argumẽ
tum dicimus, in eo casu magnam quantitatem
vini esse addendam aquæ, imò longe maiorẽ,
quamdum vinum forte est, & efficax, vt con-

A tingit in vinis Hispanis, quod si tanta quanti-
tas vini non apponatur calici, quod possit illa
conuertere aquam in se, nullo modo eam con-
uerti in sanguinem, sed manere integram, &
in sua propria natura, vel in aliud tertiũ mix-
tum conuerti.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm corpus Christi sit sub speciebus pa nis in hoc sacramento.

QVIDQVID in hac quæstione de præ 1
sentia corporis Christi sub speciebus
panis disputauerimus, applica
B ri haud difficile poterit ad præ-
sentiam sanguinis Christi sub speciebus vini,
quia vtriusque assumpti eadem prorsus est as-
signanda ratio.

In hac celeberrima quæstione cum hæreti- 2
cis nostri temporis acerrimè controuersa, &
inter fidei dogmata præcipuum locum obtinẽ
te, sacra Concilia; sanctissimi Ecclesiæ nostræ
patres, & nobiles scholastici magnopere insu
darunt, sed in præsenti breuiter videtur expe-
dienda, sine eo quod per hoc intendamus ali-
quid substantiale lectori subtrahere.

Multi extitere hæretici, qui cum huius mi- 3
rabilis sacramenti præclarissimis radijs excæ-
cati fuerint, & mentis acutie deturbati tantum
fulgorem ferre non potuerũt, quare totis suis
C nisibus hoc sacramentum labefactare conati
sunt, & Christi Domini nostri præsentiam in
eo negare ausi, quorum nomina, & loca quia
late, & docte referunt nostris temporibus, *Bel
larminus tomo 2. lib. 1. de Eucharist. Suarez 3. to-
mo in 3. part. disp. 46. sect. 1. & Vazquez 3. tomo
in 3. p. disp. 179. ca. 1.* Ideò illis supersedendum
duximus.

His ita statutis sit prima conclusio de fide, 4
corpus Christi sub speciebus panis vere, &
realiter existit post peractam consecrationẽ.
hæc veritas primo definita est, *In Concilio Ale-
xandrino in epistola ad Nestorium.* Quæ fuit ap-
probata *In Concilio Ephesino tomo 1. cap. 14.* Et
secundò definita est, *in septima Synodo actione
6. tomo 3. in fine,* Tertio definita fuit *in Concilio
D Romano sub Leone IX.* Explicata fuit quarto
*in Concilio Vercelensi sub eodem Pontifice maxi-
mo.* Quinto hæc veritas stabilita fuit tanquam
de fide *in Concilio Lateranensi sub Innocentio
III. & refertur cap. firmiter de summa Trinitate,
& fide Catholica.* Sexto eandem veritatem de-
terminauit *Cõcilium Florent. in decreto Eugenij,
quod est post vltimam sess. §. Tertiũ est. post mediũ
illius.* Tandem eandem veritatem nobis ante
oculos proposuit *Concilium Tridentinum sess.
13.* per omnia capita, & per omnes Canones.
Quæ quidem veritas non solum certa est, sed
etiam

etiam eam omnes etiam rudes, & imperiti tenentur scire, tanquam vnum ex articulis fidei: articulum, inquam, sumendo articulum late pro eo, quod omnes credere debent fide diuina, nam hæc veritas non est articulus fidei stricte, quia sic articulus dicit esse primum principium credibile, & quod habeat speciale difficultatem. Hæc autem veritas ad omnipotentiam Dei, vel ad Deum Saluatorem reducitur, & non habet specialem difficultatem ab his articulis distinctam. Vnde hanc veritatem præsentiæ Christi in Eucharistia negauit, *D. Tho. esse articulum fidei, 2.2. quæst. 1. art. 8. ad vltimũ.* Et ad hoc credendum omnes tenentur. Tũ ratione Missæ, quam diebus festiuis audire debent, in qua hostia consecrata adoratur, & necessum est scire, quid est illud, quod adoratur. Tum quia debent adulti recipere semel in anno hoc sacramentum, & ita cognoscere debẽt, quid sit illud. Hic autẽ articulus non ponitur inter articulos fidei, qui in catechismo puerorum ponuntur, quia ibi ponuntur, quæ in speculatione posita sunt; vt Deum esse Creatorem, &c. Hic autem articulus pertinet ad opus propter rationes dictas, tamen sciri debet, sicut quiuis fidelis scire debet sacramenta, & quid in eis continetur, quia sunt nostræ salutis instrumenta, & à nobis recipienda. Eadem veritas confirmatur ex communi consensu, & traditione patrum, quos refert Bellarminius, toto lib. 2. de Eucharist. tomo 2. & ita sentiunt discipuli sancti Andreæ in libro, quem de eius passione scripserunt. *Dionys. de Ecclesiast. hierarch. cap. 3. p. 3. Cyprianus Sermone 5. qui est de lapsis, Hilarius li. 8. de Trinitate. Chrysost. homil. 6. ad populum. Gregor. homil. 22. in Euangelia.*

5 Secundo probatur præterea hæc veritas, *ex Ioan. cap. 6.* Quod caput licèt hæretici, & aliqui catholici non intelligant de mãducatione corporali Eucharistiæ, sed de spirituali per fidẽ, communis tamen doctrina Sanctorum Patrũ illud de manducatione corporali intelligit, *Cyprianus sermone de Cœna Domini. Hilar. lib. 8. de Trinitate. Ambrosius li. 4. de Sacramentis, c. 5. Hieronymus in magnis commentarijs epistolæ ad Ephesios, in illud capitis primi. In quo habemus redemptionem, August. sermone 2. de verbis Apostoli, & alij, quos refert Maldonatus, Ioannis 6. & Vazquez. disp. 179. cap. 4. num. 36.* Et eodem modo intelligit hoc caput Ioannis, *Tridentinum, sess. 21. cap. 1. Concilium Cabilon. 2. ca. 46. Senon. cap. 10.* Et quidem illud caput Ioann. solum intelligitur de manducatione corporali ab illis verbis. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Vt bene, *Vazquez, & Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 5.* Notarunt, in quibus promittitur institutio huius sacramenti ita clare, vt vix possint reperiri aliqua verba clariora circa sacramentum Eucharistiæ, si conferantur cum illis verbis institutionis eius. Hoc est corpus meum, accipite, & comedite. Quod ex eo etiam probatur, quia Iudæi illa verba, *Et panis, quem ego dabo, &c.* De manducatione vera, & reali carnis Christi intellexerunt, cum murmurantes dixerunt, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et tamen Christus non eos liberauit ab hac opinione, sed in ea confirmauit Dominus dicens, *Nisi manducaueritis, &c.* Et etiam discipuli eodem modo intellexerunt ea verba Christi, cum dixerunt. *Durus est hic sermo.* Et Christus in ea opinione eos reliquit, cum facile esset, eos in veritate instruere, si de spirituali manducatione locutus esset, quæ facilis erat ad intelligendum, aliam autem de manducatione veræ carnis, vt pote difficilem in aliud tempus distulit commodius. Quod si aliqui patres indicant, hunc locum Ioan. 6. esse intelligendum de manducatione spirituali per fidem, *Vt August. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 16. & Bernar. sermone 3. in Psalmum, qui habitat, & Hieronimus in magnis commentarijs epistolæ ad Ephes. in illud capitis 1. in quo habemus redemptionem, & Clemens Alexand. 2. lib. pædagogi, ca. 2. parum à principio.* Ad illos sic est respondendum, *ad August. & Bernard.* Respondetur, illos loqui de verà sumptione corporis, & sanguinis Christi, explicasse tamen eos modum sumendi non esse cruentum, sicut modus comedendi carnes animaliũ, sed incruentum, sub speciebus panis, & vini passionis Christi memoriam recolendo. *Ad Hieronym. & Clement.* Respondetur, illos intelligere locum Ioannis, non de manducatione carnis secundum se sumptæ, sed vnitæ Verbo, à quo accipit vim cibi spiritualis animæ. Ex prædicto autem loco, *Ioannis 6.* Sic explicatur nostra conclusio, quia Christus ibi, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; & ibi, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Vere promisit manducationem corporalem, & realem carnis Christi, & potum corporalem eius sanguinis, ergo vere, & realiter in eucharistia existunt corpus & sanguis, non enim vere, & realiter comeditur, nisi, quod in se existit.

Tertio probatur hæc veritas ex verbis insti 6
tutionis huius sacramenti, quæ pro consecratione panis hæc sunt apud *Matth. 26. cap. hoc est corpus meum.* Et pro consecratione calicis; *Hic est enim sanguis meus.* Quæ verba, si Catholico, & plano, & non hæreticorum deprauato sensu intelligantur, aperte denotant præsentiam Christi in hoc sacramento. Sunt autem hæc verba intelligenda proprie, non per tropum, aut figuram. Primo quia ea ita communiter intelligunt Sancti Patres, quos late refert, *Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 46. sect. 3.* tum secundo quia ita ea intelligit *Trid. sess. 13. cap. 1.* Indignissimum flagitium reputans, hæc verba ad tropos inflectere. Tum etiam tertio iste sensus patet ex re, de qua Christus agebat; res autem

tem erat, vt bene hic recentiores notant, sacramentum, testamentum, & dogma nouiter hominibus propositum. Hæc autem nunquam per figuras traduntur, sed clare de sacramentis. Patet tam in antiqua, quam in noua lege. De testamẽtis patet, quia nemo etiam ignarus ea per tropos, & figuras condit, sed clare, vt litibus claudatur via. De dogmate fidei patet, quia, cum omnibus proponatur credendum, clare non per figuras est tradendum. Quod si aliquando in his rebus scriptura vtitur figuris, ex eo est, quia vel res erat antea clare proposita, vel, quia figuræ, & similitudines sunt apertæ, non obscuræ, quales sunt istæ, quibus hæretici vtuntur in his verbis insuitatos modos troporum inuenientes, quos late refutant, & referunt, *Suarez, & Vazquez, disputationibus citatis.* Tum etiam, quia communis modus intelligendi scripturam est, nunquam ad tropos confugere, nisi scriptura, articulus fidei, communis Ecclesiæ sensus, aut euidens ratio ad id cogat. Nihil verò huiusmodi in hac parte reperitur, ergo sincere, & plane hæc verba intelligi debent, sic autem manifeste indicant, vt vera esse possint, præsentiam Christi in Eucharistia.

7 Plura patrum testimonia citat Caluinus, ad probandum hoc sacramentum tantum esse signum Christi. Sed ad hæc respondetur cum *Suarez 3. tomo. in 3. parte disp. 66. sect. 4. per totã.* Vbi ea testimonia refert, & ad ea respondet, patres vel esse intelligendos de signo non vacuo, sed cõtinente, quod significat. Quod etiã *Vazquez loco citato, cap. 7.* Indicat, vel esse intelligendos, dum denotant hoc sacramentum esse signum Christi, de significatione Christi in Cruce oblati, vel de significatione Christi in Cœlo existente modo visibili, vt ex alijs locis patrum constat. Alia adducunt hæretici fundamenta, quæ leuiora sunt, & ea exacte tractant, *Bellarm. lib. 1. de Eucharist. & Gregorius de Valentia tom. 4 disp. 6. q. 3. puncto. 1.*

8 Quarto probatur veritas nostra Catholica ex varijs miraculis, quæ fide præsentiæ Christi in Eucharistia contigerunt, & in huius veritatis confirmationem. Quæ commemorant, *Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini c. 14. Ambros. oratione de fratre suo Satyro, Nazian. oratione de sorore Gorgonia, Gregor. 2. dialogorum c. 24. Nicefarus lib. 13. historiæ cap. 7.*

9 Quinto licet ratione naturali nõ possit probari hoc mysterium esse factum, quia supernaturale est, & pendens ex sola voluntate Dei, non ex principijs naturalibus. Et licèt ratione naturali non possit ostendi euidenter hoc mysterium esse possibile, quia nullum est principium naturale, ex quo deducere possimus euidenter hæc tria non esse contra essentiam accidentis, esse per se, vel non esse contra essentiam quantitatis esse sine extensione luci, vel esse in pluribus locis; certum tamen est primo, & euidens, hoc mysterium esse credibile, quod patet ex his, quæ supra dicta sunt, & ex his, quæ de conuenientia statim subijciemus. Secundo certum est, posse ratione naturali probari, hoc mysterium eucharistiæ non posse ratione naturali demonstrari esse impossibile, quia nulla est ratio naturalis, quæ euidenter probare possit illa tria supra dicta esse impossibilia, imò omnia argumenta ex ratione naturali deducta facile possunt ratione naturali solui. Tertio certum est, posse ratione naturali ostendi hoc mysterium, & esse conueniens Deo ratione bonitatis suæ, cui omnibus modis cõueniens est communicare se, & ratione suæ sapiẽtiæ, quia in hoc mysterio reperitur quoddam compendium mirabilium Dei, & ratione potentiæ, quia hoc sacramẽtum continet quoddã perfectionis genus, & consummationis operum Dei. Præterea hoc mysterium vtile esse nobis ratione naturali ostendi potest, tum ad exercendam fidem, ad quam multa miracula, quæ in eo sunt, maxime iuuant, tum ad fiduciam augendam erga Deum. Nam si Deus in hac vita ita stricte nobis coniungitur, nos sperare necesse est arctissimam cum Deo in gloria vnionem. Tum etiam ad excitandum amorem erga Deum, cum videamus amorem Dei erga nos in hoc sacramẽto ostensum, *Ioan. 13. cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Alia ratio vtilitatis nostræ deprompta ex perfectione Christianæ religionis, & statu nostræ Ecclesiæ, *In D. Thom. videtur 4. contra gentes, cap. 61.* Et alia ratio de sumpta ex virtutibus moralibus notetur *apud Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 66. sect. 7.*

10 Et quidem in re ita graui, & contra hæreticos acerrime nostris temporibus agitata ab orthodoxis Doctoribus, conueniens esse duxi in gratiam eorum, qui contra hæreticos pugnant, aliquantulum immorari. Quare sexto cõfirmanda est prædicta doctrina Catholica vrgentissimis testimonijs Sanctorum Patrum, quæ ad duo genera reducemus. Primũ genus est eorum, in quibus aperte pronunciatur, plane, & simpliciter habere nos, & accipere in sacrosancto Eucharistiæ sacramento corpus, & sanguinem Christi. Hic enim modus loquẽdi sine dubio denotat, corpus, & sanguinẽ Christi esse in hoc sacramento vere, realiter, & corporaliter, non vero esse in illo tantum vt in signo: sicut totis viribus contendunt Caluinistæ, *Sanctus Martialis in epist. ad Burdegalens. cap. 3.* sic inquit. *Quod Iudæi per inuidiam immolauerunt, nos in ara sanctificata salutis nostræ causa proponimus. S. Anacletus, epist. 2. sic ait, Dominus sacrificiorum corporis tractatores* (Scilicet Sacerdotes) *à vilibus, & reprobis personis infamari noluit, S. Iustinus apologia 2. ad Antoninum in fine, sic ait, non communem, vsitatumque, panem, vsitatam que potionem*

44.*ſect.*3. Et contrarium ſatis eſt probabile, & commune, vide *Nauar. cap.* 25. *num.* 120. *& Conin. tomo de Sacramentis, quæſt.* 74. *art.* 4. *dubio* 3. Quod ad nos modo non attinet examinare. Reſpondetur ſecundo Græcos, vel Latinos viuentes in terris extraneis in modum congregationis, vel alio modo habentes proprias Eccleſias ſeruare debere conſuetudinem ſuæ patriæ circa conſecrationem, probatur hoc, *ex Leone IX. epiſt. citata cap.* 29. Expreſſe hoc affirmante. Reſpondetur tertio, Latinos habitantes inter Græcos tanquam incolas, & non habentes proprias Eccleſias ibi, debere in fermẽtato conſecrare, & è cootra Græcos inter Latinos ſimili modo habitantes debere in azymo conſecrare. Probatur, quia, vt patet ex *Eugen. loco citato*, vnus quiſque debet ſeruare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, in qua autem cenſentur eſſe, & pertioere ad eam Eccleſiam, in qua tanquam incolæ commorantur. Quarto reſpondetur, Latinos per terras Græcorum tranſeuntes debere conſecrare in pane azymo, & Græcos per Latinorũ terras trãſeuntes in fermẽtato. Probatur ex Eugenio IIII. in literis vnioois, poſt vltimam ſeſsionem, *Concilij Florent.* Vbi ſimpliciter dicit, quemlibet Sacerdotem debere cõficere in azymo, vel fermentato, iuxta cõſuetudinem ſuæ Eccleſiæ. Quod etiam monet Leo IX. etiam ſi Saeerdos in alieno ſolo verſetur. Secundo probatur, quia Romæ quotidie faciunt Ita Græci Sacerdotes, & noſtri Sacerdotes in Græcia. Tertio probatur, quia durum eſt, Græcum Sacerdotem tranſeuntem per terras noſtras obligare ad conſecrandum in pane azymo, & more, ac idiomate Latino. Addit tamen Suar prædictos Sacerdotes debere obſeruare ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem obteota paſtorum licentia, in quorum territorijs verſantur: quam ipſi tenentur præſtare, ſi neque ſcandalum, neque aliqua alia rationabilis cauſa obſtet. Oppoſitum huius quarti dicti tenet Conin loco citato ductus generali doctrina, quia quilibet poteſt ſe accommodare conſuetudini loci, per quem tranſit. Verum hæc cõſuetudo locum hic non habet, & ita falſa eſt hæc ſentẽtia, vt patet ex dictis.

13 Ex hia reſpondetur ad argumenta contrariarum ſententiarum. Ad primum patet ex, q. 7. non conſecraſſe Domioum niſi Luna 14. ad vltimam veſperam, quando non erat in vſu niſi panis fermentatus. Ad ſecundum reſpondetur, panem azymũ eſſe, & dici ſimpliciter panem, licet enim panis dicatur à verbo attollo, quia fermentatione attollitur: aliud eſt, à quo nomen imponitur, aliud, quod nomen ſignificat. Ad tertium reſpondet *Anſelm. li. de azymo, & fermentato*. Illa verba, litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Eſſe intelligenda ita, vt cortex literæ legis non præbeat nobis vires ad operandum, ſed occaſionem peccandi. Spiritu autem gratiæ nos accipere vires ad ſeruandam legem. Ad quartum *Amos.* 4. *Sacrificate de fermento laudem.* Reſpondet ibidem Anſelmus, illud ironice dictum eſſe à Propheta, vt patet ex illis verbis, impie agite. Ad ſecuodam ſententiam nihil reſtat reſpondendum. Ad Tertiã reſpondetur, celebrare in azymo nõ eſſe ceremoniam Iudaicam, quia nõ vtimur azymo eo fine quo Iudæi vſi ſunt. Neque ex obligatione veteris legis, quæ neceſſaria ſunt, vt dicamur vti ceremonia Iudaica. Ad fundamentum quartæ ſententiæ reſpondetur, ex facto Chriſti non poſſe colligi, ad valorem conſecrationis requiri azymum, ſed requiri panem verũ; panis autem azymus, & fermentatus ſunt veri panes. Ad quintam ſententiam reſpoodetur, conſuetudinem Eccleſiæ Græcæ eirca fermentatum optimo niti fundamento, vt patet ex ſecunda concluſione. Ad ſextam ſententiam reſpondetur, factum Chriſti conſecrandi in azymo non induxiſſe obligationem, ſicut neque conſecraodi ad veſperam, & præceptum conſecrandi in azymo ſolum ad Latinos ſe extendere, vt patet ex quarta concluſione. 14

Quæres tamen primo, quale ſit præceptum conſecrandi in azymo in Eccleſia Latina. Reſpõdetur cum *Enriquez lib.* 8. *de Eucharistia capit.* 11. *numer.* 6. Hoc præceptum obligare ſub mortali, quia eſt in re graui, & eſſe Eccleſiaſticum deriuatum à tempore Apoſtolorum, *vt ait Leo IX. epiſt. citata.* 15

Quæres ſecundo, an ratione alicuius neceſſitatis, vt ratione adminiſtrandi Euchariſtiam ægroto liceat vti fermeotato inter Latinos, cum alius panis non eſt poſsibilis? Ad hoc reſpondetur cum *Vazquez, loco citato in fine diſputationis, & cum Ledeſma* 1. *part. quarti quæſt.* 15. *artic.* 4. *dubio* 1. Id non eſſe licitum, tum quia Euchariſtia non eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ſed tantum ex præcepto, tum quia præceptum Euchariſtiæ nõ obligat, niſi, cum commode recipi poteſt, & cum commode celebratur ſeruatis circunſtantijs, vaſis ſacri, & veſtis ſacræ, &c. Et ſimiliter cõſecrandi in azymo, & eadem eſt ratio de Sacerdote Græco, qui vellet inter Græcos vti azymo ad miniſtrãdam Euchariſtiam ægroto.

QVAESTIO IX.

Vtrùm vinum vitis ſit neceßarium ad valorem conſecrationis calicis?

HÆRETICI quidam nomine Ebionitæ aquam puram ad conſecrandum adhibebât, teſte *Epiphanio hæreſ* 30. Sit

Sit prima conclusio certa de fide. Vinum vitis, quæ proprie dicitur vitis, est materia ad consecrationem calicis simpliciter necessaria, ita vt aliàs non fiat consecratio sanguinis Christi. Ita definitur, *In Concilio Lateranensi sub Innocent. III. & refertur in cap. firmiter de sum. Trinitat. & fide Cathol. & ita etiam definitur ab Eugen. IIII. in decreto fidei, quod est post vltimam sess. Concilij Florent. §. 3. est.* Dixi vinum vitis, vt excludatur vinum pomorum, & aliarum arborum, &c. Dixi, vinum vitis, quæ proprie dicitur vitis, quia sunt aliæ arbores, vt balsamus quæ dicitur vitis, sed non propriè, sed largo modo. Probatur primò, quia vt ait, *D. Thom. 3. p. quæst. 74. art. 5.* Christus creditur instituisse hoc sacramentum in solo vino vitis, vt patet, *Matth. 26. non bibam à modò de hoc genimine vitis, &c.* Secundo probatur, quia solum illud vinum est materia consecrationis, quod simpliciter, & proprie est, & dicitur vinum, at solum vinum vitis est, & proprie dicitur vinum simpliciter. Ratio autem congruentiæ ad instituendum vinum pro materia consecrationis ea est, quia, vt inquit, *Clemens Alexand. 2. pædagogorū cap. 2.* Vinum simul est nutrimentum, & medicamentum, & lætificat cor hominis, vnde aptè significat huius sacramenti effectum. Quodlibet autem vinum vitis siue differant inter se vini specie, siue non, siue sit album siue rubrū, est idonea materia consecrationis.

3 Secunda conclusio. Agresta siue sit expressa, siue non, nequit esse materia consecrationi calicis apta. Probatur primo ex Missali Romano, in quo inter defectus Missæ annotatur in agresta consecrare. Secundo probatur, quia succus agrestæ non est aliquo modo vinum, donec maturescat.

4 Tertia conclusio ab omnibus in confesso habita, mustum ex vuis expressum esse sufficientem materiam ad consecrandum, (licet sine necessitate non sit adhibendum, vt postea dicemus) ità habetur, *In canone cum omne de consecrat. dist. 2. qui desumptus est ex Iulio Papa in epistol. ad Episcopos per Ægyptum missos.* Probatur ratione, quia mustum est proprie vinum, & ab aliquibus adhibetur ad potandum, quod si Iulius ibidem damnat eos, qui expressum racemum in sacrificium offerunt, ex eo est, vt sentit, *D. Thom. loco citato,* Scilicet propter impuritatem musti, quia habet admixtas alias partes alterius substantiæ, propter quam causam tollenda est consuetudo miscendi mustum vino in die transfigurationis per expressionem vuarum.

5 Quarta conclusio. In vino, quod dicitur lora Hispanè aguapie, eo modo, quo communiter fit, vt bene, *Vazquez 3. tomo in 3. par. quæst. 74. artic. 8. disp. 175. cap. 1.* Non fit consecratio valida, probatur, quia maior eius pars est aqua: quod si maior pars esset musti, & aquæ parua, ita vt in vinum conuerteretur, posset esse apta materia. In qua re consulendæ sunt consuetudines prouinciarum circa infusionem aquæ vuis expressis. Et simili modo dicēdum de vino, cui oua, vel species aromaticæ coniunguntur.

Quæres tamen primo, an acetum sit idonea materia? Respondetur perfectum acetum non esse idoneam materiam, quia reuera vinum non est, quando verò non est perfectum acetum, sed vinum ad corruptionem aceti tendens, est idonea materia. Ita intelligitur *Innocentius Tertius lib. 4. de sacrificio Missæ, cap. 30. & Isidorus lib. 4. Etymolog. cap. 3.* Dum indicant, acetum esse materiam sufficientem. 6

Quæres secundo, an vinum congelatum sit idonea materia. Quidam negant ducti, primo quia non bibi potest, sicut nec vinum in vua inclusum, secundo quia aqua congelata non est apta materia baptismi, ergo nec vinum congelatum, tertio quia per congelationem corrumpitur vinum, & amittit vini naturam. Ita *Armil. verbo Eucharistia, numero 19. Alanus libro 1. de Eucharistia capit. 11.* Sed respondetur, esse idoneam materiam; patet, quia idem requiritur ad hoc, vt species conseruent consecrationem, & ad hoc, vt eam à principio recipiant, sed ad consecrationem retinendam, non obstat congelatio, vt patet ex missale Romano dicente, quod si species consecratæ congelentur, liquefiant, & sumantur, ergo non obstabit, vt à principio fiat consecratio. Ad primam rationem in contrarium respondetur, vinum congelatum non habere rationem cibi, sed potus natura sua, licèt per accidens non possit bibi; sicut panis durus, licet non possit comedi, cibus est. Vinum enim congelatum effectum habet vini, & potus, quia temperat calorem, & siccitatem, at mustum in vuis contentum habet rationem cibi, quia temperat frigiditatem, & humiditatem, & vinum in vuis contentum, etiam si verum esset vinum, (quod satis probabile iudico) at non potest consecrari, quia non verificatur pronomen, hic, quia non est in vua, vt in vase, sed vt in toto pars, sicut sanguis in animali; de quo non dicitur, hic. Ad secundam respondetur, aquam congelatam non esse materiam sufficientem, quia nequit lauare proxime, & actu, at vinum congelatum potest bibi, & ideo est materia, est enim sacramentum hoc in facto esse, baptismus verò in fieri tantum. Ad tertiam respondetur, per congelationem non corrumpi vinum amittendo naturam vini, non tamen licet, vt bene *Suarez 3. tomo in 3. part. quæst. 74. art. 8. sect. 1. in fine,* In hac materia consecrare propter dubiū, quia contraria sententia est ali 7

quantulũ probabilis,& quia est cõtrà Ecclesiæ A consuetudinem. Mustum verò coctum, quod Hispane dicitur artope, vt bene *Ledesma in summa de Eucharistia cap.*4. Non est materia sufficiens, quia calore ignis amittit substantiam vini.

QVAESTIO X.

Vtrùm sit necessarium aquam miscere vino consecrato?

1 IN hac quæstione hæretici Armenij, vt colligitur *Ex patribus Trullanis canone* 32. & *ex Niceforo lib.*18.*historiæ cap.*53. Docuerunt, B solum vinum sine vlla mixtione aquæ offerendum esse in consecratione, & hunc errorem sequuntur Lutherani, & Caluinistæ. Probatur primò hæc pars, quia mixtio aquæ cum vino pessimam habet significationem, nam Isaiæ primo dicitur, vinum tuum mixtum est aqua, quod ibidem explicat Hieron. de sinceritate corrupta à Iudæis. Secundo probatur, quia, si hæc mistio aquæ cum vino esset necessaria, maxime ad significandum ex latere Christi mortui fluxisse aquam, & sanguinem, sed hac ratione non est necessaria, quia aqua exiuit non mixta sanguine, tum, quia sanguis ille cum aqua significat secundum patres baptismum, & Eucharistiam. Tertio probatur, quia C per mixtionem aquæ cum vino volumus significare coniunctionem, & vnionem nostri cum Christo, hæc autem non debet hic significari, sed passio Christi, tum quia Christo non vnimur, nisi post effusionem sanguinis, & in morte eius, ergo perperam aqua miscetur ante cõsecrationem, tum etiam, quia Christus suo solo sanguine nos redemit, ergo non debet in calice, qui significat passionem, aqua misceri, ne opera nostra coniungamus passioni Christi; quasi dicentes Christi passionem non fuisse satis ad nostram redemptionem.

2 Secunda sententia est aliquorum scholasticorum asserentium, præceptum miscendi aquam vino esse diuinum, ita senserunt, *Alexand. Alen. 4. part. quæst.*10.*membro* 4.*art.*1.§. 6.*in solutione argumentorum, Hosius in confessione Catholica cap.*14. Probatur primò, quia certa D traditione nobis constat, Christum aquam vino miscuisse, sed nos debemus Christum in sacramentorum consecratione imitari, ergo hoc præceptum à Christo traditum est, vt aquam vino misceamus. Secundo probatur ex *Cypriano epist.* 63. *in ordine, quæ est.* 3. *libri* 2. Vbi in principio epistolæ hanc mistionem appellat Dominicam traditionem. Tertio probatur, quia *Concilium Carthaginense tertium Canone* 24.*&* *Affricanum Can.*4. Hoc præceptum appellant Dominicam traditionem, *& Concilium Aurelianens.*4.c.4. Vocat illud mandatum Saluatoris.

Tertia sententia defendit, mistionem aquæ cum vino esse de necessitate sacramẽti. Ita sensit *Armacanus, lib.*6.*de q. Armenorum.c.*9. Probatur primo quia materia, quam Christus instituit, est de necessitate sacramenti, sed vinũ mistum aqua est institutum à Christo pro materia huius sacramenti, ergo illud est de necessitate sacramenti. Secundo probatur tertio argumẽto *D.Thom.*3.*p.q.*74.*art.*7. Quia, si aqua non esset de necessitate huius sacramenti, posset misceri vino aqua rosacea, vel alia quæuis, at hoc est contra vsum Ecclesiæ, ergo aqua est de necessitate sacramenti. Tertio probatur ex *Cypriano ad Cæcilium.* Cuius hæc sunt verba, *Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur: quomodo, nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrumque, scilicet farina, & aqua fuerint adunata.* 3

4 Quarta sententia est *Vvaldensis to.* 3. *qui est de sacramentis, titulo* 4. *cap.*32.*num.*10. Scilicet, Christum non miscuisse aquam vino ad consecrationem. Quod probatur primo ex Augustino, cuius locum non refert, sed solum ait, illum dixisse, Christum non instituisse vinum mixtum. Secundo probat ex *Chrysost. homil.* 83. *in Matth.* Vbi de Christo inquit. *Quoniam, & tum mysteria tradidit, vinum tradidit.* Vbi non fit mẽtio aquæ. Tertio probat ex *Innocent. III. in ca. de quadam nostra, de celebrat. missarum,* Vbi ait, *Neque hoc posset argumento probari, quod in sacramento Eucharistiæ miscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed flegma cum sanguine fluxit.* Ergo non miscuit Christus aquam vino, aliàs, & nos eam miscere deberemus, quamuis ea ex latere Christi non emanasset.

5 Prima conclusio. Conueniens est aquam vino miscere ante consecrationem. Cõclusio est de fide, & probatur primò ex *Concilio Florent. in decreto Eugenij, & ex Trident. sess.*22.*ca.*7. *& ex cap. in quadam, & ca. cum Marthe de celebrat. miss. & cũ omne crimẽ de cõsecrat. d.*2. Probatur secũdo ex vniuersali Ecclesiæ traditione, quæ ita miscet aquam vino: quæ traditio ex dictis locis patet, ex multisque Sanctis Patribus, quos refert late *Suar. dicto* 3.*to.q.*74.*art.* 8.*sect.* 2. *& vt bene notat D.Thom. in* 4.*dist.*11.*art.*4.*quæstiũcula* 1. *q.* 2. de aqua non faciunt mentionem Euangelistæ in institutione huius sacramenti, quia non est materia sacramenti, licet eius appositio vino sit conueniens. Huius autem rei congruentiæ nonnullæ sunt, prima quia Christus Dominus ita fecisse creditur, vt postea videbimus. Secũda ad repræsentandũ sanguinẽ, & aquã, quæ de latere Christi exierunt, vt habetur. *In c.*1.*de consecrat. dist.*2. Tertia ad significãdũ effectũ huius sacramẽti, qui est vnio Ecclesiæ cũ Christo, quia per aquas populi signifi-

ficantur, secundum illud *Apocalyp. 17. Aquæ multæ populi multi*, quas rationes vt potissimas attigit *Concilium Tridentinum Sessione 22. cap. 7.* alias plures adducit *Suarez loco citato.*

6 Secunda conclusio. Non sub præcepto diuino, sed tantùm sub humano, & Ecclesiastico tenemur aquam vino miscere. Ita communius Doctores, præsertim *Scotus in quarto dist. 11. quæst. 6. in fine, Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 6. Petrus de Ledesma in Summa verbo, Eucharistia, cap. 4. Vazquez 3. tomo in 3. part disp. 177. cap 2. Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 45. sectione 2.* Probatur primò *ex Eugenio Quarto in decreto fidei, quod est post vltimam Sessionem Concilij Florentini §. tertium est Eucharistia.* Vbi solùm reprehendit Armenios, quod non miscendo aquam vino ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine recederent, si autem diuinum præceptum in hac re violarent, propter hoc grauius essent reprehendendi. Secundò probatur *ex Concilio Tridentino Sessione 22. capit. septimo, ibi: Monet deinde sancta Synodus; præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant.* Si autem hæc mistio esset ex præcepto diuino, non dixisset solum Conciliũ, esse præceptum Ecclesiæ. Vnde constat, Ecclesiam in hoc præcepto iusta de causa posse dispensare, nemo autem priuata authoritate posset ob aliquam necessitatem occurrentẽ omittere hanc mistionem aquæ ad hoc Sacramentũ conficiendum, quia hoc Sacramentum non est necessarium omninò ad salutem, sed tantum ex præcepto, hoc autem non obligat, scilicet, recipere Eucharistiam etiam in articulo mortis, nisi cum consecratur debito modo. Quod præceptum non tradidit primo *Alexand. primus*, vt aliqui sentiunt, vt patet ex primo conclusione, & vt constat ex ipso *Alexand. I. epist. 1. cap. 4. ibi: Non enim debet, vt à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinũ solum, aut aqua sola offerri.* Quod præceptum vt in materia graui obligat sub mortali.

7 Tertia conclusio. Mistio aquæ cum vino non est necessaria ad valorem consecrationis. Hoc docet *D. Thom. loco citato art. 7. & omnes Theologi cum Magist. in 4. dist. 11.* Probatur primò ex *decreto Eugenij IIII.* in quo primum dicitur: *Materiam esse panem triticeum, & vinum de vite*, postea vero subditur, *cui scilicet vino an te consecrationem modicissima aqua misceri debet.* Quo modo loquendi aperte iudicat Conciliũ, mistionem aquæ non esse de necessitate materiæ, alias cum dixisset, materiam esse panem, & vinum, addidisset, vinum aqua mixtum. Secundò probatur ex *Cypriano lib. secundo, epistola 3. inter finem & medium*, vbi ait: *Si vinum sine aqua consecretur, incipere sanguinem Christi esse sine nobis.* Id est sine significatione nostræ sanctificationis, sentit ergo infusionem aquæ non esse de necessitate Sacramenti; alias sine

A aqua non conficeretur sanguis. In eo autem casu, quo vinum sine aqua consecraretur, significaretur sanguis Christi, qui potissimè, & essentialiter est res huius Sacramenti, licet non significaretur aqua, quæ de latere Christi exiuit, neque sanctificatio nostra per sanguinem Christi, quia hæc non sunt essentialia in huius Sacramenti significatione, quamuis hæc tunc non negentur, vt bene aduertit *Suarez loco citato.* Tertiò probatur hæc conclusio, quia mistio aquæ est de præcepto Ecclesiastico, vt patet ex tertia conclusione, ergo non est de necessitate Sacramenti, quia Ecclesia non potest aliquid addere, vt materiam necessariam, & essentialem Sacramentis. Vltimò probatur ex sensu communi Ecclesiæ, qui hoc

B. confirmat, vt bene *Vazquez loco citato*, tùm quia, vt docet *Armilla verbo Eucharistia*, Græci non miscent aquam, & consecrant, & si post consecrationem vini deprehendatur, non esse mistum aqua, non debet aqua apponi, quia nõ debet materia non consecrata admisceri consecratæ.

Quarta conclusio. Quæ de fide est, his verbis continetur, Christus Dominus in cœna ante consecrationem aquam vino miscuit, vt sanguinem suum consecraret. Hæc conclusio non habetur in Scriptura. Probatur tamen antiqua Ecclesiæ consuetudine Patrum testimonio roborata. Primo *Iacobus frater Domini ita expressit in sua Liturgia, quæ est in sexto tomo Bibliothecæ sacræ, his verbis: Similiter postquam*

C *cœnauit accipiens calicẽm, & permiscens ex vino, & aqua, Marcus Euangelista sic inquit, similiter calicem postquam cœnauit accipiens, factaque vini, & aquæ commistione.* Ita tradidere ex Græcis *Basilius in sua Liturgia, Chrysostomus in sua Liturgia, ex Latinis, Clemens Roman lib. octauo, constitut. capit. 17. alias capit. 12. Ambrosius lib. quarto de Sacramentis, capite quarto, Augustinus tractatu 120. in Ioannem. & alij relati à Vazquez disp. 176. cap. 1. ex Concilijs, & Summis Pontificibus, Alexander Primus epistola 1. cap. 4. Iulius Papa relatus Canone cum omne crimen, Concilium Africanum Canone 4. Carthaginensis tertium Canone 24.* Cui interfuit *D. Augustin.* Tandem hæc conclusio probatur *ex Eugenio IIII. in de-*

D *creto fidei, quod est post vltimam Sessionem Concilij Florent. §. illo tertium est Eucharistia, ibi: Aqua autem ideò admiscetur vino, quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum creditur, Christũ Dominum in vino aqua permisto hoc instituisse Sacramentum, & ex Tridentino Sessione 22. capit. 7.* Vbi dum redditur ratio, quare vino aqua misceatur in calice, sic dicitur: *Tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur.*

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ dicimus, aquæ mistionem cum vino sumptam esse in malam partem ab Isaia sumpta similitudine à 9

cauponibus, qui miscent aquam vino, à Christo vero sumptam esse in significationem boni, vt patet ex secunda, & tertia ratione primę conclusionis. Ad secundum respondetur in ipsa infusione, in qua distincta, & inconfusa sunt aqua, & sanguis, bene significari aquam, & sanguinem, quæ de latere Christi inconfusa fluxerunt, & quemadmodum post effusionem aqua, & sanguis in terra sunt permixta, ita etiã aqua cum vino in calice miscentur. Tùm etiã dicimus, aquam & sanguinem, quæ fluxerunt ex latere Christi, significare quidem duo Sacramenta Eucharistiæ, & Baptismi, significari tamen per aquam mistam vino. Ad tertium argumentum respondetur, in Eucharistia non tantum significari passionem Christi, sed etiã vnionem populorum inter se, & cum Christo. Tùm secundo, quamuis aqua vino misceatur, nolumus significare, nos Deo offerri vt sacrificium, sed nos participare fructum huius sacrificij.

10 Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum concedimus, Christum Dominum miscuisse aquam vino, negamus tamẽ propter hoc, aliquam legem de mistione Christum nobis reliquisse. Ad secundum respondetur, Cyprianum in ea fuisse sententia. Ad tertium ex Conciliis respondet optime *Vazquez disp. 177. cap. vltimo*, traditionem, vel mandatum in his testimonijs expressa non referri ad mistionem aquæ cum vino, sed ad oblationem vini.

11 Ad argumenta tertiæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus aquam non esse institutam à Christo pro materia huius Sacramenti, sed vinum. Ad secundum respondetur, esse miscendam aquam naturalem ex præcepto Ecclesiæ iuxta traditionem, & consuetudinem eius, quia ita creditur, Christum miscuisse, & quia de latere Christi aqua naturalis manauit. Vt definitur *in capit. in quadam de celebratione Missarum, sicut sensit D. Thom. tertia part. quæst 74. artic. 7. ad tertium.* Ad argumentum tertium respondetur cum *D. Thom. ibidem ad secundum, & cum Vazquez loco citato*, Cyprianum esse intelligendum de necessitate præcepti, non Sacramenti, & ad hoc tantùm adduxisse illam similitudinem farinæ, & aquæ, quæ sunt necessaria ad consecrandum corpus ex præcepto, licet fuerint necessaria ad rationem Sacramenti.

12 Ad argumenta quartæ sententię respondetur. Ad primum non reperiri aliquod testimonium Augustini, quod ei sententiæ faueat. Ad secundum Chrysostom. dicimus eum vinum cum aqua miscuisse, vt patet ex sua liturgia, sed cum in dicto loco non fecit mentionem aquæ, ex eo est, quia disputabat contra Ebionitas, qui solum aquam ad consecrandum adhibebant. Ad tertium respondetur, Innocentium solũ voluisse in eo casu, quo aqua de latere Christi non manasset, non esse ob eam significandã aquam vino miscendam, non tamen negat etiã tunc non esse ob alias causas miscendam.

Quæres primò, in qua quantitate debeat aqua misceri? Respondetur *Eugenium Quartum loco citato*, dixisse, debere esse modicissimam, sed quanta futura sit, arbitrio prudentis, & cõsuetudini standum est, vnica autem gutta sufficiet. 13

Quæres secundò, quæ aliæ circunstantiæ in infusione aquæ seruandæ sint? Ad quod respõdetur primo esse miscendam à Sacerdote in altari, & in vase sacro, Iuxta *D. Thom. loco citato, art. 8.* Tùm quia ita habet consuetudo, tùm quia debet Christum sub præcepto suo facto imitari Sacerdos, quod si Subdiaconus aquam infundit in missis maioribus, hoc facit nomine Sacerdotis. Deinde fieri debet mistio ante oblationem vini, & vt dicitur in Missali Romano, debet fieri post Euangelium facta prius oblatione hostiæ, in quo aliæ consuetudines aliarum religionum seruari possunt. Quod si deprehendatur post oblationem, & ante consecrationem non esse aquam mistam, ea est miscenda. 14

QVÆSTIO XI.

Vtrùm aqua, quæ miscetur vino conuertatur in corpus Christi, & quo modo?

IN hac re teste *Innocentio III. in capit. cum Marthe, de celebratione Missæ.* Variæ fuerunt sententiæ. Prima asserentium, vinum in sanguinem Christi, & aquam in humorem flegmaticum, qui de latere Christi exiuit, conuerti. Secunda opinio docet, aquam infusam vino semper manere in natura aquæ, & ita nunquam in vinum, neque in sanguinem conuerti. Tertia sententia est, aquam prius in vinum conuerti, & postea in sanguinem Christi. Quarta sententia est, præter eas, quas refert Innocentius, recentiorum Theologorum asserentium, aquam mistam secundum plures sui partes cum vino manere in sua propria natura, conuerti tamen in sanguinem simul cum vino immediate. Hoc dicendi genus secutus est *Alanus lib. primo de Eucharistia, capite decimotertio*, & multi recentiores, inter quos est *Conimr. tomo de Sacramentis, quæstione 74. articulo tertio, dubio vnico.* Probatur hæc sententia quarta, primo authoritate multorum Patrum, qui vno ore fatentur aquam, & vinum in sanguinem Christi conuerti. Ita *Damasc. lib. quarto de fide, cap. 14. Paschasius Abbas Corbeiens, lib. de corpore, & sanguine Domini, cap.*

cap.11. ſtatim poſt medium. Raban.lib. de corpore & ſanguine Chriſti, cap.4. Ambr.lib.4.de ſacramẽtis, c.4. Cuius hæc ſunt verba. *Ante verba Chriſti calix eſt vino, & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur, & ſimilem modũ loquendi retinent Dam, lib.4. orthodoxæ fidei, c.14. Iuſtinus Martyr, Apologia 2. pro Chriſtianis ſub finem, & alij relati à Varonio, tom.12. Annaliũ ſub finem. Anni* 118. Deinde probatur hæc ſententia, probando non poſſe aquam in vinũ cõuerti, vt in ſanguinem Chriſti conuertatur per cõſecrationem, ac proinde ipſam immediate in ſanguinem tranſire. Probatur autem ſecundo in ordine, quia vix credi poteſt, aquam in vinum conuerti, quia *Concilium Triburienſe, c.19.* docet, poſſe miſceri tertiam partem aquæ vino conſecrando, at qui poteſt eo breui ſpatio, quod intercedit inter offertorium, & cõſecrationem, ea quantitas aquæ in vinum conuerti? Tum, quia accidere poteſt, vt poſt ſumptum Chriſti corpus appareat vinum non eſſe calici infuſum, & ita neceſſe ſit, illud infundere, & aquam miſcere, & ſtatim conſecrare, tunc autem non poteſt aqua in vinum conuerti, ergo, vel aqua immediate conuertitur in ſanguinẽ Chriſti, vel manet in ſua natura. Tertio probatur, quia credibile eſt, Chriſtum in cœna bonã partem aquæ vino admiſcuiſſe, vt temperate biberetur: quæ quidem quantitas conuerti nõ potuit in vinum. Quarto probatur, quia ſi panis efficiatur ex farina triticea, & hordeacea totus conuertitur in corpus Chriſti, ergo & totus calix in ſanguinem Chriſti conuertitur. Quinto probatur, quia ſi aqua nondum in vinum conuerſa non conuertatur in ſanguinem, ſequeretur, falſam eſſe formam; hic eſt ſanguis, &c. Patet, quia pronomen, Hic, ſignificat, totam materiam præſentem conuerti in ſanguinem Chriſti. Sexto probatur, quia, quãuis aqua non cõuertatur in vinum, tamẽ illud totum, quod eſt in calice, dicitur vinum, & demonſtratur verbis conſecrationis, quare & in ſanguinem conuertitur. Septimo probatur, quia arte aliqua poteſt ſeparari aqua à vino, cui admiſta fuerat, ergo non conuertitur in vinum. Octauo probatur, quia ſi aqua manens in ſua ſubſtantia non conuerteretur in ſanguinẽ, ergo ſequitur, quod in eo caſu, quo non eſſet in vinum conuerſa, & ſimul cum ſanguine ſumeretur à Sacerdote, eum non eſſe ieiunum, quare poſtea nõ poſſe ſecundam Miſſam celebrare. Nono ſequitur, non poſſe nos adorare adoratione latriæ calicẽ, quia exponimus nos periculo adorandi aquam in propria natura. Quod non eſt concedendum. Decimo obijcit *Conin. loco citato à num.167.* Quia Ariſtoteles, & Plinius, omneſque medici dicunt, aquam non poſſe in vinum conuerti. His autem vt in ſua arte pluſquam Theologis credendum eſt. Vndecimo obijcit, quia corpora ſimplicia, qua-

A lis eſt aqua, non poſſunt in miſta conuerti, ergo neque aqua conuertetur in vinum. Duodecimo, quia aqua eſt tenaciſsimæ naturę, & quę maxime reſiſtit contrarijs, ergo, vel non conuertitur in vinum, vel ſaltim non omnis, ſed tã tum partes eius craſsiores; ſicut homo non cõuertit in ſe totum alimentum, ſed aliquas partes. Decimo tertio obijcit Conin. quia ſaltem vina tenuia, & debilia, vt Louanienſia, nõ poſſunt aquam in ſe conuertere præſertim in eo paruo interuallo tẽporis, quod intercedit inter oblationem vini, & eius conſecrationem.

Prima concluſio. Aqua nullo modo conuer- a
titur in calice in humorem flegmaticum. Ita ſentit *Innocent. III. cap. in quadam de celebrat. Miſſ.* Probatur primo, quia re vera, vt conſtat
B ex doctrina *Ariſtotelis 1. de generat. c. vlt. textu* 88. Hæc modiciſsima aqua infuſa bonæ quãtitati vini iuxta doctrinam traditam in præcedenti quæſtione facile à vino propter ſuam magnam actiuitatem in ſe ipſum conuertitur. Probatur ſecundo, quia verba conſecrationis efficiunt, quod ſignificant, vt patet de verbis aliorum ſacramentorum. Sed verba hæc nullo modo ſignificant conuerſionem in humorem flegmaticum, ſed in ſanguinem, ergo aqua in illum humorem non conuertitur.

Secunda concluſio. Ex latere Chriſti exie- 3
runt verus ſanguis, & vera aqua. Ita docet Catholica fides, & docet *Innocent. eo loco citato.* Probatque *Innocent. ex illo Ioan.19. & continuo exiuit ſanguis, & aqua,* Et confirmatur, quia
C verba ſcripturæ accipienda ſunt vere, & proprie, cum ergo dicatur effluxiſſe ſanguinẽ, & aquam, de vero ſanguine, & vera aqua intelligendum eſt.

Tertia concluſio. Aqua infuſa calici prius 4
conuertitur in vinum, & poſtea in ſanguinẽ; & niſi in vinum conuertatur, in ſanguinem nõ conuertetur. Ita docent *Diuus Bonauent. in 4. diſtinct.11 p.2.art.1.q.3. in corpore, Palud.q.1. art.6. concluſ.5. Maior.quæſt.2.parum poſt initiũ.* Et communiter Thomiſtæ, & hanc concluſionem ſine dubio docuit *Innocent. III.* eo cap.cũ relatis, prima, & ſecunda opinionibus à nobis ſupra allatis, & alia tertia, quæ aſſerit, aquam prius in vinum conuerti, & poſtea in ſanguinẽ Chriſti, addit, *Inter opiniones prædictas illa proba-*
D *bilior videtur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* In quibus vltimis verbis ſine dubio alludit ad hoc quod aqua prius in vinũ, & poſtea in ſanguinẽ cõuertatur. Quia hæc erat vna ex opinionibus allatis, & nõ ad illud, quod aqua immediate cum vino in ſanguinem conuertatur. Quia hæc opinio non erat inter opiniones relatas. Probatur ſecũdo, quia illud immediate cõuertitur in ſanguinem, quod eſt materia conſecrationis, at aqua non eſt materia, ergo non conuertitur in ſanguinem immediate. Minor probatur, quia *Eugen. IIII. in ſuo*

X 5 decreto

decreto relato, tomo 4. Conciliorum apud me fol. 495. §. tertium est Eucharistiæ sacramentum. Dũ de materia huius sacramenti agit, sic inquit. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Vbi modus ipse loquẽdi satis iodicat, aquam non esse materiam, & infra subdit. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.* Quod si aqua immediate in sanguinem conuerteretur; sicut dicitur, vinum offerri, ita diceretur, aquã offerri. Secundo eadem minor propositio probatur, *Ex Tridentino sess. 13. nam in cap. 1. docet, Christum post consecrationem panis, & vini esse sub eorum speciebus, & cap. 3. sic ait, Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie vna cum ipsius anima, & diuinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum, & cap. 4. sic inquit, per consecrationem panis, & vini cõuersionẽ fieri totius substãtiæ panis in substãtiã corporis Christi Domini nostri, & totius substãtiæ vini in substãtiã sanguinis eius, & eadẽ sess. Can. 2. sic dicitur. Siquis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiã panis, & vini vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque, mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; Anathema sit.* In quibus locis, cum tantum fiat mentio vini, & non aquæ, & specierum vini, & non aquæ, & cum Canone secundo dicatur, tantum manere species vini, & panis, & non dicatur, manere aquæ species, sequitur, vinum tantum esse materiam. Vnde aqua non conuertitur immediate in sanguinem, sed mediate per hoc, quod prius vertatur in vinum. Et confirmatur, quia vt patet ex quæstione præcedenti, aqua miscetur vino tantum ex præcepto Ecclesiastico, ergo non est materia, quæ immediate possit in sanguinem conuerti, quia aliàs misceretur ex præcepto Diuino, & quia Ecclesia nequit materiam sacramentorum instituere. Vltimo probatur ratione, *Nuño super 3. p. quæst. 74. art. 8.* Quia sequitur, solam aquam posse consecrari. Tum quia vera materia est ex opposita sententia, tum quia sicut post consecrationem vini, & aquæ corruptis speciebus vini maneret sanguis sub speciebus aquæ solis. Ita etiam à principio posset manere, & posset sola aqua consecrari, vt dictum est, hæc autem inaudita sunt. Ergo dicendum est, aquam non posse immediate in sanguinem conuerti. *Sed Conin loco citato, num. 183.* Duo respondet argumento ex Cõ-

A cilijs sumpto. Primum Concilia sub nomine vini, & specierum vini comprehendere aquã, quia est minor pars illius misti; & mistum denominatur à maiori parte. Secundum, Concilium Canone 2. non negare, manere etiam species aquæ, sed tantum contendere contra Lutheranos, solas species panis & vini, & nõ substantias eorum manere post consecrationem. Sed prima respõsio nimis dura, & extorta est Primò, quia illũ vulgarem, & minus propriũ loquendi modum non creditur Conciliũ imitatum esse, dum rigorose, & proprie contendit materiam demonstrare. Secundo, quia si Concilium sentiret, aquam esse materiam, ne Lutherani putarent, saltem substantiam aquæ manere post consecrationem, debebat dicere
B manere tantum species aquæ, argumento vltimo respondet *Coninc.* Aquam separatam non esse materiam, sed coniunctam vino, & denominatam à vino. Sed falsa est responsio, quia illa mutatio solum est accidentalis, & non potest efficere aquam materiam. Vnde sententia opposita mihi non est probabilis pro nunc.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus, Sanctos, & Patres esse intelligendos ita, vt aqua prius in vinum, & postea in sanguinem simul cum reliquo vino conuertatur. Hanc solutionem ferre non potest *Conin. tom. de sacramentis, quæst. 74. ar. 8. dubio vnico.* Dicens, eam esse extortam, & contra authoritatem, & verba Patrum, & præcipuecontra Augustinum asserentem in calire
C post consecrationem manere vinum, & aquam denotans manere eorum species. Sed respondetur, Patres esse interpretandos per Concilia, & non è contra, & vt patet, *Ex Eugen. IIII. citato in quæstione præcedente.* Vinum tantum est materia. Imo, *& Tridentinum id insinuat sess. 13. Canone 2.* Vbi definit, totam substantiam vini conuerti in sanguinem, & non meminit aquæ. Quod stante consecrationem id, quod conuertitur in sanguinem, vocatur ab Ambro. aqua, & post cõsecrationem id prouenit, quia resultauit ex aqua, iuxta illud. *Ioannis II. cum vidisset aquam vinum factam.* Vbi vinum vocatur aqua, quia ex aqua factum erat. Ad secundum dicimus, certum esse, aquam in vinum cõuerti, si sequamur legem, *Eugen. IIII.* asserentem, aquam debere esse modicissimam. Legẽ
D autem *Concilij Triburiensis.* Quod non fuit approbatum, sequi non licet. quod si aqua non esset iã vinum conuersa in eo casu, quo postea perciperetur, non fuisse vinum infusum calici, & necesse esset: vt reuera est, ex iure diuino propter integritatem sacrificij vinum, & aquã calici infundere, & statim consecrare, de hoc non esset multum curandum, licet tunc non conuertatur in sanguinem. Ad tertium respondetur, Christũ sine dubio modicissimam aquã infudisse vino in nocte Cœnæ, vt in vinum cõ-

uerte-

uerteretur, neque obstitisse hoc temperantiæ discipulorum, quia cuilibet ex eodem calice parum vini propinauit Christus. Ad quartum respõdetur, farinam hordei, si modicissima sit, conuerti in panem triticeum, & postea in corpus Christi, si autem in panem triticeum conuertatur, in corpus Christi non conuertetur. Vnde similiter in aqua calicis contingit. Ad quintum respondetur, verba consecrationis calicis non denotare aquam, sed vinum, quia est præcipuum in calice tanquam maior pars, & quod tribuit denominationem calicis. Ad sextum respondetur, concedendo totum illud mixtum ex aqua modica, & multo vino dici vinũ, quia denominatio sumitur à re præcipua, & maiori, negando tamẽ, ob hoc aquam in sanguinem immediate conuerti; sicut si guta balsami esset in calice pleno vino, totum illud diceretur vinum; balsamum tamen in sanguinem Christi immediate non conuerteretur. Ad septimum respondetur, aquam posse arte aliqua separari à vino, quando est in magna quantitate infusa, vel, licet fuerit modica, cum non potuit propter temporis breuitatem in vinũ conuerti. Ad octauum respondet optime *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 60. sect. 4.* In eo casu consultius esse, vt Sacerdos reputet se non ieiunũ, & iterum non conficiat. Præter illum tamen casum, vel alium similem satis est, probabiliter credere, aquam esse in vinum conuersam, vt Sacerdos reputet se ieiunum, & iterum celebret. Ad nonum respondetur, spiritum summissionis & subiectionis, qui est latria, & soli Deo debetur, Deo deferri, & non alicui rei creatæ, at vero signa subiectionis exhiberi calici, & vini speciebus, cui non obstat, aliquid aliud esse mixtum speciebus.

6 Argumentis Conin. respondetur, Et in primis dico, virum Theologum potius debere niti Conciliorum generalium authoritatibus, quam rationis naturalis fundamẽtis: hæc enim fallibilia sunt; illæ minime. Ad argumentum ergo eius primum, & in ordine decimum dico, satis esse Theologos, qui etiam sunt Philosophi, dicere contrarium, tum quia, *Aristot. li. 1. de generat. cap. 10. tex. 89.* Sentit, aquam posse in vinum conuerti, quia ait, guttam vini posse in aquam conuerti: eadem enim est ratio vnius, & alterius. Ad vndecimum argumentũ respondetur, aquam hic apud nos non esse in sua perfecta natura, sed mixtam aliquibus partibus terrestribus, quare optime posse in vinũ conuerti. Ad duodecimum argumentum fatemur equidem aquam esse tenacissimæ naturę, hoc tamen non impedit, quominus dum illa modicissima est, & multo vino infunditur, tota conuertatur in vinum. Ad vltimum argumẽtum dicimus, in eo casu magnam quantitatem vini esse addendam aquæ, imò longe maiorẽ, quamdum vinum forte est, & efficax, vt con-

A tingit in vinis Hispanis, quod si tanta quantitas vini non apponatur calici, quod possit illa conuertere aquam in se, nullo modo eam conuerti in sanguinem, sed manere integram, & in sua propria natura, vel in aliud tertiũ mixtum conuerti.

QVÆSTIO XII.

Vtrum corpus Christi sit sub speciebus panis in hoc sacramento.

1 QVIDQVID in hac quæstione de præsentia corporis Christi sub speciebus panis disputauerimus, applica- B ri haud difficile poterit ad præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini, quia vtriusque assumpti eadem prorsus est assignanda ratio.

2 In hac celeberrima quæstione cum hæreticis nostri temporis acerrimè controuersa, & inter fidei dogmata præcipuum locum obtinẽte, sacra Concilia, sanctissimi Ecclesiæ nostræ patres, & nobiles scholastici magnopere insudarunt, sed in præsenti breuiter videtur expedienda, sine eo quod per hoc intendamus aliquid substantiale lectori subtrahere.

3 Multi extitere hæretici, qui cum huius mirabilis sacramenti præclarissimis radijs excæcati fuerint, & mentis acutie deturbati tantum fulgorem ferre non potuerũt, quare totis suis C nisibus hoc sacramentum labefactare conati sunt, & Christi Domini nostri præsentiam in eo negare ausi, quorum nomina, & loca quia late, & docte referunt nostris temporibus, *Bellarminus tomo 2. lib. 1. de Eucharist. Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 46. sect. 1. & Vazquez 3. tomo in 3. p. disp. 179. ca. 1.* Ideò illis supersedendum duximus.

4 His ita statutis sit prima conclusio de fide, corpus Christi sub speciebus panis vere, & realiter existit post peractam consecrationẽ. hæc veritas primo definita est, *In Concilio Alexandrino in epistola ad Nestorium.* Quæ fuit approbata *In Concilio Ephesino tomo 1. cap. 14.* Et secundo definita est, *in septima Synodo actione 6. tomo 3. in fine,* Tertio definita fuit *in Concilio* D *Romano sub Leone IX.* Explicata fuit quarto *in Concilio Vercelensi sub eodem Pontifice maximo.* Quinto hæc veritas stabilita fuit tanquam de fide *in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica.* Sexto eandem veritatem determinauit *Concilium Florent. in decreto Eugenij, quod est post vltimam sess. §. Tertium est. post mediũ illius.* Tandem eandem veritatem nobis ante oculos proposuit *Concilium Tridentinum sess. 13.* per omnia capita, & per omnes Canones. Quæ quidem veritas non solum certa est, sed etiam

tem erat, vt bene hic recentiores notant, sacramentum, restamentum, & dogma nouiter hominibus propositum. Hæc autem nunquam per figuras traduntur, sed clare: de sacramentis. Patet tam in antiqua, quam in noua lege. De restamētis patet, quia nemo etiam ignarus ea per tropos, & figuras condit, sed clare, vt litibus claudatur via. De dogmate fidei patet, quia, cum omnibus proponatur credendum, clare non per figuras est tradendum. Quod si aliquando in his rebus scriptura vtitur figuris, ex eo est, quia vel res erat antea clare proposita, vel, quia figuræ, & similitudines sunt apertæ, non obscuræ, quales sunt istæ, quibus hæretici vtuntur in his verbis insuitatos modos troporum inuenientes, quos læte refutant, & referunt, *Suarez, & Vazquez, disputationibus citatis.* Tum etiam, quia communis modus intelligendi scripturam est, nunquam ad tropos confugere, nisi scriptura, articulus fidei, communis Ecclesiæ sensus, aut euidens ratio ad id cogat. Nihil verò huiusmodi in hac parte reperitur, ergo sincere, & plane hæc verba intelligi debent, sic autem manifeste indicant, vt vera esse possint, præsentiam Christi in Eucharistia.

7 Plura patrum testimonia citat Caluinus, ad probandum hoc sacramentum tantum esse signum Christi. Sed ad hæc respondetur cum *Suarez 3. tomo in 3. parte disp. 66. sect. 4. per totā.* Vbi ea restimonia refert, & ad ea respondet, patres vel esse intelligendos de signo non vacuo, sed cōtinente, quod significat. Quod etiā *Vazquez, loco citato, cap. 7.* Indicat, vel esse intelligendos, dum denotant hoc sacramentum esse signum Christi, de significatione Christi in Cruce oblati, vel de significatione Christi in Cœlo existente modo visibili, vt ex aliis locis patrum constat. Alia adducunt hæretici fundamenta, quæ leuiora sunt, & ea exacte tractant, *Bellarm. lib. 1. de Eucharist. & Gregorius de Valentia tom. 4 disp. 6. q. 3. puncto. 1.*

8 Quarto probatur veritas nostra Catholica ex varijs miraculis, quæ fide præsentiæ Christi in Eucharistia contigerunt, & in huius veritatis confirmationem. Quæ commemorant, *Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini c. 14. Ambros. oratione de fratre suo Satyro. Nazian. oratione de sorore Gorgonia, Gregor. 2. dialogorum c. 24. Nicefórus lib. 13. historiæ cap. 7.*

9 Quinto licet ratione naturali nō possit probari hoc mysterium esse factum, quia supernaturale est, & pendens ex sola voluntate Dei, non ex principijs naturalibus. Et licèt ratione naturali non possit ostendi euidenter hoc mysterium esse possibile, quia nullum est principium naturale, ex quo deducere possimus euidenter hæc tria non esse contra essentiam accidentis, esse per se, vel non esse contra essentiam quantitatis esse sine extensione loci, vel esse in pluribus locis; certum tamen est primo, & euidens, hoc mysterium esse credibile, quod patet ex his, quæ supra dicta sunt, & ex his, quæ de conuenientia statim subijciemus. Secundo certum est, posse ratione naturali probari, hoc mysterium eucharistiæ non posse ratione naturali demonstrari esse impossibile, quia nulla est ratio naturalis, quæ euidenter probare possit illa tria supra dicta esse impossibilia, imò omnia argumenta ex ratione naturali deducta facile possunt ratione naturali solui. Tertio certum est, posse ratione naturali ostendi hoc mysterium, & esse conueniens Deo ratione bonitatis suæ, cui omnibus modis cōueniens est communicare se, & ratione suæ sapiētiæ, quia in hoc mysterio reperitur quoddam compendium mirabilium Dei, & ratione potentiæ, quia hoc sacramētum continet quoddā perfectionis genus, & consummationis operum Dei. Præterea hoc mysterium vtile esse nobis ratione naturali ostendi potest, tum ad exercendam fidem, ad quam multa miracula, quæ in eo sunt, maxime iuuant, tum ad fiduciam augendam erga Deum. Nam si Deus in hac vita ita strictè nobis coniungitur, nos sperare necesse est arctissimam cum Deo in gloria vnionem. Tum etiam ad excitandum amorem erga Deum, cum videamus amorem Dei erga nos in hoc sacramēto ostensum, *Ioan. 13. cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Alia ratio vtilitatis nostræ deprompta ex perfectione Christianæ religionis, & statu nostræ Ecclesiæ, *In D. Thom. videtur 4. contra gentes, cap. 61.* Et alia ratio de sumpta ex virtutibus moralibus notetur *apud Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 66. sect. 7.*

Et quidem in re ita graui, & contra hæreticos acerrime nostris temporibus agitata ab orthodoxis Doctoribus, conueniens esse duxi in gratiam eorum, qui contra hæreticos pugnant, aliquantulum immorari. Quare sexto cō firmanda est prædicta doctrina Catholica vrgentissimis testimonijs Sanctorum Patrum, quæ ad duo genera reducemus. Primū genus est eorum, in quibus aperte pronunciatur, plane, & simplicirer habere nos, & accipere in sacrosancto Eucharistiæ sacramento corpus, & sanguinem Christi. Hic enim modus loquēdi sine dubio denotat, corpus, & sanguinē Christi esse in hoc sacramento vere, realiter, & corporaliter, non vero esse in illo tantum vt in signo: sicut totis viribus contendunt Caluinistæ. *Sanctus Martialis in epist. ad Burdegalens. cap. 3.* sic inquit. *Quod Iudæi per inuidiam immolauerunt, nos in arca sanctificata salutis nostræ causa proponimus. S. Anacletus, epist. 2. sic ait, Dominus sacris sui corporis tractatores* (Scilicet Sacerdotes) *à vilibus, & reprobis personis infamari noluit, S. Iustinus apologia 2. ad Antoninum in fine, sic ait, non communem, vsitatumque, panem, vsitatamque potionem* 10

A *tionem capimus, sed; quemadmodum Dei Verbum homo factus Iesus Christus, & carnem, & sanguinem habuit, sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostræ communione aluntur, Iesu Christi eius, qui homo factus est, & carnem, & sanguinem accepimus. S. Ambros. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. Non erat, inquit, corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iam corpus est Christi. S. August. lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 9. sic clamat, Christum Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, & ore suscipimus.* Innumera alia Sanctorum Patrum testimonia pro primo genere afferre possemus, sed quia nos directe non disputamus contra hæreticos, allata sufficiunt. B Ad secundum genus testimoniorum illa pertinent, in quibus Sancti Patres expresse affirmarunt, non tantum in sacramento Eucharistiæ esse figuram Christi, neque tantum nos ei vniri secundum fidem, & gratiam, sed etiam re ipsa sumi in hoc sacramento corpus, & sanguinē Domini, *S. Damascenus namque lib. 4. fidei, cap. 14.* sic inquit, *Dominus ipse dixit, hoc est non corporis signum, sed corpus, nec sanguinis signum, sed sanguis. D. Chrysostomus homil. 60. ad populum Antiochenum. Semetipsum, inquit, nobis commiscet, & non fide tantum, verum, & ipsa re nos suum efficit corpus.* Vbi loquitur de coniunctione Christi nobiscum medio hoc sacramento, *D. Cyrillus Alexandrin.* Dum loquitur de hoc sacramēto, C *lib. 10. in Ioan. cap. 13. sic ais non habitudine solū, quæ per charitatem esse intelligitur, verum etiam participatione naturali Christus in nobis est, D. Augustin. lib. 2. contra literas Petiliani, capit. 37. Aliud est, inquit, Pascha Iudæorū, quod adhuc de one celebrant, aliud autem, quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus.* Sentit ergo Augustin. Sacramentum Eucharistiæ non esse tantum signum corporis Christi, sed vere illud cōtinere, aliàs hoc sacramentum non esset diuersum à sacramento agni Paschalis, quia hoc etiā erat figura Christi.

11 Obijciunt tamen hæretici contra Catholicam doctrinam subsequentia argumenta. Primum fit, quia Apostolus asserit, panem esse participationem corporis Christi, vt constat Ex 1. Corinth. 10. Quod tamen figurate accipiē D dum est, ergo etiam eodem modo accipiendū est id, quod dicimus, hoc sacramentum esse corpus Christi, scilicet, significare illud. Respondetur Paulum ibi non loqui de pane Eucharistiæ absolute, sed vt frangitur, & datur fidelibus, ita vt sensus sit, communicationem illius panis esse communicationē corporis Christi.

Secundum argumentum fit, quia Apostolus. 1. *Ad Corinth. 10.* Appellat Eucharistiam simpliciter panem, non est ergo illa Corpus, Christi. Sed respondetur, Eucharistiam vocari panem, quia panis videtur ratione specierum, quæ apparent, & quia ex pane conficitur, & quia animam vere nutrit spiritualiter; sicut panis corporalis nutrit corpus corporaliter.

Tertium argumentum fit ex illis verbis *Ioann. 6. Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Sed huic argumento respondetur, hæc verba duo denotare, primum ad hoc, vt ex isto sacramento consequamur aliquem effectum in anima, necessariam esse fidem, & spiritum, & non sufficere solam considerationem carnis Christi materialem, secundum carnem Christi tantum habere vim animam nutriendi, quia coniuncta fuit diuinitati. Quod totum colligitur *ex D. August. tract. 27. in Ioan.* 12

Quartum argumentum fit desumptum ex illis verbis *Pauli 1. ad Corinth. 10.* Vbi loquens de patribus veteris testamenti in hæc verba profluit, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Ex quo loco sic argumētantur hæretici. Antiqui patres eundem cibum, & eundem Christum manducauerunt, ac nos manducamus, sed illi tantum manducauerunt Christum in figura, & in signo, ergo etiam nos in sacramento Eucharistiæ eodem modo manducamus Christum. Huic argumento facile respondetur, ex verbis Pauli tantum colligi, eundem Christum antiquos patres manducasse olim, quem nos modo in Eucharistia manducamus: non tamen colligi, eos patres eodem modo manducasse, ac nos: illi enim tantum in figura Christum, nos in rei veritate illum manducamus. 13

Vltimum argumentum hæreticorum sic se habet. Si corpus Christi est cibus spiritualis, ergo animi, non corporis ore manducari debet: quare præsentia realis Christi in hoc sacramento adstruenda non est. Respondetur, Christum esse cibum spiritualem ratione gratiæ nutritiuæ, quam producit in anima, ob hoc tamen non subtrahitur, quin possit ore corporis assumi ratione specierum sacramentaliū, quibus cōiunctus est, quemadmodum etiam vnctio chrismatis in fronte confirmati effecta in corpore quidem recipitur, nihilominus tamen gratiam producit in anima conferentem robur spirituale. 14

(†)

QVÆ-

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm post consecrationem maneant in hoc sacramento substantia panis, & vini?

1 IN hac quæstione varij extitere hæreticorũ errores, quorum late meminerunt *Dominicus Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 2. & Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 49. & Vazquez diligentissimus antiquitatis indagator 3. tomo in 3. p. disput. 180. cap. 5.* Quidam enim hæretici asseruerũt, post transsubstantiationem in Eucharistia manere verum corpus, & sanguinem Christi, & simul etiam manere substantias panis, & vini. Huius hæresis primus author extitit *Berengarius, vt scribit Guimundus lib. 1. de veritate corporis, & sanguinis Christi columna 4. & 3.* Eandem hæresim postea sectatus est *Lutherus lib. de captiuitate Babylonica cap. de Eucharistia.* Hunc autem panem fuisse vnitum hypostatice, & immediate verbo Dei; sicut, & humanitatem asseruit *Vvaleramus, vt ex Anselmo colligitur lib. de corpore, & sanguine Christi, Scripto ad Vvaleramum,* Vt bene notauit Vazquez loco citato. Quamuis iste error communiter tribuatur *Ruperto Abbati Tuitiensi, lib. de diuinis officijs.* Cũ iste liber non sit Ruperti, sed Vvalerami. Quidam verò *Ioannes Parisiens. vt refert Vvaldensis tomo de sacramentis, cap. 65. num. 1.* Asseruit, panem hunc immediate vniri corpori Christi in Eucharistia, & mediate verbo Dei (& eodem modo de vino loquitur) alij verò hæretici dixerunt, materias panis, & vini in Eucharistia non manere, formas verò manere, quem errorem refert *D. Thom.* sine nomine authoris. *3. part. quæst. 75. art. 6.* Et alij hæretici alijs hic modis errarunt his similibus.

2 Quibus ita statutis sit prima conclusio. Potuisset Deus de sua potentia absoluta facere præsentem intrà panem Christum vere, & realiter immutata manente substantia panis, & nullo modo desinente esse sub speciebus panis. Ita communiter Theologi. *Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. §. quantum ad istud, Caietanus 3. par. quæst. 75. art. 2. Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 2.* Patet manifeste ex eo, quia in hoc non apparet aliqua repugnantia, ergo non est Dei omnipotẽtiæ denegandum. Et confirmatur, quia sicut Deus, cũ Christus exiuit de sepulchro, penetrauit corpus Christi cũ sepulchro ita vt, simul in eodem loco aliquandiu essent, cur nõ potest hoc efficere, vt sub eisdem speciebus panis, & substantia panis, & corpus Christi essent? Nõ dico, hoc posse fieri à Deo eisdẽ verbis cõsecrationis, quibus de facto nos vtimur, sed alijs modis infinitis, quos nouit sua infinita sciẽtia. Difficultas verò, est an de facto post verba consecrationis, & corpus Christi, & panis substantia sint sub accidentibus panis?

Sit secunda conclusio de fide. Post consecrationem nihil substantiæ panis, aut vini in hoc sacramento manet. 3
Probatur primo authoritate Sanctorum Patrum, non solum recentiorũ, vt hæretici dicunt, sed etiam antiquissimorũ. Ita *Iustinus in apologia 2. prope finem. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses, cap. 34. post medium, Tertul. lib. 4. in Martionem, cap. 40. Ambros. lib. de his, qui initiantur mysterijs, cap. 9. D. August. sermone 28. de verbis Domini, Strabus author glos. in cap. 11. 1. ad Corinth. Remigius Antisiodorens. in Psalm. 21.* Qui dicentes panem fieri corpus Christi, vt Tertulianus, vel naturam panis mutari in corpus Christi, vt Ambros. vel panem esse corpus Domini, vt Iustinus, & Irenæus: vel conuerti in corpus Christi, & trãsferri, vt Strabus, & Remigius: vel quod offertur post consecrationem, non dici corpus Christi, vt Augustin. his modis loquendi indicant sane, post consecrationem non manere in hostia consecrata corpus Christi. Et his similibus modis loquuntur alij recentiores patres. Hanc autem Catholicam veritatem mater nostra Ecclesia Catholica sæpius definiuit. Primo, *In hoc Concilio Romano sub Gregor. VII. Secundo in Concil. Lateran. sub Innocent. III. cap. firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol. 3. in Concilio Florentino in Eugenij Quarti decreto. Quod est in fine Concilij §. 3. est Eucharistiæ.* In quibus locis absolute definitur, substantiam panis conuerti in corpus Christi, vnde sentit Ecclesia, nihil substantiæ panis manere, aliàs non diceretur absolute, substantiã panis conuerti, sed aliquid illius, nam licèt, cũ dicimus, lignum in ignem conuerti, solum denotemus formam ligni corrumpi, & formam ignis produci, & materiam non denotemus desinere, si verò diceremus, ligni substantiam cõuerti, etiam materiam, quæ substantia est, significaremus desinere. Et tandem hanc veritatem definiuit expressiùs Ecclesia, & errores omnes, quos supra adduximus, damnauit *In Concilio Trident. sess. 13. cap 4. & can. 2. Verba capitis 4. hæc sunt. Quoniã autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius. Verba canonis 2. hæc sunt. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini vnacum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi: negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantia-*

stantiationem appellant; anathema sit.

Præterea hæc conclusio probatur ratione. Prima sit de sumpta *Ex D. Thom. 3. part. quæst. 75. art. 2.* vbi ait, *Hoc quod est corpus Iesu Christi tantum manere sub speciebus panis, & non substantiam panis, necessarium fuisse propter adorationē, qua populus hoc sacramentum adorat, vt absolute, & simpliciter exhiberi possit sine vlla occasione, & periculo erroris, & idolatriæ.* Secunda ratio D. Thom. ibidem, est quia asserere, substantiam panis esse in hoc sacramento in hostia consecrata, est contra ritum Ecclesiæ, secundum quem post vnam hostiam consecratam licet sumere aliam, quod non liceret, si ibi adesset panis, quia secunda hostia sumeretur à non ieiuno. Tertia tamen ratio multo vrgentior desumpta est ex verbis, quibus *Matth. 26.* Christus cōsecrauit hostiam. *Hoc est corpus meum.* (Et eadem est ratio de calice. *Hic est enim sanguis meus.*) Ex quibus *Tridentinum sess. 13. cap. 4.* Definit, colligi veritatem nostræ conclusionis, ita vt consequentiæ vim negans hæreticus probaretur, ratio autem est huiusmodi. Christus accipiens panem dixit. *Hoc est corpus meum.* Sed id non enuntiauit falso, sed vere, ergo effecit Christus suis verbis, vt substantia panis ibi nō esset, alias etiam si esset cum pane corpus Christi, non posset corpus Christi demonstrari per pronomen, hoc. Probatur consequentia, nam quamuis sub vna substantia, quæ haberet figuram vasis, & rationem continentis alteram, & sub accidentibus eius ita possit alia cōtineri, vt vtraque, & cōtinens, & cōtenta possit bene per pronomen hoc demōstrari; veluti cum dolium continet in se vinum; rectè dicimus. Hoc est dolium, & hoc est vinum, quia sicut accidētia naturalia; vt albedo calor, &c. ostēdunt naturã suã substãtiã per pronomē hoc, quã naturaliter comitantur, ita accidens illud artificiale, vt figura vasis continentis aliquid, indicat aliam substantiam, ad quam continendam inuenta est. At verò, cum aliqua substantia non habet figuram, nec rationem continentis aliã, etiam si cum ea, cuius accidentia sensu percipiuntur, sit alia substantia intime penetrata, vt Angelus, verbi gratia, cuius accidentia nō percipiuntur sensibus: Tunc non potest vtraque per pronomen, hoc, demonstrari, sed solum illa, cuius accidentia sunt propria, & ita penetrato Angelo cum corpore non possumus dicere, Hoc est Angelus, sed hoc est corpus. Et ratiō est, quia accidentia illa, quæ non habent figuram vasis continentis, ad quæ dirigitur pronomen, hoc, & ratione quorum substantia demonstratur, primario, & absolute, & simpliciter sine aliquo addimento, solum indicant propriam substantiam corporis, cui insunt, nō alienam: vt Angeli. Vnde, vt alienam substantiam pronomen hoc, quod non accidentia, sed substantiam indicat, significare possit, requiritur, propriam substantiam sub illis accidentibus non esse, sed alienam tantum. Sed sic est, quod Christus accipiens panem verè pronuntiauit illud, quod offerebat sub speciebus panis, esse corpus suum, dicens: Hoc est corpus meum. Et sic est, quod tales species, seu accidētia panis non habent figuram vasis continentis aliquid: ergo cum non possint hæc verba enuntiari de corpore Christi naturali, si esset sub speciebus panis simul cum substantia panis: vt vidimus, restat, vt solum enuntiētur de corpore Christi, quia sub speciebus panis solum sit corpus Christi, & non substantia panis. Et vrget hæc ratio, quia nequit dici pro cō trarijs erroribus, & panem, & corpus Christi esse sub speciebus, & ob hanc intimam coniunctionem posse verificari, Hoc est corpus meũ, idest, panis est corpus meum. Quia intima præsentia sola sine vnione hypostatica non sufficit, vt vna substantia de alia prædicetur; vt anima est intime vnita corpori, & tamen non dicitur, Corpus est anima: ergo neque possemus dicere, si corpus Christi, & panis essent intime præsentes, hoc, idest panis est corpus meũ. Præterea nequit responderi, panem, & corpus Christi esse vnita hypostatice, & ita posse enũtiari, hoc, idest panis est corpus meum, idest Christi, quia hæc vnio hypostatica est inaudita in scriptura, & Sanctis Patribus, & à *Concilio Trident. in dictis locis* Reiecta, cum dicat, manere sola accidentia panis. Hac ratione vsi sunt in huius rei confirmationem ex scholasticis, *D. Thom. loco citato. Caiet. ibidem, Ritardus, in 4. dist. 11. art. 1. quæst. 1. & Suar. & Vazquez, disputationibus in principio quæstionis citatis.* Ex patribus. *Ambros. loco citato Crysost. homil. 83. in Matth. Damascen. 4. li. de fide, cap. 14.* Et alij. Neque etiam potest dici, manere in Eucharistia existentiam panis, vt aliqui scholastici docēt, quia existentia est idem cum essentia, vel modus inseparabilis ab ea; & ita manente existentia panis in hoc sacramento, essentiam quoque manere necesse est, & eadem ratione Concilij Tridentini locis citatis reijciuntur quæcumque aliæ opiniones concedentes subsistentiam panis, vel prædicatum superius panis, vel aliquid aliud eius præter accidentia manere.

Sed quæres, an sit de fide, quod substantia panis nullibi maneat in rerum natura, esto nō maneat sub speciebus panis? Respondetur cũ Suar. loco citato. Hoc esse de fide, quia patres, & concilia, & expresius Tridentinum dicũt, fieri conuersionem substantiæ panis in corpus Christi, conuersio autem dicit desitionē eius, quod in aliud conuertitur. Et quamuis verba consecrationis possent esse vera, si substantia ab accidentibus separata extra illorum locum conseruaretur, ex sola tamen veritate verborum colligit Ecclesia desitionem totius substantiæ panis, & vini, quia manere substantiã extra

extra accidētia præter naturam solum ad hoc, A vt verba reddantur vera, esset nouum, & cōtinuum miraculum minime necessarium, quod non creditur factum.

6 Verū contra nostrā Catholicam doctrinam aliqua sese possunt offerre argumenta. Pimū sit, cū corpus humanū à dæmone obsidetur, bene dicimus. Hic est dæmō, ergo recte potuit dicere Christus: Hoc est corpus meū, quanuis in Eucharistia simul cū corpore esset panis. Ad hoc respondetur negando consequentiam: cū enim signato corpore dicimus: Hic est dæmō, ex eo, est quia aliquē effectū in eo corpore sentimus, & aliquod accidens, quod aptū est dæmonem demonstrare, vt cum fœminam videmus suadētem vitia, & Hebraice loquētem sine eo, quod talem linguam didicerit, in Eucha- B ristia autem nullum accidens Christi apparet, sed solum panis. Vnde existente ibi pane panis tantū demonstraretur, & non corpus Christi per pronomen hoc.

7 Secundum argumentum sit Lutheri in epistola quadam de transsubstantiatione, quia etiā si panis sic in Eucharistia coniunctus cū corpore Christi, recte posset esse vera hæc propositio Christi, Hoc est corpus meum, ita, quod de pane prædicaretur corpus Christi propter coniunctionem, quam habet in Eucharistia cum illo, sicut Christus Ioannis 20. insufflans in discipulos dixit, Accipite Spiritum Sāctum. Quibus verbis flatum appellauit Spiritum Sanctum propter singularem coniunctionem, quā habet cum eo. Eodem modo Ioānes Baptista, C vt refertur *Ioan.* 1. Columbam, quam supra Christum vidit, appellauit Spiritum Sanctū, ibi, *Vidi spiritum descendentem, sicut Columbam.* Sed ad hoc argumentum acute, vt assolet, respondet *Vazquez disp.* 180. *citata*. Christū *Ioan.* 20. non appellasse flatum suum Spiritum Sanctum, sed insufflando prius, postea addidisse, Accipite Spiritum Sāctum, id est, eum, quem isto flatu significare volo, Similiter Ioannes Baptista non dixit colūbā esse Spiritū Sanctū, sed indicans esse symbolū Spiritus Sancti dixit, *Vidi spiritum descendentem sicut columbam.*

8 Aliqui hic disputant de errore hæreticorū, qui dicuntur Vbiquistæ, qui vt defenderent, in Eucharistia esse corpus Christi cum pane, excogitarunt humanitatem Christi esse vbi- D que, & ita in pane esse. Quem errorem videre quis poterit apprime refutatū apud *Vazquez loco citato cap.* 8. In eo tamē nos non debemus immorari, quia neque ad nos, neq; ad quæstionem pertinet.

9 Tertium argumentum sit Kemnitij sumptū ex *Matth.* 26. Vbi Christus dicitur panem accepisse, & statim dixisse: *Hoc est corpus meum*, quod de pane ipso dixit: Ergo panis est sub Eucharistia. Sed respondetur, pronomē, hoc, nō demonstrare id, quod est in principio prolationis, quod est panis, sed id, quod in fine, quod est corpus Christi, vt post ea constabit.

Quartum argumentum sit *Petri cuiusdam hæretici dicti Martyris in lib. contra Gardinerum*, in hunc modum, Christus *Ioan.* 6. dixit. *Ego sum panis*, & tamen non se conuertit in panem, ergo cum dixit, Hoc est corpus meum, non conuertit panem in corpus suum. Respondetur, Christum de se dixisse, quod esset panis, scilicet panis spiritualis animæ per fidem edendus credēdo in eū, & ita nō debuisse se in panē triticeū cōuertere. At vero illa verba, Hoc est corpus meū, non potuisse enuntiare nisi panē conuertisset in corpus Christi, vt supra vidimus. 10

Quintum argumentum eiusdem *Petri Martyris* sit deceptum *Ex ca, ego Berengarius de consecrat. dist.* 2. vbi profitens Berengarius confessionem Catholicam duo dicit, quæ duo pugnant contra nos. *Primum, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem esse non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini.* Vbi videtur indicari, manere in Eucharistia panem, & vinum. Secundum, est, quod statim subditur de hoc sacramento, *Scilicet, sensualiter, & in veritate Sacerdotum manibus tractari, & frangi, & fideliū dentibus atteri.* Quæ de corpore Christi nō possunt dici. Sed ad primū respōdetur, panem dici esse corpus Christi post cōsecrationē, quia in corpus Christi cōuersus est, & quia alit spiritualiter corpus Christi, sicut panis corporaliter. Præterea respōdetur, ex eo dici in Eucharistia esse nō solū sacramētū, sed etiā verū corpus, & sanguinem Domini, vt denotetur, in ea nō solum reperiri signū corporis, & sanguinis Domini, sed etiā ipsum corpus, & sanguinē. Ad secundā partē eiusdē argumēti dicimus, hæc omnia, frāgi, dētibus atteri, comedi, & alia similia vere enūtiari de corpore Christi, nō ratione sui, & proxime, quia nō est modo corporali, & sensibili, sed remote, & ratione specierū, quibus hæc omnia ratione sui conueniūt. Vnde *Chrysost. hom.* 83. *in Matth. de Christo* in hoc sacramento inquit. *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Ideo autem indicta confessione Berengarij dicitur, sensualiter, & non solum in sacramento conuenire corpori Christi frangi, &c. vt significetur, Christum non solum esse in hoc sacramento vt in signo, sed etiam re ipsa, ita vt sensualis tractatio ei conueniat ratione specierum. 11

Sextum argumentum est desumptum ex *Prospero in lib. sententiarum Augustini, & Cypriano in sermone de cœna Domini.* Et alijs patribus, qui ad hoc sacramentum explicandum vtuntur similitudine vnionis hypostaticæ: vnde videntur denotare illud constare ex natura panis, & corporis Christi. Sed respōdetur, patres solum voluisse, hoc sacramentum duabus naturis constare, altera specierum, altera corporis, & sanguinis Christi, sicut vnio hypostatica 12

Y duas

duas includit naturas,& humanam, & diuinã.

Prætermitto hic difficile testimonium *Gelasij Papæ in lib. de duabus naturis in Christo, qui est in 4. art. 5. tom. Bibliothecæ Sacræ.* Vbi denotatur in Eucharistiá manere substantiam panis, & vini, quia *Canus lib. 6. de locis cap. vltimo ad nonum, & Vazquez loco citato, cap. 9.* Putant, librũ illũ non esse *Gelasij Papæ, sed Gelasij Cæsariens.* Prętermitto etiã aliud simile testimoniũ Chrysostomi, epist. ad Cæsarium Monachum, quia vt bene *Turrianus lib. 1. de Eucharistia, cap. 18. §. ad illud.* Hæc epist. non est Chrysostomi. Habent tamen difficultatem hæc verba *Theodori, in dialogo, pagina 13. Symbola, & signa, quæ videntur, appellatione corporis, & sanguinis sui honorauit, non naturam quidem mutans.* Vbi de hoc sacramento videtur disputare. Sed ad hoc respondetur, ibi per illa verba, non naturam quidem mutans, non intellexisse, manere substantiam panis, & vini, sed accidentium veras naturas; quod nos etiam fatemur. Qua ratione intelligendus est *Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 5.* dum ait, *Si tanta vis fuit in sermone Christi, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit, vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur.* Vbi in illis verbis: vt sint, quæ erant, Intelligit substantias panis, & vini secundum accidentia manere. Et eodem modo intelliguntur *Irenæus lib. 4. cap. 32. & Canon. Hoc est, de consecrat. dist. 2. qui est August.* Qui dicunt, *Hoc sacramentum constare duabus rebus visibili, & inuisibili. Et Esichius lib. 2. in Leuit. cap. 8.* dum ait, *Hoc sacramentum panem, & carnem esse,* nam per visibile, & panem intelligitur species panis, quę in hoc sacramento reperitur simul cum corpore Christi.

QVÆSTIO XIIII.

Quæ sit natura, & essentia transsubstantiationis, & cõuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi?

1. HÆRETICI, qui negant præsentiam corporis Christi in hoc sacramento: vt Caluinistæ, & qui talem præsentiã fatentur simul cum substantia panis, vt Lutherani ferre non possunt nomen transsubstantiationis. Vnde illud exibilant appellantes nouum, barbarum, & portentosum, alij vero, qui negantes substantiam panis in hoc sacramento aliquid illius manere defendunt, euertunt nomen transsubstantiationis. Pro hac autem quæstione intelligẽda quædam notanda sunt. Primo notandum est, sacramentum Eucharistiæ confici per veram conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Ita loquitur *Cõcilium Florent. & Trident. sess. 13. c. 4.* Et hoc est de fide: imò etiam de fide est, hanc conuersionem conuenienter, & proprie transsubstantiationem appellari. Vt docet *Tridentinum sess. 13. can. 2.* Quod sacramentum fiat per conuersionem, patet, quia hic desinit esse tota substantia panis, & vini, & incipit esse corpus, & sanguis Christi vice illius: ergo per conuersionem vnius in aliud. Quod autem hæc conuersio transsubstantiatio dicta sit, ex eo prouenit, vt nouum mysterium, & nouum genus cõuersionis longe excedens conuersiones naturales substãtiarũ nouo, & singulari nomine appellaretur, & vt noui errores circa hoc mysterium occurrentes cauerentur. Hoc enim simili ratione Ecclesia ad declarandam consubstantialitatem filij Dei inuenit nomen Homousios, id est consubstantialis. Et nomẽ Theotocos, id est Dei para; & vt bene notauit *Vazquez 1. p. disp. 3. c. 5. ex Cicerone,* disciplinarum authoribus licitum est, noua vocabula artis excogitare, quibus rem commodius, & breuius explicare possint.

Tertio notandum est conuersionem aliquã requirere. Primo transitũ vnius rei positiuæ ad aliã positiuam, & desitionẽ eius, quæ transit, vnde *Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei ca. 18.* docet, non fuisse veras cõuersiones illas, quas gẽtiles iactabãt factas à suis Magis, vt sociorũ Diomedis in aues, sociorũ Vlyssis in varias bestias, quia Dæmonis arte subito illæ personæ inde abductæ sunt, & in earũ locũ aues, & bestię substitutę. Et ratio est, quia intelligi nõ potest, quomodo res aliqua in se ipsa manẽs in alterã cõuertatur: vnde si vxor Lot fuit conuersa in statuam salis; desijt esse totũ compositũ, licet mãserint materia prima, & anima rationalis. Deinde requiritur, quod terminus ad quẽ, aliquo modo mutetur, & incipiat esse, alias nõ esset cõuersio in illum potius, quam in alium. Vt ex communi modo concipiendi inter homines patet, & ex inductione in cõuersionibus naturalibus, quãdo enim ex ligno fit ignis, tũc dicitur cõuersio, & quãdo ex calido fit frigidũ. Nã quãdo Angelus per se solus produceretur sine desitione alteri' rei, vel annihilaretur sine alicuius rei productione, nõ diceretur mutatio, sed creatio, & annihilatio. Secũdo requiritur, vt res transiens in aliã quæ dicitur terminus, à quo, & res, in quã alia transit, quæ dicitur terminus, ad quẽ, habeãt inter se aliquã cõnexionem ita, vt vna ex alia aliquo modo sequatur. Hoc est certũ apud omnes, & ratio huius est, quia nisi hãc connexionẽ cõstituamus inter has duas res, vna res nõ diceretur in alia trãsire, sed potius per accidẽs coniungerentur; sicut per accidẽs coniũgũtur, quod lignũ corrũpatur, & ꝙ homo generetur. Tertio requiritur, vt præter illas duas res positiuas, vnã, in quã fit trãsitus, & aliã, quæ trãsit, sit aliqua tertia res cõmunis vtrique termino: circa quã istæ

duæ

duæ res sibi succedant, & quo perseuerãte fiat A sub illo prædictus transitus vnius rei in aliam. Hanc sententiam defendunt, *Durand. in 4. dist. 11. q. 2. Sotus in 4. d. 9. q. 2. art. 2. ad 3. & D. Tho. 3. p. q. 75. ar. 5. ad 4.* Cuius hæc sunt verba. *Hæc conuersio non proprie habet subiectum, vt dictũ est, sed tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquã similitudinem subiecti.* Hoc probatur primò inductione. Nã in conuersione formali: vt cum ex homine fit cadauer, & ex ligno ignis, materia prima, quæ prius fuerat sub hominis forma postea remanet sub forma cadaueris, &c. Et in hoc sacramento accidentia, quæ prius fuerãt cum pane, post consecrationem manent cum corpore Christi. Probatur, quia alias non potest intelligi ordo successionis, quem dicũt inter se duæ illæ res, inter quas est trãsitus. Quæ B tertia res in cõuersione naturali. v. g. Ligni in ignem, est subiectum sustentans prius in se formam ligni, & postea formam ignis, hic autem solum sunt accidentia, quæ non habent vicẽ subiecti huiusmodi, & hæc quidem omnia reperiuntur in transsubstantiatione, quæ vera conuersio est. Primo enim reperitur transitus vnius rei positiuæ in aliam: vt panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi. Secundo reperitur connexio inter has duas res taliter, quod vna ex altera sequatur, vt ex positione corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento sequitur desitio panis, & vini. Tertio reperitur aliqua alia res, quæ sit communis vtriq; termino, scilicet accidentia panis, & vini, sub quibus prius erant substantiæ panis, & vini, & po- C stea sunt substãtiæ corporis, & sanguinis Christi. Quæ omnia clarius constabunt ex discursu huius quæstionis, & aliarum sequentiũ. Et hæc quidem conuersio habet duas mutationes, vel quasi mutationes partiales, alterã priuatiuã ab esse termini à quo ad non esse, & alteram positiuam à non esse termini ad quem ad esse eiusdem: licet tãtum sit vnica actio ex natura rei. Neque hæc desitio panis ex positione corporis Christi sequitur ex sola volũtate Dei volentis panẽ destruere præsente corpore Christi, nã si hoc satis esset omne, quod ex voluntate Dei desinit, simulatque aliud est, diceretur in illud conuerti, quod non ita est, ita ergo cõtingit in nostro casu. Quod ex modo significãdi, & statuendi corpus Christi in sacramento per D verba consecrationis talis est oppositio cũ pane, vt hoc ipso, quod per verba consecrationis significatur, consequatur necessario non esse panis. Ita *Vazquez 3 to. in 3. p. d. 181. c. 12.* Et recentiores: tum quia sola Dei voluntas non mutat naturas rerũ, ergo neque efficit, vt desitio panis habeat connexionem cum positione corporis Christi, si aliàs non habebat.

3 Difficultas ergo modo est, in quo consistat natura, & essentia huius cõuersionis, quæ hæc tria prædicta in se continet, quæ quidẽ difficul- A tas ita torsit scholasticorum ingenia, & tãtum eorum animis terrorem incussit, vt ad varias sentiendi latebras confugere compulerit.

Prima sententia est *Durandi in 4. d. 11. q. 3. nu. 5.* Asserentis conuersionem hanc in eo consistere, vt materia panis incipiat esse sub forma corporis Christi peracta consecratione ad eum modum, quo materia nostri alimenti per nutritionem informatur anima rationali, quæ forma est eius, qui nutritur. Probatur hæc sententia primò ex *Damasceno 4. de fide cap. 5.* Qui quidẽ conuersionẽ panis in corpus Christi cõparat conuersioni cibi in substantiã aliti. Secũdo probatur eadẽ sententia, quia mirũ esse non debet, nouam materiam aduenire corpori glorificato; vt enim docuit *D. August. lib. 3. de ciui-* B *tate, c. 22. non potestas, sed indigentia comedẽdi corporibus resurgentium aufertur.* Tertio confirmatur, quia iste modus cõuersionis possibilis est, & omnes difficultates, quæ in hac materia insurgere possunt, facile dissoluit: Sequitur ergo eũ modũ admittendũ esse. Huic tamẽ sentẽtiæ omnes Catholici Doctores erroris notam inurũt, & vt verũ fatear, non immerito. Quod patet primo quia *Concil. Trident. sess. 13. can. 2.* vt supra ostendimus, expresse affirmat, post consecrationẽ Eucharistiæ ex pane, & vino præteritis tantum perseuerare accidẽtia panis, & vini, ergo nullo modo perseuerat materia, quæ vera substantia est. Secundo patet, quia verba Christi, quibus panis cõsecratur, Hoc est corpus meũ, denotãt, corpus Christi absolute, & C simpliciter manere sub speciebus panis eodem modo, atque se habebat ante consecrationem, ergo absque vlla additione nouæ materiæ panis sub speciebus remanet. Vnde ad primũ argumentum Durandi respondetur, D. Damascen. tantum contendisse adducere nobis aliquale exẽplũ huius conuersionis substãtialis, nõ verò exẽplum, quod totaliter adæquetur huic conuersioni: quare ad hoc propositũ adduxit conuersionem cibi in substantiam aliti, vt ex ea aliquam deduceremus cognitionem saltem confusam conuersionis panis in corpus Christi. Ad secundum argumentum dicimus corpora gloriosa tantũ conterere cibũ dentibus, & in stomachum traijcere, non verò illum in suã substantiam conuertere: hæc enim conuersio D tantum reseruatur corporibus immortalitatis dote destitutis. Vnde ex hoc capite nihil probat Durand. in suum fauorem. Tertio argumẽto facilis se offert solutio, scilicet, hunc modum conuersionis non esse impossibilẽ Deo, quia nulla in eo reperitur repugnantia, de facto tamen illum non cõtingere propter eas rationes, quas proxime prænotauimus.

Secũda sentẽtia docet, per conuersionẽ fieri præsentiã, quã corpus Christi habet sub speciebus. Pro hac sententia allegant recentiores multos Doctores, *Vt Scotũ in 4 dist. 11. quæst.* 5

4. *Maiorem q. 1. Petrum Aliacensem q. 6. & Bellarmin. lib. 3. de Eucharistia cap.* 18. Probatur, quia nihil aliud requiritur ad hoc, vt verba cōsecrationis habeant verum sensum, quam præsentia corporis Christi sub speciebus. Ergo nihil aliud requiritur ad veram conuersionem. Verùm hæc sententia falsa est ex eo, quia alias sequeretur, conuersionem non esse actionem substantialem, neque transsubstantialem, sed accidentalem, quia terminus productus solum est accidens, nēpe præsentia illa localis corporis Christi, & sanguinis eius. Ad argumentum verò in oppositum respondetur, productionē huius præsentiæ neque sufficere ad veritatē verborum, neque ad conuersionem saluandā panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, B quia ex vi talis præsentiæ nullo modo expellentur panis, & vinum, cum simul esse possint cum corpore, & sanguine Christi sic præsenti bus, vt postea patebit.

6 Tertia sententia est *Soti in 4. dist. 9. q. 2. ar. 4.* §. Igitur conuersio. Vbi defendit, conuersionē ad hoc ordinari, vt corpus contineatur sub speciebus, sicut panis àntea sub illis continebatur seclusa inhærentia. Quod probat ex *Augustin. in lib. sententiar. Prosperi relato, canone. Hoc est, de cōsecrat. dist. 2. dicente, sacrificium Ecclesiæ duobus constare visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri carne, & sanguine.* Vbi verbum, constare, dēnotat, ex illis vnum fieri, sicut ex pane, & accidētibus. Sed hæc sententia Soti mihi nō placet ex eo, quia vel iste modus est substantialis, vt defendit *Valenc. tom. 4. disp. 6. q. 3. puncto* 3. Vel accidentalis. Substantialis esse nequit, quia ordinatur ad essendum sub accidentibus: ad quod non requiritur modus substantialis. Tum quia, sicut substantia non indiget modo substantiali, vt sit sub accidentibus, sed modo accidentali inhærentiæ, quo accidens inhæret subiecto, & ab eo sustentatur, ita neque corpus Christi. Tū etiam, quia seclusa inhærentia non est aliquis modus in rerum natura, per quē substantia sustentet accidentia, & sit sub illis. Præterea talis modus non est accidentalis, quia ratione illius non posset saluari cōuersio Eucharistiæ, quæ substantialis esse debet. Et argumentū Soti respondetur: verbū constare solum denotare, in sacramēto Eucharistiæ hæc duo reperiri, scilicet accidentia visibilia panis, & vini, & corpus, & sanguinem Christi, quæ sunt inuisibilia, non tamen ex hoc sequitur modus ille, quem ponit Sotus, sed alius, quem postea adstruemus.

7 Quarta sententia est aliorū recentiorū asserētiū, terminū productū per hanc actionē cōuersionis substātialis esse secundū se accidētariū, tamē cōparatum cū termino à quo dici posse substantialē ex eo, quod ita pugnet cū substātia præcedēti, vt ipsam destruat, & in se cōuertat, vnde dicūt, hanc conuersionē esse substantialē, non quia tendat in substantiā, sed quia fit à substantia, quæ perit, scilicet, à pane. Probāt hanc sententiā hoc modo, quia ab eodē habet hæc actio, quod sit conuersio, & quod sit substātialis cōuersio; Sed quod sit cōuersio, habet solū à termino à quo qui cōuertitur: Ergo ab eo dē etiā habet, quod sit substantialis conuersio. Sed hæc sententia falsa est, tū ex rationibus, quibus impugnatæ manent secunda, & tertia sententia. Tū etiā ex eo, quia sicut trāslocatio denotat transitū ex vno loco ad alium, ita etiam transsubstantiatio denotare debet transitum vnius substantiæ in aliā, tum etiā quia alias sequeretur in eo casu, quo aliqua substantia conuerteretur in solū accidēs separatū à subiecto, talē conuersionē vere esse ac nuncupari posse transsubstantiationē, quod nullus sane cōcedere audebit. Quare argumētoin oppositū respōdetur, etiā si solus terminus à quo dicatur cōuerti, nō vero terminus ad quē. Vt v. g. cū ex ligno fit ignis, lignū dicitur conuerti, & nō ignis, tamē ipsum terminū à quo etiam respicere terminū ad quē pœnes hoc, quod cōuersum in aliud conuertitur, vt lignū cōuertitur in ignē, imò si naturā ipsam cōuersiónis spectemus, repetiemus cōnuersionē respectū quendā includere in ordine ad terminum ad quem, & ad terminum à quo, quia vere est trāsitus alicuius in aliquod, ergo vt conuersio substantialis sit requirit terminum aquo substantialem, & terminum ad quem etiam substantialem.

C Quinta sentētia est aliorū recentiorum asserentium, per actionem transsubstantiationis non produci præsentiam Christi sub speciebus, neq; modū aliquē substantialē, neque produci corpus, aut sanguinem Christi, aut hæc cōseruari, sed hoc solum ex ea actione resultare, vt corpus, & sanguis Christi sint id, in quod panis, & vinū cōuertuntur. Verùm hæc sententia sustinēda nequaquā est, quia licet considerādo sonū verborū difficultatē dissoluere videatur huius quæstionis, at vero si profunde rem enucleemus, nihil in ea substantiale inueniemus, nullūq; solidū fundamētū. Quod hoc argumēto euidentius cōuincitur, quia esse id in quod panis cōuertitur, tantū est denominatio extrinseca in corpore, & sanguine Christi, vt cōstare potest inspicienti terminos ad quos cōuersionis substantialis cuiuslibet, ergo aliquod requirit D fundamentū, ratione cuius fundamenti potius hæc denominatio cōueniat huic rei, quā alteri, & potius modo quam antea, vt parietē modo esse visū, vel dextrū prouenit ex eo quod homo eliciat actionem visiuam circa illum, vel ad dexteram suam illum habeat constitutum, sed prædictū fundamentum in transsubstantiatione non constituit sola desitio panis, cū hæc satis non sit ad rationē conuersionis, cum sine productione alicuius rei posset panis sola Dei virtute ad nihilū reduci, in quo casu absq; dubio 8

bio nulla esset cōuersio, ergo necessarium est aliquid aliud produci, ratione cuius corpus, & sanguis Christi dicantur esse id, in quod fit conuersio, de quo in præsenti quæstione inquirimus quid illud sit?

9 Sexta sententia in ordine est Gabrielis *in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. dubio* 2. Affirmantis transsubstātiationem nihil aliud esse essentialiter, quam conseruationem ipsius Christi per verba cōsecrationis cōtinuatam, hæc tamen licet ab alijs diuersis modis impugnari soleat, hac tamē vnica ratione sufficienter expugnabitur, vt aliqua actio habeat rationem transsubstantiationis, & conuersionis debet ordinari ad aliquē terminū ad quem, qui habeat aliquā repugnantiā, & incompossibilitatē cū termino à quo ex natura rei, vt vidimus in principio quæstionis, sed id quod fit per hāc actionē conseruatiuam corporis Christi est corpus Christi, quod quidē nullā habet repugnantiā cum pane, qui est terminus à quo, ergo illa actio à Gabriele assignata nō est conuersio. Minor probatur, in qua est tota difficultas, quia ante quā cōseruaretur corpus Christi medijs verbis consecrationis nō habebat hanc repugnantiā cum pane, vnde neq; panis in ipsum cōuertebatur, vt constat, sed posita eius conseruatione medijs verbis nullā etiā habet repugnantiā cū pane, quia tūc idē corpus Christi est eodem modo se habens, ac antea, sine eo quod aliqua ei entitas sit superaddita, ergo sequitur in ea cōseruatione nullo modo posse consistere rationē transsubstantiationis. Præterea secundū Gabrielē post cōsecrationē solū habet de nouo corpus Christi præsentiam sub speciebus panis, & vini, sed ratione illius solius præsentiæ non habet repugnātiā ex natura rei cū pane, quia hæc præsentia indiuisibilis, quā habet corpus Christi sub speciebus, bene compatitur ex natura rei præsentiā diuisibilē panis, quemadmodū præsentia Angeli in aliquo loco non tollit, quin in eodem loco possit esse aliquod corpus.

10 Septima sententia est aliorū recentiorū affirmantiū, transsubstantiationē esse actionē quandā, media qua corpus Christi cōseruatur in suo esse taliter, vt si antea nō esset, per eā actionem nouiter produceretur, qui quidē recētiores cōstituunt duas actiones conseruatiuas Christi, alterā qua conseruatur modo naturali in cælo, alterā, qua conseruatur modo præternaturali in sacramēto. Hanc sententiā *doces Suarez 3. to. in 3. p. disp. 50. sect. 4.* Qui refert pro hac sententia, D. Tho. qui in tota fere hac quæstione, & sequēti negat corp⁹ Christi incipere esse in hoc sacramēto per mutationē localē, ergo sentit esse per actionē substantialē, allegat etiā in suæ partis defensionē, *Altisiod. lib. 4. summæ tract. 5. c. 2. Ricard. in 4. d. 11. ar. 1. q. 1.* Qui negāt actionē hanc esse similē adquisitioni loci. Hanc sententiā probat primo Suarez ex modo loquen-A di Sanctorū Patrū asseuerantium, corpus Christi creari in hoc sacramento, & fieri ex pane, & panē, ac vinū in corpus Christi, & sanguinem eius mutari, huius generis sunt, *Cyprianus in sermone de cæna Domini.* Vbi sic ait de Christo. *Qui vsque hodie veracissimum, & Sanctissimū corpus suum creat, Ambrosius lib. 4. de sacramentis c. 4. sic inquit. Panis iste communis panis est ante verba sacramētorum, vbi aduenerit consecratio, de pane fit Corpus Christi, & cap. vtrum sub figura de cōsecratione dist. 2. continetur, corpus Christi per Spiritum Sanctum potentialiter creari, & ex substantia panis effici,* tum etiam *Eusebius Emissenus homilia 5. de paschate,* Dixit loquens de pane, & vino, *Creaturas in Dominici corporis transire naturam*, Vbi notandum non dixisse istum Do-B ctorem transire in præsentiam, sed in naturam. Secundo probatur, quia transsubstantiatio est conuersio substantialis vnius substatiæ in aliā, ergo ad eā non sufficit actio adductiua corporis Christi, quæ poti⁹ est trāslatio in locū, quā transsubstantiatio, sed requiritur substantialis quędā Christi cōseruatio. Tertio probatur, quia omnes mutationes, quas Sacra Scriptura cōmemorat esse à Deo factas supra naturam, quod attinet ad sensum suppleri optime possent per solam adductionem alicuius rei de vno loco ad alium, verum aqua conuersa est in vinum in Chana Galilææ, potuit Deus vinū de nouo nō producere, sed illud aliunde afferre ad supplēdum defectum illum, nihilominus tunc dicimus aquam fuisse conuersam in vinum per veC ram eiusdem vini productionem, quia hoc est perfectius genus conuersionis, ergo in cōuersione panis in corpus Christi eodem modo affirmandum est, eam non contingisse per adductionem corporis Christi ad locum, vbi antea erat panis, sed producendo, seu conseruando corpus Christi. Deinde probatur argumentis aliquorum recentiorum nostræ scholæ Salmātinæ, vnde probatur Quarto in ordine hæc sententia, quia verba in sacramentis nouæ legis efficiunt id, quod significant directe, & primario, sed verba in sacramento Eucharistiæ directe, & primario significant corpus Christi quantum ad eius substantiam, non vero quantum ad aliquod accidēs superaddi ū, hoc enim accidens supra nos reiecimus à ratione conD uersionis substantialis, ergo verba consecrationis efficiunt corpus Christi secundum suā substantiā. Quinto, & vltimo probatur hæc sententia, quia conuersio panis in corpus Christi non solū secundū rationem generalem actionis, sed etiam secundum rationem particularē cōuersionis est influxus, per quē re ipsa, & de facto producitur aliquid, sed nō producitur aliud quam substantia corporis Christi, cum per conuersionem nulla alia entitas producatur in corpore Christi, ergo corpus Christi est id, quod producitur per transsubstantiationē,

qui vltimi recentiores fatentur hanc conuersionē Eucharistiæ esse similē creationi, quia nō præsupponit, sed producit subiectū, & addūt hanc actionē non esse accidens prædicamentale, sed volitionē diuinam includentem essentiā diuinam, & respectum ad creaturas, quæ de nouo fiunt, huic sententiæ adhærere videtur alij Doctores, qui rationem transsubstantiationis constituunt in reproductione Christi, *vt Nuño super 3.p.D.Thom.q.75.art.4.& Conin. tomo de Sacramentis dum de hoc puncto disputat.* Quorū placitū quia prædictis rationibus oititur ideo ex illo non conficimus aliam distinctam sententiam, tum etiam quia eisdem rationibus refellēdū est, ac septima sententia, ad quā reducitur.

11 Prædicta tamen sententia nunquam mihi placere potuit, vnde ea aliquibus rationibus refellenda est, quarum prima sit, quia ad rationē conuersionis requiritur, terminum ad quem ex natura rei pugnare cum termino, à quo & ex natura rei consequi desitionem termini à quo ex constructione termini ad quem, vt apparuit in secundo notabili huius quæstionis. Sed siue conseruatio corporis Christi ex verbis consecrationis dependens sit eadem cum ea, qua conseruatur in cœlo sine verbis consecrationis, siue sit noua illa conseruatio, siue sit reproductio corporis Christi de nouo, cum solum tendat ad productionem, seu conseruationem corporis Christi, non habet terminum ex natura rei incompossibilem cum pane, qui est terminus à quo, nam ex natura rei optime possent cohærere sub speciebus sacramentalibus panis localiter extensus, & corpus Christi localiter inextensum, vt supra aperte demōstrauimus: Ergo transsubstantiatio nō consistit in conseruatione Corporis Christi, aut in eius aliquali reproductione. Neque valet, quod aliqui recentiores respondent huic argumento, scilicet, licet, esse substantiale corporis Christi consideratum solum secundum suam entitatē non pugnet cū natura panis, at verò esse substantiale corporis Christi cum ea intentione Dei, quod corpus Christi existat per cōuersionē substantialē sub speciebus panis sine societate substantię panis pugnare cū natura panis. Veruntamen hæc respōsio nullam vim habet, quia, si ex animo, & voluntate Dei, vt significāt isti Doctores, prouenit ista oppositio, ergo nō ex natura rei, vt probauimus requiri ad veram conuersionē, etiā aduersarijs nostris testibus. Tum etiā, quia ex illo modo loquendi rectè colligitur, inter vtrumq; terminū istius cōuersionis non reperiri repugnantiam absolute, sed ex suppositione. Secundo refellitur prędicta septima sententia ex eo, quod conuersio ita fit in corpus Christi, vt nullo modo fiat in animam, vt patet ex modo loquendi, *Concilij Trident. sess. 13.c.4.& Eugenij IIII. in decreto fidei, quod est in Conc. Flor. §. Tertium est.* Secundum quem substantia panis dicitur conuerti in corpus Christi: cuius tota ratio est, quia conuersio tantum dicitur fieri in id, quod est terminus per se conuersionis, & in id, quod est in sacramento Eucharistię ex vi verborū. Quod tantum conuenit corpori Christi, & non eius animæ. Sed conseruatio corporis Christi, quæ nunc contingit in hoc sacramento, tendit ad conseruandū corporis simul cum anima, quia est conseruatio corporis viui, & eadem est ratio de reproductione corporis Christi, ergo hæc conuersio substantialis non consistit in cōseruatione, aut reproductione corporis Christi. Tertio apparet prædictæ sententiæ falsitas, quia Christi humanitas, quemadmodum in nocte cœnæ fuit principium instrumentale efficiens huius conuersionis, ita etiam, & modo est tale principium. Sed intelligibile non est, quod idem sit principium reproducendi, vel conseruandi se ipsum, quia aliàs idem dependeret à se ipso, & esset prius, ac posterius se ipso secūdū suā substātiā indiuisibilem, & distinctū realiter à se, quilibet enim effectus dependet à sua causa, & est posterior illa realiter, & distinctus realiter, ergo etiam intelligibile nō est, Christum esse instrumentum transsubstantiationis: quare negandum necessario videtur, naturam transsubstantiationis in prædicta conseruatione, aut reproductione sitam esse. Maior propositio huius tertij discursus probatur *ex Chrysostomo homil. 83. in Matth.* Asserente, *Christum, qui in cæna operatus est, transmutare hic panem, & vinum in suum corpus, & sanguinem, & ex Eusebio Emiseno homilia 5. de paschate,* sic dicente. *Inuisibilem Sacerdotem, Hoc est Christum verbis illis suis creaturas illas conuertere in corpus suum, & sanguinem.* Quod argumentum etiam vim habet, siue humanitas Christi sit instrumētum physicum, siue morale, siue causa per se, siue per accidens, quia quocunque modo sit causa, vel instrumentum aliqua res, debet alteri præexistere, cuius est causa, vel instrumentum, & distingui ab eo. Quarto refellenda est prædicta sententia quātum ad eam partē, quā vltimi recentiores addiderunt, quia illa reproductio corporis Christi est noua actio, ergo debet habere nouum terminum; at corpus Christi nō est aliquid nouū, sed ante consecrationē existens, ergo noua actio non potest respicere corpus Christi tātū. Quare *Pater Nuño loco citato, difficultate* 1. defendit, terminū huius reproductionis esse corpus Christi sub nouo modo, scilicet, vt est sub speciebus. Sed hoc respōsum minime placet, nisi modus ille sit substātialis, de quo postea disputabimus. Si enim modus esset accidētalis, nō posset defendi trāsubstātiationis natura, quæ debet esse substātialis, si enim terminus ad quē productus per aliquā actionē accidentalis est, quomodo quæso actio ab eo desumēs specificationē suā poterit esse substan-

ſubſtantialis? Vltimo cōuincitur prædicta ſentētia, quia Sancti Patres ex eo, quod Deus res de nouo producat, quaſi a maiori ad minus probāt poſſe hāc trāſſubſtātiationē efficere: Quod argumentū nullā vim haberet: ſi in cōſecratione Euchariſtię corpus Chriſti de nouo produceretur. Cuius argumenti vis deducitur *Ex Diuo Ambroſ. li. 4. de ſacramētis, c. 4.* Ex iſto ergo modo loquēdi Sanctorū Patrū aperte liquet, corpus Chriſti in transſubſtantiatione non produci, aliàs non plus eſſet creare, quàm transſubſtantiare, ſed idem prorſus eſſet.

12 Prætermiſsis autē alijs ſentētijs, quæ prædictis annumerari poſſent, quia, vel nullā difficultatē cōtinēt, vel facile ex dictis in hac quæſtione, & præcedentibus reijci poſſunt, octaua in ordine ſentētia eſt *Vazquez 3. tom. in 3. p. d. 181. c. 12.* Defendētis, cōuerſionē in hoc ſacramēto non eſſe aliquā actionē de prædicamēto actionis, quæ ſit alicuius rei productiua, ſed eſſe actionē, quā vocant grāmaticalem, quæ nominetur nomine actionis, licet actio non ſit, quod de intellectione aliqui probabiliter ſentiunt. Vnde aſſerit iſte author primo conuerſionē formaliter in hoc ſacramento ſitā eſſe in duplici relatione, altera à pane in corporis Chriſti, quæ eſt cōuerſionis, quia panis eſt id, quod cōuertitur, altera à corpore Chriſti in panē, quæ cōtinet ordinē quēdā ſucceſsionis per hoc, quod corpus Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis. Secundo tanquā fundamēta harū relationū conſtituit, deſtructionē panis, & productionē præſentiæ corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis. Tertio defendit iſte author terminū ad quē formalē, & primarium huius conuerſionis repugnantē cū ſubſtantia panis, & vini eſſe ſolā ſubſtantiā corporis, & ſanguinis Chriſti demonſtratā, & ſignificatā per orationes illas demonſtratiuas: *Hoc eſt corpus, & hic eſt calix.* Pro hac vero ſua ſententia refert *Vazquez D. Tho. q. 75. art. 4. in ſolutione primi.* Ita affirmantē. *Vnde cū hæc conuerſio ſubſtantialis importet quendā ordinē ſubſtantiarū, quarū vna conuertitur in alteram, eſt ſicut in ſubiecto in vtraq; ſubſtantia, ſicut ordo, & numerus.* Refert etiā tanquàm huius ſententiæ patronos, *Bonauent. in 4. d. 11. p. 1. ar. 1. q. 2. in ſolut. 1. Ricard. ibidem art. 1. q. 5.* Et alios. Hāc ſententiā probat Vazquez primo, quia hęc ſententia nihil veræ philoſophiæ aduerſatur, quēadmodū aduerſari videntur præcedentes ſententiæ. Secundo probat, quia hac ratione hoc mirabile myſteriū noſtræ fidei ſincerè, & planè explicatur, & auſertur hæreticis occaſio inſimulādi Catholicos, quod ad defendēda myſteria fidei ad maximas anguſtias, imò ad impoſsibilia deducuntur concedenda. Quod autē hac via myſteriū noſtrę fidei ſincerè, & planè pateſiat, probat iſte author, quia Eccleſia ſolū contendit, tantam ineſſe vim, & efficaciam verbis conſecrationis ratione ſignificationis ſuæ, vt efficiant, corpus, & ſanguinem Chriſti adeſſe ſpeciebus, & eo ipſo panis, & vini ſubſtantias deſtrui, & in corpus, & ſanguinem Chriſti cōuerti. Quæ omnia ex veritate ſola verborum, vt contendit Eccleſia, abſque vlla alia ratione philoſophandi colliguntur iuxta hanc ſententiam. Quis ergo dubitet, eam ſincere, & facile explicare myſterium huius ſacramenti, atque eam eſſe præferendam alijs?

13 Hæc ſententia patris Vazquez mihi non probatur, & ſatis refelletur ex his, quæ in noſtræ ſententiæ explicatione infra adducemus.

14 In hac quæſtione fateor in primis, ingenij mei tarditatem, neque non aſſentiri alicui ex prædictis ſententijs, neque earum fundamentis acquieſcere: Vnde neceſſarium duxi, aliā quærere ſententiam, cuius probabilitatis iudicium lectoribus integrum relinquō. Fateor deinde ſecundo in hac quæſtione multò facilius eſſe, aliorum ſentētias deſtruere, & earum fundamenta euellere, quàm propriam adſtruere ſententiam. Tertio eum dicendi modum exiſtimo probabiliorem, qui magis conueniat cū conuerſionibus naturalibus ſubſtantiarum, & minus obſcurā reddat huius myſterij notitiā.

15 Sit prima concluſio. Transſubſtantiatio, ſeu conuerſio, qua panis, & vinum conuertuntur in corpus, & ſanguinē Chriſti, eſt vera actio productiua alicuius termini, ſicut eſt generatio hominis, productio ignis, &c. probatur primo *ex D. Th. 3. p. q. 78. ar. 4.* Cuius hæc ſunt verba. *Vnde, cū hoc ſacramentū ſit præ cæteris dignius, ſicut ſupra dictum eſt, conſequens eſt, quod in verbis formalibus huius ſacramenti ſit quædā virtus creata ad conuerſionem huius ſacramenti faciendam, inſtrumentalis tamen, ſicut in alijs ſacramentis.* Sed ſic eſt, quod cauſa inſtrumentalis non eſt principium relationis, vt patet, quia hæc non producitur per ſe, ſed comproducitur, & pullulat ex re producta, & quia ad eam nō datur actio; neque alia ſacramenta ſunt principium relationis, ſed actionis productiuæ. Ergo ex ſentētia D. Thom. ſine dubio eſt conuerſio vera actio de prædicamento actionis, ac per conſequens productiua. Probatur ſecundo quia, cōuerſio ſubſtantialis formalis, quæ fit ab agente naturali, vt quando conuertitur lignum in ignem; non eſt formaliter relatio, ſed potius actio productiua ignis, alias nulla eſſet actio in rerū natura, ſi tunc ea non eſſet conſtituenda, quando id, quod corrumpitur, tantum eſt forma ligni, & id quod producitur tantum eſt forma ignis remanente integra materia, quæ ſicut prius recipiebat in ſe formam ligni, ita poſtea recipit formam ignis, ergo ſimiliter quando conuerſio eſt ſubſtātialis totalis, debet eſſe vera actio, quia iſtæ conuerſiones tantum differunt penes hoc, quod prima conuerſio ſit abſque deſtructione materiæ primæ, at vero ſecunda conuerſio totalis conſiſtit in eo quod tota ſub

stantia panis tam ex parte materiæ, quam formæ perit, & toda substantia corporis Christi succedit loco illius. Tertio probatur efficaciter, quia corpus Christi suscipit de nouo aliquam de nominationem post peractam consecrationem, quia scilicet est id, in quod fit conuersio, ergo per aliquam actionē nouam productiuā alicuius rei de nouo, patet ista cōsequētia, quia si res eodē modo se habeant semper, nou recipit aliqua earum aliquā denominationem in vnu tempore, quam non receperat in alio, nam tunc nullum est fundamentum ad cōstruendam illam nouā denominationem, hæc autem actio nou potest esse alia, nisi ipsa conuersio substātiæ panis in substantiam corporis Christi, nam corruptio panis non est sufficiēs ad hanc dominationem in corpore Christi causandam. Nam si nihil aliud contingeret quam destructio panis non reciperet prædictam denominatiunem corpus Christi, neque etiam sufficit ad eandem fundandam denominationem productio præsentię corporis Christi sub speciebus, quia vt eleganter docuit Vazquez loco citato, nō obstaute hac præsentia, vt iam vidimus in præcedentibus, corporis Christi sub speciebus panis, posset optime esse sub eisdem speciebus substantia panis, & tameu tunc non diceretur iure aliqu corpus Christi esse id, in quod conuersus est panis restat ergo conuersionem debere esse nouam aliquam actionem ab omnibus his longe dissitam.

16 Sit secunda conclusio, quæ necessario sequitur ex prima. Terminus formalis, ad quem tēdit conuersio, est aliquid reale de nouo productum. Hæc conclusio sicut & præcedens aperte pugnant contra sententiam Vazquez loco citato relatam, probaturque primò ex *Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4.* asserente *per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substātiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Et eodem modo loquitur *Concilium Florentinum in decreto vnionis.* Quæ verba sine dubio significant aliquid de nouo produci, tū quia sicut ea verba denotant aperte destructionem termini à quo, ita etiam ea denotare necesse est productionem alicuius termini ad quem, quia nunquā terminus à quo destruitur denuo, nisi aliquis terminus ad quem producatur de nouo; tum quia conuersio in naturalibus hoc indicat, vt apparet in conuersionibus naturalibus aeris in aquam, ligni in ignem, & in aliis similibus. Secundo probatur eadem cōclusio ex modo loquendi Sanctorum Patrum relato in septima sententia, secundum quem constat corpus Christi creari, & fieri ex pane, ergo aliquis terminus de nouo producitur per transsubstantiationem, ratione cuius istę denominationes verificari possint de corpore Christi. Tertio probatur quia conuersio est actio

A vera productiua de nouo existens in rerum natura, vt liquet ex præcedenti conclusione, ergo requirit terminum de nouo productum in rerum natura, neque enim ad rem antiquā est noua actio necessaria.

Sit tertia conclusio, Terminus formalis per conuersionem hanc productus est modus substantialis in corpore Christi existens, seu corpus Christi sub illo modo. Hanc conclusionē defendūt aliqui recētiores Theologi, *Et ex antiquis Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. ad secundum.* Vbi ait, *per consecrationem non vtcumque fieri corpus præsens, sed taliter contineri sub speciebus, qualiter panis continebatur seclusa inhærentia.* Ergo, eum non concedat, corpus Christi secundum se, neque ratione præsentiæ esse terminum consecrationis, sentit esse aliquem modum substantialem, quo est sub speciebus. *Michael de Palatiis in 4. dist. 11. disp. 1. Ledesma in 4. 1. part. q. 56. art. 5. dubio vltimo, Alanus lib. 1. de Sacramentis, cap. 34. 35. & 36.* Hoc etiam sentire videtur *D. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 5.* vbi ait. *Propositionem hanc; Hoc est corpus meum. Facere hunc sensum, contentum sub speciebus his est corpus meū,* Ac si diceret, idest, res existēs sub speciali modo. Probatur conclusio primò à sufficienti partium enumeratione, quia non videtur alius restare modus dicendi in hac quæstione, & hic, vt patebit, facilis est ad defendendum hoc mysterium, & veritatem verborum consecrationis. Secundo probatur, quia *Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4.* Ex veritate verborum colligit, esse hic conuersionem, sed veritas horū verborum est practica, sicut, & aliorum sacramentorum, quia sacramenta efficiunt, quod significant, ergo conuersio inde collecta debet esse etiam practica, & operatiua, non corporis Christi secundum substantiam, vt probatum manet contra septimam sententiam, ergo secundum aliquem modum substantialem, quia accidentalis modus procul hinc amandandus est, vt supra vidimus.

B

C

D

Hic vero modus debet esse substantialis, 18 quia hæc conuersio est substantialis, & ideo appellatur à Concilio loco citatu transsubstantiatio, non posset autem esse substantialis conuersio, si terminus ad quem, esset accidens, & non substantia. Hic autem modus sufficit, vt dicatur conuersio substantialis; vt in incarnatione Verbi non producta ex vi eius est humanitas, nec Verbum, sed tantum modus substantialis vnionis humanitatis ad Verbum, & tamen dicitur substantialis, & tendere ad substantiam. Et hic etiam modus distinctus est à præsentia, quam Christus habet sub speciebus, & à modo, quo vnitur speciebus, vt sit præsens loco specierū. De quo postea disputabimus. Vnde sunt duæ actiones vna ad præsentiam, altera ad modū tēdēs, distinctū à modo, quo corpus Christi vnitur speciebus. Supponit enim hæc

præsen-

præsentiam, & modum iste modus, de quo loquimur, quia præsentia hæc supponitur ad conuersionem, vt bene *Vazquez, 3. tomo in 3. parte disp.* 181. *cap.* 12. *num.* 137. Et hæc prioritas est in genere causæ efficientis; sicut prius est corpus alibi existens constitui in hoc gymnasio, quàm quod illud expellat aliud corpus hic existens. In conuersione autem hac simile huic contingit, nam corpus Christi sub speciebus expellit panem ibi antea existentem: imò hic modus talis debet esse naturæ, vt repugnet cũ substantia panis ex natura sua, quia non est aliud, per quod substãtia corporis Christi pugnet cum substantia panis, & quod sufficiat ad efficiendam conuersionem substantialem : nõ accidens, vt iam vidimus, quia ratione accidentis producti non diceretur hæc conuersio substantialis : non substantia ipsa corporis Christi, vt probatum manet contra septimam sententiam, quia hæc natura sua non pugnat, vel est incompossibilis cum substantia panis in eodem loco, vel sub eisdem speciebus, ergo necessario ponendus est iste modus substantialis, in rebus enim physicis præter accidens de prædicamento accidentis, & præter substantiam nihil aliud cognoscimus, nisi modum substantialem, iste vero modus hac ratione oppositus substantiæ panis, & vini non reperietur in conuersionibus naturalibus, vt cum ex aere fit aqua, quia ibi manet subiectum, seu materia prima, quę prius receperat formam aeris, postea est forma aquæ, quæ materia, quia nequit saltim naturaliter duas formas substantiã les recipere, ideo recipiendo nouam formam aquæ, petit corruptionem antiquæ aeris. Quare sine isto modo, quem in transsubstantiatione constituimus, reperitur inter prædictas formas sufficiens repugnantia ad rationem conuersionis, in hac verò transsubstantiatione Eucharistiæ, quia materia prima panis non manet sub forma corporis Christi, in ordine ad quam possint habere repugnantiam substantia panis, & substantia corporis Christi, necessario ponendus videtur modus, vt repugnantia intelligatur, & vera ratio conuersionis saluetur.

19 Sit quarta conclusio. Ex ista conuersione fie fundata resultant relationes illæ, quas supra ex *Vazquez* Constituebamus, per quarum vnam panis dicitur conuerti in corpus Christi, & per aliam corpus Christi dicitur succedere substantiæ panis. Hoc certum est: istæ autem relationes debent esse rationis: in pane prædicta relatio sanè est rationis, quia panis, cùm dicitur conuersus, iam non existit; res autem nõn existens in rerum natura non dicit relationem realem ad aliud: deinde in corpore Christi relatio successionis est etiam relatio rationis, quia relatio realis prædicamentalis, cuius generis deberet esse ista relatio, si esset realis de bet esse inter extrema realia, & realiter existẽtia: vt paternitatis relatio, quæ intercedit inter patrem, & filium, tantum vim habet, quando ambo existunt in rerum natura; at hæc relatio successionis, de qua loquimur, est in corpore Christi per comparationem ad substantiam panis non existentem, ergo non potest esse realis prædicamentalis, sed tantum rationis, ex eo autem dicimus, prædictas relationes resultare ex transsubstantiatione; quia in ea invenimus sufficiens fundamentum, vt vidimus, eas constituendi, & dicimus in illis non consistere hanc conuersionem substantialem, quia hæc conuersio substantialis vere, & formaliter est aliquid ante operationem intellectus, quia ante eam vere, & realiter conuertitur substantia panis in corpus Christi, ergo eius natura non est constituenda in aliqua relatione rationis, tum quia si in ea constitueretur, sine dubio derogaretur magnitudini huius mysterij, & proprietati verborum, quibus vtũtur concilia, & patres, dum de hoc sacramento sermonem instituunt. Vnde sufficienter refellitur sententia *Vazquez loco citato*. Qui in prædictis relationibus rationis apposuit naturam huius conuersionis, & hinc etiam satis reijcitur sententia aliorum recentiorũ, qui, vt tueãtur, transsubstantiationem esse aliquid reale, dicunt, eam consistere in desitione panis cõnotato corpore Christi: nam secundum istũ modum loquendi transsubstantiatio primario, & directe includit desitionem panis, quod falsum omnino est, cum transsubstantiatio, quemadmodum omnis alia conuersio, vel productio prius tendat ad esse termini ad quem, quam ad non esse termini à quo. Deinde, quia saltim ex parte cõnotati includet transsubstantiatio extrinsecam denominationem, & relationem rationis, quia corpus Christi vt enunciatum per verba consecrationis tantum includit relationem rationis.

Ad argumenta septimæ sententiæ respondetur. Primo veram esse doctrinam D. Thom. & aliorum Doctorum asserentium Christi corpus non esse in hoc sacramento per mutationem localem. Ita quod mutatio localis sit conuersio, ex hoc tamen non licet inferre, esse in hoc sacramento per conseruationem corporis Christi, potius enim est per productionẽ eiusdem modi substantialis. Quibus suppositis respondetur ad primum argumentum, rectè dici à Patribus, corpus Christi in hoc sacramento Eucharistiæ creari, & fieri ex pane, & panẽ in ipsum trãsire ratione modi producti in corpore Christi per cõuersionẽ: ex quo modo oritur, quod corpus Christi dicatur id, in quod est panis conuersus, tanquam ex fundamento, nõ tanquam ex forma, sicut in resurrectione hominis dicitur homo ex cadauere produci, cum tamen neque anima tunc, neque materia prima pro- 20

stantiationem appellant ; anathema sit.

Præterea hæc conclusio probatur ratione. Prima sit desumpta *Ex D. Thom. 3. part. quæst. 75. art. 2.* vbi ait, *Hoc quod est corpus Iesu Christi tantum manere sub speciebus panis, & non substantiam panis, necessarium fuisse propter adorationẽ, qua populus hoc sacramentum adorat, vt absolute, & simpliciter exhiberi possit sine vlla occasione, & periculo erroris, & idolatriæ.* Secunda ratio D. Thom. ibidem, est quia asserere, substantiam panis esse in hoc sacramento in hostia consecrata, est contra ritum Ecclesiæ, secundum quem post vnam hostiam consecratam licet sumere aliam, quod non liceret, si ibi adesset panis, quia secunda hostia sumeretur à non ieiuno. Tertia tamen ratio multo vrgentior desumpta est ex verbis, quibus *Matth. 26.* Christus cõsecrauit hostiam. *Hoc est corpus meum.* (Et eadem est ratio de calice. *Hic est enim sanguis meus.*) Ex quibus *Tridentinum sess. 13. cap. 4.* Definit, colligi veritatem nostræ conclusionis, ita vt consequentiæ vim negans hæreticus probaretur, ratio autem est huiusmodi. Christus accipiens panem dixit. *Hoc est corpus meum.* Sed id non enuntiauit falso, sed vere, ergo effecit Christus suis verbis, vt substantia panis ibi nõ esset, alias etiam si esset cum pane corpus Christi, non posset corpus Christi demonstrari per pronomen, hoc. Probatur consequentia, nam quamuis sub vna substantia, quæ haberet figuram vasis, & rationem continentis alteram, & sub accidentibus eius ita possit alia cõtineri, vt vtraque, & cõtinens, & cõtenta possit bene per pronomen hoc demõstrari; veluti cum dolium continet in se vinum; rectè dicimus. Hoc est dolium, & hoc est vinum, quia sicut accidẽtia naturalia; vt albedo calor, &c. ostẽdunt naturã sua substãtiã per pronomẽ hoc, quã naturaliter comitantur, ita accidens illud artificiale, vt figura vasis continentis aliquid, indicat aliam substantiam, ad quam continendam inuenta est. At verò, cum aliqua substantia non habet figuram, nec rationem continentis aliã, etiam si cum ea, cuius accidentia sensu percipiuntur, sit alia substantia intime penetrata, vt Angelus, verbi gratia, cuius accidentia nõ percipiuntur sensibus: Tunc non potest vtraque per pronomen, hoc, demonstrari, sed solum illa, cuius accidentia sunt propria, & ita penetrato Angelo cum corpore non possumus dicere, Hoc est Angelus, sed hoc est corpus. Et ratio est, quia accidentia illa, ad quæ non habent figuram vasis continentis, ad quæ dirigitur pronomen, hoc, & ratione quorum substantia demonstratur, primario, & absolute, & simpliciter sine aliquo addimento, solum indicant propriam substantiam corporis, cui insunt, nõ alienam: vt Angeli. Vnde, vt alienam substantiam pronomen hoc, quod non accidentia, sed substantiam indicat, significare possit, requiri-

A tur, propriam substantiam sub illis accidentibus non esse, sed alienam tantum. Sed sic est, quod Christus accipiens panem verè pronuntiauit illud, quod offerebat sub speciebus panis, esse corpus suum, dicens: Hoc est corpus meum. Et sic est, quod tales species, seu accidẽtia panis non habent figuram vasis continentis aliquid: ergo cum non possint hæc verba enuntiari de corpore Christi naturali, si esset sub speciebus panis simul cum substantia panis: vt vidimus, restat, vt solum enuntiẽtur de corpore Christi, quia sub speciebus panis solum sit corpus Christi, & non substantia panis. Et vrget hæc ratio, quia nequit dici pro cõtrarijs erroribus, & panem, & corpus Christi esse sub speciebus, & ob hanc intimam coniunB ctionem posse verificari, Hoc est corpus meũ, idest, panis est corpus meum. Quia intima præsentia sola sine vnione hypostatica non sufficit, vt vna substantia de alia prædicetur; vt anima est intime vnita corpori, & tamen non dicitur, Corpus est anima: ergo neque possemus dicere, si corpus Christi, & panis essent intime præsentes, hoc, idest panis est corpus meũ. Præterea nequit responderi, panem, & corpus Christi esse vnita hypostatice, & ita posse enũtiari, hoc, idest panis est corpus meum, idest Christi, quia hæc vnio hypostatica est inaudita in scriptura, & Sanctis Patribus, & à *Concilio Trident. in dictis locis* Reiecta, cum dicat, manere sola accidentia panis. Hac ratione vsi sunt in huius rei confirmationem ex scholastiC cis, *D. Thom. loco citato. Caiet. ibidem, Ricardus, in 4. dist. 11. art. 1. quæst. 1. & Suar. & Vazquez, disputationibus in principio quæstionis citatis.* Ex patribus. *Ambros. loco citato Crysost. homil. 83. in Matth. Damascen. 4. li. de fide, cap. 14.* Et alij. Neque etiam potest dici, manere in Eucharistia existentiam panis, vt aliqui scholastici docẽt, quia existentia est idem cum essentia, vel modus inseparabilis ab ea; & ita manente existentia panis in hoc sacramento, essentiam quoque manere necesse est, & eadem ratione Concilij Tridentini locis citatis reijciuntur quæcumque aliæ opiniones concedentes subsistentiam panis, vel prædicatum superius panis, vel aliquid aliud eius præter accidentia manere.

D Sed quæres, an sit de fide, quod substantia panis nullibi maneat in rerum natura, esto nõ maneat sub speciebus panis? Respondetur cũ Suar. loco citato. Hoc esse de fide, quia patres, & concilia, & expresius Tridentinum dicũt, fieri conuersionem substantiæ panis in corpus Christi, conuersio autem dicit desitionẽ eius, quod in aliud conuertitur. Et quamuis verba consecrationis possent esse vera, si substantia ab accidentibus separata extra illorum locum conseruaretur, ex sola tamen veritate verborum colligit Ecclesia desitionem totius substantiæ panis, & vini, quia manere substantiã extra

extra accidētia præter naturam ſolum ad hoc, vt verba reddantur vera, eſſet nouum, & cōtinuum miraculum minime neceſſarium, quod non creditur factum.

6 Verū contra noſtrā Catholicam doctrinam aliqua ſeſe poſſunt offerre argumenta. Pimū ſit, cū corpus humanū à dæmone obſidetur, bene dicimus. Hic eſt dæmō, ergo recte potuit dicere Chriſtus: Hoc eſt corpus meū, quamuis in Euchariſtia ſimul cū corpore eſſet panis. Ad hoc reſpondetur negando conſequentiam: cū enim ſignato corpore dicimus: Hic eſt dæmō, ex eo, eſt quia aliquē effectū in eo corpore ſentimus, & aliquod accidens, quod aptū eſt dæmonem demonſtrare, vt cum fœminam videmus ſuadētem vitia, & Hebraice loquētem ſine eo, quod talem linguam didicerit, in Euchariſtia autem nullum accidens Chriſti apparet, ſed ſolum panis. Vnde exiſtente ibi pane panis tantū demonſtraretur, & non corpus Chriſti per pronomen hoc.

7 Secundum argumentum ſit Lutheri in epiſtola quadam de transſubſtantiatione, quia etiā ſi panis ſit in Euchariſtia coniunctus cū corpore Chriſti, recte poſſet eſſe vera hęc propoſitio Chriſti, Hoc eſt corpus meum, ita, quod de pane prædicaretur corpus Chriſti propter coniunctionem, quam habet in Euchariſtia cum illo, ſicut Chriſtus Ioannis 20. inſufflans in diſcipulos dixit, Accipite Spiritum Sāctum. Quibus verbis flatum appellauit Spiritum Sanctum, propter ſingularem coniunctionem, quā habet cum eo. Eodem modo Ioānes Baptiſta, vt refertur *Ioan.* 1. Columbam, quam ſupra Chriſtum vidit, appellauit Spiritum Sanctū, ibi, *Vidi ſpiritum deſcendentem, ſicut Columbam.* Sed ad hoc argumentum acute, vt aſſolet, reſpondet *Vazquez diſp.* 180. *citata.* Chriſtū *Ioan.* 20. non appellaſſe flatum ſuum Spiritum Sanctum, ſed inſufflando prius, poſtea addidiſſe, Accipite Spiritum Sāctum, id eſt, eum, quem iſto flatu ſignificare volo, Similiter Ioannes Baptiſta non dixit colūbā eſſe Spiritū Sanctū, ſed indicans eſſe ſymbolū Spiritus Sancti dixit, *Vidi ſpiritum deſcendentem ſicut columbam.*

8 Aliqui hic diſputant de errore hæreticorū, qui dicuntur Vbiquiſtæ, qui vt defenderent, in Euchariſtia eſſe corpus Chriſti cum pane, excogitarunt humanitatem Chriſti eſſe vbique, & ita in pane eſſe. Quem errorem videre quis poterit apprime refutatū apud *Vazquez loco citato cap.* 8. In eo tamē nos non debemus immorari, quia neque ad nos, neq; ad quæſtionem pertinet.

9 Tertium argumentum ſit Kemnitij ſumptū ex *Matth.* 26. Vbi Chriſtus dicitur panem accepiſſe, & ſtatim dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, quod de pane ipſo dixit: Ergo panis eſt ſub Euchariſtia. Sed reſpondetur, pronomē, hoc, nō demonſtrare id, quod eſt in principio prolatio-

A nis, quod eſt panis, ſed id, quod in fine, quod eſt corpus Chriſti, vt poſtea conſtabit.

Quartum argumentum ſit *Petri cuiuſdam hæretici dicti Martyris in lib. contra Gardinerum*, in hunc modum, Chriſtus *Ioan.* 6. dixit. *Ego ſum panis*, & tamen non ſe conuertit in panem, ergo cum dixit, Hoc eſt corpus meum, non conuertit panem in corpus ſuum. Reſpondetur, Chriſtum de ſe dixiſſe, quod eſſet panis, ſcilicet panis ſpiritualis animæ per fidem edendus credēdo in eū, & ita nō debuiſſe ſe in panē triticeū cōuertere. At verò illa verba, Hoc eſt corpus meū non potuiſſe enuntiare niſi panē conuertiſſet in corpus Chriſti, vt ſupra vidimus. 10

Quintum argumentum eiuſdem *Petri Martyris* ſit decerptum *Ex ca. ego Berengarius de conB ſecrat. diſt.* 2. vbi proferens Berengarius confeſſionem Catholicam duo dicit, quæ duo pugnant contra nos. *Primum, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem eſſe non ſolum ſacramentum ſed etiam verum corpus, & ſanguinem Domini.* Vbi videtur indicari, manere, in Euchariſtia panem, & vinum. Secundum eſt, quod ſtatim ſubditur de hoc ſacramento, *Scilicet, ſenſualiter, & in veritate Sacerdotum manibus tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri.* Quæ de corpore Chriſti nō poſſunt dici. Sed ad primū reſpōdetur, panem dici eſſe corpus, Chriſti poſt cōſecrationē, quia in corpus Chriſti cōuerſus eſt, & quia alit ſpiritualiter corpus Chriſti, ſicut panis corporaliter. Præterea reſpōdetur, ex eo dici in Euchariſtia eſſe nō ſolū C ſacramētū, ſed etiā verū corpus, & ſanguinem Domini, vt denoretur, in ea nō ſolum reperiri ſignū corporis, & ſanguinis Domini, ſed etiā ipſum corpus, & ſanguinē. Ad ſecundā partē eiuſdē argumēti dicimus, hęc omnia, frāgi, dētibus atteri, comedi, & alia ſimilia vere enūtiari de corpore Chriſti, nō ratione ſui, & proxime, quia nō eſt modo corporali, & ſenſibili, ſed remote, & ratione ſpecierū, quibus hęc omnia ratione ſui conueniūt. Vnde *Chryſoſt. hom.* 83. *in Matth. de Chriſto* in hoc ſacramento inquit. *Ipſum vides, ipſum tangit, ipſum comedis.* Ideo autem in dicta confeſſione Berengarij dicitur, ſenſualiter, & non ſolum in ſacramento conuenire corpori Chriſti frangi, &c. vt ſignificetur, Chriſtum non ſolum eſſe in hoc ſacramen- 11
D to vt in ſigno, ſed etiam re ipſa, ita vt ſenſualis tractatio ei conueniat ratione ſpecierum.

Sextum argumentum eſt deſumptum *ex Proſpero in lib. ſententiarum Auguſtini, & Cypriano in ſermone de cœna Domini*, Et alijs patribus, qui ad hoc ſacramentum explicandum vtuntur ſimilitudine vnionis hypoſtaticæ: vnde videntur denotare illud conſtare ex natura panis, & corporis Chriſti. Sed reſpōdetur, patres ſolum voluiſſe, hoc ſacramentum duabus naturis conſtare, altera ſpecierum, altera corporis, & ſanguinis Chriſti, ſicut vnio hypoſtatica 12

duas includit naturas, & humanam, & diuinā.

Prætermitto hic difficile testimonium *Gelasij Papæ in lib. de duabus naturis in Christo, qui est in 4. art. 5. tom. Bibliothecæ Sacræ.* Vbi denotatur in Eucharistiā manere substantiam panis, & vini, quia *Canus lib. 6. de locis cap. vltimo ad nonum, & Vazquez loco citato, cap. 9.* Putant, librū illū non esse *Gelasij Papæ, sed Gelasij Cæsariens.* Prętermitto etiā aliud simile testimoniū Chrysostomi, epist. ad Cæsarium Monachum, quia vt bene *Turrianus lib. 1. de Eucharistia, cap. 18. §. ad illud.* Hæc epist. non est Chrysostomi. Habent tamen difficultatem hæc verba *Theodori, in dialogo, pagina 13. Symbola, & signa, quæ videntur, appellatione corporis, & sanguinis sui honorauit, non naturam quidem mutans.* Vbi de hoc sacramento videtur disputare. Sed ad hoc respōndetur, ibi per illa verba, non naturam quidem mutans, non intellexisse, manere substantiam panis, & vini, sed accidentium veras naturas; quod nos etiam fatemur. Qua ratione intelligendus est *Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 5.* dum ait, *Si tanta vis fuit in sermone Christi, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit, vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur.* Vbi in illis verbis: vt sint, quæ erant, Intelligit substantias panis, & vini secundum accidentia manere. Et eodem modo intelliguntur *Irenæus lib. 4. cap. 32. & Canon. Hoc est, de consecrat. dist. 2. qui est August.* Qui dicunt, *Hoc sacramentum constare duabus rebus visibili, & inuisibili. Et Esichius lib. 2. in Leuit. cap. 8.* dum ait, *Hoc sacramentum panem, & carnem esse,* nam per visibile, & panem intelligitur species panis, quę in hoc sacramento reperitur simul cum corpore Christi.

QVÆSTIO XIIII.

Quæ sit natura, & essentia transsubstantiationis, & cōuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi?

1 HÆRETICI, qui negant præsentiam corporis Christi in hoc sacramento: vt Caluinistæ, & qui talem præsentiā fatentur simul cum substantia panis, vt Lutherani ferre non possunt nomen transsubstantiationis. Vnde illud exibilant appellantes nouum, barbarum, & portentosum, alij vero, qui negantes substantiam panis in hoc sacramento aliquid illius manere defendunt, euertunt nomen transsubstantiationis. Pro hac autem quæstione intelligēda quædam notanda sunt. Primo notandum est, sacramentum Eucharistiæ confici per veram conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Ita loquitur *Concilium Florent. & Trident. sess. 13. c. 4.* A Et hoc est de fide: imò etiam de fide est, hanc conuersionem conuenienter, & proprie transsubstantiationem appellari. Vt docet *Tridentinum sess. 13. can. 2.* Quod sacramentum fiat per conuersionem, patet, quia hic desinit esse tota substantia panis, & vini, & incipit esse corpus, & sanguis Christi vice illius: ergo per conuersionem vnius in aliud. Quod autem hæc conuersio transsubstantiatio dicta sit, ex eo prouenit, vt nouum mysterium, & nouum genus cōuersionis longe excedens conuersiones naturales substātiarū nouo, & singulari nomine appellaretur, & vt noui errores circa hoc mysterium occurrentes cauerentur. Hoc enim simili ratione Ecclesia ad declarandum consubstantialitatem filij Dei inuenit nomen Homousios, id est consubstantialis. Et nomē Theotocos, id est Dei para, & vt bene notauit *Vazquez 1. p. disp. 3. c. 5. ex Cicerone,* disciplinarum authoribus licitum est, noua vocabula artis excogitare, quibus rem commodius, & breuius explicare possint.

B Tertio notandum est conuersionem aliquā requirere. Primo transitū vnius rei positiuæ ad aliā positiuam, & desitionē eius, quæ transit, vnde *Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei cā. 18.* docet, non fuisse veras cōuersiones illas, quas gētiles iactabāt factas à suis Magis, vt sociorū Diomedis in aues, sociorū Vlyssis in varias bestias, quia Dæmonis arte subitò illæ personæ inde abductæ sunt, & in earū locū aues, & bestię substitutę. Et ratio est, quia intelligi nō potest, quomodo res aliqua in se ipsa manēs in alterā cōuertatur: vnde si vxor Lot fuit conuersa in statuam salis; desijt esse totū compositū, licet māserint materia prima, & anima rationalis. Deinde requiritur, quod terminus ad quē, aliquo modo mutetur, & incipiat esse, alias nō esset cōuersio in illum potius, quam in alium. Vt ex communi modo concipiendi inter homines patet, & ex inductione in cōuersionibus naturalibus, quādo enim ex ligno fit ignis, tūc dicitur cōuersio, & quādo ex calido fit frigidū. Nā quādo Angelus per se solus produceretur sine desitione alteri⁹ rei, vel annihilaretur sine alicuius rei productione, nō diceretur mutatio, sed creatio, & annihilatio. Secūdo requiritur, vt res transiens in aliā quæ dicitur terminus, à quo, & res, in quā alia transit, quæ dicitur terminus, ad quē, habeāt inter se aliquā cōnexionem ita, vt vna ex alia aliquo modo sequatur. Hoc est certū apud omnes, & ratio huius est, quia nisi hāc connexionē cōstituamus inter has duas res, vna res nō diceretur in alia trāsire, sed potius per accidēs coniungerentur; sicut per accidēs coniūgūtur, quod lignū corrūpatur, & q̄ homo generetur. Tertio requiritur, vt præter illas duas res positiuas, vnā, in quā fic trāsitus, & aliā, quæ trāsit, sit aliqua tertia res cōmunis vtrique termino: circa quā istæ duæ

duæ res sibi succedant,& quo perseuerãte fiat sub illo prædictus transitus vnius rei in aliam. Hanc sententiam defendunt, *Durand.in 4.dist. 11.q.2.Sotus in 4.d.9.q.2.art.2.ad 3.& D.Tho. 3.p.q.75.ar.5.ad 4.* Cuius hæc sunt verba. *Hæc conuersio non proprie habet subiectum, vt dictũ est, sed tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquã similitudinem subiecti.* Hoc probatur primò inductione. Nã in conuersione formali: vt cum ex homine fit cadauer,& ex ligno ignis, materia prima, quæ prius fuerat sub hominis forma postea remanet sub forma cadaueris,&c. Et in hoc sacramento accidentia, quæ prius fuerãt cum pane, post consecrationem manent cum corpore Christi. Probatur, quia alias non potest intelligi ordo successionis, quem dicũt inter se duæ illæ res, inter quas est trãsitus. Quæ tertia res in cõuersione naturali, v.g. Ligni in ignem, est subiectum sustentans prius in se formam ligni,& postea formam ignis, hic autem solum sunt accidentia, quæ non habent vicẽ subiecti huiusmodi, & hæc quidem omnia reperiuntur in transsubstantiatione, quæ vera conuersio est. Primo enim reperitur transitus vnius rei positiuæ in aliam: vt panis, & vini, in corpus,& sanguinem Christi. Secundo reperitur connexio inter has duas res taliter, quod vna ex altera sequatur, vt ex positione corporis,& sanguinis Christi in hoc sacramento sequitur desitio panis,& vini. Tertio reperitur aliqua alia res, quæ sit communis vtriq; termino, scilicet accidentia panis,& vini, sub quibus prius erant substantiæ panis,& vini,& postea sunt substãtiæ corporis,& sanguinis Christi. Quæ omnia clarius constabunt ex discursu huius quæstionis,& aliarum sequentiũ. Et hæc quidem conuersio habet duas mutationes, vel quasi mutationes partiales, alterã priuatiuã ab esse termini à quo ad non esse,& alteram positiuam à non esse termini ad quem ad esse eius dem: licet tãtum sit vnica actio ex natura rei. Neque hæc desitio panis ex positione corporis Christi sequitur ex sola volũtate Dei volentis panẽ destruere præsente corpore Christi, nã si hoc satis esset omne, quod ex voluntate Dei desinit, simulatque aliud est, diceretur in illud conuerti, quod non ita est, ita ergo cõtingit in nostro casu. Quod ex modo significãdi, & statuendi corpus Christi in sacramento per verba consecrationis talis est oppositio cũ pane, vt hoc ipso, quod per verba consecrationis significatur, consequatur necessario non esse panis. Ita *Vazquez 3 to.in 3.p.d.181.c.12.* Et recentiores: tum quia sola Dei voluntas non mutat naturas rerũ, ergo neque efficit, vt desitio panis habeat connexionem cum positione corporis Christi, si aliàs non habebat.

3 Difficultas ergo modo est, in quõ consistat natura,& essentia huius cõuersionis, quæ hæc tria prædicta in se continet, quæ quidẽ difficultas ita torsit scholasticorum ingenia, & tãtum eorum animis terrorem incussit, vt ad varias sentiendi latebras confugere compulerit.

Prima sententia est *Durandi in 4.d. 11.q. 3. nu.5.* Asserentis conuersionem hanc in eo consistere, vt materia panis incipiat esse sub forma corporis Christi peracta consecratione ad eum modum, quo materia nostri alimenti per nutritionem informatur anima rationali, quæ forma est eius, qui nutritur. Probatur hæc sententia primò ex *Damasceno 4.de fide cap. 5.* Qui quidẽ conuersionẽ panis in corpus Christi cõparat conuersioni cibi in substantiã aliti. Secũdo probatur eadẽ sententia, quia mirũ esse non debet, nouam materiam aduenire corpori glorificato; vt enim docuit *D. August.lib.3.de ciui tatr,c.22. non potestas, sed indigentia comedẽdi corporibus resurgentium aufertur.* Tertio confirmatur, quia iste modus cõuersionis possibilis est, & omnes difficultates, quæ in hac materia insurgere possunt, facile dissoluit. Sequitur ergo eũ modũ admittendũ esse. Huic tamẽ sententiæ omnes Catholici Doctores erroris notam inurũt,& vt verũ fatear, non immerito. Quod patet primo quia *Concil.Trident.sess.13.can.2.* vt supra ostendimus, expresse affirmat, post consecrationẽ Eucharistiæ ex pane,& vino præteritis tantum perseuerare accidẽtia panis,& vini, ergo nullo modo perseuerat materia, quæ vera substantia est. Secundo patet, quia verba Christi, quibus panis cõsecratur, Hoc est corpus meũ, denotãt, corpus Christi absolute, & simpliciter manere sub speciebus panis eodem modo, atque se habebat ante consecrationem, ergo absque vlla additione nouæ materiæ panis sub speciebus remanet. Vnde ad primũ argumentum Durandi respondetur, D. Damascen. tantum contendisse adducere nobis aliqua le exẽplũ huius conuersionis substãtialis, nõ verò exẽplum, quod totaliter adæquetur huic conuersioni: quare ad hoc propositũ adduxit conuersionem cibi in substantiam aliti, vt ex ea aliquam deduceremus cognitionem saltem confusam conuersionis panis in corpus Christi. Ad secundum argumentum dicimus corpora gloriosa tantũ conterere cibũ dentibus, & in stomachum traijcere, non verò illum in suã substantiam conuertere: hæc enim conuersio tantum reseruatur corporibus immortalitatis dote destitutis. Vnde ex hoc capite nihil probat Durand. in suum fauorem. Tertio argumento facilisse offert solutio, scilicet, hunc modum conuersionis non esse impossibilẽ Deo, quia nulla in eo reperitur repugnantia, de facto tamen illum non cõtingere propter eas rationes, quas proxime prænotauimus.

Secũda sentẽtia docet, per conuersionẽ fieri præsentiã, quã corpus Christi habet sub speciebus. Pro hac sententia allegant recentiores multos Doctores, *Vt Scotũ in 4 dist. 11. quæst.* 5

4. *Maiorem q.1. Petrum Aliacensem q.6. & Bellarmin. lib. 3. de Eucharistia cap.* 18. Probatur, quia nihil aliud requiritur ad hoc, vt verba cōsecrationis habeant verum sensum, quam præsentia corporis Christi sub speciebus. Ergo nihil aliud requiritur ad veram conuersionem. Verùm hæc sententia falsa est ex eo, quia alias sequeretur, conuersionem non esse actionem substantialem, neque transsubstantialem, sed accidentalem, quia terminus productus solum est accidens, nēpe præsentia illa localis corporis Christi, & sanguinis eius. Ad argumentum verò in oppositum respondetur, productionē huius præsentiæ neque sufficere ad veritatē verborum, neque ad conuersionem saluandā panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, quia ex vi talis præsentiæ nullo modo expellentur panis, & vinum, cum simul esse possint cum corpore, & sanguine Christi sic præsenti bus, vt postea patebit.

6 Tertia sententia est *Soti in 4. dist. 9. q. 2. ar. 4.* §. Igitur conuersio. Vbi defendit, conuersionē ad hoc ordinari, vt corpus contineatur sub speciebus, sicut panis antea sub illis continebatur seclusa inhærentia. Quod probat ex *Augustin. in lib. sententi. Prosperi relato, canone. Hoc est, de cōsecrat. dist. 2. dicente, sacrificium Ecclesiæ duobus constare visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri carne, & sanguine.* Vbi verbum, constare, denotat, ex illis vnum fieri, sicut ex pane, & accidētibus. Sed hæc sentētia Soti mihi nō placet ex eo, quia vel iste modus est substantialis, vt defendit *Valent. tom. 4. disp. 6. q. 3. puncto* 3. Vel accidentalis. Substantialis esse nequit, quia ordinatur ad essendum sub accidentibus: ad quod non requiritur modus substantialis. Tum quia, sicut substantia non indiget modo substantiali, vt sit sub accidentibus, sed modo accidentali inhærentiæ, quo accidens inhæret subiecto, & ab eo sustentatur, ita neque corpus Christi. Tū etiam, quia seclusa inhærentia non est aliquis modus in rerum natura, per quē substantia sustenter accidentia, & sit sub illis. Præterea talis modus non est accidentalis, quia ratione illius non posset saluari cōuersio Eucharistiæ, quæ substantialis esse debet. Et ad argumentū Soti respondetur: verbū constare solum denotare, in sacramēto Eucharistiæ hæc duo reperiri, scilicet accidentia visibilia panis, & vini, & corpus, & sanguinem Christi, quæ sunt inuisibilia, non tamen ex hoc sequitur modus ille, quem ponit Sotus, sed alius, quem postea adstruemus.

7 Quarta sentētia est aliorū recentiorū asserētiū, terminū productū per hanc actionē cōuersionis substātialis esse secundū se accidētariū, tamē cōparatum cū termino à quo dici posse substantialē ex eo, quod ita pugnet cū substāria præcedēti, vt ipsam destruat, & in se cōuertat, vnde dicūt, hanc conuersionē esse substantialē, non quia tendat in substantiā, sed quia fit à substantia, quæ perit, scilicet, à pane. Probāt hanc sententiā hoc modo, quia ab eodē habet hæc actio, quod sit conuersio, & quod sit substātialis cōuersio; Sed quod sit cōuersio, habet solū à termino à quo qui cōuertitur: Ergo ab eo dē etiā habet, quod sit substantialis conuersio. Sed hæc sententia falsa est, tū ex rationibus, quibus impugnatæ manent secunda, & tertia sententia. Tū etiā ex eo, quia sicut trāslocatio denotat transitū ex vno loco ad alium, ita etiam transsubstantiatio denotare debet transitum vnius substantiæ in aliā, tum etiā quia alias sequeretur in eo casu, quo aliqua substantia conuerteretur in solū accidēs separatū à subiecto, talē conuersionē vere esse ac nuncupari posse transsubstantiationē, quod nullus sane cōcedere audebit. Quare argumētoin oppositū respōdetur, etiā si solus terminus à quo dicatur cōuerti, nō vero terminus ad quē. Vt v.g. cū ex ligno fit ignis, lignū dicitur conuerti, & nō ignis, tamē ipsum terminū à quo etiam respicere terminū ad quē pœnes hoc, quod cōuersum in aliud conuertitur, vt lignū cōuertitur in ignē, imò si naturā ipsam cōuersionis spectemus, reperiemus cōuersionē respectū quendā includere in ordine ad terminum ad quem, & ad terminum à quo, quia vere est trāsitus alicuius in aliquod, ergo et conuersio substantialis sit requirit terminum aquo substantialem, & terminum ad quem etiam substantialem.

Quinta sentētia est aliorū recentiorum asserentium, per actionem transsubstantiationis non produci præsentiam Christi sub speciebus, neq; modū aliquē substantialē, neque produci corpus, aut sanguinem Christi, aut hæc cōseruari, sed hoc solum ex ea actione resultare, vt corpus, & sanguis Christi sint id, in quod panis, & vinū cōuertuntur. Verùm hæc sentētia sustinēda nequaquā est, quia licet considerādo solū verborū difficultatē dissoluere videatur huius quæstionis, at vero si profunde rem enucleemus, nihil in ea substantiale inueniemus, nullūq; solidū fundamētū. Quod hoc argumēto euidentius cōuincitur, quia esse id in quod panis cōuertitur, tantū est denominatio extrinseca in corpore, & sanguine Christi, vt cōstare potest inspicienti terminos ad quos cōuersionis substantialis cuiuslibet, ergo aliquod requirit fundamentū, ratione cuius fundamenti potius hæc denominatio cōueniat huic rei, quā alteri, & potius modo quam antea, vt parietē modo esse visū, vel dextrū prouenit ex eo quod homo eliciat actionem visiuam circa illum, vel ad dexteram suam illum habeat constitutum, sed prædictū fundamentum in transsubstantiatione non constituit sola desitio panis, cū hæc satis non sit ad rationē conuersionis, cum sine productione alicuius rei posset panis sola Dei virtute ad nihilū reduci, in quo casu absq; dubio 8

bio nulla esset cõuersio, ergo necessarium est aliquid aliud produci, ratione cuius corpus, & sanguis Christi dicantur esse id, in quod fit conuersio, de quo in præsenti quæstione inquirimus quid illud fit?

9 Sexta sententia in ordine est Gabrielis *in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. dubio* 2. Affirmantis transsubstãtiationem nihil aliud esse essentialiter, quam conseruationem ipsius Christi per verba cõsecrationis cõtinuatam, hæc tamen licet ab alijs diuersis modis impugnari soleat, hac tamẽ vnica ratione sufficienter expugnabitur, vt aliqua actio habeat rationem transsubstantiationis, & conuersioois debet ordinari ad aliquẽ terminũ ad quem, qui habeat aliquã repugnantiã, & incompossibilitatẽ cũ termino à quo ex natura rei, vt vidimus in principio quęstionis, sed id quod fit per hãc actionẽ conseruatiuam corporis Christi est corpus Christi, quod quidẽ nullã habet repugnantiã cum pane, qui est terminus à quo, ergo illa actio à Gabriele assignata nõ est conuersio. Minor probatur, in qua est tota difficultas, quia ante quã cõseruaretur corpus Christi medijs verbis consecrationis nõ habebat hanc repugnantiã cum pane, vnde neq; panis in ipsum cõuertebatur, vt constat, sed posita eius conseruatione medijs verbis nullã etiã habet repugnantiã cũ pane, quia tũc idẽ corpus Christi est eodem modo se habens, ac antea, sine eo quod aliqua ei entitas sit superaddita, ergo sequitur in eacõseruatione nullo modo posse consistere rationẽ transsubstantiationis. Præterea secundũ Gabrielẽ post cõsecrationẽ solũ habet de nouo corpus Christi præsentiam sub speciebus panis, & vini, sed ratione illius solius præsentiæ non habet repugnãtiã ex natura rei cũ pane, quia hæc præsentia indiuisibilis, quã habet corpus Christi sub speciebus, bene compatitur ex natura rei præsentiã diuisibilẽ panis, quemadmodũ præsentia Angeli in aliquo loco non tollit, quin in eodem loco possit esse aliquod corpus.

10 Septima sententia est aliorũ recentiorũ affirmantiũ, transsubstantiationẽ esse actionẽ quandã, media qua corpus Christi cõseruatur in suo esse taliter, vt si antea nõ esset, per eã actionem nouiter produceretur, qui quidẽ recẽtiores cõstituunt duas actiones conseruatiuas Christi, alterã qua conseruatur modo naturali in cęlo, alterã, qua conseruatur modo præternaturali in sacramẽto. Hanc sententiã *docet Suarez 3. to. in 3. p. disp. 50. sect. 4.* Qui refert pro hac sententia, D. Tho. qui in tota fere hac quæstione, & sequẽti negat corp⁹ Christi incipere esse in hoc sacramẽto per mutationẽ localẽ, ergo sentit esse per actionẽ substantialẽ, allegat etiã in suæ partis defensionẽ, *Altisiod. lib. 4. summæ tract. 5. c. 2. Ricard. in 4. d. 11. ar. 1. q. 1.* Qui negãt actionẽ hanc esse similẽ adquisitioni loci. Hanc sententiã probat primo Suarez ex modo loquen-

A di Sanctorũ Patrũ asseuerantium, corpus Christi creari in hoc sacramento, & fieri ex pane, & panẽ, ac vinũ in corpus Christi, & sanguinem eius mutari, huius generis sunt, *Cyprianus in sermone de cœna Domini.* Vbi sic ait de Christo. *Qui vsque hodie verissimum, & Sanctissimũ corpus suum creat, Ambrosius lib. 4. de sacramentis c. 4. sic inquit. Panis iste communis panis est ante verba sacramẽtorum, vbi aduenerit consecratio, de pane fit Corpus Christi, & cap. verum sub figura de cõsecratione dist. 2. continetur, corpus Christi per Spiritum Sanctum potentialiter creari, & ex substantia panis effici,* tum etiam *Eusebius Emissenus homilia 5. de paschate,* Dixit loquens de pane, & vino, *Creaturas in Dominici corporis transire naturam,* Vbi notandum non dixisse istum Do-B ctorem transire in præsentiam, sed in naturam. Secundo probatur, quia transsubstantiatio est conuersio substantialis vnius substãtiæ in aliã, ergo ad eã non sufficit actio adductiua corporis Christi, quæ poti⁹ est trãslatio in locũ, quã transsubstantiatio, sed requiritur substantialis quędã Christi cõseruatio. Tertio probatur, quia omnes mutationes, quas Sacra Scriptura cõmemorat esse à Deo factas supra naturam, quod attinet ad sensum suppleri optime possent per solam adductionem alicuius rei de vno loco ad alium, verum aqua conuersa est in vinum in Chana Galilææ, potuit Deus vinũ de nouo nõ producere, sed illud aliunde afferre ad supplẽdum defectum illum, nihilominus tunc dicimus aquam fuisse conuersam in vinum per veC ram eiusdem vini productionem, quia hoc est perfectius genus conuersionis, ergo in cõuersione panis in corpus Christi eodem modo affirmandum est, eam non contingisse per adductionem corporis Christi ad locum, vbi antea erat panis, sed producendo, seu conseruando corpus Christi. De inde probatur argumentis aliquorum recentiorum nostræ scholæ Salmãtinæ, vnde probatur Quarto in ordine hæc sententia, quia verba in sacramentis nouæ legis efficiunt id, quod significant directe, & primario, sed verba in sacramento Eucharistiæ directe, & primario significant corpus Christi quantum ad eius substantiam, non vero quantum ad aliquod accidẽs superaddi ñ, hoc enim accidens supra nos reiecimus à ratione conD uersionis substantialis, ergo verba consecrationis efficiunt corpus Christi secundum suã substantiã. Quinto, & vltimo probatur hæc sententia, quia conuersio panis in corpus Christi non solũ secundũ rationem generalem actionis, sed etiam secundum rationem particularẽ cõuersionis est influxus, per quẽ re ipsa, & de facto producitur aliquid, sed nõ producitur aliud quam substantia corporis Christi, cum per conuersionem nulla alia entitas producatur in corpore Christi, ergo corpus Christi est id, quod producitur per transsubstantiationẽ,

qui

qui vltimi recentiores fatentur hanc conuersionẽ Eucharistiæ esse similẽ creationi, quia nõ præsupponit, sed producit subiectũ, & addũt hanc actionẽ non esse accidens prædicamentale, sed volitionẽ diuinam includentem essentiã diuinam, & respectum ad creaturas, quæ de nouo fiunt, huic sententiæ adhærere videntur alij Doctores, qui rationem transsubstantiationis constituunt in reproductione Christi, *vt Nuño super 3.p.D.Thom.q.75.art.4.& Conin. tomo de Sacramentis dum de hoc puncto disputat*. Quorũ placitũ quia prædictis rationibus nititur ideo ex illo non conficimus aliam distinctam sententiam, tum etiam quia eisdem rationibus refellẽdũ est, ac septima sentẽtia, ad quã reducitur.

11 Prædicta tamen sentẽtia nunquam mihi placere potuit, vnde ea aliquibus rationibus refellenda est, quarum prima sit, quia ad rationẽ conuersionis requiritur, terminum ad quem ex natura rei pugnare cum termino, à quo & ex natura rei consequi desitionem termini à quo ex constructione termini ad quem, vt apparuit in secundo notabili huius quæstionis. Sed siue conseruatio corporis Christi ex verbis consecrationis dependens sit eadem cum ea, qua conseruatur in cœlo sine verbis consecrationis, siue sit noua alia conseruatio, siue sit reproductio corporis Christi de nouo, cum solum tendat ad productionem, seu conseruationem corporis Christi, nõ habet terminum ex natura rei incompossibilem cum pane, qui est terminus à quo, nam ex natura rei optime possent cohærere sub speciebus sacramentalibus panis localiter extensus, & corpus Christi localiter inextensum, vt supra aperte demõstrauimus: Ergo transsubstantiatio nõ consistit in conseruatione Corporis Christi, aut in eius aliquali reproductione. Neque valet, quod aliqui recentiores respondent huic argumento, scilicet, licet, esse substantiale corporis Christi consideratum solum secundum suam entitatẽ non pugnet cũ natura panis, at verò esse substantiale corporis Christi cum ea intentione Dei, quod corpus Christi existat per cõuersionẽ substantialẽ sub speciebus panis sine societate substantiæ panis pugnare cũ natura panis. Veruntamen hæc respõsio nullam vim habet, quia, si ex animo, & voluntate Dei, vt significãt isti Doctores, prouenit ista oppositio, ergo nõ ex natura rei, vt probauimus requiti ad veram conuersionẽ, etiã aduersarijs nostris testibus. Tum etiã, quia ex illo modo loquendi recte colligitur, inter vtrumq; terminũ istius cõuersionis non reperiri repugnantiam absolute, sed ex suppositione. Secundo refellitur prædicta septima sentẽtia ex eo, quod conuersio ita fit in corpus Christi, vt nullo modo fiat in animam, vt patet ex modo loquendi, *Concilij Tridenc. sess. 13.c.4.& Eugenij IIII. in decreto fidei, quod est in Conc. Flor. §. Tertium est.* Secundum

A dum quem substantia panis dicitur conuerti in corpus Christi: cuius tota ratio est, quia conuersio tantum dicitur fieri in id, quod est terminus per se conuersionis, & in id, quod est in sacramẽto Eucharistię ex vi verborũ. Quod tantum conuenit corpori Christi, & non eius animæ. Sed conseruatio corporis Christi, quæ nunc contingit in hoc sacramento, tendit ad conseruandũ corporis simul cum anima, quia est conseruatio corporis vini, & eadem est ratio de reproductione corporis Christi, ergo hæc conuersio substantialis non consistit in cõseruatione, aut reproductione corporis Christi. Tertio apparet prædictæ sententiæ falsitas, quia Christi humanitas, quemadmodum in noctę cœnæ fuit principium instrumentale efficiens huius conuersionis, ita etiam, & modo

B est tale principium. Sed intelligibile non est, quod idem sit principium reproducendi, vel conseruandi se ipsum, quia aliàs idem dependeret à se ipso, & esset prius, ac posterius se ipso secũdũ suã substãtiã indiuisibilem, & distinctũ realiter à se, quilibet enim effectus depen det à sua causa, & est posterior illa realiter, & distinctus realiter, ergo etiam intelligibile nõ est, Christum esse instrumentum transsubstantiationis: quare negandum necessario videtur, naturam transsubstantiationis in prædicta conseruatione, aut reproductione sitam esse. Maior propositio huius tertij discursus probatur ex *Chrysostomo homil. 83. in Matth.* Asserente, *Christum, qui in cœna operatus est, transmutare hic*

C *panem, & vinum in suum corpus, & sanguinem, & ex Eusebio Emiseno homilia 5. de paschate*, sic dicente. *Inuisibilem Sacerdotem. Hoc est Christum verbis illis suis creaturas illas conuertere in corpus suum, & sanguinem.* Quod argumentum etiam vim habet, siue humanitas Christi sit instrumẽtum physicum, siue morale, siue causa per se, siue per accidens, quia quocunque modo sit causa, vel instrumentum aliqua res, debet alteri præexistere, cuius est causa, vel instrumentum, & distingui ab eo. Quarto refellenda est prædicta sententia quãtum ad eam partẽ, quã vltimi recentiores addiderunt, quia illa reproductio corporis Christi est noua actio, ergo debet habere nouum terminum; at corpus Christi nõ est aliquid nouũ, sed ante consecrationẽ

D existens, ergo noua actio non potest respicere corpus Christi tãtũ. Quare *Pater Nuño loco citato, difficultate* 1. defendit, terminũ huius reproductionis esse corpus Christi sub nouo modo, scilicet, vt est sub speciebus. Sed hoc respõsum minime placet, nisi modus ille sit substãtialis, de quo postea disputabimus. Si enim modus esset accidentalis, nõ posset defendi trãssubstãtiationis natura, quæ debet esse substãtialis, si enim terminus ad quẽ productus per aliquã actionẽ accidentalis est, quomodo quæso actio ab eo desumẽs specificationẽ suã poterit esse substan-

substantialis? Vltimo conuincitur prædicta sententia, quia Sancti Patres ex eo, quod Deus res de nouo producat, quasi a maiori ad minus probãt posse hãc trãsubstãtiationẽ efficere. Quod argumentũ nullã vim haberet: si in cõsecratione Eucharistię corpus Christi de nouo produceretur. Cuius argumenti vis deducitur *Ex Diuo Ambros. li. 4. de sacramẽtis, c. 4.* Ex isto ergo modo loquẽdi Sanctorũ Patrũ aperte liquet, corpus Christi in transsubstantiatione non produci, aliàs non plus esset creare, quàm transsubstantiare, sed idem prorsus esset.

12 Prætermissis autẽ alijs sentẽtijs, quæ prædictis annumerari possent, quia, vel nullã difficultatẽ cõtinẽt, vel facile ex dictis in hac quæstione, & præcedentibus reijci possunt, octaua in ordine sentẽtia est *Vazquez 3. tom. in 3. p. d. 181. c. 12.* Defendẽtis, cõuersionẽ in hoc sacramẽto non esse aliquã actionẽ de prædicamẽto actionis, quæ sit alicuius rei productiua, sed esse actionẽ, quã vocant grãmaticalem, quæ nomine tantum nomine actionis, licet actio non sit, quod de intellectione aliqui probabiliter sentiunt. Vnde asserit iste author primo conuersionẽ formaliter in hoc sacramento sitã esse in duplici relatione, altera à pane in corporis Christi, quæ est cõuersionis, quia panis est id, quod cõuertitur, altera à corpore Christi in panẽ, quæ cõtinet ordinẽ quẽdã successionis per hoc, quod corpus Christi succedat substantiæ panis. Secundo tanquã fundamẽta harũ relationũ constituit, destructionẽ panis, & productionẽ præsentiæ corporis Christi sub speciebus panis. Tertio defendit iste author terminũ ad quẽ formalẽ, & primarium huius conuersionis repugnantẽ cũ substantia panis, & vini esse solã substantiã corporis, & sanguinis Christi demonstratã, & significatã per orationes illas demonstratiuas: *Hoc est corpus, & hic est calix.* Pro hac vero sua sentẽtia refert *Vazquez D. Thō. q. 75. art. 4. in solutione primi.* Ita affirmantẽ. *Vnde cũ hæc conuersio substantialis importet quendã ordinẽ substantiarũ, quarũ vna conuertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtraq; substantia, sicut ordo, & numerus.* Refert etiã tanquàm huius sententiæ patronos, *Bonauent. in 4. d. 11. p. 1. ar. 1. q. 2. in solut. 1. Ricard. ibidem art. 1. q. 5.* Et alios. Hãc sententiã probat Vazquez primo, quia hęc sententia nihil veræ philosophiæ aduersatur, quẽ admodũ aduersari videntur præcedentes sententiæ. Secundo probat, quia hac ratione hoc mirabile mysteriũ nostræ fidei sincere, & plane explicatur, & aufertur hæreticis occasio insimulãdi Catholicos, quod ad defendẽda mysteria fidei ad maximas angustias, imò ad impossibilia deducuntur concedenda. Quod autẽ hac via mysteriũ nostrę fidei sincerè, & planè pateat, probat iste author, quia Ecclesia solũ contendit, tantam inesse vim, & efficaciam verbis consecrationis ratione significationis suæ, vt

A efficiant, corpus, & sanguinem Christi adesse speciebus, & eo ipso panis, & vini substantias destrui, & in corpus, & sanguinem Christi cõuerti. Quæ omnia ex veritate sola verborum, vt contendit Ecclesia, absque vlla alia ratione philosophandi colliguntur iuxta hanc sententiam. Quis ergo dubitet, eam sincere, & facile explicare mysterium huius sacramenti, atque eam esse præferendam alijs?

Hæc sententia patris Vazquez mihi non probatur, & satis refelletur ex his, quæ in nostræ sententiæ explicatione infra adducemus. 13

In hac quæstione fateor in primis, ingenij mei tarditatem, neque non assentiri alicui ex prædictis sententijs, neque earum fundamentis acquiescere: Vnde necessarium duxi, aliã B quærere sententiam, cuius probabilitatis iudicium lectoribus integrum relinquõ. Fateor deinde secundo in hac quæstione multò facilius esse, aliorum sentẽtias destruere, & earum fundamenta euellere, quàm propriam adstruere sententiam. Tertio eum dicendi modum existimo probabiliorem, qui magis conueniat cũ conuersionibus naturalibus substantiarum, & minus obscurã reddat huius mysterij notitiã. 14

Sit prima conclusio. Transsubstantiatio, seu conuesio, qua panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinẽ Christi, est vera actio productiua alicuius termini, sicut est generatio hominis, productio ignis, &c. probatur primo ex *D. Th. 3. p. q. 78. ar. 4.* Cuius hæc sunt verba. C *Vnde, cũ hoc sacramentũ sit præ cæteris dignius, sicut supra dictum est, consequens est, quod in verbis formalibus huius sacramenti sit quædã virtus creata ad conuersionem huius sacramenti faciendam, instrumentalis tamen, sicut in alijs sacramentis.* Sed sic est, quod causa instrumentalis non est principium relationis, vt patet, quia hæc non producitur per se; sed comproducitur, & pullulat ex re producta, & quia ad eam nõ datur actio, neque alia sacramenta sunt principium relationis, sed actionis productiuæ. Ergo ex sentẽtia D. Thom. sine dubio est conuersio vera actio de prædicamento actionis, ac per consequens productiua. Probatur secundo quia, cõuersio substantialis formalis, quæ fit ab agente naturali, vt quando conuertitur lignum in ignem, non est formaliter relatio, sed potius actio pro D ductiua ignis, alias nulla esset actio in rerũ natura, si tunc ea non esset constituenda, quando id, quod corrumpitur, tantum est forma ligni, & id quod producitur tantum est forma ignis remanente integra materia, quæ sicut prius recipiebat in se formam ligni, ita postea recipit formam ignis, ergo similiter quando conuersio est substãtialis totalis, debet esse vera actio, quia istæ conuersiones tantum differunt penes hoc, quod prima conuersio fit absque destructione materiæ primæ, at vero secunda conuersio totalis consistit in eo quod tota sub 15

Y 4 stantia

tantia panis tam ex parte materiæ, quam formæ perit, & toda substantia corporis Christi succedit loco illius. Tertio probatur efficaciter, quia corpus Christi suscipit de nouo aliquam de nominationem post per actam consecrationem, quia scilicet est id, in quod fit conuersio, ergo per aliquam actionē nouam productiuā alicuius rei de nouo, patet ista cōsequētia, quia si res eodē modo se habeant semper, non recipit aliqua earum aliquā denominationem in vno tempore, quam non receperat in alio, nam tunc nullum est fundamentum ad cōstruendam illam nouā denominationem, hæc autem actio non potest esse alia, nisi ipsa conuersio substātiæ panis in substantiam corporis Christi, nam corruptio panis non est sufficiēs ad hanc dominationem in corpore Christi causandam. Nam si nihil aliud contingeret quam destructio panis non reciperet prædictam denominationem corpus Christi; neque etiam sufficit ad eandem fundandam denominationem productio præsentię corporis Christi sub speciebus, quia vt eleganter docuit Vazquez loco citato, nō obstante hac præsentia, vt iam vidimus in præcedentibus, corporis Christi sub speciebus panis, posset optime esse sub eisdem speciebus substantia panis, & tamen tunc non diceretur iure aliquo corpus Christi esse id, in quod conuersus est panis: restat ergo conuersionem debere esse nouam aliquam actionem ab omnibus his longe dissitam.

16 Sit secunda conclusio, quæ necessario sequitur ex prima. Terminus formalis, ad quem tēdit conuersio, est aliquid reale de nouo productum. Hæc conclusio sicut & præcedens aperte pugnant contra sententiam Vazquez loco citato relatam, probaturque primò *ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4.* asserente *per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substātiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Et eodem modo loquitur *Concilium Florentinum in decreto vnionis.* Quæ verba sine dubio significant aliquid de nouo produci, tū quia sicut ea verba denotant aperte destructionem termini à quo, ita etiam ea denotare necesse est productionem alicuius termini ad quem, quia nunquā terminus à quo destruitur denuo, nisi aliquis terminus ad quem producatur de nouo; tum quia conuersio in naturalibus hoc indicat, vt apparet in conuersionibus naturalibus aeris in aquam, ligni in ignem, & in aliis similibus. Secundo probatur eadem cōclusio ex modo loquendi Sanctorum Patrum relato in septima sententia, secundum quem constat corpus Christi creari, & fieri ex pane, ergo aliquis terminus de nouo producitur per transubstantiationem, ratione cuius istę denominationes verificari possint de corpore Christi. Tertio probatur quia conuersio est actio

A vera productiua de nouo existens in rerum natura, vt liquet ex præcedenti conclusione, ergo requirit terminum de nouo productum in rerum natura, neque enim ad rem antiquā est noua actio necessaria.

Sit tertia conclusio. Terminus formalis per conuersionem hanc productus est modus substantialis in corpore Christi existens, seu corpus Christi sub illo modo. Hanc conclusionē defendūt aliqui recētiores Theologi, *Et ex antiquis Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. ad secūdum.* Vbi ait, *per consecrationem non vtcumque fieri corpus præsens, sed taliter contineri sub speciebus, qualiter panis continebatur seclusa inhærentia.* Ergo, cum non concedat, corpus Christi secundum se, neque ratione præsentiæ esse terminum consecrationis, sentit esse aliquem modum substantialem, quo est sub speciebus. *Michael de Palacios in 4. dist. 11. disp. 1. Ledesma in 4. 1. part. q. 56. art. 1. dubio vltimo, Alanus lib. 1. de Sacramentis, cap. 34. 35. & 36.* Hoc etiam sentire videtur *D. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 5.* vbi ait. *Propositionem hanc; Hoc est corpus meum. Facere hunc sensum, contentum sub speciebus his est corpus meū,* Ac si diceret, idest, res existēs sub speciali modo. Probatur conclusio primò à sufficienti partium enumeratione, quia non videtur alius restare modus dicendi in hac quæstione, & hic, vt patebit, facilis est ad defendendum hoc mysterium, & veritatem verborum consecrationis. Secundo probatur, quia *Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4.* Ex veritate verborum colligit, esse hic conuersionem, sed veritas horū verborum est practica, sicut, & aliorum sacramentorum, quia sacramenta efficiunt, quod significant, ergo conuersio indè collecta debet esse etiam practica, & operatiua, non corporis Christi secundum substantiam, vt probatum manet contra septimam sententiam, ergo secundum aliquem modum substantialem, quia accidentalis modus procul hinc amandandus est, vt supra vidimus.

B

C

Hic vero modus debet esse substantialis, quia hæc conuersio est substantialis, & ideo appellatur à Concilio loco citato transsubstantiatio, non posset autem esse substantialis conuersio, si terminus ad quem, esset accidens, & non substantia. Hic autem modus sufficit, vt dicatur conuersio substantialis; vt in incarnatione Verbi non producta ex vi eius est humanitas, nec Verbum, sed tantum modus substantialis vnionis humanitatis ad Verbum, & tamen dicitur substantialis, & tendere ad substantiam. Et hic etiam modus distinctus est à præsentia, quam Christus habet sub speciebus, & à modo, quo vnitur speciebus, vt sit præsens loco specierū. De quo postea disputabimus. Vnde sunt duæ actiones vna ad præsentiam, altera ad modū tēdēs, distinctū à modo, quo corpus Christi vnitur speciebus. Supponit enim hæc præsen- 18

D

præsen-

præsentiam, & modum iste modus, de quo loquimur, quia præsentia hæc supponitur ad cõuersionem, vt bene *Vazquez 3. tomo in 3. parte disp. 181. cap. 12. num. 137.* Et hæc prioritas est in genere causæ efficientis; sicut prius est corpus alibi existens constitui in hoc gymnasio, quàm quod illud expellat aliud corpus hic existens. In conuersione autem hac simile huic contingit, nam corpus Christi sub speciebus expellit panem ibi antea existentem: imò hic modus talis debet esse naturæ, vt repugnet cũ substantia panis ex natura sua, quia non est aliud, per quod substãtia corporis Christi pugnet cum substantia panis, & quod sufficiat ad efficiendam conuersionem substantialem: nõ accidens, vt iam vidimus, quia ratione accidentis producti non diceretur hæc conuersio substantialis: non substantia ipsa corporis Christi, vt probatum manet contra septimam sententiam, quia hæc natura sua non pugnat, vel est incompossibilia cum substantia panis in eodem loco, vel sub eisdem speciebus, ergo necessario ponendus est iste modus substantialia, in rebus enim physicis præter accidens de prædicamento accidentis, & præter substantiam nihil aliud cognoscimus, nisi modum substantialem, iste vero modus hac ratione oppositus substantiæ panis, & vini non reperietur in conuersionibus naturalibus, vt cum ex aere fit aqua, quia ibi manet subiectum, seu materia prima, quę prius receperat formam aeris, postea est forma aquæ, quæ materia, quia nequit saltim naturaliter duas formas substantiáles recipere, ideo recipiendo nouam formam aquæ, petit corruptionem antiquæ aeris. Quare sine isto modo, quem in transsubstantiatione constituimus, reperitur inter prædictas formas sufficiens repugnantia ad rationem conuersionis, in hac verò transsubstantiatione Eucharistiæ, quia materia prima panis non manet sub forma corporis Christi, in ordine ad quam possint habere repugnantiam substantia panis, & substantia corporia Christi, necessario ponendus videtur modus, vt repugnantia intelligatur, & vera ratiõ conuersionis saluetur.

19 Sit quarta conclusio. Ex ista conuersione sic fundata resultant relationes illæ, quas supra cũ *Vazquez* Constituebamus, per quarum vnam panis dicitur conuerti in corpus Christi, & per aliam corpus Christi dicitur succedere substantiæ panis. Hoc certum est: istæ autem relationes debent esse rationis: in pane prædicta relatio sanè est rationis, quia panis, cùm dicitur conuersus, iam non existit; res autem nõn existens in rerum natura non dicit relationem realem ad aliud: deinde in corpore Christi relatio successionis est etiam relatio rationis, quia relatio realis prædicamentalis, cuius generis deberet esse ista relatio, si esset realis debet esse inter extrema realia, & realiter existẽntia: vt paternitatis relatio, quæ intercedit inter patrem, & filium, tantum vim habet, quando ambo existunt in rerum natura: at hæc relatio successionis, de qua loquimur, est in corpore Christi per comparationem ad substantiam panis non existentem, ergo non potest esse realis prædicamentalis, sed tantum rationis, ex eo autem dicimus, prædictas relationes resultare ex transsubstantiatione, quia in ea inuenimus sufficiens fundamentum, vt vidimus, eas constituendi, & dicimus in illis non consistere hanc conuersionem substantialem, quia hæc conuersio substantialis vere, & formaliter est aliquid ante operationem intellectus, quia ante eam vere, & realiter conuertitur substantia panis in corpus Christi, ergo eius natura non est constituenda in aliqua relatione rationis, tum quia si in ea constitueretur, sine dubio derogaretur magnitudini huius mysterij, & proprietati verborum, quibus vtũtur concilia, & patres, dum de hoc sacramento sermonem instituunt. Vnde sufficienter refellitur sententia *Vazquez loco citato.* Qui in prædictis relationibus rationis apposuit naturam huius conuersionis, & hinc etiam satis reijcitur sententia aliorum recentiorũ, qui, vt tueãtur, transsubstantiationem esse aliquid reale, dicunt, eam consistere in desitione panis cõnotato corpore Christi: nam secundum istũ modum loquendi transsubstantiatio primario, & directe includit desitionem panis, quod falsum omnino est, cum transsubstantiatio, quemadmodum omnis alia conuersio, vel productio prius tendat ad esse termini ad quem, quam ad non esse termini à quo. Deinde, quia saltim ex parte cõnotati includet transsubstantiatio extrinsecam denominationem, & relationem rationis, quia corpus Christi vt enunciatum per verba consecrationis tantum includit relationem rationis.

20 Ad argumenta septimæ sententiæ respondetur. Primo veram esse doctrinam D. Thom. & aliorum Doctorum asserentium Christi corpus non esse in hoc sacramento per mutationem localem. Ita quod mutatio localis sit conuersio, ex hoc tamen non licet inferre, esse in hoc sacramento per conseruationem corporis Christi, potius enim est per productionẽ eiusdem modi substantialis. Quibus suppositis respondetur ad primum argumentum, recte dici à Patribus, corpus Christi in hoc sacramento Eucharistiæ creari, & fieri ex pane, & panẽ in ipsum trãsire ratione modi producti in corpore Christi per cõuersionẽ: ex quo modo oritur, quod corpus Christi dicatur id, in quod est panis conuersus, tanquam ex fundamento, nõ tanquam ex forma, sicut in resurrectione hominis dicitur homo ex cadauere produci, cum tamen neque anima tunc, neque materia pri-

nus producitur, sed solum modus vnionis earum partium, vel aliquis alius effectus formalis à forma in materiam deriuatus. Ad secundũ argumentum patet ex tertia conclusione. §. iste verò modus. Vbi vidimus, huuc modum substantialem de nouo per conuersionem productum sufficere, vt conuersio, quæ reperitur in hoc sacramento, sit substantialis, & dicatur transsubstantiatio. Ad tertium dicimus, in nuptijs Cana Galileæ fuisse veram conuersionem aquæ in vinum per productionem formæ vini in materia aquæ, at verò hic vbi nulla materia panis manet sub corpore Christi, non fit ita conuersio, sed per productionem tantum modi substantialis, vt vidimus. Ad quartum argumentum respondetur, verba consecrationis relata supra materias panis, & vini in fine tantum prolationis eorum verificari, & non quidem significare corpus, & sanguinem Christi secundum se solum, quia vt sic non pugnãt eum substantijs panis, & vini, sed significare Corpus, & sanguinem Christi sub certis modis substantialibus. Ad vltimum argumentum dicimus, conuersionem hanc esse quidem productionem secundum rationem suam specificam, non tamen esse productionem ipsius substantiæ corporis Christi, sed eiusdem modi substantialis afficientis, & denominantis corpus Christi ad eum modum, quo modus substantialis subsistentiæ afficit nostram humanitatem reddens eam omnino incommunicabilem.

21 Ad argumenta Vazquez pro octaua sententia adducta respõdeamus, si placet. Ad D. Th. dicimus, eum solum voluisse in eo loco significare id, quod nos in quarta conclusione docuimus, scilicet ex cõuersione resultare in pane, & in corpore Christi quasdam relationes rationis, ex quarum vna panis denominatur cõuersus, & ex altera corpus Christi dicitur succedere substantiæ panis; noluisse verò, D. Thom. eam conuersionem formaliter consistere in his relationibus, quod satis indicauit eo loci, dum hæc verba protulit, *Vnde cum hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtraque substantia, sicut ordo, & numerus.* Vbi notandum est verbum, Importat, quod denotat resultãtiam relationis istius, non vero in ea consistere conuersionem formaliter. Et notanda etiã suntilla verba ordo, & numerus, ordo enim, & numerus resultant ex pluribus vnitatibus, non vero essentia vnitatum vt essentia plurium hominum consistit in ordine, vt constituunt illi ordinem in exercitiũ, & numerum in quinario. Ad primam rationem Vazquez dicimus, illum modum conuersionis aduersari efficaciæ verborũ, & naturæ veræ conuersionis, quia iuxta illum modum nihil reale formaliter producitur ex vi conuersionis, vel ex vi verborum. Præterea quia nescimus, qua ratione possint verificari verba consecrationis, si nihil de nouo productum est in termino ad quem modo magis, quam antea, & qua ratione his verbis conueniat generalis cõditio sacramentorum nouæ legis efficiendi id, quod significant, hæc enim verba, Hoc est corpus Christi, denotant corpus Christi, ergo debet illud producere, aut aliquid aliud in ipso.

22 Tandem contra nostram sentẽtiam, vt huic quæstioni finem imponamus, aliqua sese offerunt argumenta, quæ nobis *Vazquez* obijcit ex aliorum sententia, *disputat. citata cap.* 3. Primum est, quia si nostra sententia vera esset, necessarium esset fateri duas actiones positiuas, & productiones in transsubstantiatione, alteram, qua adduceretur corpus Christi ad locũ specierum, alteram, qua fieret vnio ipsius cum speciebus, sed huic argumento facilis se offert solutio. Nã quamuis necesse sit prius produci, id quod vniendum est, quando antea non erat, tamen si id quod vniendum est antea existebat, non opus est, vt prius adducatur ad eũ locum, in quo est illud, cui vniri debet, & dein de vniatur, sed ipsa vnione, & eadem actione quà vnitur, potest fieri præsens ei, cui vnitur, & consequenter eadem actione sine aliqua alia potest esse in eodem loco cum illo, cui vnitur, vt apparet in Angelo, cum vnitur alicui corpori existenti in loco, vt probabiliter quidã putãt in materia de Angelis. Quare ad hoc vt corpus Christi vniatur speciebus sacramentalibus, & ad hoc vt sit in eodem loco specierum, vnica tantũ actio sufficit; quæ est præuia quædam dispositio ad ipsam conuersionem, nam natura huius conuersionis sita est in alia quadam distincta actione respiciente tãquam terminum ad quem modum substantialem in corpore Christi productum. Præsentia ergo corporis Christi in Eucharistia producitur per actionem quandam præuiam conuersioni, & peculiarem, & accidentalem, per quam incipit esse primo sub speciebus panis, & secundo in eodem loco, in quo sunt species, non quidẽ ita vt corpus Christi deserat priorem locum, quem prius per admirabilem ascensionem suã in cœlo Empyreo adquisiuit, sed adquirendo nouum modum existendi in Eucharistia, quẽ antea non habebat, ideoque non dicitur hæc constitutio corporis Christi in Eucharistia motus localis, quia hic necessario includit desertionem antiqui loci, & adquisitionem noui loci, sed est mutatio ad nouum illum modum existendi adquirendum. Et quia sine hac præsentia sequitur fieri conuersio, ideo neque potest recte verificari pronomen hoc in forma Eucharistiæ: recte tamen potest dici corpus Christi esse præsens per aliquid requisitum ad conuersionem. Et hac ratione explicandus est, *D. Thom. 3. part. quæst. 75. artic. 2. dum asserit corpus,*

corpus, & sanguinem Christi esse præsentem in Eucharistia per cōuersionem, scilicet per aquid præ requisitum ad ipsam conuersionem?

23 Secundum argumentum ex sententia Vazquez contra nostram sententiam sic se habet, quia iste modus substantialis, quem nos constituimus, est impossibilis, ita vt habeat repugnantiam cum substantia panis, & vini, & qui etiam substantialis sit, nam si talis modus esset admittendus maxime, vt corpus, & sanguis Christi sub speciebus vnirentur, ad hoc tamen minime est constituendus, ita vt sit substantia lis, quia cum speciebus panis, & vini sint accidentia de prædicamento accidentis, vnio cum illis quocumque modo fiat, necessario debet esse de prædicamento accidentis. Sed huic argumento respondemus, istum modum esse substantialem, non quidem vt medio illo vniantur corpus, & sanguis Christi cum speciebus, quia vt sic deberet esse accidens, vt manifeste probat opposita sententia, sed ideo debere esse substantialem, vt terminet conuersionem istam, quæ substantialis est iuxta modum loquendi Conciliorum; & vt pugnet cum substātia panis, & cum substantia vini, illasque expellat à loco specierum, ac omnino destruat, nam id, quod accidens tantum esset, non posset directe, & immediate formaliter expellere substantiam, sed tantum remote, & dispositiue, quia non habet cum substantia oppositionem formalem, & directam vt philosophis manifestum est, vnde ex vi productionis huiusmodi sine alia noua actione corrumpitur panis, & corrumpitur vinum, quemadmodum ex actione, qua producitur ignis, sequitur corruptio ligni, vt patet.

24 Tertium argumentum contra nos fit, quia etiam si talis modus esset possibilis, non tamen cum eo solo posset defendi conuersio, de qua loquitur Ecclesia, quia licet conuersio esset substantialis, ea tamen non esset in corpus, & sanguinem Christi, sed in modum illum substantialem, quem assignauimus tanquam terminum ad quem transsubstantiationis. Hoc autem maximum est inconueniens, & aperte videtur pugnare contra id, quod canit Ecclesia in Missa corporis Christi, quod in carnem trāsit panis, & vinum in sanguinem. Et videtur etiam repugnare diffinitioni *Concilij Trident. sess. 13. cap. 4.* In qua continetur, *In hoc sacramēto conuersionem fieri totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi*, Vbi Concilium non dixit, conuersionem fieri in modū, sed in corpus, & sanguinem Christi. Ad hoc tamen argumentum dicimus, istos modos loquēdi Ecclesiæ recte posse defendi in nostra sententia cum modo illo substantiali, quem adstruximus: quia enim ratione illius modi corpus Christi habet repugnantiam cum substantia panis, & est id, in quod panis conuertitur, recte dicitur, ratione illius panem transire in carnem, & totam substantiam panis, ac vini cōuerti in corpus, & sanguinem Christi, sicut cadauer conuertitur in hominem per resurrectionem, quando neque de nouo fit materia, prima neque anima rationalis, sed tantum modus vnionis, quo illa duo vniuntur.

Quartum argumentum fit, quia ens per accidens non potest esse terminus actionis substantialis, quale est id, quod ex corpore Christi, & modo resultat. Sed respondetur, ens per accidens prædicamentale non posse esse terminū actionis substantialis, at recte ens per accidens prædicabile, quale est hoc, potest esse terminus actionis substantialis; quemadmodū actio substantialis est illa, qua modus subsistendi in humanitate producitur. 25

Sed quæres iam, quod ex dictis satis constet, per verba consecrationis significari conuersionem panis in Corpus Christi, vnde constet, verba consecrationis significare directe esse corporis Christi, & indirecte non esse panis? Respondetur, id satis constare ex dictis, si enim hæc verba significant directe, corpus Christi esse sub speciebus panis, eo ipso indirecte significant, non esse panis, quia alias non possent esse vera, vt supra vidimus; sicut, cum dicimus, generatum fuisse hominem, directe solum dicimus esse hominis, at indirecte dicimus non esse embrionis. 26

Quæres secūdo, an corpus Christi per transsubstantiationem mutetur vere? Hic non loquimur de præsentia corporis Christi in loco specierum producta per adductionem, vel aliam actionem, de qua certū est, corpus Christi per eam mutari, sed loquimur de termino ad quem transsubstantiationis, qui est modus ille substantialis à nobis assignatus, an per productionem eius immutetur corpus Christi, & sanguinis. Ad quod respondent illi recentiores, qui supra docebant, per conuersionem Eucharistiæ conseruari, vel produci corpus, & sanguinem Christi, corpus Christi, & sanguinem per hanc conuersionem non mutari. Probant primo hanc sententiam ex *D. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 4. ad 1. & 2. & in 4. dist. 11. q. 1. ar. 3. quæstiuncula 1. in corpore, & ad tertium.* Vbi insinuat, corpus Christi non mutari. Secundo probant, quia non mutatur considerando terminum primarium mutatione physica, quia per illam actionem non transit à negatione formæ ad formam, vel è contra, quia illa actio tendit iuxta hos authores in esse substantiale, & non in aliquod accidens corporis Christi, neque etiam mutatur mutatione metaphysica, quia per illam actionem non transit corpus Christi à non esse ad esse, quia ante illam actionem habet ipsum met esse substantiale, quod iterum accipit per eandem actionem. Veruntamen ad hoc quæsitum respondetur facile 27

iuxta nostram sententiam corpus Christi, & sanguinem verè mutari per hanc conuersionē, & realiter, affirmant absolutè corpus Christi mutari; *Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. §. quantū ergo ad istud argumentum, Palud. quæst. 3. nu. 14. Capreolus, quæst. 3. ad 4. & alij.* Patet, quia mutatio realis est id, quo aliter se habet res à parte rei, quàm antea se habebat; sed corpus Christi, & sanguis per hanc conuersionem, per quam producitur modus ille substantialis à nobis assignatus, aliter se habent realiter nunc, quam prius, & transeunt à non esse huiusmodi ad esse illius, Ergo reuera mutantur, absolute tamē, & simpliciter non dicuntur mutari, quia mutatio absolutè & simpliciter dicta requirit subiectum commune duabus formis, quod priùs obtinuerit vnam formam, & postea transeat ad aliam. Vnde ad argumenta in oppositum respōdetur, ad primum D. Thom. locis citatis non negare omnino rationem mutationis huic conuersioni, sed solum velle, non dici absolutè, & simpliciter mutationem, quia non manet commune subiectum, sicuti in conuersionibus naturalibus generationis, & augmentationis, vt patet *ex illa quæstiuncula 1. in corpore.* Ad secundū respondetur, corpus Christi mutari in hac conuersione mutatione physica, quia transit ex nō esse modi substantialis ad esse illius, vt vidimus.

28 Quæres tertio, an hæc conuersio fiat in instāti? & respondetur cum D. Thom. hanc conuersionem fieri in instanti. Primo quia substantia corporis Christi, (scilicet tummodo illo substantiali, de quo supra locuti sumus) ad quam fit conuersio, non suscipit magis, vel minus; sicut suscipit sanitas, quæ fit in tempore. Secūdo quia in hac cōuersione nō est aliquod subiectum, quod in tempore & successiue præparetur: quemadmodum aqua, vt deperdita frigiditate adquirat calorem, successiue calefit. Tertio, quia conuersio ista substantialis fit Dei virtute, quæ infinita est. Ita docuit, *D. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 7.* De qua re, & de modo, quo verba sacramentorum operantur, videatur *Vazquez tom. 2. in 3. p. disp. 132. cap. 5.*

29 Quæres quarto, an modus iste substantialis de nouo productus in transsubstantiatione sit naturalis, vel supernaturalis ordinis? Huic difficultati respondetur, *cum Vazquez, 2. tom. in 3. p. disp. 214. cap. vlt. in fine, & cum Gregor. de Valentia.* (Qui aliqua ex parte nobiscum in hac quæstione sentit, dum defendit, terminum, ad quem huius conuersionis substantialis esse modum quendam substantialem productum per illam in corpore & sanguine Christi, cuius munus in eo constituit, vt corpus & sanguis Christi substent accidentibus sine vlla inhærentia, in quo munere nos ab illo dissentimus) respondetur inquam talem modum esse supernaturalem. Vnde iste modus substantialis non potest produci per aliquam vim naturalem, imo neq; potest cognosci naturaliter ab Angelo, neque in naturæ ordine repetiemus aliquem modū, qui habeat aliquam similitudinem cum isto, aut similem effectum sortiatur.

Instituti nostri limites aliquantulum transsiliuimus, propter hoc tamen reprehendendi non sumus, quia viro Theologo omnino indecens esset, grauissimam hanc quæstionem primis tantum labijs degustasse.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm ratione transsubstantiationis corpus & sanguis Christi de pane & vino, enunciari possint?

Huic quæstioni disputandæ illud præbuit manifestam occasionem, quod apud Ecclesiæ patres varios inuenimus loquendi modos, in quibus corpus de pane, & sanguis de vino enuntiantur. Et quidem enuntiationes primi generis sunt illæ, in quibus vtimur verbo conuersionis, & transitus; quales sunt huiusmodi, panis transit, conuertitur, mutatur in corpus Christi. Istæ tamen propositiones prorsus difficultate vacant, quia in his tantummodo significatur conuersio termini à quo, in terminum ad quem, quæ necessario admittenda est in hoc sacramento Eucharistiæ; vnde prædictas propositiones tanquam veras venerari debemus. Secundi generis sunt aliæ propositiones, quæ maius difficultatis pōdus præseferre videntur, quarum quædam enūtiantur per verbum esse, aliæ per verbum fieri, & deinde propositiones, quæ constant ex verbo fieri, sunt in duplici differentia, aliæ enim construuntur ex his præpositionibus. *Ex*, & *De*. Hoc modo; ex pane, vel de pane fit corpus Christi. Aliæ vero his præpositionibus carent, vt videre licet in hac propositione; panis fit corpus Christi. Et harum singulas propositiones, nō erit otiosum, latius examinare.

Primo namque de hac propositione; panis fit corpus Christi, non est omnium Doctorum vnanimis, concorsque sententia. *Diuus enim Bonauent. in 4. distinct. 11. p. 1. art. vnico, quæst. 6. in fine.* Sentit, huiusmodi propositionē veram esse, quia solum in ea significatur transitus panis in corpus Christi. Veruntamen affirmandū proculdubio est, prædictam propositionem in proprietate, & rigore sermonis sumptam falsam esse, ita indicarunt. *D. Thom. 3. p. q. 75. ar. 8. in corpore. Dominicus Sot. in 4. dist. 9. q. 2. concl. 2. art. 8. & Ledesma 1. p. 4. quæst. 16. art. 8.* Probatur ista resolutio, quia hæc propositio in rigore sumpta significat, permanere materiam, seu subiectum commune tam termino à quo, quàm termi-

termino ad quē: in hoc verò sacramento, vt su pra vidimus, materia prima panis non remanet sub forma corporis Christi, sed omnino periit cū forma panis, addit verò *D. Tho. loco citato*, hanc propositionem impropriè, & per similitudinem quandam posse defendi, quia manent accidentia panis simul cum substātia corporis Christi; ita vt cum dicimus, panis fit corpus Christi, nomine panis non comprehendatur substantia panis, sed in vniuersum hoc, quod sub speciebus panis continetur, ita vt propositio reddat hunc sensum, sub quibus prius continebatur substantia panis, postea corpus Christi continetur. Tandem defendimus, aliquando eam propositionem efficere hunc sensum; panis transit in corpus Christi. Late sumendo nomen illud, *Fit*, & hac ratione propositionem illam veram esse. In qua significatione exponēdus est *D. August. relatus in c. nō omnis de cō secrat. dist.* 2. dū asserit hæc verba, *non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi*, sic etiā exponēdus est *D. Cyril. catechesi 4. & alij*. Secūdo de his propositionibus; ex pane fit corpus Christi, & de pane fit corpus Christi, quidam Doctores ita opinātur, vt pleno ore fateantur, eas in toto rigore veras esse, & in vtraque eandem rationem militare, quia vtraque significat verum transitum termini à quo in terminum ad quem. Hanc sententiam amplectuntur *Alexand. in 4. quæst. 10. membro 6. art. 2. §. 2. D. Bonauent. in 4. distinct. 11. p. 1. art. vnic. quæst. 6. in fine, & nouissime Vazquez 3. to. in 3. p. D. Thom. disp. 181. cap. 14.*

3 Verum recedendum non iudico à communi & recepta sententia *D. Thom. 3. p. q. 75. art. 8. in corpore*, quam etiam sequuntur *Domin. Sot. in 4. distinct. 9. quæst. 2. art. 8. conclus. 2. Enriq. quodlibetò 9. quæst. 9.* Secundum quam dicēdum nobis est illam propositionem, ex pane fit corpus Christi, in toto rigore loquendi esse verā, eo quod solum denotet terminum à quo conuersionis, & ordinem successionis existentem inter ipsum, & terminum ad quem. Verum autem est, dicere, corpus, & sanguinem Christi fieri ex pane, & vino, vt ex terminis à quibus, & corpus, & sanguinem succedere pani, & vino: de alia vero propositione; de pane fit corpus Christi. Dicendum est secundum *D. Tho. loco citato*, Loquendo propriè, & in rigore esse falsam, quia significat esse aliquod subiectum commune, quod prius sit sub forma panis, & postea sit sub forma corporis Christi, quod in hoc casu nullo modo inuenitur, vt vidimus supra. Illa verò propositio. *De*, eum constituit sensum, vt cum dicimus, De embrione fit homo, de albo fit nigrum. Vnde addit *D. Thom.* in eo casu, quo in scriptis patrum reperiatur hæc propositio, eam esse benignè interpretandam in sensu tamen improprio, ita vt vsurpetur pro præpositione, *Ex*, & vt solum denotet

A successionem terminorum, non subiectum aliquod commune.

Tertio de his propositionibus; panis erit corpus Christi, vel, quod erat panis erit corpus Christi, dicendum est iuxta omnes allegatos Doctores, esse falsas loquendo secundū proprietatem, quia denotant, panem futurum esse aliquando corpus Christi, quod nunquam continget, similis autem propositio his reperitur in confessione *Berengarij facta in Concilio Romano coram Nicolao Papa, & refertur in Cano ne, ego Berengarius de consecratione distinctione 2.* in qua Berengarius iuxta formam sibi à Nicolao II. Pontifice traditam ait, *panem, & vinum, quæ in altari ponuntur post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse*: quæ verba, vt sano modo intelligantur, ita sunt interpretanda, quod accidentia panis non solum sint sacramentum, hoc est non sint symbolum Christi sine re ipsa, sed etiam ipsum corpus, & sanguinem Christi vere, & re ipsa in se contineant, qui modus quamuis non valde proprius ad veritatem tamē corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento profitendam satis erat, neque enim suspicari aliquis cum fundamento poterat, in sacramento simul cum corpore, & sanguine Christi substantias panis, ac vini permanere. 4

B

QVAESTIO XVI.

C *Vtrum quodlibet posit cōuerti in quodlibet, & an corpus Christi potuerit esse præsens huic sacramento sine conuersione panis in ipsum?*

HIc solet quæri, an quodlibet possit conuerti in quodlibet, quam quæstionem vtpote mere scholasticā, & Metaphysicam, & tanquam aliarum cōuersionum & non nostræ conuersionis, inuestigatricem ad nos attinere minime videtur latius disputare, cuius resolutionem longiorem inquirens legat *Suarez 3. tom. in 3. part. disputatione 50. sectione 10. Caietanum 3. p. quæst. 75. art. 4. Sotum in 4. distinct. 9. quæst. 2. art. 4. in fine, Bellarminū lib. 3. de Eucharistia cap. 13.* 1

D

Cui quæstioni breuiter respondemus, Primo certum omnino esse, Deum non posse in creaturas conuerti, quia non potest amittere suum esse, quod omnino æternum est, imo neque aliquid potest in Deū conuerti, quia aliàs aliqua in Deo sequeretur mutatio, vel per productionem eius, vel per productionem alicuius modi, vel alicuius accidentis in illo de nouo existentis. Secundo respondeo conuersionem formalem in eo sitam, quod vna forma destruatur in aliquo subiecto, & alia eius loco in eodem 2

eodem producatur, & conuersionem materialem, quæ fit per hoc quod forma prius existẽs in vno subiecto postea in alia constituatur, nõ posse esse nisi inter res compositas ex materia & forma, & nisi in eo casu, quo materia sit capax vtriusque formæ, nam Angelus, v. g. qui materia caret non potest huiusmodi conuersiones pati, vt de se manifestum est. Tertio respondeo loquendo de conuersione totius substantiæ in totam substantiam, quamlibet rem existentem sub accidentibus realiter à se distinctis, & quæ possint manere sine substantia vt sunt res, & non modi accidẽtium, posse optime conuerti in aliam, quæ loco illius sub eisdem accidentibus constituatur, ac fiat. Probatur primo, quia Deus est verus Dominus omnium rerum, ergo potest hæc optime præstare. Secundo probatur exemplis huius sacramẽti, si enim hæc conuersio contingit in Eucharistia inter substantias panis, & vini ex vna parte, & inter corpus & sanguinem Christi ex alia, cur etiam inter alias res non erit possibilis conuersio, & quidem inter substantias materiales possibilem esse conuersionem satis aperte constat exemplo transsubstantiationis in Eucharistia contingentis, inter substantias præterea spirituales possibilem esse eandem conuersionem patet, quia posset intellectus vnius Angeli ab eo separari diuina virtute Angelo ipso pereunte, & sub eodem intellectu, quod accidẽs est, posset alius Angelus cõstitui per conuersionem, substantia etiam materialis potest in spiritualẽ conuerti per hoc, quod pereat substantia materialis manentibus dumtaxat eius accidentibus, & quod sub illis Angelus constituatur. Substantia etiam spiritualis potest conuerti in corporalem, quia potest desinente substantia spirituali sub eius accidẽtibus constitui substantia corporalis, & eis vniri, conuersione tamen ostensiua, quæ fiat per verbum hoc, solum potest conuerti res corporalis in aliam siue corporalem, siue spiritualẽ: non verò potest conuerti res spiritualis, quia illud pronomen requirit accidentia sensibilia, quæ non conueniunt rei spirituali.

3 Imo etiam, vt bene *Suarez loco citato*, si accidentia distinguãtur realiter ab alijs rebus sub quibus sunt; vt quantitas distinguitur à colore, &c. Et accidentia possunt conuerti in accidentia, & substantia potest conuerti in accidentia, & accidentia in substantiam siue corporalem, siue spiritualem, quia hæc omnia ex dictis facile constant: quæ omnia fient per destructionem termini à quo, & per productionem modi substantialis, vel accidentalis in termino ad quem, secundum quod terminus ad quem est accidentalis, vel substantialis.

4 Secundo in hac parte quæri solet, an Deus potuerit efficere præsens in hoc sacramento corpus Christi absque conuersione panis in

A ipsum? Sed quia hæc quæstio iam tacta est in præcedẽti quæstione 14. ideo breuiter resoluenda est, late videatur apud *Gabrielem Vazquez 3. tom. in 3. p. disp. 182.* Per totam. Dicimus ergo, posse Deũ constituere corpus Christi modo indiuisibili in Eucharistia manente simul substãtia panis, vel illa destructa, & non conuersa in corpus Christi. Probatur ratione Vazquez, quia, si Deus institueret pro forma hæc verba; sit hic corpus meum, verba essent vera, & efficerent, quod significãt, sed nõ significant desitionem panis, neque eius conuersionẽ, vt patet, sed corporis præsentiam, ergo panis esset ibi cum substantia corporis Christi, & tunc constitui posset sub panis substãtia modo indiuisibili corpus Christi, sicut

B & modo est sub accidentibus panis, nihil enim ad hoc videtur obstare. Nam præsentia diuisibilis substantiæ panis recte compatitur præsentiam indiuisibilem corporis Christi. Præterea desinente substantia panis, & non conuersa in corpus Christi, posset corpus Christi esse modo indiuisibili, sicut modo est, sub accidentibus panis, si forma verborum esset; sit hic corpus meum, & non sit panis. Quia verba Christi essent vera, sicut modo sunt, & causarent, quod significant; tunc autem nulla esset conuersio, quia non desineret panis ex positione corporis Christi per connexionẽ, sed per accidens, & per concomitãtiam, quod non sufficit ad conuersionem. Et posset huiusmodi præsentia corporis Christi produci sub speciebus panis, vel sub pane sine eo, quod corpus

C Christi mutaretur localiter; sicut ab initio posset cũ hoc modo produci. *Sãctus vero Tho. 3. p. q. 75. a. 2.* cũ dixit, *solũ posse rẽ aliquã esse in loco, vbi antea nõ erat, per loci mutationẽ, vel per cõuersionem*, & cum corpus Christi non posset esse in loco specierum per loci mutationẽ, quia aliàs locum Cæli desereret, non posset esse nisi per conuersionem panis in ipsum. Non loquitur de potentia Dei absoluta, quia secundũ hanc posset corpus Christi, vt vidimus, alio modo diuerso à prædictis in hoc sacramento collocari: sed loquitur secundũ potentiã, qua Deus vtitur in rebus naturalibus, & quam vult imitari in hoc sacramento supernaturali, in naturalibus enim, vt ait *D. Thom. eo loco in corpore articuli*. Res aliqua solum potest esse, vbi an-

D tea non erat, vel deferendo locum antiquum, & nouum adquirendo sine conuersione alicuius in ipsam, vel per hoc quod sine mutatione loci alia res in eam conuertatur, sicut ignis est in domo, aut quia aliunde adducitur, vel quia ibi generatur.

QVAE-

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm panis, & vinum per conuersionem annihilentur.

1 HAEC quæstio quamuis sit de modo loquendi, non tamen propterea contemnenda est, quia in mysterijs fidei non solum Catholici veritatem ipsam, sed etiã modum loquendi syncerum, & purum retinere debent, ne verba ipsa aliquid prauæ doctrinæ redoleant, atque inde inimici nostri Hæretici ansam suscipiant calumniandi.

2 Prima sententia est *Scoti quodlibeto 10. art. 3. & in 4. distinct. 11. quæst. 4. post medium illius §. ad quæst. dico vers. si potest ergo* teneri, asserentis, panem, & vinum ita destrui in consecratione Eucharistiæ, vt vere annihiletur. Probatur primo hæc sententia, quia de ratione annihilationis est, vt eius terminus, & finis sit nihilum; sed finita consecratione nihil remanet substantiæ panis, aut vini, ergo destructio ipsa, media qua id cõtingit, vera est annihilatio. Neque huic argumento sufficienter responderi potest, non omnino destrui panem, & vinũ in Eucharistia, quia saltem remanent accidentia eorum, quæ à Theologis dicuntur species sacramentales, nam contra hoc aperte pugnat, accidentia non esse aliquid pertinens ad substantiam, vel ad essentiam panis, aut vini, ergo etiamsi permaneant accidentia, tota tamen substantia panis, & vini verè dicetur destrui, ac per consequẽs propriè annihilari, cum nihil eius post consecrationem remaneat. Et confirmatur, quia si tota substantia panis sub aliquibus accidentibus antea existentibus de nouo produceretur, sine dubio diceretur creari, quia nihil eius antea præcesserat, quod ad substantiam panis pertineret, ergo à contrario sensu, cum tota substantia panis desinit esse, etiamsi eius accidẽtia subsistant, reuera annihilatur.

3 Sit tamen vera, & communis conclusio, panis, & vinum in hoc sacramento non annihilatur. Ita expresse docuerunt *D. Tho. 3. p. q. 75. art. 3. in corpore, & D. Bonauent. in 4. distinct. 11. p. 1. art. vn. quæst. 3. & Palud. eadem distinct. q. 3. art. 2. num. 25. Ricardus ead. distinct. art. 1. q. 2.* Et suum sanctissimum Præceptorem sequuntur communiter Thomistæ. Hæc conclusio variis rationibus solet cõprobari à Doctoribus, quæ, quia non sunt omnino efficaces, relinquẽdæ à nobis sunt. Probatur autem hac vnica, efficacissimaque ratione, quam attigit *D. Thom. loco citato*, quamquã recentiores Theologi non mediocri acutie ingenij expendunt, *vt Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 83. cap. vlt. & Suarez 3. tom. in 3. p. disput. 50. sectione* 8. quia ad rationem annihilationis requiritur, eam esse trãsitũ ab esse ad purum non esse, ita vt in termino ad quem non sequatur etiam secundario aliquod esse, sed purum nihil, & ita vt illud nõ esse nõ consequatur ex productione alicuius entitatis positiuæ, sed in pane, & vino, quæ destruũtur in sacramento Eucharistiæ, non ita contingit, ergo eorum destructio non est appellanda annihilatio. Huius discursus cõsequẽtia certa est, maior, & minor propositiones probandæ à nobis sunt. Prius ergo probatur maior, scilicet, annihilationem cõsistere in quadam tendentia, seu via ad purum nihil, in hoc enim differunt destructio Angeli, qua Deus Angeli substantiam ad nihilum redigeret, nullam aliã rem producendo, ad cuius esse consequeretur non esse Angeli, quæ destructio in omniũ opinione, vera est annihilatio, & destructio hominis facta ad productionem cadaueris, quæ vera sane corruptio est, & quæ in omniũ ore annihilationis metas non attingit, quod prior destructio tendit ad purum nihil, & non sequitur ex positione alicuius rei productæ de nouo, posterior vero tendit ad aliquid positiuum saltem secundario, scilicet, ad formam cadaueris, quia corruptio vnius iuxta vulgatum prouerbium Philosophorum est generatio alterius in genere causæ materialis; quia requiritur, materiam esse prius denudatam à forma hominis ad hoc, vt postea induat formam cadaueris. His probata manet maior propositio nostri discursus, minor verò eiusdem propositio, scilicet, desitionem panis in hoc sacramento non respicere purum nihil, patet aperte ex dictis in quæst. 14. quia destructio panis, & vini non sistit in non esse eorum, sed vlterius progreditur ad constituendum corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini. Imo talis destructio apertè sequitur ex corpore, & sanguine Christi in hoc sacramento collocatis. Ergo cum panis, & vinum in sacrosancta Eucharistia pereũt, annihilari ea, prorsus denegandum est.

Vt vero punctum hoc apprimè intelligatur, primo notandum est, ad rationem creationis duo requiri. Primo actionem ita esse mere, & pure positiuam, vt neque pro termino primario ad quem, neque etiam pro termino secundario respiciat non esse alicuius rei, sed tantum esse positiuum, non mixtum aliquo nõ esse. Secundo requiri, quod talis actio non sit intrinsece ex præsupposito subiecto. Vnde actio, qua Deus à principio mundi produxit formas Cœli, verbi gratia, ex potẽtia materiæ, non fuit actio creatiua, quãuis enim nulla forma defuerit tunc, quia, cũ materia non præcesserit tempore productionẽ illius formæ, nulla alia forma præcessit, illius tamen formæ productio non est creatio, quia ea fuit producta dependenter à materia, & concurrente materia 4

cia ad productionem eius formæ in genere causæ materialis.

5 Secūdo notandum est, ad rationem annihilationis duo etiam requiri, primum sit, quod taliter respiciat purum nihil, quod ex vi desitionis vnius rei etiam in genere causæ materialis non sequatur alterius rei esse, vt cum Angelus destrueretur à Deo nihil produeendo ex vi illius destructionis. Secundum est, quod talis actio, vel suspensio cōcursus diuini destruat rem aliquam independenter à subiecto, & sine eo quod subiectum deneget concursum causæ materialis, quam ob causam in eo casu, quo Deus de sua potentia absoluta velit destruere formam ligni nulla alia forma producta in materia eius, quia materiam, etiam destrueret, aut eam sine forma conseruaret, talis destructio minime esset annihilatio, quia cōtingeret negante etiam suum concursum materialem materia ligni.

6 Ex his facile respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primū dicimus, re vera peracta consecratione nihil substantiæ panis, vel vini remanere, nihilominus tamen eius desitionem nō esse annihilationem, quia terminus ad quē est aliquid positiuum, scilicet corpus, & sanguis Christi, ex quorum positione sequitur necessario desitio panis, & vini. Vnde hæc desitio nō est dicenda annihilatio, sed pleno ore dicenda est corruptio. Ad secundum argumentum respondetur, in eo casu, quo tota substantia panis, & vini produceretur, non futuram eius productionem creationem, si ex vi illius sequeretur non esse alterius rei, quæ cum re producta oppositionem haberet.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm totus Christus sit sub vtraque specie huius sacramenti ex vi verborum, vel alio modo?

7 CALVINVS *lib. 4. institut, cap. 17. §. 18. 35. & 47. & Petrus Martyr in lib. de cœna Domini contra Gardinerum, in obiectio ne. 36.* Cum negent in hoc sacramento veritatem corporis, & sanguinis Christi, consequenter nullum hic admittunt genus concomitantiæ. Lutherus vero, qui veritatem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia concessit, varijs modis hic locutus est, nam in assertione arti. 16. vbi concedit, totum Christum esse sub vtraque specie panis, & vini, necessario fateri debet genus quoddam existendi per concomitantiam, in informatione autem data amico suo de cōmunione sub vtraque specie irridet concomitantiam.

Sit prima conclusio secundum fidem Catholicam certa, totus Christus sub qualibet specie huius sacramenti continetur. Ita definitur *in Concil. Constant. sess. 13. & in Basiliensi, sess. 30.* Et eādem veritatem Catholicam nobis statuit Eugenius IIII. in Concilio Florent. in decreto fidei, quod est post vltimam sessionem §. tertium est, & nouissime idem statuit *Tridrnt. sess. 13. ca. 3.* his verbis. *Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri, totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Et idē fidei dogma continetur *in cap. qui manducat cæ. singuli, cap. vbi pars, cap. innitat, & in alijs capitibus de consecratione dist. 2.* Probatur hæc conclusio ex Sanctis Patribus, *Hieronimus enim in epistola ad Hedibiam q. 2.* De Christo in hoc sacramento sic inquit, *Ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur, & D. Augustin. super Psal. 33.* Hæc verba pronunciauit, *Christum se ipsum portasse manibus suis, quando dixit, Hoc est corpus meum.* Tertio probatur hæc ratione, quia quoties aliqua duo coniuncta sunt, non potest vnum alicubi esse sine alio, si eorū coniunctio permaneat, corpus autem Domini ita modo se habet, vt simul hæc omnia sibi contineat vnita animam, & sanguinem, & diuinitatem, & personam Verbi, & reliqua requisita, & vi naturali coniuncta ad constituendam perfectionē essentialem, & integralē Christi, vt modū vnionis animæ cū corpore, & humanitatis cū Verbo, & omnes humores quatuor, quibus coalescit homo, & spiritus vitales, & animales, capillos, vngues, & aerem replentē modo vacuitates corporis gloriosi Christi, vt optime notat *Suarez 3. to. in 3. p. q. 76. disp. 51. sect. 1.* (Vestes autē, & calceamenta Christi non fuerunt sub speciebus sacramētalibus in nocte cœnæ, quādo Christus instituit hoc sacramentū, quia nō sunt hæc vi naturali, sed artificiali coniuncta eum corpore. Neq; etiam fuit sub eisdem speciebus cibus, qui in ore Christi, vel in stomacho incoctus extitit in ea nocte, quia se habet hic sicut aqua in vase, & non requiritur ad integritatem corporis, vt optime ponderauit *Sotus in 4. dist. 10. q. 1. art. 2.*) Cum ergo hæc omnia habeant sibi coniuncta corpus, & sanguis Christi, ergo vbicūque fuerit corpus, vel sanguis Christi, hæc omnia simul cum eis existūt, ac per cōsequēs totus, integerq; Christus, qua ratione in sua naturali specie, manet, etiā manere debet sub speciebus panis, & vini. Primā propositio huius discursus, scilicet, quod quoties aliqua coniuncta sunt, non potest vnum alicubi esse sine alio, intelligenda est de his, quæ adæquate coniuncta sunt, quia vnum illorum non patet latius quam aliud. Quādo vero vnum latius patet quā aliud, vt diuinitas quæ est vbique latius patet quam humanitas, quæ non est vbique, tunc recte sequitur, illud quod latius

latius patet, quia est vbique, esse ibi, vbi est illud quod minus late patet, & è contra non bene valet consequentia, quamuis humanitas, & Diuinitas vniatur in Verbo Dei. Quarto probatur conclusio nostra, quia alias esset corpus Christi mortuum in Eucharistia, si aliqua ratio ne ibi non esset anima, quod quidem repugnat verbis *Pauli ad Romanos 6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*. Quinto probatur conclusio eadem ex vsu Ecclesiæ, secundum quem tribuitur latriæ cultus Christo in hoc sacramento, qui nullatenus tribueretur si ibi sub speciebus panis tantum adesset corpus, & non Diuinitas.

3 Sit secunda cõclusio. Totus Christus est in Eucharistia etiam ratione accidentium eorum, quæ intrinseca sunt Christo, & absoluta, & nõ habent essentialem dependentiam à loco illo Cœlesti, in quo Christus est in loco diuisibiliter, & hæc conclusio ita vera est, vt oppositũ sit error, ita docent communiter Theologi *in 4. lib. sententiarum dist. 10.* Probatur primo conclusio ex communi sensu fidelium. Secundo probatur, quia ex eo Christus est in sacramento quoad totam suam substãtiam, quia reliqua omnia ad substantiã pertinentia sunt cõiuncta cũ corpore, & sanguine, quæ manent ex vi verborũ sub speciebus panis, & vini, sed etiã accidentia prædicta sunt realiter coniuncta cũ corpore, & sanguine Christi, ergo remanere debent sub speciebus panis, & vini, sub quibus continentur corpus, & sanguis Christi. Tertio probatur, quia aliàs corpus Christi, si esset sine quantitate, esset informe, & sine partium distinctione, quod maximum inconueniens est.

4 Tertia conclusio. Tandiu continetur totus Christus in hoc sacramento, quoad substantiã; & quoad accidentia, quandiu species panis manent incorruptæ, saltem quoad quantitatem, quæ est fundamentum reliquorum accidentium. Hanc conclusionem docuit *D. Thom. 3. par. quæst. 76. art. 8.* Probatur primo *ex Cyrillo Alexandr. in Epist. ad Calosirium*, vbi ait, *insaniunt eos, qui oppositum dicunt.* Et probatur, quia tã diu hic Christus manet, quandiu manet Eucharistiæ sacramentum; sed sacramentum manet tandiu, quandiu manent species consecratæ, vt manifeste colligitur ex antiquo vsu Ecclesiæ, secundum quem cernimus, tandiu asseruari Eucharistiam in pyxide, tandiuque à fidelibus latriæ cultu venerari, quandiu species panis incorruptæ perseuerant, ergo nostra conclusio inoffenso pede decurrere debet.

5 Sit quarta conclusio. Non omnia, quæ ad Christi perfectionem pertinent, sunt eodem modo sub qualibet specie, nam quædam sunt ex vi verborum consecrationis, seu ex vi sacramenti, alia vero sunt ex naturali connexione, seu per concomitantiam. In hac conclusione omnium Theologorum placita conueniunt, ita vt non sit necesse, eorum authoritates sigillatim referre. Quæ quidem veritas definita est *in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3.* Licet enim nõ definiatur in aliquo canone, est tamen de fide; quia continetur in capitibus Concilij, & pertinet ad doctrinam, & instructionem fidelium, quod seruandum est etiam in reliquis capitibus Concilij Trident. in quibus doctrina aliqua fidelibus proponitur, vt colligitur *ex sess. 13. cap. vlt. eiusdem Concilij.* Vbi post adducta capita, & antequam Canones statuantur, hæc verba profert Concilium, *Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur, & refellantur errores, placuit Sanctæ Synodo hos Canones subiungere, vt omnes iam agnita Catholica doctrina intelligant quoque, quæ ab illis Hæreses caueri, vitarique debeant*, nam Canones solum differunt à capitibus, quia in canonibus annotantur errores, qui circa res fidei contigerunt circa materias in capitibus ipsius Concilij definitas: Quam doctrinam ad intelligendam Concilij Tridentini seriem eleganter prosequitur *Vazquez loco citato.* Illud autem est ex vi verborum, & ex vi sacramenti, quod ipsis verbis consecrationis expresse significatur, & in quod solum dicitur fieri conuersio. Nam cum hæc verba consecrationis efficiant, quod significant, illud tantum est effectus per se verborum consecrationis, quod significatur per verba. Quod si aliquid aliud aliquando in hoc sacramento sit præsens, vt postea constabit, id tantum est per accidens, & quia coniunctum manet cum effectu per se producto in hoc sacramento. Vnde vno extremo constituto aliud etiam constitui necesse est, quod quidem est, esse ex vi concomitantiæ.

Hæc conclusio explicatiue probanda est. 6
Sub speciebus panis ex vi verborũ tantum est corpus humanitatis Christi, quia illud tãtũ significatur per illa verba consecrationis panis: Hoc est corpus meũ. Nõ vero sunt anima, sanguis, & diuinitas ex vi verborũ, quia hæc non significantur expresse per verba cõsecrationis, sunt tamẽ hæc tria sub speciebus panis per cõcomitãtiã, & ex vi naturalis cõnexionis, quia cõnexa sunt modo cum corpore Christi, quod constituitur sub speciebus ex vi verborũ. Vnde constat, si in triduo mortis Christi fieret cõsecratio panis, neque animã, neque sanguinẽ remãsurũ sub speciebus panis vllo modo, quia in illo triduo non erant hæc duo coniuncta cũ corpore Christi. Anima enim tunc erat separata à corpore, & descenderat ad inferos, & sanguis totus fuit à corpore separatus, quia probabile est iuxta piã considerationẽ Sanctorũ Patrũ, Christũ præ nimia charitate sua effudisse pro nobis totũ suũ sanguinẽ, tanquã superabũdãs pretium nostræ redemptionis. Quod autem

tem animā; & sanguis in illo triduo non essent futura sub speciebus panis vlla ratione, inde facile colligitur. Quia in primis non essent futura ex vi verborum, quia non significantur expresse per verba consecrationis: deinde neque etiam per cōcomitantiam, quia non essent coniuncta cum corpore Christi. Vnde etiamsi sub speciebus panis corpus Christi tunc existeret, ob hoc tamen illa duo sub eisdem contineri non deberent. Et eadem ratione affirmandum est, manere sub speciebus panis per concomitantiam ea omnia, quæ in prima conclusione huius quæstionis defendimus coniuncta esse cum corpore Christi.

7 Et ad eum modum, quo philosophati sumus de hostia consectata, & propter eandem rationem proxime assignatam, philosophandum est de calice consecrato, nam sub speciebus vini tantum permanet sanguis ex vi verborum, quia iste tantum expresse significatur in illis verbis consecrationis; Hic est enim calix sanguinis mei. Anima verò corpus, & diuinitas tantum sunt per concomitantiam. Quam doctrinam elegantissime, & cum mirabili distinctione tradidit nobis *Tridentinum sessione* 13. *cap*. 3. Postquam enim dixit, *semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, &c. Subdit Concilium hæc verba; *corpus quidem sub specie panis esse, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, Diuinitatem porrò propter admirabilem illam cum corpore, & anima eius hypostaticam vnionem*: & ob similem rationem defendendum à nobis est, vnionem hypostaticam esse in hoc sacramento per concomitantiam. Cum enim in eo sacramento sit humanitas, etiam debet esse vnio, qua humanitas coniuncta est Verbo. Imo etiam tota Trinitas est sub qualibet specie huius sacramenti per concomitantiam. Verbum quidem Diuinum quia est sub illis speciebus tanquam terminans naturam humanam, tribuensque ei subsistentiam, quæ caret subsistentia proprij suppositi, persona Patris, & persona Spiritus Sancti etiā sunt sub speciebus sacramētalibus per concomitantiam, quia vtraque persona connexa est, & quasi concatenata cum persona Verbi in eadem natura Diuina, ita vt nullá vi possit separari ab ea.

8 Hinc sequitur primo, ratione huius peculiaris modi, quo per concomitantiam manent sub speciebus panis, & vini Diuinitas, & omnes tres Diuinæ personæ, optime posse de illis verificari, manducari, & bibi, vt aduertit Vazquez disp. citata, cap. 2. Nam ad eum modum, quo ratione vnionis hypostaticæ prædicata naturæ humanæ conueniunt naturæ Diuinæ, ita vt istæ sint veræ propositiones, loquendo de Christo, hic Deus mortuus, & hic Deus est creatura: ita etiam ratione eius particularis modi, quo personæ Diuinæ manent cum speciebus sacramentalibus; sicut speciebus conuenit manducari, & bibi, ita etiam Diuinis personis conueniunt eædem denominationes.

Sequitur secundo, ratione concomitantiæ, quā habet sanguis sub specie panis, posse enuntiari de sanguine, quod bibatur sub specie panis, Ita loquuntur *D. Cyprian. serm. de Cœna Domini, & Thomas Vvaldens. tom. 2. de sacramentis, cap*. 93. & desumpsit ex *Paschasio, lib. de corpore Christi*, quem loquendi modum nouissime approbauit *Bellarmin. tom. 2. lib. 4. de Eucharistia, c*. 26. Cuius ratio est, quia sub specie panis manet verus sanguis, qui quidem vere dicitur bibi. Imo propter rationem allegatam in præcedēti Corollario potest etiam verificari de sanguine existente sub speciebus panis, quod manducetur. 9

Quæres primò, an ratione illius pronominis, meum, positi in consecratione panis, & ratione illius pronominis, meus, constituti in cōsecratione calicis directe, vel indirecte significetur suppositum Diuinum, ac proinde Diuinitas significetur aliquo modo, quæ est de eius essentia? Huic difficultati optime respondetur cum *Vazquez, loco citato*, c. 2. minime quidem hæc significari per prædicta pronomina, quia illa tantum significant corpus illud, & illum sanguinem esse naturæ humanæ Christi siue mortuæ, siue viuæ, siue existentis in supposito humano, siue in Diuino; suppositum verò Diuinum, vel naturam Diuinam neque primarie, neque secūdarie, neque directe, neque indirecte significari. Hoc tantum addendum est cum *Patre Suarez 3. to. in 3. p. disp*. 51. *sect*. 6. subsistentiam præcise, vt abstrahit à Diuina, & humana subsistentia, hic significari per pronomen, hoc, in consecratione panis; vnde eam subsistentiam esse ex vi verborum in Eucharistia. 10

Secundo quæres, quis sanguis sit ex vi verborum sub speciebus vini? Cui quæstioni non omniū Doctorū cōcors est responsio. Nā eorū quidā existimāt, tēpore passionis nō fuisse effusum totum sanguinem Christi, sed aliquem in iecore, & venis mansisse Christi: vnde dicunt, sub speciebus vini consecrati tantum remanere sanguinem illum, qui effusus est tempore passionis. Fundamētum huius doctrinæ sumitur ex verbis consecrationis calicis, quæ apud *Matth. cap*. 26. & *apud Marc. cap*. 14. & *apud Luc. c*. 22. sub hac verborum serie continētur; *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur*. Vbi denotatur, Christum non loqui de omni sanguine, sed de eo tantum, qui pro nostrarum ablutione macularum 11

larum large profusus est. Verũtamen, vt huic difficultati satisfaciamus, pronunciemus Primo, satis probabile esse, vt proxime prælibauimus, totum sanguinem Christi esse effusum in eius passione, cuius contrarium asserentes feruentissimæ erga nos dilectioni Christi iniuriam irrogare visi sunt. Pronuntiemus Secundo, ad essentialem formam consecrationis calicis nõ pertinere illa omnia verba; qui pro vobis effundetur, vt latius postea apparebit, sed tantum illa; *Hic est calix sanguinis mei*, in quibus, quia vniuersalia, & generalia sunt, tam comprehenditur sanguis effusus, quam non effusus. Quare etiãsi omnis sanguis Christi non fuisset effusus, omnis tamen ille sub speciebus vini optime continetur. Tertio respondetur, per figuram Synecdochen recte verificari de toto sanguine, quod fuerit effusus, etiamsi non fuerit effusus secundum omnes suas partes, sed tantum secundum aliquas. Quarto pronunciamus, in triduo mortis Christi, quando pretiosissimus eius sanguis multis locis erat diuisus, peracta consecratione calicis affirmari minime posse, illum sanguinem continuari sub speciebus vini, quia cum continuatio, vel discontinuatio conueniat rei in ordine ad præsentiam diuisibilem, & hæc præsentia non conueniat sanguini vt existẽti sub speciebus, ideo sub illis non dicitur esse continuus, aut discontinuus. Vnus etiam numero sub speciebus vini tunc esse non posset, quia quoad hoc eodem modo esse deberet sub speciebus vini, ac in se esset, quia autem in se propter diuisionem vnus esse non posset numero, ita etiam non posset esse vnus numero sub speciebus. At vero vt forma cõsecrationis veritatem obtineret, quæ in numero singulari prolata vnius tantum sanguinis meminisse videtur, sufficiens esset, asserere, illum sanguinẽ Christi esse vnum secundum speciem, non vero secundum numerum. Et confirmatur efficaciter hoc vltimum responsum, quia, quamuis res liquidæ, vt duæ aquæ, quæ diuisæ erant inter se, si coniunguntur, constituant vnam aquã continuam, hoc tamen verum est, quando conseruant eundem modum existendi in loco corporalem, & diuisibilem, (cum in vnam aquam coalescunt,) quem antea retinebant secundum locum distantes, penes hoc, quod tota aqua correspondeat toti loco, & pars aquæ parti loci; cum tamen aquæ existerent in loco modo indiuisibili, ita vt totæ sint in toto loco, & totæ in qualibet parte, collocatio earum in eodem loco non potest esse causa continuationis. Quia licet aquæ secundum suum modum naturalem existendi in loco sint diuisæ in partes, & in diuersa loca, tamen iuxta illum modum supernaturalem omnes partes illarũ aquarũ sunt totæ in toto loco, & in qualibet parte loci, ita vt nullam possint recipere continuationem, continuatio enim prærequirit modum naturalem, & diuisibilem existendi in loco.

12 Tertio quæres, per quam actionem constituatur sub speciebus corpus Christi, & eius sanguis, & Verbum Diuinum, & reliqua omnia, quæ modo inueniuntur in Christo coniuncta cum eius corpore, atque eius perfectionem integrantia? Ad hoc respondetur iuxta ea, quæ diximus in quæstione 14. huius tractatus, duas assignandas esse actiones in instanti transsubstantiationis. Vnam, qua corpus Christi simul cum anima, & Diuinitate, & alijs ei adiunctis constituitur sub speciebus panis, illisque vnitur, per quam actionem producitur modus quidam vnionis accidentalis in corpore Christi, denominans consequenter, & per concomitantiam vnita ea omnia, quæ modo coniuncta sunt in Cœlo cũ corpore Christi. Alterã vero actionem reperiri, quæ vera transsubstantiatio est, & per quam panis in corpus Christi conuertitur.

13 Quarto quæres an per communicationem idiomatum, possit dici quod panis transsubstantiatur in Verbum, & quod Christus consecratur? *Suarez 3. tomo in 3. part. quæst. 75. disput. 51. sectione 6.* sentit probabiliter, has propositiones posse verificari. Primam per communicationem idiomatum, quod ex eo probatur, quia sicut Deus dicitur conceptus ex Virgine, quia corpus, seu humanitas eodem instanti, quo ex Virgine procreata fuerunt, assumpta sunt à Verbo Diuino. Ita potest dici panem in Verbum transsubstantiari, quia caro Christi, in quam panis transsubstantiatur est vnita Verbo, similiter potest dici totum Christum consecrari, dum conficitur hoc sacramentum, quia per ipsam consecrationem totus Christus constituitur sub speciebus panis. Quod si de Christo recte affirmatur, consecrari eum, de Verbo etiam Diuino idem iure optimo affirmari poterit propter communicationem idiomatum.

14 Vltimo quæres, an de corpore Christi, prout existit sub speciebus, possit verificari, quod habeat figuram, & etiam dispositionem situs, ita vt vel sedeat, vel stet. *Pater Enriquez in Summæ secundo tomo lib. 8. cap. 27.* sentit corpus Christi retinere in Eucharistia eandem figuram, quam habet in Cœlo, & similiter eandem positionem situs, ita vt semper stet rectus, & habeat caput sursum, & pedes deorsum, & in cõmento prædicti capitis littera, L. ait hanc esse communem sententiam. Ego tamen existimo Christum in hoc sacramento neque præditum esse aliqua figura, neque habere aliquem situm corporis, vbi nomine figuræ non intelligo eam, quæ consequitur quantitatem, secundum quod quantitas ha-

bet partes extra partes in ordine ad se, (quæ extensio essentialis est quantitati,) nam huiusmodi figura vera qualitas est pertinens ad quartam speciem qualitatis, & hæc figura reperitur in corpore Christi existente in Eucharistia, in qua consideratione eius natura sita est in eo, quod sit vltimus terminus quantitatis vndique eam circumstans. Alia vero figura est; quæ sequitur extensionem localem quantitatis, quæ re vera solum est quidam situs, seu dispositio partium in ordine ad locum, & hæc nullo modo reperitur in corpore Christi existente in Eucharistia, quia ibi nullam habet extensionem localem.

15 Contra id tamẽn, quod defendimus in fine primæ conclusionis obijcit *Durandus in 4. distinct.* 10. Hoc argumentum, putans non esse in Eucharistiæ sacramento corpus Christi cũ quantitate; si tota quantitas Christi esset in parua quantitate hostiæ; necesse esset, eam existere indiuisibiliter, at repugnat quantitati esse modo indiuisibili, quia de sua natura, & essentia exigit diuisionem, & extensionem, ergo quantitas non est cum corpore Christi existente in Eucharistia. Huic tamen argumento facile respondebimus, considerantes doctrinam *Soti in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 4. & Gregor. de Valen. tomo 4. disput. 6. quæst. 4. puncto* 1. scilicet, duplicem esse extensionem, aliã in ordine ad se, & hanc esse essentialem quantitati, aliam in ordine ad locum, & hanc tantum esse propriam passionẽ quantitatis, & ab ea posse separari. Qua supposita doctrina dicimus nullum esse inconueniens totam quantitatem corporis Christi esse in parua quantitate hostiæ medio modo indiuisibili, quia in hostia consecrata quantitas Christi licet habeat partes in ordine ad se, non tamen habet partes in ordine ad locum, quia hæc passio non conuenit corpori Christi vt existenti in Eucharistia.

16 Secundum argumentum contra eandem nostram doctrinam desumitur ex eodem *Diuo Augustino Epistol. 97. ad Dardanum*, in illis verbis: *Spatia tolle corporibus, & nusquam erunt, & quid nusquam erunt? omnino non erunt*, ergo corpus Christi non potest esse sub speciebus sacramentalibus sine extensione locali. Verumtamen huic argumento respondetur, ibi D. Augustinum loquutum esse secundum potentiam Dei ordinariam; non verò secundum potentiã Dei absolutam, at secundum potentiam absolutam corpus Christi est in Eucharistia sine extensione locali.

QVÆSTIO XIX.

Quid intelligatur nomine corporis, cum dicimus panem conuerti in corpus Christi?

HVIVS rei magna difficultas diuersa in lucem edidit placita Doctorum. Quidam enim senserunt, nomine corporis, solam eam materiam primam, quæ est in Christo, significari, & quæ cum anima eius componit hominem Christum. Huic sententiæ adhæserunt *Maior in 4. distinct.* 10. *quæst. 5. parum à principio Gabriel in Canone Missæ lectione 42. littera, H. & Marsilius in 4. q. 8. art. 1. conclusione* 2. Probatur hæc sententia, quia id, ex quo, & ex anima humanitas Christi componitur, est corpus Christi, quod dicitur esse sub speciebus panis ex vi sacramenti, sed humanitas Christi componitur ex materia prima, & anima, ergo materia prima est corpus, quod est sub speciebus panis ex vi verborum. Verumtamen hæc sententia est falsa, quia si sola materia prima esset corpus, quod sub speciebus panis constituitur ex vi verborum, sequeretur eodem modo, ac nunc fit posse fieri consecrationem in triduo mortis Christi, etiamsi corpus Christi esset à Iudæis combustum, & in cinerem redactum, consequens est absurdum, ergo etiam illud ex quo sequitur. Quod autem eodem modo tunc fieret consecratio, probatur, quia fieret eisdem verbis, & eodem modo significantibus, neque enim Christus diuersa verba, aut diuersam significationem pro diuersis temporibus instituit. Quod autem cõsequentia sit absurda supposita præcedenti sententia, patet, quia Christus promisit se traditurum in cibum spiritualem, non corpus quomodocunque, sed carnem suam iuxta illud *Ioannis 6. Caro mea vere est cibus*, tunc autem nulla esset caro, & ita nullus cibus spiritualis sub speciebus panis consecraretur; à qua sententia in rei veritate non differt sententia *Paludani in 4. distinct. 11. q. 3. art. 3. n. 3.* 1

Secũda sentẽtia est aliorũ, qui sentiunt, corpus, in quod conuertitur panis, esse corpus illud, quod in prædicamẽto substãtiæ collocatur tãquã species subalterna, quod est cõmune ad corpus viuũ, & nõ viuũ, & quia hoc esse corporis tribuitur ab anima rationali in corpore Christi, ideo etiã dicũt, cõuerti panẽ in materiã primã, & in animã rationalẽ quatenus tribuit materiæ esse substantiæ, & esse corporis, nõ vero quatenus tribuit esse viuentis, sensitiui, & rationalis. Hãc sentẽtiã sequũtur *Durãdus in 4. dist. 10. q. 2. n. 6. Caietan. 3. p. q. 75. art. 6,* 2

§. in

§. in responsione ad secundum Dionysius Carthus. in 4. dist. 11. quæst. 1. Hæc tamen sententia meriro probatis Authoribus non probatur. Probatur ratione formata contra primam sententiã, hãc esse falsam, quia sequetur, eadem forma verborũ posse consecrari corpus Christi in triduo, etiamsi in cineres redactum esset, quia tunc reperitur ratio illa communis corporis. Hoc autem falsum est, nam, vt optime vidit *Vazquez disp. 86. 3. tom. c. 1.* corpus, quod ex vi verborum constituitur sub speciebus panis, non est qualecunque corpus, sed tale, vt carnem humanam habeat, nam debet esse cibus spiritualis animarum, qui effectus tantum conuenit carni Christi iuxta illud *Ioan. 6. Caro mea vere est cibus*, & iuxta prossam Missæ corporis Christi, *quod in carnem transit panis*, &c. At tunc corpus non haberet carnem, ergo non esset tale, quale requiritur ad verificandam formam huius sacramenti.

3 Tertia est sententia aliorum, qui dicunt corpus, in quod conuertitur panis, non dicere solam materiam primam, sed etiam animam rationalem quateous tribuit esse organici corporis commuoe ad corpus orgaoicum mortuũ, & viuum vniuoce, ita sentiunt *Dominicus Sot. in 4. dist. 10. q. 1. artic. 1. Ledesma 1. p. 4. q. 17. art. 1. dubio 3.* Fundamentum huius sententiæ est, quia virtute verborum constituitur sub speciebus panis non solum materia prima neque sola ratio corporis in communi sumpta, sed tale corpus, quod carnes, & ossa habeat, quale reperitur in animalibus; cumq; hoc esse habeat materia ab anima, vt à forma, ita dicunt, ex vi verborum esse animam vt dantem esse quoddam organicum commune ad corpus viuũ, & mortuum. Addũt tamen isti Authores animam esse quid connotatum nomioe corporis, & ita, licet sit sub speciebus panis ex vi verborum, esse ibi vt quid connotatum, nõ directe. Sed hæc sententia quantum ad hoc de connotato optime refutatur à *Vazquez disp. citata, c. 2.* ex eo, quia nomina concreta substantialia, quale est corpus, directe supponunt pro toto composito ex materia, & forma, & ita non supponunt connotatiue pro forma, quare directe erit anima sub speciebus panis iuxta eam sententiam ex vi verborum.

4 Quarta sententia est eorum, qui dicunt, id, quod est ex vi verborum sub speciebus panis, esse materiam primam informatam forma quadam, quam dicunt coeporeitatis, quæ tribuit materiæ esse corporis, & est prior anima rationali, & præparat materiam, vt recipiat animam rationalem. Ita sentiunt *Enriquez quodlibeto 8. q. 3. & Scotus in 4. dist. 11. q. 3. §. ad rationes ergo, vers. quantum ergo.* Probatur hæc sententia ex eo, quia hac ratione facile defenditur conuersio substantialis, quæ reperitur in hoc sacramẽto, & vnde proueniat ratio corporeitatis, quæ ab anima in homine nequit prouenire, quæ rationalis est, & spiritualis. Sed hæc sentẽtia falsa est, quia quæcunque anima (etiam si sit rationalis) est naturalis forma materiæ ita eam informans, vt tribuat ei omnem rationem, quæ intra genus substantiæ reperitur in homine, & in alio quouis animali. Probatur, quia tribuit homini, vel alteri animali anima esse particulare, & specificũ, ergo tribuit omnes rationes generleas, quæ idem sunt cũ ea ratione particulari, vnde anima, quæ tribuit homini esse rationale, debet tribuere esse substantiæ, & corporis, & viuentis, & sensitiui. Nam ratio illa corporis bene potest ab anima ratinnali, quæ spiritualis est, tribui, quia est forma materiæ naturalis, & debet necessario tribuere hunc effectum in materia necessarium, ne vnus gradus essentialis ab vna forma dimanet, & alius ab alia, quia hoc esset absurdum, quia gradus illi cum sint idem realiter ab eadem forma dimanare debent.

5 Quinta sententia est *Ægidij Theoremate 28. 29. & 30.* vbi dicit corpus, quod est ex vi verborum sub speciebus panis, esse materiam primam cum modo quodam relicto ex quantitate, ratione cuius fit corpus, quod vocatur organicum, hoc est, diuersarum partium ad exercẽdas diuersas operationes. Sed hæc sententia sustinenda non est ex eo, quia corpus, in quod fit conuersio, tale esse debet, vt habeat carnẽ, & ossa, vt supra contra primam & secundam sententiam probatum est; sola autem materia prima, cum quantitate, aut cum modo illo ex quantitate proueniente non habet carnem, & ossa, quia hæc necessario requirunt aliquã formam substantialem, ergo materia prima cum illo modo non est id, quod ex vi verborum est sub speciebus panis. Secundo refutatur hæc sententia, quia ille modus impertinens est omnino, & ad nihil deseruit, vt quid ergo constituetur?

6 Sexta sententia est *Patris Vazquez loco citato c. 3.* vbi inquit corpus, quod est ex vi verborũ sub speciebus panis, esse corpus organicũ habẽs diuersas partes, vt caput, & pedes, &c. Sed nõ esse determinate mortuũ cũ forma cadaueris, vel viuũ cũ anima, sed vno, aut alio modo, aut mortuũ, vel viuũ. Et probat iste author suã sentẽtiã, quia illud dicitur esse sub speciebus, quod est ex vi significationis, sed corpus, quod nominatur in cõsecratione panis, nõ significat aliquod vniuocũ commune corpori organico mortuo, & viuo, sed æquiuoce de his dicitur, ergo sequitur manifeste, nõ posse ex vi verborũ esse corpus organicũ in cõmuni, sed in particulari hoc, vel illud, mortuũ, vel viuũ: quod autẽ corpus organicum dicatur æquiuoce de corpore viuo, & mortuo, probat Vazquez argumentis, quæ contra nostrã sententiã ab illo facta sunt, & postea adducemus.

7 Vt hanc quæstionem absoluamus, sint aliquæ conclusiones. Prima sit. Corpus, quod est sub speciebus panis ex vi verborum, non est materia prima sola. Patet ex dictis contra primam sententiam, quia hoc corpus debet esse tale, quod ossa, & carnem habeat: materia autem prima hæc non habet de se sola, sed ab aliqua forma, vt patet. Tum etiam probatur, quia in hoc sacramento fit perfecta transsubstantiatio, & integra. Ergo sicut perit panis, qui est quoddam compositum ex materia, & forma, ita debet sub speciebus constitui corpus quod sit compositum ex materia & forma. Et hoc voluit *D. Thom. 3. part. quæst. 75. artic. 6. ad secundum* significare, dum ita asserit, *conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod habet esse corporeum*, imo forma, quæ denotatur per nomen corpus, non est ea, quæ solum tribuit esse corporis commune ad ea omnia, quæ corpore constant, vt patet ex his, quæ prænotauimus contra secundam sententiam.

8 Secūda cōclusio. Ex vi verborū non est anima, vt anima est, & vt cōmunicat esse viuētis, sub speciebus panis, aut vini. Probatur primo conclusio *Ex Concil. Trident. ses. 13. c. 3.* vbi asserit Cōciliū, *animā esse sub specie panis, & sub specie vini per concomitantiā*, quod intelligi debet de anima, vt anima est, & quatenus tribuit esse viuētis. Secūdo probatur, quia his verbis; hoc est corpus meū, quibus modo vtimur in consecratione panis, & eadē prorsus significatione retēta, posset in triduo mortis Christi fieri cōsecratio, & tūc nullo modo esset anima sub speciebus panis etiā per concomitātiā, ergo anima vt anima est, nō est modo ex vi verborū, & ex vi suæ significationis sub speciebus panis cōsecratis, neq; illud pronomē, meū, significat in prædicta forma cōsecrationis corpus viuū, sed solū corpus propriū Christi, de quo tanquā de vno, & eodē vere, & proprie secundū vsitatū modū loquendi recte dicitur, siue illud sit mortuum, siue viuū, hoc est corpus Christi; Sancti nāque Doctores Ecclesiæ hunc modū loquendi sæpius probauerūt, affirmātes illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pepēdit in Cruce, & iacuit in Sepulchro: ita loquuntur *Ambros. 4. de sacramentis, c. 4. & August. citatus à Beda 1. ad Corinth. 10.* Cuius ea se se offert potissima ratio, quia cum corpus mortuū cōstet eadē materia cum corpore viuo, & succedat ei in eodem loco, & habeat similē figurā, & similia delineamenta corporis, & multa alia accidentia, & reliquas partes corporis simillimas, vt cicatrices, pillos albos, vel nigros, &c. optimè dicitur idem esse corpus mortuū, & corpus viuū, & eiusdem hominis esse corpus.

9 Vt tamē tertiam statuamus conclusionem, notandū est, corpus organicū esse illud, quod cōstat diuersis partibus; vt pede, & capite, & diuersis cōcauitatibus; vt oculis, naribus, ore, &c. Cuius ratio in corpore viuo iuxta *Aristotel. 2. lib. de anima*, cap. 1. in eo sita est, quod in eo corpore reperiātur diuersa instrumenta, & diuersæ potētiæ ad exercēdas diuersas operationes vitæ, vt verbi gratia oculi sunt constituti ad videndū, nares ad odorandū, pedes ad ambulandū, &c. In corpore verò mortuo ratio corporis organici ex eo colligitur, quod habeat diuersas partes diuersæ rationis, ac nominis; vt pedes, manus, &c. & diuersas cōcauitātes; vt nares, & oculos, in quibus solebant residere potentiæ vitales, dū corpus vita fruebatur. Duplicē enim in rerū natura reperiri organizationē, alterā perfectā, quæ propria est viuētiū animaliū, alterā imperfectam, quæ propria est animaliū mortuorum, satis aperte docuit *Arist. 1. lib. de generat. tex. 37.*

10 Tertia conclusio. Ex vi verborum remanet sub speciebus panis forma substantialis secundum quandā rationem cōmunem homini mortuo, & viuo, scilicet, secūdum quod tribuit esse corporis organici humani, secundum quā considerationem non comprehendimus animam, vel formā cadaueris secundum eas speciales rationes, quibus constituūtur in suis speciebus atomis, sed tantū cōprehendimus aliquod prædicatum commune vtrique formæ. Quā conclusionē defendunt aliqui recentiores, & eam docuit *Nuño in 3. p. D. Tho. q. 75. a. 4. difficultate 1.* Istud tamen prædicatum commune, seu hanc rationē cōmunem semper tribuit in re anima rationalis, vel forma cadaueris. Vt enim vidim⁹ in cōfutatione quartæ sententiæ, non est assignanda duplex forma alia, quæ tribuat prædicatū cōmune, alia, quæ tribuat particulare. Vnde in consecratione, quæ modo fit existente corpore Christi viuo, ex vi verborū erit anima rationalis non secundū rationem animæ, quia hoc negauit *Trident. ses. 13. c. 3.* sed secundum rationē formæ corporis organici humani, etsi in triduo mortis Christi esset consecratio, tunc esset forma cadaueris ex vi verborum sub speciebus panis non secūdum rationem formæ cadaueris in particulari, sed secundū rationem corporis organici humani in communi, quam rationem ex vi verborum sub speciebus panis non negauit Concilium Tridentinum, neque animam secundū eam rationem ibi existere: imo id fatetur Concilium, dum ait, *ex vi verborum esse corpus sub speciebus panis*, in quo, cum iuxta prædicta nomine corporis intelligatur organicum, necessario includitur aliqua forma ex dictis. Vnde; quod fit corpus organicum denotatur per vocem illam, corpus, contentam in consecratione panis. Quod fit organicum humanum denotatur per illam particulam, meum, quod denotat, hoc corpus esse Christi, quod humanum

num esse debet. Probatur hæc conclusio rationibus, quibus impugnatæ manent superiores sententiæ. Et præterea probatur, quia ex vi verborum est hic corpus humanum, ergo debet esse aliqua forma tribuens tale esse humanum ex vi verborum, sed non est, secundum quod tribuit esse corporis in cõmuni, qui aut sic non tribuit esse humanum, sed esse corporis commune ad lapidem, & hominem: Non etiam est secundum quod tribuit esse corporis organici cõmune ad omnia animalia, quia vt sic corpus non est humanum, sed animaliũ; est ergo aliqua forma, secundum quod tribuit esse corporis humani organici, quod est commune ad humanum corpus viuum, & mortuũ. Ratio vero cõmunis corporis organici humani communis ad corpus viuum, & mortuum necessario debet esse ex vi verborũ, vt posset in triduo mortis Christi, fieri consecratio, cũ corpore mortuo, & modo fiat cum corpore viuo. Tertio probatur, quia verba consecrationis, ex vi suæ significationis expresse aliquid operari debent ratione sui, sicut, & operantur verba baptismi, Ego te baptizo, & aliorũ sacramentorum nouæ Legis verba, sed non cõstituunt sub speciebus panis formam particularem rationalem, vel cadaueris, quia si vna esset ex vi verborum, altera esse non posset; ergo formam constituunt secundum aliquam rationem cõmunem. Nam quod requiratur aliqua forma substantialis, patet ex prima conclusione, sed non est alia ratio cõmunis sufficiens ad corpus humanum organicum, quod debet esse in hoc sacramento, nisi ratio formæ corporis humani organici, ergo hæc necessario constituenda est ex vi verborum. Vnde manet refutata sententia *Vazquez loco citato ra.3.* dicentis, id quod significatur ex vi verborum in consecratione panis, non esse aliquam rationem communem corporis, vel aliquam determinatam, sed æquiuoce, & disiunctim significari corpus organicum humanum hominis viui vel mortui. Hãc conclusionem tenet *Suarez 3. tomo in 3. p. quæst. 76. art. 2. disp. 51. sectione 3.* & tuentur Authores tertiæ sententiæ supra relatæ.

11 Quarta conclusio. Ex vi verborum consecrationis calicis ponitur sub speciebus vini non modo materia prima, seu corpus illud, ex quo constat sanguis, sed etiam forma illa, quæ tribuit esse sanguinis, nã sanguis quãdiu verus sanguis est, semper retinet eãdẽ formã secundũ speciẽ, & secundũ indiuiduũ, siue sit coniunctus corpori, siue non, non enim informatur sanguis anima rationali, sed alia forma diuersa. Hæc conclusio patet ex dictis contra primam & secundam sententiam. Nam sanguis, qui est hic ex vi verborum, debet esse talis, cui conueniat bibi, & esse potum, secundum illud Ioannis sexto, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sed sanguini considerato solum secundum materiam primam, vel secundum rationem corporeitatis in communi non conuenit bibi, ergo requiritur aliqua forma, quæ non potest esse alia, nisi sanguinis.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ respondetur, negando illud corpus, ex quo, & ex anima fit homo, esse corpus, quod est sub speciebus panis ex vi verborum, sed distinctum omnino, nam corpus, ex quo, & ex anima fit homo, est sola materia, corpus vero quod est sub speciebus panis ex vi verborum est materia prima simul cum aliqua forma, vt patet ex tertia conclusione. Ad argumentum quartæ sententiæ respondetur, illam formam corporeitatis non esse necessariam ad saluandam transsubstantiationem, quia est cõtra veram Philosophiam, tum quia ad dandum materiæ esse corporis, non est necessaria in homine, quia quamuis anima eius sit spiritualis, potest tamen effectum corporeitatis tribuere, quia est forma naturalis materiæ, & sicut tribuit ei esse specificum, quod est esse rationale; ita etiam tribuere debet esse genericum, quod est esse corporis, vt antea vidimus. Ad argumentum sextæ sententiæ respondetur, esse corporis organici humani abstracte; & vniuersaliter consideratum non esse quid æquiuocum, sed vniuocum in ordine ad corpus hominis viui, & mortui, vt postea videbimus. 12

Sed contra nostram conclusionem tertiam obstant aliqua argumenta. Primum est, quia significatio verborum consecrationis panis debet esse vniuoca, & particularis, vt possit esse efficax, & practica, ergo debet determinate significare corpus viuum, nam si disiunctim significaret corpus viuum, vel mortuum haberet significationem æquiuocam. Secundum quia carni mortuæ, & viuæ, faciei mortuæ, & viuæ non datur ratio communis vniuoca, ergo neque corpori viuo, & mortuo datur ratio communis vniuoca, quia hoc corpus etiam constat carne, & facie. Tertium argumentum est; quia si ratio corporis in vniuersum, verbi gratia, organici humani communis esset corpori mortuo, & viuo, sequeretur; hæc duo corpus mortuũ & viuum in prædicamento substantiæ sub immediato genere collocari, quod est falsum, nam corpus organicum hominis viuentis sub animali immediate constituitur. Antequam, enim intelligatur animal, non intelligitur corpus organicum, excogitare autem aliud genus immediatum corpori mortuo, & viuo: ita quod corpus organicum, hominis viui non constituatur immediate, sub 13

animali, omnino, fictitium videtur, & contra veram Logicam. Quartum argumentum est, quia *In cap. in quadam de celebratione Missarum*, dicitur corpus Christi esse humanũ, quia informatur anima, corpus autẽ in forma consecrationis panis significat corpus humanũ, ergo includit animam, quare ipsa anima erit ex vi verborum sub speciebus panis.

14 Ad hæc tamen argumenta respondendum est. Ad primum respondetur, significationem verborum cõsecrationis formæ habere quidẽ significationem vniuocã, vt postea videbimus in solutione secundi argumenti, non tamen habere significationem particularem, & determinatam, sed communem ad corpus mortuũ, & viuum. Ad id vero, quod dicitur, quod nisi sit significatio verborum alicuius rei determinatæ, non poterit esse operatiua, respondetur semper in re hæc verba versari circa corpus Christi determinatum, mortuum, vel viuum, sed tamen quod sit corpus viuum tantum, vel mortuum tantum sub speciebus panis nõ esse ex vi verborum. (Quia hoc non expresse significatur per verba consecrationis.) sed per eõ comitantiam iuxta statum, quem tunc habet corpus Christi, in eo autem an anima, v.g. cum corpus Christi est animatum, vt in præsenti, efficiatur præsens per actionem prouenientẽ à verbis consecrationis, vel à solo Deo, placet modus dicendi *Suarez loco citato* dicentis, fieri animam præsentem sub speciebus panis per efficaciam verborum, licet nõ ex vi verborũ, quia hæc diuersa sunt, verba enim, quæ media actione reali attingunt rationem illam communem corporis organici, etiam in re debent attingere rationem particularem organici humani viuentis, quia hæc est identificata cum alia. De qua re consulendus est *Suarez loco citato, & Caietanus 3. p. quæst. 75. art. 5. & 6.* Ad secundum argumentum respondet optime *Suarez, loco citato §. & ex his patet*, quod licet oculus, & caro secundum specificas, & proprias rationes, æquiuoce talia dicantur de corpore viuo, & mortuo, quia vltimæ differẽtiæ, vt logici loquũtur, sunt primo diuersæ, in quo sensu videtur loquutus *Arist. 2. de anima, & D. Thom. 1. p. quæst. 76. art. 8.* at vero in corpore, viuo, & mortuo, vt constat ex ista particulari materia & ex forma, quæ sufficiens sit ad constituendam rationem corporis humani, potest intelligi ratio communis corporis humani vniuoca, quæ significetur per illa verba formæ consecrationis, *Hoc est corpus meum*. Ad tertium argumentum dicimus, iuxta nostrũ modum dicendi, necessario fatendum esse, corpus humanum viuum non collocari immediate sub animali tanquam sub genere immediato, sed sub animali adhuc considerari posse aliud genus inferius, & immediatius, scilicet, esse corporis organici humani, quod est genus ad

A corpus humanum mortuum, & viuum, vnde secundum istam considerationem animal diuiditur in corpus organicum humanũ, & in corpus organicum non humanum, & rursus corpus humanum organicum in mortuũ, & viuũ diuiditur. Ad quartum argumentum desumptum *ex cap. in quadam de celebratione Missarum* respondemus, ibi non dici animam secundum rationem animæ esse de veritate, aut de necessitate corporis humani præcise sumpti, vt humanum est, neque corpus Christi esse humanum, quia anima informatur; sed potius è cõtrario animam non fuisse viuificaturam illud corpus, nisi esset corpus humanũ, & esse Christum verum hominem, quia anima, & humano

B corpore constat. Quod longe diuersum est ab eo, quod nos defendimus. Vnde contra nos minime textus pugnat.

Quæres primo, an sit diuersum corpus illud, 15 quod esset sub speciebus consecratis panis in triduo mortis Christi, ab eo, quod nunc est, quando Christus viuit? Cui difficultati respõdemus in toto rigore esse diuersum corpus, loquẽdo de corpore pro composito ex materia, & forma dante esse corporis organici, quia forma constitutiua corporis mortui diuersa est secundum speciem à forma illa, quæ constituit corpus viuum; corpus tamẽ hominis mortuũ, & viuũ idem corpus appellari ab *Hispalensi in 4. distinct. 10. quæst. 1 art. 4. ad secundum, Aureoli*. Propter rationes assignatas in secunda con-

C clusione. Secundo respondetur rationem corporis in communi ex vi verborum significatam eandem esse vtrobique.

Secundo quæres; an sanguis constituatur 16 sub speciebus panis per conuersionẽ; vel per aliam actionem diuersam. Huic quæstioni respondet *Suarez loco citato §. 3.* per eãdem actionem conuersiuam fieri sanguinem præsentem sub speciebus panis, & è contra corpus fieri præsens sub speciebus vini per eandem actionem conuersiuam vini in sanguinem Christi: melius tamen videtur asserere iuxta eã, quæ notauimus in quæst. 14. vbi loquuti sumus de natura transsubstantiationis esse hic, dum conficitur mysterium Eucharistiæ, duas actiones: vnam, qua constituitur corpus Christi sub speciebus præsens in loco specierum; & vnitum

D ipsis speciebus; & in hac actione fit sanguis Christi præsens etiam eidem loco; quia ibi cõstituitur modo corpus Christi viuum, sicut re vera est in Cælo quod quia est vnica substantia integra constans ex materia, & anima, & sanguine, & aliis ad suam integritatem & perfectionem requisitis, ideo vnica actione totũ id fit præsens: neque enim hæc modo possunt inter se separari. Veruntamẽ huiusmodi actio longe diuersa est à transsubstantiatione, transsubstantiatio enim tantum ordinatur ad producendum modum quendam substantialem re

pugnan-

pugnantem substantiæ panis, non quidem in sanguine, sed in corpore Christi; qui quidem modus, quia tantum conuenit Christo ratione eius corporis humani organici, & non ratione eius animæ, vt anima est, ideo non afficit animam, neq; ratione eius dicitur panis cōuerti in animā, neq; in aliquid aliud præter prædictū corpus, quamuis toti cōposito resultāti ex corpore, & forma adhæreat. Vnde ratione trāsubstantiationis tantum constituitur sub speciebus corpus, & nihil aliud.

17 Tertiò quæres, an vere enuntiari possit, materiam panis conuerti in materiam corporis Christi, & formam panis in formam corporis Christi. Qua in re diuersi Doctores diuersi mode locuti sunt, vt notauit *Suarez dicta sectione 4. in fine*, alijs tamē relictis modis ille præferendus videtur, qui asserit, hic non esse plures conuersiones, ita vt altera sit, qua forma in formam, altera, qua materia in materiam conuertitur. Iuxta quem modum loquendi videtur negasse *D.Thom. quodlibeto 7. art. 11. ad primū*, partem conuerti in partem in consecratione huius sacramenti, vnica enim tantum est conuersio ex doctrina *D.Thom. ibidem*, per quam totus panis conuertitur in corpus Christi. Qua ratione loquitur *Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 4.* potest tamen secundum quandā accommodationem, seu proportionem defendi, formam conuerti in formam, & materiam in materiam, quia forma corporis Christi correspondet formæ panis, & materia corporis Christi correspondet materiæ panis, quod videtur voluisse significare *D. Thom. quæst. 75. art. 4. ad tertium.*

18 Quarto quæres, an cadauer Christi fuerit in triduo mortis eius vnitum hypostatice verbo Dei, *Conin. tom. de sacramentis, quæst. 76. art. 2. dubio vnico*, sentit, hoc cadauer non fuisse vnitum hypostatice verbo Dei, sicut fuit vnita humanitas, sentit enim, in eo casu, quo fuisset vnitum, multa sequi absurda, quæ postea ex eius sententia subijciemus, dum infra in hac quæstione eius argumenta constituamus. Verumtamen respondetur cum *Nuño in 3. p. D.Thom. q. 76. art. 1. difficultate 1.* prædictum cadauer fuisse vnitum Verbo Dei, & substitisse subsistentia diuina. Quod probatur primo, quia Articulus fidei docet, corpus Christi mansisse mortuum in sepulchro coniunctum cum Diuinitate, sed non mansit proxime, immediate, & vt quod vnita materia prima, quia cum hæc non habeat subsistentiam propriam, non apparet, qua ratione vniri posset Verbo adhoc, vt in eo subsisteret, qua ratione etat vnita humanitas ante mortem, aliud enim genus vnionis immerito videtur excogitandum, ergo totum illud compositum corporale resultans ex materia prima, & forma cadaueris fuit vnitum hypostatice. Secundo confirmatur eadem resolutio, quia alias fuissent in cadauere Christi duæ subsistentiæ completæ, vna diuina Verbi Dei, altera creata cadaueris; quod videtur impossibile, quia cum quælibet subsistentia constituat naturam omnino incommunicabilem, illa subsistentia cadaueris non pateretur, aliquam partem eius, scilicet, materiam, communicari alieno supposito Diuino, tum quia in eo casu in eodem cadauere esset consequenter duplex suppositum, quod non est admittendum.

Multa obijcit *Conin. loco citato*, contra id, quod diximus, sub nomine corporis intelligi compositum ex materia, & forma, prout forma abstrahit à forma rationali, & forma cadaueris. Primum argumentum eius fit, quia hæc verba sunt practica, ergo necessario debēt versari circa rem determinatam, quia, sicut res indeterminata nullo modo potest produci, ita nullo modo potest practice significari. Secundum autem nostram sententiam verba significant corpus indeterminatum. Secundum argumentum fit, quia ex nostra sententia sequitur, non esse idem corpus Christi viuum, & mortuum, quod est contra patres communiter docentes, vt vidimus in fine secundæ conclusionis, idem corpus, & eandem carnem fuisse natam ex Virgine, datam Discipulis in cœna, & iacuisse in sepulchro. Tertium argumentum huius Doctoris fit, quia in nostra sententia supponitur, in corpore mortuo produci quandam formam substantialem, quæ vocatur cadaueris distincta ab ea, quæ constituit rationem corporis in corpore viuo, quod falsum putat iste Author. Primo, quia in corpore mortuo sunt eadem ossa, & eadem caro, & eadem accidentia, quæ existunt in corpore viuo, ergo in vtroque corpore remanet eadem forma corporeitatis. Secundo, quia sequeretur, cadauer Christi fuisse in se integrum suppositum ex verbo, & natura illa resultans, & consequenter istæ essent veræ propositiones; cadauer est Deus, & mundum condidit, & natum est ex Virgine, quæ tanquam absurda amandanda procul esse putat iste Author.

Ad primum tamen argumentū Conin. respondetur, nullum effectum in rerum natura produci posse, imo neque practice significari, quin sit singularis, & determinatus, hac enim ratione intelligitur commune illud proloquium Philosophorum, actiones sunt singularium iuxta probatam doctrinam nobilium Theologorum. Veruntamen illud argumentū non habet vim contra nos, qui dicimus, produci quendam modum substantialem in corpore Christi per transsubstantiationem, qui quidē modus singularis est in se, & determinatus, & de facto semper producitur in corpore Christi singulari, aut determinate viuo, aut determinate mortuo, non tamen modus conuenit illi, quatenus viuum est determinate, aut mortuum,

tuum, sed quatenus abstrahit à corpore viuo, & mortuo; quod vnico exemplo aperte demõstratur. Videre enim, aut tãgere accidẽtia sunt singularia, & tamen non conueniunt homini propter rationẽ specificam, neque propter rationem indiuidualem hominis, sed propter rationem genericam animalis. Deinde responde tur eidem argumento, verbum illud corpus contentum in consecratione panis habere significationem practicam, & efficere id quod significat, scilicet, corpus organicum humanum, quia hoc efficit nempe contentum sub speciebus consecratis esse corpus organicum humanum; nec valet quod significat corpus Christi in communi, ergo eo modo debet illud producere, quia significat illud practice. Nam ad hoc dicimus negandam esse consequentiã, sed satis esse eam rationem generalem contractam cum alijs particularibus produci. Ad secundũ argumentum patet ex his, quæ diximus in hac quæstione in resolutione primi quesiti. Ad tertium argumentum Conin. quoad singulas partes satisfaciamus. Ad primam dicimus, in corpore mortuo in rigore philosophico loquendo non esse eadem accidẽtia, quæ erant in corpore viuo, quia hæc subiectantur in toto composito, cum non detur quantitas coæua materiæ, totum autem compositum viuum distinctum est à mortuo propter diuersas formas in formantes hominẽ viuũ, & hominẽ mortuum. Ob quam rationẽ etiã in rigore philosophico diuersa sunt ossa, & diuersa caro in homine mortuo, ac erant in homine viuo, licet iuxta receptũ modum loquendi: sicut dicitur idem homo mortuus, & viuus, ita vtriusque dicũtur eadẽ ossa, eadẽ accidentia, & eadem caro. Ad secũdã tertij argumenti partẽ respõdetur, cadauer Christi fuisse vnitũ Verbo Dei, vt vidimus in quarto quæsito. Vnde in illo triduo mortis Christi illæ essent vere propositiones: cadauer est Deus, & mundũ condidit. Alia vero propositio: cadauer natum est ex Virgine, minime esset vera, quarũ propositionũ differentiæ ea ratio est, quia esse Deũ, & esse conditorẽ mundi, sunt idiomata conuenientia Verbo Dei ratione sui. Vnde illa recte potest cõmunicare cadaueri sibi vnito. At verò illud idioma, natũ esse ex Virgine, non conuenit Verbo Dei ratione sui, sed ratione humanitatis viuæ, quã sibi vniuit, quã quia tunc in triduo nõ habebat sibi vnitã, ideo idiomata eius humanitatis non possent cadaueri cõmunicari. Præterea etiã si Verbum diuinũ simul haberet sibi vnita hæc duo humanitatẽ, & cadauer, non posset dici cadauer natũ ex Virgine, sicut dicitur hominem natum ex Virgine: quia vna natura creata alteri non cõmunicaret tunc aliquam subsistentiam (sicut cõmunicat Verbũ naturæ humanæ) ratione cuius ei tribuere, & ab ea accipere posset cõmunicationem idiomatũ, quemadmodum, in eo ca-

A su, quo Verbũ diuinũ esset vnitũ naturæ rationali, & irrationali (quod fieri, nullã implicat cõtradictionẽ) cõmunicatio idiomatũ ab vna natura earũ proueniens Verbo non posset conuenire alteri naturæ, etiam in concreto sumptæ (hac enim ratione, loquimur de natura, quia eo tantum modo verificatur communicatio idiomatum). Et hoc propter rationẽ supra allatã.

QVAESTIO XX.

Qua ratione quantitas, & cætera accidentia sint cum corpore, & sanguine Christi in hoc sacramento?

B Hæc quæstio vnum quærit, & alterũ supponit. Quærit quo modo accidentia Christi sint cũ eius corpore, & sanguine, & supponit ea esse cum corpore, & sanguine Christi.

Circa id, quod supponitur, non omnes eodẽ modo loquuntur. Quidã enim, vt *Durand. in 4. dist. 10. quæst. 2. nu. 7.* asserunt, totam substantiam Christi esse in hoc sacramento, non tamen eius quantitatem: sed hanc remanere in cœlo. Alij verò vt *Gabriel ibidem q. vnica ar. 2.* sentit substantiã Christi in hoc sacramẽto esse cũ quantitate, & omnibus suis accidẽtibus, sed quãtitatẽ nõ tribuere corpori Christi esse quãtũ, prout est in Eucharistia. Quod probat Gabriel, quia corpus Christi in Eucharistia nõ habet partes extra partem secundũ locũ, quod dicit esse effectũ formalẽ quantitatis. Vera tamẽ sentẽtia est, corpus, & sanguinẽ Christi in Eucharistia habere eandẽ quantitatẽ, quã habet

C in cœlo, ita vt per eam sit ibi extensum in ordine ad se, & habeat partes extra partes, modo tamen indiuisibili, ita vt totũ corpus Christi sit in tota quantitate specierũ, & totũ in qualibet parte. Ita docent. *D. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 4. Bonauent. in 4. dist. 10. p. 1. dist. art. 1. quæst. 2. Sot. q. 1. art. 4.* Hæc conclusio diuersis rationibus probatur à diuersis Doctoribus: quas non est necesse referre. Sed tamẽ sufficiat, eã duabus rationibus confirmare. Prima sit inhũc modũ, quia cũ corpore Christi est sub speciebus panis sanguis Christi, vt supra ex *Cõcil. Tri-*

D *dẽt.* vidimus esse de fide, & Durãd. nõ negat, ergo multo potiori iure erit cũ corpore Christi quãtitas eius, quia hæc multo magis est intrinseca, & inseparabilis à corpore, quã sanguis. Secundo probatur ratione, quia vel quantitas non distinguitur à re quanta realiter, vel sane distinguitur. Si non distinguitur, certum est, esse cum corpore Christi in Eucharistia, & vbicumque sit, quia quod est idem realiter cum aliqua re necessario est, vbicumque resilla sit; non enim potest res aliqua separari etiam diuina virtute à se ipsa, quod

si ali-

si aliquis dicat quantitatem distingui realiter à re quanta, vt re vera distinguitur secundum communem, & veram sententiam, in eo casu facile probatur, quantitatem esse cum corpore Christi in Eucharistia, quia vt vidimus in præcedenti quæstione in sacramento Eucharistiæ non est sola materia prima coniuncta animæ, sed etiam caro, iuxta illud *Ioannis 6. panis, quem ego, dabo caro mea est, &c.* Imo etiam manet in Eucharistia sub speciebus sacramentalibus corpus organicum eo modo, quo explicatum est in præcedente quæstione, sed corpus organicum non potest subsistere sine quantitate, ergo corpus Christi in hoc sacramento afficitur propria quantitate. Quod autem corpus organicum ad sui constitutionem necessario requirat quantitatem, ex eo patet, quia corpus organicum est illud, quod constat oculis, manibus, & aliis partibus distinctis inter se: sed secundum satis probabilem opinionem defendentem substantiam corpoream non habere extensionem ex se vllam sine quantitate, corpus Christi sine quantitate non haberet caput, aut pedes, aut aliquam aliam partium distinctionem, ergo nō esset organicum. Confirmatur hæc resolutio seclusis diuersis opinionibus circa extensionem prouenientem substantiæ à quantitate, quia ea omnia quæ sunt in corpore Christi secundum se modo, absolute, & sine ordine ad aliquem locum, conueniunt corpori Christi vbicumque sit, quia corpus Christi vbicumque sit, habet ea omnia, quæ requiruntur ad eius perfectionem. Huiusmodi autē est quantitas secundum suam essentiam, vt statim dicemus, ergo quantitas comitatur corpus Christi, etiam dum est in hoc sacramento. Et eadem ratione affirmandum est, sanguinē existere sub speciebus vini cum sua propria quantitate, cum enim probatum sit, corpus Christi existere sub speciebus panis cum sua propria quantitate, cur idem denegabimus sanguini Christi, cum nō dispar, sed potius eadē vtriusque appareat ratio?

3 Vt vero ad id, quod quæritur in præsenti quæst. gradū faciamus. Ante oculos proponēdum est, in quātitate duo reperiri. Primū, extensionem partium secundum se consideratā, & sine ordine ad locum, & sine sufficienti fundamento ad fundandas relationes propinquitatis, æqualitatis, aut inæqualitatis in ordine ad aliud corpus. Et huiusmodi extensio est de essentia quantitatis. Secundū, quantitatis quēdam modum (quia enim non potest extensio in ordine ad locum separari ab extensione in ordine ad se, dicitur illa prior extēsio modus) medio quo quantitas respicit locum, & redditur capta sufficiēter, vt possit occupare locum, & possit esse distans ab alia quantitate, & esse æqualis, vel inæqualis illi, quæ quidem extensio localis est propria passio quantitatis, à qua optime potest quantitas separari diuina virtute, quia in hoc nulla apparet repugnantia.

His suppositis sit prima conclusio. Corpus Christi, quod est in sacramento Eucharistiæ totum in toto, & totum in qualibet parte, habet in eo sibi adiunctam essentiam quantitatis, nō vero illum modum extensionis localis. Probatur, quia cum essentia quantitatis consistat solum in extensione partium secundum se sine ordine ad locum, etiamsi corpus Christi sit in diuersis locis: vt in cœlo diuisibiliter, & replēdo locum, hic verò indiuisibiliter, & non replendo illum, quantitas debet comitari corpus Christi vbicumque sit, nam ea, quæ sunt in aliquo corpore, vt postea patebit, absolute, & sine respectu ad locum, si semel cum illo sunt in aliquo loco, debent illud comitari vbicunque sit. Huius generis est quantitas, seu extensio partium in ordine ad se, quæ, quia conuenit corporibus independenter à loco, id eo conuenit illis, vbicunque inueniantur. Ea verò, quæ habent respectum proximè ad locum, vt modus ille extensionis localis; cuius proxime meminimus, non semper comitantur corpus, sed in eo tantum casu, quo in loco continetur modo diuisibili: ita vt pars corporis sit in parte loci, & totum in toto, ergo corpus Christi, dum existit sub speciebus sacramentalibus, non retinet modum extensionis localis, quia existit indiuisibiliter, scilicet totum in toto, & totum in qualibet parte, at vero retinet quantitatem, & extensionem in ordine ad se. 4

Superest autem modo difficultas. Vtrùm quantitas, & alia accidentia sint in corpore Christi ex vi verborum, vel tantum per concomitantiam. 5

In qua difficultate Durandus sentit, in corpore Christi existēte in Eucharistia nullo modo manere quantitatem, neque ex vi verborum, neque per concomitantiam. Quam sentētiam aliqui dicunt esse hæreticam, alij erroneam, vt indicauit *Suarez 3. tomo in 3. parte disp. 51. sect. 2.* Nos tamen dicimus, eam sententiam non esse hæreticam, quia non est contraria expressæ diffinitioni Ecclesiæ, neque alicui loco Sacræ Scripturæ, quod necessarium videtur ad hæresim constituendam: neque contrariū sententiæ Durandi necessario colligitur ex diffinitione aliqua Ecclesiæ, vel ex aliquo loco Sacræ Scripturæ, quare sententia Durandi non est erronea. Quia ad hoc, vt aliqua sentētia sit erronea requiritur, vt eius contrarium necessario colligatur ex definitione aliqua Ecclesiæ, vel ex aliquo loco Sacræ Scripturæ, nihilominus tamen prædicta sententia Durandi temeraria videtur, quia est contra sententiam omnium doctorum. 6

Ægidius quodlibeto 1. q. 4. vers. Quarta antē difficultas. Enriquus quodlib. 1. quæst. 5. sentiūt, quātitatem esse in hoc sacramento non quidem ex 7

vi ver-

vi verborum,ſed per concomitantiam. Probatur hæc ſententia,quia illud tantum debet eſſe in hoc ſacramento ex vi verborum, in quod per ſe fit conuerſio,ſed conuerſio nō fit in accidentia,ſed in ſolam ſubſtantiam, ergo accidentia non ſunt ex vi verborum. Secundo probatur,quia id,quod conuertitur, eſt ſola ſubſtantia, & non accidentia, nempe ſubſtantia panis,& ſubſtantia vini,ergo non conuertitur in accidentia corporis aut ſanguinis Chriſti, ſed in meram ſubſtantiam. Tertio probatur ex *Concilio Tridentino ſeſſ*. 13. *cap*. 4. Vbi aſſerit, in hoc ſacramento fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Ergo non fit in accidenria ex mente Concilij, alias Concilium illud nobis ſignificaſſet. Vltimo probatur, quia tranſſubſtantiatio eſt productio termini ſubſtantialis,in quem quidem fit conuerſio;ſed ſola ſubſtantia primarie producitur per conuerſionem,& accidentia tātum producuntur ſecundarie,ergo accidentia tantum ſunt ſub ſpeciebus ſacramentalibus per concomitantiam.

8 Sit ſecunda concluſio. Quantitas corporis Chriſti in vniuerſum conſiderata, & prout præſcinditur à corpore Chriſti mortuo, & viuo,cōtinetur ſub ſpeciebus panis ex vi verborum,& non per concomitantiam:hæc verò, aut illa quantitas in particulari,ſcilicet quantitas corporis viui, vel mortui tantum eſt per cōcomitantiam ſub ſpeciebus panis ad eum modum,quo in præcedenti quæſtione locuti ſumus de corpore organico humano. Probatur hæc concluſio hac vnica ratione, quia ſub ſpeciebus panis ex vi verborum conſtituitur corpus Chriſti organicum,vt probauimus in quæſtione præcedenti, quod quidē illud eſt, quod habet partes diuerſas, ac diuerſæ rationis, vt carnem mollem; & oſſa dura, &c. quæ in ea quæſtione explicuimus requiri ad rationem corporis organici:Hæc autem tanta diuerſitas partium nequit comprehendi à nobis ſine quātitate aliqua in communi concepta, ergo hæc quantitas communis eſt in hoc ſacramento ſub ſpeciebus panis ex vi verborum. Et idē, quod dicimus de quantitate,affirmandum etiam eſt de alijs accidentibus, quæ per ſe etiam requiruntur ad conſtituendum corpus organicum; nā diuerſum tēperamentū caloris, & raritatis petit verbi gratia caro, ac os, ergo huiuſmodi accidentia etiam exiſtent ſub ſpeciebus panis adiuncta corpori Chriſti ex vi verborum. Ex eo autem hæc,aut illa quantitas,hæc aut illa accidentia in ſingulari conſiderata non ſunt ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, ſed tantum per concomitantiam, quia diuerſa quidē ſunt accidentia, quæ afficiunt corpus Chriſti viuū, & quæ afficiunt illud mortuum. Et quemadmodum corpus Chriſti viuum in particulari, vel mortuum in particulari remanet tantum

A ſub ſpeciebus panis per concomitantiam, ita etiam quantitas, & alia accidentia particularia,quæ comitantur corpus viuum, vel mortuum,tantum exiſtunt ſub ſpeciebus per concomitantiam. Quod vt melius intelligatur,luſtranda ſunt oculis ea,quæ notata ſunt in præcedenti quæſtione.

Maxime autem aduertenda eſt ratio diſcriminis,quantum ad hoc propoſitum,inter corpus,& ſanguinem Chriſti, quanuis enim ſub ſpeciebus panis ſimul cum corpore Chriſti remaneant ex vi verborum quātitas, & alia multa accidentia requiſita ad rationem corporis organici,quia alio modo non poteſt eſſe vera forma conſecrationis panis, Hoc eſt corpus meum cùm nomine corporis comprehendatur B corpus organicum, vt vidimus in præcedenti quæſtione, attamen ſub ſpeciebus vini non exiſtit ſimul cum ſanguine Domini Ieſu ex vi verborum quantitas, aut aliquod aliud accidens,quia id non eſt neceſſarium ad ſaluādam veritatem formæ conſecrationis, quia in ea nomine ſanguinis intelligitur ſubſtantia ſanguinis tantum,ad quam conſtituendam nō eſt neceſſarium aliquod accidens,quemadmodum etiam ſub nomine hominis non intelligimus aliquod accidens, ſed ſolam eius eſſentiā ſitam in eo,quod ſit animal rationale. 9

Prædicta ſufficientem materiam præbent diſſoluendi argumenta in oppoſitum adducta. 10 Primū enim ex eo ſoluitur, quod quantitas,& alia accidentia neceſſaria ad cōſtitutionē corporis C organici ſunt terminus per ſe, & nō per accidens,aut per cōcomitantiā huius tranſſubſtantiationis eo modo,quo proxime explicuimus. Secundum etiam argumentum ex eo ſoluitur,quia licèt ſubſtantia ſola panis conuertatur in hoc ſacramento in corpus Chriſti, & minime eius accidentia conuertantur, quia integra perſeuerant, at vero conuerſio fit in ſubſtantiam corporis Chriſti & ſimul etiam in accidentia eius,quia conuerſio fit in corpus organicum,quod neceſſario reſultat ex ſubſtantia, & accidentibus. Tertium argumentum ex eo facile eneruatur,quia,licèt Concilium Tridentinum tantum explicauerit illud,in quod præcipue fit conuerſio, ſcilicet ſubſtantiam, non verò accidentia,quæ minus nobilem locum obtinent D in hac conuerſione,non tamen negauit, accidentia eſſe terminum huius conuerſionis, quinimo potius illud aliquo modo ſignificauit,dum dixit,in hoc ſacramento fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti,nam ibi per corpus intelligit corpus organicum,quod abſque accidentibus non coaleſcit. Ad quartum argumentum reſpondetur,tranſſubſtantiationem eſſe quidem veram actionem,& reſpicere tanquam terminum ad quem corpus Chriſti organicum, & ſanguinē eius ſub modo illo ſubſtantiali, (quē

ſupra

supra explicuimus, quæst. 14.) repugnante substantiæ panis, & vini; qui quidem modus quia requirit vt afficiat corpus Christi, illud esse organicum, & ad rationem corporis organici exigit quantitatem & alia accidentia supra explicata, ideo efficit corpus organicum, & dicta accidentia esse terminum transsubstantiationis.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm totus Christus sit sub qualibet parte specierum tam panis, quam vini?

1 TRiplex potest diuisio cõsiderari in speciebus huius sacramenti. Prima ita vt ante consecrationem sint plures species diuisæ inter se, vt contingit cum plures sunt hostiæ: & quælibet species seorsum consecratur; & secundum istam considerationem certum est sub qualibet specie ex prædictis contineri totum Christum, quia verba sunt legitima, & supra legitimam materiam prolata; & intentio ministri non desideratur, vt supponimus, ergo ex nullo capite impeditur effectus consecrationis. Secunda diuisio potest cõsiderari, ita vt sint plures hostiæ consecrandæ, & supra eas omnes proferatur eadem forma verborum. Qua ratione etiam certum esse debet, omnes hostias manere consecratas, quia licet constituantur plura sacramenta, & forma consecrationis sit vnica, hoc tamen nullam inuoluit implicationem, quia, vt supra vidimus, de essentia huius sacramenti, quod consistit in facto esse; & inesse quodam permanente, nequaquam est forma illa verborum, quæ continuo fluxu pertransijt. Vnde verba consecrationis respectu eius sacramenti tantum obtinent locum causæ efficientis: vnica autem causa efficiens optime potest plures effectus operari. vt idem pater generat plures filios, & idẽ Sacerdos baptizat plures paruulos. Tertia diuisio specierum sacramentalium contingit, cum hostia semel consecrata in plures particulas diuiditur. Qua ratione secundum fidem certum est, in qualibet parte hostiæ contineri totum Christum. Quod probatur primo ex facto Christi, quod quidem imitatur Ecclesia, dũ in Missæ sacrificio post peractam consecrationem prius diuidit sacramentum Sacerdos in plures partes, & postea singulas sumit, supponens in eo facto manifeste totum Christum sub qualibet particula hostiæ contineri, aliàs, si Christus in illis diuisis non contineretur, prius sumeret Sacerdos hostiam, quàm diuideret. Secundo probatur eadem doctrina Catholica *Ex Canone singuli, de consecrat. distinct. 2. &*

A *canone, qui manducat, eadem distinct.* & hæc veritas est *definita ab Eugenio IIII. in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post vltimam sess. §. Tertium est.* & nouissime in *Trid. sess. 13. canone* 3. his verbis; *si quis negauerit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, Anathema sit.* Verba illius Canonis; singuli, allegati hæc sunt, *singuli autem totum accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se in singulis præbet.*

2 Quidam Doctores existimarunt, totũ Christum esse in tota Eucharistia, & totum in singulis eius partibus, istas tamen partes, in quibus est Christus, esse partes quasdam determi-B natas, & finitas, nempe eas solum, in quibus separatis substantia panis, & vini conseruari posset, non vero esse in particulis quãtumuis paruis, in quibus panis, aut vinum, si separatæ essent, non possent retinere suum esse. Ita sensit *Alexand. 4. part. quæst. 10. membro 7. art. 3. § 5. & Diuus Bonauent. in 4. distinct. 10 p. 1. distinctionis, art. vnico, quæst. 5.* & quidam Neotericus. Fundamentum huius sententiæ est, quia Christus non alio modo est in partibus specierum Eucharistiæ ante diuisionem earum, ac postea, sed post diuisionem nõ potest esse Christus sub qualibet parte, etiam minima, sed tantum sub illa, sub qua panis posset conseruari, qui non potest in quauis minima parte separata cõseruari, vt supra docuimus, ergo etiam C ante diuisionẽ non erit Christus sub tali parte, sed sub ea tantum, sub qua, si separata esset, posset panis conseruari.

3 Sit tamen prima conclusio. Totus Christus est in tota Eucharistiæ quantitate, & totus in qualibet parte quantumuis parua ante diuisionem, & separationem partium inter se; ita sentiunt *D. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 3. Marsil. 4. quæst. 7. art. 1. ad 4. rationem, & Dominicus Sotus 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. & Vazq. tom. 3. in 3. p. disp. 188. cap. 3.* & alij plures. Hanc conclusionem negare non esset Hæreticum, esset tamen temerarium, & erroneum, eo quod ex principijs fidei manifeste deducitur. Non est autem Hæreticum, quia non est ab Ecclesia adhuc definitum Christum esse in singulis D partibus Eucharistiæ ante diuisionem earum, quia cum Concilium repetit in canonibus, & sub anathemate, id quod in capitibus simpliciter, & sine aliqua damnatione definierat, in eodem prorsus sensu idem vtrobique definit, sed *in canone 3. sessionis 13.* definit Concilium Trident. Christum esse in singulis partibus Eucharistiæ post separationem, quia de illo fuerat Hæresis, ergo cum ibidem *cap. 3.* definit absolute totum Christum esse in singulis partibus, intelligit post separationem partium, & non antea, quia de tempore ante separationẽ non

non fuerat exorta aliqua hæresis, & ideo non erat necesse aliquid definire. Sed tamen oppositam sententiam, scilicet quod ante separationem non sit Christus sub qualibet parte etiam minima, erroneam esse, probatur hac ratione, quoniam vel in aliqua minima parte alicuius hostiæ consecratæ, in qua si separata esset, forma panis, vel vini conseruari non posset, est totus Christus, vel aliquid Christi, vel nihil, si totus quid opus est contentione, iam habemus, quod intendimus, si vero dicatur esse aliquid Christi, & non totum Christum, sequitur hoc absurdum; id est quod totus Christus est in toto sacramento, & pars in parte, ac proinde non esse modo indiuisibili. Sequitur præterea, cum diuiditur pars illa, sub ea non existere totum Christum, sed partem eius, sicut ante diuisionem contingebat, quia cum non aduenerit noua consecratio, non erit ibi totus Christus in ea parte diuisa, si antea non erat. Quod si respondeant, authores oppositæ sententiæ, in illa minima parte nihil Christi esse, eius responsum ex eo poterit impugnari, quod idem posit affirmari de alia minima parte ei adiuncta, & de alia, ac alia sequenti, ita vt eodem modo colligatur, in tota illa quantitate panis, aut vini nihil Christi esse. Sed hæc omnia, quæ intulimus ex doctrina oppositæ sententiæ, aperte sunt contra fidem, ergo illa sententia erronea est. Deinde deducitur falsitas huius sententiæ ex eo, quia sub eisdem speciebus, & sub qualibet parte earum, sub qua erat substantia panis ante cõsecrationem, subsistit corpus Christi post consecrationem, sed ante cõsecrationem in qualibet parte etiam minima aliis partibus adiuncta existebat substantia panis, vt ex se patet, quia quælibet illa pars dicitur panis, ergo etiam in eadem post consecrationem existit corpus Christi?

4 De pũctis verò, superficiebus, & lineis hostiæ consecratæ difficultas est, an ea contineant in se Christum. Quidam defendunt totũ Christum esse sub his indiuisibilibus, Ita *Capreolus in 4. dist. 10. quæst. 4. art. 3. ad secundum Scoti contra primam conclusionem, Dominicus Sotus in 4. d. 49. quæst. 4. art. 6. §. vnde ad argumenta Durandi, & nouissime Nuño in 3. part. D. Thom. quæst. 76. art. 3.* Probatur primo hæc sententia, quia Christus existit in hoc sacramento, quemadmodum Angelus existit in loco, scilicet modo indiuisibili, sed Angelus est totus etiam in indiuisibilibus loci, aliàs eius præsentia non esset continua, si tantum esset in partibus, & nõ esset indiuisibilibus, quæ mediant inter partes, ergo etiam Christus est in diuisibilibus hostiæ consecratæ, ad hoc vt eius præsentia cõtinua sit. Secundo probatur, quia Angelus nõ solum coexistit nostro tempori, sed etiam cuilibet instanti eius, etiam si indiuisibile sit secundum durationem, quam ob causam de Angelo

A verificatur permanere in instanti, & in tempore, ergo eodem modo affirmandũ est, Christum non solum coexistere partibus quantitatis hostiæ, sed etiam omnibus eius punctis, etiã si sint indiuisibilia secundum extensionem. Vltimo probatur hæc sententia, quia Christus existit sub speciebus sacramentalibus modo indiuisibili, recte ergo potest existere sub indiuisibilibus earum specierum, cum proportionem habeant inter se modus in diuisibilis Christi, & punctum indiuisibile specierum cõsecratarum.

Secunda conclusio, Christus non existit in indiuisibilibus hostiæ consecratæ, sed tantum in partibus diuisibilibus eius. Hanc conclusionem pro viribus tuetur *Vazquez 3. tomo in 3. p.* B *disp. 188. cap. 4.* Probatur primo, quia substantia corporis, & sanguinis Christi succedit loco substantiæ panis, & vini, ergo vbi substantia panis, & vini non erant ante consecrationem, non erunt post consecrationem corpus, aut sanguis Christi, sed in indiuisibilibus hostiæ non consecratæ, non subsistebant substantiæ panis, & vini, nequaquam enim affirmare possumus punctum, lineam, aut superficiem panis esse panem, ergo in eisdem indiuisibilibus quantitatis remanentis in hostia consecrata negandum est Christum subsistere. Quæ resolutio etiam in eo casu vim habet, quo dicamus substantiam ratione sui, ac præcisa quantitate habere partes, & indiuisibilia, nam tunc etiam verum esset dicere, indiuisibilia substantiæ quæ correspõderent indiuisibilibus quan- C titatis nullo modo esse substantiam, ergo etiã si indiuisibilia substantiæ essent in indiuisibilibus quantitatis, non tamen ex hoc sequeretur in illis indiuisibilibus quantitatis existere Christum. Secundo probatur conclusio alia ratione, quam vt efformemus, supponẽdum est, cum vna hostia diuiditur in duas partes resultare duas hostias, & fieri duo extrema, id est duo puncta, quorum quodlibet diuidit vnam hostiam ab alia, licet antea quando duæ illæ hostiæ erant coniunctæ, tãtum esset vnicum punctum, quo illæ duæ partes in vnam hostiam cõueniebant. Hoc supposito sic procedit secunda ratio, si Christus esset in indiuisibilibus pũ- D ctis hostiæ consecratæ ante eius in varias partes diuisionem, sequeretur manifeste facta diuisione specierum Christum de nouo incipere esse in illis duobus extremis punctis, quæ ex diuisione resultarunt, licet antea in illis non esset, quia ante diuisionem illa puncta non erant, vt supposuimus, quia per diuisionẽ producta sunt: hoc autem absurdum est, nam sine noua consecratione non potest esse Christus, vbi antea non erat, sed in hoc casu nulla noua contingit consecratio in illis punctis, ergo in illis non potest constitui corpus Christi. Tertio confirmatur conclusio, quia vt vidimus in prima

prima conclusione huius quæstionis, *Concilium Tridentinum sess. 13. can. 3.* Definit corpus Christi esse sub partibus separatis specierum, ergo sentit non esse sub aliquibus indiuisibilibus, aliàs id explicuisset concilium. A

6 Verumtamen, an de potentia Dei absoluta possit Christus existere in indiuisibilibus quãtitatis, sub iudice lis est, & in ea non audent au thores certam resolutionem ostendere, sicut nec in ea, an Angelus possit esse in indiuisibili loci, vnde licet non audeant certam pronuncia re sententiam, attamen nulla mihi apparet repugnantia, ob quam Deus non possit, hæc duo efficere. Quinimo potius indiuisibile quantitatis proportionem habere videtur cum eo modo indiuisibili, quo corpus Christi existit in sacramento, & Angelus existit in loco.

7 Ex his non erit difficile, satisfacere argumẽtis oppositis adductis in confirmationem sententiæ Capreoli. Ad primum respondemus, Angelum esse præsentem in partibus diuisibilibus loci, nõ in indiuisibilibus eius, cuius probatio ad aliam materiam attinet, nihilominus tamen eius præsentiam appellari continuam lato modo, ad quod sufficit, Angelum existere in partibus loci diuisibilibus, quæ inter se continuæ sunt. Et eadem ratione dicimus, corpus Christi non esse in indiuisibilibus hostiæ consecratæ, eius tamen præsentiam sub speciebus continuam appellari, quia species ipsæ continuæ sunt. Ad secundum argumentum dicimus, Angelum coexistere quidem nostro tẽpori, & etiam instãtibus nostri temporis, quia hæc instantia etiam sunt durationes saltem indiuisibiles, & si Angelus in eis instantibus nõ existeret, eius duratio non esset continua proprie, & in rigore, vt requiritur. Quare in quolibet instanti non haberet esse, & in qualibet parte temporis haberet esse, si non coexisteret instantibus, quod absurdum est. At vero, quia indiuisibilia corporis non sunt corpus, id eo in eis non existit Angelus, neque est inconueniens, hanc præsentiam Angeli non esse in toto rigore continuam. Sicut esset inconueniens, durationem Angeli non esse in toto rigore continuam, quia illud inconueniẽs, quod intulimus ex eo, quod duratio Angeli non esset perfecte continua, non potest inferri ex eo, quod præsentia Angeli in loco non sit perfecte continua. Propter quas rationes eodem modo dicimus, corpus Christi coexistere partibus temporis, & eius indiuisibilibus, non tamẽ subsistere sub indiuisibilibus specierum panis, licet subsistat sub earum partibus diuisibilibus. Ad tertium argumentum dicimus, indiuisibilia puncti, lineæ, & superficiei esse indiuisibilia quantitatis, at vero modum indiuisibilẽ Angeli, & corporis Christi esse indiuisibilitatem substantiæ, vnde vna indiuisibilitas non respicit alteram, neque coexistit alteri. B C D

QVAESTIO XXII.

Vtrùm idem corpus Christi possit esse in diuersis locis simul?

Dupliciter aliquod corpus potest esse in loco, vno modo quantitatiue, & diuisibiliter, ita vt totum corpus correspondeat toti loco, & pars corporis parti loci, vt nos modo sumus in Gymnasio, alio modo indiuisibiliter, ita vt totum corpus sit in toto loco, & totum in qualibet eius parte; sicut Angelus est in loco, & anima est in nostro corpore: nam tota anima est in toto corpore, & tota in qualibet parte pedis, manus, &c. Et quidem aliqui Theologi in duplici sensu hanc quæstionem exagitant, nempe, an idem corpus possit esse simul in pluribus locis diuisibiliter de potentia Dei absoluta, licet non de ordinaria, & an possit esse in pluribus locis indiuisibiliter, & in primo quæstionis sensu nõ immorabimur, tum quia ad nostros auditores moralem Theologiam sectantes non attinet, tum, quia ad Philosophos pertinet. Circa quod duæ sunt probabiles sententiæ, altera affirmans, altera negans; & negans mihi, quia est *D. Thom. quodlibet. 3. art. 2. & in 4. dist. 44 quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad 4.* magis probatur. (Vnde in secundo sensu tantum quæstionem examinabimus) quam quæstionem in primo sensu, vt ad Philosophos attinentem hic aliqui omittunt, & nos omittendam censuimus. 1

Circa quem sensum quæstionis hæretici cõtendunt, idem corpus non posse esse simul in diuersis locis vlla ratione, vt probent Christi corpus, quod est in Cœlo modo extenso, non posse esse in Eucharistia etiam modo inextenso. Huiusmodi sunt *Caluinus in vltima admonitione ad Vvestphalum, & Ioan. Vviclef, apud Vvaldens. tomo 2. qui est de sacramentis. cap. 72.* Primum argumentum est Vviclefi. Quia impossibile est, idem corpus esse in diuersis temporibus simul, ergo etiam impossibile est, idẽ corpus esse in diuersis locis simul. Secundum argumentum desumptum est *ex August. epist. 3. quæ est ad Volusianum.* Vbi docet, nullum corpus totum posse esse simul vbique; si autem idem corpus totum esset simul in diuersis locis, posset etiam esse vbique. Tertium argumẽtum desumitur ex eodem *August. lib. 20. contra Faustum, cap. 11.* Vbi de Christo ita loquitur. *Simul, & in Sole, & in Luna, & in Cruce esse non posset.* Ergo sentit, idem corpus non posse esse simul in diuersis locis, aliàs Christus, & in Sole, & in Luna, & in Cruce esse posset. Quartum argumentum desumit *Caluinus ex illo Matth. vltimo non est hic, surrexit enim.* Inquit enim eam causam non esse bonam, si corpus simul esse 2

esse posset in diuersis locis. Quintum argumẽtum est Caluini desumptum ex Philosophia, quia si esse posset idem corpus in diuersis locis, primo sequeretur, idem corpus esse à se ipso diuisum, & ita esse plura. Secundo sequeretur, quod non esset in loco, quia quod est in loco, aut circũscribitur loco, aut definitur loco, taliter est in vno loco, quod non est in alio. Sextum argumẽtum est, quia ex opposita sententia sequeretur, idem corpus esse sursum, & deorsum simul; remotum, & proximum eidẽ rei: moueri, & quiescere: accedere ad vnum locum, & ab eo recedere: calefieri in vno loco, & in alio frigefieri: in vno loco mori, quia ibi sit vulnus inflictum lethale, & in alio viuere, quia in eo non sit vulneratus, & in vno loco esse in gratia, & in alio habere peccatum mortale. Quæ omnia manifestam indicant contradictionem, ergo corpus nullo modo potest esse in diuersis locis.

3 Pro veritatis Catholicæ explicatione notandum est in præsentiarum, duplex esse in corporibus accidẽtium genus. Aliud, quod omnino dependet à loco, & hoc non comitatur corpus, quocumque se conferat: vt vbi, & distantia localis, &c. Nam vbi, quod meum corpus hic habet, non habebit Romæ, & si ego hic distio ab alio corpore existente Romæ, hæc distantia non comitatur meum corpus, si sit postea Romæ, quia ibi erit proximum corpori, à quo antea distabat. Aliud vero est genus accidentium, quæ locum nullo modo respiciunt, neque dependent ab hoc, vel ab illo loco. Et hæc accidentia comitantur corpus virtute agẽtis naturalis, vbicumque sit, etiam si in pluribus locis constituatur, vt calor, frigus, & ægritudo, & alia huiusmodi eo ipso, quod sunt in vno loco cum corpore, sunt etiam in alio cum eodem corpore. Hæc doctrina latius disputatur à *Vazquez, 2. tomo in 3. part. disp. 192. cap. 3.* Vbi eleganter hæc ex *Tridentino probat sess. 13. cap. 3.* Vbi sanguinem esse dicit sub specie panis ex vi naturalis connexionis.

4 His ita suppositis sit conclusio de fide. Recte potest idem corpus diuina vi constitui in diuersis locis ita, vt in vno loco secundum extensionem localem, in alijs verò modo indiuisibili sit; sicut reuera nunc existit corpus Christi in cœlo cum extensione locali, & in sacramento Eucharistiæ modo indiuisibili. Quam conclusionem omnes Catholici defendunt cõtra hæreticos. Quæ facile probabitur à nobis, quia illud, quod non implicat contradictionẽ, Deus potest efficere. Hoc autem, quod vnum corpus sit in pluribus locis in vno cum extensione, & repletione loci, in alio sine ipsa, nullam implicat contradictionem, neque aliquod absurdum ex eo sequitur, ergo potest à Deo fieri. Secundo probatur Catholica conclusio ex doctrina Sanctorum Patrum. *Verba Chryso-*

A *stomi lib. 3. de sacerd. sub initium*, hæc sunt, *o miraculum? ò Dei benignitatem? qui cum Patre sursum sedes, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Verba *Gregorij Nysseni in orat. de pasch*, hæc sunt. *Sicut diuinitas replet mũdum, & tamen vna est, ita in innumerabilibus locis consecratur, & tamen vnum corpus est.* Verba, *Basylij in liturgia*, sunt hæc. *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri considet, & hic nobis inuisibiliter coes, & dignare nobis impartiri sacrosanctum tuum corpus, & pretiosum sanguinem. Ambrosij verba in Psalm.* 38. hæc sunt. *Christus ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur.* Tum *Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Hebræos.* Sic ait. *Vnum est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi*

B *sunt? nequaquam sed vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus: vnum corpus. Sicut enim, qui vbique offertur, vnum corpus est, & non multa: ita etiam vnum sacrificium.* Tertio probatur rationibus. Prima sit, nã esse corpus in aliquo loco præsens conuenit ei ratione cuiusdã præsentiæ localis, quæ est simplex quoddam, & determinatum accidẽs corporis, à quo realiter distinguitur corpus, imò, & separatur, & prius est illo. Quid ergo implicabit vnico manente corpore multiplicari præsentiam illam in eodem corpore. Quemadmodum non implicat, alia accidentia, vt duos calores, & duas albedines in eodem subiecto reperiri, præsertim quando illæ præsentiæ non sunt interse contrariæ, sed vna est diuisibilis, & alia in indiui-

C sibilis, ex hoc enim nullo modo sequetur, corpus esse vnum, & non esse vnum. Sicut enim idem corpus successiuè naturaliter adquirit diuersas præsentias, cur non poterit simul eas retinere per absolutam Dei potentiam? Secunda ratio sit, quia nulla ratio assignari poterit, quæ obesse possit corpori, ne sit in pluribus locis simul, in vno diuisibiliter, & in alio indiuisibiliter, non enim ei obest, quia vnicum est. Nam vt rectè notauit *D. Gregorius Nyssenus, in orat. de paschate.* Deus multo magis est vnus, & tamen totus est in plurimis locis: neque etiam obest, corpus illud esse finitum in sua perfectione, & existentia in pluribus locis videatur esse propria entis infiniti, nã contra est, quod, licet corpus esset in infinitis locis, non tamen

D propterea esset infinitum in perfectiõne, quia perfectio vniuscuiusque rei sumitur ex suo genere, & ex sua differentia. Hæc autem in eo corpore non variarentur, sed essent eadem, ac si corpus tantum esset in vnico loco. Vnde, & essent perfectionis finitæ, quia deberent pertinere ad aliquod prædicamentum, in quo tantum constituuntur entia finita. Quemadmodũ licet daretur aliqua linea infinitæ longitudinis, ea tamen non esset infinita in perfectione, quia non excederet limites speciei lineæ, quæ finita est secundum perfectionem. Vltimo confirmatur

firmatur, quia anima rationalis naturali sua virtute indiuisibiliter existit in diuersis partibus corporis. Quare ergo corpus per absolutam Dei virtutem non potest simul existere in diuersis locis, si in vno tantum existit diuisibiliter, & in alijs indiuisibiliter?

5 Quæret tamen aliquis, quî fieri possit, vt modus ille extensionis localis, quem corpus Christi habet in cœlo, re vera Insit in corpore Christi, & à corpore Christi re ipsa non separetur (vt certum sane est) & tamen non sit cum corpore Christi in Eucharistia, & sub speciebus panis? Respondetur cum *Vazquez loco citato, cap. 6.* Vbi quod Christus habet in cœlo, & quod est forma quædam inhærens Christi corpori ratione extensionis localis, determinare corpus Christi, ad hoc, vt ratione illius taliter sit in loco cœli, & in distantia illa, vt non sit in alio. Præter hoc tamen reperitur in Eucharistia hoc miraculum, quod producitur in corpore Christi modus quidam, medio quo coniungatur speciebus panis in quacumque distantia, & loco sint, & quia iste modus non inest corpori Christi media extensione ad locum, sed solum media essentia quãtitatis, hinc contingit, modum istum non coniungere extensionem localem corporis Christi (, & eadem est ratio de sanguine) cum speciebus, sed solam essentiam quantitatis, & substantiam corporis cum alijs, quæ ipsam quantitatis essentiam nudam, & solam, & substantiam corporis comitãtur, relinquat autem extensionẽ localem corporis Christi, quã debet locum implere in cœlo.

6 Ex his patet ad argumenta in oppositũ. Ad primũ dicimus, idẽ corpus nõ posse esse simul in diuersis tẽporibus, bene tamẽ posse esse in diuersis locis; ratio discriminis est, quia eo ipso, quod sunt diuersa tẽpora, petunt essentialiter sibi succedere, & nõ esse simul, cũ sint successiua, ac diuersa loca possunt simul cõuenire eidem corpori, quia in hoc nõ apparet aliqua repugnãtia. Ad secũdũ argumẽtũ, desumptũ ex epist. 3. August. respondetur August. tantũ voluisse totũ corpus nõ posse esse vbique retinẽdo extensionẽ localẽ, nõ tamẽ negat, posse esse vbiq; sine extensione locali, in eo tamen casu, quo corpus esset vbiq; sine extensione locali, nõ cõmunicaretur ei corpori immẽsitas, quę est attributũ Dei, medio quo Deus est vbiq;, quia immẽsitas, quæ est attributum Dei, est ea, quæ cõuenit Deo natura sua, & non est accepta ab alio, in prædicto autẽ casu esse vbique nõ conueniret corpori natura sua, sed peculiari Dei beneficio à Deo cõmunicato. Ad tertium argumentũ desumptum ex *August. lib. contra Faustũ 20. c. 11.* Respondetur, August. tantum contendisse, etiã de potentia Dei absoluta non posse vnũ corpus esse simul in pluribus locis secũdũ præsentiã diuisibilẽ, & extensam, quod

A satis probabile est. Ad quartũ argumentũ ex illis verbis Matthæi vltimo, nõ est hic, quia surrexit, respõdetur esse optimã consequentiam eã, quæ ibi continetur, vt optime docuit *Vazquez, loco citato c. 7.* Quia licet corpus Christi possit esse in pluribus locis diuina virtute etiã extensiue, vt extra sepulchrũ, & in sepulchro, tamen quia locus sepulchri solum est habitatio mortuorum, recte intulit Angelus, non esse Christum in sepulchro, quia surrexerat, vt quid enim maneret in loco mortuorum, qui iã vita fruebatur? Secũdo respondetur eidẽ argumento, esse bonam consequentiam illam, quam Angelus ostendit loquendo secundum extensionem localem, si enim secundum eam Christus erat extra sepulchrum, optime

B sequebatur, iuxta eandem præsentiam diuisibilem non existere in sepulchro, Christum autem quærebãt deuotæ illæ Mariæ in præsentia corporali, & visibili, vt eum alloquerentur, & oculis corporalibus cernerẽt. Ad quintũ argumẽtũ dicimus ex eo, quod corpus Christi sit in diuersis locis in vno loco diuisibiliter, & in aliis indiuisibiliter, nõ sequi corpus Christi esse à se ipso diuisum, sed tantũ sequi propriè ei cõuenire diuersos modos existẽdi in rerũ natura, alterum cum extensione locali in cœlo, alterũ in sacrosancto Eucharistiæ sacramento sine extẽsione locali. Neq; præterea sequitur, Christũ non esse in loco, & esse in loco, nam quod aliquod corpus sit in vno loco definitiue, id est indiuisibili modo, & circũscriptiue, id est mo-

C do diuisibili, tantum includit hoc quod est adæquate correspõdere alicui loco, nõ vero ex eo sequitur, tale corpus nõ esse in alio loco, vel si id sequitur, tãtũ sequitur secũdũ legẽ Dei ordinariã, nõ vero secũdũ legẽ extraordinariã, & potentiã Dei absolutã. Ad sextũ argumentum respondemus corpus Christi, prout est in Eucharistia, nõ habere rationẽ sui quod existat in loco, neq; quod existat sursum, & deorsum, neq; ei conuenire esse proximũ, aut remotũ alicui corpori, neq; ratione sui moueri, aut quiescere, accedere ad aliquem locum, vel ab eo recedere: omnia enim hæc tantum verificantur de corpore Christi ratione specierum, & nullum est inconueniens, corpus Christi ratione sui in

D cœlo quiescere, & ratione specierum sacramẽtaliũ, quibus adiunctũ est in Eucharistia, localiter moueri, ex hoc enim nullatenus infertur, ipsum corpus Christi moueri in se ipso, sed moueri species sacramẽtales, quibus ipsum coniunctum est. Ad idem etiam sextũ argumentũ respondetur, accidentia absoluta, & non dependentia à loco, vt mortem, vitã, gratiam, & peccatum, frigus, & alia huiusmodi comitari corpus vbicunque sit, quare ea accidentia ex his, quæ non pendent à loco, quæ conueniunt corpori Christi in cœlo, etiã conueniũt ei in Eucharistia, neque ex hoc sequitur aliqua repugnan-

pugnantia, nám sicut in cœlo nō potest habere accidentia contraria, ita etiam neque in hoc sacramento potest ea retinere.

Pro perfectiori tamen huius quæstionis cōprehensione aliquæ subijciendæ sunt conclusiones.

7 Secunda cōclusio. Secundum potentiā Dei ordinariā existentia corporis Christi, quæ reperitur in hoc sacramēto, dependet ab ea, quā Christ⁹ habet in cœlo, ita vt corrupto, vel annihilato Christo in cœlo, etiā hic eū annihilari, vel corrūpi necesse sit, ita expresse *D. Th. 3. p. q. 76. art. 6.* Quem in hac parte sequuntur communiter Thomistæ. Probatur hac vnica ratione, quia idēmet corpus Christi, quod est sub speciebus sacramētalibus, est etiā in cœlo, & quoad suam substantiā eadem actione cōseruatiua conseruatur vtrobique, ergo pereunte Christo in cœlo, etiam eum perire in sacramento necessum est.

8 Tertia conclusio. De potentia Dei absoluta potest corpus Christi esse sub speciebus sacramentalibus, sine eo quod esset in cœlo, vel alibi. Probatur conclusio, quia in hac re nulla reperitur implicatio cōtradictionis, quare enim implicabit, corpus Christi semel destrui, & postea re produci, & constitui tantum in hoc sacramento modo indiuisibili, & non alibi, cum ergo non implicet contradictionem, id non est diuinæ omnipotentiæ denegandum.

9 Quarta conclusio. Impossibile est etiam de potentia Dei absoluta, corpori Christi in cœlo conuenire aliquod prædicatum absolutum à loco, & quod non habeat essentialem dependentiam à loco, & hoc non conuenire corpori Christi in hoc sacramento; vt esse quantum, album, &c. Quæ cōueniunt Christo in cœlo, nō possunt non conuenire eidem in sacramento. Probatur conclusio, quia idem corpus Christi, quod est extra sacramentum, est etiam in ipso sacramento, impossibile ergo est, aliquod prædicatum ex dictis ei extra sacramentum conuenire, & non in sacramento, cum illud prædicatum afficiat subiectum independenter à loco.

10 Sed contra secundam cōclusionem obijcies doctrinam *D. Tho. 3. part. q. 73. art. 5.* Asserentis, Eucharistiam esse sacramentum perfectum Dominicæ passionis, tanquam continens ipsum Christum passum, & ideo non potuit institui ante incarnationem. Respondetur cum *Soto 4. dist. 8. quæst. 1. art. 5. D. Tho.* Esse intelligendum de potentia Dei ordinaria.

11 Contra tertiā conclusionem sunt aliqua argumēta. Primum est, quia potest corpus Christi moueri secundum diuisibilem præsentiam, quam habet in cœlo, sine eo quod moueatur in hoc sacramento, ergo etiam alia accidentia potest habere in vno loco, quin ea habeat in alio. Secundum argumentum sit, quia si aliquod agens naturale produceret calorem in corpore Christi secundum præsentiam diuisibilem, quam habet in cœlo, illud agens non posset producere calorem in corpore Christi, quod est in sacramento, quia non potest producere illum inextensum, ergo Christus in hoc sacramento non habebit calorem. Tertium argumentum sit, quia Christus in cœlo potest aliquid videre sibi propinquum, quod non videat in hoc sacramento, quia illud respectu sacramenti potest longe distare. Quartum argumentum sit, quia istæ propositiones non videntur cōtradictoriæ, neque eiusdē de codē. Corpus Christi est album in propria specie, & in cœlo, & corpus Christi non est album in sacramento, ergo nō recte sequitur ex eo, quod accidentia independentia à loco conueniant corpori Christi in cœlo existenti, conuenire etiam corpori Christi in sacramento Eucharistiæ.

12 Ad primum argumentum ex propositis respondemus, concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam motus, vbi, & alia accidentia, quæ respiciunt essentialiter locū, ex eo quod sint cum corpore Christi in vno loco, non sequitur, debere etiam esse cum eo in alio loco, at vero accidentia absoluta, quæ respectum ad locum minime includunt, vt albedo, calor, & alia huiusmodi si corpori Christi in vno loco conueniunt, etiam ea in alio loco conuenire necessum est, nulla enim ratio assignari potest, ob quam discrimen in hac re cōstituendum non sit. Ad secundum argumentū respondetur, illud agens naturale, quod produceret calorem in corpore Christi existente in cœlo, etiam producere calorem in corpore Christi in sacramēto, quia corpus Christi, quod manet in sacramento, idem manet in cœlo. Ad tertium respondetur, pari ratione, qua respondimus secundo argumento, scilicet Christum etiam in sacramento existentem videre illud corpus sibi propinquum in cœlo, non ratione præsentiæ indiuisibilis, quam habet in sacramento, sed ratione præsentiæ diuisibilis, quam habet in cœlo. Ad vltimum respondetur, illa prædicata esse cōtradictoria, & eiusdem de eodem, quia non respiciunt locum essentialiter, sed absolute, & indepēdenter à loco cōueniūt subiecto, etiam si eo modo pronuntientur.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm Christus sit in hoc sacramento, sicut in loco, & in eo per se moueri possit?

QVIDAM recentiores Theologi duo in præsenti quæstione sentiunt. Primum sit corpus Christi existens in hoc sacramēto esse quidem in loco ratione sui propter

formam

formam quandam, quam in se habet distinctã à formã specierum sacramentalium, per quam (quod vbi appellant Philosophi) habet suam distantiam, & propinquitatem cũ alijs rebus. Probant primo hanc partem suæ sententiæ *ex Tridentino sess. 13. cap. 1.* Vbi hæc verba continentur; *Neque enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in Cœlis assideat iuxta modum existendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit:* Si ergo corpus Christi sacramentaliter est in multis locis, habet propriam præsentiam localem, quod est, habere proprium vbi. Secundo probatur ratione à simili, quia corpus, & sanguis Christi succedunt pani, & vino in Eucharistia, sed panis, & vinum dum existebant sub speciebus ratione suę substantiæ habebant propriam præsentiam in loco, ergo etiam corpus, & sanguis Christi propriam præsentiam habent in loco, dum subsistunt sub speciebus sacramẽtalibus. Secundo docent prædicti recentiores, corpus Christi in Eucharistia motu proprio moueri per se, nam quemadmodum defendunt, corpus Christi habere suam propriam præsentiam localem, consequenter defendunt, ibi etiam moueri proprio motu, & per se: qui quidem recentiores in hac doctrina sequi potuerunt *Scotum in 4. dist. 10. q. 6. & Gabrielem ibidem quæst. vnica art. 3. conclus. 10. & alios.* Scotus vero, & Gabriel fatentur, Sacerdotem mouentem hostiam nullo modo mouere corpus Christi, quia cum corpus Christi eam tantum habeat coniunctionem cum speciebus sacramentalibus, scilicet, quod per diuinam voluntatem sit præsens eidem loco, cui præsentes sunt species sacramentales; hinc deducitur, corpus Christi sola Dei voluntate moueri motis speciebus, & à solo Deo moueri, non vero à Sacerdote, quia Sacerdos, licet habeat vim mouendi species, non tamen habet vim mouendi corpus Christi: quemadmodum in eo casu, quo Angelus sola sua voluntate se constitueret in loco lapidis, & decerneret lapidem comitari, quocunque moueretur, qui moueret lapidem, non moueret Angelum; aliqui vero recentiores in præsenti difficultate iudicant, Sacerdotẽ per accidens mouere corpus Christi, quia primo mouet species sacramentales, & istæ semel motæ vim habent mouẽdi corpus Christi attrahẽdo illud ad se; quemadmodum in magnete cernimus esse naturalem quandam virtutem attrahendi ad se ferrum.

3 Sit prima conclusio. Corpus Christi existens in Eucharistia non habet ratione sui præsentiam localem ibi, neque distantiam ab alijs corporibus, neque situm aliquem, medio quo sit sursum, aut deorsum. Sed hæc omnia tantũ ei conueniunt ratione specierum sacramentalium, quibus est adiunctum. Hanc conclusionẽ tuentur *D. Thom. in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. ad quæstiunculam quartam, Capreolus ibidẽ quæst. 3. art. 1. post secundam conclusionem.* Roboratur prima conclusio ex ratione illa generali, qua concluditur, substãtiam, & omnia alia accidentia præter quantitatis, localem extensionem, non habere proprium vbi, seu propriam præsentiam localem, quia, vel eam habent diuisibilẽ, ita vt tota res sit in toto loco, & pars in parte, vel indiuisibilem, ita vt tota res sit in toto loco, & tota in qualibet parte. Si primum dicatur, ergo non possunt esse modo indiuisibili. Vnde substantia corporis Christi non posset esse sub speciebus panis modo indiuisibili, quod est contra fidem. Consequentia probatur, quia ille modus natura sua conueniret substantiæ, quia ab intrinseco illam exigeret tanquam suam propriam passionem. Vnde Deus non posset communicare illi substantiæ modum existendi in loco indiuisibilem omnino alteri oppositum, quia Deus non potest naturã rei mutare, neque in ea producere aliquod accidens propriæ passioni contrarium, quem admodum nõ potest homini communicare hinnibilitatem, quia hæc contraria est risibilitati, quæ est propria passio hominis. Quod si aliquis respondeat, prædictas res natura sua exigere existentiam in loco indiuisibilem, eius responsi falsitas ex eo conuincitur, quia aliàs illæ res non possent esse in loco diuisibili propter eandem rationem, quam proximè tetigimus. Quod manifeste aduersatur fidei Ecclesiæ, quæ credit, corpus Christi esse in cœlo modo diuisibili. Secundo probatur eadem conclusio, quia corpus Christi in Eucharistia tantum habet modum vnionis cum speciebus, ita vt ratione illius non dicatur, ipsum secundum se distare ab alio corpore, neque habere respectum ad puncta imaginaria fixa in cœlo, & in terra, sed solum dicatur distare ab alio corpore ratione distantiæ specierum, & motis speciebus illum modum vnionis non mutat corpus Christi: quare præsentia localis tantum conuenit corpori Christi in Eucharistia ratione solius extensionis localis, quam habent species sacramentales. Vnde neque etiam conuenit ei intrinsece, sed per extrinsecam denominationem. Corpus autem Christi ex eo non habet proprium vbi, seu propriam præsentiam localem, quia hæc præsentia est quoddam fundamentum necessarium eius relationis propinquitatis, aut distantiæ, qua res dicitur parum, aut multum distare ab alia: Hoc autem fundamentum non habet corpus Christi sub speciebus panis, quia ad hoc necessarium esset, illud haberet latera, & extrema extensa secundum locum: quæ quidem aliena sunt à corpore Christi existente in Eucharistia, cum sit totum in toto, & totum in qualibet parte.

Illud vero, quod pronunciauimus, corpus Christi esse vnitum speciebus medio modo vnionis, docent multi Doctores, *vt D. Tho. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad primũ Caietanus 3. part. quæst. 75. art. 1. & 6. & alijplures Doctores, quos refert, & sequitur Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 190. cap. 3.* Iste autem modus necessario constituendus est, tum quia nõ apparet alia conuenientior via ad defendendam coniunctionem corporis Christi cum speciebus: tum etiam, quia Sacti Patres comparant vnionẽ Christi in speciebus vnioni humanitatis Christi in Verbo, sed humanitas Christi vnita fuit Verbo medio modo vnionis in ea producto, ergo etiam Christus vnitur speciebus sacramentalibus per modum vnionis, quẽ in se recipit.

4 Quod attinet vero ad motũ corporis Christi sub speciebus *Durandus in 4. d. 10. q. 3. nu. 6.* defendit, corpus Christi ita esse in hoc sacramento, vt neque proprio motu, neque motu specierum moueatur. Probatur primo quia illud, quod nullam habet connexionem cum alio, nullo modo mouetur ex eo, quod illud moueatur, sed Christus non habet aliquam cõnexionem cum speciebus, ergo etiã si species moueantur, ipse tamen non mouetur. Secũdo si corpus moueretur ad motum specierum, simul moueretur sursum, & deorsum, & simul moueretur, & quiesceret ratione diuersarum specierum, quod est inconueniens. Tertio quia aliàs corpus Christi frangeretur fractis speciebus.

5 Vt secundam statuamus conclusionem, notandum est, dupliciter aliquid moueri, nam potest moueri motu proprio, & per se, quia ratione sui adquirit locum, & habet in se præsentiã localẽ ratione sui. Et potest moueri motu alieno, & per accidens, & hic motus per accidens rursus est duplex, vnus, quando non motu proprio, sed alieno mouetur; sicut pars mouetur motu totius, & accidens motu substantiæ. Qua ratione loquitur *Aristotel. de motu per accidens quinto physicorum, cap. 1.* Alius est, quando quis mouetur motu proprio, sed requirit, quod aliud prius moueatur, & ab eo ad motũ impellatur: quemadmodum homo dicitur moueri cũ naui. Qua ratione loquitur *Aristotel. sexto physicorum, cap. 10.*

6 Secunda conclusio. Corpus Christi existẽs sub speciebus sacramentalibus non mouetur motu proprio, & per se, sed motu alieno, & per accidens sumpto motu per accidens primo modo. Hanc conclusionem docuerunt *D. Tho. 3. p. q. 76. art. 6 in corpore, Caietanus, & recentiores Thomistæ ibidem.* Quod vero corpus Christi nõ moueatur motu proprio, probatur, quia non conuenit corpori Christi existenti sub speciebus sacramẽtalibus propria præsentia localis, quæ est terminus adquisitus per motum localem. Neque corpus Christi est in hoc sacramento, sicut in loco, ergo non conuenit corpori Christi proprius motus localis, & per se: cui enim ratione sui non conueniret calor, non conueniret calefactio. Quod autẽ corpus Christi per accidens moueatur, demonstratur, quia corpus Christi est coniunctum speciebus eo modo, quem supra explicauimus, & eundẽ semper retinet, quocunque species moueãtur, ergo sequitur, moueri motu specierum per accidens, ac proinde ab eo moueri, à quo species ipsæ mouentur. Bene posset corpus Christi moueri motu specierum sine coniunctione reali specierum per solam coniunctionem moralẽ, & per solum decretum Dei volentis ad motũ specierum moueri corpus. Sed conformius est ad modum suauem operandi Dei, constituere modum, quo vniantur species, quidquid dicat *Conin. super q. 75. art. 4. dub. 2.* Nam aliàs constituendus esset modus, quo vniretur spatio, per quod mouetur corpus Christi, nam sine eo nõ potest intelligi motus, seu præsentia in loco, quidquid dicat *Coninc. loco citato, dubio vnico*, quia impossibile est, aliquam denominationem aduenire de nouo, quin aliquid reale producatur de nouo in vno extremo, vel in alio; vt cum columna dicitur modo dextera, vel vi sa, mutatur oculus recipiens visionem, vel mutatur homo, cui dextera dicitur columna; sed corpus dicitur moueri, ergo aliqua mutatio in eo erit per productionem modi, quia hæc non contingit in spacio, non enim sufficit, corpus per se ipsum constitui in loco, vt ait Conin. Tum motus debet habere aliquem terminum, non alium, nisi modum præsentiæ in loco de nouo productum.

Ad argumenta Durand. respondetur. Ad primum dicimus, corpus Christi habere cum speciebus panis, & sanguinem cum speciebus vini connexionem ratione modi prædicti. Ad secundum respondetur, non esse inconueniẽns, quod corpus Christi per accidens ratione diuersarum specierum dicatur moueri, & quiescere; sicut dicitur esse sursum, & deorsum, &c. Ad tertium respondetur, corpus Christi non frangi in se, aut diuidi fractis, & diuisis speciebus, dici tamen frangi, aut diuidi ratione earum, vt notat *Scotus in 4. dist. 10. quæst. 2. art. 7. concl. 3.* Sed quæret aliquis, quis sit iste modus, quo corpus Christi est vnitum speciebus? Et respondetur esse modum accidentalem, non enim modus substantialis datur, vt substantia vniatur accidentibus, & esse super naturalem, de qua re videatur *Vazquez 1. part. disp. 214. capit. 4.* 7

(?)

QVÆSTIO XXIIII.

Vtrùm Christus prout existens in hoc sacramento, videri, aut pati, aut agere possit, intelligere, vel intelligi?

OCHAM *in 4.q.5.art.3.* Sẽtit, Christum prout existẽtẽ in hoc sacramẽto naturaliter videri posse, nisi Deus velit illũ occultare, vt fides habeat meritũ, vbi humana ratio nõ prębet experimẽtũ, probatur, quia Christus est in tota hostia cõsecrata vere præsens definitiuè, quid igitur obstare potest, quo minus species in oculũ mittat, & videatur, nisi Deus impediat id? Verũ tamẽ secũdũ cõmunẽ sententiã Doctorũ asserẽdũ est, Christũ prout in Eucharistia existentẽ nõ posse oculo corporeo videri naturaliter, & per potẽtiam ordinariã. Probatur efficaciter, quia vt infra latius expẽdemus, ad hoc vt aliquod obiectum, vt color naturaliter videatur, debet mittere species, & imagines sui in oculum, quibus adiutus oculus videat colorẽ, sed corpus Christi prout in Eucharistia existẽs nõ potest mittere species sui in oculum, quia ei deficit extensio localis, quæ est cõditio necessaria ad hoc, ergo nõ potest videri. Vnde ad argumẽtũ Ochã respõdetur, quod licet Christus sit præsens, nõ tamen potest naturaliter, & sine miraculo videri, quia nequit producere species sui, vt visum est.

Maior difficultas est, an corpus Christi de potẽtia Dei absoluta, & per miraculũ possit videri? de qua re, quidã dixerũt, id esse impossibile, *vt Capreol. in 4. d. 10. q. 4. art. 3. ad 6. Palud. ibidẽ q. 4. art. 1. conclus. 5.* Et aliqui Doctores nostræ ætatis. Probatur primo, quia corpus Christi nequit videri sine modo existendi, quẽ habet in hoc sacramẽto existẽs, scilicet totũ in toto, & totũ in qualibet parte, iste autem modus nullo modo potest videri, quia neq; est color, neq; est lux, neq; aliquid aliud, quod cõprehẽdi possit sub obiecto oculorũ, ergo neque corpus Christi potest videri. Secundo probatur, quia cum visio oculi sit intuitiua fertur in rẽ prout existentẽ hoc, vel illo modo, sed nequit corpus Christi videri cum modo, & præsentia indiuisibili, quã habet in hoc sacramẽto, ergo neque potest videri, prout existit sub speciebus sacramentalibus.

Verior tamẽ sentẽtia est, corpus Christi posse per potẽtiã Dei absolutam, & miraculose in hoc sacramẽto existẽs videri ab oculo corporeo. Ita sentiũt *D. Tho. in 4. d. 10. q. vnica art. 4. quæstiunc. 1. præsertim ad primũ Scot. in 4. d. 10. q. 9. & Sotus eadẽ dist. citata q. 1. ar. 7.* Hoc autẽ dupliciter posset cõtingere. Primò per speciẽ visibilẽ à solo Deo productã in oculo, quãuis eã nõ possit Corp' Christi mittere in oculũ prop-

A ter defectũ extẽsionis localis. Secundo posset corp' Christi miraculose videri per hoc, quod Deus suppleret vicẽ speciei visibilis, & cõcurreret simul cũ potẽtia visiua speciali concursu ad vidẽdũ. Quod autẽ his duobus modis possit Deus cõcurrere cũ potẽtia visiua ad vidẽdũ sine specie proueniẽte ab obiecto, patet, quia id quod Deus producit mediis causis secũdis efficiẽtibus, optime potest se solo producere, sed visionẽ elicit Deus potẽtia sua ordinaria concurrẽte obiecto, & specie obiecti in genere causæ efficiẽtis, ergo potest visionẽ absq; obiecto, & specie producere secũdũ potẽtiã suã absolutã. Quod autẽ possibile sit videri corpus Christi prout existẽs in Eucharistia, probatur primo ex ratione proxime adducta. Secũdo pro-

B batur, quia in primis ex parte coloris existẽtis in corpore Christi nihil obstat visioni, tũ quia idẽ omnino color est secundũ se in sacramẽto, & extra sacramentũ, tum etiã quia ex se, & natura sua cõsideratus est propriũ obiectũ visus, ergo etiã si talis color sit in sacramẽto Eucharistiæ, ex se nullũ præbet impedimẽtũ visionis. Tertio probatur, quia nihil obstat huic visioni ex parte præsentiæ indiuisibilis, qua corpus Christi est totũ in tota hostia, & totũ in qualibet parte, quia ista præsentia indiuisibilis non est aliquis modus positiuus, sed carentia diffusionis localis, vt aliqui probabiliter existimant, ne plures modos indiuisibiliter existentes sine causa multiplicemus, vnũ substantiæ, alterũ quãtitatis, & alios aliorũ accidentiũ existentiũ in

C corpore Christi. In eo autẽ casu, oculus corporalis ex eo, quod nõ videret colorẽ extẽsum in ordine ad locũ, videret illum totum in tota hostia, & totum in qualibet parte. Quarto probatur conclusio, quia nihil obstat ex parte illius modi coniunctionis, quo corpus Christi cõiungitur cũ speciebus, quia licet modũ illũ cõiunctionis secundũ substantiã tunc in eo casu, quo loquimur, nõ perciperet oculus, quia nõ cadit intra suã spheram, tamẽ quia videret colorem corporis Christi, ipsasque species sacramentales, & nullũ aliud corpus sensibile interiectũ videret inter corpus Christi, & species sacramẽtales, diceretur oculus percipere colorem corporis Christi cõiunctũ speciebus, quemad-

D modũ etiã quies alicuius corporis dicitur videri, non quia videatur præsentia localis, quæ ratione sui non est sensibilis, sed quia videntur duo alia corpora simul, & illud quod interiectum est, non apparet maius, aut minus; sed semper eodem modo. Motus vero videtur, quia ex parte alicuius corporis, corpus intermedium apparet maius, vel minus.

Ad primum argumentum in oppositum respondetur, tunc videri corpus Christi totum in toto, & totum in qualibet parte, vt dictũ est. Ad secundum respondetur, corpus Christi ratione sui non habere præsentiam, sed coniun-

ctionem cum speciebus, & hanc videri de potentia Dei absoluta eo modo, quo dictum est.

5 Vt autẽ ad id, quod etiam in hac quæstione quæritur, gradũ faciamus, an scilicet corpus Christi possit agere, aut pati actione corporali, vt v.g. an possit calefacere, vel calefieri, notandũ est, hic nõ esse sermonẽ de corpore Christi glorioso, an scilicet hoc quod est esse gloriosum, obsit illi ad agẽdũ, vel patiendũ respectu causarũ, vel subiectorum naturalium, sed quæstionis punctũ in eo versari, an ad agendũ, & patiendum actione corporali præcise modus ille indiuisibilis, quo Christus existit sub speciebus impedimentum aliquod præstet, siue corpus Christi alias sit corruptibile, siue incorruptibile.

6 Secundo notãdũ est. Hic non esse sermonẽ de potentia Dei absoluta; secundũ hanc enim considerationẽ optime potest corpus Christi vt existens in hoc sacramento agere eleuatũ à Deo, imo, & potest recipere aliquã qualitatem de nouo etiam cõtrariam corpori Christi, per hoc quòd Deus producat talẽ qualitatẽ, & adiũgat illam corpori Christi, medio modo indiuisibili illam præsentem efficiens speciebus, sed tantũ loquimur iuxta potentiã Dei ordinariã.

7 In qua difficultate quidam iudicarunt, corpus Christi optime posse agere in aliud corpus quocumque genere actionis, imò posse ab alio corpore pati, quocumque genere passionis, Deum tamen optimum maximum, vt si dei nostræ meritum augeatur, huiusmodi effectus impedire, vt quo difficilius hoc mysteriũ comprehenditur, eo vtilius percipiatur, ita expresse docuit *Gabriel 4.q.5. §. aliter ergo dico ad articulos*. Quod probabile putat *Caiet. tomo de sacramentis q. 76. ar. 6. dubio 2*. Probatur primo, quia corpus Christi ex sua naturali constitutione consideratum aptum est ad agendum ratione suarum qualitatum, vt ratione caloris aptũ est ad calefaciendum, ratione humiditatis adhumectandum, & solum ei deficit modus extensionis localis, sed iste modus est accidentarius ad agendum, ergo non potest obesse corpori Christi, quo minus agat. Secundo probatur, quia aqua non distat à se ipsa, & tamen agit in se reducendo se ad suam pristinam frigiditatem, ergo corpus Christi etiam si secundum se, vt est in Eucharistia non distet ab alijs corporibus potest in eis aliquid producere. Tertio probatur, quia quod corpus aliquod sit propinquum alteri corpori, sufficit ad agendum, ergo etiam ad agendum sufficiet, corpus Christi secundum se totum esse præsens alijs rebus, vt speciebus, ad hoc vt in illis, vel in alijs rebus propinquis speciebus possit producere suos effectus.

8 Dicendum tamen primo est, corpus Christi prout existit in Eucharistia ex eo, quod caret extensione locali, non posse aliquid agere in A aliud corpus, aut ab eo aliquid pati, imò neque in se ipso potest agere actione corporea, vt augẽdo se, aut nutriendo se. Ita sentiunt *D. Tho. 3. p. q. 81. art. 4. in corpore, & ad primum. Scotus in 4. dist. 10. q. 5. & 9.* Et recẽtiores Theologi. Probatur hac vnica ratione, quia sicut experientia nos docet, corpus aliquod non posse agere in aliud, neque ab eo aliquid pati, nisi ei sit propinquum, ita etiam eadem experientia teste nõ potest vnum corpus in alio effectum suũ producere, nisi ei sit coniunctum, & illud contingat. Sed corpus Christi existẽs in Eucharistia, cum non habeat extensionem localem, non habet latera, aut extrema, quæ necessaria sunt ad hoc, vt vna res aliam contingat, ergo nõ potest aliquod aliud corpus contingere. Ac per conB sequens non potest in alio corpore aliquid producere, aut ab eo productum effectum in se recipere.

9 Secundo, dicendũ est: Christũ prout existẽtẽ in Eucharistia non posse exercere actiones sensuũ exteriorũ, vt nõ potest videre, audire, &c. Patet hæc resolutio, quia sensus externi nõ operantur, nisi prius recipiant species à sensibus (ex obiecto enim, & potentia paritur notitia). Sed huiusmodi species nõ possunt recipere sensus Christi prout existentes in Eucharistia, vt patet ex ratione adducta in primo dicto; ergo non possunt exercere suas operationes. Hæc tamẽ resolutio tãtum videtur vim habere iuxta potentiã Dei ordinariã; non iuxta potentiã absolutã, nam secundũ absolutam nõ C potest ostendi aliqua repugnantia; ob quã isti effectus impossibiles iudicẽtur. Species enim sensibiles à solo Deo produci in sensibus Christi existentis in hoc sacramento optime possent cum modo indiuisibili simili ei, quem quãtitas corporis Christi habet, cum his ergo speciebus optime possent sensus Christi elicere suas operationes diuina virtute rursus adiuuante sensus, vt possint elicere sensationes inextẽsas secundum locum, quæ tamen natura sua petunt esse in subiecto localiter extenso.

10 Tertio dicendũ est, Christũ prout in Eucharistia existentẽ nõ posse exercere actiones sensuum internorum, etiam si antequam in Eucharistia constitueretur, sensus interni recepissent species impressas obiectorum. Probatur quia D sensus interni, vt vis imaginatiua (& si qui sunt alij sensus interni, quod aliqui non improbabiliter negant) sunt potentiæ corporeæ, indigent ergo extensione locali quantitatis, vt operentur suas actiones corporeas, quales sunt propriæ sensationes, seu operationes illæ, quibus percipiunt sua obiecta, imo etiam illæ sensationes requirunt subiectum localiter extensum, vt inhæreãt: nunquã enim vidimus, agẽtia corporea aliter operari. Quæ tertia resolutio vt patet ex proxima secũda resolutione, tantum vim habet secundum potentiam Dei ordi-

ordinariam, non secundum absolutam propter rationem ibi tactam.

11 Quarto dicendũ est, de potentijs spiritualibus Christi, vt intellectu, memoria, & volũtate. Nã secundũ istas potẽtias non potest Christus prout existens indiuisibiliter in Eucharistia operari cum ea dependentia à sensibus, quã nos operamur, & cum ea, quam Philosophi cõmuniter explicant his verbis, oportet intelligẽtem phantasmata speculari, idest, oportet intellectũ nostrum adiuuari ministerio sensuum: penes hoc, quod imaginatio nostra depingat imagines corporeas rerũ, vt intellectus depingat imagines spirituales earundem rerũ. Sed Christus prout in Eucharistia existẽs non potest, vt vidimus in tertia resolutione, elicere operationes sensuũ internorũ, ergo nihil potest intelligere, & nullius rei potest recordari, nihilq; potest appetere, si eas tantũ operationes harũ potentiarũ cõcipiamus, quæ dependẽt à sensibus internis. Dupliciter tamẽ potest nihilominus Christus existẽs in Eucharistia intelligere, recordari, aut velle. Primo quia cum Christus extra sacramentũ in cœlo existat modo corporali, & extẽso, & exerceat operationes ibi sensuũ externorũ, & internorũ, potest illis operationibus adiutus in hoc sacramento intelligere, recordari, & velle. Secũdo potest Christus has operationes spirituales elicere in Eucharistia, quæ nõ depẽdẽt à sensibus: sciẽtia enim infusa Christi, & eius vsus nullo modo dependet à sensibus, vt tanquã certum docent Theologi loquẽtes de scientia animæ Christi.

12 Quinto dicendũ est, nullũ intellectum creatum, humanum, vel Angelicum sola virtute naturali nixum posse cognoscere corpus Christi, prout est in Eucharistia. Ita sentiũt *D. Th. 3. p. q. 76. art. 7. in corpore. & D. Bonauent. in 4. d. 10. q. vltima. Durand. ibi. q. 4.* De intellectu humano, patet, quia iste nequit naturaliter intelligere res, nisi species, seu imagines rerũ accipiat ministerio sensuum, sed sensus non possunt recipere has species à corpore Christi, quia corpus Christi, vt vidimus in præcedentibus, non potest mittere has species, prout existit in Eucharistia modo indiuisibili, ergo intellectus humanus longe distat ab huiusmodi cognitione.

13 De intellectu Angelico eadem quinta resolutio facile probatur, quia intellectus Angelicus tantum potest cognoscere res naturalis ordinis, quarum habet species sibi inditas à principio suæ creationis ab authore naturæ. Modus autem, quo corpus Christi existit indiuisibiliter sub speciebus, supernaturalis est, vt vidimus in fine præcedentis quæstionis, ergo Christus ratione istius modi non potest naturaliter cognosci ab Angelo. An vero in eo casu, quo corpus Christi non esset in cœlo, sed tãtum existeret in sacramento Eucharistiæ, posset intellectus Angelicus cognoscere corpus

A Christi esse in hoc mundo, licet non cognosceret modũ existendi eius, aliquam videtur præ se ferre difficultatem. Probabile tamen iudico id, quod docuerunt *Caietanus 3. p. q. 76. art. 7. ad primum Scoti, & Suarez 3. tom. in 3. p. d. 53. sect. vltima.* Scilicet, posse intellectum Angelicum hoc cognoscere; patet, quia intellectus Angelicus naturali sua virtute cognoscit humanitatem Christi existentem in mundo, licet non cognoscat modum subsistentiæ, qua subsistit in verbo, modum enim huius subsistentiæ nescit, quia ignorat, an Deus illi deneget concursum ad cognoscendam propriam substantiam humanitatis Christi, quæ cum ea coniuncta sit; ergo pari ratione potest Angelus videre corpus Christi existẽs in Eucharistia sine eo, quod B cognoscat modum præsentiæ, quem habet indiuisibilem. Cõsequentia huius discursus optima est, quia sicut modus præsentiæ localis intrinsecus est substantiæ, ita etiam modus subsistentiæ est ei intrinsecus.

Ex his respõdetur ad argumẽta Ochami. Primo argumẽto penes hoc fit satis, scilicet, extẽsionẽ in ordine ad locum esse quidem modum accidentarium, requiri tamẽ ad agendũ, & patiendũ veluti præcisam conditionẽ, quemadmodum approximatio agentis ad passum accidens quoddam est, impossibile tamẽ est naturaliter saltem, agens producere suum effectũ in passo nõ propinquo sibi. Ad secundũ respõdetur, vt eadẽ res agat in se ipsa actione corporali, etiã requiri, vt necessariã conditionẽ extensionem localem suarum partium, quia actio, & C effectus agentis naturalis corporei non potest recipi nisi in subiecto localiter extenso. Ad tertium fatemur, non sufficere ad hoc, vt corpus Christi agere posit in externã materiam, solã propinquitatẽ eius, sed vltra eam etiã requiri contactum, quo corpus Christi contingat subiectum, in quo agit, nihil autem illorum conuenit corpori Christi, prout existit in Eucharistia modo indiuisibili, quia cum non habeat latera, & extrema, nulli corpori propinquum est, neque contiguum, ergo nulla ratione potest agere. 14

Quæres tamẽ primo, an si Christus non esset extra sacramentum, sed tantum existeret intra species sacramentales, amitteret suũ esse cor- 15 D poreum speciebus, suo vbinã permaneret? *Martinus de Ledesma in 4. q. 17. art. 6. dub. vltim.* Iudicauit, Theologum minime posse huic quæstioni respondere, sed mysterium esse soli Deo reseruatum. Hoc tamen responsum apertũ effugiũ continet, quare alij recentiores Theologi respondent, in eo casu secundum humanitatem corrumpi debere, quia eius conseruatio tunc ab speciebus sacramentalibus tanquam à conditione dependeret, hoc tamen responsum minime placet, quia Christus eodem modo tũc depẽderet ab speciebus, ac modo depẽdet

modo autem non dependet conseruatio corporis Christi ab speciebus quantum ad suum esse substantiale, sed quantum ad esse quoddã accidentale existẽtiæ in loco; quia ratione specierum dicitur esse in loco, ergo in eo casu, de quo loquimur non alia dissimili ratione dependeret Christus ab speciebus sacramentalibus. Veruntamen huic difficultati facile respondetur, tunc remansurum Christum in rerum natura secundum suum esse substantiale, quia, vt iam probauimus, ratione eius non dependeret ab speciebus, neque oppositum credibile videtur. Tunc autem corpus Christi aut maneret vnitum alteri corpori, vel separatum à quolibet corpore, quemadmodum Deo placeret. In qua re pari ratione Philosophari debemus de corpore Christi, ac de Angelo, quẽ Deus coniungeret alicui corpori. (Vtriusque enim modus existendi in loco similis esset, & indiuisibilis) sed ex eo, quod Deus destrueret corpus illud, cui vnitus erat Angelus, non sequeretur destructio Angeli, ergo destructis speciebus in eo casu, de quo loquimur, nullatenus sequeretur destructio corporis Christi.

16 Quæres secundo, an saltem actiones vitales, quæ exercentur in Cœlo à Christo, fiant sub speciebus panis, & vini per concomitantiam in Christo. Ad hoc respondetur, esse quidem etiam eas, quæ pendent ab exteriori obiecto præsenti; qualis est visio, & auditio, &c. Etiã si obiectum non sit præsens speciebus panis, & vini, neque Christo prout est sub speciebus, sed satis est, quod sit præsens obiectum Christo prout in cœlo existenti. Et ratio huius est, quia hæ operationes sunt independentes à loco, & ita conueniunt corpori Christi vbicunque sit.

QVÆSTIO XXV.

Quæ denominationes accidentales conueniant Christo in hoc sacramento?

1 ISTAE denominationes accidentales duobus modis possunt conuenire corpori Christi ratione specierum. Primo vt solum denotẽt vnionem Christi cum speciebus; quæ absque vlla improprietate de Christo prædicantur, qua ratione dicitur Christus contineri ab speciebus, & sub illis esse. Secundo vt denotent mutationes factas in speciebus; vt moueri, tangi, &c. Circa quod vltimum recentiores duas referunt sententias, primam asserentem hæc, moueri scilicet, tangi, &c. vere, & proprie de Christi corpore prædicari, alteram affirmantem has propositiones solum improprie, & metaphorice de Christi corpore prædicari.

2 In qua quæstione sit prima conclusio. Ea, quæ dicuntur de corpore Christi, & denotant motum, vel existentiam in loco, vere, & proprie absque vlla figura de corpore Christi in sacramento enuntiantur, vt quod corpus Christi moueatur, vel quiescat, sit in hoc loco, vel in illo. Quamuis enim istæ denominationes secũdario, & extrinsece conueniant corpori Christi ratione specierum, proprie tamen conueniunt, sicut medicina dicitur sana secundario, quia est causa sanitatis, attamen proprie dicitur sana.

3 Secunda conclusio. Ea quæ non significant aliquem motum Christi, nec aliquid ei intrinsecum, sed solum intrinsecum speciebus ipsis, nempe manducari, atteri dentibus, &c. Vere pronuntiantur de Christo, tamen per figuram metonymiam, quã accipimus continens pro contento, vt corpus Christi vere dicitur frangi, manducari, patet quia cum hac figura species dicuntur corpus, & sanguis Christi; & ita multa quæ ipsis speciebus conueniunt; etiam de corpore, & sanguine Christi dicuntur, vt frangi, manducari, &c. Neque vero per hanc figuram omnia, quæ proxime conueniunt speciebus, de corpore Christi, & eius sanguine dicuntur, vt nõ dicitur corpus Christi calefieri, corrumpi, vel alio modo alterari. Quare optime docent recentiores has locutiones non esse nimium extendendas, sed illas voces ratione specierum posse de Christo in Eucharistia verificari per figuram metonymiam, quæ referuntur ad aliquem sensum, vel ad manducationem, quæ etiam attinet ad sensum gustus, & huiusmodi tantum prædicationes apud Sãctos 4
Patres Ecclesiæ Catholicæ reperimus. Eiusmodi sunt illæ, in quibus pronuntiamus Christum videri, frangi, dentibus atteri, manducari, contrectari, tangi, gustari &c. Et ratio huius resolutionis ea est, quia sensus nostri non tantum dicuntur versari circa eas qualitates, quæ sunt proprium obiectum eorum, sed etiam circa substantias, in quibus subiectantur huiusmodi qualitates. Quemadmodum oculus non tantum dicitur videre colorem, sed etiam hominem, vel parietem: & gustus non tantum dicitur percipere saporem, sed etiam aquam, & vinum, imo sensuum nostrorum operationes nõ solum dicuntur se extendere ad prædictas substantias, in quibus subiectantur qualitates, quæ sunt obiecta sensuum, sed etiam dicuntur se extendere ad alias substantias, à quibus continentur illæ, quæ continent qualitates sensibiles, qua ratione visa veste, qua Rex est indutus, dicitur Rex videri, quamuis Rex ipse non videatur, sed corpus Christi in Eucharistia, quasi contectum existit medijs speciebus, ergo visis speciebus optime verificatur de corpore Christi, quod videatur, contingatur, &c. Quæ vero denominationes manducationi specierum conueniunt, de corpore Christi vere

pro

pronūtiantur, vnde rectè dicitur corpus Christi manducari, tum quia in manducatione exercetur sensus tactus, tū quia corpus Christi habet rationem cibi spiritualis respectu animæ, & ita per cibum corporalem bene significatur, tum etiam, quia iste cibus spiritualis corporis Christi in Eucharistia contegitur medio cibo corporali, quod adeò verum est vt in Catholico sensu possimus affirmare, dentes nostros catni Christi infigi, quomodo loquendi vtitur, *D. Chrysost. homilia* 83. *in Matth.* His tamen non obstantibus nullo modo verificatur de corpore Christi, quod ex illo nutriamur, & in substantiam nostram conuertatur illud, vt notauit *Sotus in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. *art.* 7. *§ hic ergo.* Quia huiusmodi loquutiones denotant corruptionem, corpus autem Christi nulla ratione in Eucharistia corrumpitur.

4 Sit tamen tertia conclusio pro dilucidiori comprehensione huius quæstionis, fine vlla figura dicitur de corpore Christi quod frangatur, & misceatur, primum repetitur in *Chrysost. homilia* 24. *in primam ad Corinthios.* Quod non denotat diuisionem partium Christi, sed ipsum in diuersis sacramentis diuisim constitui, vt multos alere posit spiritualiter, cum antea esset sub vno tantum sacramento, ita vt non posset alere multos. Secūdum verò quod corpus Christi dicatur misceri, reperitur in officio Missæ quotidianę, ibi, hæc commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini, &c. Quod ex eo verificatur, quia intra species sanguinis ponuntur species corporis cum diuisione quidem specierum inter se, non tamen sanguinis diuisione, aut corporis facta. Circa doctrinam huius quæstionis late videri potest *Vazquez* 3. *tomo in* 3. *parte disp.* 193. *cap.* 2.

5 Sit quarta cōclusio. Licet prædicata, quæ denotant aliquam qualitatem existentem in corpore Christi, de eo verificentur in hoc sacramento, at vero actiones productiuæ harū qualitatum, quæ proueniunt ab extrinseco agente in corpus Christi, non verificantur de corpore Christi existente in Eucharistia, quemadmodum, si dum Christus flagellabatur, aut Cruci affigebatur esset in Eucharistia, rectè de eo affirmaretur in Eucharistia habere vulnera per flagella causata, non tamen rectè diceretur corpus Christi in Eucharistia flagellari, aut cruci figi, quia huiusmodi actiones, & denominationes ab eis prouenientes significant propinquitatem flagellati, & flagellantis, quam propinquitatem nulla ratione concedere possumus corpori Christi in Eucharistia existenti, quia, vt patet ex quæstione 23. corpus Christi in Eucharistia non habet extensionem localem, quæ requiritur ad constituendam propinquitatē, seu distantiam. Hæc doctrina colligitur ex *Scoto in* 4. *q.* 10. *q.* 2. *§. dico ergo, versiculo aliquā argumenta.*

QVÆSTIO XXVI.

Quæ mutationes in Eucharistia appareant.

MVTATIONES aliquas in Eucharistia supernaturaliter apparere, vt carnem, sanguinem, puerum, vel aliquid aliud, negare non possumus, tum quia eas referunt graues authores, *Vt Paschasius li. de Eucharistia cap.* 14. *Guitmundus lib.* 3. *de Eucharistia.* Tum quia modo apparent in Hispania aliqua huius rei vestigia, vt Darochæ, Abulæ, & alibi, quæ apparitiones à Deo ad diuersos fines ordinantur; & ad dignoscendum an sit visio diuina, vel illusio dæmonis, vel debilitas imaginationis; prudenter considerandā sunt hæc, fructus visionis, dispositio videntis, & aliæ circūstantiæ occurrentes, vt prudenter notat *Suarez* 3. *tomo in* 3. *p. disp.* 55. *sectione* 1. 1

Multis autem modis possunt mutationes fieri, primo in testimoniū corporis Christi, quod præcessit in Eucharistia, cuiusmodi sunt illę, in quibus Eucharistia in ore sumentis in lapidē, cineres, & alia similia conuertitur, in quibus casibus desinit corpus Christi esse sub speciebus, & subito à Deo generantur illæ res diuersæ. Quod ex eo probatur, quia istę res, in quas mutatur Eucharistia, semper permanent eodem modo, quæ apparitiones fiunt ad significandam peccatoris prauam dispositionem, ob quam Deus fugit ab eo. Hāc doctrinam docuit *Cyprianus in lib. de lapsis.* Secundo modo potest apparere caro, vel puer, vel quid simile, ita vt in ipsis speciebus non fit id, quod apparet, sed tantum illud ante oculos constituatur à Deo apparenter, non tamen in rei veritate existēs. In quo casu, vt optime notauit *Vazquez,* 3. *to. in* 3. *part. quæst.* 76. *in expositione art.* 8. certum nobis esse debet, Christum perseuerare sub speciebus sacramentalibus, quia tūc nullo modo mutantur ipsæ species. Immutatis autem manentibus speciebus corpus Christi eodem modo perseuerat sub illis. Illud autem optimum indicatur signum, ad cognoscendum an in speciebus facta sit mutatio intrinseca, vel non, quod tradidit *D. Thom.* 3. *part. quæst.* 76. *art.* 8. Scilicet cum sacramentum non omnibus eodem modo apparet, tunc enim nulla est mutatio in speciebus. Tunc autem nullum est mēdacium, vt docet *D. Thom. loco citato.* Quia tales species diuinitus formantur in oculo ad aliquam veritatem figurandam: Et secundum *August. lib. de quæstionibus Euangelicis lib.* 2. *ca. vltim.* Cum fictio nostra refertur ad aliquā significationem, non est mendacium, sed aliquā figura veritatis.

Tertio modo apparere solet caro, vel puer, vel quid 3

vel quid simile per hoc, quod mutentur species sacramentales secundum colorem; vt cum sub tali specie ab omnibus videtur, & multo tempore, in quo casu *Alexand. 4. p. q. 11. membro 2. art. 4. §. 3. versic. consequenter quaeritur.* asserit, Christum in propria specie apparere, & in se ipso; vera tamen sententia est, Christū tunc non apparere in propria specie, neque carnē Christi. Ita sentiunt *D. Thom. 3. part. quaest. 76. artic. 8. Durand. in 4. dist. 10. quaest. 4. num. 8. Palud. quaest. 4. art. 3. conclus. 1. Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 66. sect. 3. Vazquez 3. tomo in 3. p. disp. 193. cap. 2.* Et primò certum est, Christum tūc non videri eo modo, quo est in sacramento, quia in sacramento est modo indiuisibili, & in his apparitionibus apparet modo diuisibili. Neque videtur modo diuisibili, quia aliàs inciperet esse nouo modo in Eucharistia, scilicet modo diuisibili, quod non est dicendum. Tum etiam quia alias, vel relinqueret locum cœli, quod non est concedendum, vel esset simul in duobus locis modo diuisibili, quod esse impossibile supra indicauimus. Tunc autem neque apparet caro Christi, neque alterius, quæ re vera caro sit. Secundo probatur ratione D. Tho. ibidem. Quia id, quod eo modo apparet, ex cōsilio multorum Episcoporum in pyxide est asseruatum, quod nefas esset circa corpus Christi instituere. Sed vt dicit D. Thom. in hoc articulo, apparet eius effigies ad probādam præsentiam carnis Christi sub sacramento. Quod autem homines ignorantes decipiantur credentes eam esse carnem Christi, parum refert. Hæc enim deceptio per instructionem Doctorum, & pastorum corrigenda est; & in hoc quidem casu, quamuis fiat mutatio in accidentibus; vt in colore, &c. Si maneat eadem quantitas, manet Christus in Eucharistia, ita *D. Tho. loco citato, & Caiet. ibidem.* Et alij. Probatur, quia quandiu manet eadem quantitas, etiam si cætera accidentia mutentur, maneret substantia panis, ergo manet corpus Christi. Quando verò, vt bene vidit *loco citato Caiet.* Quantitas specierum in tali mensura maneret, vt sub ea non posset esse substantia panis, tunc neque sub ea maneret Christus.

4 De adoratione harum apparitionum dicendum est, eas vt signa Christi esse venerandas, sicut, & imagines eius. De vsu verò dicendum est, has species sic immutatas non esse consumendas, sed conseruandas in loco decenti, & sacro, quandiu sunt in tali forma. Ita *D. Thom. loco citato.* Et alij Theologi. Et vsus Ecclesiæ ita habet: *Et ratio D. Thom. est* quia tunc nō proponuntur sub specie cibi humani, nempe panis, & vini, sub quibus voluit Christus sumi. Sed quæres? Quid faciet Sacerdos, si peracta consecratione accidat hæc immutatio? Quidā dicunt esse necessarium ex præcepto alias species consecrare, & consumere, vt docet *Anton. 3. part. tit. 16. cap. 6. §. 14.* Alij volunt, solum esse consilium, quia hoc non esset, inchoatum sacrificium perficere, sed illud inchoare: quod ex vi prioris consecrationis præceptum non est. Ita sentiunt *Sotus 4. d. 13. quaest. 1. art. 4. Sylvest. verbo Eucharistia tertio in fine, & Suarez loco citato sect. 4.* Respondetur tamen, cum temporalis tantum est mutatio, expectandum esse aliquod tempus, dum sacramentum recipit propriam speciem, ne cum illo terrore sumatur, & postea sumendum esse. Si vero mutatio sit perpetua, necessarium est, nouam materiam consecrare vt à Sacerdote sumatur, sumptio enim pertinet ad integritatem sacrificij, quæ est de iure diuino.

QVÆSTIO XXVII.

Quo modo accidentia panis, & vini post consecrationem existant in hoc sacramento?

IN hac quæstione quædam notanda sunt. Primum est, hic esse sermonem de speciebus panis, & vini, quæ alio nomine dicuntur accidentia. 1

Secundo notandum est, vt certum supponi in hac quæstione, manere post consecrationē aliqua accidentia panis, & vini. Tū quia ita expresse definitur *ab Eugenio IIII. in decreto fidei, quod est post vltimam sessionem Concilij Florentini §. tertium est, & à Concilio Lateranensi relato in cap. firmiter §. vna vero, de summa Trinit. & fid. Cathol. & à Concilio Trident. sess. 13. can. 2.* Tum etiam, quia alias Eucharistia non esset sacramētum, quia sacramentum debet esse signum sensibile. Sed substantia corporis, & sanguinis Christi, & eorum accidentia non sunt in hoc sacramento sensibilia, & alias non manent substantiæ panis, & vini, & etiam si manerent, istæ non sunt sensibiles ratione sui. Ergo si accidentia panis, & vini sensibilia non remanerent, nihil esset in Eucharistia, quod haberet signi sensibilis rationem. 2

Tertium notandum est, in hoc sacramento remanere omnia accidentia panis, & vini, tam sensibilia, quàm insensibilia. Ita docet *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 194. cap. 1.* Probatur primo, quia concilia, & patres nomine specierum, quæ sunt in hoc sacramento, absolute intelligunt accidentia panis, & vini, ergo cum non distinguant accidentia sensibilia à non sensibilibus, re vera sentiunt, omnia ea manere in hoc sacramento. Secundo probatur, quia ad cōuersionem, quæ fit in hoc sacramento, non est necessaria destructio accidentium aliquorum, ergo omnia remanent, tum etiam, quia manet quantitas necessario tanquam subiectum reliquorum 3

quorum accidentium, cur ergo negabimus, aliqua esse accidentia, quæ non maneant simul cum quantitate? Sub nomine autem horum accidentium intelligimus non quidem omnia, quæ realiter distinguuntur à substantia; nam ea, quæ solum à substantia distinguuntur tanquam modi earum, veluti relationes identitatis, & diuersitatis, licèt realiter distinguantur à substantia, cui inhærent, non tamen possunt conseruari separata à substantia: quæ enim inter se distinguuntur tanquam res, & modus, penes hoc differunt, quod res potest existere separata à suo modo, modus autem non potest separari à re, cuius est modus, quia eius essentia consistit in actuali inhærentia. Loquimur ergo in isto notabili de his accidentibus, quæ se habent respectu substantiæ tanquam res: hæc enim, siue sint propria, siue communia accidētia, quia non requirunt essentialiter actualem inhærentiam, sed aptitudinalem, vt rectè notauit *Durandus in 4. dist. 12. quæst. 1.* Ideo possunt separari à substantia, & permanere post destructionem substantiæ.

4 His suppositis certum esse debet, quantitatem panis, & vini, quæ ante consecrationem inhærebat substantiæ, post consecrationē existere per se, & sine dependentia à substantia panis, & vini. Probatur hæc pars, quia sensu ipso percipimus longum, latum, & profundum in speciebus consecratis panis, & vini, quæ cōstituunt rationem quantitatis. Sed hæc non inhærent substantijs panis, & vini, quia fides docet, huiusmodi substantias post consecrationē non manere. Præterea huiusmodi quantitas non subiectatur in corpore Christi de nouo aduenientis, aliàs ratione illius corpus Christi esset vere in se extensum localiter, & sensibile, ergo quantitas manet per se, & non in aliquo subiecto.

5 *Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. §. ad argumenta, vers. ad secundum dico.* Sentit, quantitatem in hoc sacramento manere separatam à suo proprio subiecto sine aliquo modo positiuo existendi, sed tantum per negationem proprij subiecti.

6 Sit prima conclusio communis inter recentiores Theologos. Quātitas panis, & vini est in hoc sacramento cū modo positiuo existendi per se simili ei, quo substantia est per se, & nō in alio supposito. Probatur exemplo substantiæ, quæ eo ipso, quod non subsistit in alieno supposito, habet quendam modum subsistentiæ, quo subsistit per se, verbi gratia, si humanitas, quæ subsistit in Verbo diuino, à Deo deseretur, subsisteret per se medio modo subsistentiæ propriæ, ergo quantitas, quæ non existit in substantia vt in subiecto, & cui deficit modus inhærentiæ in subiecto, debet habere modum existendi per se; qui quidem modus miraculose producitur in quātitate, ipsa enim

A quantitas natura sua petit esse in substantia tāquam in subiecto sibi connaturali, & proportionato.

Quæres tamen, an iste modus existendi per se, qui communicatur à Deo quantitati, sit secundum suam naturam supernaturalis? *Gabriel Vazquez 1. part. disp. 314. cap. 4.* Expressa sentit, istum modum esse naturalem secundū substantiam, tum quia sequitur necessario ex negatione entis naturalis, nempe, modi inhæsionis, quem naturaliter habebat quantitas, dum inhærebat substantiæ. Tum etiam, quia cum modus existendi per se, qui est proprius substantiæ, potior sit, & naturalis ordinis, etiam iste modus quantitatis debet esse naturalis ordinis: asserit tamen iste author, istum modum B esse supernaturalem secundum modum efficiēdi, quo producitur, quia à nulla causa naturali produci potest: quemadmodū resurrectio hominis, in qua anima rationalis coniungitur suo corpori, continet effectum secundum substantiam naturalem, & secundum modum efficiendi supernaturalem, quia homo reproductus naturalis ordinis est: nulla tamen causa naturalis vim habet illum reproducendi. Tandem cōsequenter asserit iste author, Angelum euidenter cognoscere istum modum existendi quantitatis per propriam virtutem. Verius tamen videtur, prædictum modum esse supernaturalem secundum substantiam, tum, quia hoc mysterium Eucharistiæ supernaturale est, ergo eius partes præcipuæ debent esse supernaturales, C vna autem ex præcipuis partibus huius mysterij in eo consistit, vt quantitas suppleat vicem subiecti aliorum accidentium, & ipsa sine subiecto maneat, ergo modus, quo quantitas manet sine subiecto, non est naturalis, sed supernaturalis. Tum etiam, quia effectus illius modi supernaturalis est, scilicet, quod quantitas, quæ natura sua petit inhærere substantiæ, per se sit, & similis fiat substantiæ, quæ longe superat in perfectione quantitatem. Vnde ad primum argumentum Vazquez, respondemus, quod licet ex negatione entis naturalis, & modi inhæsionis quantitatis oriatur iste modus existendi per se quantitati, non tamē oritur virtute naturali, sed supernaturali; vnde non debet esse naturalis, sed supernaturalis: D quemadmodum, licèt in humanitate Christi ad carentiam propriæ subsistentiæ, quæ ordinis naturalis est, subsecuta sit subsistentia in supposito Diuino, tamen ipse modus subsistentiæ in Verbo Diuino supernaturalis est. Ad secundum argumentum respondetur, non rectè colligi ex eo, quod modus existendi per se in substantia sit potior, quàm modus existendi per se quantitatis, & sit ordinis naturalis, etiā modum existendi per se quantitatis debere esse ordinis naturalis: quod probatur exemplo manifesto animæ rationalis, nam hæc in gene-

re entis

re entis perfectior est gratia sanctificante, quia ipsa est substantia, & ita ens absolute, & gratia est accidens, & ita est entis ens. Nihilominus tamen anima est ordinis naturalis, & gratia est ordinis supernaturalis, pari ergo ratione contingit, modum existendi per se in substantia esse perfectiorem, & naturalem, & modum existendi per se in quantitate esse minus perfectum & supernaturalem.

B Sit secunda conclusio. Cætera accidentia panis, & vini, quæ manent in hoc Sacramento, non habent prædictum modum existendi per se, sed potius sunt in quantitate tanquam in subiecto sustentante. Ita sentiunt *D. Thom. tertia part. quæst. 77. art. 2. Scotus in quarta dist. 12. quæst. 2. §. ad quæstionem ergo. Sotus in quarto dist. 10. quæst. 1. art. 2. & alij.* Quæ conclusio vt probetur, supponendum est, essentiam quantitatis consistere in extensione partium, ita vt ratione quantitatis substantia, & alia accidentia habeant partes, & non ratione sui, quod indicauit *Aristotel. dum in prædicamentis capite de quantitate dixit, albedinem esse quantum per accidens.* Si autem ex se haberet albedo suam extensionem, & quantitatem, non esset quanta per accidens, neque esset tanta, quanta esset superficies, sicut ibidem docet Aristot. deinde supponendum est, quantitatem proxime, & immediatè inhærere substantiæ, & qualitates, aliaque accidentia non inhærere immediatè substantiæ, sed quantitati. Hic probatur, quia si quantitas, & qualitates, verbi gratia, immediatè inhærerent substantiæ, & qualitates non inhærerent media quantitate, sequeretur nullam qualitatem extendi ratione quantitatis, nec denominari extensam à quantitate, sed concomitanter se habere hæc inter se, quemadmodum concomitanter se habent color, & calor, quare sicut non dicitur color calidus, ita non diceretur color extensus ratione quantitatis, quod manifeste repugnat doctrinæ Aristot. loco citato.

9 His suppositis probatur secunda conclusio. Quia omnes qualitates corporeæ extenduntur ad extensionem quantitatis, & ita habent in se effectum formalem quantitatis, ergo hoc vel ex eo prouenit, quia quantitas inhæret substantiæ media qualitate, vel è contra, quia qualitas inhæret substantiæ media quantitate. Primum affirmari non potest, quia aduersatur omnium philosophorum sententiæ, ergo secundum est affirmandum, scilicet qualitates, & cætera accidentia corporea inhærere mediate substantiæ, & immediatè quantitati, vnde cum in Sacramento Eucharistiæ nulla relicta sit substantia panis, aut vini, restat alia accidentia quantitati inhærere. Deinde confirmatur, quia alia accidentia præter quantitatem non existunt per se, aliàs essent plures modi per se constituendi, & assignandi quibuslibet accidentibus, quod non est dicendum, ne plures modos sine causa multiplicemus, ergo asserendum est, omnia accidentia inhærere quantitati tanquam subiecto vnico.

Tertia conclusio. Quantitas separata à sua substantia in hoc Sacramento ita est subiectum aliorum accidentium, vt non careat aliqua virtute necessaria ad eorum sustentationem. Patet, quia quantitas ante consecrationem ex sola sua natura immediatè sustentabat accidentia, nulla ad hoc accepta virtute à substantia, ergo cum eadem natura quãtitatis maneat post consecrationem, eodem modo sustentat reliqua accidentia, atque antea sustentabat. Quod ante consecrationem quantitas sustentaret reliqua accidentia, patet ex secũda conclusione. Quia tribuebat alijs accidentibus extensionẽ, qua denominarẽtur extẽsa, & quod ad eam sustentationẽ quantitas nullã reciperet virtutẽ à substantia, videtur probari, primò, quia nulla ratione potest explicari quid sit talis virtus. Secundò, quia quantitas cum eadem prorsus perfectione, & virtute remanet post consecrationem destructa substantia panis, ac ante consecrationem remanebat, quod aliqua ratione colligi videtur ex verbis *Concilij Tridentini Sessione 13. canone 2.* vbi asserit in hoc Sacramento ramanere species panis, & vini, duæ autem reperiuntur differentiæ in accidentibus ante consecrationem, & post consecrationem. Prima fit, quia quantitas ante consecrationem inhærebat substantiæ, & post consecrationem manet per se. Secunda differentia fit, quia accidentia alia præter quãtitatem ante consecrationem inhærebant mediate, & remotè substãtiæ, per hoc solum quia inhærebant immediatè quantitati, & hæc inhærebat substantiæ, post consecrationem verò etiam mediatè, & remotè non inhærent substantiæ panis, aut vini, quia prorsus illa periit.

11 Verumtamen sicut quantitas post consecrationem eandem vim habet ad sustentanda accidentia, atque habebat ante consecrationem, ita etiam qualitas eandem vim habet ad agendum post consecrationem, atque habebat ante consecrationem, tam ad producendam substantiam instrumentaliter, quam ad producenda accidentia principaliter, quia ad hoc non influebat substantia, dum huiusmodi qualitates sustentabat, quod punctum maxime philosophicum est, vnde in eo non placet diutius immorari, sed de hac re videatur *Vazquez 3. tom. in 3. parte disp. 195. cap. 1.*

12 Sed contra secundam cõclusionem se offert hoc argumentum: quia vna substantia non inhæret alteri, ergo vnum accidens nõ sustentat alterum accidens, tam enim videtur repugnare accidenti, quod est entis ens, aliquid aliud sustentare, ac substantiæ, quæ est ens per se,

alteri

alteri inhærere. Ad hoc tamen argumentum respondeatur, vnum accidens non posse sustentare alterum, vt primum fundamentum, & vt primum ac radicale subiectum, quia hoc officium exercere solius substătiæ proprium est: at vero sustentare aliquod accidens tanquam proximum subiectum, non est proprium substantiæ, nec repugnat naturæ accidentis.

13 Quæres tamen primò, in quo inhæreat ille modus existendi per se, qui communicatur quantitati in hoc Sacramento? Respondetur esse tanquam in subiecto in ipsa quantitate, & hac ratione communicate illi suum effectum formalem, qui est esse per se, quemadmodum albedo in Eucharistia existens subiectatur in quantitate, & tribuit illi esse albam.

14 Quæres secundò, an quantitas diuersa actione diuina extra subiectum, & intra subiectum conseruetur? Respondetur diuersas esse actiones, quia extra subiectum conseruatur quantitas sine dependentia à subiecto, & quasi per quandam creationem continuatam, in subiecto vero conseruatur eum dependentia ab eo in genere causæ materialis. Ita *Vazquez sentit 1. part. disp. 174. cap. 3.* Similiter etiam diuersæ sunt actiones, quibus propriç passiones panis, & vini conseruantur in hoc Sacramĕto, ab his actionibus, quibus eędem passiones conseruabantur, dum proprijs substantijs inhærebant, quia dum inhærebant proprijs substantijs, cōseruabantur ab ipsis per simplicem quandam emanationem, postea autem à solo Deo conseruantur, quod sine diuersitate actionum constare ne quaquam potest.

A Sed hæc sententia falsa est, quia vel illa substantia rediret manentibus speciebus, vel corruptis. Nō quidem manentibus, quia cum corpus, & sanguis Christi tandiu maneant, quandiu manent species, tunc simul cum corpore, & sanguine Christi maneret substantia panis, & vini, quod non est dicendum. Deinde non rediret substantia panis, & vini destructis accidentibus, tùm quia alias substantia istæ manerent sine suis accidentibus, tùm quia non producerentur substantia panis, & vini, quia istam simul cum productione specierum contingit produci. Nec valet, si quis dicat corrumpi illa priora accidentia, & alia similia cum substantijs panis, & vini produci: nā contra est. Primò, quod si alia similia producuntur, vt quid
B priora destruuntur? Secundò quia illa accidentia non sint contraria, sed maxime conformia substantijs panis, & vini, vt quid ergo destruētur, vel quam ob causam destruentur?

3 Secunda sententia asserit, ex quantitate, cui Deus tribuit virtutem materiæ primæ, generari vermem, vel aliam substantiam. Hæc sententia tribuitur *Diuo Thomæ art. 5. quæst. 77. 3. part.* quam sequuntur *Enriquez quodlibeto 4. q. 36.* Fundamentum est, ne nouum miraculum admittatur præter primum, quod reperitur in conuersione, sed eo semel admisso, cætera vi solae teati agentis naturaliter fiant. Sed hæc sententia falsa est, quia forma substantialis natura sua, & essentialiter est actus materiæ primæ, ergo nequit communicari quantitati, vt subie-
C cto vllo modo, tùm quia actus & potentia debent esse eiusdem generis, quantitas vero est accidens, & forma est substantia, ergo nō sunt eiusdem generis.

Tertia sententia est, quam refert *D. Thom. loco citato*, asserens vermem, vel aliam substantiam ex aere circunstante generari, quæ sententia defendi non potest, quia nullam videmus in aere mutationem, ex qua vermes, vel aliæ substantiæ generentur. 4

Quarta sententia est *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 195. cap. 3.* asserĕtis, substantiam, quæ speciebus corruptis producitur, non ex speciebus vt materia, neque per conuersionē specierum in materiam eius, neque per conuer- 5
D sionem specierum in ipsam substantiam, neq; per generationem à creato agĕte, sed per creationem à solo Deo produci, ad hoc vt tantum mysterium lateat, & pro hac sententia allegat alios Doctores. Probat suam sententiam Vazquez, quia in his forma substantialis non educitur de potentia quantitatis, vti materiæ, vt contra secundam sententiam probatum est. Deinde substantia, quæ producitur, non fit per conuersionem quantitatis in materiam, vel in substantiam totam, vt iste Autor probat argumentis, quæ postea nos contra nostram sententiam adducemus: ergo materia prima creatur

QVÆST. XXVIII.

An speciebus Sacramentalibus corruptis aliqua substantia producatur, & quomodo?

1 EXPERIENTIA quotidiana nos docet, species sacramentales corrumpi, & ipsis corruptis alias substantias succedere, vt si diu in pyxide asseruentur in vermes conuertuntur, imò etiam species sacramentales à nobis sumptæ virtute nostri caloris naturalis destruuntur, & nos ex illis nutrimur, ac sustentamur. Difficultas ergo in eo versatur, quo pacto, & qua virtute substantiæ illæ de nouo generentur.

2 In qua difficultate varie loquūtur Doctores, quidam enim asserunt, substantias panis, & vini, quæ ante consecrationem manebant, miraculose reproduci, & ex eis vermes, & alias substantias generari. Ita docent *Innocentius tertius lib. 4. de mysterijs Missæ, cap. 11. & D. Bonauent. in 4. dist. 12. a. 1. part. art. 2. quæst. 1. ad primū.*

tur à solo Deo, cum à creato agente nullo modo posſit produci, quia alio modo fieri nequit ergo tota ipſa ſubſtantia non generatur ab agente creato, nam agens creatum ſolum poteſt introducere formam in materiam, quam paulatim actione ſua præparauit, & diſpoſuit, alias quodlibet agens, quod in eo inſtanti, quo creatur materia, ei applicaretur, introduceret in ea formam ſuam, & non potius ignis, verbi gratiâ, qui toto tempore præcedenti ſpecies Sacramenti immutauit, quod videtur abſurdū, ergo vera eſt ſententia poſita.

6 Quinta ſententia aſſerit, vermem, vel aliam ſubſtantiam, quæ producitur corruptis ſpeciebus ſacramentalibus, fieri per conuerſionem quantitatis in materiam informatam noua forma ſubſtantiali. Ita ſentit *Dominicus Sotus in 4. diſt. 10. quæſt. 2. art. 5. §. vtrumtamen.* Sed hæc ſententia vera non eſt, & ita impugnatur à diſcipulis D. Thom. ex eo, quia iuxta eam difficile poteſt explicari, quo pacto ſaluetur ratio generationis, ita vt per eam producatur illa ſubſtantia, quæ ex ſpeciebus producitur, nam ſi tota producitur per conuerſionem quantitatis in ipſam, non reſtat locus generationi ſubſtantiæ. Cum tamen D. Thom. 3. *part. quæſt. 77. art. 5.* & alij Theologi communiter doceat, hanc ſubſtantiam generari per actionem agentium naturalium.

7 Pro explicatione noſtræ ſententiæ notandum eſt, nullam rem creatam habere virtutem ad deſtruendam quantitatem panis in Euchariſtia exiſtentem, ſed ſolùm alia accidentia, quæ cum ea ſunt, quia cum ſit per ſe, & non in aliquo ſubiecto, & alias non habeat contrariū, nō corrumperetur, ſed annihilaretur: ſed nulla creatura annihilare poteſt, vt cōmunis opinio fert, ergo nulla creatura poteſt deſtruere quātitatem panis relictam in ſacramento altaris.

8 His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Ad hoc, vt hoc myſterium occultetur, quantitas panis, & vini, quæ relicta erat in Sacramento Euchariſtiæ, conuertitur in quādam materiam de nouo productam, in qua introducitur forma ſubſtantialis vermis, vel alterius ſubſtantiæ. Hæc concluſio eſt communiter recepta à diſcipulis *D. Thom. dicta quæſt. 77. artic. 5. in ſolutione ad quartum.* Vnde cum *D. Thom. dicto art. 5. in corpore*, aſſerit dari à Deo quantitati virtutē hanc, quod ſit primum ſubiectum formarum ſubſtātialium, & quod ex ea generetur quidquid ex materia panis, & vini poterat generari, debet intelligi iuxta ea, quæ *D. Thom. dicto art. in ſolutione ad tertium tradit his verbis. Ad tertium dicendum, quod quantitas dimenſiua panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculoſe vim, & proprietatem ſubſtantiæ, & ideò poteſt tranſire in vtrumque, id eſt in ſubſtantiam, & dimenſionem.* Hæc concluſio probatur primo, à ſufficienti partium enumeratione, nam ſi aliæ ſententiæ falſæ ſunt, iſta ſolū ſupereſſe videtur vera: tùm quia iſte modus dicēdi ad occultandū hoc myſterium apertiſsimus eſt, & facile intelligibilis, & ſequitur ex vi prioris miraculi, quo conuerſa eſt ſubſtantia panis, & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſolum manentibus accidentibus.

In iſta autem conuerſione aliqua ſunt conſideranda. Primū, quod materia de nouo à Deo ſolo producta recipit quendam modum, ratione cuius expellat quantitatem panis, & vini natura ſua, & deſtruat eam ad eum modū, quo ſupra de modo producto in corpore Chriſti, quo expellitur ſubſtantia panis, locuti ſumus, & iſta conuerſio eſt dicenda ſubſtantialis, quia terminus ad quem, eſt ſubſtantialis, ſcilicet materia prima cum illo modo ſubſtantiali, licet terminus à quo ſit accidentalis, ſcilicet quantitas: & hæc conuerſio eſt ſupernaturalis, ſicut & conuerſio panis in corpus Chriſti, quia fit nulla cauſa naturali id exigente. Et in explicando, an materia prima panis redeat, ſunt duę opiniones contrariæ & probabiles, *& Suarez 3. tomo in 3. part. diſp. 57. ſect. 3.* ſentit, materiam priorem redire, & hæc conuerſio, vt bene *D. Thom. loco citato in ſolutione ad quartum*, miraculoſa eſt, & quidem nouum miraculum, conſequens tamen ad primum ſeparationis accidentium à ſubiecto, quia cum ordo gratiæ non ſit deſtructiuus naturæ, pertinet per ſe primo ad Deum vt Autorem gratiæ facere hanc conuerſionem quantitatis in materiam primam, ne ex miraculo tranſſubſtantiationis ſequatur defectus in ordine naturę, ſcilicet, quod ex corruptione vnius, ſcilicet accidentium, non ſequatur generatio alterius. 9

Secunda concluſio. Productio formæ ſubſtantialis in materia, quæ ſic ſucceſsit quantitati, fit naturali virtute ab agente naturali, quod ex dictis facile intelligitur. Ita ſentit *Suarez 3. tom. in 3. part. diſp. 58. ſectione 3.* & ita ſentiunt doctiſsimi recentiores Thomiſtæ, quod in omni opinione tam aſſerente fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, quam negāte eam reſolutionem veritatem obtinet. In ea vero, quæ probabilior mihi videtur, ſcilicet fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, & materiam, dum recipit formam ſubſtantialem, manere accidentibus ſpoliatam, probatur concluſio, quia in omni naturali corruptione, & generatione manet materia prima ſpoliata quantitate, & omnibus accidentibus, quæ immediatè ante illud inſtās in illa præceſſerūt, & nihilominus manet diſpoſita ad recipiendam nouam formam ſubſtantialem, vel media diſpoſitione poſitiua conſiſtente in ordine quodā occulto ad omnes diſpoſitiones, quæ antea præceſſerunt, vel media diſpoſitione negatiua in eo ſita, quod materia maneat non repugnās formæ, neq; in diſpoſita ad illam. In quo caſu agens 10

agens naturale, quod proximum eſt illi mate-
riæ, quodque introduxerat antea diſpoſitio-
nes in materia, introducit ſuam formam ſub-
ſtantialem proportionatam, & congruentem
præcedẽtibus diſpoſitionibus. Simili ergo mo
do dicendũ eſt, producta materia prima à Deo
per conuerſionem quantitatis in ipſam, illam
ratione earum diſpoſitionũ, quæ præceſſerũt
in quantitate, quæque productæ ſunt ab agen
te naturali, manere diſpoſitam ab eodem agen-
te naturali, & ita agens naturale in tali mate-
ria introducit ſuam formam ſubſtantialem. Vt
verbi gratia, ſi ignis calefacit hoſtiam conſe-
cratam vſque ad corruptionem eius, illemet
introducit poſtea formã ignis in materia, quæ
loco quantitatis à Deo de nouo producitur.

11 Contra hæc tamen obſtãt aliqua argumenta
adducta à *Vazquez diſp. citata cap. 2.* Primum
ſit contra primam cõcluſionem, quia nulla res
in aliam cõuerti poteſt, niſi eſſe illius, in quod
conuertitur, ſit cauſa natura ſua non eſſe eius,
quod conuertitur, ſed eſſe materiæ primæ non
eſt cauſa natura ſua non eſſe quantitatis: ergo
quantitas non poteſt cõuerti in materiam pri-
mam. Sed reſpondetur iuxta ea, quæ proxime
diximus, materiam primam rationeillius mo-
di in ſe recepti à Deo eſſe cauſam non eſſe quã
titatis, & aliorum accidentium, quæ remanſe-
rant ex ſubſtantijs panis, & vini corruptis, &
hoc ſufficere ad rationem conuerſionis: neque
enim requiritur ad rationem conuerſionis, ter
minum ad quem ex vi ſua naturali repugnan-
tiam, & oppoſitionem includere cum termino
à quo, ſed ſufficit etiam diuina virtute, aliquid
includere terminum ad quem, quod ſit in com
poſsibile cum termino à quo, & ideò petat de-
ſtructionem eius.

12 Secundum argumentum eiuſdem Autoris
cap. 3. ſic ſe habet contra ſecundam concluſio
nem, quia nullum agens creatũ vim habet pro
ducendi, vel introducendi formam in materiã
aliquam ſubito creatam, ſed in eam tantum,
quam paulatim ſub alia forma exiſtentẽ actio-
ne ſua præparauit, & diſpoſuit, alioquin, quod
cunque agens, quod in eodẽ inſtanti, quo crea-
tur materia, ei applicaretur, introduceret in ea
formam ſuam, quod videtur abſurdum. Sed ad
hoc reſpondetur agens naturale etiam poſſe
introducere ſuam formam in materiam de no-
uo, & ſubito productam, dum præceſſerit ali-
quid habens vim materiæ, in quo ſuas diſpoſi-
tiones præuias produxerit, medijs, quibus ma-
teria ſubito producta diſpoſita manet. Sicut e-
nim materia ligni rectè diſponitur ab igne, ſi-
ne eo quod recipiat in ſe calorem, neq; illum
habeat eo inſtanti, quo introducitur forma ig-
nis, ſolum per hoc quod ablatæ ſunt paulatim
qualitates propriæ ligni, quæ impediebant in-
troductionem ignis, & aliæ qualitates præuiæ
ignis in toto compoſito ligni præceſſerint, cur

A non poteſt in noſtro caſu materia prima de no-
uo à Deo producta per diſpoſitiones præce-
dentes in quantitate ad formam ignis, verbi
gratia diſponi? Tunc autem non quodlibet a-
gens ſubito applicatum materiæ illi produce-
ret ſuam formam; ſed tantum illud, quod diſ-
poſuit paulatim quantitatem, ſicut in alijs ge-
nerationibus naturalibus contingit; in quibus
currit etiam argumentum Vazquez.

Ex dictis ſequitur primo, corpus Chriſti di 13
ci manducari, & ſanguinem bibi ab homine ra
tione ſpecierum, & ab animalibus. Ita ſentit
D. Thom. 3. part. quæſt. 80. art. 3. ad tertium. Se-
quitur ſecundò, quod Chriſtus non deſinit eſ-
ſe ſub ſpeciebus, quamuis in loco ſordido ſint,
quia non fœdatur Chriſtus, cum ſit modo in
B corruptibili, & contra aſſerentes damnat *Gre-
gorius Nonus in directorio inquiſitorum, 2. part. q.*
10. & ibidem damnat aſſerentes, deſinere cor-
pus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, ſimulatque à
bruto ſumitur, & ſimulatque dentibus iuſti, &
peccatoris ſpecies atteruntur, Chriſtum ad cœ
lum rapi, vtrumque enim eſt abſurdum, & cõ-
tra ſcripturam *Ioan. 6. Qui manducat meam car-
nem, & bibit meum ſanguinem, &c.* Manducare
autem dicit in ſtomachum traijcere, & dentibus atterere, vnde Chriſtum manere ſub ſpe-
ciebus, vbicunque ſint, dummodo ſub illis eſſe
poſſent panis, & vinum, ſentit eſſe de fide *Vaz
quez 3. tom. in 3. part. diſp. 195. cap. 5. citans Diui
Thom. probat parte, quæſt. 80. art. 3. in 3. part.*

Sequitur tertiò rarefactionem, & conden- 14
C ſationem ſpecierum, quia fit ſine productione,
aut deſitione quantitatis, ab agente naturali
poſſe fieri, ſicut & calefactionem; ſi autẽ eſſet
producenda quantitas, quia hoc eſſet per crea
tionem, vel ſi deſineret, quia hoc eſſet per anni
hilationem, quia non habet ſubiectum (in Eu-
chariſtia loquimur) non poſſet hoc à cauſa fie-
ri naturali.

Vltimo ſequitur, Chriſtum deſinere eſſe in 15
hoc Sacramẽto per corruptionem ſpecierum.
Id eſt prius ſecundum naturam corrumpun-
tur ſpecies, quam Chriſtus in illis deſinat eſſe,
ideò enim deſinit amittendo modum vnionis
cum ſpeciebus, quia ſpecies corrumpuntur, nõ
è contra. Ita docet *Vazquez loco citato capit. 5.*
vnde immerito dixit *Coninc. tom. de Sacramen-
D tis quæſt. 77. art. 5.* In eodem inſtanti, in quo
ſpecies ita ſunt alteratæ, vt non poſsit ſub his
naturaliter conſeruari ſubſtantia panis, deſine
re eſſe corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, &
Deum ibi de nouo creare materiam, & ei vni-
ri quãtitatem panis, & eas qualitates, per quas
quantitas erat diſpoſita ad receptionem for-
mæ ſubſtantialis, hac enim ratione ſupponit de
ſinere eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacra-
mentalibus panis, remanente adhuc aliqua ſpe
cie panis, quod falſiſsimum eſt, & contra om-
nium Theologorum doctrinam, & contra Ec-
cle-

clesiæ Catholicæ vsum, quæ colit, & veneratur species consecratas panis, dum perseuerāt, eo facto significans se sentire eas species, quandiu manēt, retinere sub se corpus Christi. Præterea supponit Coninc. in prædictis verbis, quantitatem panis transire in aliud subiectum & ei inhærere, quod falsum existimamus. Tum quia ea ratione constituitur nouum miraculū sine causa, per hoc quod accidens migret de subiecto in subiectum, tùm etiam, quia secundum eam opinionem, quam ego veriorem existimo, quantitas, & qualitates non subiectantur in materia prima, sed in toto composito, vnde materia prima non est capax illarum.

QVÆST. XXIX.

Vtrùm per solam mixtionem alicuius liquoris cum vino consecrato Christus desinat esse sub speciebus?

1 QVæstio hæc contemnenda minime est, quia continet varios euentus, qui facile possunt occurrere, in qua variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima sit illa, quam indicauit *D. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 8.* & quam docet *Alexander 4. part. quæst. 10. memb. 7. art. 7. §. 3. & Maior in 4. dist. 12. quæst. 4. dub. 3.* Quæ affirmat, per mixtionem liquoris non consecrati cum speciebus consecratis duobus modis posse species consecratas corrumpi. Primò per alterationem earum, quod contingit, quando liquor admixtus speciebus est diuersæ naturæ à liquore consecrato. Secundò per hoc, quod tanta fiat diuisio partium specierum, quod sub illis propter paruitatem non maneat Christus, quod tūc etiam contingit quando liquor non consecratus, qui admiscetur liquori consecrato, est eiusdem speciei cum illo, & omnes eius partes penetrat, ac diuidit inter se.

2 Secunda sententia est aliorum qui sentiunt, in eo casu, quo liquores admixti, quamuis sint eiusdem speciei, habent tamen inter se repugnantes aliquas qualitates indiuiduales, posse fieri veram mixtionem, & tunc resultare vnam tertiam substantiam numero distinctā ab vtroque miscibilium. Tunc enim non solùm fit diuisio partium, sed aliqua etiam in eis contingit alteratio, & tunc asserit hæc sententia, Christū non manere sub speciebus, quia species antiquæ corrumpuntur. Quādo verò liquores admixti non sunt diuersi in qualitatibus, tunc per solam diuisionem partium non fieri veram mixtionem, neque corrumpi species consecratas, neque corpus Christi desinere esse sub illis,

A quam sententiam adiuuare videtur *D. Thom. loco citato.*

Sit prima conclusio pro verioris sententiæ explicatione. Si vinum non consecratum misceatur cum vino consecrato in magna, vel in parua quantitate, & vtrunque vinum sit eiusdem speciei (nam quidam dicunt omnia vina esse eiusdem speciei, alij vero id negant) tunc non corrumpuntur species consecratæ, neque sub illis desinit esse Christus. Ita sentiunt *Durand. in 4. dist. 12. quæst. 3. & Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 195. cap. 6.* & recentiores discipuli D. Thom. Probatur ex vsu antiquo Romanæ Ecclesiæ relato in libro, cui titulus est, ordo Romanus cap. 4. vbi sic dicitur: *Expleta confractione Diaconus minor leuata de Subdiacono patena* 3
B *defert eam ad Pontificem, vt communicet corpore dominico, sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto*, hoc est, sumit sanguinem Christi, *de quo parum refundit Archidiaconus in maiorem calicem, siue scyphum, quem tenet Acolytus, vt ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commistum sanctificatur per omnem modum.* Non quia vinum non consecratum ad mixtionē specierum consecratarum ita reddatur sacrum, vt contineat in se Christum, sed quia quodammodo totum vinum manet ea ratione benedictū, vt ex eo posit populus quodammodo communicare, esset autem magnum sacrilegium, sola deuotione, & sine necessitate vinum consecratum admiscere vino non con-
C secrato, si per solam mixtionem Christus desineret esse sub speciebus consecratis. Et confirmatur, quia per solam infusionem vini non cō secrati cum consecrato, etiamsi species consecratæ in minimas partes diuiderentur, non desineret esse sub illis speciebus substantia vini, si ibi adfuisset ante mixtionem, ergo neque desinit esse Christus sub illis minimis partibus specierum consecratarū. Consequentia manifesta est, quia quandiu sub speciebus conseruaretur substantia panis, si non essent consecratę tandiu certum est, conseruari corpus Christi sub speciebus consecratis. Antecedens vero probatur, quod vinum ibi si adesset sub illis minimis partibus, non corrumperetur: talis enim corruptio non cōtingeret per hoc, quod
D accidentia vnius vini corrumperent accidētia alterius vini eiusdem speciei, quia tunc accidētia sunt simillima, & nō contraria; vnde vnum non habet vim alterum destruendi. Præterea neq; talis corruptio cōtingeret per hoc, quod vinum non consecratum, quando infunditur vino consecrato, intermiscetur illi, illudque diuidit in minimas partes, sub quibus propter nimiam paruitatem non posset conseruari substantia vini, si adfuisset, nam partes illæ minimæ vini consecrati, etiamsi diuidātur inter se, et tamen in eodem instanti coniūguntur cum

alijs

alijs partibus vini nõ cõsecrati,& ratione illarũ fierent sensibiles,& sufficientes ad conseruandã substantiã vini, si adesset,ergo etiã sufficiũt ad conseruandũ corpus Christi,& in eo casu illud tertiũ resultãs ex vino cõsecrato,& nõ cõsecrato distinctum numero est à vino priori nõ cõsecrato,& ab speciebus cõsecratis: quemadmodũ cũ duæ aquæ ad inuicẽ separatæ inter se cõnectũtur,resultat tertia quedã aqua distincta ab his,quæ prius fuerant separatæ,propter hoc tamẽ nõ desinit esse Christus sub speciebus consecratis,tũ quia illud tertiũ resultãs licet dicatur diuersum numero, quia habet plures partes coniũctas,& cõtinuatas inter se,quã antea erãt cõtinuatæ,tamẽ retinet ipse priores partes consecratas. Tum etiam,nã quemadmodũ dum hostia consecrata in sacrificio Missæ diuiditur in tres partes,relultant tres hostiæ distinctæ,& tamẽ Christus perseuerat sub illis omnibus speciebus diuisis,ita etiã,cum species vini cõsecrati,quæ prius fuerãt diuisæ ab alijs speciebus,coniũguntur postea speciebus vini consecratis , aut non consecratis ,licet resultet vnũ Tertiũ distinctũ ab alijs prioribus,semper tamẽ sub speciebus consecratis erit Christus,sicut antea erat:neq; enim in vtroq; casu disparem rationem quantum ad hoc assignare poterimus.

Secũda cõclusio.Si liquor,qui admiscetur, sit diuersæ speciei,& in parua quantitate,& admisceatur multis speciebus vini cõsecrati, conuertitur in vinũ ratione actiuitatis vini;sicut si parua aqua infundatur dolio vini. Hoc patet supposita cõclusione 3. quæst. 27. quod si vino consecrato misceatur liquor diuersæ speciei in æquali quantitate,vel maiori ita vt possit species consecratas vsque ad corruptionem alterare,tunc desinet esse Christus sub illis speciebus, quia non manebunt illæ species in rerum natura.

5 Vellẽ equidẽ aliquam cõgruentẽ expositionem verbis D.Thomæ adhibere, vt non videretur esse cõtrarius nostræ doctrinæ,sed potius patronus eius,quia gaudere soleo vehementer, dũ eius patrociniũ sequor.Sed tamen,vt notauit *Suarez 3.tom.in 3.p.d.57.sect. vltima verba D.Thomæ*, ita aperta sunt in corpore prædicti articuli,vt nisi eis vim inferamus,non possimus ea in fauorem nostræ sententiæ interpretari,ob hoc tamen non audemus deserere prædictam nostram doctrinam , quam neque ausi sunt desrrere aliqui recẽtiores discipuli Diui Thom.non obstante doctrina D.Thomæ.loco citato.

6 Sed quæres,quid faciẽdum sit,cum vinũ cõsecratũ in parua quantitate admiscetur dolio vini nõ consecrati? Huic difficultati facile respondetur, totũ illud doliũ maxime seruandũ esse, & fidelibus post sumptionẽ Eucharistiæ cũ magna reuerentia distribuendum propter A species vini cõsecrati,quas in se cõtinet, nã cũ species cõsecratæ nõ possint separari ab speciebus non consecratis,sed potius sint illis admixtæ,in omnium illarum distributione maxima cura adhibendã est.

QVAESTIO XXX.

Vtrùm Christus distincta actione gratias egerit super panem, & vinum , ipsaque benedixerit,ac consecrauerit?

B TRIA referũt Euangelistæ Christũ præstitisse, cũ hoc sacramẽtũ Eucharistiæ instituit, scilicet gratias egisse, benedixisse,& verba consecrationis protulisse. Quidam asserunt idem omnino fuisse benedictionẽ,& consecrationẽ,ita sentiunt *Durand. in 4. d.8.q 2.membro 23 Hugo Cardinal.de sancto Caro.in illud Matth.c.4.Hoc est corpus meum* Et alij, Probatur primo quia *Paulus 1. ad Corinth. 10. sic ait,Calix benedictionis,cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Secundo probatur, quia verba consecrationis possunt dici benedictio,ergo nõ est necessariũ,aliam actionẽ distinctã à consecratione inuenire. Sed hæc sententia nõ probatur ex eo, quod *Concil.Tridentin.* Plane videtur has duas actiones distinguere dum *sess.13.c.primo*, Sic inquit. *Cum post C panis,viniique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere,ac suum sanguinem disertis,ac perspicuis verbis testatus est.* Vnde; ad primum argumentũ in oppositum respondetur, Paulum calicem sanguinis appellasse calicem benedictionis,vel quia alia peculiari benedictione distincta à consecratione benedicitur,vel , quia ipsa consecratio potest dici benedictio , ob id tamẽ non negatur alia benedictio distincta Ad secũdũ respõdetur, ipsam consecrationẽ posse dici benedictionem,ob hoc tamen non esse negãdam aliã benedictionẽ distinctã,vt postea patebit. Secunda sententia docet gratiarum actionem,& benedictionem Christi idem omnino fuisse. Ita docuit *Armacanus lib. 9. quæstionum, contra Armenios,cap.5.*

D Sit prima conclusio, Gratiarũ actio, benedictio,& cõsecratio panis,& vini distinctæ actiones fuerunt in Christo. Ita *Dominicus Sotus in 4.d.1 r.quæst.1. art. 2.post medium.* Nouissime *Vazquez 3.to.in 3.p.d 196.c. 2.* Probatur,quia hoc fuit semper in more positum , vt cum fieret Deo gratiarum actio super rem aliquam, statim sequeretur benedictio ipsius rei, præsertim in cibo,& potu, vt *Paul.docet primo ad Timoth 4.dicens nihil reijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur,sanctificatur enim per Verbum Dei,& orationem.* Id est per benedictionẽ.

Ergo cũ Christus gratias egit super rẽ aliquã, præsertim cibũ,& potũ,etiã si nõ fiat mẽtio benedictionis,intelligitur, post gratiarũ actionẽ benedictionẽ præmisisse distinctã à cõsecratione.Sed ꝙ cõsecratio à benedictione fuerit distincta,probatur primo ex rituali Romano,vbi Sacerdos prius gratias agit oculos leuando, & postea benedicit,hostiã cruce signãs,& postea cõsecrat,& *Trident.sess.13.c.1.*sic ait,*post panis, viniq̃ue benedictionẽ se suum ipsius corpus illis præbere,ac sanguinem suum disertis,ac perspicuis verbis testatus est.*

3 Sit secũda conclusio. Christus Dominus in nocte cœnæ prius panẽ fregit,quã cõsecrauit, ita sentiunt, *D.Bonauent.in 4.d. 8.p.1.art. 2.q. 3.ad secundũ Clemens Romanus lib.8.constitut.c. 12.*Nõ longius à fine. Probatur,quia hæc ratione recte intelligitur,& fincere textus Euangelistarũ,qui omnes præmittunt fractionẽ consecrationi,*Matth. enim,ca.26.* sic ait.*Cœnantibus autẽ eis accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit, dedit q́; discipulis suis,& ait:accipite, & comedite: Hoc est corpus meũ.*Christus verò diuidens panẽ in singulas particulas omnes eas simul cõsecrauit positas in patena,ex qua quidẽ quilibet Apostolus suã partẽ accipiebat propria manu: imò vnũ tantũ calicẽ consecrauit, quem dedit Apostolis,vt illi ex eo suis manibus biberent. Quod tũ patet ex verbis Euangelistarũ; *Accipite,& comedite,accipite, & bibite.* Tum quia,vt patet ex *Cõcil.Tolet.primo Canon.14.*Antiquitus sacrũ Christi corpus in manus fideliũ tradebatur,vt ipsi suis manibus illud sumerent. Quod manifestũ fuit indiciũ,in nocte cœnæ, dũ hoc sacramentum fuit institutũ,quemlibet Apostolũ propriis manibus accepisse suã portionẽ sacramentalẽ. Et confirmatur præcedẽs doctrina ex facto Christi in Emaus, vbi duobus discipulis ministrauit suũ corpus:& quod ibi suũ corpus ministrauerit, patet, quia eodem ordine, quo Christus dicitur,fregisse in nocte cœnæ corã omnibus Apostolis, eodẽ modo refertur à *D.Luc.c.24.*Christũ se fregisse corã duobus discipulis in castello Emaus. Vt patet ex illis verbis Lucę.*Accepit panẽ,& benedixit,ac fregit, & porrigebat eis.*Quo tẽpore in fractione panis discipuli cognouerunt Christũ, quia viderũt, eum fregisse panẽ in singulas partes iuxta numerũ cõuiuarũ,quod cum illũ erat consecraturus facere solebat, ergo etiam in nocte cœnæ panem distribuit in singulas partes, antequam eas consecraret.

4 Qua verò ratione intelligãtur illa verba *D. Lucæ.c.22 & accepto calice gratias egit, & dixit; Accipite, & diuidite inter vos,dico enim vobis, quod non bibã de generatione vitis,donec regnũ Dei veniat:& accepto pane gratias egit,& fregit,& dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,hoc facite in meã commemorationem. Similiter,& calicem post quam cœnauit dicens: Hic est* A *calix nouũ Testamentũ,&c.* Videat lector apud *Iansenium c.131. concordiæ Euangelicæ.* Ad nostrũ enim institutũ non attinet examinare, an scilicet ibi fiat mẽtio duorũ calicũ, vnius continentis sanguinẽ Christi,alterius vero non continentis illũ,neque ad nos etiã attinet examinare intelligentiã eorum verborũ, non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat,quod optime disputauit *Vazquez 3. tomo in 3.p.disp.196.â c.4.*Harum enim difficultatũ solutio potius attinet ad sacræ paginæ expositores,quàm ad nos,qui doctrinam morum præcipue inquirimus.

QVÆSTIO XXXI.

B *Vtrùm Ecclesia eisdem verbis vtatur in consecratione corporis, & sanguinis,quibus Christus est vsus.*

QVIDAM senserũt,Christũ nullis verbis vsum fuisse ad cõsecrandũ,sed sola sua diuina virtute Consecrasse.Quã sententiã tuentur Catherinus in tractatu de hac re,cui titulus est: Quibus verbis Christus Eucharistiæ sacramẽtũ cõfecerit,vbi pro sua sententiã alios refert Doctores.Probatur primo, quia neque ex scriptura,neq; ex Ecclesiæ definitione constat, Christũ his verbis,quibus nunc consecrat Ecclesia, consecrasse. Secundo quia Christus prius egit gratias Deo,& benedixit panẽ,quã vteretur illis verbis:Hoc est corpus meũ.Sed benedictio panis fuit eius consecratio,ergo illis verbis nõ consecrauit.Tertio probatur, quia hæc verba nõ significant aliquid fieri,sed iã factũ esse. Ergo vt vera sint, prius debuit fieri consecratio alio modo.Quarto probatur,quia *D. Marcus c. 14.*Prius narrat Christũ dedisse calicẽ discipulis,quã diceret verba illa, Hic est sanguis meus.

Sit prima conclusio.Christus eisdem verbis semel tantum prolatis,quibus nunc vtitur Ecclesia, consecrauit. Hæc conclusio ita vera est,& inter scholasticos communis, vt oppositum aliqua nota sit dignum. Probatur ex D *Concilio Trident.sess.13.c.1.*vbi sic dicitur.*Apertissime professi sunt,hoc tam admirabile sacramentũ in vltima cœna Redẽptorem nostrum instituisse, cũ post panis, viniq̃ue benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est.*Cum enim Christus ipsa consecratione instituerit hoc sacramentũ, recte sequitur illis verbis consecrasse corpus,& sanguinẽ suũ.Siquidẽ illis fuit sacramentũ institutũ.Præterea probatur hæc sententia ex Patribus,qui aperte dixerunt, corpus, & sanguinẽ Christi prædictis verbis esse consecratũ à Christo,nã nullus est,qui oppositũ asserat,vnde

rat, vnde sententia Cather. temeraria est. *Iustinus in secunda apologia pro Christianis prope finem* inquit, *sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo recepimus, consecratus est, &c. nullum alium sermonem pro consecratione à Christo recepimus, nisi illum, Hoc est corpus meum, & hic est calix, &c. Tertul. lib. 4. contra Marcionem ca. 40. sic ait, de Christo, acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meū dicendo.* Pro eadē veritate allegat alios Patres *Vazquez 3. tomo in 3. p. disp. 197. cap. 1.*

3 Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primū dicimus, nostrā sententiā constare ex sensu Ecclesiæ. Ad secundū dicimus, Christū prius benedixisse panem, quam verba illa protulerit, non tamen ea benedictione consecrasse, vt patet ex præcedenti quæstione. Ad Tertiū dicimus, illa verba tā in ore Christi, quam Sacerdotū vere efficere id, quod significant, vt supra explicuimus. Ad quartū respondentur, D. Marcum per anticipationē loquutum esse, prius explicando haustum calicis, quam eius consecrationem, at alij Euangelistæ non eo ordine rem narrant.

4 Secūda sententia fuit Græcorū asserentiū, non solis verbis, quibus nunc vtitur Ecclesia Latina, fieri consecrationē, nisi preces addantur, quibus à Deo postulatur, vt panis in corpus, & vinū in sanguinem conuertantur, ita docuerunt *Marcus Episcopus Ephesinus in libro de verbis consecrationis, & Nicolaus Cabasilat in expositione liturgiæ, quæ est in tomo 6. ant. 4. Bibliothecæ Sacræ à cap. 27. vsque ad 30.* Probatur hæc sententia primo ex *Liturgia Sancti Clementis, quæ est in lib. 8. constitutionum Apostolicarum cap. 12. alias 17.* vbi post illa verba, *Hoc est corpus meum*, Et post illa, *Hic est sanguis meus*, additur, *Vt superueniens sancta, & bona, & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & respondet populus, amen*, Et subiungitur, *& calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, & respondet populus, amen.* Secundo probatur ex *Dionysio, quit. 3. de Eccle siast. Hierarch.* Post illa verba hoc facite in meā cōmemorationē, quæ dicūtur post illa verba, Hoc est corpus meū, & hic est calix meus, &c. ponit cōsecrationē, ergo aliquæ preces dicuntur necessario in cōsecratione præter prædicta verba. Tertio probatur ex Missa Latina, nam post illa verba, *Hoc est corpus meū*, &c. ait Sacerdos, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuū*, Vbi significatur panē, per manus Christi transferti in sublime altare, vt fiat corpus ipsius. Quarto probatur, ex modo loquendi aliquorum patrum, qui dicunt panem, & vinū precibus, & orationibus a Sacerdotibus consecrari, sed illa verba, Hoc est corpus, non habent formā orationis, ergo alia sunt necessaria ad consecrationem præter illa.

5 Sit secūda cōclusio de fide verbis illis, *Hoc*
A *est corpus meū, & hic est calix, &c.* Absque vlla alia oratione cōficitur cōsecratio panis, & vini. Probatur primo Ecclesiæ Latinæ traditione, nā in Missa, immediate atq; Sacerdos prædicta verba protulit, panē, & vinū cōsecratum tanquā verū corpus, & sanguinē Christi populo adorādū proponit, & simile apparet in Ecclesia Græca. Secūdo probatur, quia ex eo, quod dixerit Christ' corpus suū id, quod sub specie panis offerebat, colligit *Trid. sess. 13. c. 4.* cōuerti totā substantiam panis, & vini, in corpus, & sanguinē Christi, ergo per illa verba efficitur consecratio, & non per alia. Tertio probatur, quia nos ad imitationē Christi cōsecram', sed Christus in sententia Græcorū prędictis verbis tātū cōsecrauit sine alia oratione; ergo, & nos
B eodē modo cōsecramus. Quarto probatur ex multis sanctis Patribus, *vt D. Ambros. li. 4. de sacramētis c. 4. & August. serm. 28. de verbis Domini*, Vbi dicunt sermonibus Christi sacramentū hoc cōfici, *& Eusebius Emissenus homil. 5. de Paschate* sic ait, *Inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substātiā corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens. Accipite, & edite, Hoc est corpus meum, &c.* ¶ Ad argumenta Græcorum respōdetur. Ad primum Sacerdotē tūc nō orare, vt panis fiat corpus Christi, sed vt nobis spiritualiter proficiat. 6 Qua ratione dicitur in Missa Latina, hæc commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu fiat accipientibus nobis in vitā æternā. Ad secundū respōdetur, Dionysiū verba illa, hoc fa-
C cite in meā cōmemorationē, posuisse ante illa, Hoc est, &c. vt Sacerdos illis se excusaret, quod tantū mysteriū aggrederetur scilicet ex præcepto diuino. Ad Tertiū respōdetur, in illis verbis, iube hæc perferri &c. peti à Deo vt tale sacrificiū nobis proficiat spiritualiter. Ad Quartū respondetur, patres vocare preces, & orationes verba cōsecrationis, Hoc est corpus meū, & hic est calix, &c. quia ea verba prolata ea fide, qua Christus instituit hoc sacramentū, vim habēt deprecationis, quia impetrāt à Deo consecrationem, vt à causa principali, licet ea verba, & Sacerdos medijs illis concurrant ad consecrationem, vt causæ instrumentales.

7 Sed quæres, quare cū credamus post prædicta verba, Hoc est corpus meū, certo futurā cō-
D secrationē, oremus pro consecratione ante verba illa, Hoc est corpus meū? Respōdetur propter duo, primū quia adhuc pendet ex nostro libero arbitrio, & ideo à Deo petimus, vt linguā nostrā moueat, & intētionē dirigat ad cōsecrādū, quia hæc recte non possunt sine gratia Dei fieri in ordine ad finē super naturalē. Secundū vt taliter cōsecratio fiat vt nobis ad salutē animarum proficiat. Cum enim sacramentum, & sacrificium ad eam ordinētur, soliciti esse debemus, ne tanto, ac tam necessario effectu priuemur propter nostras culpas.

QVÆSTIO XXXII.

Quæ verba sint essentialia in formis cõsecrationis?

1 IN præsenti quæstione, & possimus loqui de verbis antecedentibus hæc verba, Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei, & de verbis subsequentibus has formas, & quidem licet *Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. §. de secundo dico*, Defendat in eo casu, quo verba illa quæ in canone præmittuntur, ante hæc, Hoc est corpus meũ, &c. omitterentur, consecratione nõ fieri, quia iudicat, in illis verbis qui pridie, quã pateretur, fieri mentionẽ Christi, & ratione illorum verba consecrationis referri ad Christũ, & habere vim cõsecrandi, quæ doctrinã probatur etiã *ex Ambro. li. 4. de sacramentis c. 4.* Vbi explicans sermonem Christi, quo natura mutatur in hoc sacramento, *Subdit, arripite, & edite ex hoc omnes.* Certum tamen est inter Scholasticos, quos late refert *Vazquez 3. tom. 3. part. disp. 97. cap. 1.* Verba antecedentia formã consecrationis non esse necessaria ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ. Probatur hæc resolutio, quia verba, quæ continentur in forma consecrationis, proferuntur, vt postea videbimus, à Sacerdote significatiue, & in persona Christi, & ita ex se habent perfecte significare conuersionẽ panis in corpus, & vini in sanguinẽ, ergo non indigent alijs verbis ad hanc conuersionẽ efficiendam, quia verba sacramentorum in tantum producunt effectum, in quantũ significant, est enim significatio eorum operatiua. Quod si verba formæ consecrationis ad suam significationem perfectam indigerent alijs verbis, etiam illa alia verba essent essentialiter necessaria ad consecrationem efficiendã, quod nescio, quo fundamento, aut qua consequẽtiæ doctrinę suppositis his, quæ ex eius sententia retulimus, potuit negare Scotus.

Ad primũ fundamentum Scoti respõdetur, verba formæ consecrationis habere suam perfectam significationem sine dependentia ab alijs verbis prioribus, quia proferuntur à Sacerdote in persona Christi, & cum perfecto sensu: vt postea latius apparebit. Ad secundũ argumentum Scoti respondetur, *D. Ambros.* in prædictis verbis tantum voluisse significare, ea verba esse quidem verba Christi distincta ab illis verbis, quæ referuntur ab Euangelistis; qui pridie, quam pateretur, &c.

Difficultas verò est, an illa verba, quæ in cõsecratione calicis ab Ecclesia Latina adduntur post illa verba; Hic est enim calix sanguinis mei, quæ sub hoc verborum tenore continentur; noui, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, sint de essentia formæ consecrationis calicis?

Quidam senserunt, omnia prædicta verba esse essentialia. Ita *D. Tho. 3. p. q. 78. art. 3. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 5. §. 4. Sylvester verbo Eucharistia 1. quæst. 6 dicto 4.* Et hanc sententiam veluti propriam sententiam *D. Thom. sequitur Petrus de Soto lib. de institut. Sacerdot. lect. 2. de Eucharist.* Hæc sententia probatur primo, quia omnia ista verba profert Sacerdos super calicem, tempore consecrationis eodem tenore, & eadem forma, qua illa: Hic est enim calix sanguinis mei. Sed hæc verba sunt essentialia in omnium opinione, ergo reliqua, quæ sequuntur, eodem modo debent esse essentialia, ita vt sine illis consecratio non sortiatur effectum. Secundo probatur, quia omnia illa verba præter hæc; mysterium fidei, referuntur ab Euangelistis tanquam verba Christi, ergo credendum est, ea omnia esse essentialia formæ consecrationis. Tertio probatur, quia illa verba, noui, & æterni Testamenti, &c. determinant verba antecedentia: Hic est calix sanguinis mei, significãt enim excellentem virtutem sanguinis Christi ad nostrorum peccatorũ maculas abluendas, ergo pertinere debent ad essentiã formæ consecrationis calicis. Quarto probatur, quia *Concilium Coloniense par. 7. cap. 14.* Omnia illa verba cõstituit pro forma, & *Innocent. III. in cap. Marthæ de celebrat. Miss. eadem verba proponit, & Pius V. commentarium Caietani in q. 78. 3. part. in impressione Romana*, in qua contraria sententia continebatur, expungi fecit, & in suo catechismo excudi mandauit hanc sententiam D. Thom. quam retulimus, ergo hæc sententia vera est.

Secunda sententia est *Dominici Soti in 4. dist. 11. q. 1. ar. 3. & Ledesmæ. 1. p. quarti q. 19. art. 3.* 5
Affirmãtiũ, prædicta verba: noui, & æterni Testamenti non esse essentialia, pertinere tamen ad substantiam, & integritatem formæ. Probatur primo, quia in homine manifeste reperimus quasdam partes essentiales, cuiusmodi sunt corpus, & anima: & alias partes integrales: vt manus, & pedes. Pari ergo ratione in hoc sacramento Eucharistiæ, si inspiciamus eius formam, possumus assignare partes essentiales, scilicet, Hic est enim calix sanguinis mei, & integrales, videlicet illa verba: noui, & æterni Testamenti. Secundo probatur, quia si consecratio fiat illis verbis, quæ tradũtur à *D. Luca. c. 22. & à D. Paulo 1. ad Corinth. 11. hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine.* Verba illa, nouum Testamentum, ad substantiam formæ consecrationis pertinẽt, licet non pertineãt ad essentiã. Ergo eadẽ est ratio de his verbis, si consecratio fiat forma Latina. Tertio probatur, quia si quis baptizetur trina mersione, omnes mersiones sunt de substantia sacramenti baptismi, & ad effectum baptismi concurrunt,

runt, quamuis non omnes sint essentiales, ergo similiter possumus affirmare in nostro casu. Quarto probatur, quia pronomen, ego, in forma baptismi non est essentiale, quamuis enim tantum aliquis baptizet his verbis; baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, valet baptismus, & tamen si proferatur, est substantiale, & operatur effectum baptismi cũ reliquis verbis, ergo idem potest affirmari in forma consecrationis de his verbis: noui, & æterni Testamenti. Quinto & vltimo confirmatur sententia Soti. Quia in sacramento pœnitẽtiæ satisfactio est pars substantialis, & integralis, & tamen non est essentialis, ergo etiam prædicta verba possunt pertinere ad integritatem formæ, licet eius essentiam non constituant.

6 . Tertia sententia est recentiorum Thomist. asserentium, illa verba, noui, & æterni Testamenti, &c. esse necessaria ad essentiam formæ non quidem ex institutione Christi, sed ex intẽtione ministri ea proferentis. Probatur hæc sententia, quia si quis expressam habeat intentionem non conficiendi sacramentum baptismi, nisi his omnibus verbis prolatis: ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti ab vtroque procedentis: non conficitur sacramentum, nisi omnia illa verba proferantur, & tamen verba illa intermedia: omnipotentis, vnigeniti, & procedentis, non sunt essentialia ex institutione Christi, ergo similiter in nostro casu illa verba: noui, & æterni Testamenti, &c. Licet ex institutione Christi non sint essentialia, possunt tamen esse essentialia ex intentione ministri, cum ipse non habet intentionem conficiendi Eucharistiam, nisi his verbis integre prolatis.

7 Quarta sententia est aliorum, qui asserunt, tantũ illa verba, noui testamenti, & non alia, quæ sequuntur, pertinere ad essentiam consecrationis calicis. Ita docuit *Armachanus lib. 9. de quæstionibus Armen. cap. 3. & 4.* Probatur, hoc vnico discursu, quia omnes Euangelistæ, & Diuus Paulus dum mentionem faciunt consecrationis calicis, horum verborum meminerunt, sentiunt ergo, ea verba esse essentialia in consecratione calicis.

8 Quinta sententia est recentiorum Thomistarum, qui defendunt, illa verba: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, & alia, hic est enim calix sanguinis mei, esse quidem essentialia in consecratione calicis, alia vero minime esse essentialia. Probatur primo quia hoc mysterium est sacrificium incruentum, quare debet esse quædam figura, & repræsentatio sacrificij illius cruenti, quod Christus Patri obtulit in ara Crucis patienter pro nobis mortem tolerando. Ergo de necessitate formæ est, in ea fieri expressam

A mentionem effusionis eius sanguinis, qui in passione Christi largissime pro nobis effusus est. Quam mentionem, quia continent verba illa: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, ideo illa pertinere debent ad essentiam consecrationis. Secũdo probatur, quia omnes Ecclesiæ vsæ semper sunt his verbis in consecratione calicis, & omnes Euãgelistæ. Quod si Paulus eorum nõ fecit mentionem *1. ad Corinth. 11.* id ex eo est, quia continentur in illis verbis eius: nouum Testamentum: ergo credendum est, hæc verba esse necessaria ex præcepto Christi, ergo, & pertinere ad essentiam, nam Christus, quod non pertinet ad essentiam sacramentorum, nõ constituit sub præcepto.

B Sit tamen prima conclusio. Omnia illa verba, noui, & æterni Testamenti, & alia, quæ postea sequuntur, non pertinent ad essentiam formæ consecrationis calicis, sed ante ea constituitur hoc sacramentum. Hanc conclusionem ex antiquis defendunt *Alexand. 4. part. q. 10. mẽ. 4. art. 2. §. 4. vers. quæritur ergo verum sint de forma D. Bonauent. in 4. dist. 8. part. 2. artic. 2. quæst. 2. Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. §. de secundo dico, & §. sequente.* Dicit enim; periculosum esse asserere, prædicta verba ad formam pertinere. Et *Caiet. 3. part. quæst. 78. art. 3.* Ex nouioribus autem Theologis eam sequuntur *Vazquez loco citato, cap. 3. & Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 60. sect. 1.* Probatur hæc cõclusio primo, quia aliàs sequeretur, neque Sanctum Marcum, neque 9

C Sanctũ Iacobũ, neque Græcos, neque Æthiopes, neque olim Moçarabes in Hispania vere consecrasse calicem, quia non vtebantur, vt apparet ex eorum Liturgijs, quæ habentur *in 6. aut. 5. tomo Bibliothecæ Sacræ.* his omnibus verbis, quibus vtitur Ecclesia Latina: forma enim Sancti Iacobi hæc erat: hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, & datur in remissionem peccatorum. Et eadem erat forma Marci, & Basilij, forma Æhtiopum hæc erat, hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum; in quibus formis desunt verba illa mysterium fidei, quis autem dicat Christum cum his dispensasse in forma consecrationis, cum ad hoc nullum appareat fundamentum, aut quis asseuerabit, Ecclesiam in hoc dispensasse, cum Ecclesia non

D possit dispensare in materia, & forma sacramentorum. Nec valet, si quis huic difficultati respondeat, illas Ecclesias ignorantia laborasse, atque ita vere non consecrasse. Hoc enim incredibile est de illis Ecclesijs, quæ diu hoc modo consecrarunt: quo tempore Ecclesia Romana sine dubio cognouit eam cõsecrationis formã, & si eam cognouisset in aliquo essentiali deficere, sine dubio talẽ errorẽ correxisset, nec vlterius progredi permitteret,

ret, tum etiam quia forma illa Missæ Moçarabum à Beato Leandro Archiepiscopo Hispalensi instituta perseuerauit in Hispania tota multo tempore, & vsque ad tempora Alfonsi VI. Præterea huiusmodi responsum ex eo sufficienter reprobatur, quia Ecclesia Græca, quæ regebatur per Beatos Christi discipulos Iacobum, & Marcum, vsque ad nostra tempora nō vtitur in forma consecrationis calicis omnibus his verbis, quibus vtitur Ecclesia Latina, & tamen non reprehenditur ab Ecclesia Latina propter hunc defectum **in Concilio Florentino sess. vltima in literis vnionis.** Vbi dum sermo esset de cōsecratione, opportuna se obtulerat occasio reprehendendi Græcos, si aliquem in consecratione errorem cōmitterent, ergo sine periculo affirmari non potest, eam Ecclesiam Græcam in re tanti momenti, & ita ad salutē necessaria aut ignorantia lapsam esse, aut errore deceptam. Secundo probatur eadem conclusio, scilicet Græcos, & Æthiopes, ac Moçarabes vera, ac sufficiēti forma in cōsecratione calicis vsos fuisse ex multis Sanctis Patribus Græcis, & Latinis. Hāc enim veritatem satis aperte docuerunt **Author sermonis de cœna Domini apud Cyprianum. Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 5. Iustinus in secunda apologia in fine, Chrysostomus homilia de proditione Iudæ.** Tertio probatur ex **Concil. Trident. sess. 13. cap. 4.** Vbi Concilium ex eo, quod Christus dixit, id quod offerebat sub speciebus panis, esse corpus suū, & ex eo quod dixit Christus, id quod offerebat sub speciebus vini, esse sanguinem suum, & nō ex alijs verbis, colligit conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem. Sed ad hoc tantum sunt necessaria illa verba, ***Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei.*** Quia totum illud sufficienter significatur his paucis verbis, ergo huiusmodi prædicta verba sunt essentialia in formis consecrationis, & non aliqua alia. Quarto probatur, quia si illa verba, quæ adduntur à Latina Ecclesia in consecratione calicis, scilicet, mysterium fidei, & qui pro vobis effundetur, sunt essentialiter requisita ad formam consecrationis calicis, sequitur etiā illa verba, quæ addūtur à Græcis in forma cōsecrationis panis scilicet. Quod pro vobis frangitur, vel traditur, esse de essentia formæ consecrationis panis. Quia omnia prædicta verba prolata sunt à Christo, vt patet ex contextu Euangelistarum, & omnia illa deseruiunt ad melius declarandam formam consecrationis, sed illa verba quod pro vobis frangitur, vel traditur, nullus fatebitur essentialiter requiri ad consecrationem panis, ergo nullus etiam fateri debet illa verba, qui pro vobis effundetur, essentialia esse in consecratione calicis, vtrorumque enim verborū similis est significatio, & ita parē conuenit esse necessitatē.

10 Ex his non erit operosum argumentis in oppositū satisfacere? Ad primū dicimus, ideo omnia illa verba noui, & æterni Testamenti, &c. proferri à Sacerdote eodē tenore verborū super calicē, quia Ecclesia Latina voluit, nō tā tū ea verba proferri, quæ sunt essentialia ad cōstitutionē formæ cōsecrationis, sed etiam ea, quæ ad maiorē explicationē conferre possunt. Ad secundū argumentū respōdetur, nō recte colligi ex eo, quod Christus addiderit illa verba noui, & æterni Testamenti, &c. ea esse essentialia, nā etiam in consecratione panis addidit Christus illa verba, quod pro vobis tradetur, & tamē sine dubio illa nō sunt essentialia. Potuit enim Christus ad maiorē explicationem formæ essentialis, aliqua verba addere, licet ea minime requirātur essentialiter. Tertij argumēti solutio ex eo patet, quia licet verba illa determinent, & explicent ea, quæ essentialia sunt, nō tamē ex hoc sequitur ea esse essentialia. Ad quartū respōdetur Conciliū Coloni. & Innocentiū in cap. cum Marthe tātū voluisse, ea omnia verba recitāda esse pro forma, quia sunt explicatiua verborū essentialiū formæ cōsecrationis, nō quia ipsa sint essentialia. Ad authoritatē Pij V. asserimus, illum non definisse D. Tho. sententiā, ex eo quod iusserit expungi sententiā Caietani oppositā ex cōmentarijs Caietani, sed hoc ex eo præstitisse, quia Caietanus explicans suā sententiā nobis fauētem, nō curauit de sentētia D. Tho. quæ oppositū videbatur indicare, quā tamen tenebatur aliquo modo explicare tāquā eius commentator. Ad illud argumentū desumptū ex Catechismo Pij V. respōdetur, catechismū nō declarasse omnia illa verba esse essentialia: Sed recitari in forma consecrationis calicis, quod verū est, vt patet ex vsu Romanæ Ecclesiæ, ex quo tamen non licet inferri, ea omnia verba essentialiter requiri ad formam consecrationis. Et licet catechismus declararet ea omnia verba esse essentialia, non tamen propter hoc nostra sententia dānata foret, quia catechismus nō habet authoritatē Pontificiā, sed tantū authoritatem quorundam authorum Theologorū, qui iussu Pontificis conuenerunt ad ea ordināda, quæ continentur in catechismo.

Secūda conclusio. Illa verba noui, & æterni 11 testamenti, & reliqua, quæ apponuntur in forma consecrationis calicis, nō pertinent ad substantiā, seu integritatē eius formæ. Probatur, primo, quia iuxta doctrinam D. Thom. nō est assignanda differentia inter id, quod est de essentia, & id quod est de substantia sacramentorum. Nā disputans, *D. Thom. 3. p. q. 60. art. 8.* De mutatione formæ sacramentorum in vniuersum, sic inquit, ***Manifestum autem quod si diminuatur aliquid illorum, quæ de substantia formæ sacramentalis sunt, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur sacramentum,*** Ecce vbi Diuus Thomas substantiam

vsurpat pro essentia, siquidem asserit, substantiam esse eam, sine qua non perficitur sacramẽtum: id autem, sine quo sacramentum non potest perfici, essentiale est ipsi sacramento. Probatur secundo conclusio, quia si propter aliquam rationem esset admittenda in sacramento hæc distinctio partium, essentialium, & integralium, maxime propter aliquã ex his, quas notauit Dominicus Sotus loco citato, & alij Thomistæ notarunt, sed nulla illarum vrget, ergo non est affirmandum, aliqua verba esse de substantia, & integritate, licet non sint de essentia. Prima enim ratio adducta pro sententia Soti vim non habet, scilicet in homine distingui partes essentiales, scilicet corpus, & animam à partibus integralibus, scilicet à manu, & pede, sine quibus essentia hominis recte coalescit, atque ità simili modo in hoc sacramento posse partem essentialem ab integrali distingui, contra hoc enim pugnat manifeste, quod in homine est compositio physica, cuius sunt partes materia, & forma, & est quantitas, quæ tribuit ei partes integrales, vt manus, pedes, &c. In forma autem Eucharistiæ non reperitur aliquid simile, ob quod possint partes essentiales à substantialibus, seu integralibus distingui. Non vrget etiam secunda ratio, quia in illa forma Pauli: *Hic calix nouum Testamentum est in sanguine meo.* Illa verba: nouum Testamentum, pertinent ad essentiam formæ, quia sine illis alia non habent perfectum sensum, quia casus obliquus, in sanguine, non habet sensum sine alio casu in recto, scilicet nouum Testamentum, cum eo autem reddit hunc sensum, calicem illum esse nouum Testamentum, non secundum se, sed ratione sanguinis Christi. At vero in forma Latina ante verba illa: noui, & æterni Testamenti, est sensus perfectus, & ita alia neque ad essentiam, neque ad substantiam pertinent. Neque etiam vrget aliàs tertia ratio de trina mersione. Nam si verba formæ non finiantur ante trinam mersionem, sed simul cum illa, tunc erit solum perfectus effectus baptismi, & ipsum sacramentum erit perfectum, quia tunc solum adhibetur vera forma; at vero, quia ante illa verba: noui, & æterni Testamenti, &c. Est perfectus sensus formæ, ideo ea non pertinent ad formam. Neque etiã vim habet quarta ratio Soti de particula, ego in forma absolutionis: quia hæc particula necessario debet intelligi in forma absolutionis absolute, ita, vt sine ea non efficiat verum sensum. Vnde si exprimatur, ad formam pertinet, & effectum causat. At vero non sic contingit in illo additamento formæ calicis, quia illud non necessario includitur in forma consecrationis. Non etiam vim habet vltima ratio illa desumpta ex operis satisfactione in sacramento confessionis, nam hæc ex eo non est pars essentialis, quia, cum deseruiat solum ad remissionem pœnæ peccatorum, sine hac potest esse remissio culpæ: est vero pars integralis, quia cum remissione pœnæ perficitur effectus confessionis, qui est remissio culpæ: hæc autem in sacramento Eucharistiæ distingui non possunt. Et confirmatur, quia, si prædicta verba ad substantiam formæ pertinerent, & effectum Eucharistiæ causarent, hoc esset ex Christi institutione, & non Ecclesiæ, & ita Græci, qui semper omiserunt aliqua verba ex illis, vel semper peccassent, vel semper essent lapsi ignorantia. Quod sine errore dici non potest.

Ex his patet ad argumenta Dominici Soti in principio quæstionis allata. 12

Tertia conclusio. Prædicta verba non sunt essentialia ex intentione ministri. Probatur, quia si ex sola intentione ministri possent addi verba essentialia, sequeretur, multa alia posse quotidie addi formæ sacramenti Eucharistiæ, quod est absurdum, neque enim credendum est, Christum tantam potestatem ministris reliquisse. Vnde ad id, quod dicitur: in forma baptismi illa verba addita ex intentione ministri: omnipotentis, vnigeniti, & procedentis esse essentialia, respondetur, neque esse essentialia, neque ad effectum baptismi concurrere, non tamen produci effectum ante, quam ea proferantur, quia antea non proferũtur alia verba, quæ sunt essentialia. 13

Quarta conclusio. Illa verba, noui Testamẽti, non sunt essentialia. Patet quia, licet omnes Euangelistæ eorum meminerint, non tamen propter hoc sunt essentialia, quia non omnes Ecclesiæ, & liturgiæ, vt vidimus, illis vtuntur. Vnde credere debemus, non esse essentialia, nam quæ sunt essentialia, vniuersalis vsus Ecclesiæ declarare debet. Dicitur vero hic, æterni Testamẽti, tũ quia per illud æterna hæreditas promittitur, tum quia hoc sacramentũ, & sacrificiũ sanguinis durabit vsque ad finem seculi. 14

Quinta conclusio. Illa verba, qui pro vobis, & pro multis effundetur, non sunt essentialia. Probatur primo, *Diuus Paulus ad Corin.* 1. c. 11. verã sine dubio formam protulit, & tamen horum verborum non meminit, ergo non sunt de essentia formæ. Neq; valet, quod hæc continentur in illis verbis Pauli: nouum Testamentum, nam licet valde obscure contineantur, tamen hæc continentia ad verum sensum non est necessaria: vnde, neque ratione illius verba sunt essentialia. Neque obstat, quod asserit supra quinta sententia, illa verba esse necessaria, vt repræsentetur effusio sanguinis Christi. Ad hoc enim respondetur, satis esse ad hoc, sanguinem per se ex vi verborum sine corpore consecrari. Nã quod expresse hoc repræsentetur, nõ est necessariũ, sed tantũ est necessarium, ea verba addere, quæ supra adduximus ex mente Concilij Tridentini. 15

16 Sexta conclusio. Hæc verba: Hic est sanguis meus, etiam constituunt sufficientem formam. Probatur primò, quia hæc verba idem significant, ac verba formæ nostræ, ergo, &c. Secundò probatur, quia illa verba proferuntur pro forma apud *Matthæum, & Marcum*, hos autem patres credendum est veram nobis protulisse formam.

17 Vltima conclusio. Conuenientior forma est illa, qua vtitur Ecclesia Latina: Hic est calix, &c. qua vtitur *Lucas, & Paulus*, vnde qui alia vteretur peccaret. Probatur, quia illa forma est in vsu Ecclesiæ Latinæ, & licet contineat metaphorã, metaphora est satis clara, & ab omnibus nota, & aptior ad denotandum, dari sanguinem sub forma potabili in vase, licet non constet, quibus verbis vsus sit Christus.

18 Prædictæ autem nostræ doctrinæ maximam ingerit difficultatem doctrina *D. Thom. loco citato*, à qua si possibile esset, neque latum quidem vnguem diuelli vellem. Verumtamen, quia maximi momenti sunt fundamenta adducta in confirmationẽ primæ conclusionis, ideò doctrinam in ea explicatam deserere non audemus. Quare ad authoritatem D. Thom. respondemus non fieri ei iniuriam, si propter tot Ecclesiarum, & Liturgiarum authoritatem ab eius opinione discedamus. Si enim D. Thom. prædicta cognouisset, credendum est de eius singulari pietate, & de eximio studio indagandæ veritatis, sententiam eum mutaturum. Nõ leue autem indicium est, Diuum Thomam prædictas consuetudines Ecclesiarum, & Liturgias minime cognouisse, quod nullam earum fecerit mentionem, quarum sine dubio meminisse deberet, vt vel illas interpretaretur, vel reijceret, si suam sententiam sectari vellet, nam D. Thom. vt suam doctrinam firmam esse ostendat, diligenter solet respondere omnibus argumentis, quæ in oppositum se possunt offerre, siue ex sacra Scriptura, siue ex sanctis Patribus, siue ex ratione naturali, siue ex alijs principijs deducantur.

19 His suppositis quæret aliquis, qua ratione intelligenda sint verba consecrationis panis, & vini? Huic difficultati respondemus, aliqua verba esse iam supra explicata, vnde alia superesse explicanda. Atq; in primis difficultas est quid significent verba illa consecrationis panis, quod pro vobis tradetur, & verba illa cõsecrationis calicis, qui pro vobis, & pro multis effundetur? In qua difficultate recentiores quidam peculiarem sentiendi viam secuti pronunciant, illa verba, quod pro vobis tradetur reddere hunc sensum, quod pro vobis diuiditur, & ita non referri ad passionem Christi, quasi in ea corpus eius diuisum sit. In passione enim Christi nullam diuisionem passum esse eius corpus, sed referri verba illa ad Eucharistiam, in qua ratione specierum corpus Christi dicitur diuidi. Probant isti Doctores primo suam sententiam *ex Paulo 1. ad Corinth. 11.* vbi loco huius nominis, traditur, vtitur Paul' quodam verbo Græco, quod Latinè sonat: frangitur vel fractum, frangi autem non conuenit Christo ratione passionis eius. Secũdum illud *Exodi 12.* quod adæmussim cõuenit Christo secundum omnium Doctorum expositionem, videlicet, *os non comminuetis ex eo*, sed tantum conuenit frangi Christo ratione specierum, sub quibus continetur, secundum illa verba *Pauli prima ad Corint. 10. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Probatur secundò hæc sententia *ex D. Chrysost.* qui fractionem corporis Christi hac ratione intelligit *Homil. 24. super 1. epist. ad Corinth. cap. 10.* his verbis, *Sed quare addidit; quem frangimus* (vbi loquitur de Diuo Paulo) *hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minime, sed omnino contra.* Illud vero verbum, effundetur, quod continetur in forma calicis, ità intelligunt prædicti Doctores, vt idem significet, ac verba illa offertur, seu sacrificatur in Missa, quæ expositio colligi videtur *ex D. Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 6.* vbi in hoc sensu videtur loqui, dũ ita asserit: *Si quotiescũque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum sumitur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur.*

Verumtamen hæc verba, traditur, seu frangitur, quæ respiciunt corpus Christi, & particula illa, effundetur, quæ respicit sanguinem, potius ad ea, quæ contigerunt in passione Christi, quam ad ea, quæ in Eucharistia accidere solent, referenda esse censemus. Hanc resolutionem docuerunt *Caietan. super 1. epist. ad Corinth. c. 11. Hosius in confessione catholica, cap. 42. longe post medium.* Atque ita significauit nobis *Diuus Anselmus super illud cap. 11. Pauli 1. ad Corinth.* vbi explicans illa verba Pauli: *Quod pro vobis tradetur*, sic inquit: *Quia hoc est corpus meũ non aliud, sed illud idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem, & crucifigetur.* Et in primis hoc probatur, quia quamuis tres Euangelistæ, cum loquuntur de effusione sanguinis, vtãtur participio, quod habet vim præsentis, ac si dicerent, effunditur, tunc autem sumitur præsens pro futuro, quia iam instabat tẽpus mortis, in quo sanguis erat effundendus, quod probat sensus Ecclesiæ Latinæ, quæ semper vtitur verbo futuri, effundetur. Quod verum esse non posset, si effunditur significat idẽ quod offertur: nam hac ratione semper pronũtiari in tempore præsenti, & non in futuro deberent illa verba, cum de facto semper in Missa offeratur. Probatur autem præterea secundo *ex Chrysostomo homil. 83. in Matth.* Vbi explicans illud, qui effundetur, ait; *Quod dicebat vt ostenderet, passionem, & Crucem mysterium esse.* Vltimò probatur, quia si verbum, effundetur, 20

deturi, significaret sanguinis effusionem non in cruce, sed in Eucharistia, non conueniret cum voce nouum Testamentum, quæ reperitur in consecratione calicis, nam, quamuis Eucharistia sit sacramentum noui Testamenti, in alio tamen diuerso sensu dicitur de sanguine Christi, quod sit noui Testamenti, scilicet, in sensu *Pauli ad Hebraeos 9.* Vbi effusionem sanguinis dicit esse necessariam ad confirmationem Testamenti illis verbis, *Testamentum in mortuis confirmatum est.* Vnde, quia vetus Testamentum sanguinis effusione hircorum, & vitulorum confirmatum est, secundum illud *Exodi 24. relatum à Paulo ibidem: sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Ideo Paulus ibidem opponit sanguinem Christi sanguini hircorum, quia sanguine Christi confirmatum est nouum Testamentum, vnde dicitur in eodem capite, Christus mediator noui Testamenti, & quod per proprium sanguinem introiessit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, sed nouum Testamentum non fuit confirmatum sanguine Christi, prout oblato incruente in Eucharistia in nocte cœnæ, quia non fuit hæc oblatio causa vniuersalis nostræ redemptionis, & gratiæ totius generis humani, sed particularis, sicut sunt sacramenta, per quæ merita vniuersalia passionis nobis applicantur, sed nouum Testamentum fuit confirmatum sanguine Christi effuso in passione, quia passione Christi consummata fuere omnia Christi merita, & nostra redemptio. Ergo sanguis Christi propterea dicitur noui Testamenti, quatenus in passione eius effusus est, & hoc significat Verbum illud, effundetur; positum in consecratione calicis.

21 Illa vero verba, pro vobis, & pro multis, hunc sensum reddunt, pro vobis Iudæis, & pro multis gentilibus, vel pro vobis manducantibus, & pro multis, pro quibus offertur, ita explicauit, illa verba *D. Tho. 3. part. quæst. 78. art. 3. ad octauum argumentum.*

22 Ex his respondetur his argumentis, quibus intendebatur probare, alias longe diuersas esse significationes eorum verborum, tradetur, & effundetur. Primo enim argumento respondemus, illud verbum frangitur *in prima Epistola Pauli ad Corinthios cap. 11.* Optime conuenire corpori Christi ratione eorum, quæ in sua passione perpessus est, in ea enim, & cutis fuit fracta corporis Christi, ac dilacerata crudelissimis flagellis, & caro eius sanctissima confracta est medijs clauis, & lancea, licet eius ossa fracta non fuerint iuxta prophetiam contentam *in cap. 12. Exod.* Secundo potest optime verificari de corpore Christi, illud fuisse fractum in passione, quia molestijs nimijs, & laboribus maximis suæ passionis vehementer fuit afflictus. Et quod hanc significationem recipiat illud verbum frangitur, primo docuit *Cicero pro Sylla dum inquit calamitate fractus.* Secundo docet vulgaris modus loquendi, secundum quem ille qui laboribus multis fatigatus est, solet dicere nostra lingua Hispana: *Estoy molido, y quebrantado.* Ad secundum argumentum desumptum ex *D. Chrysost. homil. 24.* Dicimus eo loci loquutũ fuisse Chrysost. de diuisione in frusta, quæ diuisio tantum conuenit Christo ratione specierum sacramentalium, non ratione sui, nec in ordine ad passionem eius. Illud vero verbum, effundetur, iam probauimus sanguini Christi conuenire ratione passionis. Et ad testimonium D. Ambros. respondemus, D. Ambros. non retulisse verbum, effundetur ad Eucharistiam, sed tantum voluisse significare, quotidie dici de sanguine Christi, quod effunditur in remissionem peccatorum, dum forma consecrationis calicis pronunciatur.

Quæres secundo, cur Ecclesia Latina in forma calicis addidit illa verba, qui effundetur, & non addidit in forma consecrationis panis, verbum illud tradetur? Huic difficultati facile respondetur, ex eo prædicta verba addita esse ab Ecclesia Latina in consecratione calicis, vt ostenderet nouum Testamentum multo præstantius esse Testamento veteri, nam Testamentum vetus confirmatum fuit sanguine hircorum: Testamentum autem nouum proprio sanguine Christi in passione effuso confirmatum fuit. 23

Quæres tertio, quid significent illa verba in forma consecrationis calicis, mysterium Fidei? Respondemus primo, hæc verba non contineri in Sacra Scriptura; non tamen propterea omittenda esse, quia vt constat *ex cap. cum Marthe de celebratione Missarum*, antiqua traditione Ecclesiæ à Christo fuere recepta. Secundo respondemus, his verbis explicari dignitatem sanguinis, & mortis Christi, in quibus constitit pretium nostræ redemptionis, propteres enim dicitur mysterium Fidei, quia mysterium passionis Christi omnium mysteriorum nostræ Fidei summam, & epilogum continet. 24

Quæres quarto, an particula illa, enim, in cõsecratione panis, & vini sit essentialis, an vero tantum sit necessaria ex præcepto? Et quantũ peccatum committat illam omittens? Cui quæstioni respondetur primo particulam, enim, non esse de essentia harum formarum, ita tenent omnes Doctores cum *D Thom. 3. part. q. 78. art. 2. ad quintum.* Ratio D. Thom. est quia hæc particula solum apponitur propter continuationem ad verba præcedentia, & ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam. Respondetur secundo, eam particulam omittere esse aliquale peccatum. Quia consuetudo à B. Apostolo Petro deriuata hac in re vim præcepti obtinuit. Respondetur tertio eã particulam scienter, & prudenter omittentem perpetra- 25

perpetrare peccatū mortale. Ita sentiunt *Angelus verbo Eucharistia primo n. 22. & Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 199. cap. 4.* Fundamentum huius responsi illud est, quia in re ita graui, & tanti ponderis, ac momenti illa particula grauis res censenda est, cum sit necessaria ad cōnectenda verba antecedentia cum consequentibus. Recte video alios Doctores tantum sentire, committi peccatum veniale in omissione huius particulæ, quam sententiam etiam probabilem reputo.

26 Quæres quinto, qua ratione aliæ particulæ contentæ in formis consecrationis intelligendæ sint? & an sint necessariæ? Huic quæsito dicimus primo particulam, meum, in consecratione panis, & particulā, mei, in consecratione calicis necessarias esse ad significandū, Sacerdotem consecrantem non pronunciare ea verba nomine proprio, sed nomine Christi: aduerbium autem hic non potest poni pro pronomine hoc, vel pro pronomine hic, quia vt supra ostendimus, ea ratione non fieret consecratio, nec vera conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, eo enim aduerbio tantum denotaretur præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, non desitio panis, aut eius conuersio; vt contendūt Lutherani. Secundo dicendum est, particulā illam, calix, in forma consecrationis vini inclusam accipi proprie pro poculo, & vase continente sanguinem Christi, vt optime notauit *Maldonatus in illud Matth. 26. hic calix, &c.* Præterea verbum, est, necessarium, & essentialiter debet exprimi apud Latinos, tum, quia apud eos illud verbum non intelligitur ex alijs verbis, tum, quia aliàs non redditur verus sensus. In alijs vero linguis ex earum consuetudine, & idiomate satis subintelligitur verbum, est, vt constat de Græco, & Hebraico sermone, ac Syriaco, vnde in his linguis nō est essentialiter necessaria eius verbi expressio. Tādem dicendum est, hæc verba, *Hic est sanguis meus, quæ refert D. Matthæus cap. 26. & D. Marcus ca. 14.* Quibus vtuntur Græci in Missa sancti Iacobi, & sancti Marci, & alia verba, hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, quæ reperiuntur *Apud Lucam cap. 22. & apud Paulum prima ad Corinthios 11.* Sufficientia esse ad consecrationem calicis efficiendam, quia credendum nō est, Paulum, & duos Euangelistas insufficientem formam tradidisse, dū efficiunt mentionem eorum verborum, quæ Christus in cœna pronunciauit, cùm sanguinē suum Apostolis tradidit, attamen in Ecclesia Latina, vbi consuetudo obtinuit, dicere in cōsecratione calicis, hic est enim calix sanguinis mei, &c. graue peccatum esset, vti alijs verbis etiam æquiualētibus, quia causarent scādalū, & quia in re tā graui nō licet à cōsuetudine Ecclesiæ recedere. Ita *Suar. 3 to. in 3. p. d. 60. sect. 3.*

A Et addo vltimo, de necessitate præcepti Ecclesiastici esse in Ecclesia Latina, & vbicunque viget eius consuetudo, omnia illa verba super calicem proferre. Hic est enim calix sanguinis, &c. Probatur, quia in re tam graui consuetudo, & traditio Ecclesiæ habet vim præcepti. Quare ea sine graui peccato omitti non possent. Non est autem de præcepto diuino, ea verba proferre. Probatur, quia in his, quæ sunt de iure diuino, & à sola Dei voluntate pendent, vel nequit Ecclesia dispensare, vel non dispensat communiter, & ex quauis causa: at multo tempore, vt vidimus, facta est consecratio sine illis verbis omnibus ex dispensatione Ecclesiæ, ergo non sunt omnia necessaria ex

B præcepto diuino. Omnia hæc verba sunt prolata à Christo. Hoc certum est, ita docent *D. Thom. 3. p. q. 78. art. 3. Durand. lib. 4. Ration. cap. 41.* probatur ex *canone Missæ in illis verbis: simili ter, & calicem postquam cœnauit dicens. Hic est calix, &c.* Vbi omnia verba subsequentia proferuntur, vt dicta à Christo. Tum quia eodem tenore verborum dicuntur illa: noui, & æterni Testamenti, &c. ac illa priora: hic est enim calix sanguinis mei, sed hæc, vt postea videbimus, dicuntur nomine Christi, & vt dicta à Christo, ergo & reliqua. Error est tantum accidentalis, si loco pronominis, hic, ponatur, hoc, vel è contra. Quia tantùm est error cōtra Grāmaticam. Similiter est error accidentalis, si loco hoc, vel hic, dicas, hæc res, hoc contentum, hic potus, &c. quia pronomina recte eo modo

C explicantur. Est tamen mutatio essentialis, si pro, Hoc est, diceretur hoc fiat. Quia significatur, panem fieri corpus Christi, quod in rigore est falsum, quia non remanet materia panis, in qua introducatur forma Christi. Est mutatio essentialis iuxta aliquos si dicatur: hoc est caro. Quia minus significat caro, quam corpus. Quod si *Cyprian. ait sermone de Cœna Domini.* Christum consecrasse hoc modo: hæc est caro mea, responderetur, Cyprianum prius explicuisse formam: *Hoc est corpus meum*, Et postea per modum explicationis addidisse alia: hæc est caro mea. Oppositum est verum, licet recentiores aliqui id defendant, quia caro sumitur pro toto. *Ioann. 1. verbum caro factum est. Ioan. 6. caro mea vere est cibus, &c.* Est essentia-

D lis mutatio, si loco pronominis, meum, dicatur, corpus Christi, quia sic verba non sumerentur significatiue, quod requiritur ad valorem consecrationis.

(*)

QV Æ-

QVÆST. XXXIII.

Vtrum verba consecrationis accipiatur recitatiue, an verò significatiue?

1 PRo quæstionis intelligentia notandum est, verba aliqua vsurpari recitatiue, idem esse, quod proferre aliquem ea dixisse, & illis aliquid eum significare voluisse. Qua ratione pronuncians aliquid re vera, licet mendacium pronunciet, non mentitur, sed refert, alium mentitum esse: vsurpari verò verba significatiue, idem est, quod velle aliquem ex se aliquid significare. Qua ratione dicetur ipse mentiri, si rem aliter referat, quam se habeat in se. Et vt hoc clarius intelligatur, proferre aliquid recitatiue, est, materialiter proferre, & proferre significatiue, est formaliter proferre, quia forma vocum est significatio.

2 In hac re variæ sunt sententiæ. Prima asserit, verba consecrationis vsurpari tantum recitatiue. Ita *Durand. in 4. dist. 8. quæst. 2. ad primum Catherin. in opusculo, quibus verbis Christus consecrauerit.* Et alij. Probatur primo, quia si hæc verba à Sacerdote proferrentur significatiue, essent falsa, quia in eodem sensu deberent proferri, quo prolata sunt à Christo. Sic autem falsa essent, quia non essent vera illa verba: quod pro vobis tradetur, neque illa: qui pro vobis effundetur, quia nunc non effundetur sanguis Christi, neque eius corpus tradetur: tum quia hoc modo significaretur, esse effundendum sanguinem pro alijs, non pro consecrante: quia pro Christo non erat effundendus sanguis; hæc autem omnia falsa sunt, ergo falsum est, asserere, verba consecrationis vsurpanda esse significatiue. Secundo probatur hæc sententia, quia si Sacerdos proferret verba consecrationis significatiue, & non relatiue, pronomina illa; meum, in consecratione panis, & mei, in consecratione calicis, non indicarent corpus, & sanguinem Christi, sed corpus, & sanguinem Sacerdotis consecrantis: quod absurdum esse quis non videat?

3 Secunda sententia est patris *Vazquez 3. to. in 3. part. disp. 200. cap. 2.* Asserentis, verba consecrationis vsurpari à Sacerdote significatiue, non vero recitatiue. Quod proferantur significatiue, postea probabimus, dum nostram explicabimus sententiam. Quod vero non proferantur recitatiue, probat iste author. Primo, quia, vt patet ex nostro notabili, modus proferendi verba significatiue, & modus profendi ea recitatiue sunt incompossibiles inter se, ergo non possunt simul conuenire Sacerdoti consecranti. Secundo probat suum assumptum Vazquez, quia si hæc verba proferrentur recitatiue, deberent referri ad eam materiam, quam Christus habuit sibi præsentem, dum consecrauit, non ad eam, quæ præsens est Sacerdoti, sed Sacerdos profert illa verba supra materiam sibi præsentem, ergo non se habet recitatiue.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Sacerdos ita profert verba consecrationis, vt referat id, quod Christus dixit. 4 Probatur primo ex ipso contextu canonis Missæ, vbi sic dicitur. *Benedixit, fregit, deditque, discipulis suis dicens: Accipite, & comedite, Hoc est enim corpus meum.* Vbi in tribus primis verbis refert Sacerdos, quid Christus fecerit, in verbo autem illo: dicens, refert, quid dixerit. Quare illa verba: *Accipite, & comedite,* Dicuntur à Sacerdote recitatiue, quia sunt ea, quæ immediate sequuntur post particulam illam, dicens: ergo alia etiam verba sequentia: Hoc est enim corpus meum, etiam profert Sacerdos recitatiue, quia eodem tenore verborum ea omnia verba profert; absque fundamento enim affirmabimus, post illa verba, accipite, & comedite; subito mutare Sacerdotem modum loquendi, vt proferat ea verba: Hoc est enim corpus meum.

Secunda conclusio. Verba consecrationis 5 non tantum dicuntur à Sacerdote recitatiue, sed etiam significatiue. Ita docent *Soto in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 5. post secundam conclusionem, & Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 58. sect. 4.* Probatur primo ex *D. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 5.* dicente. *Verba consecrationis pronunciari à Sacerdote significatiue, & non tantum materialiter.* Secundo probatur, quia Ecclesia ita semper intellexit verba consecrationis accedere ad panem, & vinum, vt ipsa sola in eis operentur conuersionem, non quacunque ratione, sed virtute significationis. Quod patet ex *Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4.* His verbis loquente. *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, &c.* Vbi ex veritate verborum, quæ Christus protulit, colligit Concilium hanc conuersionem, & ex significatione eorum: & ex tali veritate, & significatione, quam modo habent prædicta verba, vt prolata à Sacerdote, colligit etiam in præsenti fieri transsubstantiationem à quouis Sacerdote. Ergo eodem modo, quo Christus protulit illa verba, scilicet significatiue, profert ea Sacerdos, quia ex eisdem verbis eodem modo intellectis colligit Concilium vtrobique veram conuersionem. Probatur tertio conclusio, quia in alijs sacramentis nouæ legis verba proferuntur significatiue, & formaliter, vt cum minister baptizat dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & absoluit dicens: ego te absoluo

soluo à peccatis tuis: neque enim tunc refert miuister, Christum baptizasse, aut absoluisse. Ergo etiam in sacramento Eucharistiæ, quod alijs sacramẽtis multò excellentius est, eõcede re debemus verba, quibus conficitur, vsurpari significatiue, quia iste modus perfectior est, quam modus vsurpandi ea recitatiue. Quarto probatur, quia si verba consecrationis solum acciperentur recitatiue, & non significatiue, non esset necessarium, materiam consecrandã esse præsentem Sacerdoti tempore consecrationis, vt possit pronomine hoc demonstrari. Nam pronomen hoc recitatiue solum vsurpatum optime potest ad materiam distantem referri, nam si quis esset in Hispania, optime pos set referre, se audijsse Romæ hominem dicentem, hæc est Roma.

6 Sit tertia conclusio. Necessarium est ad con secrationis valorem, verba formæ proferre sig nificatiue, non verò est necessarium, ea referre recitatiue. Patet, quia consecratio, & conuersio non sequitur, nisi verba formæ sint vera, verba autem formarum continentia pronomina demonstratiua non possunt esse vera, nisi significatiuè proferantur, quando quidem necessario proferri debent supra materias præsentes panis, & vini, recitatiue enim prolata su pra materiam præsentem nõ essent vera, quia non est verum dicere, Christum olim dixisse, Hoc est corpus meum supra eum panẽ in indi uiduo, qui modo præsens est Sacerdoti. Sed, quod non sit necessarium ad valorem consecrationis, ea verba proferre recitatiue, inde patet, quia Concilium Tridentinum loco citato ex veritate tantum verborum, & ex significatione eorum colligit conuersionem, non verò ex recitatione.

7 Ex his respondetur argumentis oppositis. primæ sententiæ. Ad primum enim dicimus, verba consecrationis proferri à Sacerdote nõ quidem nomine proprio, sed in nomine, & persona Christi, ac si Christus tunc coram suis discipulis in cœna celebraret. Quod patet *ex Luca* 22.c. vbi dicitur. *Hæc quotiescunque feceri tis in mei memoriã facietis.* Vnde, licet Sacerdos consecrãs non habeat præsentem sibi eam materiam, quam Christus consecrauit, circa eam tamen, quam præsentem intuetur, repræsentat Christum in nocte cœnæ celebrantem hoc sacramentum. Cuius aliquid simile apparet in comœdia, vbi cernimus, priuatum hominẽ per sonam Regis repræsentare, eiusque verba assumere, quare cũ Sacerdos repræsentet Christum in nocte cœnæ consecrantem panem, & vinum, quando vere pronunciauit, quod pro vobis tradetur, & illud aliud verbum, pro vobis, & pro multis effundetur, recte possunt ver ba hæc ex ore Sacerdotis delapsa verificari. Quam ob causam Sacerdos dicens, quod pro vobis, & pro multis effundetur, non excludit

A se ipsum, sed tantum eam personam, quam repræsentat. Ad secundum argumentum respõ detur, illa verba; meum, & mei, posita in formis consecrationis, cum dicantur in persona Christi, referri ad corpus, & sanguinem Christi, non Sacerdotis. Nam vt bene *Bellarmin. lib. 4. de sacramento Eucharistiæ, cap.* 16. Longe aliter se habet Sacerdos in hoc sacramento, & in alijs: nã in hoc loquitur vt Christi minister, & vt induens personam Christi, & loquitur, ac si esset Christus. Quomodo *Exodi* 3. Angelus dicit, *Ego sum Deus*. In alijs vero sacramentis agit vt minister Christi, sed in persona sua; vt cum dicit, ego te baptizo, ego te absoluo. Nec contra possunt esse verba illa Pauli: *Paulus baptizat, Christus est, qui baptizat.* Quia in his
B denotatur hominem non esse præcipuum ministrum, sed Christum esse causam principalem.

Ad argumenta secundæ sententiæ Vazquez 8 respondetur. Ad primum dicimus, non repug nare, quod eadem verba proferantur significatiue, & recitatiue. Quando vtroque modo pos sunt cadere sub intentionem loquentis: vt si quis in concione dicat, Christus dixit, & ego vobis vere dico, diligite inimicos vestros. Et ita Sacerdos potest dicere hæc verba: Hoc est corpus meum, recitatiue, intendens referre id, quod Christus dixit, & significatiue, scilicet volẽs significare, & operari similem effectum circa hunc panem, quem Christus significauit, & operatus est circa panem sibi præsentẽ.
C Ad secundum respondetur, ea verba prolata recitatiue solum referri ad materiam, quam Christus habuit præsentem, at vero significatiue ex diuersa intentione Sacerdotis ad materiam Sacerdoti præsentem referri.

QVAEST. XXXIIII.

Quomodo accipiantur pronomina, hoc, & hic, in verbis consecrationis?

IN hac quæstionẽ variæ sunt sententiæ. Prima est Hæreticorum asserentium, hæc pronomina demonstrare substantias panis, & 1
D vini. Ita refert *Guitmundus, lib.* 2. *de corporis, & sanguinis Christi veritate in Eucharistia, non longe ante medium.* Vt defendant, in Eucharistia non esse corpus Christi præsens, neque sanguinem esse præsentem, sed tantum panem, & vinum esse figurã corporis, & sanguinis Christi. Hoc autem Hæreticum omnino est, & refutatur ex eo, quod supra docuimus, verba consecrationis vsurpari sine vlla figura, si autem pronomina hoc, & hic, pro pane supponerent, & vino, esset necessario admittenda aliqua figura.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt, 2 hæc

hæc pronomina, statim atque proferuntur, habere suam veritatem, & significare contentum sub his speciebus. Ita *Palud. in 4. dist. 8. quæst. 3. art. 1. Capreol. ead. dist. 8 quæst. vnica. artic. 3. ad primum Scoti contra quintam conclusionem.* Sed hæc sententia falsa est, ex ea enim sequitur, verum esse, dicere, panē esse corpus Christi. Patet hoc syllogismo: hoc contentum est corpus Christi, hoc contentum est panis, ergo panis est corpus Christi.

3 Tertia sententia est aliorum, qui dicunt, per pronomen hoc non significari indiuiduum determinatum, sed vagum, vt est hoc: quidam homo. Sed hoc falsum est, quia ex doctrina Logicorum indiuiduum vagum diuersum est ab indiuiduo ex demonstratione, quale est: hic homo. Nam indiuiduum vagum nihil determinatum significat, at vero pronomen, hoc, in consecratione panis significat aliquid determinatum.

4 In hac tamen re sit prima conclusio. Pronomina hoc, & hic in formis consecrationis non significāt aliquid præsens vsque ad finem prolationis totius formæ consecrationis. Hoc docent omnes authores infra citandi, & patet ex his, quæ in sequenti quæstione dicemus.

5 Secunda conclusio. Duæ sunt sententiæ probabiles, circa modum accipiendi hæc pronomina, quidam enim dicunt, hæc pronomina sumi substantiuè, & hoc demonstrare hanc substantiam indiuiduam, quæ est in fine prolationis; non explicando aliquam rationem specificam. Sicut enim dicimus: hic homo, non exprimendo an sit Petrus, vel Ioannes, ita etiam dicere possumus: hæc substantia, non explicādo, quæ illa sit. Verum enim est dicere in fine prolationis: hæc substantia est corpus meum. Et hoc docent, *Caiet. 3. p. super quæst. 78. art. 5. § circa consignificationem. Ledesma 1. part. quartæ quæst. 19. art. 5. post secundam propositionem.* Iuxta quam doctrinā idem potest dici de pronomine, hic, vt significet hunc potum, vel hunc liquorem in singulari, non denotando expresse an sit vinum, vel sanguis. Ita docere videtur *D. Thom. 3. part. quæst. & artic. citatis. ad primum argumentum.* Et hæc sententia ex eo defendi potest, quia sincere, & clare mysterium nostræ fidei declarat. Altera verò sententia est, pronomina hoc, & hic in formis consecrationis adiectiuè poni, & ita nihil aliud sub eis intelligi, neque substantiam, neque ens. Ita sentiunt *Maior in 4. dist. 8. quæst. vnica §. secundo arguitur, Maldon. in caput. 26. Matth. & Vazquez, 3. tom. in 3. part. disp. 201. cap. 4.* Quæ sententia dupliciter probatur. Primo, quia propriū est nominis adiectiui, conuenire substantiuo in genere, numero, & casu: at in hac forma: Hoc est corpus meum, pronomen hoc conuenit cū nomine, corpus, in genere, numero, & casu, ergo sumitur adiectiue. Secundo probatur, quia

A pronomen masculini generis non sumitur substantiue, sed adiectiue, vt constat inductione, ergo sub illo nihil aliud intelligere debemus, sed illud debemus ad calicem tantum referre, quod si pronomen, hic, hoc modo sumitur, cur nō etiam pronomen hoc? Neque huic sententiæ obstat, quod esset propositio identica, & idem esset, dicere: Hoc est corpus meum, ac corpus meum est corpus meū. Si ly, hoc, corpus Christi referret. Respondetur enim, non esse propositionem identicam, quia ly, seu particula, hoc, licèt ad corpus referatur Christi, quia tamē illud non explicat, sicut particula corpus, ideo propositio non est identica. Ex his autē sententijs huius secundæ conclusionis prior, quia D. Thomæ, amplectenda est.

B 6 Ex his patet, si aqua non esset in vinum conuersa initio prolationis verborum, esset tamē in fine, re vera consecrari, & esse propositionem veram: hic est sanguis, quia illud pronomen tantum demonstrat id, quod est in fine prolationis: in fine autem iam est aqua in vinum conuersa, & ita optime in sanguinem conuertitur. Debet vero aqua esse præsens à principio prolationis verborum, & non sufficit, cā fieri præsentem in fine prolationis, quamuis in vinum esset conuersa, vt notauimus in isto tractatu, quæst. 6. conclus. 4.

7 Hic quæri solet, an verba consecrationis Physice concurrant ad consecrationem? De qua re disputauimus in tractatu de sacramentis in genere quæst. 14. & ideo non est necessa- C rium, in ea quæstione modo immorari.

8 Deinde hic quæri solet, an plures formæ cōsecrationis possint concurrere ad eandem consecrationem? Sed de huiusmodi puncto satis late egimus in materia de baptismo, quæst. 13.

9 Præterea quæri etiam solet hic ab aliquibus, an verba consecrationis debeant proferri à Sacerdote? Sed hæc quæstio non pertinet ad istum tractatum, sed potius ad tractatum de sacramento ordinis, vbi nos huiusmodi quæstionem discutiemus, quæst. 2.

10 Tandem quæri solet in præsenti loco, an hæc virtus operatiua consecrationis principalius resideat in verbis consecrationis, quam in D ministro? Sed huic difficultati facilem præbemus solutionem, asserentes hanc vim immediate tantum esse in verbis, & Sacerdotem tātum concurrere proferendo verba, atque ita tantū concurrere remote, atque mediate. Nihilominus tamen secundum quādam denominationē prædicta virtus consecrandi principalius residet in ministro, & radicaliter, tum quia ipse operatur medijs verbis, tum etiam, quia ab eius intentione dependet virtus verborum, qua ratione intelligendam esse iudico doctrinam *D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 1. ad primum.* Dum hæc verba pronuntiat: *Vnde, & virtus cōsecratiua non solum consistit in ipsis verbis sed etiā in po-*

in potestate Sacerdoti tradita in sua consecratione, & ordinatione: Licèt enim virtus consecratiua in vtroque resideat, scilicet in forma verborũ, & in potestate Sacerdotis, principalius tamẽ, vt vidimus, residet in potestate Sacerdotis.

QVÆST. XXXV.

Vtrùm verba consecrationis ratione veritatis sint causa conuersionis, an ratione solius significationis prius, quam intelligantur vera.

1 IN præsenti quæstione duo examinanda sunt. Primum est quando habeant suam veritatem verba consecrationis. Secundũ est, an efficiant conuersionem, seu transsubstantiationem hæc verba ratione suæ veritatis, an vero ratione suæ significationis?

2 Circa primum punctum sit prima conclussio. Nulla propositio de tempore præsenti vera est, quandiu eius durat prolatio, Sed tantum eo instanti, quo finita est prolatio verborum. Ita sentiunt *Caietanus 3. part. quæst. 78. artic. 3. Sotus in quarto dist. 11. quæst. 2. art. 5. & Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 202. cap. 1.* Probatur conclusio dupliciter. Primo quia verba omniũ propositionum cuiuscunque temporis, nõ significant res proferentibus ea, sed audientibus, hos enim tantum facimus in cognitionem rei C venire, in quo consistit significatio, significare enim, est rem facere cognoscere, ergo quandiu ore profertur propositio, neque vere, neque salse significat, semper enim indifferens est ad recipiendam veritatem, si aliquid ei addatur, quo vera propositio, & ad recipiendã falsitatem, si aliquid addatur, quo falsa reddatur. Et hoc tam verum est in propositionibus practicis, quam in speculatiuis. Secundo probatur, quia præsens vulgo accipitur, non pro solo instanti, sed etiam pro tempore futuro paulo post illud instans, quod dicitur esse præsens: vnde vera est propositio, si quis dicat, Eccè ego iam taceo, si statim taceat: ergo recte ostenditur verbo de præsenti, & cum veritate affirmatur esse, quod statim futurum est. Vnde D sequitur, verba consecrationis nondum habere suam veritatem donec finiatur eorum prolatio. Vnde primum non esse prolationis, est primum esse veritatis propositionum de præsenti, & verborum consecrationis vtriusque formæ.

3 Restat ergo secundum punctum, an verba consecrationis (& eadem est ratio de verbis aliorum sacramentorum respectu suorum effectuũ) sint causa efficiens conuersionis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem ratio-

A ne suæ veritatis, an vero ratione suæ significationis? Licet vtraque tam significatio, scilicet quam veritas propositionis vocalis solum sit ens rationis, & solum possit esse causa moralis non Physica conuersionis, *Sotus 4. dist. 11. q. 1. art. 5. non longe à fine, & Caietanus 3. p. q. 78. ar. 5.* Sentiunt non solum significationem, sed etiã veritatem verborum esse causam conuersionis in sacramento Eucharistiæ, & aliqui recentiores nostræ scholæ Salmantinæ huic adhærent opinioni, quorum fundamenta postea subijciemus.

Sit secunda conclusio. Verba consecrationis sunt causa conuersionis in Eucharistia, non quatenus vera sunt, sed quatenus significant eam conuersionem, vnde ratione alicuius 4
B prioris veritate efficiunt conuersionẽ (. Prior est enim significatio quam veritas, vt postea videbimus). Ita sentit *Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2.* probatur conclusio. Nam ex eo quod ex diuino mandato, hæc verba ita ex se significantia à Sacerdote assumantur, hanc vim habent ex diuina voluntate, scilicet efficiendi, id quod significant, & efficiendo id, quod significant, suam significationem veram reddunt, ne verba à Deo instituta falsa sint, si effectu ipso defraudentur, veritas autem verborum est causa finalis huius virtutis operatiuæ, quam Deus communicauit verbis, ideo enim simplici vocum significationi contulit Christus hanc virtutem, vt nomine ipsius prolata veritatem consequantur. Secundo probatur conclusio quia C omnis causa in rebus creatis prior est suo effectu: sed veritas non est prior conuersione, sed posterior, ex eo enim vera est forma consecrationis, quia cõuersio facta est, at vero significatio prior est conuersione: ergo verba consecrationis tantum possunt causare conuersionẽ ratione significationis, & non ratione veritatis.

Contra prædictam tamen doctrinam obijcies primo *Concilium Trident. sess. 13. ca. 4.* Vbi ex veritate verborum colligit Conc. cõuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinẽ Christi? Sed respondetur, consequentiam Concilij esse quidem optimam, sed esse à posteriori, & ab effectu, sicut ex eo quod homo sit risibilis, recte colligitur à posteriori, quod sit rationalis? 5

Obijcies secundo, quia verba consecrationis 6
D considerari non possunt vt significantia, quin etiam intelligantur vere, vel salse significare, quia in illo priori significationis, aut sunt vera, aut falsa. Sed respondetur negando antecedens, & dicimus significationem non se habere respectu veritatis, vel falsitatis, tanquam genus, & vniuersale, sed se habere tanquam subiectum commune veritatis, vel falsitatis, quia eadem significatio, & potest esse vera, & falsa, vt hæc propositio. Dies est, vera est orto sole, & falsa est tempore noctis, & ita significatio est prior aliqua ratione veritate, vel falsitate. Tum quia est

quia est quædam causa materialis veritatis, & falsitatis, & omnis causa est prior suo effectu, tum quia à significatione à veritate non valet subsistendi consequentia, vt minime valet dicere est propositio significans, ergo est vera, sicut minime etiam valet inferre est animal, ergo est homo.

8 Tertio obijcies, significatio est ens rationis, ergo verba ratione significationis non possunt esse causa conuersionis. Sed huic difficultati facile satis fit ex eo, quod verba consecrationis tantum sint causa moralis transsubstantiationis, quare ratione significationis possunt eam causare, licet significatio tantum sit ens rationis, causalitas enim moralis non includit influxum physicum in effectum, sed tantum impetrare à Deo, vt ad præsẽtiã causę Deus physice producat effectũ, vnde non requirit entitatem, aut existentiam realem, sed contenta est entitate rationis.

9 Pro sententia nostrorum recentiorum obijcies quarto, quia quando causa est aliqua relatio non debet esse prior nec re, nec ratione suo effectu, vt apparet in diuinis personis, nam Pater, vt pater, est principium Filij, & non potest esse, nec intelligi sine illo, & actio est via ad terminum, & tamen non potest esse, neque intelligi sine termino, sed veritas formæ consecrationis est quædam relatio, quia veritas consistit in relatione adæquationis intellectus ad rem, ergo etiam si sit causa conuersionis, non tamen est prior conuersione. Ad hoc tamen argumentum respondemus, omnem causam creatam esse priorem suo effectu prioritate naturæ, licet non possit intelligi in ratione causæ sine effectu, non quidem existenti, sed futuro: quia ratio causæ consistit in relatione quadam transcendentali ad effectum. Licet enim ea, quæ sunt relata relatione prædicamentali, taliter se habeant, vt vnum non possit esse prius alio natura, tempore, & cognitione, vt in humanis patet, vt pater nullo modo est prior filio, quando vero sunt relata aliqua duo relatione transcendẽtali, recte potest vnum esse prius alio, vt substantia, quæ est causa suarum passionum, est prior natura illis. Ad illud de personis diuinis respondemus, tum relationes in diuinis se habere ad modum re-

A lationum prædicamentalium, & non transcendentalium, quantum ad simul esse eundem cum suo termino, tum diuersam esse rationem inter id, quod est principium alterius in diuinis, & in humanis, nam in diuinis id, quod est principium alterius non est prius eo natura, tempore, & cognitione, quia est principium ratione relationis similis

B relationi prædicamentali, quæ non patitur aliquam prioritatem ex dictis, at vero in creatis id, quod est principium reale physicum alterius, non est principium ratione relationis, sed ratione suæ essentiæ absolutæ, quæ potest esse prior essentia effectus, vt videre licet in Patre respectu Filij. Imò etiam si sit principium rationis morale alterius, debet esse prius illo, quia non est eius principium per relationem quasi prædicamentalem respicientem ipsum terminum productum. Ad illud de actione respondetur, actionem esse distinctam realiter à termino tanquam mo-

C dum eius, & esse priorem natura termino, quia actio est via ad terminum, via autem prior est termino. Vnde cum veritas formæ consecrationis sit aliquid creatum, eo ipso, quod constitueretur tamquam causa conuersionis substantialis, deberet esse prior illa, quod neque possibile est, neque concedent authores oppositæ sententiæ.

Vltimo obijcies pro sententia eorundem recentiorum, & contra nostram secundam conclusionem, quia veritas huius propositionis, Hoc est enim corpus meum, est pra- 10

D ctica, ergo ipsa operatur effectum, nempe transsubstantiationem. Sed huic obiectioni respondemus, veritatem istam appellari practicam ratione subiecti, in quo est, scilicet ratione prædictæ propositionis, & ratione suæ significationis, & quia hæc practica sunt, & operantur transsubstantiationem. Neque enim mirum est, accidens aliquod recipere denominationem à subiecto, in quo est: nam albedo in homine existens recte dicitur humana, ad eum ergo modum prædicta veritas dicitur practica, quia est tamquam in subiecto in propositione practica.

TRA-



TRACTATVS SECVNDVS DE EVCHARISTIAE EFFECTIBVS, ET VSV.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrùm hoc Sacramentum Eucharistiæ conferat augmentum gratiæ, & quando?



1 CIRCA primum nullus fuit hæreticus, qui specialiter vim huius sacramenti ad sanctificandam animam è medio colleret, præterquos, qui generaliter hāc vim sacramentis negarunt, qui late videantur apud *Vazquez 2. tomo in 3. part. disp. 131. cap. 1.*

2 Sit prima conclusio de fide. Per hoc sacramētum augeri gratiam iustificantem in nobis ex opere operato. Ita docuerunt, *D. Thom. 3. part. quæst. 79. art. 2. ad primum Ruardus Tapper. art. 15. §. manifestum est circa finem, Dominicus Sotus in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 1.* Et alij antiqui, & recētiores Theologi, probatur. Primo *ex Eugenio IIII. in decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post sess. vltimam §. tertium est,* Vbi hæc verba pronunciat, *Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequēs est, quod per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur.* Vbi Pontifex plane loquitur de gratia, qua Christo vnimur formaliter, quæ non est auxilium gratiæ, seu sancta cogitatio, media qua bene operamur, Sed habitus gratiæ iustificantis animam. Deinde probatur *ex Concilio Trid. sess. 7. canone* 8. Vbi damnātur, qui dixerint sacramenta nouæ legis nō conferre gratiam ex opere operato, sed solam fidem diui-

A næ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, vbi nomine gratiæ sine dubio gratia iustificans, & non auxilium gratiæ intelligitur, quia hæretici, contra quos procedit ille canon, defendebant, ad gratiam iustificantem cōsequendam sufficere fidem promissionum diuinarum, *Et canone* 7. definit idem Concil. semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, id B est nisi obicem ponant, dari gratiam: friuola enim esset definitio, si de solo auxilio gratiæ efficaci, non autem de gratia sanctificante intelligeretur, nam auxilium gratiæ, quod virtute huius sacramenti datur ad bene operandum, non semper est efficax, etiam in his qui recte dispositi sunt: non enim semper executioni mandāt id, ad quod ex diuinis auxilijs excitantur. Ex te C stimonijs prædictis Concilij Tridentini satis aperte constat, sacramentum Eucharistiæ conferre gratiam, sed quia non confert per se primam gratiam, vt in quæstione sequenti videbimus, ideo eo ipso, quod Concil. definit hoc sacramentum conferre gratiam, quod per se intelligitur, consequitur ex mente Concilij conferre augmentum gratiæ.

Hoc sacramentum Eucharistiæ, quia longe D excellit alijs omnibus sacramentis, maiorē gratiam, & intensiorem confert, quam reliqua sacramenta, ita notauit *Enriquez in summa 2. tomo lib. 8. de Eucharistia cap. 24.* Et probatur ratione, quia sacramentum nouæ legis eo ipso, quod sacramentum nouæ legis est, confert gratiam, quia excellentius est sacramentis legis veteris, quæ tantum gratiam significabant, & non conferebant, 3

ferebant, ergo eo ipso, quod inter sacramenta nouæ legis, excellentius est alijs sacramentum Eucharistiæ, debet maiorem gratiam communicare animæ.

4 Secũda conclusio. Quamuis negari nõ possit, species sacramentales vere manducari, cũ sunt in ore, & intra dentes conteruntur, & in stomachum trajciuntur iuxta significationẽ huius verbi manduco, tamen certo constare non potest, an sacramentum Eucharistiæ gratiam sanctificantem operetur in anima, dũ est in ore, an dum traijcitur per guttur, vel dum est in stomacho: quia hoc ex sola voluntate Dei dependet, & non habemus aliquod indicium, ex quo id pro certo deducere possimus.

5 Difficultas vero est, an sacramentum continuo in nobis gratiam operetur, quandiu in stomacho perseuerat, *Caiet. 3. p. q. 79. art. 2.* Affirmatiue respondet. Probatur primo quia cũ hęc doctrina nihil contineat contra sacramentũ institutionem, multumque commendet, & excellentiam huius sacramenti, & diuinam erga nos misericordiam; cur illam non amplectemur vt probabilem? Secundo quia hoc sacramentum assimilatur cibo corporali, qui dum in stomacho est, virtutem tribuit.

6 Sit tertia conclusio. Hoc sacramentum non continuo, quandiu in stomacho perseuerat, gratiam causat. Ita docent *D. Thom. 3. p. q. 80. ad sextum, Sotus in 4. dist. 12. quæst. 2. a. 1. & alij.* Probatur, quia ante tempora Caietani communis modus loquendi omnium erat, hoc Sacramentum gratiam operari dum recipitur, & semel tantum, quo ergo fundamento hanc Caietani doctrinam tuebimur? Secundò probatur, quia ex opposita sententia sequetur, illum, qui semel Sacramentum recepit in stomacho, & indigne, posse postea gratiam eius recipere, si postea disponatur, ante quam species desinant esse, & sequeretur, non solum peccare peccato sacrilegij eum, qui indigne recepit hoc Sacramentum, sed etiam eum, qui peccat peccato mortali, dum illud est in stomacho. Tertiò sequeretur, vtilius esse, maiorem quantitatem specierum sumere, quia magis in stomacho durabunt, quæ omnia magna inconuenientia præseferunt. Hoc vltimum inconueniens magnum est, non enim ideo maior est effectus gratiæ, quia maior est quantitas speciei sacramentalis, quæ sumitur, neque quia plures species successiue, & immediatè vna post aliam sumuntur in communione, quæ moraliter vna est, totus enim effectus tribuitur speciebus illis, quæ primò sunt desumptæ, reliquæ vero nullum effectum gratiæ operantur, cuius simile exemplum in rebus naturalibus facile reperiemus: Dum enim plures ignes omninò æquales successiue accedunt ad calefaciendam manum, primus omninò calefacit eam, & secundus po- A stea adueniens nullum de nouo calorem producit, quia iam inuenit in subiecto totum calorem productum, quem posset ipse producere. Vltimò probatur hæc conclusio, quia si cõtingat, Sacerdotem post diuisionem hostiæ à se factam in celebratione Missæ, & post sumptionem vnius tantum partis è vita discedere, non priuaretur effectu huius sacramenti, qui consistit in gratia sanctificante, ergo non causatur maior gratia per plures species sacramentales simul sumptas; aut si successiue, & immediatè vna post aliam sumatur, quam per vnicam tantum speciem.

Quæ doctrina tam vera est de laico communicante, quam de Sacerdote celebrãte, imo intelligenda est in eo casu, quo Sacerdos (& ea- B dem est ratio de laico communicante more laico) semper sit eodẽ modo dispositus; nam si primam partem hostię consecratæ sumat indigne, & secundam cum debita dispositione, sine dubio in sumptione secũdæ partis recipiet gratiam, quam nõ susceperat in sumptione primæ partis hostiæ. Et cũ Sacerdos melius disponeretur ad receptionẽ secũdæ partis hostiæ cõsecratæ, maiorẽ gratiã reciperet, quam receperat in sumptione primæ partis, ad quã minus bene fuerat dispositus: vtriusq; enim resolutionis eadẽ videtur esse ratio, eadẽq; proportio. Nam cum Sacramentum cõferat gratiã homini recte disposito, in primo casu recipit Sacerdos gratiam in sumptione secũdæ partis hostię, quia tunc erat recte dispositus, in sumptio C ne vero primę partis non recipit gratiam, quia praue erat dispositus. Et quia sacramentum ad modũ causarum naturaliũ nobiliorẽ effectum gratiæ producit in homine melius disposito, inde colligitur, Sacramentũ Eucharistiæ in secundo casu, de quo locuti sumus, maiorẽ gratiã conferre sacerdoti, qui ad sumptionẽ secundæ partis hostię cũ diuino auxilio melius se disposuit, quam fuerat dispositus ad sumptionẽ primæ partis. Quam doctrinã elegãter prosequũtur *Bellar. a. 10. lib. 4. c. 23. & Suar. 3. to. in 3. p. disp. 63. sect. 5.* Et etiam prædicta doctrina intelligenda est respectu specierũ panis, & vini, ita vt Sacerdos eodem modo dispositus non recipiat maiorem gratiam ratione vtriusque speciei panis, & vini, quam reciperet ratione al- D terius tantum.

Sed vt melius intelligatur id, quod diximus in fine præcedẽtis §. aliqua ante oculos proponenda sunt. Primũ sit, sumptionem alterius tãtum speciei siue panis, siue vini consecratæ esse de se sufficientem ad communicandam aliquam gratiam sanctificantem animæ. Hoc patet ex *Trident. Sess. 21. cap. 1.* cuius hæc sunt verba: *Neque vllo pacto salua fide dubitari posse, quin illis, scilicet laicis, & clericis non conficientibus alterius speciei communio ad salutem sufficiat.* Si ergo alterius tãtum speciei sumptio ad 8

salutem sufficit, sine dubio confert gratiam, quia species sacramentales nunquam recte sumuntur sine fructu gratiæ.

9 Secundo ante oculos proponendum est, gratiam sacramentalem, & habitualem eiusdem rationis conferri per quamlibet speciem sacramentalem, siue ea sit panis, siue vini. Quod patet primo quia sub vtraque specie seorium sumpta totus, & integer Christus continetur, vt dilucide protestatũ est à *Cõcil. Trid. sess.* 21. *c.* 3. Ergo vtraq; species eãdem vim habet operandi gratiam, quia tota virtus operatiua gratiæ conuenit speciebus ex eo, quod continent in se Christum. Secundo patet, quia ad eundẽ finem ordinatur vtraque species sacramentalis, & ad idem munus, scilicet, ad refectionem animæ: anima enim eodem modo reficitur isto cibo, & isto potu spirituali, licet corpus nõ eodem modo reficiatur cibo, ac potu. Cuius differentiæ ea ratio est, quia corpus ad suam salutẽ indiget conuenienti temperie quatuor primarũ qualitatum, quarum omnes non tribuuntur ab vnico principio: sed potus reparat apperitum frigidi, & humidi, & cibus reparat apperitum calidi, & sicci: at vero anima ad suam salutem consequendam tantum indiget gratia sanctificante, & hæc communicari potest per species consecratas panis, & vini. Et hęc doctrina vera est etiam per respectum ad sacramentum ordinis, nam diuersi ordines sacri conferunt diuersam gratiam sanctificantem per ordinẽ ad diuersos fines, quia ordinatur ad diuersa munera, & officia in Ecclesia Catholica, at vero diuersæ species sacramentales cõferunt eiusdem rationis gratiam, quia ordinantur ad idem officium reficiendi spiritualiter animam.

10 Tertio præ oculis habendum est, per se loquẽdo non dari maiorẽ gratiam per susceptionẽ vtriusq; speciei, quam alterius tantum, scilicet, aut panis, aut vini. Ita docuit *D. Th.* 3. *p. q.* 80. *ar.* 12. *ad tertium*. Cuius hæc sunt verba. *Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi: Neque inde sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur*, D. Thom. sequuntur *Soto in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 12. *Suarez, & alij ab eo relati* 3. *to. in* 3. *p. disp.* 79. *sect.* 6 Cuius ratio illa est, quam tetigit D. Tho. loco citato, quia sub qualibet specie seorsum cõtinetur integer Christus, ergo non datur maior gratia per vtramque speciem panis, & vini, quàm per alteram tantum, quia tota virtus causatiua gratiæ conuenit speciebus à Christo sub illis contento: vnus autem, & idem Christus vnum, & eundem effectum gratiæ causat homini eodem modo disposito. Neque obstat, primo huic resolutioni, quod vtraque species consecrata panis, & vini expressius repræsentat Christum ex vi verborum, quia repræsentat corpus, & sanguinem eius, & expressius

A etiam refert passionem Christi, in qua separatum fuit corpus à sanguine. Nam cõtra est, effectum gratiæ non prouenisse ex modo significandi, sed ex re contenta sub speciebus, quæ eadem est in vna specie seorsum, & in vtraque simul sumpta, scilicet, Iesus Christus Dominus noster. Neque obstat. Secundo doctrina *Gabrielis Vazquez* 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 215. late defendentis, maiorẽ gratiam causari per vtrãque speciem simul sumptam panis, & vini, quam per alteram tantum, quia effectus in sacramẽtis, vt asserit iste Doctor, respõdet significationi, at significatio in vtraque specie est diuersa, in vna enim significatur refectio per modum cibi, in altera per modum potus. Ad hoc enim respondetur cum *Claudio Saincte, re-*

B *petit.* 10. *de Eucharistia c.* 3 *post medium*. Hãc significationem esse diuersam in specie panis, & in specie vini ex modo significandi, non vero ex re significata, nã res significata eadem est, scilicet, gratia, quæ per modũ nutritionis spiritualis ab anima depellit famem, & sitim, quæ spiritualiter cõsiderata idem omnino sunt. Vnde per solum corpus Christi sumptum dicitur homo spiritualiter inebriari. Tum etiam respondetur eidem argumento Vazquez, hoc sacramentum principalius habere vim sanctificandi ex eo, quod continet in se corpus Christi, quàm ex eo, quod significet refectionem animæ. Vnde quamuis significatio refectionis diuersa esset in vtraque specie simul sumpta, atque in altera tantum, tamen, quia Christus

C contentus sub vtraque specie simul sumpta, & sub altera tantum idem est, ideo gratia producta per vtramque speciem simul sumptam non est maior, quàm ea, quæ producitur ab altera tantum specie seorsum sumpta.

Quarto præ oculis habendum est, in Sacerdote communicante in sacrificio Missæ per se loquendo, & eodem modo disposito totam gratiam sanctificantem produci per manducationem corporis Christi, non expectato potu sanguinis. Patet primo quia dum plures species eiusdem rationis, vt duæ hostiæ consecratæ successiue, & immediate desumuntur, totus effectus gratiæ producitur per primam hostiam, vt vidimus in vltima confirmatione tertiæ 11

D conclusionis. Ergo idem contingit, quãdo species eodem modo sumptæ sunt diuersæ rationis, ita vt vna sit panis, altera vini. Non enim dispar se offert ratio in vno casu, & in altero. Secundo patet, quia species panis, cum contineat in se Christum vim habet sanctificandi, ex se sola, ergo producit suum effectum, antequam recipiatur species vini. Neq; enim vlla apparet causa, quæ talem effectum possit impedire. Tertio patet, quia si Sacerdos post sumptionem corporis Christi ante sumptionẽ sanguinis moreretur, sine dubio gratiam recepisset, hanc ergo causat sacramentum corporis.

Christi

Christi sine dependentia à sacramento sanguinis. Sanguinis vero sumptio nihilominus necessaria est ad integritatem sacrificij.

QVÆSTIO II.

An ex carne Christi, & carne nostra resultet vnica caro?

1 INSTITVTI nostri ratio minime pati videtur, rē hanc diffuso calamo disputari, sed qui longiorem eius disputationem deside rat legat *Vazquez 3. tom. in 3 disp.* 204.

2 Sit conclusio. Virtute huius sacramenti nō tantum nos cum Christo per charitatem vnimur in eodem spiritu, verū etiam inter carnē nostrā, & carnem eius peculiaris vnio intercedit, quæ possit dici naturalis, substantialis, & realis, quæ vnio non contingit in indigne sumente Eucharistiā, quia in eo non procedit ex charitate, vt postea patebit, & quia illa vnio durat corruptis speciebus, & Christo secundum suā substanriā non permanenre sub speciebus. Hanc doctrinā tradiderunt multi patres, quos allegat Vaquez ibidē, quæ vnio sic est intelligēda iuxta exemplū multorum grauissimorū patrū, quod sicut maritus, qui matrimoniū ex charitate, & amore cōtraxit cū sua vxore, post cōmixtionē media copula cū vxore, carnē illius vt propriā tractare debet, quia illa intima cōiūctio hoc postulat, ita Christus Dominus, post quā à nobis in sacramēto Eucharistiæ intra carnē nostrā sumptus est, per modū cibi, & hoc totū ortū habuit ex charitate inter nos, & Christū, qua ipse diligit nos, & nos ipsum diligim⁹, corpora nostra, intra quæ recipitur, æstimat, & tractat vt propria, & vt mēbra ex carne, & ossibus eius, quæ vnio est moralis, quia ortū habet ex charitate, hæc autē vnio ex eo vocatur à patribus realis, naturalis, & substantialis, non quia ex vtraque carne fiat vna res, vna substantia, vel natura, sed quia caro nostra cum carne Christi non affectu solum, sed re ipsa coniungitur.

3 Ex hoc autē sequitur, quod patres dicunt, carnē nostrā in hoc sacramēto ad immortalitatē præparari, sic esse intelligēdū, quia cū virtute huius sacramēti nostra caro fiat vna caro cū carne Christi, & nemo vnquā carnē suam odio habuit, vt ait *Paulus ad Ephe.* 5. Sic si Christi caro iam ad immortalitatē resurrexit, quis dubitet, quod etiā nostra caro resurget eodem modo? quæ præparatio ad immortalitatem nō cōtingit ratione alicuius qualitatis nostræ carni communicatę à corpore Christi, sed ratione cuiusdā spei certissimæ, quā in hac vita cōcipimus futuræ nostræ immortalitatis, quæ spes nititur in prædicta vnione, qua caro Christi coniungitur cum carne nostra; quam præparationē hoc modo nobis declarauit *D. Irenæus li. 4. aduersus hæreses cap.* 34.

A

QVÆSTIO III.

Vtrùm hoc sacramentum conferat primā gratiā, & remittat peccata mortalia?

SIT prima cōclusio de fide. Sacramētū Eucharistię per se, directe, & ex primaria intētione Christi nō est institutū ad remittēda peccata mortalia. Vnde siquis accedat ad illud suscipiēdū cū conscientia peccati mortalis, loco iustificationis suæ æternā damnationē incurret. Probatur hæc conclusio primo ex *Cōcil. Trident. sess.* 13. *can.* 5. Vbi dānat eos, qui dicunt, vel præcipuū effectū sacramenti Eucharistiæ esse remissionē peccatorum (intellige 1

B mortaliū, qua ratione sine dubio loquitur Cōciliū). Vel ex eo nullū aliū effectū prouenire, si vero hoc sacramētū esset institutū ad remittendū mortalia, sine dubio remissio peccatorū mortaliū esset præcipuus effectus eius. Sentit ergo Conciliū sacramentū Eucharistiæ non esse per se institutū ad remissionē mortaliū. Cōfirmatur præterea cōclusio ex vnanimi consensu omniū patrū Ecclesiæ Catholicæ, quos late refert *Vazquez 3. to. in 3 p. d.* 205. *c.* 1. Tertio cōfirmatur cōclusio, quia sacramētū Eucharistię institutū est per modū cibi, & pot⁹ spiritualis; propterea enim cōstitutū est in speciebus panis, & vini, sed cibū sumere nō cōuenit mortuis, sed viuis, ergo sacramentū Eucharistiæ institutū est in beneficiū eorū, qui fruuntur vita

C spirituali gratiæ, nō vero in remediū eorū, qui amissa vita gratiæ in peccatis suis mortui iacēt: hoc autē ad magnā pertinet excellētiā huius sacramenti, cū enim in hoc sacramento excellētiori modo sit Christus, quā in alijs, (quia in alijs sacramentis tantū existit Christus ratione suæ virtutis, in hoc autē sacramento existit ratione suæ propriæ substātiæ) ideo necessariū est, hoc sacramentū cū dispositione gratiæ sanctificātis, & absq; vlla fœditate peccati suscipere, quemadmodū necesse est, eum, qui Regem aliquem terræ in sua domo suscepturus est, prius ab ea abstergere omnes sordes, & omni cura, ac diligentia exornare eam.

Sed cōtra istam conclusionē aliqua se scofferūt argumēta. Primū sit, quia calix sanguinis 2

D Christi dicitur in forma cōsecrationis, effundēdus in remissionē peccatorū, ergo sacramētū Eucharistiæ remittit peccata mortalia de se. Sed huic argumēto respōdetur, sanguini Christi tribui remissionē peccatorum omniū, non quidē ex ea parte, qua in Eucharistia continetur, sed ex ea parte, qua in morte Christi effusus est, quia hac ratione fuit pretiū nostræ redemptionis, quatenus medio illo impetrauit Christus à Patre suo omnia auxilia necessaria ad consequendam gratiam, ac gloriam nostrā.

Secundum argumentum sit desumptum 3

ex illis verbis Ioannis 6. in quibus dicitur de hoc sacramento, hic est panis, qui dat vitam mundo. Esgo tsibuit primam gratiam, nam vira mundi spiritualis in gratia consistit. Et confirmatur hoc argumentum, quia sacramentum Eucharistiæ per se continet Christum, ergo per se confert gratiam, ac per consequens per se aufert peccata, quia cum gratia sit opposita ex diametro peccato, sine dubio vim habet auferendi illud. Sed huic argumento facilis se offert solutio, verba enim D. Ioannis ex eo recte verificantur de hoc sacramento, quia illud conseruat, & auget gratiam sanctificātem. Ad confirmationem eiusdem argumenti dicimus, sacramentum Eucharistiæ per se quidem continese Christum, & cōmunicare augmentum gratiæ, non tamen remittere peccata mortalia, quia licet gratia illa, quæ prima est, remittat peccatū mortale, quia est opposita illi, & inuenit illud in anima, gratia tamen secunda, quæ consistit in augmento gratiæ, licet sit etiam opposita peccato, non tamen illud remittit, quia iam inuenit illud remissum per primā gratiā.

4 Tertium argumentum contsa eandem conclusionem sit assumptum ex illis verbis *Cōcil. Florent. ex decreto Eugenij.* In quibus asserit, *Hoc sarramentum incorporare nos Christo.* Et ex alijs verbis *Concil. Trid. sess. 13. can. 5.* Affirmantis *effectum huius sarramenti esse remissionem peccatorum.* Sed huic argumēto respondemus Cōcil. Florent. optime declarasse, se loqui de augmēto gratiæ, quo Christo incorporamur. Præterea respondemus Concil. Trid. eo loci intelligendum esse de remissione venialium. Alias si Concilium loqueretur de remissione mortalium, non negaset, præcipuum fructum sacramenti Euchasistiæ esse remissionem peccatorum, quia hic effectus sine dubio ei conueniret præcipue.

5 Quartū argumentum subijciunt nobis aliquæ loquutiones Sanctorū Patrū, quæ videntur pugnase cū nostra cōclusione, quæ ad duo genera posśūt reduci. Ad primū genus pertinet. *D. Chrysost. hom. 83. in Matth.* Vbi cōparās hoc sacramentū cum veteri agno, sic inquit, *Si hoc remissionē peccatorum facit, sicut recte facit, supernataneum illud omnino est.* Huc etiā attinet *D. Ambros. lib de benedictione Patriarcharum ca. 9. dicens. Panis hic remissio peccatorum est, & Damasc. lib. 4. c. 14. ita loquens his, qui sacramentum per fidem digne suscipiunt, in peccatorū remissionē, & vitam æternam, animique, & corporis præsidiū redit.* Ad secundum genus confirmationis huius argumēti pertinent alia testimonia, in quibus denotatur hoc sacramentum esse nostræ salutis remedium. Psimum testimonium sit Ecclesiæ in sacrificio Missæ orantis, *vt hoc sarramentum sit fortitudo fragilium, & ablutio scelerū,* *Secundum sit Cyprian. sermone de cœna Domini,* asserentis, *panis hic ad totius hominis vitam salutē-que proficit, simul medicamētum, & holocaustum, ad sanandas infirmitates, ad purgandas iniquitates existens.* Tertium testimonium sit *August. sermone 28. de verbis Domini*, sic nos alloquentis, *Qui vulnus habet, medicinam requirat. vulnus est quia sub peccato sumus, medicina est cœleste, & venerabile sarramentum.* Sed huic argumento respondendum est, psimi generis testimonia aut intelligenda esse de remissione peccatorum venialium, quam per se operatur hoc sacramentum, vel de remissione mortalium. quam per accidens, vt postea videbimus, operatur idem sacramentum, vel intelliguntur de remissione mortalium quoad reatum pœnæ temporalis, quod operatur Eucharistia ex opere operato, vt sacrificium est, vel intelliguntur de remissione peccatorum mortalium quoad culpam, quam operatur sacrificium Euchasistiæ impetsando peccatoribus spiritum cōtritionis. Ad secūdi generis testimonia dicimus, ex eo sacramentum appellari semedium, & medicinā contra peccata mortalia, vel quia modis proxime explicatis ea remittit, vel quia vt præclare cōsiderauit *D. Th. 3. p. q. 79. ar. 3. ad primū* Hoc sacramentū nobis robur cōfert ad scelera vitāda.

Difficultas vero quæstionis in eo versatur, an per accidens sacramētum Eucharistiæ operetur primam gratiam in anima, & deleat mortalia, vt cum quis est quidem in peccato mortali, & habet vesam attritionem, at tamen vel ignorat inuincibiliter tale peccatum, vel existimat, se contritionem habere, vel credens alicui viro docto existimat nihilominus attritionem esse sufficientem dispositionem ad hoc sacramentum. In qua difficultate *Vazquez loco citato c. 4* Asserit alios allegans, etiam in hoc casu nostrum sacramentum non causare primam gratiam. Probat hac vnica ratione, quia talis effectus Eucharistiæ non constat ex Ecclesiæ definitione, vt patet, neque ex scriprusa, neque ex Sanctis Patribus, vt ipse probat sespondendo ad aliquos, quos refert, neque ex natura sacramenti: patet, quia est institutum per modū cibi, & potus spiritualis, & ita sub specie panis, & vini corporalis: Sed cibus, & potus corporalis non datur mortuo corporaliter, esgo nec cibus spiritualis mortuo spiritualiter ratione peccatorum. 6

7 Secunda cōclusio. Hoc sacramentum interdū, & per accidens, atq; indisecte, vt casibus prædictis cōfert psimā grasiā, & delet peccatū mortale: ita sentiūt *D. Th 3. p. q. 79. ar. 3. & in 4. d. 12. q. 2. ar. 2. questiūc. 2. ad 1. Ricard. in 4. d. 9. ar. 2. q. 1. Scot. eād. d. q. vnic. Sotus in 4. d. 12. q. 1. ar. 4. §. omnibus tamē pēsatis Ledes. 1. p. quarti quæst. 20. art. 3. & Suar. 3. to. in 3. part. disp. 63. sect. 1.* & quidam Thomista recentior non dubitat oppositæ sententiæ temeritatis notam inurere, immerito tamen, & sine sufficienti fundamento. Et quidem hæc conclusio certo

certo probari nō potest, vt bene Suarez loco citato, cōgruētijs tamē nō parū efficacib⁹ probatur modo, primo quia, licèt hoc sacramētū nō sit per se. Primò institutū ad remittenda peccata mortalia, propter Christū tamē, quē in se cōtinet, qui est fons totius gratiæ, verisimile est, posse viuificare mortuos in peccato, quādo illi nō omnino obsistūt spirituali vitæ, sicut caro Christi suo tactu mortuos viuificabat, vt notauit *Cyril lib. 4. in Ioan. c. 14.* Secundò probatur, quia iste fecit id, quod vir prudēs iudicat sufficiēs, non ergo debet gratia sacramēti frustrari. Tertio probatur, quia sacramenta nouæ legis causant gratiā nō ponentibus obicē, sed qui accedit ad hoc sacramētum in nostro casu, non ponit obicē, quia non habet affectū ad peccandū, neq; conscientiā peccati, ergo recipit gratiā primā. Ad hunc tamē effectū denotandū adducunt carbonē ignitū mundantē labia Isaiæ. *Isaiæ 6. Iustin. in apologia 2. Damas. lib. 4. c. 14.* Et cōfirmatur, quia augmentum gratiæ, & prima gratia eiusdē rationis sunt: ergo Eucharistia, quæ per se causat augmētum, per accidens etiam potest causare primam gratiam.

8 Ad argumentum Vazquez respondetur cū *Suarez loco citato.* Verū esse, cibum materialē, qui conuertitur in substantiā eius, qui comedit, nō posse mortuo corporaliter prodesse, cibus verò spiritualis, qualis reperitur in hoc sacramento, quia est efficax, potest in se conuertere hominē mortuū spiritualiter, si non resistat, neq; obicem ponat, & ita ei dare vitā præsentem, quia iste mortuus spiritualiter potest aliquem actū vitæ exercere, & manducare cibum non tantū corporaliter, sed etiā aliquo modo spiritualiter suscipiendo illū fide, reuerentia, & cum dispositione saltim attritionis eo modo, quo supra explicatum est.

9 Sed primo obijcies, sicut sacramentū pœnitentiæ postulat tanquam dispositionem necessariā attritionem, ita Eucharistia contritionē, sed pœnitentia non causat gratiam vllo tēpore sine attritione præuia, ergo neque Eucharistia sine contritione. Sed respōdetur, quod sacramētum pœnitentiæ nō causat gratiā in illo homine, quia re vera ponit obicem, at verò Eucharistia causabit in attrito procedēte cum ignorantia inuincibili, quia non ponit obicem.

10 Secūdo obijcies etiam contra secundā conclusionē, quia, si quis accedat ad hoc sacramentū sine conscientia peccati mortalis, & absque affectu ad illud, etiā si habeat peccatū mortale, cū attritione iustificatur, ergo etiam iustificabitur, si habeat attritionē, licet non ignoret peccatū. Probatur, quia ignorantia sui peccati non facit illum magis dispositum. Respondetur: falsam esse consequentiam, quia licet ignorantia nō causet positiuā dispositionē ad gratiā, aufert tamē irreuerentiā, quā committeret peccator si cognoscēs se esse in mortali ad hoc

A sacramentū accederet, & indignus omnino eo redderetur. Vnde illa ignorantia se habet vt remouens prohibens, non vt positiue ad sacramentū conducens, quemadmodum in motu locali lapidis descēdētis deorsum propria grauitas est causa positiua causans motū, at verò depellēs impedimēta, quibus lapis detinebatur, nō mouet, licet maximè conducat ad motum.

Tertia conclusio. Vt hoc sacramentū causet 11
primā gratiam, necessaria est supernaturalis attritio peccatorum. Probatur, quia pœnitentia supernaturalis de peccato commisso etiam in lege gratiæ est medium necessarium ad remittendum peccatum mortale ex natura rei. Quæ necessitas non est ablata per institutionē sacramentorū. Imo verò etiam in materia de pœnitentia
B diximus requiri ad hoc, vt sacramentū pœnitentiæ causet primam gratiam, cum sit sacramentum mortuorum. Ergo, etiam sine dubio requirit sacramentum Eucharistiæ, quod viuorum est.

Quarta conclusio. Vt hoc sacramentum causet primam gratiam, præterea requiritur bona fides suscipientis. Qua prudenter iudicet, se esse in gratia, & non sufficit eum recognoscere in se ipso attritionis motum. Ita docent *D. Th. 3. p. q. 79. ar. 3. Sotus in quarto dist. 12. q. 1. art. 4. Suarez 3. to. in 3. p. disp. 63.* Qui oppositum asserere huius conclusionis, dicit esse temerarium. Probatur, quia, qui indigne sumit Eucharistiam, non iustificatur, vt patet ex illo *ad Corinth. 1. epist. 11. qui manducat, & bibit indigne, in-* 12
C *dicium sibi manducat, & bibit.* Qui verò accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione cognita, accedit indigne, quia accedit cum conscientia peccati mortalis, & non purgata anima à peccato, ergo non iustificatur: quæ tamen purgatio requiritur iuxta Paulum loco citato, ibi. *Probet autem se ipsum homo,* Secundum expositionem patrum circa hunc locum, vt patet ex *Damasc. lib. 4. cap. 14. Basil. sermone 1. de baptismo part. 3. Gregor. Papa li. 2. in primum Regum, cap. 1. & alijs.*

Sed contra hanc vltimam conclusionem vr- 13
get argumentum pro parte eorum, qui dicūt, sufficere attritionem ad hanc primam gratiam sine bona fide, quia vel attritio est sufficiens dispositio, vt homo iustificetur per hoc sacramen-
D tum, vel non: si non, etiam si existimetur contritio, non sequetur effectus gratiæ, quia existimatio non auget dispositionem, si autem attritio est sufficiens dispositio, etiā cognita, & sine bona fide sufficiet. Sed respondetur, attritionem de se esse sufficientem dispositionem ad gratiam consequendam, per se tamen non esse sufficientem ad dignum vsum huius sacramenti, & ideo necessariam esse existimationem contritionis, vt quis excusetur à culpa indigni accessus. Vt diximus soluendo secundum argumentum positum supra.

QVÆSTIO IIII.

De alijs effectibus Eucharistiæ.

1 SIT prima cõclusio, cum *D.Thom.3.p.q.79.ar.4.* Virtute hui⁹ sacramẽti tolli peccata venialia quo ad culpã. Iste effectus vt proprius eius assignatur ei à *Concil. Trident. sess.13.c.2.* De qua re late videatur in materia de pœnitẽtia noster tractat⁹ de remissione venialiũ. De remissione verò quo ad pœnam venialiũ peccatorũ *Suarez 3.to. in 3.p.d.64.sect.10.* Sentit, eã nõ causari per hoc sacramentũ ex opere operato, sed cõsequenter ad id, quod eo loco citato dictũ est de remissione culpæ venialis ex opere operato, videtur dicẽdũ, vt notat bene *Vazquez 3.to.in 3.p.super q.79.ar.5.* Et in materia de pœnitẽtia, remitti pœnã culpæ venialis ex opere operato, & directe eo ipso, quod augetur gratia habitualis, & iustificatio absq; vllo alio actu charitatis per sacramẽtũ excitato, & hoc etiã verũ est de tota pœna, vel de parte eius iuxta dispositionem recipientis.

2 Secũda cõclusio. Per hoc sacramentũ præseruatur homo à peccatis mortalibus futuris. Ita definitur *in Conc.Trid.sess.13.c.2.* Quod fit per auxilia gratiæ, quæ virtute huius sacramẽti cõferũtur, quãuis nõ semper efficacia tribuãtur.

3 Sit tertia cõclusio cum *D.Tho.3.p.q.79.art.7.* Sacramẽtũ Eucharistiæ nõ prodest alijs, sed tantũ suscipientibus illud per modũ sacramenti, & ex opere operato, vt sic enim tãtũ institutũ est in fauorẽ suscipientiũ, quemadmodũ instituta sunt alia sacramenta. Hoc tamẽ non obstante potest hoc sacramentũ magnã vtilitatẽ afferre alijs asumẽtĕ illud, & hoc ex opere operantis, ita vt medio illo excellenti opere, & alijs applicato, possit quis illis impetrare bonorũ copiã tã spiritualium, quam corporaliũ. Quod quidem ita generale est omnibus bonis operibus, vt quodlibet opus meritorium, & satisfactorium ab vno homine elicitum maxime prodesse possit alteri, si in statu gratiæ elicitum contingat.

4 Quarta conclusio. Sacramentũ Eucharistiæ de se efficax est ad excitãdam animæ deuotionem, & charitatis feruorem cum speciali spiritus suauitate, & dulcedine, & illos effectus producit in illud digne suscipientibus. Hæc sententia cõmunis est inter scholasticos Theologos, & demõstratur ex *Clemente V. cũ Concil. Vienensi de reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Vbi sic dicitur. *In hoc sacramento habetur omne delectamẽtũ: & omnis saporis suauitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Et confirmatur, quia, vt patet *ex Conc.Trid.* Christus in hoc sacramento diuitias amoris sui erga homines veluti effudit, ergo in eo existens debet eosdẽ homines ad sui amorẽ vicissim, & peculiari modo excitare. Secundo respondetur, hoc sacramentum confer

A re actuale Dei auxiliũ, & fauorẽ ad peccata vitanda, & tentationes superandas. Ita indicat *Trid.sess.13.c.2.dicens hoc sacramentum esse institutum vt antidotum, quo à peccatis mortalibus præseruemur, & à venialibus liberemur.* Quẽ effectũ cum *Suarez loco citato sect.9.* sentio esse ex opere operato, qui effectus non datur eo tẽpore, quo recipitur sacramẽtũ, sed suo tẽpore opportuno, cũ Deus iudicat esse conueniens, neque etiam effectum prouenire à sacramento nobis constat, quãdo talis actus est in nobis, quia nescimus, an sacramentum digne susceperimus, vel post susceptum illud apposuerimus aliquod impedimentum, ratione cuius amissum fuerit ius ad perfruendũ eiusmodi auxilijs.

B Quæres primo, an per peccatũ veniale impediatur effectus sacramẽti. Ad hoc respondetur cum *D.Tho.3.p.q.79.ar.8.* Primo peccata venialia præterita, quæ dicũtur manere per modũ habitus, nullo modo impedire effectũ hui⁹ sacramenti, qui est augmẽtũ gratiæ, quia nulli augmẽto gratiæ opponitur tale peccatũ. Respõdetur secũdò, peccata venialia, quæ cõmittũtur eo tẽpore, quo sumitur sacramentũ, impedire ex parte effectũ eius scilicet, feruorẽ, augmẽtũ vero huius gratiæ, quod conferretur, si homo accederet sine peccato veniali, & sine actuali deuotione, nõ impeditur, quia hoc, cũ non habeat maius impedimentũ in vno casu quam in alio, sicut nõ impeditur in secundo casu, ita neq; in primo. Sed tamẽ augmentũ gratiæ habitualis in communi, aliquo modo impeditur, C quatenus hoc maius esset, si homo accederet actuali deuotione melius dispositus, quæ deuotio impeditur per peccatũ illud veniale, quod cõmittitur in ipsa susceptione Eucharistię, quare, & prędictũ augmẽtũ impediri necessariũ est 5

Quæres secũdò, cur liceat accedere ad recipiẽdũ hoc sacramẽtũ cũ conscientia peccatorũ venialiũ, non vero cũ conscientia peccatorum mortaliũ? Ad hoc respondetur, huius discriminis duas posse assignari rationes, primam, quia hoc sacramentum est sacramentũ viuorũ, & ita requirit tãquam necessariã dispositionẽ vitam spiritualẽ gratiæ, quã dispositionẽ prorsus tollit peccatũ mortale, nõ vero peccatũ veniale, & ideo nõ peccat, qui ad sacramentũ Eucharistiæ accedit cũ peccato veniali, peccat tamen, D qui accedit cũ peccato mortali. Secundã quia hoc sacramentũ institutũ est per modũ cibi, & potus, sed cibus licet possit manducari ab his, qui debiles vires habent, nõ tamen ab his, qui vitam amiserunt: recte ergo sequitur eos, qui sunt in statu peccati mortalis, nõ posse suscipere hoc sacramẽtũ, quia mortui sunt spiritualiter, eos vero, qui tantũ versantur in peccatis venialibus, posse idẽ sacramẽtũ suscipere, quia tantum isti considerantur tamquam infirmi, & debiles ad opera spiritualia exercenda.

6 Quæres tertio, an hoc sacramentum remittat, pæ-

tat pœnam temporalem ex opere operato debitam pro mortali, & veniali, respondetur cum *D.Tho.3.p.q.79.art.5.* Quod hic effectus nullibi ei inuenitur adscriptus, bene tamen ex opere operantis remissio pœnæ temporalis huic sacramēto assignatur. Qua ratione aliqui laudabiliter pro mortuis communicant, & vtilitatem eis afferunt, & hac ratione verificatur id, quod docet ibidem D.Bernard. consequenter, & indirecte sacramentum hoc pœnas remittere, quia excitat in nobis feruorē charitatis, quo remissionem illam meremur, alio vero modo eas pœnas non remittit, quia non est à Christo institutum ad talem effectum producendum. Verba *D.Tho. loco citato* hæc sunt. ***Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum, non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Christum, & ad membra eius, sicut & nutrimentum vnitur nutrito.*** Sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ deuotionis, & feruoris.

QVÆSTIO V.

Vtrum ad recipiendum fructum huius sacramēti requiratur aliquid aliud, quā status gratiæ, & de modo sumendi hoc sacramentum?

NOBILES quidā Theologi aperte sentiūt, præter statū gratiæ, requiri etiā affectū aliquē deuotionis ad recipiendum fructū huius sacramenti. In hanc sententiā conspirarunt, *D.Antonin.3.tit.13.ca.6.§.8. Sylvester verbo Eucharistia, in fine, Caiet super 3.p. D.Thom.q.79.ar.1.* Probatur primò ex modo loquendi sanctorū Patrū, quia ad hoc sacramētū recipiendū magnam deuotionem postulāt à nobis. Secundo probatur, quia si nullus deuotionis spiritus necessarius esset ad recipiendam sacrosanctā Eucharistiā, sequeretur, Sacerdotes quotidie cōmunicātes incredibile augmētū charitatis in seipsis agnoscere, illud tamen nō agnoscunt, ergo credendum est, tale augmētū eis denegari, quia eo ipso tēpore, quo sacramētū recipiūt, varijs curis distracti omni prorsus deuotione destituuntur. Tertio probatur hæc sententia, quia hoc sacramentū exhibetur per modū cibi, sed cibus corporalis non nutrit, aut alit corporaliter sine nostra operatione, media qua noster calor naturalis agit in alimentum, & conuertit illud in se, ergo neque cibus

A iste diuinus, & spiritualis, animas nostras nutrit, nisi media operatione spirituali nostra, qua deuotionis affectum actualiter erga Deū ostendamus.

Sit cōclusio. Præter statū gratiæ nihil aliud ad percipiendū augmētum gratiæ, qui fructus est huius sacramenti, requiritur. Hanc conclusionē aperte tuentur, *D.Tho.3.p.q.79.artic.8. Vazquez alios Doctores referens 3.tom.3.p.d.206. c.2.* Probatur primo cōclusio ex *Tridentin.ses.13. c.3.* Vbi Concilium nullam aliā præparationē huic sacramento assignat, nisi statū sanctitatis, ita vt ille, qui conscientiam habet peccati mortalis, non tantū teneatur veram de illis contritionem cōcipere, sed etiā illud cōfiteri. Hæc autē dispositio non solum est assignata à Cōcilio 2

B Trid. ad dignè suscipiendū sacramentum, sed etiam ad percipiendum eius fructū, nā qui dignè recipit aliquod sacramentum, fine dubio cō decoratur fructu eiusdē sacramenti, sacramēta enim operantur gratiam in non ponentibus obicem. Secundo probatur, quia si actualis deuotio necessaria esset ad recipiendum fructum huius sacramenti, frustra priscis illis temporibus ministratum fuisset hoc sacramentum paruulis, cum tamen supponat fuisse illud ministratum *Concil.Trid.ss.21.cap.4.* Quam consuetudinem non improbauit Concilium, paruuli enim deuotionem habere non possunt, quia ad statum vsus rationis nondum peruenere, & deuotio actus est rationis. Tertio probatur conclusio, quia frustra nostris temporibus ægrotantibus his, qui in amentiam ceciderunt, præberemus sacramentum Eucharistiæ, cum isti

C non possint habere actualem deuotionē, quia secundum oppositam sententiam nullum isti ex receptione sacramenti fructum reciperent.

Argumentis in oppositum oportet satisfacere. Ad primum dicimus, Sanctos Patres deuotionem actualē exigere in recipientibus hoc sacramentum, non tanquam omnino necessariā, sed tanquam vtilem, & maxime cōuenientem ad vbertiorem fructum participandum. Ad secundum argumentum dicimus, sine dubio eos Sacerdotes, qui quotidie in statu gratiæ communicant, maximum augmētum gratiæ consequi, illud tamen non posse eos experiri, aut agnoscere certo, quia tale augmentum ordinis 3

D est super naturalis, nemo enim scit, vtrū odio, vel amore dignus sit. Ad tertium respondetur, maximum versari discrimen inter cibum corporalem, & spiritualem, cibus namque spiritualis conuertit in se hominem, & ideo non requirit operationem actualem deuotionis in homine, cibus autem corporalis conuertitur in hominē, ex vi caloris naturalis humani, & ita necessaria est in homine operatio aliqua, media qua alimentum ipsum in se conuertat.

Quæres primo, vtrū ad hominem tantū pertineat hoc sacramentum spiritualiter recipere. 4

re? Huic difficultati respondetur cum D. Tho. 3. part. quæst. 80. art. 2. Angelos beatos manducare quidem spiritualiter Christum in propria specie perfruitionem perfectæ charitatis, & claræ visionis in patria, manducare tamen spiritualiter hoc sacramentũ, tũ eo modo quo continetur sub speciebus sacramentalibus, tum etiam recipiẽdo fructum gratiæ ex opere operato correspondentem huic sacramento, solis hominibus conuenire, quia tantum pro eis eo modo institutum est sacramẽtum Eucharistiæ. A

Quæres secundo, an solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare? Respondetur cum *D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 3.* Non solum hominem iustum, sed etiam peccatorem manducare Christum sacramentaliter. Quod, præter quam quod supra explicuimus, dũ disputauimus, qua ratione Christus maneat in hoc sacramento, quando comeditur à bruto, probatur tamen eleganti ratione *D. Thom. loco citato in corpore articuli.* Quia manentibus speciebus panis corpus Christi sub eis esse non desinit, species autem panis manent, quandiu substantia panis maneret. Sed manifestum est substantiam panis assumptam à peccatore non statim desinere esse, sed tandiu manere, donec per calorem naturalem conuertatur in substantiam eius, ergo tandiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à peccatoribus assumptis quandiu manent species. B

QVÆSTIO. VI.

Verùm sacramentum Eucharistiæ debeat absolute, & sine vlla conditione adorari?

LIcet secundum fidẽ certum sit, Christum esse in hostia ritè consecrata, attamen ipsum esse in hac hostia ab hoc sacerdote consecrata (cuius intentionem veram consecrandi certò non cognoscimus; Imo neque cognoscimus euidenter eius ordinationẽ legitimam fuisse) non est certum de fide, moralis tamen certitudo communiter reperitur in hoc, quæ sufficiens est ad veram adorationem huic hostiæ consecratæ exhibendam. Si enim aliquando cõtingeret, eam hostiam, quam cultu latriæ veneramur, consecratam non esse, nõ tamen in eo reperiretur idolatria, aut deceptio formalis, aut culpabilis, tum quia bona fide existimamus, talem hostiam esse consecratam, tũ etiam quia affectus interior adorationis tendit ad ipsum Christum mente nostra apprehensum, & hoc est primo notandum in huiusmodi quæstione.

Secundo notandum est, adorationem duabus rebus constare. Primo signo quodam externo submissionis, vt genuflexione, pectoris tunsione, &c. Secundo affectu interiori submissionis, & seruitutis, quo nos alicui submittimus propter eius excellentiam. Quia enim ex duobus coalescimus, nempe ex anima, & corpore, ita etiam duobus nos submitti necesse est, nempe actibus corporis, & operationibus animæ. Hæc vero adoratio duplex est, alia, quæ dicitur dulia, quæ consistit in ea veneratione, quã exhibemus sanctis propter eorum excellentiã creatam, alia, quæ dicitur latria, quæ sita est in ea reuerentia, quam exhibemus Deo propter eius increatam, & diuinam maiestatem.

In hoc puncto varijs modis errauerunt hæretici, errauerunt ab vtero locuti sunt falsa, vt 3 notauit *Vazquez tomo de adoratione lib. 2. disp. 8. cap. 11.* Quidam enim ausi sunt affirmare, nullo modo esse hoc sacramentum adorandum. Ita sensit *Caluinus lib. 4. institut. cap. 17. §. 35.* Alij verò pronunciarunt, non esse illud adorandum, cum solum honoris causa publice circunfertur, ita dixerunt Lutherani sequentes suum magistrum Lutherum, lib. ad Valdens.

His tamen hæreticorum somnijs prorsus explosis, 4 sacramentum Eucharistiæ in sacrificio Missæ, & cum publice circunfertur per vias, & plateas, & vbicunque existit, adorandum est cultu latriæ. Ita docent eleganter *Claudius Sainctes repetit. 9. de Eucharist. cap. 5. & 6. Clichtoueus lib. 1. de Eucharistiâ. cap. 19.* & nouissime *Vazquez, loco citato,* plures Sanctos Patres in huius rei confirmationem proferens, quorum testimonia, C satis videtur esse ad nostrum institutũ, in præsenti tanquam certa supponere. Conclusio quidem est de fide. Probaturque primo ex *Concilio Trident. sess. 13. cap. 5. & can. 6.* Vbi definitur, *Hoc venerabile sacramentum adoratione latriæ colendum esse.* Secundo probatur supponẽdo prius id, quod expressa fides docet, Christo ex ea parte, qua Deus est, debitam esse, quomodocumque sit adorationem latriæ, nam Regi, siue manifeste, siue occulte procedẽti semper exhibenda est debita obseruantia, & eadem. Sed fides docet, Christum vere contineri sub speciebus panis, & vini, ergo eiusmodi speciebus debetur cultus latriæ ratione Christi, quẽ in se continent. In qua adoratione, nota exterior, vt verbi gratia, genu flexio speciebus exhibetur, D sicut solet etiã exhiberi imagini Christi, nota verò interior, seu affectus submissionis animæ soli Christo exhibetur; & cum Concilium absolute pronuntiat, huic sacramento deberi adorationem latriæ, non loquitur de speciebus solis, sed de Christo etiam sub illis contento. Nam hoc sacramentum, vt supra docuimus, necessario constat ex speciebus panis, & vini, & ex corpore, & sanguine Christi.

Secunda conclusio. Sub præcepto naturali, & diuino orto ex natura huius sacramenti 5 cogimur ei reuerentiam exhibere, & præceptum

etiam

A etiam negatiuum naturale diuinum præcipit, nullam iniuriam huic sacramento exhiberi, vt patet ex *titulo de celebratione Missarum in sexto & ex dist. 1. & 2. de consecrat.* Præceptum verò affirmatiuum, cuius proprium est, obligare semper, non tamen pro semper, vt habetur in communi prouerbio, obligat ad exhibendum honorem huic sacramento aliquando. Primo

5 cum non exhibere talem honorem, aliquam præ se ferret irreuerentiam. Secundo quando quis accedit ad sacrificium Missæ celebradum, cum enim actio sacrificandi inter omnes alias actiones sit maxime sacra, maximam iure suo requirit reuerentiam. Tertio quando quis accedit ad recipiendum hoc sacramentum, necessarium enim est, cum maxima humilitate, & reuerentia ad illud suscipiendum accedere, qui B dum ad dexteram patris sedet, non dedignatur in seruorũ cordibus thronum suum collocare. Quarto, adstringimur reuerentiam huic sacramento exhibere, quando in Missæ sacrificio eleuatur manibus Sacerdotis: ad hoc enim eleuatur à Sacerdote, vt à populo humillime adoretur. Vt patet *ex cap. sane, de celebrat. Miss. ibi Sacerdos verò frequenter doceat plebem suam, vt cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet.* Quinto debetur huic sacramento positiuá reuerentia, cum sacramentum nobis alicubi occurrit.

6 Propter materiæ tamen leuitatem omissio prædictæ reuerentiæ in prædictis casibus non continebit peccatum mortale de se, & secluso scandalo, ac seclusis alijs circumstantijs: sed tã C tum continere poterit peccatum veniale. Imo interdum in his casibus non continget etiam peccatum veniale propter inaduertẽtiam, quæ facile potest accidere.

7 Tertia conclusio. Per se loquendo, ac seclusis specialibus circũstantijs, ratione quarũ possimus, & debeamus dubitare de consecratione hostiæ, hostiam nobis propositam vt consecratam debemus adorare absolute, & sine ea conditione, neque expresse in verbis, neque in mente contenta; si est consecrata, ita *D. Thom. in 3. dist. 9. quæst. 1. ar. 2. quæst. 6. ad secundum, Ricard. ibidem dist. 24. quæst. 3. ad secundum, & Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 65 sect. 2.* Probatur conclusio, quia communiter loquendo, moraliter certi sumus, prædictam hostiam esse consecratam, D dum inter Christianos adoranda proponitur. Neque enim suspicari fas est, aliquam ibi fraudem latere, ergo hoc fundamentum tanquam sufficiens existimandum est ad hoc, vt hostiam debito cultu veneremur. Secundo probatur, quia hæc moralis certitudo sufficiens nobis est ad hoc, vt parentes nostros sine conditione veneremur, vt Episcopos colamus, & vt Sacerdotibus honorem exhibeamus: Cum tamen de eorum statibus euidentiam non habeamus, an scilicet veri sint Sacerdotes, aut Episcopi.

A

QVAESTIO. VII.

Vtrùm ad digne recipiendum hoc sacramentum sit necessaria sacramentalis confessio mortalium?

CAIETANVS *in summa, verbo, communio sacramentalis* Aperte sentit, præceptum de confessione præmittenda communioni non esse de iure diuino, neque de iure positiuo, cum nullibi inueniatur tale præceptum, nisi semel in anno confitendi. 1

Sit prima conclusio. Non tantum his nostris 2 B temporibus, sed etiam à primordijs Ecclesiæ Catholicæ, necessarium semper fuit ex præcepto, præmittere confessionem peccati mortalis ante susceptionem Eucharistiæ. Ita definitur expresse tanquam de fide *in concilio. Triden. in quo sess. 13. can. 11.* Definitur, necessario præmittendam esse confessionem ab eo, qui commisit peccatum mortale, quamuis veram de illo nactus sit cõtritionem. Verba Cocilij hæc sunt. *Et ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & in condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario præmittendam esse confessionem sacramentalẽ.* Quod vero hoc præceptũ ab anti C quis temporibus ortum habeat, probatur ex *illa sess. 13. cap. 7.* Vbi sic dicitur. Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum (nempe Apostoli Pauli, cuius verba illa proxime retulerat, *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*). Ergo definit Concilium in illis verbis, probationem illam contentam in verbis *D. Pauli prima ad Corinth. 11.* à tempore Diui Pauli positam esse sub præcepto, *ibidem vero cap. 7.* Affirmauit Concilium, prædictam probationem Ecclesiastica consuetudine satis declarari, debere esse per confessionem. Ergo à tempore Apostoli iuxta mentem Concilij præceptum fuit confitendi peccata ante susceptionem Eucharistiæ. Quod si aliqui Sancti Patres: vt *Chrysostomus homil. 28. in eam epistolam Pauli. primam ad* D *Corinth. & Theophil. ibidem*; Indicant, quemlibet hominem debere se ipsum solitarie probare. Eorum doctrina ita intelligenda est, vt ille, qui sanctissimum Eucharistiæ sacramẽtum suscipere vult, omni studio, ac diligentia conscientiam suam scrutetur, quod si se tali beneficio dignum inuenerit, recipiat Eucharistiam, Si verò indignitatem præsentiat, prius confitearur peccata, quam ad sacramentum accedat.

Secunda conclusio. Prædictam confessionẽ præmittere ante Eucharistiam, non obligamur 3

ex præcepto diuino naturali orto ex institutione sacramentorum Eucharistiæ, & confessionis. Probatur, quia, vt de se patet, bene potuit Deus hæc sacramenta instituere, ita vt vnũ non ordinaretur ad aliud, sed ita vt sufficeret attritio, vel contritio ad communionem, ergo præmittere confessionis sacramentum ante Eucharistiam non est ex præcepto diuino naturali necessarium.

4. Sit tertia conclusio contra *Nauar. in initio, de pænit. distinct. 5. Ioan. de Medina, Codice de confessione, quæst. 17. & Conin. t. de Sacramentis, q. 80. art. 4. dub. 1.* Hoc præceptum est diuinũ positiuum, ita expresse *Vazquez 3. t. in 3. p. disput. 257. cap. 4. & Suarez 3. t. in 3. p. q. 80. art. 5. disp. 66. sect. 3.* Vbi dicit, hoc præceptum esse à Christo Domino institutum, & Apostolis, ac per eos Ecclesiæ traditum. Probatur conclusio ex *Paulo 1. ad Corinth. 11.* vbi addens, *probet autem seipsum homo*, quod Tridētinũ intelligit de cōfessionis præcepto, præmisit: *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Ergo sensit esse præceptum Dei, & non suum. Secundo probatur ex traditione Ecclesiæ, quæ ita hoc semper intellexit, & conseruauit, quod conforme est regulæ traditæ *ab August. lib. 4. de Baptismo cōtra Donatistas cap. 24. in principio*. Cuius verba sunt, *quod vniuersa tenet Ecclesia, neque Cōcilijs institutum est, sed semper retentum, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime credimus*, vbi per illa verba traditum Apostolica authoritate, idem intelligit quod institutum iure Diuino, vt patet ex præcedentibus illis verbis, *& si quisquam in hac re authoritatem Diuinam quærat*; præceptum autem de præmitēda confessione ante Eucharistiam huiusmodi est. Tertio probatur ex Patribus ita intelligentibus prædictum locum Pauli, vt ex *Cypriano lib. 1. Epistolarum Epist. 3. & August. in Psal. 118. Chrysostomo homilia 30. in Genesim*. Quarto probatur, quia ratio ipsa docet, ad necessariam præparationem, vt sacramentum ita excellēs sumatur, necessarium esse eum modum, qui ad gratiæ dignitatē adquirendam sit omnium certissimus, hic autē modus est confessio sacramentalis simul cũ dolore, vt si forte dolor de se solus non sufficiat ad gratiam obtinendam, cum sacramento sufficiens sit, quod vero licet homo certus esset ex reuelatione se esse in gratia, deberet post mortale commissum cōfiteri. Probatur, quia nō solum debet confiteri, vt sit in gratia, sed etiã vt sit in gratia conuenienti modo Ecclesiæ. Nã sicut ad ingressum collegij nō satis est, aliquem esse dignum, nisi probetur talis dignitas per ministros ipsius collegij, ita etiam nullus est admittendus ad hanc sacram mensam, nisi dignũ eum esse cōstet per ministros Ecclesiæ, qui sunt confessarij: qui quidem nisi præmissa confessione pœnitentis, nequeunt eius dignitatem agnoscere.

QVÆSTTO VIII.

Quale peccatum sit ad hoc sacramentum accedere cum conscientia peccati mortalis, seu venialis?

MAgnam conscientiæ puritatem necessariam esse ad recipiendum hoc mirabile sacramentum Eucharistiæ, præterquam quod demonstratum est in præcedentibus quæstionibus, probatur deinde alijs vijs. Quarũ prima desumitur ex his mirandis figuris, quæ præcesserunt, in testamento veteri huius mysterij. Nã agnus Paschalis non poterat edi, nisi ab hominibus purificatis, vt patet *Numerorum 9.* & erat figura huius sacramẽti. Deinde panes Propositionis, qui etiam erant figuræ Eucharistiæ, non nisi à mundis manducari poterant, vt patet ex *primo lib. Regum cap. 21.* Si ergo ad percipiendam figuram huius sacramenti ea puritas requirebatur, ad recipiendum ipsum figuratum recte constat maximam requiri conscientiæ puritatem. Secundo probatur ex *Ioan. 13. cap.* vbi Christus Dominus, antequam suis Discipulis sacramentum Eucharistiæ ministraret, eorum pedes lauit, eo facto significans etiam leuium macularum abstersionem conuenientem esse huius sacramenti susceptioni. Tertio probatur ex *prima D. Pauli Epist. ad Corinth. cap. 11.* vbi dum sermonem instituit Paulus de dispositione ad hoc sacramentum recipiendum, sic clamat. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* In quibus verbis, vt patet ex cōtextu eiusdem capitis, non loquitur de probatione fidei, sed de probatione morum. Vltimo probatur ex Græcis Liturgijs, vbi clamat Diaconus, Sancta Sanctis, in quibus Verbis non solum arcentur ab huius sacramenti participatione Catechumeni, sed etiam omnes peccatores, vt recte exposuit *Chrysost. homilia 61. ad populum Antiochenum*, & longum quidem esset huius certæ veritatis plures rationes adducere, qui tamen eas desiderauerit, legat *Bellarminum tomo secundo suorum operum lib. 4. cap. 18.*

Sit prima cōclusio. Sacrilegij peccatum cōmittit, qui ad hoc sacramentum recipiendũ accedit cum conscientia peccati mortalis, ita docent cōmuniter Doctores cum *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 5.* Probatur primo, quia talis accessus directe pugnat contra reuerentiam debitam sacramento huic, in quo Christus est infinite Sãctus, & ita sancte recipi necessarium est. Secũdo probatur, quia qui prædicto modo accedit ad hoc sacramentum, videtur Deo peculiarem iniuriam irrogare, quia in ipsa perceptione sacramenti falsum profitetur; profitetur enim se esse viuum spiritualiter Dei amicũ, & corpori eius

eius unitum esse, cum revera non sit, quod autem profiteatur se esse viuum, patet, quia sicut ille, qui manducat corporaliter, fatetur se esse viuum, ita etiam manducans sacramentaliter, facto suo indicat, se esse viuum spiritualiter media gratia iustificante.

3 Secunda cõclusio. Per se, & ex natura sua, & ex suo obiecto maius est prædictum peccatum sacrilegij omnibus alijs peccatis, quæ contra creaturas committuntur. Probatur ratione *D. Thom. loco citato in corpore*, quia quanto id, contra quod peccatur est maius, tanto peccatum est grauius, & quia diuinitas Christi est maior humanitate ipsius, & ipsa humanitas potior, quam sacramenta humanitatis, & hæc sacramẽta potiora sunt, quam reliquæ creaturæ, inde est, quod grauissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam diuinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blasphemiæ, secundario autem sunt grauia peccata, quæ committuntur in humanitatem Christi; unde *& Matthæi 12. dicitur, qui dixerit verbum contra Filium hominis demittetur ei, qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, nec in hoc sæculo neque in futuro.* Tertio autem loco sunt peccata, quæ committuntur contra sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi, ut quæ committuntur cõtra sacramẽta corporis, & sanguinis Christi. Et quarto loco sunt alia peccata cõtra puras creaturas, ex parte tamen peccantis secundum doctrinam *D. Thom. loco citato*, potest esse maior illud peccatum, quod est cõtra creaturas, quam illud quod est contra hoc sacramentum, quia potest contingere, quod peccatum contra creaturas procedat ex certa scientia, & ex contemptu, & peccatum contra hoc sacramentum procedat ex ignorantia, simpliciter tamen loquendo grauius peccat Infidelis, & Hæreticus accedens ad hoc sacramentum, quã Fidelis existens in peccato mortali, tum quia Infidelis, & Hæreticus plus distant à Christi unione, quæ in hoc facto comunicandi profiteri videtur, quam Fidelis existens in peccato mortali. Tum etiam, quia Infidelis magis contemnit Christum, secundum quod est sub hoc sacramento, præsertim si nõ credat ipsum esse ibi, quia quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in eo per hoc, quod contemnat ipsum sacramentum in se, Fidelis autem, qui cum conscientia peccati recipit hoc sacramentum, contemnit sacramentum, nõ quidem in seipso, sed quantum ad usum, indigne illud suscipiens.

4 Sed quæres, quomodo se gerere debeat sacerdos, qui in altari recordatur alicuius peccati mortalis à se commissi, cuius antea, quia illud non venit in mentem, nec præmiserat confessionem, neque contritionem habuerat? *Vaz. 3. tom. in 3. p. disp. 107. cap. 1.* sentit in eo casu, quo huiusmodi peccator, ita coarctaretur temporis angustijs, alijsque rebus necessarijs ad sacrificium ita distraheretur, ut nisi ab eodem sacrificio desisteret, nollo modo ad perfectam contritionem moraliter posset excitari, eum non peccaturum mortaliter, etiamsi cum conscientia peccati mortalis sacramentum recipiat, quia præceptum digne suscipiendi hoc sacramentum non videtur ita strictè obligare, ut cogat in eo casu addimittẽdo sacrificium inchoatum cum populi scandalo, & sui honoris dedecore, quod intelligit iste author, cum multi adessent illi sacrificio Missæ, & non solus Minister, quẽ facile posset in alium locum mittere, ut actum contritionis eliceret. Et idem sentit de sæculari, qui positus ad pedem altaris coram populo, & immediate recepturus Eucharistiam, recordatur alicuius peccati mortalis, cuius neq; præmisit confessionem, neque contritionem. Sed huic difficultati primo respõdendum existimo, Sacerdotem celebrantem in eo casu debere elicere actum contritionis, tum quia ad eum eliciendum semper est paratum Dei auxilium. Tum quia facile potest sine ullo populi scandalo per aliquod breue spatium temporis occupari in adquirenda contritione peccatorum; tum quia facilè potest distractam mẽtem componere. Secundo respondendum iudico, posse strictius contingere casum in sæculari, quam in Sacerdote; ut cum recordatur eiusmodi peccati, quando iam iam recipit sacramẽtum de manu Sacerdotis. In quo quidem casu, si cõmode potest ratione alicuius salutis proijciendæ, vel ratione alterius legitimæ causæ aliquantulum differre receptionẽ Eucharistiæ, debet eam differre, & pro breuitate temporis in quocunque euentu procurare contritionẽ. Quod si eam angustijs temporis cõstrictus nõ elicit, potius debet Eucharistiam recipere, quã ab altari discedere cum populi scãdalo, & proprio dedecore, quia non est credendum, pium, ac benignum Iesum hoc sacramẽtum instituisse in nostrarum animarum remedium cum tanto dispendio nostro, & alieno.

Quæres secundo, an unicum tantum peccatum sacrilegij cõmittat, qui ad recipiendã Eucharistiam indigne accedit, aut quia pluribus peccatis mortalibus irretitus est, aut quia pluribus præceptis præpeditur altero Diuino de non recipiendo indignè sacramento, altero positiuo media excommunicatione sibi imposita. (Quam certum est, siue sit maior, siue minor, prohibere receptionem sacramentorum.) Ad hoc respondetur *cum Vazquez loco citato*, in eo casu tantum reperiri unicum peccatũ sacrilegij, unde pœnitentem satisfacere præcepto confessionis, si simpliciter dicat, se commisisse unum sacrilegium recipiendo in prauo statu sacramentum Eucharistiæ. Probatur hæc resolutio, quia, cum diuersa præcepta aliquem actum prohibentia eandem rationem, & idem

motiuum

motiuum respiciunt, eorum violatio tantum A constituit vnicum peccatum: sed in his casibus ratio prohibitionis eadem est, scilicet, vt Sancta sancte tractentur, ergo vnicum tantum resultat peccatum.

6 Sit tertia conclusio. Nullum peccatum mortale committit, qui ad hoc sacramentum accedit in peccato veniali cōstitutus, siue quis illud perpetrauerit ante receptionem sacramenti, siue in ipsa receptione; vt quia ob vanam gloriam communionem recipit. Ita sentiunt communiter Scholastici. Probatur conclusio, quia tunc nulla fit notabilis iniuria sacramento, sed tantum leuis, ergo non committitur graue peccatum, sed leue.

7 Quæret tamē aliquis, an reperiatur aliquod peccatum veniale contra reuerentiam huius sacramenti in eo, quod quis accedat ad illud recipiendum cum peccato veniali, vel antea commisso, vel in actuali perceptione sacramenti perpetrato. Quidam existimant, in hoc casu nullum reperiri peccatum. Hoc placuit *Maioris in 4. distinct. 9. quæst. 1. §. contra primam conclusionem. Adrian. in 4. quæst. 1. de Euchar. §. pro responsione, & Vazquez loco citato cap. 2.* Probatur primo hoc responsum, quia peccatum veniale, quod tunc committitur, non impedit præcipuum effectum huius sacramenti, qui est augmentum gratiæ habitualis; ergo in accessu ad hoc sacramentum cum hoc peccato veniali nullum committitur peccatum. Secundo probatur, quia etiamsi tunc impediatur feruor Charitatis, qui est secundarius effectus, nullum tamē in eo reperitur peccatum, aliàs etiam peccaret ille, qui voluntarie esset distractus tempore receptionis Eucharistiæ, quia ea ratione impeditur feruor Charitatis. Sed his non obstantibus multò verius iudico cum aliquibus recentioribus. Primo, non peccare venialiter eum, qui accedit ad hoc sacramentum post peccata venialia commissa, etiamsi nullum illorum dolorem conceperit, neque voluntatem peccandi venialiter retractauerit, dummodo non habeat positiuam complacentiam eius, dum communicat. Patet, quia homo non tenetur ad hoc sacramentum accedere sine peccatis venialibus; hoc enim supra naturam nostram est, & moraliter impossibile, secundum illud *Diui Ioannis in sua prima Epist. Canonica cap. 1.* ad hoc propositū intellectum ab Ecclesia, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod si in actuali receptione contingeret complacentia alicuius peccati venialis, tunc inueniretur peccatum veniale propter eas rationes, quas proxime subijciemus in secunda parte nostræ resolutionis. Secundo iudico, eum, qui in ipsa susceptione sacramenti peccat venialiter; vt quia verbi gratia, ob vanam gloriam communicat, reum fieri noui peccati venialis sacrilegij. Tum propter irreuerentiam, quam committit contra hoc sacramentum, sine dubio enim irreuerentia reperitur in eo quod tam magnum sacramentum ob vanam gloriam suscipiatur. (Et idem iudico de aliorum sacramentorum receptione.) Tū etiam, quia per malitiam impeditur feruor Charitatis, & ea deuotio, quæ causanda erat per sacramentum. Et ex his patet argumentis in oppositum. Ad primū enim dicimus, etiamsi nō impediatur præcipuus effectus huius sacramēti in eo casu, qui consistit in augmento gratiæ, impediri tamen feruorem Charitatis, & fieri irreuerentiam sacramento, & hoc sufficere ad constituendum peccatum veniale. Ad secundū argumentum dicimus, peccatum veniale esse, impedire feruorem Charitatis medio aliquo B peccato veniali actuali, quia hoc impedimentum ex malitia prouenit, non tamen illum impedire media distractione voluntaria, quam aliàs nulla induat malitia, quia hoc secundum non continet irreuerentiam sicut primum sed quandam minorem perfectionem.

8 Sed contra tertiam conclusionem obstat primo *Canon quotidie de consecratione, distinct. 2. vbi Diuus August.* De quibusdam peccatis, quæ distinguit à mortalibus, quæ nulla alia posse esse videntur, nisi venialia, sic ait. *Nam si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari.* Ergo peccatum mortale committit, qui ad hoc sacramentum accedit cum conscientia peccati venialis. Ad hoc tamen argumentum respondetur cum *Patre Vazquez 3. tom. in 3. p. disput. 207. cap. 2.* Tū C verba illa desumpta esse ex Gennadio, & contineri apud *D. Augustinum 3. tom. cap. 53.* Tū etiam per peccata ibi distincta à mortalibus intelligi peccata mortalia secreta, quia ad ea exigitur necessario confessio, quæ confessio non est necessaria pro peccatis venialibus. Et ex grauitate verborum, quibus loquitur ille Canō de eo, qui talia peccata committit, manifeste colligitur, eum loqui de peccatis mortalibus, dicitur enim, *sic communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus*, quæ tamen non sunt necessaria pro peccatis venialibus. Per peccata verò mortalia, de quibus postea loquitur Canon, eum inquit, *hoc de illo dico, quem peccata mortalia nō grauant*, intelliguntur peccata mortalia publica, D quæ indigent publica pœnitentia, vt patebit legenti Augustinum loco citato, ibi enim hæc verba subijciuntur de eo, qui communicaturus est, *nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere.*

Obstat secundo contra eandem conclusionē *Anselmus in illud primæ ad Corinth. 11. probet autem seipsum homo, &c. Dicens, indigne manducat, & bibit, qui, vel aliquod graue, vel multa leuia commisit peccata, & non est confessus.* Sed responde- 9 tur, ibi per leuia peccata intelligi peccata mortalia,

talia, eã tamen, quæ leuiora sunt alijs peccatis mortalibus, quæ ibi appellat grauia. Et quod Diuus Anselmus ibi per leuia peccata intelligat peccata mortalia, mihi euidens est ex eo, quod ibi requirat confessionem ad eorum expiationem, quæ tamen confessio tantum est necessaria sub præcepto ad expianda peccata mortalia.

QVAESTIO. IX.

Vtrum aliquando possit quis accedere ad hoc sacramentum sine confessione mortalium?

1 QVIDAM in præsenti quæstione iudicarunt, posse aliquẽ non modo communicare more laicorum, sed etiam Missæ sacrificium celebrare nulla præmissa peccatorum confessione. Dũ modo tamen contritionem prius conceperit de peccatis commissis, quod quidem defendũt etiam in eo casu, quo quis habeat copiam confessoris, dummodo tamen speret, breui tempore se adepturum alium confessarium, cui cum maiori deuotione, & securitate suæ conscientiæ possit peccata confiteri. Hanc sententiam amplexi sunt *Ricardus in 4. distinct. 17. art. 2. q. 6. Syluest. in summa verbo, Eucharistia 3. q. 14.* & alij Doctores. Hæc tamen sententia sustineri potest, dum quis non possit sine graui damno Sacerdoti præsenti confiteri sua peccata, & necessarium illi sit communicare, aut celebrare ad vitandum aliquod scandalum. Si vero tale graue damnum non timeatur, sed solum expectetur maior deuotio, aut securitas, hæc opinio exibilãda videtur. Alij verò Doctores senserunt, absente proprio Sacerdote, etiamsi adsit alienus Sacerdos, qui ex priuilegio potest audire confessiones, posse quempiam non præmissa confessione sacramentum Eucharistiæ recipere. Veruntamen hæc sententia omnino reijcienda est, quia tantum licet relicta confessione accedere ad sacramentum Eucharistiæ post commissum mortale peccatum, quando desideratur conueniens confessarius, at in præsenti iste non desideratur, confessarius enim ex priuilegio, & commisione superioris sibi delegata verus confessarius est: imo proprius Sacerdos appellari potest, ergo in isto casu nõ est omittenda confessio.

2 Vt verò quæstio intelligatur, notandum est iuxta *Tridentinum sess. 13. cap. 7.* vt licitum sit, sine confessione communicare, duo requiri, tũ, quod desit copia confessarij, tum, quod necessitas vrgeat communicandi, vel celebrandi.

3 Sit ergo prima conclusio. Cum confessarius talis naturæ est, quod timetur illum reuelaturum aliquod peccatum, vel aliquod graue damnum in vita, in honore, vel in bonis illaturum pœnitenti, vel occasione peccati in confessione auditi ad peccandum solicitaturum, (& vt notat *Conin. tom. de Sacramentis, quæst. 80. art. 4. dub. 2.* non tenetur quis confiteri ante communionem, cum non potest sine interprete confiteri.) Tenetur pœnitens ante communionem confiteri cum eo Sacerdote, si alius desit, non quidem integre, sed omisso eo peccato, ex quo illa mala timentur. Patet, quia, vt vidimus in materia de pœnitentia, hoc eodem modo tenemur confiteri mortalia ad satisfaciendum præcepto annuæ confessionis, quod solum est Ecclesiasticum, ergo multo melius tenemur confiteri ad satisfaciendum præcepto Diuino de præmittenda confessione ante Eucharistiam, quod intelligitur, quando adsunt peccata mortalia simul cum alio peccato, nam quando tantum adsunt venialia, qui se putat esse contritum, non tenetur confiteri, quia dura res esset. Si tamen quis timeret, se tantum esse attritum, tenetur, venialia confiteri, vt saltem indirecte possit absolui à mortalibus, & in gratia communicare, ita *Suarez, 3. tom. in 3. p. disput. 66. sect. 4.*

Secunda conclusio. Cum adest confessarius, 4 qui potest absoluere ab aliquibus peccatis, non tamen à reseruatis, & pœnitens habet peccata reseruata, & alia non reseruata, tunc si aliqua grauis iudicio prudentum vrget necessitas, tunc potest pœnitens absolui à casibus reseruatis ab eo confessario indirecte, ita nos docuimus in materia de pœnitentia tractatu secundo, quæst. 24. sequentes *D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 2. ad quartum.* Quam conclusionem nos eo loco multis rationibus confirmauimus, ea tamen in præsenti sufficiat, quia huiusmodi pœnitens, vt modo supponimus, accedit ad confessionem recte dispositus tam circa peccata reseruata, quam circa non reseruata, & aliàs communis confessarius, qui directe non habet potestatem in peccata reseruata, legitime potest absoluere à non reseruatis, si ea præcise considerentur, & secundum se sola, & aliàs pœnitens maxime indiget confessione sacramentali ad seruandum præceptum Eucharistiæ, vel ob aliam causam legitimam, quæ exigit communionem sacramentalem, ad quam necessarium est præmittere confessionem, ergo non est credendum de Dei misericordia, nõ dedisse potestatem indirectam huic confessario in isto casu absoluendi à casibus reseruatis coniunctis cum non reseruatis, cũ peccata mortalia non reseruata non possint auferri, sine reseruatis.

Tertia conclusio, quando instat mortis periculum, & non adest vllus Sacerdos, sed Diaconus, qui ministrare possit sacramentum Eucharistiæ, potest infirmus, sine confessione sacramentali præmissa, sacramentum Eucharistiæ 5 reci-

A recipere. Patet, quia in eo casu maxime vrget præceptum communionis, tum etiam maxime necessaria est communio ad salutem animæ comparandam. Nam posset contingere, ægrotum commisisse aliqua peccata mortalia, quorum non recordetur, & quorum habeat solam attritionem, & in eo casu, vt vidimus quæstione 3. huius secundi tractatus sacramentum Eucharistiæ potest illi per accidens tribuere primam gratiam; & consequenter gloriam. Nō tamen probabilem iudico sententiam *Enriquez in summa tomo 1. lib. 8. de Eucharistia cap. 47.* Asserentis, debere Sacerdotem sine præmissa confessione suorum mortalium celebrare, cum ægrotus constitutus est in articulo mortis, & tenetur sacram communionem recipere, quia B tunc non currit præceptum communionis, cū non sit copia sacramenti, quia Sacerdos nequit celebrare nisi debito modo, vt non posset Sacerdos ob eam causam sine vestibus sacris celebrare.

6 Quarta conclusio. Cū instat præceptum celebrandi sacrificium Missæ, vel more laico cōmunicandi, vel consuetudo in aliqua congregatione communicandi, vel celebrandi ratione totius populi, vel ratione illius, qui communicaturus est, vel aliqua alia vrget grauis necessitas aliquid eorum præstandi, & non potest communionem sine nota infamiæ omittere, & deest quidem copia confessarij, vel licet adsit cōfessarius, non potest tamen pœnitens sine graui suo damno confiteri, tunc potest homo absque C præmissa confessione sacramentum Eucharistiæ recipere; non enim præceptum confitendi ante susceptionem Eucharistiæ, quod ad bonum ordinatur nostrum, cum tanto dispendio, & cum graui damno nostro obligare censendum est.

7 Quod vero populus auditurus sit Missam, vel Parrochus, hoc præcise non est causa sufficiens celebrandi sine præuia confessione, si Parochus habeat conscientiam alicuius peccati mortalis, nisi infamiæ nota, & alicuius peccati mortalis suspicio in alijs generaretur ex eo, quod Parochus minime celebraret. In casu eo, quo timeretur prædicta infamia, certum est ex præcedenti conclusione Parochum posse celebrare, in eo vero casu, quo nulla timeretur infamia ex eo, quod Parochus non celebraret, v.g. D quando totus populus cognosceret Parochum commisisse aliquod peccatum mortale, & illud non fuisse confessum, certum mihi est, tunc eū non posse celebrare sacrificium Missæ, vt populus, aut vt ipse Missam audiat, ita *Vazquez 3. tom. in 3. p. disp. 208. cap. 2. & Suarez to. 3. in 3. p. disp. 66. sectione 4.* Patet, quia tunc nullus eorum obligatur præcepto audiendi Missam, ergo propter adimpletionem huiusmodi præcepti non est iustificanda eiusmodi celebratio. Quanta vero debeat esse infamia illa, quæ timetur ex omissione celebrationis, aut communionis, & in quo casu possit timeri, aut non timeri, prudentis hominis arbitrio iudicandum est.

Alij similes casus, qui in authoribus solent reperiri, in quibus potest quis communicare absque præuia confessione, postquam commisit peccatum mortale, & postquam prudenter iudicat se cōcepisse veram contritionem peccatorum, ad prædictos casus reduci possunt; & facile apparebunt diligenter aspicienti nostrā materiam de pœnitētia. Præcise tamē propter scandalū tātū, scilicet, quia alij sumunt occasionē peccandi ex malitia sua, vel ex ignorantia sua, nisi aliqua infamia sequatur, ex eo quod quis non recipiat sacramentum Eucharistiæ, non est illud recipiendum nisi præmissa confessione, vt ex eadem materia aperte liquet.

Quinta conclusio. Nō debet Sacerdos existens in altari ad celebrādum sacrificium Missæ ab altari discedere, siue ante peractam consecrationem, siue post, cum recordatur se non esse ieiunum, vel se esse excommunicatum excommunicatione minori, vel maiori (vtraque enim impedit celebrationem Missæ, quia in ea recipitur sacramentum Eucharistiæ) vel dum recordatur se commisisse aliquod peccatum mortale, quod non fuit confessus, si ex tali discessu ab altari sequatur notabilis infamia. Hanc conclusionem gaudeo vehementer, vt illi tutius adhæream, defendi à *D. Thom. 3. p. q. 83. a. 6. in solutione ad secundum argumentum*, & eam amplectitur *Vazquez in 3. tom. in 3. p. disp. 208. cap. 3.* Probatur, quia tanti Deus facit nostrum honorem, & ita vehementer vult præcauere proximorum scandalum, cum illud non proueniat ex malitia, aut ignorantia, vt nolit in his casibus obligare Sacerdotes ad omittendum sacrificium Missæ, & ad quærendum confessarium, vel iudicem potentem absoluere à censura, sed nostra interiori contritione contentus sit, vt digne possimus suscipere sacramentum Eucharistiæ. Si vero Sacerdos in prædictis casibus recordetur eorum defectuum post consecrationem inceptam, debet nihilominus perficere sacrificium, & suscipere sacramentum Eucharistiæ, etiam si supponeremus, nullam sequi infamiam, aut nullum scandalum ex eo, quod ille ab altari discederet, patet, quia integritas sacrificij Missæ talem perseuerantiam exigere videtur. Si vero eorum recordaretur ante consecrationē, & nulla timeretur infamia, vt quia solus adest minister, qui tales defectus optime cognouit, deberet Sacerdos à celebratione desistere, quia illa pars Missæ non est de substantia sacrificij. Totam hanc doctrinam desumpsimus ex *D. Thom. loco citato*. 8

In his casibus, in quibus, in hac quæst. diximus, posse hominē post cōmissa peccata mortalia recipere sacramentum Eucharistiæ nō præmissa 9

missa confessione eorum, certum est, debere eũ veram contritionem concipere peccatorum, vnde nunquã digne accedit homo ad hoc sacramentum, nisi probabiliter, & inculpabiliter existimet sibi esse peccatum remissum per contritionem, ita communiter docent omnes Doctores, vt probat *Suarez 3. tomo in 3. p. disp. 66. sectione* 5. Et oppositum defendere temerarium est, & hanc resolutionem defendunt omnes Patres Ecclesiæ, quorum testimonia recensere omnia instituti nostri ratio non postulat. Audite, *D. Basilium lib. 2. de Baptisma cap. 3. sic loquentem. Quãto magis quirum in peccato sit corpus Domini contingere audet, granius sibi accersit iudicium. mundemus itaque nos ab omni inquinamẽto.* Audite *August. sermone 252. de tempore hæc verba proferentem. Vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, prius studeat eam emundare, alias potius se debet excommunicare, & ab altari remouere, quam aliter accedere.* Et ad hoc propositũ adducit illud *Matth. 22. Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.* Tandem audite *Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. his verbis. Si non decet ad sacras functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas, & diuinitas Cœlestis huius sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absque magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Sed in his casibus, in quibus post perpetratum peccatum mortale homo accedit ad recipiendã Eucharistiam sine præmissa confessione, non potest alia via adquirere sanctitatem debitam huic sacramento, nisi media contritione, ergo tenetur in his casibus habere veram contritionem, & talis contritio ex præcepto Diuino naturali requiritur. Probatur preterea ratione, talem contritionem requiri ex præcepto Diuino naturali. Prima sit; quia hoc sacramentum Eucharistiæ est sacramentum viuorũ, sed quodlibet sacramentum viuorum per se, & ex natura suã prærequirit statum gratiæ; alias non esset sacramentum viuorum, sed mortuorum secundum vitam spiritualem, ergo sacramentum Eucharistiæ prærequirit statum gratiæ, qui nõ potest alio modo acquiri in prædictis casibus nisi media contritione. Secunda ratio sit, quia hoc sacramentum, cum contineat Christum, cõtinet ipsam sanctitatem per essentiam, & authorem totius sanctitatis, ergo supposita institutione huius sacramenti iure naturæ tenetur, qui illud recepturus est, se in statu gratiæ constituere, quod cum in his casibus ex sola contritione prouenire possit, hinc est necessitatem contritionis in his casibus iure Diuino naturali adstruendam esse.

31 Quæret tamen aliquis, quotuplex peccatũ committat ille, qui ad Eucharistiã accedit absq; præuia confessione, & absque præuia contritione, quando alterum eorum necessario debuit præmitti? Huic difficultati respondemus cum *Soto in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 4.* tunc tantum reperiri vnicum peccatum sacrilegij cõtra vnũ præceptum negatiuum, quod expresse prohibet indignum accessum ad Eucharistiam, & sine debita probatione conscientiæ.

QVÆSTIO. X.

Cui peccatori sit Eucharistia deneganda, & an aliquando in purgationem delicti conferenda sit?

CERTVM apud omnes Scholasticos est, Sacerdotem ministrantem indigno hoc sacramentum cõmittere peccatum mortale sacrilegij, nisi aliqua iusta causa excusetur, in quo casu, vt bene *Vazquez 3. tomo in 3. p. disp. 209. cap. 1.* Vnica tantum est malitia secundum modum, & secundum speciem, quæ in eo consistit, vt sacramentum indigno administretur, (præter hanc enim non est alia malitia in ministro, per hoc quod in statu peccati mortalis sacramentum porrigat. Non est enim peccatum mortale, sed ad summum veniale ex paruitate materiæ hoc sacramentum porrigere ministrũ in mortali existentem, sed illud in mortali conficere, sicut & de alijs sacramentis loquuti sumus in tractatu de sacramentis in genere, imo etiam si quis alteri suadeat, vt in mortali communicet, dummodo directe non velit ruinam spiritualem alterius, solum committit vnum peccatum mortale, sicut quod quis persuadeat fœminæ, vt secum in fornicatione consentiat, tantum est vnum peccatum luxuriæ, quia quãuis suasio sit quid distinctũ ab ipso opere nefario, tamen quia vnum ordinatur ad aliud in genere moris, vnum peccatum censetur). Cum autem quis peccat indigno ministrando sacramẽtum, non peccat contra præceptum affirmatiuum de digne ministrando, quia aliàs esset peccatum omisionis, sed contra præceptum negatiuum de non ministrando sacramentum indigno, sicut & qui furatur peccat peccato commissionis contra præceptum negatiuum non furandi, nisi Deus dederit ad hoc facultatem dominium rerum alienarum ei tradendo.

His suppositis sit prima conclusio. Peccatori publico deneganda est communio sacramentalis, siue occulte, siue publice illã petat, ita defendunt omnes Scholastici vno ore, & probatur, quia tunc ille peccator non habet aliquod ius ad petendam communionem neque ratione sui status, quia est in peccato mortali, vt supponitur, neque ratione cõseruandæ suæ famæ, quia illam iam amisit per suum publicum peccatum: ergo ei Eucharistia nullo modo concedenda est. In quo peccatore, vt ei detur Eucharistia

ristia in publico, necessaria est publica notitia conuersionis, nisi in articulo mortis sit, quod si detur in secreto, & non credatur id esse publicandum, satis est secreta notitia conuersionis, vnde publicis meretricibus non est danda Eucharistia, neque alijs similibus personis, vt notat Petrus de Ledesma in summa de Eucharistia, cap. 12. Imo his peccatoribus, & etiam excommunicatis publicis non est danda Eucharistia etiam cum periculo mortis, ne quis cooperetur ad malū, neque hystrioni danda est Eucharistia, qui ex officio recenset turpes comœdias, & prouocat ad peccandum, ita Enriquez lib. 8. de Eucharistia capite 56.

3 Quæres tamen primo circa doctrinam huius conclusionis, quando appellandum sit peccatū publicum, seu notorium ad eum effectum consequendū, vt peccatori publico deneganda sit Eucharistia? *Adrian. in 4. q. 9. de Eucharistia*, quę incipit, orietur quæstio, sequēs in eo *Archidiaconum in cap. cum dilectis de purgatione canonica* sentit, illum peccatorem, cuius crimen in vicinia, vel Parochia decem saltem personis manifestum est, censeri peccatorem notorium, ita vt Missam illius nemo possit audire. Quare Adrianus multo potiori iure sentire debuit, eiusmodi peccatori denegādam esse Eucharistiá, quia grauius multo peccatum perpetratur in concedenda Eucharistia peccatori publico, quam in audiēdo eius sacro. Primū enim repugnat aperte præcepto diuino. Secundum vero humano, ex magnitudine autem præcepti optime colligitur magnitudo culpæ. Sed huic quæstioni facile respōdetur cum *Dominico Soto in 4. dist. 12. q. 1. a. 6.* Vt alicui Eucharistia denegetur tāquā peccatori publico, non satis esse, si eius peccatum aliqua infamia laboret in populo, sed præter hoc debere esse notum vel per sententiam iudicis, vel per confessionem ipsius rei in iudicio, vel per euidentiá rei, quæ nullo modo possit celari, & per hoc quod in loco contingat natura sua publico, licet omnibus tamen non sit euidens. Quæ doctrina, ad hoc vt nō possit audiri officium Clerici fornicarij, expressa est *in cap. quæsitū de cohabitatione Clericorum, & mulierum* in his verbis, *nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu confessionem factam in iure, aut per euidentiā rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit.* Eadem autem imo multo vrgētior videtur militare ratio denegandi Eucharistiam huiusmodi peccatori propter rationem proxime tactā. Quod vero cū peccatū publicū est per sententiā iudicis, vel per confessionem partis in iudicio, possit iuste negari Eucharistia etiā corā his, qui in eo oppido, vbi talia cōtigerūt, nullo modo notitiā habuere peccati, patet, quia tūc nulla spes esse potest cōseruandi famā peccatoris, sed facile & breuiter delicti fama ad omnes perueniet, vel ad maiorē partē oppidi; & æquitatis ratio exigere videtur, vt potius fa-

A ma eius peccatoris, qui modo occultus est his qui adsunt & statim nō erit occultus, sed publicus, aliquod detrimentū patiatur paruo tēporis interuallo, quā irreuerentia irrogetur sacramento, per hoc quod illud tribuatur indigno. Quādo vero crimē sit notoriū per euidētiā facti, & cuius qualitatis testibus debeat esse notū peccatū, aut cui numero testiū, arbitrio prudētis iudicandū esse censeo cum *Soto loco citato*; talis ergo numerus testiū sufficiet ad hoc, vt tale crimē publicū dicatur, qualis satis esse iudicatur, vt breuiter illud ad notitiā omniū, qui sunt in vicinia, vel in oppido, vel ad maiorē partem eorū perueniat. Et quādiu crimen aliqua tergiuersatione celari potest, nō dicitur notoriū, vt notauit prædictū caput, *quæsitū*, sed quādo ho-
B mines ita expositi sunt publice ad peccādum, vt meretrices publicæ, & vsurarij publici, vt nullus de eorū peccato relinquatur dubitādi locus, ita docuit Sotus loco citato. Tū etiā peccatū dicitur publicū, quando in maiori parte alicuius cōmunitatis notū est, vt dicitur in oppido publicū, quando à maiori parte incolarum notū est, in vicinia dicitur publicū, quod à maiori parte vicinorū notū est, quod tamen in viciniæ maiori parte notū est, nō potest dici publicum eo oppido, vbi sunt plures viciniæ.

Sed quæres secūdo, an in eo casu dubio, quo dubitatur an peccatum sit publicū, vel non, vel an factū, quod publicū est, sit peccaminosum, vel non, conferendū sit Eucharistiæ sacramentū? Huic difficultati respondetur cum *Petro de* 4
C *Ledesma in summa de Eucharistia cap. 12.* in eo casu non esse denegandū sacramentū, quia in pari causa, & delicto melior est conditio possidentis suā libertatē, sed iste homo in eo casu possidet suā libertatem accedendi ad hoc sacramentum, ergo non est illud denegandum ei.

Tertio quæres, an cum peccatū illud in vno loco dictis modis publicum, in alio est secretū, possit ei peccatori denegari Eucharistia in publico, quando petitur in eo loco, vbi delictum est occultū. *Gabriel Vaz. q. loco citato cap. 2.* generaliter respondet, Eucharistiam non esse denegandam in eo casu, quia ille homo est occultus peccator, & peccatori occulto non est deneganda Eucharistia in publico, *Caietanus vero oppositam sententiam sequutus 2. 2 q. 73. a. 4.* Abso- 5
D lute pronunciat, in eo casu licite posse denegari Eucharistiam. *Dominicus vero Sotus in 4. dist. 12. q. 1. ar. 6.* Docet, cum peccatū est publicū in alio loco per sententiam iudicis, posse ratione illius peccati, in eo casu, de quo loquimur, denegari Eucharistiam, quia iste peccator per se est publicus, & tantum est occultus per accidens, cum non habeat ius ad conseruandam famam, ratione cuius conseruationis necessaria sit Eucharistiæ collatio; quando vero peccatum alijs modis est notorium, videtur Eucharistiam concedendam esse, quia tunc famam non amisit

pro

pro alio loco, in quo petit Eucharistiam, sed in eo se habet tanquam occultus peccator per se: *Lesius, vero tomo de Iustitia, & iure lib. 2. ca. 11. dubitatione* 13. Sentit non esse contra iustitiā reuelare peccatum in eo loco, vbi ignoratur, quando in alio loco publicū est aliquo modo ex dictis, sentit tamen esse contra charitatem, & peccatum esse mortiferum cōtra charitatē, quando fama illius delicti in alio loco publici non erat peruentura ad alium locum, vel saltim cum erat peruentura post longum tēpus, quando vero statim peruentura erat fama, asserit Lesius illud peccatū contra charitatē tātū esse veniale. Primam partem suæ assertionis probat Lesius, quia quando his modis crimē est publicū, author criminis amisit ius ad suā famā, & non potest conqueri, per hoc quod tale crimē in alio loco narretur, quare licet de facto retineat bonam famā in altero loco, non tamen de iure. Secundā vero partē scilicet, peccatū esse mortiferū, reuelare crimen in eo loco, vbi occultū erat, & quo infamia nō erat statim peruentura, probat Lesius, quia tunc læditur proximus in re magni momenti, quod ille ægre valde fert, ergo graue peccatū tunc committitur. Tertiam partē assertionis, scilicet, tātū esse peccatū veniale contra charitatem, crimen illud occultū detegere, quādo statim fama illud perlatura erat in alium locū, probat Lesius, quia tunc non fit notabile damnum proximo; vnde consequenter censere debet Lesius, non esse peccatū contra iustitiam, esse tamen contra charitatem in dicto casu, denegare Eucharistiā peccatori in eo loco, vbi eius peccatū secretū est. Quibus suppositis varijs dicēdi modis respōdemus. Primo existenti peccato publico in alio loco per sententiam iudicis, posse in hoc loco, vbi illud est occultū, licite denegari Eucharistiam ei homini, qui illud commisit, quod docuit Sotus loco citato, & probatur eisdem rationibus, quibus supra probata est sententia Soti, & hoc verū est, siue nota infamiæ statim peruentura sit ad istum locum, siue nūquam, quia tunc non habet maius ius reus ille ad conseruandam suam bonam famam in isto loco respectu harū personarū, quā in eo loco, vbi publicū est peccatū respectu eorum, qui peccatū ignorant, & quos probabiliter creditur nūquā cognoscituros tale peccatū, sed in eo loco, vbi publicum est peccatum, posset Sacerdos, Euchatistiam denegare corā illis, qui neque cognoscūt, neque aliquando cognoscēt peccatū, quia peccator nullum habet ius ad cōseruandā famā, cum ea etiā ablata sit in pœnam per iudicē respectu eorū, ergo optime etiā potest denegari Eucharistia in hoc loco, vbi peccatum secretū est, quia respectu eius loci etiā priuatus est reus in pœnam sui delicti omni iure, quod habebat ad famam cōseruādā, quod si eam retinet de facto, id per accidens est, & nulla ratio de ea habenda est. Respondetur secundo in eo casu, quo peccatum tantum sit publicum in alio loco alijs modis supradictis, & fama allatura sit illud statim, in hunc locum, vbi modo est secretum, Sacerdotem eius modi peccatori debere denegare Eucharistiam, sine eo quod peccet contra iustitiam, vel cōtra charitatem. Patet, quia damnum, quod tunc sequitur illi peccatori leue est, ergo propter illud vitandum non est ei danda Eucharistia cum praua dispositione peccatorum etiam, quia si in eo casu cōcederetur Eucharistia, maximū sequeretur scandalum, cum delictum propalaretur, ex concessione antecedenti Eucharistiæ, ergo vt scandalum istud vitetur, Eucharistia deneganda est. Tertio respondetur, in eo casu, quo delictum in alio loco publicum modis alijs diuersis à sentētia iudicis nō fit statim huc peruenturum, sed post multum tempus, peccare contra iustitiam eum, qui tali peccatori denegaret Eucharistiam. Probatur, quia iste verum retinet ius ad suam bonam famam in hoc loco, neque vnquam illo se voluit spoliare, neq; vnquam condemnatus est ad amissionem talis iuris, ergo contra iustitiam peccaret, qui illi denegaret Eucharistiam (quando illam petit in publico, hac enim ratione loquimur) quia eo facto auferret ab illo bonam famam, & in isto casu graue damnum sequeretur proximo, cum quo non vult Deus denegare Eucharistiam. Ad argumentum Lesij contendentis probare generaliter, non esse contra iustitiam reuelare peccatum in vno loco, quod in alio aliquomodo ex dictis publicum est, respondemus, hominem retinere ius ad suā bonam famā in eo loco, vbi peccatum est secretum, quando non fuit factum publicum per sententiam iudicis, quia tunc ex nullo capite amisit ius ad talem famam, & iure conqueri posset, quod eam sibi auferre aliquis vellet.

Sit secunda conclusio. Occulto peccatori minime licet Eucharistiam in publico denegare, in eo casu, quo non possit commode denegari sine infamia, & hoc verum est, siue Sacerdos, qui ministraturus est Eucharistiam sit proprius, siue alienus. Ita docent omnes scholastici, & late probant hanc conclusionem *Vazquez loco citato, capit. 3. & Sotus loco citato.* Et licet hæc resolutio varijs rationibus à varijs Doctoribus comprobetur, à nobis tamen hæc vnica confirmanda est, quia hic concurrunt duo præcepta, alterum non indigne ministrandi Eucharistiam homini peccatorum maculis contaminato, alterum vero non infamandi proximum, prius quidem præceptum pertinet ad virtutem religionis, posterius ad virtutem iustitiæ, & licet perfectior virtus sit religio, quam iustitia, & consequenter peccatum cōtra religionem maius sit, quā peccatum contra iustitiam; nihilominus plus

obligat præceptum non infamandi quam A præceptum non administrandi Eucharistiam indigno, nam administrationem sacramentorum, in qua religionis præceptum seruatur, Deus voluit propter nostram salutem instituere, quocirca ratio ipsa naturalis dictat, non indigne nos sacramentum ministrare, cum peccatori porrigitur, ne illius peccatum publicum fiat, cum in illius salutem institutũ sit, quia ex publicatione peccati damnum re vera patitur peccator, licet illud sit temporale, ex eo vero quod sacramentum ministretur indigno nihil mali Deus patitur secundum vulgatam regulam *D. Bernardi, quod propter charitatem institutum est, non debet contra charitatem militare, Coninc. tomo de sacramentis q. 80. art. 6.* Aliqua ex parte nobis contradicere videtur, dum defendit hanc doctrinam non esse veram de iure naturali, licet vera sit de iure diuino positiuo.

6 Tertia conclusio. Si peccator secretus petat Eucharistiam ad irrisionem eius, nullo modo concedenda est, etiam si eam petat in publico loco. Probatur quia tunc collatio sacramenti est omnino illicita, cum sit causa irrisionis, quæ nullo modo toleranda est, quæ conclusio limitanda est iuxta ea, quæ dicemus in 5. conclusione.

7 Quarta conclusio. Propter nullum periculum etiam vitæ licitum est Sacerdoti, ministrare Eucharistiam publico peccatori, siue illam petat in publico, siue in occulto. Probatur, quia huiusmodi collatio sacramenti intrinsece, & natura sua praua est, ergo non licet etiã ob vitandum mortis periculum, sicut in nullo casu, etiam ad saluandam vitam licitum est mentiri, quia mentiri intrinsece malum est.

8 Quinta conclusio. Si probabiliter constat, peccatorem occultum petere Eucharistiam in publico, vt eam v.g. in ore retineat, & tradat hæreticis conculcandam, tunc si Sacerdos extra sigillum cõfessionis rem cognoscens, probabilibus coniecturis, vel testibus possit suadere populo prauam intentionem peccatoris, tenetur prius crimen detegere, & postea negare ei Eucharistiam. Probatur quia Sacerdos tenetur defendere honorem Christi, qui quidem grauiter in eo casu læditur, & in hoc casu ita stricto, in quo de Dei honore, & gloria maxime agitur, honor peccatoris contẽnendus, & cõculcãdus est; quod si nequit populo suadere peccaminosam intẽtionẽ alterius, & creditur peccatorẽ etiã post detectũ peccatum ab aliis recepturũ Eucharistiã, quia non adducẽtur, vt illud credant, tenetur Sacerdos dare Eucharistiã, quia tunc sine vllo fructu, & sine vlla vtilitate honoris Dei alteri infamiæ notã inureret. Quod si in eo casu nullus alius esset, qui ei dare posset Eucharistiã, existimo contra aliquos recentiores, Sacerdotem debere eam denegare, tum ne tanta iniuria Dei optimi maximi honori inferatur, tum quia in eo casu nemo potest habere ius ad suum honorem cum iactura honoris diuini.

9 Sed cõtra prædicta obstant aliqua argumenta. Primũ sit, quia cum ex duobus malis alterũ est eligendũ necessario, illud sane eligendum est, quod minus malum est, sed in eo casu, quo peccator occultus petit Eucharistiam, duo mala occurrunt, scilicet aut propalare peccatũ, quod est contra iustitiam, aut sacramentum dare indigno, quod maius peccatum est, quia est contra religionem, ergo potius peccatum propalandum est, quam sacramentum exhibendũ indigno; ad hoc tamen respõdetur regulam illam ex duobus malis minus esse eligendũ, ita B esse intelligendam, ex duobus obiectis inter se occurrẽtibus, & prohibitis duobus præceptis, quorum nulli desit aliqua circũstantia ad obligandum, minus malum esse eligendum, vt si quis dubitare modo incipiat de valore matrimonii prius à se initi cum Maria, & illa bona fide petat debitum, potius ei debet reddere debitum, quam illud denegare, quia primum ad summum posset esse contra castitatem, & secũdum contra iustitiam, iustitia autem sine dubio præferenda est castitati. Vnde in hac occasione non peccat ille, qui reddit debitũ, quia præceptum iustitiæ, quod maius est, præualet præcepto castitatis, quod multo minus est. At in nostro casu præceptum non exhibendi sacramentum Eucharistiæ alicui peccatori criminibus C implicato licet natura sua multo maius sit, quam præceptum conseruandi famam proximi, tamen tãtum obligat cum nõ adest sufficiens causa ministrãdi Eucharistiam, at in isto casu peccatoris occulti, vt vidimus in secunda conclusione, adest sufficiens causa ministrandi Eucharistiam ei, ergo tunc non obligat prædictum præceptum.

10 Secũdũ argumẽtũ cõtra nostrã doctrinã difficile sic se habet: quia si quis habeat in domo sua depositũ ensem alterius, quẽ tamẽ ille petit, vt se occidat, vel alterũ, tenetur talem ensem denegare, etiam si ex tali denegatione sequatur infamia alterius, quando aliter seruare nõ potest vitã illius, quæ maioris momẽti censenda est quã fama, ergo qui in manibus portat D sacramẽtũ Eucharistiæ, tenetur illud denegare peccatori petenti, etiã si peccator occultus sit, ne in nouũ peccatũ mortale prolapsus nouo modo quãtũ est ex se sibi eripiat vitã animæ, quæ pluris facienda est quam vita corporis. Huic tamẽ argumẽto respõdeo primo cũ *Syluest. verbo restitutio 3. n. 1. Sot. li. 4. de Iustitia & iure q. 6. ar. 3. ad primũ Azor lib. 4. institutionum moralium cap. 1.* Nullum esse speciale præceptum non occidendi fratrem spiritualiter, & non præbendi ei occasionem peccati, imò neque ipse peccator habet aliquod speciale præcep-

præceptum sibi impositum, in hac materia, sed vtraque prohibitio tantum oritur ex specialibus præceptis quarumcumque virtutum. Vnde ille qui alterum inducit ad peccatum cōcupiscentiæ, tantum peccat contra castitatem, non vero contra aliquam aliam virtutem, qua tenetur seruare vitam spiritualem alterius. Nā si contra aliquam aliam virtutem iste inducēs peccatet maxime contra iustitiam, sed contra hanc non peccat, ergo contra nullam nisi contra castitatem. Quod nō peccet cōtra iustitiā, patet, quia volenti, & consentiēti nulla fit iniuria, sed in hoc casu ille, qui inductus est ad peccandum sciens, & volens patitur damnum secum spirituale, ergo qui induxit ad illud, nō peccat contra iustitiam. Secundo respondeo, ad tuendam vitam corporalem alterius, vel ad non præbendam ei occasionē vllam occidendi se, obligare peculiare præceptū misericordiæ, aut iustitiæ. Vnde in illo casu de ense deposito concurrunt duæ obligationes, altera de tuenda vita alterius, altera de tuēda fama, & prior præualet posteriori, in nostro vero casu obligatio de tuenda fama peccatoris non concurrit cum obligatione tuendi vitam spiritualem alterius (quia hæc vt vidimus non datur specialis) sed cum obligatione non dandi sacramentum indigno, cui præualet propter rationem secundæ conclusionis.

10 Tertium argumētū est, quia in eo casu posset Sacerdos euitare irreuerentiam sacramenti, & seruare famam proximi, dando hostiā nō cōsecratam, ergo eam dare debet, sed respondetur cum *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ad secundum, & cum Caietano ibidem*, id non licere. Ratio huius est, quia fictio in sacramentis periculosa est, & execrabilis valde, quod etiam probatur *à D. Thom. ibidem ad secundum ex cap. de homine de celebratione Missarum*, Hostia enim hæc prius proponitur adorāda, & datur occasio idolatriæ.

11 Sexta cōclusio. Peccatori occulto, cuius peccatum Sacerdos nouit, si in occulto petat Eucharistiam, denegāda est, siue petatur à simplici Sacerdote, siue à parrocho, siue in tempore, quo vrget Eucharistiæ præceptū, siue in alio, in his enim nullam inuenio differentiam. Ita *D. Tho. 4. dist. 9. q. vnica, art. 5. quæstiunc. 1. Dur. q. 1. n. 6. Vazq. loco citato cap. 5.* Probatur, quia Eucharistia solum est concedenda indigno, ne nota infamiæ ei inuratur, in isto autem casu, quo solum essent præsentes Sacerdos, & petēs Eucharistiam, vel alij, qui iam peccatum nouerunt, nulla ei infamia infertur, ergo reuera negāda est. Et quidem in eo casu, quo Sacerdos in sola confessione nosset peccatū, etiamsi alij id nossent aliqua via, nullo modo posset negare Eucharistiā, si ex eo sequeretur reuelatio confessionis corā testibus. An vero posset Eucharistia denegari, quādo soli essent Sacerdos, qui nouit peccatū tantū in confessione, & ipse petens sub iudice lis est. Et pro vtraque parte sunt probabiles opiniones, quarū meminimus in nostro tractatu tertio de pœnitentia, quæst. septima. Et doctrina hæc sacræ cōmunionis ita stricte seruanda est, vt publico vsurario non posset dari eo modo, etiam vrgente mortis periculo, nisi præstita prius cautione iuris. Et hæretico publico nō est dāda cōmunio, nisi facta apud legitimum iudicē abiuratione hæresum.

Circa secundū, quod in hac quæst. quæritur de purgatione delicti per exhibitionē Eucharistiæ, certū est antiquitus esse institutū, vt ei, qui suspectus esset de aliquo crimine, Eucharistia exhiberetur, vt hac ratione à suspicione delicti liberaretur. Ita institutū est *in Conc. Vvormatiensi can. 10. qui refertur canon si Episcopo 2. q. 5.* 12 Vbi statuitur, vt si Episcopo, aut presbytero crimē aliquod imputetur, Missam celebret, & hoc modo de crimine obiecto innocēte se ostēdat. Vnde respondetur primo, talē purgationem ex se licitā esse. Nā si nō liceret, aut esset quia in ea tētaretur Deus, vel quia suspectis de crimine nō liceret dari Eucharistiā, nō propter primū, quia propter hoc nullū signum à Deo peteretur ad experiendā potentiā, aut scientiā ipsius, in quo posita est ratio formalis peccati tentandi Deū, vt patet *ex D. Tho. 2. 2. q. 97. a. 1.* Sed tantū hoc fiebat vt à suspecto de crimine veritas per hoc sacramentū extorqueretur, quia præsumendū erat fore, vt ipse potius à sacramēti participatione abstineret, quā quod indigne sumeret hoc sacramentū, & de nouo peccaret, neq; etiam ex se est illicita talis purgatio ex eo, quod hoc sacramētū nō possit exhiberi suspectis de crimine quocūque modo, nam si suspicio talis sit, vt nō admittatur probatio in contrariū, quæ à Doctoribus dicitur violenta, tunc de illa iudicandū est, sicut supra de manifesto crimine siue publico, siue secreto loquuti sumus; at in articulo mortis ait *Suar. disp. 67. sect. 6.* non esse negandā Eucharistiā, quia suspectū eo tēpore crimen negare maximi momenti est ad deponendā suspicionē, alias vero suspectis de crimine dāda est Eucharistia, sicut & ab eis exigitur iuramētū, propter hoc tamē nō purgātur de crimine, & in dubio de aliquo delicto semper est iudicandū in fauorē petētis sacramentū, quia melior est cōditio possidētis & quilibet Christianus ius habet ad hoc sacramentū. Secundo respondetur cū *Vazq. loco citato disp. 210. c. 3.* huic rei per contrariā cōsuetudinē fuisse derogatum, quia eo ipso, quod talis purgatio in cōsuetudine nō est, censetur peregrina, & iure reprobata, & hoc voluit tantum *D. Thom. 3. par. q. 80. a. 6. dum ait, hanc purgationem iam esse per documenta Romanorum Pontificum in Ecclesia abrogatam*, scilicet per consuetudinē à Romanis Pōtificibus approbatam, & ad hoc propositum afferri censendum est *canonem consuluisti 2. q. 5.* vbi reprobatur purgatio deli-

delicti per ferrũ candens, & aquam feruentẽ, *Et rap. ex tuarum, de purgatione canonica.* Vbi re ijcitur purgatio per aquã frigidam, imo illa cõ suetudo maritorũ, qui vxores, vt se adulterij suspicione liberent, interdum cogũt accedere ad sanctã cõmunionem, reprobanda modo est, quia non licet authoritate priuata hoc medio vti, quod periculosum esse potest, & occasio noui peccati sacrilegij.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm cõmercium coniugale, mẽstruum, vel pollutio nocturna impediat Eucharistiæ receptionem?

1 DE se nunquã fuit illicitũ mulierẽ men struatam, vel eã, quæ nocte antecedẽti habuit copulam licitã cũ viro suo, accedere ad Eucharistiam, attamen vt supponit *Dionysius Alex. in epist. ad Basilidem, quæ est in 3. tom. Bibliothecæ Sacræ* Aliqua lege canonica vniuersali, vel synodica statutũ est, ne mulieres menstruatę per aliquot dies ad Ecclesiã, & Eucharistiam accederent. Sed hanc consuetudinẽ abrogauit *Innocent. III. in cap. vnico de purgatione post partũ.* Dicens mulieres huiusmodi nõ posse ab ingressu Ecclesiæ prohiberi, sed liberum illis esse, aliquo tempore ex deuotione abstinere ab ingressu Ecclesiæ.

2 Secundo dicimus teste *D. August. serm. 244. de tempore post medium*, Lege scripta, seu consuetudine antiquitus cautũ esse, ne mulieres post cõsummationẽ matrimonij per triginta dies Ecclesiam ingrediãtur, neq; Eucharistiã recipiant. Huiusmodi tamen lex consuetudine cõtraria iam nostris temporibus vires amisit.

3 Tertio dicimus pollutionẽ, quæ nullo modo peccaminosa est, sed ex infirmitate naturæ, vel superfluitate humoris prouenit, vt notauit *D. Gregor. Papa in lib. interrogationum Aug. Cantuariensis responsione 11.* Nullo modo impedire receptionẽ Eucharistiæ, imò neque eam pollutionẽ, quæ tantum est culpa venialis impedire videtur receptionẽ Eucharistiæ, cuius modi est illa, quæ prouenit tantũ ex leui quodã aspectu alicuius mulieris, quod vltimũ sufficienter constat ex his, quæ in superioribus notauimus de eo, qui accedit ad hoc sacramentum cũ conscientia peccati venialis, nã propter peccatum veniale non impeditur primarius effectus huius sacramenti, qui consistit in augmento gratiæ Quod quidem ea nititur doctrina, scilicet, pollutionem de se nullam habere malitiam, sed eius malitiam prouenire ex ea causa, quæ est principium eius, ita vt ex causa merè naturali nullã recipiat malitiã; ex causa vero continente peccatum mortale re- A cipiat malitiam mortalem, & ex causa veniali malitiam venialem, vt expresse colligitur ex doctrina *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 7.* Congruum tamen est ei, qui passus est pollutionem venialem ad hoc sacramentum minime accedere, ita docent *D. Thom. loco citato, Maior in 4. dist 9. q. 2. §. his præmissis conclusione 6.* & alij. Et de huiusmodi pollutione, quæ tantum continet culpam venialem, & de congruentia abstinendi ab Eucharistia, ratione illius intelligendus est *D. August. sermone citato.* Dum de pollutione, quæ nobis nolentibus accidit, pronunciat nimis immundam facere animam, & ideo significat ei homini, qui eam passus est, minime licitum esse ad sacram communionẽ accedere. Ex quadam vero congruentia ex eo pollutio vel B nullam culpam continens, vel tantum venialem impedit receptionem Eucharistiæ, vt optime consideravit *D. Tho. loco citato in corpore*, scilicet, propter effectus, quos sibi habet annexos. Primus est quædam immunditia corporalis, cum qua propter reuerentiam sacramenti non decet ad altare accedere, nisi forte talis immunditia sit perpetua, sicut, & perpetuus solet esse fluxus sanguinis. Alius autem effectus est quædam distractio mentis, sed hoc impedimentum, quod ex congruitate quadam prouenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, vt cum dies festus exigit celebrationem sacri, nõ obstantibus prædictis pollutionibus, sacrum debet Sacerdos celebrare.

Quarto dicimus, pollutionem continentẽ 4
C in se peccatum mortiferum taliter impedire receptionem Eucharistiæ, vt si quis eam passus Eucharistiæ sacramentum audeat recipere, sacrilegij crimine implicetur, huiusmodi autem malum contingit, quando quis directe illud intẽdit voluptatibus carnis attractus, vel quia cõsensum præbet libidinosæ alicui cogitationi. 5

Quod si hoc peccatũ mortale pollutionis per cõfessionẽ legitimã auferatur, sine vllo mortali peccato (licet nõ sine veniali pro immũditie) potest ille, qui pollutus est, communionis sacramẽtũ recipere, etiam si nocte præcedẽti crimen contigerit, in quo eadem est ratio aliorũ criminum lethalium, quæ proxime ante cõmissa sint, ita cõtra *Couarr. in Clement. si furiosus p. 3. num. 7.* qui oppositum sentit, defendunt
D *D. Thom. in 4. dist. 9. art. 4. quæstiuncula 3. ad secundum Palud. quæst. 3. Syluest. verbo Eucharist. 3. quæst. 10. Caie. verbo, communio.* & alij. Probatur, quia nihil aliud requiritur, quam status gratiæ ex iure naturæ, & ex lege diuina, vel humana ad recipiendam Eucharistiã, & quod hæc gratia per confessionem comparata sit, sed hæc omnia possunt contingere in dictis casibus, in illis ergo Eucharistia sine labe mortali suscipi potest.

QVAE-

QVAESTIO. XII.

Quale ieiunium requiratur ad recipiendum hoc sacramentum?

1 ANTIQVA fuit in Ecclesia hæresis eorũ,qui contemnũnt ante communionẽ ieiunium, vt patet ex *Concilio Constanti, sess. 13. statim à principio §. in nomine sanctæ,* Neque constat de authore huius hæresis, vt recte notauit *Vazquez 3.tom.in 3.p.disp.211.ca.1.*

2 Est tamẽ veritas Catholica, laudabilem semper fuisse in Ecclesia consuetudinem de ieiunio ante communionem seruando. Probatur primo ex *Concilio citato. Secundo ex Concil. Carthaginensi 3. cano. 29. vt refertur can. sacramenta altaris dist. 1.* Quod Concilium celebratũ fuit ante 1100. annos. tertio *in Canone Trulano sextæ Synodi.* Dum fit sermo de Sacerdotibus celebrantibus, dicitur *Hoc præceptum à tẽpore Apostolorum descendere.* Et eadem ratio est de laicis, propter rationem tactam *in Concil. Matisconensi 2. canone 6.* Ne videlicet spirituali alimento corporale præponatur, & quod hæc consuetudo ab Apostolis proueniat tamquam præceptum, sentit *Epiphanius 3. lib. contra hæreses. vltimo non longe à fine, & Isidorus lib. de diuinis officijs cap. 18.*

3 Contra hoc tamen sunt aliqua argumenta. Primũ est, quia Christus Apostolis hoc sacramentũ distribuit post cœnam, ergo eodem modo hodie potest dari. Respondetur, conforme rationi fuisse, vt prius Christus antiquum pascha celebraret, & postea nouum institueret, vt figura præcederet figuratũ, modo vero hoc nõ conuenit propter rationem allatam.

4 Secundum argumentum est desumptũ ex 1. ad Corinth. 11. *Ibi, si quis esurit, domi manducet.* Vbi videtur Apostolus permittere, vt post comestionem fideles ad Ecclesiam veniant, & hoc sacramentum accipiant, nam de illo agebat in hoc capite. Ad hoc late, & eleganter iuxta *Hieronymum,* & alios respondet *Vazquez loco citato cap. 2.* summa autem est, Paulum eo loco solum reprehendere Corinthios, quod qui inter eos diuites erant, nollent cum pauperibus in eadem mensa, & ex eisdem cibis cœnare, sed vnusquisque id, quod in Ecclesiam intulerat, solus cœnaret, antequam pauperes ad cœnam conuenirent, ex quo fiebat, vt cum omnes ex his cibis sobrie possent manducare, aliqui vsque ad saturitatem cœnabant, alij esuriebant; & ita inter eos dissensiones oriebantur, vnde consuetudo erat vt post communionem in signum amicitiæ cœnam communem manducarent omnes, illud vero, quod subditur, *Si quis esurit domi manducet.* Intelligitur de cibo

A sumendo post Eucharistiam, ita vt si post Eucharistiam, quis fame vrgeretur, & non posset cõmunem cœnam expectare, quia multo tempore pro omnibus præparanda erat, ne seorsum cœnaret publice, & cum scandalo, domi prius aliquantulum ventrem reficeret, & deinde in comuni cum pauperibus cœnaret, & licet antiquitus esset præceptum de non comedendo certo tempore post sumptam Eucharistiam, illud iam abrogatum est.

Tertium argumentum sit *Augustin. epist. 118.* Vbi ait. *Hoc genus quæstionis esse liberum, sed vt omnis efficere liceat iuxta varias Ecclesiarum consuetudines.* Sed respondetur, Augustinum locutum de consuetudine aliquarum Ecclesiarum communicandi in feria quinta cœ- 5

B næ Domini bis, semel manè à ieiunis, iterum post commestionem vesperi; & hanc dicit posse obseruari tunc in illis Ecclesijs, quia non erat tunc illa abolita, sicut modo est, vt optime ponderat *Valentia 4. tomo. disp. 6. quæst. 8. puncto. 3.*

Quidam, vt refert *Syluest. Eucharistia 3. q. 6.* iudicarunt, satis esse ad receptionem huius sacramenti ieiunium Ecclesiasticum, ita vt licitum sit, ad hoc sacramentum accedere post sumpta medicamenta, imo, & post sumptum cibum per modum cibi; vt in his contingit, qui debilitate stomachi laborant. Probatur, quia tale ieiuniũ introductũ fuit ab Ecclesia, ergo debet intelligi, quod sit Ecclesiasticum eo modo, quo diximus, non naturale, quod re- 6

C quirit abstinentiam à quocumque genere rei, quæ per os sumitur, siue per modum cibi, & potus, siue per modũ medicinæ sumatur post mediam noctem, (nam quod cibus antea sumptus non sit digestus ex defectu somni, vel alterius rei, nihil obstat ad ieiunium naturale, licet hoc neget *Gloss. in cap. nihil 7 q. 1.*)

Sit tamen prima conclusio. Ita vt oppositum error sit in fide. Ad sumendam digne Eucharistiam requiritur ieiunium naturale. Ita docent *D. Thom. 3. p. q. 80 art. 8. ad quartum. Syluester loco citato. Soto in quarto dist. 12. quæst. 1. art. 8. & alij.* Probatur, quia communis Ecclesiæ consuetudo hoc ita declarauit, imo peccatum esset mortale, post paruum etiam cibum Eucharistiam sumere. Quia, licet materia ci- 7

D bi parua esset, & leuis, attamen, sumi Eucharistiam à non ieiuno, res magna est. Ita tenent *D. Thom. 3. part. quæst. 80. artic. 8. ad tertiũ Durand. in 4. dist. 8. q. 4. & Suarez cum alijs 3. to. in 3. part. disp. 68. sect. 4.* Cæterum ieiunium naturale non soluitur ex eo, quod reliquiæ cibi, quæ interdentes manserunt ex die præterito, postea in stomachum traijciantur etiam ex industria: vel ex eo, quod guta aquæ admixta saliuæ cum saliua deglutiatur, cum quis aquam sumpsit ad lauandum os, vel ex eo, quod coquus aliquid iuris ad gustandum sumpsit,

sumpsit,& reliquo iacto in terram,aliqua pars adhæret saliuæ, & cum ea deglutitur. Probatur, quia tunc id, quod sumitur, necessarium est,& sumitur per modum saliuæ. Neq; etiam hoc ieiunium frangitur per hoc, quod casu aliquid attrahimus cum acre, quem respiramus,vel sanguinem sumamus, qui ex ore in stomachum traijci solet;quod intelligo, cũ paruæ quantitatis est,quæ admiscetur reliquæ saliuæ.Quod probatur propter eandem rationem supra allatam: quanuis hoc de sanguine extendat *D. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula* 2. Vbi dicit: *Quidquid ab intrinseco prouenit, non soluere ieiunium naturæ*. Decẽs est,non sumere alios cibos statim post Eucharistiam susceptam, non tamen video, id esse prohibitum.Vt notat *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. ad vltimum, & Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. responsione ad sextum*.Et addit D.Tho.antiquitus circa hoc aliquod fuisse decretum in Ecclesia, sed tamen iam esse ablatum præceptũ. At non decet,statim post communionem expuere propter reliquias, quæ in ore sumentis Eucharistiam remanere solent.

8 Ad argumentum in oppositum respondetur,consuetudine Ecclesiastica iam esse declaratum,tale ieiunium debere esse naturale.

9 Secunda conclusio. Ægrotus constitutus in periculo mortis,qui iudicio prudentum medicorum non potest ieiunus ieiunio naturali, vel Ecclesiastico expectare Eucharistiam,potest eam recipere absque vllo ieiunio. Ita docent communiter Doctores,& ratio est, quam tetigit *D.Tho.loco citato*,Scilicet, quia ægrotus de iure diuino tenetur Eucharistiam recipere in articulo mortis propter maximã tunc temporis occurrentem spiritualem necessitatem,ergo sine ea non debet ex hac vita discedere propter seruandũ ieiunium,quod ex solo iure Ecclesiastico seruandum est,& ita est minoris momenti.Et quidem *Summa Tabiena verbo, communicare* §.48. Asserit ægrotum posse in eadem infirmitate sæpius sacramentum Eucharistiæ suscipere etiam deuotionis causa,quanuis ieiunus non sit. Quæ doctrina placet recentioribus Theologis,quia tunc temporis ægrotus constitutus est in maxima necessitate recipiendi augmentum gratiæ sanctificantis,& recipiendi auxilia gratiæ ad vltimum vitæ spiritum fœliciter emittendum.

10 Multo tamen verius iudico cum alijs recentioribus,posse quidem ægrotum sæpius in eadem ægritudine sacramentum Eucharistiæ suscipere,sed tamen cum deuotionis tantum causa illud suscipit, debere esse ieiunum ieiunio naturali. Probatur, quia, vt supra vidimus, sola obligatio iuris diuini, qua obligamur,in periculo mortis hoc sacramentum suscipere, excusat à lege ieiunij, ne iniuriosa esset animæ lex ieiunij, si etiam seruanda esset in periculo mortis, quando ægrotus non posset ieiunus expectare Eucharistiam. In isto verò casu, quem nobis proposuit Tabiena, nulla vrget obligatio Eucharistiam recipiendi,sequitur ergo, præceptum ieiunij seruandum esse: ægrotus verò tunc alijs vijs consequetur auxilia Dei sibi necessaria, & augmentum gratiæ,vnde ad hæc consequenda nõ est necessaria Eucharistia.

Quamuis ieiunium ita stricte requiratur ad recipiendam Eucharistiam, siue ea recipiatur mane, siue vesperi, tamen, vt optime considerauit *Syluester in summa, verbo, Eucharistia 3. num. 17.* Qui Eucharistiam recipit extra sacrificium Missæ, potest in qualibet hora diei eam recipere, siue mane, siue vesperi, cum hoc nullibi reperiatur prohibitum. Extra casum tamen alicuius necessitatis non esset consulendum etiam ieiuno, in loco publico vespere, vel nocte communicare, quia cum hoc sit contra consuetudinem fidelium, aliquod scandalum generaret. 11

Quarta conclusio. Aliqui sunt casus, in quibus potest Sacerdos in officio Missæ celebrando hoc sacramentum sumere non ieiunus. Ita docent omnes Doctores. Primus casus est apud omnes certus, scilicet, cum necesse est consumare sacrificium, quod accidit, cum Sacerdos incaute aquam pro vino infudit calici, & post primum haustum percipit, esse solam aquam: tunc enim licet ieiunus non sit, debet vinum consecrare, & sumere, vt integritas sacrificij, quæ de iure diuino est, seruetur, quæ maioris momenti est, quam obseruantia ieiunij. Idque propter eandem rationem fieri debet, cum vnus Sacerdos post consecrationem, & ante sumptionem mortuus est, debet enim alius, quamuis non ieiunus, sacramentum consumere, quia consumptio est maioris momenti, quam ieiunium, & de iure diuino. Quod verum est, vt recte aduertit *Enriq. in sum. 2. tomo lib. 8. de Eucharistia cap.* 50. In eo casu, quo Episcopus dum in Pontificali celebrat ordines, deficit in vita, tunc enim si non reperitur alius Pontifex, perficiet Missam Sacerdos sine Pontificali,quia solemnitas Pontificalis non attinet ad substãtiam Missæ. Si celebrans post consumptionem obijt, non debet quidquam ab alio suppleri, quia nihil deficit substantiæ sacrificij. Secundus casus est, cum post quam sumpsit Sacerdos corpus, & sanguinem Domini, casu remanet aliqua particula panis consecrati in calice, nam in missali Romano in rubrica de defectibus dispositionis corporis statuitur, vt illa particula digito ad calicis labrum adducatur, vel infuso vino non consecrato sumatur cum illo: tunc autem, si fiat secundo modo, accidet, vt prius vinum 12

quam

quam particula deglutiatur. Et simile huic eu-tingit in die Veneris sancti, cum particula hostiæ consecratæ, quæ ex feria quinta remanserat, adiungitur vino non consecrato, & ita sumitur. Imo verò si Sacerdos post ablutionem, & post solutum ieiunium, videat aliquas superesse particulas ex sacrificio, quod tunc obtulit Sacerdos, & ex hostijs quas pro se, & pro populo consecrauit, potest eas consumere licite, vel deponere in sacrificio, ita *Nauar. Summa capit. 29. numero 89. Syluester Summa verbo Eucharistia 3. quæst. 8. & Caietanus Summa verbo, Missa celebratio, & Vazquez, loco citato capit. 5.* Ratio horum Doctorum est, quia consumptio earum particularum pro vna, & eadem actione reputatur sacramentali, quia ad officium attinet Sacerdotis, & sacramentum, & sacrificium, quod obtulit, sumere, vt vero satisfaciat præcepto de ieiunio, satis erit Sacerdotem esse ieiunum antequam sacramentum incipiat sumere. Laicus vero, vel Sacerdos communicans more laicorum, non possunt prædictas particulas post ablutionem suam sumere, quia ad eos non attinet consumere reliquias, sicut ad Sacerdotem celebrantem pro integritate sacrificij pertinet; Quod si reliquiæ supersint ex hostijs in sacrario repositis, & non consecratis à Sacerdote in ea Missa, quia ad illud sacrificium non attinent, non possunt post sumptionem ablutionis sumi, quod satis consequenter docet *Vazquez loco citato*, quæ doctrina vera est propter rationem dictam, siue particula ex eodem sacrificio relicta sit parua, siue magna: Imo vero Syluester loco dicto docet, eas particulas posse sumi, si deprehêdâtur, antequam calix in altari deponatur. Sed *Vazquez loco citato* docet, id posse fieri, quandiu ab altari nô discessit, etiamsi multo tempore intra officium Missæ, vel postea fuerit in communicando populum occupatus, quia quandiu in altari est, videtur esse constitutus ad peragendum omnia, quæ ad sacrificium pertinent, & hæc sumptio particularum pertinet ad sacrificium.

12 Tertius casus est certus apud omnes, in quo potest sacramentum à non ieiuno sumi, cum imminet periculum alicuius irreuerêtiæ, quæ fiet sacramento, vel quia deueniet in manus Infidelium, vel quia à bruto deuorari potest, tunc autem temporis ille etiam, qui laute comedit, siue laicus, siue Sacerdos pro vitanda irreuerentia communicare potest; & debet etiam cum periculo mortis, & laicus poterit in eo casu sibi communionis sacramentum ministrare.

13 Quæres, an pro communicando ægroto in extremis liceat Sacerdoti non ieiuno Missam celebrare? Respondetur nullo modo. Ita *Sotus in 4. distinct. 12. q. 1. ar. 8. Nauar. in Sum. cap. 21. num. 53. & recentiores.* Probatur, quia, licet præceptum communicandi in ægritudine sit diui-

A num, & præceptum de seruando ieiunio ante communionem sit Ecclesiasticum, ægrotus in hoc casu non tenetur communicare, quia tunc nullam habuit copiam sacramenti, Sacerdos vero non tenetur ei ministrare sacramentum in eo casu, quia solum potest illud ministrare iuxta ritum, & ordinem Ecclesiæ, Ecclesia verò solum ostendit, debere Sacerdotem celebrare ieiunum, cum vestibus sacris, &c. Et hunc ordinem seruare magis interest, quam sine illo exhibere sacramentum, quod tunc necessariû non est. In quo casu, quia præceptum de ieiunio est iuris communis, non potest Episcopus, vt male aliqui docent, dispensare.

Quæres secundo an papyrus aliqua traiecta in stomachum impediat receptionem Euchari- 14
B stiæ. Quidam doctissimus Neotericus asseruit, talem sumptionem non impedire, quia tunc nihil sumitur per modum cibi, & potus, aut per modum medicinæ. Verius tamen videtur, nihil ab extrinseco, etiam si parua materia sit, & non nutriat, desumi posse, quin frangatur hoc ieiunium naturale, quia conueniens est, nihil in stomachû prius traijci, quam traijciatur corpus Christi. Ita sentit *Enriquez in sum. a. to. lib. 8. de Eucharistia cap. 49.*

Tertio quæres, an non ieiunus possit celebrare sacrificium Missæ ad euitandum mortis 15 periculum, quod aliquis ei minatur, nisi celebret? Huic difficultati respondemus primo, nô posse Sacerdotem in eo casu celebrare, cum celebratio exigeretur in contemptum Ecclesiæ,
C & præceptorum eius, quia tunc esset intrinsece mala, quâdo verò exigeretur ad alios fines; vt ad audiendam Missam, tunc respondemus secundo cum *Syluestro in sum. verbo Eucharistia secundo num. 10.* posse Sacerdotem in eo casu celebrare Missam, quia iura positiua excusant à culpa eos, qui in his strictis casibus agunt contra sua statuta. Quod potest probari à simili; nam qui excommunicatus etiam nominatim denunciatus ob fugiendum mortis periculum celebraret, non peccaret, vt constat, *ex cap. Clericis de Clerico excommunicato ministrante*; in quo culpa temeritatis requiritur ad hoc, vt affectus censura Ecclesiastica celebrando peccet; quæ temeritas non reperitur instante ea necessitate. Ergo etiâ Sacerdos nô ieiunus, qui prædi-
D cta necessitate coactus celebraret, excusaretur à culpa. Secûdo probatur, quia præcepta positiua Ecclesiæ nô obligât cû tanto rigore. Neq; obstat *Caput Apostolica, de Clerico excommunicato ministrante*, in quo denotatur, suspensum celebrantem eû ignorâtia peccatum cômittere. Respôdetur enim, ibi esse sermonê de ignorantia culpabili, quâ quisq; debuit tollere, quâq; textus ille appellauit crassam, & supinam, aut erroneam, cum qua non est mirum, hominem peccare celebrando, si eo modo ignorauit suspensionem. At verò ex hoc nô sequitur,

peccatum committere eum, qui censura aliqua ligatus celebrat ad euadendam mortem, quia tunc est in maxima necessitate constitutus; & eadem est ratio de celebrante ad euadendum simile periculum cum ieiunus non est.

QVAESTIO. XIII.

Vtrum paruulis, amentibus, & energumenis possit hoc sacramentum conferri?

1 CELEBRIS sane est diuisio illa manducationis huius sacramenti in sacramentalem tantum, & in spiritualem tantũ, & in sacramentalem, & spiritualem simul. Cuius meminerunt *Scholastici, in 4. dist. 8. & 9. & D. Thom. 3. p. q. 80. art. 1.* & quam eleganter nobis explicuit *Concilium Trident. sess. 13. cap. 8.* his verbis, *quoad vsum autem recte, & sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentũ accipiendi distinxerunt, quosdam enim docuerunt, sacramentaliter dumtaxat id sumere, vt peccatores, alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt. Tertios porro sacramentaliter simul, & spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, vt vestem nuptialem induti ad diuinam hanc mensam accedant.*

2 Sit prima conclusio. Paruuli, licet ignorent id, quod manducant, & ita non habeant voluntatem manducandi sacramentum Eucharistiæ, non tamen habent contrariam voluntatem mãducationi sacramentali, aut spirituali, & alias recipient fructum huius sacramenti ex opere operato, si sacramentum sumant Eucharistiæ: quia cum sint baptizati, & in gratia constituti, capaces sunt cœlestis effectus huius sacramenti, qui consistit in augmento gratiæ. Vnde contingit, paruulos (quorum nomine comprehendimus eos, qui non habent vsum rationis) manducare hoc sacramentum spiritualiter, & sacramentaliter; spiritualiter quidem, quia recipiunt gratiam, sacramentaliter, quia vere recipiunt hoc sacramentum.

3 Secunda conclusio. Non baptizati, qui non sunt capaces huius sacramenti, quia baptismus est ianua reliquorum sacramentorum, neque sunt capaces eius effectus ratione status peccati, in quo versantur, licet comedentes species consecratas Christum dicantur manducare, non tamen dicuntur species manducare sacramentali modo (sumpto isto modo strictius, quam in præcedenti conclusione, scilicet, pro cognitione eius virtutis, quam habent signa sensibilia in ordine ad gratiam sanctificantem) patet, quia ipsis Infidelibus, qui minime cognoscunt virtutem sacramentorum, species con-

A secratæ non sunt signa sensibilia sanctificantia, ob quam rationem brutum animal comedens species consecratas optime dicitur comedere Christum, imo & comedere ipsum sacramentum, non tamen sacramentali modo, quia ipsis illæ species non sunt sacramentum ita, vt eis aliquid significent.

Tertia conclusio. Paruuli carentes vsu rationis sunt capaces manducandi hoc sacramentum spiritualiter, non quidem secundum eam significationem, in qua loquitur Concilium loco citato, de manducatione spirituali; sed ita vt possint recipere præcipuum effectum huius sacramenti, qui est augmentum gratiæ. 4
Probatur, quia antiquitus viguit consuetudo exhibendi hoc sacramentum paruulis infan-
B tibus, vt patet *Ex Gregorio Magno in eius Missali veteri*, vbi, in ritu solemnis baptismi, qui fiebat pridie ante resurrectionem dicitur de paruulis, vt statim post baptismum, si opus fit, lac de nutrice sumant, antequam ad Eucharistiam deferantur, vbi sine dubio sermo est de infantibus, & eadem consuetudo constat *Ex Concilio 11. Toletano Canone 11.* Sed hæc consuetudo, vt asserit *Tridentinum sessione 21. quarto cap.* Damnanda non est, quia creditur aliquam probabilem causam habuisse, ergo ex eo damnanda non est, quia paruuli sunt capaces primi effectus huius sacramenti, qui consistit in augmento gratiæ.

Quæ licet ita se habeant, Ecclesia tamen merito postea iudicauit non expedire infanti- 5
C bus ministrari sacramentum Eucharistiæ. Tũ quia modo ministratur laicis hoc sacramentum tantum sub specie panis & ita non possent infantes illud deglutire, tum quia in infantibus facile possunt accidere vomitus, & aliæ irreuerentiæ, quæ maxime contraria sunt dignitati huius sacramenti, & reuerentiæ illi exhibendæ, quæ damna his nostris temporibus difficile possunt præcaueri, in quibus, & refrigescit charitas, & minor cura, ac diligentia adhibetur in sacramentis ministrandis, quã olim adhiberi solebat. Imo etiam Ecclesia potuit ob prædictas causas prohibere paruulis sacramentum Eucharistiæ, quia tecte vidit illud non esse necessarium ex præcepto respectu paruulorum, quia præcepta non obligant
D paruulos, sed adultos.

Contra conclusionem tamen tertiam, in quã defendimus licitam olim fuisse consuetudinem ministrandi sacramentum paruulis, vnicum se offert argumentum. Quia cum hoc sacramentum sit institutum per modum cibi, solum debet exhiberi adultis, qui per peccata quotidiana deperdunt gratiam, vel feruorem gratiæ, non vero paruulis qui neutrum istorum possunt amittere. Sed respondetur, si hoc esset verum, non potuisset hoc sacramentũ dari Beatæ Virgini, quæ neque mortaliter, ne- 6

que

que venialiter peccauit, & tamen certum est Beatam Virginem hoc sacramento mirabili non fuisse priuatam. Respondetur secundò hoc sacramentum nō ideò solùm assimilari cibo, quia per illud reparetur aliquid deperditum in anima, sicut per cibum reparatur id, quod deperditur in homine de sua substantia continuo, sed etiam quia sicut per cibum auget tur viuens, ita per hoc sacramentum gratia augetur.

7 Quarta conclusio. Omnes amentes tam perpetui, quàm ad tempus sunt capaces de se recipiendi hoc sacramentum sacramentaliter, & spiritualiter, probatur eisdem rationibus, qui bus supra id probauimus de paruulis.

An vero liceat amentibus dare modo Eucharistiam, aliquam habet difficultatem, in qua *Gab. 4. dist. 9. quæst. 2. art. 3. dub. 4. Alexander 4. part. quæst. 51. membro 2. art. 3. §. 1.* dicunt nullis amentibus, neque ad tempus, neque perpetuo in amentia existentibus posse dari Eucharistiam licite. Probatur, quia vt quis hoc sacramentum percipiat, debet se ipsum probare iuxta *Paulum 1. ad Corinth. 11.* amens autem, dum in amentia est, non potest se probare.

8 Sit tamen quinta conclusio. Perpetuo amentibus, & freneticis, qui prius quam in amentiā inciderent, sacramentum hoc petierunt, Eucharistia ministranda est. Ita sentiunt *D. Thō. 3. part. quæst. 80. art. 9. ad tertium, & Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 212. cap. 3.* hoc expresse patet ex *canone his, qui in infirmitate 26. quæst. 6.* quamuis ibi de ægroto fiat mentio, sed eadem est ratio de alio simili casu, cum materia sit fauorabilis, *& ex can. qui recedunt 26. q. 6.* Et probatur ratione, nā si nō licite eis daretur Eucharistia, hoc esset, quia nō essent capaces effectus huius sacramenti, at hoc falsum esse patet, ex his quæ de paruulis diximus, vel quia nō probāt seipsos, & hoc etiā est falsum, Nā si absolutionem sacramētalem antea petierant, & data eis est, quamuis essent in amentia, iam se probarūt, ergo hoc sacramentum dandum est eis, si non est periculum irreuerentiæ. Quæ conclusio vera est, etiam dum manēt amentes, & dum se offert tempus Paschatis, si tamen spes sit, eos vsum rationis recuperaturos statim, ille expectandus est ad hoc, vt sacramentū conferatur. Et ita defenditur à neotericis, qui habent vsum rationis, sed debilem, & imperfectum, vt quidam AEthiopes, secluso irreuerentiæ periculo, admittendi sunt ad communionē in Paschate, & in mortis articulo: extra hæc vero tempora raro. Ita *Enriquez in Summa 2. to. lib. 8. de Eucharistia cap. 42.*

9 Sit sexta conclusio. Amentibus, qui ab infantia vsu rationis carent, nō est danda Eucharistia, ita *D. Thom loco citato*, ratio huius est, quia in Ecclesia id non est in vsu, quod forte introductum ita est, quia hoc sacramentum non

A est necessitatis, neque de se, neq; illis qui nullum peccatum commiserunt, & alias habet aliquod periculum irreuerentiæ, eius collatio.

Septima conclusio. Illis, qui post vsum rationis incidunt in amentiam, tunc ministrari 10
potest Eucharistia in articulo mortis pro viatico, etiamsi expresse illam non petierint, & etiamsi amētia multo tempore durauerit, dum modo non habeatur suspicio aliqua probabilis de peccato mortali eorum, & quod nullum habuerunt dolorem eius. Ita docent *Sylvester verbo Eucharistia, 3. quæst. 5. & Vazquez loco citato.* Probatur, quia isti cum habuerint aliquādo vsum rationis, potuerunt peccare, & maxime gratia huius sacramenti indigere, præsertim si antequam in amentiam inciderint, habuerunt solam attritionem existimarām contritionem, sed est aduertendum, ne sit, *vt D. Thom. loco citato,* notauit, periculum irreuerentiæ, vt vomitus, &c. vt tamen *Sotus 4. dist. 12. quæst. 1. ar. 9.* notat, non est eis danda quotannis Eucharistia, quia eos non obligat præceptum Ecclesiæ, & semel data sufficit ad dardan gratiam primam per accidens, quia in hoc committeretur aliqua irreuerentia, exhibenda tamen est in articulo mortis, in quo casu lege charitatis tenemur eam dare. Et non placent propter dicta, quæ alij dicunt, quod cū magnis conlecturis creduntur esse in gratia, potest eis dari Eucharistia extra articulū mortis, & ad hæc sufficit, quod præsumantur habuisse aliquando affectum ad hoc sacramentum saltem virtualē, qui præsumitur, cum christiane viuunt.

B

C Octaua conclusio. Energumenis, qui sunt obsessi à dæmone, non est Eucharistia denegāda. Ita *D. Thom. loco citato ad secundum, & Concilium Arausicanum primum, & Thimotheus Alexand. in responsis, quæ habentur in 6. tomo Bibliothecæ sacræ, responso 3,* Sed vt notat dictum Concilium, habenda est ratio, vt solum detur Eucharistia his, quando clericorum monitis obtemperant, & de animæ suæ purgatione curant, & quando eo tempore, quo liber est à dæmonis obsessione energumenus, non docet ip se, quæ à dæmone didicit, quo autem tempore danda sit his Eucharistia, & quoties, discretioni pastoris tribuendum est, & seruandæ sunt conditiones amentium temporalium, ita vt
D neque credantur esse in peccato, neque sit periculum irreuerentiæ circa sacramentum.
Quæ conclusio vera est etiam extra articulum mortis, & in Paschate, & intelligenda iuxta predicta conclusione quinta huius quæstionis.

QVAESTIO. XIIII.

Vtrùm præceptum sumendi Eucharistiam, quod commune est laicis, & clericis, sit diuinum, & quando obliget?

1 CIRCA primum quidam hoc negant. Ita *Alexand. 4. quæst. 11. num. 2. art. 4. §. 1. Bonauent. in 4. dist. 12. 2. part. distinctionis, art. 1. quæst. 1. Syluest. in Sum. verbo Eucharistia 3. in principio.* Fundamentum eorũ est, quia nullus est locus scripturæ, ex quo tale præceptum colligatur.

2 Sit prima conclusio. Hoc præceptum diuinum est. Ita sentiunt *D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 11. Durand. 4. dist. 9. quæst. 2. num. 7. Caietan. super articulum citatum D. Tho. & alij.* Hæc autem conclusio non est probanda efficaciter rationibus, quia istæ non suppetunt efficaces, sed locis scripturæ. Primus autem est *Ioannis 6.* vbi dum sermo fit de hoc sacramento, vt patet ex *Trident. Sessiou. 21. cap. 1.* sic dicitur: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi sine dubio vt constat ex particula illa, nisi, continetur præceptum Eucharistiæ, sicut in illis verbis *Ioannis 9. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, continetur præceptum baptismi. Secundò probatur ex *Luce 22. & ex 1. ad Corinth. 11.* vbi, post quam dixerat Christus in nocte cœnæ Apostolis, *Accipite, & comedite, & bibite*, subditur, Christum dixisse: *Hoc facite in meam cõmemorationem*, vbi omnibus in vniuersum fidelibus, vt notarunt acutissime *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 213. cap. 2. & Suarez eodem 3. tom. disp. 69. sect. 1.* Præcipit, vt passionem suam memorarent in hoc sacramento, vnusquisque suo modo, laicus recipiendo tantum hoc sacramentum, & sacerdos consecrando illud, & ita Tridentinum Concilium sequendo in hoc sanctos Patres, quos ibidem citat Suarez, interdum sequitur secundũ sensum de consecrationis præcepto imposito Sacerdotibus, *vt Sess. 2. cap. 1.* interdum sequitur, primum de præcepto laicæ communionis laro fidelibus, *vt Sess. 13. cap. 2.* dicens: *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit.*

3 Circa secundum vero, quod in hac quæstione quæritur, quidam dixerũt, hoc præceptum diuinum non obligare in articulo mortis, imò neque aliquod Ecclesiasticum circa hoc esse. Ita docent *Caietan. Summa verbo communio sacramentalis, vt intelligitur à Vazquez loco citato disp. 214. cap. 1. Sylnester Summa verbo, Eucharistia, 3. in principio, Armilla verbo communio, num. 4.* Qui supponunt, nullum esse in hoc præceptum, sed consuetudinem, quæ non ita stricte obligat, vt omissio eius ex sola negligẽtia peccatum mortale sit.

4 Secunda conclusio in hac quæstione sit. Antiquitus fuit in Ecclesia, & nunc etiam est præceptum de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quod nullus sine temeritate negare potest. Ita statutum est *in Concilio Anciranо can. 22.* circa homicidas voluntarios, *& in Concilio Niceno can. 13.* & idem statuitur circa publicos pœnitentes *in Concilio Carthagin. IIII. can. 77.* Neque valet dicere, quod *in Concilio Niceno, & Anterano*, solum fiat sermo de Sacerdotibus, & Episcopis, quibus imponitur hoc præceptum ministrandi, nam contra est, quod si hoc sacramentum non esset necessarium ex præcepto populo, non ita stricte administratio præciperetur Sacerdotibus. Tùm quia *Concilium Nicenum* Eucharistiam vocat viaticum necessarium, quod si non esset impositum sub præcepto populo, non diceretur necessarium viaticum, nam hæc necessitas non est, nisi respectu populi, cui dicitur viaticum: dicitur autem viaticum hoc sacramentum datum in articulo mortis, quia parat viam ad gloriam, & dat vires ad labores patienter tolerandos, qui in discessu ex hac vita se se offerre possunt: & istos effectus producit Eucharistia, licèt non sumatur cum intentionẽ viatici, viaticum vero est id, quod datur ad labores itineris sustinendos.

5 Tertia conclusio. Hoc præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis diuinum est. Ita docent *Durand. in 4. dist. 6. quæst. 2. num. 7. Gabr. quæst. 1. art. 2. conclus. 3.* Probatur hæc vnica ratione, quia præceptum diuinum de recipiendo hoc sacramento affirmatiuum est, & ita in aliquo determinato tempore obligare debet: sed nullum commodius tempus reperietur ad eius obligationem inducendam, quam articulus mortis, ergo tunc obligat. Tunc autem commodius tempus est, quia, vt notat *Tridentin. Sess. 13. cap. 2. Christus sumi voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, ipse viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à peccatis mortalibus præseruemur.* Qui effectus maxime in articulo mortis sunt necessarij.

6 Hic autem per articulum mortis nõ solum intelligimus illud præcisum tempus, in quo quis animam agit, sed illud etiam, in quo apparet periculũ mortis, nam cum in articulo præciso mortis difficile sit, hoc Eucharistiæ sacramentum recipere cum omni debita reuerentia propter defectum ministri, & propter amentiam, vel alios corporis labores, qui eo tẽpore vehementer vrgẽt, ideò hoc præceptum con-

conueniens est, obligare ab eo tempore, in quo apparet periculum mortis. Et quia hoc sacramentum obligat tanquam viaticum quoddam spirituale, quod animabus nostris conceditur, vt feliciter iter suum perficiant, & etiam obligat, vt in eo tempore mortẽ Domini omnes fideles annuncient, ideò homines etiam iustos, & confessos obligat.

7 Cui præcepto Eucharistiæ non satisfacit ille, qui proxime ante articulum mortis recipit Eucharistiam, siue tunc valeret, siue ægrotus esset, dummodo non esset constitutus in periculo mortis; licet contrariũ aliqui docuerint, inter quos nouissime numerare possumus *Regin. lib. 29. suæ praxis. cap. 5. n. 65.* Ratio eius hæc est, quia cum tempus valde proximum est periculo mortis, iam periculum mortis imminet, & ita eo tempore videtur posse impleri præceptum obligans in periculo mortis. Verumtamen resolutio nostra verior apparet, tũ quia in eo casu Eucharistia non sumeretur tanquam viaticum, quia hoc tantùm datur proficiscentibus ex hac vita, ille autem, qui bene valet, non dicitur proficisci ex hac vita. Tùm etiam, quia inauditum est, præcepta imposita tanquam onera alicuius diei, ante illud præcise tempus impleri posse, sicut ieiunij crastini præceptum neque obligat, neque impletur hodierno ieiunio. Et præceptum cras recitandi horas Canonicas non impletur hodierna recitatione earum. Cum ergo præceptum recipiẽdi Eucharistiam in articulo mortis impositum sit tanquam onus illius temporis, aperte sequitur, tempore proxime antecedenti, neque impleri posse, neque habêre vim obligãdi. Et ad argumentũ Reginaldi respondemus, licet tempore proxime antecedenti articulum mortis moraliter dicatur periculum mortis imminere, hoc tamen non sufficere, vt eo tempore obliget præceptum Eucharistiæ, quia hoc præceptum tantum obligat præcise in periculo mortis physicè considerato, & non moraliter, quemadmodum præceptum recitandi horas Canonicas præcise, & physicè loquendo obligat à media nocte vnius diei vsq; ad aliam mediam noctem eiusdem diei.

8 Est autem maxime consideranda quædam differentia inter Sacramentum Eucharistiæ, & Sacramentum Pœnitẽtiæ. Nam si quis in articulo mortis semel susceperit absolutionem sacramentalem, vt satisfaciat præcepto illius tẽporis, & postea peccet mortaliter in eodem articulo, tenetur iterum recipere absolutionem sacramentalem, quia talis absolutio est mediũ necessarium ad salutem pro omni tẽpore, quo quis lapsus fit in peccatum mortale. At vero si quis in articulo mortis receperit Eucharistiã, non tenetur eam iterum in eodem articulo recipere, licet postea inciderit in graue peccatũ, quia Eucharistia non est necessaria necessitate

A medij ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, quod præceptum imponitur in articulo mortis, vt Eucharistia sumatur tanquam viaticum, & in memoriam passionis Christi, quod cum semel iam præstitum sit, præceptum iam deinceps nõ obligat pro illo articulo, sed pro alio.

Licet autem hæc ita sint, Ecclesia tamen merito, vt constat ex multis canonibus *Concilij Eliberitani*, negauit Eucharistiam in articulo mortis aliquibus propter aliqua crimina, sicot & priuant iudices reos aliquos cibo corporali, quem quisque tenetur sibi procurare iure naturali, & diuino, quia id ita expediebat. Consuetudo etiam aliquãdo in Hispania viguit denegandi Eucharistiam his, qui extremo supplicio afficiendi erant: hæc tamen consuetudo meritò iam abolita est *per Pium Quintum in Motu proprio edito anno 1569.* in Hispania recepto, quia rigorosa sane erat, vt notant *Suarez 3. to. in 3. part. disp. 69. sectione 3. & Enriquez 1. part. summ. lib. 8. cap. 5. in fine.* ante dicta tamen tempora quibuslibet peccatoribus dabatur Eucharistia in articulo mortis, vt de hæreticis relapsis patet *ex cap. super eo, de hæreticis in sexto, & cap. quæsitum 13. quæst. 2.* Idẽ statuitur de alijs, qui ob alia crimina morte plectuntur: imò nullis verè pœnitentibus denegatur. Vt patet *ex ca. quod in te de pœnitent. & remiss.* qui textus id notant, cum peccatores sunt verè pœnitentes, quæ doctrina in his textibus contenta etiam nostris temporibus seruanda est. 9

B

C Sed quæres, an iudex teneatur liberare reũ, quando non vult confiteri, neque Eucharistiã sumere, vt eius saluti spirituali consulat, magis opportunum tempus conuersionis eius expectans? Sed respondetur, minime ad id obligandum esse iudicem, etiamsi certo sciatur, ipsum in peccato mortali moriturum. Ita *Sotus lib. 5. de iustitia, & iure, quæst. 1. art. 2. ad 2.* Probatur, quia ea ratione via aperiretur fraudibus, tùm etiam, quia bonum commune multitudinis etiam spirituale, cui consulitur ea punitione, præferendum est bono spirituali priuato. Reo tamen expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam iudex ad confitenda peccata, & ad Eucharistiam recipiendam tenetur dare sufficiens tempus. Patet, nam *in Clementina, cum secundum de pœnitent. & remission. præcipitur Episcopis, vt suadeant iudicibus, & si necesse sit, eos compellant ad concedẽdum tempus sufficiens ad confessionem sacramentalem efficiendam.* Eadem autem est ratio de Eucharistia, quia quando dicitur, non denegandam pœnitentiã, aut cõcedendã pœnitentiã, hoc est, pœnitẽtiæ sacramentũ, consequenter intelligitur, neque etiam Eucharistiam esse denegandam, vt patet *ex cap. quod in te de pœnitent. & remission. ibi in illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non denegamus, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhi-* 10

D

exhibetur, intelligi volumus. Imò reo non est denegandum prædictum tempus, etiamsi timeatur inde fore, vt eripiatur è carcere. Ita docet *Sylvester verbo iudex primo quæst. 11. dicto 6. & Petr. Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 226.* Tùm quia dicta Clementina absolutè præcipit, iudices esse compellendos, tùm quia minus inconueniens videtur dicta ereptio, quæ reparari potest, quam æterna damnatio, quæ non potest reparari, quod si ex tali ereptione non timeatur damnum Reipublicæ, & sit spes, quod recipiet Eucharistiam differendo suspendium, & confitebitur intra tres dies, vel quatuor, differendum est supplicium ex lege charitatis, vt succurratur ruinæ spirituali proximi.

11 Secundò quæres, an Eucharistia danda sit in articulo mortis puero capaci rationis, & confessionis? Affirmat *Reginald. lib. 29. cap. 5. num. 84. in fine cum aliis.* Sed non placet, nisi sufficienter sit instructus, vel tunc possit instrui.

12 In articulo mortis potest quis accipere Eucharistiam à simplici Sacerdote licitè, siue religioso, siue seculari. Ita cum *Augustino sentit Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 72. sectio. 2. in fine.* Probatur, quia sicut Ecclesia in eo casu concedit cuiuis Sacerdoti ministrationem pœnitentiæ, ita Eucharistiæ, *ex cap. quod in te. de pænitent. & remissio.* pietas enim Ecclesiæ exigit, vt non solùm in extrema necessitate confessionis, sed etiam graui cōmunionis proximo succurratur. Extra casum vero periculi mortis sufficit, & requiritur rationabilis voluntas parrochi, & sufficit præsumpta voluntas Episcopi, vel Papæ, si de parrochi praua voluntate constaret. Imò in articulo mortis posset quis sibi communionem concedere, vt notat probabiliter *Reginald lib. 29. cap. 5. num. 93.* vt Regina Scotiæ concessit, cum ad martyrium duceretur.

13 *Vazquez loco citato, cap. 3.* asserit, quod si Ecclesia non determinasset tempus, in quo extra articulum mortis obliget hoc præceptum sumendi Eucharistiam, nullum tempus arbitrio prudentis viri assignari posset, in quo hoc pręceptum affirmatiuum ex se obligaret.

14 Sit tamen quarta conclusio. Præceptum diuinum de sumenda Eucharistia non tantùm obligat in articulo mortis, sed etiam ante illud, dum homines optima fruuntur valetudine, neque semel tantum obligatvr sic, sed aliquoties, nisi eius tempus nimis breue sit. Ita docent *D. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 1. & Suarez loco citato.* Probatur primò ex generali ratione præcepti affirmatiui, hoc enim licet ex se non determinet facile tempus, in quo vim habet obligandi, cum tamen eius obseruantia sæpius in vita conueniens est, nō obligat semel in vita tantum. Secundò probatur ex fine huius præcepti diuini, qui sine dubio consistit in roboranda charitate, & in nutrienda anima spiritualiter: sed ad istos fines multæ receptiones huius sacramenti requiruntur in vita, iuxta multas eiusmodi necessitates spirituales, quæ hominibus sæpius occurrunt, ergo sæpius in vita obligat præceptum communionis. Tertiò probatur, quia hoc Sacramētum datur per modum cibi, sicut ergo nō sufficit, cibum corporalem semel in vita manducare, quia vires naturales multis de causis debilitantur, & indigent reparatione, & humidū radicale per actionem caloris naturalis continuo deperditur, & necesse est, illud reparari per alimentum, ita sacramentum Eucharistiæ sæpius in vita suscipere, maximè necessarium est, quia calor concupiscentiæ, & fomes peccati per continuam, quam cum anima pugnam gerunt, vehementer debilitant animæ vires spirituales, quare probabile satis iudico *cum Patre Nuño in 3. part. D. Thom. quæst. 80. art. 11. difficultate 1.* Præceptum communicandi in articulo mortis, & extra illum aliquando esse diuinum naturale. Vnde si Christus institueret hoc sacramentum, & nobis explicaret eius naturam, etiamsi illud non præciperet expresse, tenerentur homines illud recipere. Hoc videntur concludere duæ vltimæ rationes, quibus comprobauimus quartam conclusionem. Et præterea conuincitur ex eo, quia sicut cognoscentes cibi corporalis naturam tenentur iure diuino naturali illum sumere, etiā si nullū aliud extaret circa talē sumptionem præceptum, pari etiam ratione cognoscentes vim cibi istius spiritualis Eucharistiæ, absque alio præcepto tenentur illum suscipere.

15 Sed quæres, quibus temporibus obliget hoc præceptum? Respondetur *cum Suarez loco citato,* tempora iudicio prudentis iudicāda esse, cauendo, ne talis communio nimiū differatur. Vnde assero ist cum Autore, hoc præceptum ratione sui obligare tertio, vel quarto quoque anno, quia maior dilatio valde esset contra rationem, per accidens vero non obligat hoc præceptum diuinum ratione aliorum præceptorum, sicut ratione tentationis vincendæ cōtra fidem, &c. (licet recentiores dicant oppositū) quia tūc tantum obligat præceptum fidei ad assumendum Eucharistiam, tanquam medium necessarium ad vincendas tentationes contra fidem, cuius resolutionis illud est sufficiens argumentum, quia in illo casu, qui non reciperet Eucharistiam, tantum peccaret contra fidem.

QVÆSTIO XV.

De circunstantijs, quibus obliget præceptum Ecclesiasticum Eucharistia sumenda?

1 CONCILIVM *Tridentinum Sessione* 23. *capit.* 10. Suadet regularibus, & monialibus, vt singulis mensibus communicent, sed quia vtitur verbis consilij, & suasionis, præceptum non induxit, sed consilium. *In Clementina tamen, in agro §. fane de statu Monachorum*, præcipitur Monachis Benedictinis, vt singulis quibusque mensibus communicent, sed quia modo non disputamus de obligationibus peculiarium personarum, sed de obligationibus generalibus omnium fidelium, ideò prædictis punctis modo silentium imponimus.

2 In principio nascentis Ecclesiæ, quando feruor fidelium maximus erat, præcepit Ecclesia omnibus fidelibus quotidianam communionem, vt aperte liquet *ex Anacleto Papa epist.* 1. *cap.* 2. *& refertur in canone Episcopus, de consecratione dist.* 1. vbi sic dicitur, loquendo de hoc præcepto: *Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia*, deinde *Fabianus Papa vt refertur in canone, si non frequentius de consecratione dist.* 2. Instituit, vt ter saltim in anno tenerentur fideles sacram Eucharistiam recipere, scilicet in die Natalis, Paschatis, & Pentecostes. Tandem *Innocentius III. in Concilio Lateranensi, vt refertur in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus*, decreuit, vt omnes fideles semel saltim in anno, scilicet tempore Paschatis teneantur sacram communionem recipere, quod præceptum nostro etiam tempore est in viridi obseruantia, & vim habet obligandi, alijs duobus præceptis viribus obligandi prorsus destitutis. Et per hoc præceptum annuæ communionis sufficienter adimpletur præceptum diuinum Eucharistiæ. Ita *Caietan super quæst.* 80. *art.* 11. Patet, quia aliàs Ecclesia non satis saluti fidelium consuluisset, si tãtum contenta esset annua communione, cum tamen præceptum diuinum frequentiorem communionem exigeret. & hæc prædicta sufficiant circa primam conclusionem.

3 Secunda conclusio. Tempus Paschatis quãtum ad præsens institutum complectitur quindecim dies, à Dominica Palmarum inclusiue, vsque ad Dominicam in Albis. Probatur conclusio, quia hoc tempus Paschatis, ita interpretatur Ecclesiastica consuetudo *ex Decreto Eugenij IIII. vt refert Nauar. in Summa capit.* 21. *num.* 45. Quod si alicubi esset legitima consue-

A tudo extendendi hoc tempus amplius, sufficeret illam seruare. Quidam autem dicunt in Hispania posse satisfieri huic præcepto communicãdo quolibet die Quadragesimæ, & hoc declaratum fuisse *à Clemente VII.* idque constasse testimonio Laurentij Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Episcopi Prænestini, & vsu etiam fuisse receptum. *Suarez tamen* 3. *tomo in* 3. *part. disp.* 70. *sectione* 2. dicit sibi neque de vsu, neque de consuetudine cõstare, tunc autem Eucharistia sumenda est de manu proprij pastoris, vel alterius de eius licentia, vt constat *ex capit. omnis vtriusque sexus allegato.*

Vtrùm autem ille, qui tempore Paschatis non communicauit, siue ex culpa, siue sine cul 4
B pa, liber maneat ab hoc præcepto, an non? Patet, ex his quæ diximus in materia de pœnitentia circa præceptum confessionis, nam eadem est ratio huius præcepti, ibi autem diximus teneri fideles nõ confitentes peccata mortalia semel in vno anno statim cõfiteri in principio anni sequentis. Et eadem videtur esse ratio de Sacramento Eucharistiæ, ita vt ille, qui in vno anno, non suscepit Sacramentum Eucharistiæ, teneatur illud suscipere statim in principio anni sequentis, ita vt eo anno sequẽti bis debeat Eucharistiam recipere, semel pro anno præcedenti in principio, & iterum pro anno sequenti tempore Paschatis. Cuius tota ratio est, quia præceptum Eucharistiæ obligãs extra articulum mortis semel in anno, non est
C impositum tanquam onus illius anni, ita vt in eo anno finiatur tota obligatio, sed est impositum in meram salutem animarum, vt tam singulari, & tam vtili Dei beneficio sæpius fruatur. Ille vero, qui in articulo mortis non recepit sacrosanctam Eucharistiam, cum tenetur ad id teneretur, si conualescat ab ea ęgritudine, non tenetur postea statim recipere Eucharistiam ad adimplendum præceptum in articulo mortis positum, cuius discriminis ratio in eo consistit, quia vt proxime diximus, præceptũ communicandi semel in anno non est impositum tanquam onus anni, at vero præceptum cõmunicandi in articulo mortis est impositum tanquam onus articuli mortis. Et ita eo prætereũte nulla remanet vlterius obligatio, quod
D in præcedenti quæstione amplius explicuimus, quam differentiam cõmunicandi in Paschate, & communicandi in articulo mortis optime perpendunt *Enriquez in Summa lib.* 8. *cap.* 5. §. 3. *Reginaldus in sua praxi pœnitentiali, lib.* 29. *cap.* 5.

Quæret tamen aliquis primo, an quando quis præuidet se non posse tempore ab Eccle- 5
sia designato Eucharistiam recipere, debeat præuenire tempus, & antea recipere Eucharistiam? Huic difficultati respondetur, debere quidem huiusmodi hominem præuenire ad imple-

implerionem Eucharistiæ præcepti, quia hoc præceptum, vt proxime adnotauimus, nō est impositum in onus alicuius temporis, vt est impositum ieiunium Quadragesimale, sed vt hoc mirabile sacramentum, quo animæ nostræ magnopere indigent, sæpius recipiatur. Et ita quemadmodum post elapsum annum tenetur quis communicare, vt satisfaciat præcepto cōmunionis, cui non satisfecit toto anno præcedenti, vt frequenter ad hoc sacramentum accedat, pari modo propter eandem rationem, tenetur quis præuenire susceptionem Eucharistiæ ante annum sequentem, quando toto anno sequenti credit se non habiturum copiam Eucharistiæ (licet oppositum immerito doceat *Suarez loco citato*) sed in hoc casu, quo quis præuenisset sumptionē Eucharistiæ, si postea contingeret, illum adipisci opportunam occasionem communicandi tempore Paschatis, vt ego sentio, teneretur iterum communicare (hanc autem doctrinam etiam in eo casu intelligo esse veram, quo quis post primam sumptionem Eucharistiæ, nullum commisisset peccatū, Eucharistia enim directe non obligat ratione peccati commissi, sicut confessio.) Patet quia præceptum Eucharistiæ licet per accidens ratione illius priuatæ existimationis obliget ante tempus Paschatis, per se vero tantum obligat tempore Paschatis, ergo adueniente in eo casu opportuna occasione communicandi tempore Paschatis, eo tempore necessariò Eucharistia recipienda est.

6 Quæret aliquis secundò, an satisfaciat quis præcepto annuæ communionis, per receptionem Eucharistiç in prauo statu peccati mortalis? *Adrianus in 4. in materia de confessione quæst. vltima*, Generaliter pronuntiat, nullum præceptum diuinum, vel humanum impleri posse actu aliquo deprauato, vnde existimare debet præceptum Eucharistiæ impleri non posse ea communione, quæ contingit in prauo statu peccati mortalis. Probatur primò, quia receptio huius sacramenti ad cultum Dei ordinatur, ergo præceptum eius non potest impleri per actum peccaminosum, qui contrarius est cultui Dei. Secundò probatur *ex capit. omnis vtriusque sexus*, vbi dicitur, *Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*. Nam verbum illud, reuerenter, significat dignam susceptionem, & absque vllo peccato mortali. Respondetur tamen implere hoc præceptum eum, qui indigne, & cum conscientia peccati mortalis recipit sacramentum Eucharistiæ. Ita respondent præsenti difficultati *Conar. cap. alma mater, 1. part. §. 5. & Suarez loco citato sectione 3. & Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 214. cap. 4.* Probatur, nam alia præcepta impleri possunt per actum continentem in se peccatum lethale, vt ille, qui die ieiunij nimis replet stomachum cibis in eo vnico prandio, quod

A licitum est ieiunantibus, posset quidem peccare lethaliter, & tamen sine dubio satisfaceret præcepto ieiunij. Item is qui in peccato mortali susciperet Sacramentum Baptismi, satisfaceret præcepto diuino suscipiēdi baptismum. Secundò probatur idem responsum ratione *D. Thom. prima secundæ, quæst. 100. art. 9.* quia lex, quæ præcipit aliquē actum, præcipit substantiam eius, non vero modum, nisi modus sit de essentia actus secundum se, vel prout cadit sub lege (qua ratione attentio est de essentia orationis) at vero suscipere Eucharistiam cum dispositione debita, non est modus essentialis sacramentali communioni, nam si quis indigne communicat, sacramentaliter communicat. Vnde ad primum argumentum respondetur,

B dignum cultum seu reuerentiam huius sacramenti esse finem huius præcepti, non materiā eius. Ad secundum respondetur, illud verbum reuerenter, vel denotare reuerentiam extrinsecam, vel intrinsecam, quam petit hoc sacramentum ex natura sua, & iure diuino, non humano, vnde ille, qui cum reuerentia extrinseca, sine intrinseca tamen communicaret, non violaret præceptum Ecclesiasticum de suscipienda Eucharistia, sed diuinum. Vnde qui indigne communicaret, non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quæ contra transgressores huius legis imponerentur, quia in rigore seruaret præceptum, & legem Ecclesiæ.

C Contra huius tamen præcepti transgressores nulla pœna est imposita Ipso facto, vt patet *ex dicto cap. omnis vtriusque sexus*. Præcipitur autem ibi, tam istius transgressoribus præcepti, quam præcepti confessionis, vt eis imponatur loco pœnæ, quod arceātur ab ingressu Ecclesiæ, & Ecclesiastica careant sepultura, 7 *& Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 214. capit. 4. notat ex cap. pueris de delictis* (vbi dicitur, non debere eadem pœna pueros, & adultos puniri.) Pueros non ligari eadem pœna excommunicationis, & alijs latis contra eos, qui non cōmunicant tempore Paschatis, sine à iure communi imponantur sine à Synodo. Contra indigne tamen communicantes nulla imponitur

D ab Ecclesia pœna, quia communiter hoc prouenit ex defectu interioris dispositionis, ex regula autem iuris non habent latentia peccata vindictam.

QVAESTIO. XVI.

Qua possimus vti frequentia in receptione huius Sacramenti Eucharistiæ?

OMISSO antiquo præcepto quotidie communicandi, quod postea abrogatum est, post tale tempus apud plures in 1

in vsu fuit quotidiana communio. Huius rei memoriam fecere *Hieronym. epist. 28. quæ est ad Lucinum, Cyprian. serm. 6. qui est de orat. Dominica, Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 4.* nihilominus *August. epist. 118. & autor de Ecclesiasticis dogmatibus apud ipsum cap. 58.* nec laudat, nec vituperant eum, qui quotidie communicat, & hoc sit primum notabile.

2 Secundum sit, quotidie communicare, non esse natura sua malum, cum natura sua posit quotidie recte, & debite exerceri, tum etiam non esse prohibitum præcepto diuino, vel Ecclesiastico, vt constat.

3 Tertium notabile sit, loquendo generaliter, & ex sua natura, melius esse frequentius communicare, quam rarius, magisque esse in frequentiam, quam in raritatem inclinandum. Ita sentiunt *D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 11. Adrianus quæst. 3. de Eucharistia, Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 69. sect. 4. imo Concilium Tridentinum* ad frequentiam hortatur *Session. 13. cap. 8.* Ratio vero est, quia communicare digne, per se bonum est, abstinere vero à communione, solum est bonum per accidens, vel ex defectu dispositionis, vel vt homo ad reuerentiam excitetur. Sed bonum per se, & natura sua præferendum est bono per accidens, ergo. Ratio ista est *Diui Thomæ in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3.* Præterea, quia propensio ad frequentius communicandum prouenit ex charitate in Deum, propensio vero ad abstinendum nascitur ex timore: at melius est operari ex charitate, quam ex timore. Tum quia vsus debitus Eucharistiæ fouet, & auget reuerentiam debitam ipsi Eucharistiæ, tum quia ei, qui sacramentum hoc debite suscipit, gratia confertur ex opere operato, propter venialia autem & propter modicã deuotionem, quam quis in se ipso expetitur, non est Eucharistia relinquẽda, vt notauit *Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 69. sect. 4. iuxta doctrinam D. Bernard. in serm. de Cœna Domini.*

4 Sit prima conclusio. Generaliter non est fidelibus consulendum, vt frequentius, quam octauo quoque die sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum suscipiant. Probatur primò ex consuetudine Ecclesiæ, quam referunt *Suarez loco citato, & Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 214. cap. 4.* secundum quam communiter non recipitur hoc sacramentum frequentius. Secundò probatur, quia cum hominum negotia quotidiana sint, & pericula peccandi frequenter occurrant, difficile admodum est, ad hoc sacramentum cum ea debita dispositione, & deuotione accedere, quam huius sacramenti natura iure suo exigit, frequentius quam octauo quoque die: & sæpius continget, maiorem vtilitatem percipere eum, qui raro communicat eum debita tamen præparatione, & gratiarum actione, quam illum, qui frequentius tepide tamen, & sine debitã reuerentia hoc sacramentum suscipere audet: frequentius autem, quam octauo quoque die sacramentum Eucharistiæ recipere, raro permittendum est, & non nisi hominibus probatæ virtutis. Quod si hoc ita se habet, paucissimis, ac non nisi maximos in virtute profectus consecutis cõcedenda est Eucharistia quotidiana. Verumtamen huius negotij perfectum iudicium reseruandum est piis, & doctis confessariis, qui iuxta qualitatẽ pœnitentium maiorem, aut minorem frequẽtiam suadere poterunt.

5 Non est tamen pari ratione iudicandum de Sacerdotibus celebrantibus sacrificium Missæ, vt optime considerarunt *Petrus de Ledesma in Summa tractatu de Eucharistia, cap. 14. & Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 232. cap. 1.* Nam in his ad celebrandum quotidie non requiritur ea vitæ perfectio, sanctitas, ac deuotio, quam in laicis necessariam esse diximus ad quotidie recipiendam sacrosanctam Eucharistiam. Eo quod Sacerdoti conuenit munus conficiendi sacrificium Missæ non tantum propter vtilitatem suam, sed etiam propter totius populi vtilitatem communem. Quare propter eam dubitare non debet, quotidie celebrare cum mediocri animæ dispositione, cum qua tamen more laico non deberet quotidie communicare, quia communio hæc tantum ordinatur ad priuatũ bonum communicantis. Neque huic resolutioni obstat *canon. quotidie, de consecrat. dist. 2. vbi D. Augustin.* quotidianam celebrationem sacrificij Missæ non videtur probare, dum asserit: *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.* Ad hunc enim canonem dupliciter possumus respondere, primo secũdum Glossam ibidem; Augustinum ideò pronunciasse prædictam sententiam, quia ignorabat dispositiones sumentium, vtrum illæ sint dignæ quotidiana Eucharistia, an non, aut quotidiana celebratione sacrificij Missæ. Secundò respondemus diuum Augustinum ibi non loqui de Sacerdote celebrante, sed de laico communicante, quare non dixit, quotidie celebrare, nec laudo, nec vitupero, sed quotidie *Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*, vnde hæc verba bene possunt de communione more laicorum intelligi.

6 Secunda conclusio. Eodem die bis communicare, vel sæpius, non est prohibitum iure diuino. Patet, quia non nobis constat tale ius, sine dubio tamen est prohibitum iure Ecclesiastico laicis eo ipso, quod Sacerdotibus præcipitur *cap. consuluisti, de celebratione Missarum, & canon. sufficit. de consecrat. dist. 1.* ne plus, quam semel in die celebrẽt. Verba canonis hæc sunt: *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare.* Ratio prædicti canonis, quæ generaliter nostrum propositum concludit, hæc est: *Quia Christus semel tantum mortuus est, & ideò Sacerdoti*

dos, qui in suo sacrificio efficit commemorationem passionis Christi, semel tantū debet celebrare. Quæ ratio etiam currit in communione laicorum, in quo commemoratur passio Christi secundū *Paulum 1. ad Corinth. 11. nihilominus in cap. consuluisti* permittitur, in die Natali tres Missas celebrare, & cum quis præpositus est duobus Ecclesijs, duas Missas celebrare in die Dominica, & alijs festis. Laicis vero non conceditur, vt bis in eodem die communicent, nisi immineret periculum aliquod irreuerentiæ ab aliquo inferendæ sacramento, & non esset alia via seruandi Sacramentum.

QVÆSTIO. XVII.

Quas personas obliget Eucharistiæ præceptum?

1 INFIDELES non baptizatos certū est constringi præcepto diuino ad recipiendam Eucharistiam (humano enim non constringuntur, cum sint extra Ecclesiam.) Ita tamen, vt obligationi huic non satisfaciant, nisi prius baptizentur; quia alias non sunt capaces huius sacramenti, quatenus est sacramentum, sed sicut belluæ recipiunt illud.

2 Sit ergo prima conclusio. Baptizati adulti & sanæ mentis tenentur præcepto diuino, & humano Eucharistiæ. Hoc de se patet, & ita nō eget probatione.

C

3 Secunda conclusio. Amentes, qui non sunt tales à Natiuitate, sed habent lucida interualla, & energumeni tenētur ad hoc præceptum: de energumenis: patet, quia habent liberum vsum rationis. De amentibus vero dicendum est, quod licet tempore amentiæ præcepto nō teneantur, at tempore sanæ mentis tenentur, si illud sacramētum recipere possunt, vel si nō possunt, petere debent pro tempore amentiæ, quando tempore præcepti credunt, se lapsuros in amentiam. Vnde Sacerdos proprius his amentibus in hoc casu tenetur sacramentum ministrare.

4 Tertia conclusio. Paruuli, qui non gaudent vsu rationis (& eadem est ratio de amentibus, & stolidis à Natiuitate) nō tenentur hoc præcepto humano, vel diuino Eucharistiæ. Probatur primò, ex *Trident. Sess. 12. cap. 4.* vbi definitur, paruulos nulla necessitate ad sacramentalē communionem obligari. Secundò probatur, quia his non est necessaria Eucharistia ex præcepto, nec vt medium necessarium ad salutem, vt supra diximus in principio huius materiæ; ergo nullo modo est necessaria. Quod si *Aug. epist. 106. & 107. & alibi, & Innocentius epist. 26. quæ est apud August. 93.* dicunt illis verbis; *Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Paruulos comprehendi, non intelligūt esse re ipsa necessarium, sed votum, & desiderium eius inclusum in protestatione illa, quæ fit per parentes in sacramento fidei, quod est baptismus.

Quarta conclusio. *In cap. omnis vtriusque sexus de pænitentijs, & remission.* statuitur, vt singuli homines post quam ad annos discretionis peruenerint communicare debeant, quod autem sit tempus discretionis, & prudentiæ in iure definitum non est, sicut est definitum tēpus vsus rationis, neque definiri potest certus aliquis dies, mēsis, vel annus pro omnibus. Vt plurimum autem, vt optime notauit *D. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4* A decimo, aut vndecimo ætatis anno hoc præceptum obligat. Patet, quia eo tempore sciunt pueri discernere cibum communem à cibo isto spirituali, & cognoscunt præparationem necessariam ad cibum istum spiritualem desumendum, quarum rerum cognitio requiritur ad istud sacramentum debite recipiendum. Præscriptus tamen terminus annorum non est in omnibus generaliter certum indicium discretionis, quia aliqui prius, aliqui vero postetius ad eam discretionem perueniunt, *Sotus tamen in 4. dist. 12. q. 1. art. 11.* existimat ante annum duodecimū nō obligate hoc præceptum, & idem sentit *Greg. de Valent. tomo 4. disp. 6. quæst. 8. puncto 4.* quia ante eam ætatem non reperitur sufficiens discretio. Sed verior mihi apparet præallegata regula D. Thom: in his enim nostris temporibus communiter decimo, aut vndecimo ætatis anno censentur habēre pueri sufficiētem discretionem. 5

Sit quinta conclusio. Etiam in articulo mortis non obligat præceptum diuinum Eucharistiæ, nisi tunc adsit prædicta discretio. Patet, quia alias non possunt peccare contra hoc sacramentum, cum non cognoscant vim, & naturam eius, ergo neque possunt astringi præcepto Eucharistiæ. Secundò probatur, quia huiusmodi pueris Eucharistia non gerit vicem sacramenti, plus quam infantibus, siquidem illis non significant species sacramentales corpus, & sanguinem Christi., & gratiam sanctificantem, ergo nō possunt amplius obligari ad hoc sacramentum recipiendum, quam infantes: vnde vel affirmandum est infantes hoc præcepto Eucharistiæ obligari, quod nullus asseruit, vel affirmandum est, prædictos pueros non obligari huiusmodi præcepto. Et hanc conclusionem tuentur *Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 214. cap. 4. & Corduba in summa Hispanica q. 60.* bene tamen video aliquos recentiores oppositum docuisse, sed quia non video aliquam sufficientem rationem in eius sententiæ confirmationem, neque eis satisfaciam, neque à proposita sententia dimellar. 6

Quæst.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrū Ecclesia Romana iuste prohibuerit laicis vsum calicis?

1 MODO non disputamus, an aliquando dicuerit laicis præbere Sacramētum Eucharistiæ sub speciebus vinis cum enim vsus ministrandi hoc sacramentum sub his speciebus hominibus laicis inueteratus fuerit, vel in tota vniuersali Ecclesia receptus, vel in aliquibus peculiaribus Ecclesijs Ecclesiæ Latinæ (qui cum non potuerit latēre Romanam Ecclesiam, censetur ab ea approbatus) nullatenus iudicandum est talem vsum fuisse illicitum, tota ergo nostra controuersia in eo consistit, an vsus calicis ita sit necessarius laicis, vt Ecclesia non potuerit licite eis denegare communionem calicis?

2 Hæretici post 200. annos conqueri cœperunt de Ecclesia ex eo, quod vsum calicis prohibuerit laicis contra præceptum diuinū contentum *Ioannis capite sexto*, quorum hæreticorum fundamenta postea subijciemus, dum argumenta contra nostras resolutiones statuamus.

3 Sit ergo prima conclusio. Communio laicorum sub vna tantum specie licita est: Probatur primò ex Scriptura *Ioan. 6.* nam quamuis dixerit Christus: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod denotare videtur necessitatem communicandi sub vtraque specie, postea tamen subdit Christus: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* In quibus locis Christus loquitur de sacramentali manducatione, vt postea videbimus, ex quibus verbis merito *Concilium Tridentinū Sessione 21. capit. 1.* Deduxit solam speciem panis ad salutem sufficere, ac proinde licitum esse, eam solum sine calice sumere, alias nullo modo diceretur, qui manducat hunc panem viuet in æternum. Secundò probatur *ex Lucæ 24.* vbi denotatur Christum in Castello Emaus Discipulos sub sola specie panis communicasse, vt intelligit *D. Augustin. lib. 3. de consensu Euangelistarum capit. 25. longe à principio*, prædictum locum, *& Beda in illud caput Lucæ, & Autor imperfecti in Matthæum, apud Chrysostomum homilia 17. in fine, ex quo loco Diui Lucæ, & ex Tridentino loco citato* constat, communionem sub vtraque specie panis, & vini, neque esse de iure diuino, neque humano.

4 Sed quidam hæreticus dictus Melancthon in Apologia confessionis Augustanæ in articulo de vtraque specie fatetur Christum eo loco Lucæ consecrasse, non tamē solam speciem

A panis: nā per fractionē panis intelligitur totū sacramentum per figuram Synecdochē. Huic tamē argumēto optime respondet *Bellar. 2. to. lib. 4. de Eucha. c. 24.* scilicet Scripturā sacrā ita narrasse post fractionem panis Dominum disparuisse, vt non potuerit superesse tempus consecrationi calicis. Verba enim Euangelistæ hæc sunt; & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerūnt eum, & ipse euanuit ab oculis eorū. Neque valet ex eo loco colligi posse, vt notat *Kemnitius apud Gregorium de Valentia 4. tomo disp. 6. quæst. 8. puncto 5.* licitum esse panem absque vino consecrare. Nā respondetur, Christū excellenti sua potestate potuisse solum panem consecrare, propter hoc tamen non colligitur

B posse Sacerdotes ita consecrare, nam eos debere consecrare sub vtraque specie constat *ex Lucæ 22.* vbi eodem tenore verborū, dicitur ad Apostolos: *Hoc facite in meam commemorationem, & bibite ex eo omnes*, sed in primis verbis censetur data illis, & eorum successoribus facultas, & præceptum conficiendi sacramentum Eucharistiæ sub specie panis, ergo in secundis sub specie vini, atque ita intellexit auctoritas, & vsus Ecclesiæ ea verba, quod apparet ex *D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 12. Caietano ibidem, vt patet ex Toletana Concilio 12. cap. 5. vt habetur in cap. relatum de consecratione. dist. 2. & ex Gelasio capit. comperimus, eadem dist. & Trid. Sess. 21. cap. 1.* Quod solos laicos, & Sacerdotes more laicorum communicantes exi-

C mit à præcepto sub vtraque specie communicandi. Secundo conclusio probatur ex *Actis Apostolorum 2. cap.* vbi dicitur: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibu.* Quem locum vt notat *Vazquez 3. to in 3. part. disp. 216. cap. 2.* Communiter Theologi intelligunt, quātum ad illud verbum fractionis panis de Eucharistia, ibi tamen non fit mentio vini, ergo receptio Eucharistiæ tantum sub vnica specie licita est. Præterea hæc veritas Ecclesiæ traditione probatur, quia Eucharistia seruari solita fuit semper pro ægrotis, & vt memorat *Sophronius in prato spirituali cap. 19.* aliquando per annum seruabatur, vinum autem consecratum in ea quantitate, quæ consecrari solet, neque ad

D breue tempus seruari potuisset, quia statim accesceret, quod nullo modo cōueniens erat, ergo ęgrotis non dabatur sacramentum sub vtraque specie, sed sub specie panis tantū, quod autem Eucharistia soleret seruari pro ægrotis, testantur *Clemens Romanus lib. 8. constitut. Apostolic. cap. 13. Dionys. Alexand. epist. ad Fabiū, quam refert Eusebius lib. 6. hist. c. 36. & Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 6. inquit, morē seruandi Eucharistiam pro ægrotis agnouisse, & probasse Concil. Nicen.* Et hæc etiā traditio cōfirmatur, nā in antiqua Ecclesia mos erat, vt Eucharistia domi

A etiam à laicis seruaretur, & opportuno tempore etiã sumeretur in domibus, vt patet ex *Tertulliano lib. 2. ad vxorẽ, cap. 5. & Clement. Alexã. lib. 1. stromatum non longe à principio, & ex Cypr. lib. de lapsis, & alijs.* In domibus autem priuatis laicorum sanguis esse non poterat, eo quod nõ nisi in vasis sacris seruari debebat, vasa vero sacra non habebant laici, vt patet ex *Athana. citato à Vazquez disp. 197. cap. 4. 3. tomo in 3. part.* & quod olim ministrata fuerit Eucharistia sub altera tantum specie, docet *Valẽtia 4. tom. disp. 6. q. 8. puncto 5.* & etiam olim vtraque species ministrabatur, vt docent *Cyprian. lib. 1. epist. 2. Hieronym. in 3. cap. Sophoniæ, D. Gregor. Hom. 22. in Euangeliũ.* Vnde cum Ecclesia vtrunq; vsurpauerit, sequitur non esse de iure diuino, sub vtraque aut altera tantum specie com- B municare.

5 Et quidem licet Græci suis laicis distribuãt vtranque speciem panis, & vini, attamen ex dictis licitum esse, & ex vsu Ecclesiæ Latinæ patet esse necessarium, tribuere hoc sacramentum sub specie tantum panis, nunquam tamen fuit necessarium, aut in vsu positũ, dare sacramentum sub specie tantum vini, & non panis. Et quidem loquendo de iure diuino aliqui dicunt, huic præcepto, vel iuri non satisfieri cõmunicando tantum sub specie vini. Ita sensit *Ioann. Alban. lib. de communione sub vna specie, tractatu 1. ad quintum.* Probatur, quia panis magis est necessarius ad vitam, quam vinum, debuit ergo magis præcipi ad significandam necessitatem vnionis cum Christo. Item, quia pa- C nis facile, & sine periculo ab omnibus sumitur, at vinum difficile, & cum periculo effusionis, ergo. Sed certum est, præcepto diuino huius sacramenti sufficienter satisfieri per sumptionem specierum vini. Ita sensit *Sebastianus Oxomensis 3. part. quæst. 80. art. 12. num. 4. & Suarez ibidem, disp. 71. sectione 1.* Probatur primò, quia sicut nullum est præceptum in scriptura de vtraque specie sumenda, ita neque de aliqua earum determinate. Confirmatur, quia sub qualibet specie continetur integer Christus. Ita definitur *in Tridentino Sessio. 21. cap. 3.* quia Christus non habet ibi corpus sine sanguine, & è contra, neque vtrũq; sine anima, & diuinitate, vt patet ex *Conc. Ephesino Anath. 11. & Cyri. lib. 4. in Ioann. cap. 27. Eusebio Emiseno homil. 5.* D *de Paschate, & alijs.* Et quælibet species habet essentialiter totam significationem refectionis spiritualis, & quælibet significat vnionem fidelium inter se, & cum Christo, nam teste *Augustino tractatu 16. in Ioan.* Etiam panis fit ex multis granis redactis in vnum, & vinum ex multis racemis, at quælibet, prout separata ab alia sumitur, significat mortem Christi, quia in vna ex vi verborum tantum sumitur corpus, aut sanguis: & fit per quamlibet vnio animæ eum Deo, & non maior gratia per vnam, quam

A per aliam causatur, ergo ex iure diuino non est magis necessaria vna species, quam alia. Ad argumenta respondetur, non exinde sequi, communionem sub specie vini non sufficere ad implendum ius diuinum.

6 Secunda conclusio. Ecclesia habet potestatem statuendi, ne laici communicent sub specie vini. Probatur *ex Tridentino Sessione 21. cap. 2.* vbi declarat, semper in Ecclesia Dei potestatem fuisse, vt in sacramentorum administratione salua illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicauerit. Sed quod laici non recipiant Sacramẽtum Eucharistiæ sub specie vini, non est quid per- B tinens ad essentiam sacramenti, sed administrationem, ergo cum Ecclesia iudicauerit, illud esse conueniens rectæ administrationi, optime potest, illud præcipere.

7 Tertia conclusio. Merito Ecclesia Latina, vsum calicis prohibuit laicis. Ita constitutum fuit primo *in Concil. Constantiensi, Sess. 13. & postea in Concilio. Basiliens. Sessio. 30. & in Trident. Sess. 21. cap. 1.* Probatur primò, quia Ecclesia In huiusmodi rebus errare nõ potest, quia grauissime res sunt, & maxime pertinentes ad vniuersalis Ecclesiæ gubernationem, & mores: hæc autem lex lata est à principio ad vitandũ incõueniẽs quoddam generale, scilicet, quod in tanta hominum multitudine, & varietate, vt senum, iuuenum, & mulierum, præsertim C cum deuotio fidelium tepida est, & diligentia ministrorum in conferendo hoc sacramento non nimia, maximum periculum imminet, ne aliquid sanguinis effundatur in terram, quod magis præcauendum est, quam ne aliquid specierum panis cadat in terram, species enim panis facile possunt colligi, at vero species vini minime. Secunda causa eiusdem legis esse potest, quia si in sacrario species vini asseruarentur, facile corrumperentur in quolibet tempore, & in hyeme congelarentur. Tertia ratio fit, quia hominibus abstemijs vinum nauseam prouocat, & ita facile posset accidere aliqua irreuerentia in huius sacramenti non leue detrimentum. Quarta ratio fit, quia ad quasdam regiones vix asportari potest vinum in ea quan- D titate, quę necessaria esset ad totius populi cõmunionẽ. Et propter easdem prædictas rationes nostris temporibus conueniens est, nõ prębere laicis Eucharistiam sub specie vini, antiquis vero temporibus vsus communionis sub specie vini conueniens fuit, quia in illis, & deuotio populi maior erat, & negligentia ministrorum minor, quam nostris temporibus.

8 In qua quidẽ lege non posset Pontifex dispensare iuste in ea regione, vbi hæresis aliqua existeret circa necessitatem vtriusque speciei ad salutem, vt olim extitit in Pragensi Ciuitate,

tate afferens iniuste speciem vini fuisse sublatam laicis, talis enim dispensatio cederet in detrimentum Reipublicæ Christianæ, quia ex ea daretur occasio confirmandi prædictum errorem. Tali verò errore sublato, & aliqua præcisa se offerente causa posset Pontifex cum aliquibus dispensare in prędicta lege; quemadmodum refert *Vazquez loco citato, cap. 4. Paulū Tertium cum Boemijs dispensasse, & Clementem Sextum cum Rege Angliæ.* Et nostris temporibus maior diaconus, qui Papæ celebranti assistit, sub vtraque specie communicat, imo verò sine vlla dispensatione per solam vim Epikeiæ posset laicus speciē vini sumere, si Sacerdos ante calicis sumptionem moreretur, & sanguis seruari non posset nisi cum magno periculo, quod species acescerent, vel corrumperentur, vel in manus infidelium deuenirent. Tunc enim legis obseruatio redderetur perniciosa, & ita seruanda non esset.

9 Cum verò infirmus in tali esset casu constitutus, quod hostiam consecratam traijcere in stomachum non posset, si vinum tamen consecratum traijcere rectè posset. *Suarez, loco citato sect. vltim. in fine.* Sentit, non posse Sacerdotem tunc temporis ministrare speciem sanguinis, ne præbeatur occasio indiscretis ministris frangendi eam legem, quæ prohibet communionem sub specie vini. Quare asserit iste Doctor, tunc infirmum non obligari præcepto Eucharistiæ. Sed probabilius mihi videtur eum rectè, iuribus debere tunc ministrari sacramētū sub specie vini. Probatur ex eo, quia tūc in articulo mortis obligat præceptum diuinū Eucharistiæ, quod præferendum est humano præcepto de non sumenda specie vini à laicis. Ministri autem sibi consulant, in quibus casibus possint præbere sacramētum Eucharistiæ sub speciebus vini.

10 Contra prædicta tamen insurgent aliqua argumenta. Primum desumitur ex illis verbis, *Ioan. 6. cap. nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitā in vobis.* Vbi necessitas vtriusque speciei aperte describitur. His verbis varias adhibent Doctores solutiones, alijs tamen prætermissis placet ea, quam probauit *Suarez loco citato.* Scilicet, illa verba sic esse intelligenda, si neque manducaueritis carnem, neque biberitis sanguinem; non habebitis vitam in vobis. Quod ex eo verum est, quia susceptio Eucharistiæ sub altera specie necessaria est ex iure diuino, & humano. Qua ratione intelligitur illud *Actorum 3. capit. argentum, & aurum non est mibi,* scilicet, neque habeo aurum, neque argentum.

11 Secundum argumentum offerunt nobis verba illa *Matth. 26. bibite ex eo omnes.* In quibus Christus omnibus fidelibus videtur imposuisse necessitatem communicandi sub specię

A bus vini. Sed respondetur, hæc verba, vt patet ex contextu Matth. dirigi ad solos Apostolos, qui tunc cum Christo cœnabant, cum hæc verba à Christo pronunciata sunt.

Tertium argumentum desumitur ex illis verbis: *Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem. Et ex illis; similiter, & calicem.* Quibus verbis iubet Christus, vt Apostoli faciant, quod ipse fecit consecrando, sumendo, & omnibus præsentibus vtraque speciem ministrando. Sed respondetur, his verbis contineri tantum præceptum de conficiendo sacrificio sub vtraque specie, quod impositum est à Christo non quidem singulis fidelibus, sed cōmunitati Ecclesiæ, & exequendum est à Sacerdotibus, qua ratione intelligit prædictū B locū *D. Bernard. serm. 3. Dominica in Ramis palmarum, & alij recentiores.* 12

Quarto contradicere nobis videntur *Ignatius epist. ad Philadelphium, & Tertul. lib. de resurrect. cap. 8.* Qui affirmant, populum bibere sanguinem, aut Sacerdotes porrigere populo calicem ad bibendum sanguinem. Sed respondetur, ex his patribus solum colligi, aliquando esse permissum populo vsum calicis, non tamen esse necessarium colligitur. Qua ratione intelligitur *Concilium Turonicum, cuius decretū refert Burcard. lib. 5. decreti cap. 9.* In quo Concilio dicitur, cap. 4. dandum esse corpus Christi intinctum sanguine ægrotis, qui vsus sublatus est à Iulio primo. 13

C Alij verò patres necessitatem calicis indicant tribuentes illi vitam spiritualem, vt *Clemens Alexand. lib. 2. pædago. cap. 2.* Et viuu ad patiendum martyrium, vt *Cypria. lib. 1. epistolarū, epist. 2. quæ nunc est 54.* Sed hi patres, licet loquantur de tempore vsus calicis, non tamē hos effectus pani consecrato denegant, ex alijs verò patribus, qui magis contra nos loqui videntur primus est *Iustinus in 2. apologia pro Christianis.* Vbi postquam locutus est de communione sub vtraque specie, subdit. *Apostoli enim in commentarijs suis, quæ Euangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse crediderunt.* Sed respondetur, Iustinum nullum aliud præceptum ibi tradidisse, nisi illud: Hoc facite in meam commemorationem, quod supra explicauimus, & *Cyprian. lib. 2. epistolarum epist. 3. alias 63.* Ait D secundum Kemnitium. *Quosdam, vel ignoranter, vel simpliciter non facere id, quod Dominus præcepit, & docuit in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando.* Sed Cypria. vt legenti patebit, non habet verba illa, & plebi ministrando. Præterea *Chrysost. homil. 18. in Epist. poster. ad Corinth.* Ait loquendo de populo antiquæ legis. *Non licebat populo, participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos, sed nunc non sic: verum omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum.* Sed respondetur Chrysostomum loqui spectato iure diuino, non humano 14

Ee 3 iure

iure enim diuino, vt supra notauimus, non est A prohibitum sub specie vini communicare. Preterea *Gelasius Papa in epistola ad Maiorem, & Ioannem Episcopos, vt refertur canone comperimus, de consecratione dist. 2.* sic inquit loquendo de speciebus huius sacramenti: *Quia diuisio vnius, & eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire*, sed respondetur cum *Vazquez loco citato capit. 6.* Pontificem loqui de Sacerdotibus nolentibus celebrare sub vtraque specie, sed sub altera tantum.

15 Ratione vero sic argumentantur hæretici, quia plus gratiæ causat vtraque species, quam vna illarum, ergo non fuit deneganda vtraque laicis, ne gratia aliqua priuarentur. Sed respondetur in primis, antecedens esse falsum, vt supra vidimus, imo etiam si verum esset, B posse iustis de causis Ecclesiam illam maiorem gratiam non necessariam ad salutem denegare. Secunda ratio contra nostram doctrinam fit, quia hoc sacramentum est institutum sub vtraque specie, ergo sub vtraque accipiendũ est, tùm quia alias non esset commemoratiuum passionis Christi. Sed ad hanc rationem respondetur, tùm hoc mysterium esse institutum sub duplici specie, plus quia sacrificium est, quam quia sacramentũ est, tùm quia hoc sacramentum in sua primaria institutione conueniens fuit ministrari sub vtraque specie, vt cum omni perfectione integrali, & essentiali institueretur, at vero nostris temporibus non est conueniens ita ministrari hoc sacramentum propter rationes adductas in tertia C conclusione. Deinde respondemus eidem argumento, hoc sacramentum desumptum à laicis sub specie tantum panis esse commemoratiuum aliqua ratione passionis Christi, quia sumitur tantum corpus exvi verborum, & non sanguis, in quo mors Christi denotatur, in qua corpus fuit separatum à sanguine. Tertia ratio fit, quia *Paulus prima ad Corinthios 10.* asserit, Patres veteris Testamenti idem manna, & eundem potum petræ degustasse, sed illud mãna, & ille potus figura erat corporis, & sanguinis Christi, ergo hoc sacramentum sub vtraque specie debet desumi. Ad hoc argumentum dicimus, debuisse Patres Antiquos degustare manna, & potum illum, vt perfecte repræsentarent hoc sacramentum etiam sub vna D tantum specie concessum, quia quælibet species extinguit spiritualiter famem, & sitim nostrarum animarum, & quia hos mirabiles effectus habet hoc sacramentum sub altera tantum specie desumptum, ideò sufficit illud ministrari laicis sub altera tantum specie.

16 Quarta ratio, contra nostram doctrinam fit, quia Christus constituit in hoc sacramento perfectum conuiuium, quod nullo modo constat sine potu, ergo necessarium est ministrare hoc sacramentum fidelibus sub specie vini, & non tantum sub specie panis. Huic tamen argumento facile satisfacimus, defendentes primo hoc sacramentum sub altera tantum specie esse conuiuium essentialiter perfectum, licet non integraliter, quia ad rationem conuiuij essentialiter sumpti sufficit potus solus, aut cibus solus. Secundo alteram speciem seorsum sumptam continere in se perfectum conuiuium ratione rei contentæ, qui est Christus, hic enim perfectè, & omnimodo reficit, & recreat animam extinguendo spiritualiter sitim, & famem eius.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm Christus in vltima cœna desumpserit suum corpus, & sanguinẽ, & illa Iudæ exhibuerit?

Circa primum, quod in hac quæstione quæritur, nulla est inter Doctores opinionum varietas. Nam *D. Thomas quæstione 81. articulo 1. in tertia parte, & D. Bonauentura in quarto dist. 9. artic. 1. quæst. 4. & Albertus eadem dist. artic. 15.* & communiter Doctores sentiunt, Christum in vltima cœna suscepisse suum corpus, & suum sanguinem sub speciebus panis, & vini. Probatur primò ex illis verbis *Lucæ 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, nam Sanctus Thomas ibidem, & Eusebius Emissenus citatus à Diuo Thoma, & Tertulianus libro quarto contra Marcionem capite quarto*, per Pascha intelligunt Pascha mixtum, id est corpus, & sanguinem Christi. Secũdò probatur *ex canone, nec Moises de consecratione dist. 2.* vbi de Christo dicitur: *Ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & quicomeditur.* Quod cùm respectu eiusdem actus videatur intelligendum, vt aliquid magnum denotetur, non respectu diuersorum, debet intelligi de cœna sacramentali, in qua Christus se ipsum sub specie panis comedit, & bibit sub specie vini, imò *Sanctus Thomas loco citato ad tertium, ait Christum seipsum sacramentaliter, & spiritualiter sumpsisse.* Non quod receperit aliquem gratiæ nouum effectum spiritualem per sacramentum, sed quia peculiari quodam gaudio hoc sacramentum sumpsit, & ita spiritualiter recepit se ipsum, *& D. Thom. 4. dist. 51. quæstione quinta articulo primo* ait, hunc versum ab antiquis factum, *Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus*, eius etiam versus meminit *tertia parte, quæst. 81. art. 1.*

Et vt optime notauit *D. Tho. in 4. dist. 11. q. 3. artic. 3.* Christus in cœna dedit corpus suum passi-

passibile, quod probat sufficienti ratione, quia eadem est substantia corporis Christi in sacramento constituta, & in propria specie existẽs. Et eadem accidentia habet vtrobique, quando ea conueniunt corpori Christi absolutè, & sine ordine ad locum, sed passibilitas est proprietas absolutè conueniens corpori Christi, vnde cum in propria specie esset tempore cœnæ passibile, etiam in sacramento passibile existebat. Vnde *cum Glossa dicit super Matthæi 17. caput* loquens de Christo: *Illud corpus quod habuit per naturam, dedit discipulis in cœna. non mortale, & corruptibile*, Respondet D. Thom. ibidem: hæc verba ita esse intelligenda, vt Christus per sacramentalem sumptionem, qua sumitur à fidelibus, & in nocte cœnæ sumebatur ab Apostolis, nec patiatur, neque moriatur, vnde consequenter defendit *D. Thom. ibidem, art. 4. quæstiuncula* 1. In eo casu, quo Christus tempore mortis maneret sub speciebus sacramentalibus in pyxide, verè de eo pronunciari ibi mori, & pati, quia mors, & passio sunt res absolutæ, & independentes à loco, vnde debent conuenire corpori, vbicunque sit.

3 In secundo vero quæstionis puncto aliqui Patres Ecclesiæ existimarunt, Iudam in nocte cœnæ non recepisse corpus, & sanguinẽ Christi. Ita *Hilarius can. 30. in Matthæũ Clemens Romanus lib. 5. constitutionum Apostolicarum, cap. 13. aliàs* 16. Probatur primò, quia *D. Ioan. 13. cap.* narrat, Christum buccellam intinctam dedisse Iudæ, & ipsum ea accepta cõtinuo exijsse, sed hæc non erat sacramentum, sed data est ante institutionem sacramenti, ergo Iudas non interfuit consecrationi, & distributioni huius sacramenti. Quod autem buccella illa non fuerit sacramentum docuerunt *Iulius Primus in epistola ad Episcopos per Ægyptum, & refertur canone, cum omne de consecratione distinctio ne secunda.* Quod autẽ data sit buccella ante institutionem Eucharistiæ, probatur primo, quia credibile est Christum corpus, & sanguinem pro fine conuiuij consecrasse, & Discipulis suis tradidisse, ergo nulla fuit buccella data post sacramentum, sed antea. Secundò probatur, quia Diuus Lucas de institutione sacramenti dicit, post quam cœnauit. Tertiò, quia verisimile est, buccellam datam esse à Christo, cum ipse dixit: *Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet, Matthæi 26. & Marci 14.* Hoc autem ante institutionem sacramenti dixit, vt patet ex his Euangelistis. Quartò probatur ex illo *Matthæi 26. Non bibam à modo de hoc genimine vitis vsque in diem illam, cum illud bibam vobiscum in Regno Patris mei.* Nam cum Iuda Christus in regno Patris sui non bibit, ergo neque in cœna. Quintò probatur, quia peccatori manifesto non debuit Christus tradere hoc sacramentum, sed Iudas ante sacramenti distributionem erat peccator manifestus, quia antea à Christo interrogauerat, *Nunquid ego sum Rabi?* & Christus annuens ei respondit, *Tu dixis*, ergo hoc sacramentum negatum fuit Iudæ.

Sit conclusio. Iudas recepit sacramentum corporis, & sanguinis Christi, licet cõcionem, quam Christus post cœnam habuit, non expectauerit. Ita sentiunt communiter sancti Patres, quos late refert, & sequitur *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 217. cap. 2. & D. Thom. 3. part. quæst. 81. art. 2. & Scholastici in 4. dist. 11.* Conclusio probatur primo, quia cum nulla ratio, seu testimonium sit, quod nos vrgeat ad contrarium asserendum, multo magis rationi conforme videtur, & ad diuinam misericordiam declarandam aptius (quæ hac via voluit demollire cor Iudæ) asserere cum plerisque Auctoribus, & Patribus, Iudam corpus, & sanguinem Christi in cœna cum alijs Apostolis recepisse. Secundò probatur, quia Iudas non ante cœnam discessit, sed cum Christo, & alijs Apostolis cœnauit cœnam agni, & corporis, ac sanguinis Christi, quod satis constat ex *Euangelio Lucæ cap. 22. vbi versiculo 14. de Christo sic dicitur, & cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & à versiculo 19. dicit D. Lucas sic, & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem, similiter & calicem post quem cœnauit dicens, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, & statim versiculo 21. sic dicitur: Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, ergo ex contextu istorum verborum apertè colligitur, *Christum hoc venerabile sacramentum Iudæ concessisse.* 4

Ex his respõdetur ad argumenta opposita, ad primum dicimus, buccellam illam non fuisse Sacramentum Eucharistiæ, neque datam esse ante institutionem Eucharistiæ, sed post. Ita *August. tractatu 62. in Ioannem, non longe à principio, Beda in illud Ioannem 13. dicit ei, Domine quis est? D. Thom. lo o citato ad tertium, & alij.* Et licet esset data antea, non tamen propterea colligeretur ita intelligi textum, vt in eodem temporis momento, & non post aliquod breue interuallum Iudas exierit, in quo potuit communicare. Ad ea vero argumenta, quibus probatur, buccellam datam esse ante Eucharistiam respondetur. Ad primum etiam esse probabile, vt supra vidimus quæstione septima, Christum hoc sacramentum in principio cœnæ vsualis instituisse cœpta cœna. Ad secundum respondetur, illa verba, postquam cœnauit, posse intelligi de cœna legali. Ad tertium respondetur, quod licet Christus, cum porrexit buccellam, dixerit, qui intingit mecum manum in parapside, & licet hæc ante sacramenti institutionem accidissent, non tamen sequitur, Iudam non recepisse sacramentum, 5 6

tum, quia erat peccator publicus, ex illo enim signo, qui intingit, &c. Non erat peccator publicus, quia signum erat commune multis, qui tunc intingebant, signum vero illud particulare peccati Iudæ dato à Christo, ibi, cui intinctum panem porrexero, soli Ioanni supra pectus Christi recumbenti dictum est secreto, vt omnes exponũt, poterat autem Christus, quia erat Dominus famæ, vt Deus, peccatum Iudæ, cui volebat manifestare. Ad quartum respondetur cum *Suarez 3. tomo in 3. part. disp.* 41. *sect.* 3. ad veritatem illorum verborum, non bibam à modo, &c. sufficere, vt de omnibus illis, cum quibus Christus cœnauerat, excepto Iuda, verificetur. Ad quintum respondetur, Iudam ante institutionem Eucharistiæ non fuisse peccatorem publicum, quia illud verbum Christi tu dixisti, iuxta morem loquendi Hebraicum non est affirmantis, sed suspendentis assensum, vt docet *Augustin. lib. 3. de consensu Euangelistarum, capit. 1, & Clemens lib. 5. constitut. capit.* 15. tum etiam, vt optime aduertit *Vazquez loco citato cap.* 3. Christus, quia erat Dominus omnium, & Auctor gratiæ, poterat sacramentum dare Iudæ peccatori publico ad eius animũ emolliendum hoc tãto beneficio, licet sciret non esse emolliendum, quod nobis imitari non liceret.



TRACTA-

TRACTATVS TERTIVS DE MINISTRO EVCHARISTIAE.

QVAESTIO PRIMA.

Quis sit minister necessarius consecrationis huius Sacramenti?



1 VVICLEFVS de ministro huius sacramēti consecrationis dubitare cœpit, vt refert *Vvaldēs. tom. 2. qui est de sacramentis c. 28. in principio, & Luthe. li. de captiuit. Babylon. c. de ordine.* Dicit quēlibet Christianum ex solo baptismo absque alia ordinatione posse Eucharistiam consecrare, quamuis extra tēpus necessitatis nullus hoc munus propria voluntate assumere possit, nisi rectè, & legitime vocatus & ad id destinatus, vt confusio euitetur.

2 Sit conclusio de fide. Ordinationem Sacerdotis, in qua imprimitur character, & peculiaris potestas confertur, ita necessariò requiri ad conficiendū hoc sacramētū, vt in nullo casu ab alio valide confici possit. Probatur primò ex illis verbis *Luc. 22. Hoc facite in meam cōmemorationem*, quæ verba Christus ad solos eos, quos Sacerdotes efficiebat, referuntur, & cum dicta sint postquā Christus consecrauit, & cum non significent solum, vt patet, manducate, & bibite, sicut ego manducaui, & bibi, sed etiam, consecrate, sumite, & date alijs, sicut ego feci, sequitur, peculiarem potestatem eis dedisse. Secundo probatur hæc conclusio antiqua Ecclesiæ definitione, supponitur enim in *Conc. Niceno 1. can. 14.* & aperte definitur *in Lateranēs. sub Innocent. III c. 1.* & etiam in decreto fidei *Eugenij in Conc. Florent. post vlt. Sess. 9. tertium est & in Concil: Trident. Sess. 23. cap. 1. & Sess. 22. cap. 1.* Definitur, Apostolos à Christo verbis illis. hoc facite, &c. cōstitutos fuisse Sacerdotes. Tertiò probatur antiqua Patrū traditione, & doctrina, quos refert *Bellarmin. 2. tom. lib. 4. de Eucharistia, capit. 16. & Vazquez dicto 3. tomo disp. 218. capit. 1.*

QVAESTIO. II.

An Sacerdos conficiens hoc sacramentū debeat illud sumere sub vtraque specie, & sub vtraque consecrare?

SIT prima conclusio. Sacerdos, dum conficit hoc sacramētum in sacrificio Missæ, debet sumere vtranque speciē panis, & vini, & hoc iuxta iūs diuinum connaturale sacrificio Missæ. Hæc conclusio communis est inter omnes Doctores, quam eleganter nobis explicuit *D. Tho. 3. p. q. 82. a. 4. in corpore*, & ipsum sequuntur communiter Thomistæ. Probatur primò ex *cap. relatum. de consecrat. dist. 2.* vbi hæc verba continentur: *Modis omnibus tenendū est, vt quotiescunque sacrificans corpus Christi, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis, & sanguinis Christi participem se præbeat.* Et idem habetur *in cap. comperimus. eadem distinctione*, vbi dicitur: *Non posse Sacerdotem sumere vnam speciem sine alia, sine grandi sacrilegio.* Secundò probatur ex illis verbis *Pauli 1. Corint. 10. Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Vbi aperte significat, Sacerdotē debere participare ex vtraque specie, quam consecrat, quia ex vtraq; cōficitur vna hostia, & vnū sacrificiū, quod Deo Patri offertur. Tertiò probatur ratione, quia Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium, quicunque autem sacrificiū offert, debet sacrificij fieri particeps. Per hoc autem, quod participat sacrificium, ostendit, ad se sacrificium interius pertinere. Dicitur enim in eodem *capit. relatum, quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dig-*

nesciunt? Sed Sacerdos in altari offert sacrificium perfectum ex vtraque specie, ergo debet illud sumere sub vtraque specie.

2 Secunda conclusio. Ex præcepto non solù Ecclesiastico, sed etiam diuino tenetur Sacerdos conficere Eucharistiam in vtraque specie. Probatur conclusio primo, ex illis verbis *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem,* Quæ verba, quia Christus pronunciauit, post quam ipse consecrauit sub vtraque specie, ideò in illis præcepit, similiter consecrare sub vtraque specie. Secundò probatur *ex Concilio Tridentino Sessione 22. capit. 1.* Tertiò probatur *ex canone nihil 7. quæst. 1.* vbi hæc veritas aperte supponitur his verbis: *Censuimus igitur conuenire debere, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis accedat cuiuslibet euentus, quo cæptum nequeat consecrationis explere mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exequi cæpti officij.* Vbi verbum illud mysteria denotat vtranque speciem panis, & vini.

3 Tertia conclusio. (Licet in hac re sint diuersæ sententiæ, quas refert *Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 10. puncto 4.*) in nullo casu etiam per auctoritatem Summi Pontificis conficere Eucharistiam potest Sacerdos sub vnica tantum specie. Ita sentiunt *D. Thom. quæst. 80. art. 12. Caietan. ibidem, Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 6.* Probatur primo conclusio, quia *in can. comperimus, & in canone relatum de consecratione dist. 2.* Affirmatur, esse necessariũ Eucharistiam sumi à Sacerdote celebrante sub vtraque specie, quia sumptio pertinet ad perfectionem Eucharistiæ, sed plus pertinet ad perfectionem Eucharistiæ confectio Eucharistiæ, quam sumptio, ergo necessarium est, conficere Eucharistiam sub vtraque specie. Secundò probatur, quia Christus instituit Eucharistiam sub vtraque specie, & ea ratione eam cõfici iussit, vt in hac quæstione vidimus, & alias Eucharistia non est medium necessarium ad salutem, ergo propter nullam causam, potest cõfici sub altera tantũ specie. Quãdo enim nõ potest consecrari Eucharistia nisi sub vnica tãtum specie, omittendum est sacrificium Missæ, tunc enim neque obligat præceptum consecrandi, neque præceptum sumendi eam. Vltimò probatur à priori, quia id quod natura sua, & intrinsecè malum est, non licet fieri, vt quia mẽtiri hac ratione est malum, nunquam est licitũ, sed quod Sacerdos vnam tantùm speciem consecret, natura sua, & intrinsecè malum est, supposita institutione facta à Christo huius sacramenti, ergo nunquam potest esse licitum, minor probatur, scilicet talem consecrationem esse natura sua prauam supposita institutione, nam ex se deforme est conficere rem aliquam sine ea perfectione, quæ ei conuenit natura sua, sicut deforme est, produci hominem

A priuatum manibus, vel pedibus, sed Eucharistia taliter instituta est, quod non possit confici nisi per modum sacrificij, de cuius essentia est vtraque species separatim consecrata, quia de sua essentia tale sacrificium est expresse cõmemoratiuum sacrificij cruenti Crucis, in quo corpus Christi separatum fuit à sanguine, ergo deforme est, & natura sua prauum conficere Eucharistiam sub altera tantum specie, quia sic non fit expressa commemoratio passionis Christi, quare in nullo casu necessitatis etiam per auctoritatem Summi Pontificis id potest fieri.

QVAESTIO. III.

B

Vtrùm plures Sacerdotes possint hoc sacramentum conficere?

CERTVM est, id quod disputat *D. Tho.* 1
3. part. quæst. 82. art. 2. licitum esse plures Sacerdotes simul idem sacramentum conficere Eucharistiæ, quod patet ex vniuersali vsu Ecclesiæ Romanæ, & ex Pontificali, secundùm quæ sacerdotibus recenter ordinatis præcipitur, simul cum Episcopo ordinante proferre verba consecrationis super eandem hostiam, & hoc cauetur à tempore *Innocentij Octaui.* Et patet etiam ex eo, quod Episcopus consecratus simul cum Episcopis C consecrantibus consecrat, & in Ecclesia Græca Episcopus consecrat cum Sacerdote sibi assistente. Difficultas vero est, qua ratione hoc possit licere, præsertim cum plurimi Sacerdotes recenter ordinati cum Episcopo ordinante consecrant, nam tunc necessariò vnus prius, quam alius verba profert, & cõsecrabit, & tunc alij proferent verba super materiam cõsecratam, quod magnum inconueniens videtur, vel continget Episcopum, qui est præcipuus celebrans, posterius verba proferre consecrationis, & nihil efficere.

Durandus 4. dist. 13. quæst. 3. num. 10. Hanc 2
consuetudinem improbat, sed propter hoc notam temeritatis meretur, quia morem inuiolabilem totius Ecclesiæ Græcæ, & Romanæ D reprehendit.

Doctores diuisi sunt inter se in defendenda 3
hac consuetudine, & eius varias reddunt rationes, quas refert, & refutat *Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 218. cap. 3.*

Pro vera ratione reddenda notandum est, 4
eum plures eandem hostiam consecrant, non concurrere eos, tanquam duas causas partiales, ita vt vnus adhibeat materiam, & alius formã, vel vnus concurrat concursu aliquo imperfecto, & partiali, & alius concurrat cum alio concursu simili, ex quibus fiat vnus concursus per

fectus,

fectus,& totalis,sed eos concurrere omnes tanquam causas totales, ita vt quilibet applicet materiam,& formam sufficientem,& concursum integrum,& perfectum, & intēdat per se ipsum consecrare sine dependentia ab alio Sacerdote, vnde quilibet Sacerdos consecrans cum Episcopo ordines celebrante (& eadem est ratio in alijs casibus) debet proferre verba cōsecrationis cum intentione sufficienti ad cōsecrandum, quod patet primo ex ea intentione, quam communiter habent Sacerdotes in eo casu. Secundo probatur, quia in Missali Romano nouo præcipitur Episcopo, vt morose proferat verba consecrationis ita, vt omnes Sacerdotes recenter ordinati possint simul cū illo eadem verba proferre, hæc autem morosa prolatio impertinens esset, si Sacerdotes, vel non intenderent consecrare, tunc enim simultas non requireretur, vel si tantū intenderent consecrare tanquam causæ partiales simul cum Episcopo, & vt adiuti ab illo, quia tunc non esset ita præcise necessarium, Sacerdotes simul cum Episcopo consecrantes proferre verba consecrationis; præterea omnes prædicti Sacerdotes debent habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel expresse, vel virtualiter, quia hoc generaliter requiritur ad sacramenta conficienda, tandem curare debent Sacerdotes, ne ipsi prius data opera proferant verba consecrationis, quam Episcopus, indecens enim videtur, vt data opera prius hostia consecretur ab alio, quam ab Episcopo, quod si adhibita sufficienti diligentia casu aliquo cōtingat, aliquē ex Sacerdotibus ordinatis prius proferre verba consecrationis, quam Episcopum ordinantem, nihil inde resultabit contra debitam reuerentiam sacramento.

4 Sit conclusio. Licite plures Sacerdotes ordinati consecrant eandem hostiam simul cum Episcopo ordinante. Probatur vnica ratione, quam indicauit *D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 2.* quia cum non parum conueniat institutioni huius sacramenti (in cuius tempore Christus cum Apostolis cœnauit, & præcepit, vt conficerent hoc sacramentum in sui memoriam) vt simul plures Sacerdotes consecrent eandem hostiam, sicut tempore institutionis omnes Apostoli ex eisdem cibis in cœna legali, & vsuali comederunt, nulla huic sacramento infertur iniuria per hoc, quod simul plures Sacerdotes proferant verba consecrationis simul cum Episcopo, etiam cum eo periculo, vt quis illorū prius absoluat consecrationem, quam alius, dū modo id de industria, vel ex magna negligentia non contingat. Conueniens autem fuit, ne Apostoli simul consecrarent cum Christo, quādo ipse hoc sacramentum instituit, vt ea ratione solus Christus ostenderetur auctor huius sacramenti.

5 Scio quosdam recentiores sensisse, Ecclesiā habuisse specialem dispensationem à Deo cōcessam ad hunc modum consecrandi, sed de ea nobis non constat, neque est necessaria, cum propter rationem supra allatam licita sit huiusmodi consecratio.

Verumtamē vt in prædicto casu Episcopus, & Sacerdotes recenter ordinati sacrilegii crimen euadant, quod possent committere, si verba consecrationis proferrent cum intentione consecrandi supra hostiam consecratam, omnes debent habēre intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, scilicet, intentionem quandam conditionatam, ita vt si aliquis prius proferat verba consecrationis, quam alii, habeat intentionem consecrandi, si vero postea proferat illa, non habeat intentionem consecrandi, sed tantum proferendi verba instructionis, & cæremoniæ causa. Vnde monendi sunt, qui presbyteratus ordinem suscipiunt, de hac intentione conditionali, & ne finiant verba antequam Episcopus, qui est principalis offerens. 6

Contra hoc est argumentum, quia Sacerdos consecrans ex iure diuino tenetur communicare sub vtraque specie, sed isti Sacerdotes recenter ordinati non ita communicant, ergo nō consecrant. Respondetur Sacerdotes præcipue celebrantes teneri hoc modo communicare, non alios concelebrantes. 7

QVÆSTIO IIII.

Quis possit hoc Sacramentum fidelibus ministrare?

PRO quæstionis intelligentia notandū est, potestatem aliquam, seu ministeriū aliquod dupliciter posse cōuenire personæ, & iure ordinario, & iure delegato, iure conuenit ordinario, quando conuenit ratione officij, seu dignitatis, & non ex speciali licentia, vel commissione. Iure vero delegato conuenit, quando non conuenit ratione officij, sed ex aliqua speciali concessione. 1

Sit prima cōclusio indubitata apud Catholicos. Ministri ordinarij ad hoc sacramentum ministrandum sunt Sacerdotes. Optimæ rationes ad hanc conclusionem confirmandam desumi possunt ex *D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 3.* Prima sit, quia Sacerdos gerit personā Christi, vnde sicut Christus consecrauit, & alijs species consecratas tribuit, ita etiam Sacerdos, qui conficit Eucharistiam, debet illam ministrare fidelibus. Secunda ratio sit, quia Sacerdos mediat inter Deum, & populum, ergo sicut ad eum pertinet offerre Deo dona oblata à populo, ita ad eum pertinet dona sanctificata à Deo populo tradere. 2

Secunda conclusio. Dispensatio Eucharistiæ 3

stiæ non conuenit diaconis ex potestate ordinaria, A sed ex commissione, & potestate delegata, non solum quod attinet ad dispensationem corporis, sed etiam ad dipenstionem sanguinis Christi, & hoc tam in articulo mortis, quam extra eum articulum. Probatur conclusio primo quantum ad dispensationem huius sacramenti absolute sumpti, *Ex Clemēte Romano lib.8. constitutionum Apostolicarū, cap.28. alias 34.* vbi de Diacono miuistrante Eucharistiam sic loquitur, *ipse diaconus dat populo non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat presbyteris.* Secundo probatur quantum ad dispensationem sanguinis ex quarto responsorio festi sancti Laurētij, qui fuit diaconus, & ex illis verbis, *experire certe, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* B Tertio probatur quantum ad dispensationem corporis Christi, ex *Concilio 4. Carthaginensi can. 38.* in illis verbis, *vt diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget,* In quibus testimonijs ad corroborandam istam conclusionem pōderanda sunt quædam verba; in testimonio enim Clementis perpendeuda sunt illa verba, qui ministrat presbyteris. In secundo testimonio desumpto ex dicto responsorio perpendēdum est illud verbum, cōmisisti: in Concilio vero Carthaginensi perpendendum est illud verbum, iussus: hæc enim omnia aperte demōstrant posse Diaconos ex commissione sacramentum hoc ministrare & non iure proprio.

4 Notanda tamen est doctrina *Diui Thomæ 3. p. quæst. 82. art. 3. & Durandi in 4. distinct. 13. q. 4. num 6 & 7.* C Asserentium, dispensatioue sanguinis communiter committi posse diaconis, dispensationem vero corporis non nisi cogente necessitate. Rationem reddit *D. Thom. loco citato ad primum*, quia scilicet, qui dispensat corpus, illud tangit, vnde non debet concedi licētia dispensandi corpus Christi ei, qui non est Sacerdos, nisi vrgente necessitate. Qui vero dispensat sanguinem, non tangit illum, quia in vase dispensatur: quare facilius potest concedi licentia ad ministrandum sanguinem, quam ad dispēsandum corpus Christi, quæ doctrina vera est, si illa tempora comprehendamus, in qui D bus licitum erat populo, recipere sanguinem Christi: nostris enim temporibus id minime licet Quod si *Iustinus in secunda Apologia pro Christianis ad Antonin. Pium* oppositum videtur indicare, scilicet, etiam extra tempus necessitatis licitum esse diaconis, ministrare populo corpus Christi, hoc ex eo prouenit, quia tempore Iustini vtriusque speciei sacramentalis dispensatio etiam extra casum necessitatis populi concessa erat ab Ecclesia Diacono. Quæ tamen licentia quantum ad dispensationē corporis Christi sublata est per Concilium Carthag. loco supra citato.

Si autem se offerat casus extremæ necessita 5
tis communicandi, & tamen non adsit presbyter, vel alius superior, qui possit dare facultatem dispensandi hoc sacramentum, poterit diaconus, sacramentum corporis Christi dispensare ægroto. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. Syluester verbo, Diaconus, q. 2. dicto. 2.* Probatur, quia hoc munus ex voluntate vniuersalis Ecclesiæ commissum est diacono in casu extremæ necessitatis, vt patet *ex can. 14. Concilij Niceni I.* Nam si ibi conceditur diacono, vt absente Episcopo, & presbytero ipse per se proferat hoc sacramentum ex sacrario, & illud edat extra casum extremæ necessitatis, multo magis intelligitur concessum eidem diacono, vt alijs hoc sacramentum dispenset, cum illi sunt constituti in articulo mortis. Imo si talis articulus vrgeat, & Episcopus, vel presbyter, qui ad sunt, ex manifesta malitia neque velint ministrare sacramentum hoc, neque concedere facultatem diacono illud ministrandi, tunc diaconus propter rationem proxime allatam potest optime Eucharistiam dispensare cum facultate concessa in dicto *Concilio Niceno.* Dixi quando malitia est manifesta, tunc posse diaconum dispensare Eucharistiam, quia in dubio an licite Episcopus, vel presbyter denegent Eucharistiam alicui, præsumendum est in fauorem eorum, talem denegationem licitam esse.

Imò si diaconus sacramentum Eucharistiæ 6
alicui presbytero in casu necessitatis dispensaret, posset illud proprijs manibus in os presbyteri immittere, quia in casu necessitatis (quo nomine comprehendimus eum casum, in quo, desit presbyter, qui possit dispensare Eucharistiam, & adsit ægrotus, qui ratione articuli mortis tenetur Eucharistiam recipere) absolutè conceditur diacono dispēsatio Eucharistiæ, & ex vi suæ ordinationis aliquid habet, quo redditur capax huius potestatis delegatæ, ergò suis proprijs manibus potest sacramentum in os presbyteri immittere.

Tertia conclusio. In casu extremæ necessi- 7
tatis non potest Subdiaconus dispensare hoc sacramentum sibi, vel alijs (quamuis hoc iure diuino non sit prohibitum, quin potius olim consuetudine fuerit receptum.) Ita sentiunt *Sotus in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. Ledesma in 4. 1. part. quæst. 23. art. 3.* Probatur primò *ex can. citato in secunda conclusione Concilij Carthagin.* vbi cum solum in casu necessitatis concedatur facultas ministrandi sacramentum Diacono, expresse videtur, etiam in casu necessitatis denegatam fuisse facultatem Subdiaconis, & alijs inferioribus ministrandi hoc sacramentū alijs. Huius autem conclusionis ea ratio est, quia cū hoc sacramentum non sit medium necessarium
ad salutem, potius seruandum est ius humanū 8
con-

constituens ministrum legitimum huius sacramenti, quam ministrandum illud in articulo mortis ad augendam gratiam ægroti, quia præceptum diuinum Eucharistiæ in eo casu non obligat. Quod ex eo apparet satis esse probabile, quia alias, ne ægrotus isto argumento gratiæ priuaretur, & vt impleret præceptum Eucharistiæ, posset Sacerdos sine veste sacra, & extra officium Missæ Sacramentum Eucharistiæ conficere, quia hæc tantum sunt constituta de iure humano, quod nullus audebit affirmare. Aliqui recentiores aduersantur huic cõclusioni, & opponunt nobis Reginam Scotiæ, quæ cum ad martyrium duceretur, Eucharistiam, quam seruauerat, deuote sumpsit. Verum tamen propter hæc nostram resolutionem deserere non debemus, huiusmodi enim Regina potuit sibi Eucharistiam dispensare, vel bona fide credens id sibi licere, vel media dispensatione ad id concessa à Summo Pontifice.

8 Quarta conclusio. Vt licite aliquis possit dispensare Eucharistiam, præter ordinem sacrum presbyteratus requiritur aliqua iurisdictio, vel ordinaria, qualis reperitur in pastoribus Ecclesiæ, qui sunt Papa, Episcopi, & Parrochi: vel iurisdictio delegata ab eis. Hoc probatur primò *ex Concilio Carthaginensi 1. cap. 7.* vbi statuitur, vt nullus Clericus, vel laicus in aliena parrochia sine literis sui Episcopi Eucharistiam sumat, *& in Concilio Milenitano, canone 18.* priuatur communione, qui non in propria Prouincia, sed in aliena communicat. Secundò probatur, quia ad officium pastoris pertinet, oues suas pascere cibo salutari, & conuenienti, ergo soli pastores Ecclesiæ possunt iure ordinario oues suas, qui sunt sui subditi, doctrina, & sacramentis pascere. Ad dispensandum vero hoc sacramentum licite, sufficit probabilis spes futuræ ratihabitionis, vt quod pro prius Sacerdos approbabit factum, quæ ratihabitio ex familiaritate, & ex alijs circunstantijs colligi potest. Hanc vero ratihabitionem sufficere patet, quia quamuis administratio Eucharistiæ sit actus eius, qui iurisdictione pollet, ipsa tamen non est actus iurisdictionis, quia non includit hoc, quod est, ius, aut sententiam dicere, quod est actus iurisdictionis, ergo non requirit actu iurisdictionem in eo, qui dispensat Eucharistiam, sed sufficit spes futuræ ratihabitionis.

9 Licet quidam recentiores oppositum defendant, verius tamen videtur, Sacerdotem habentem facultatem ad conferendum Sacramētum Pœnitentiæ, non habère eo ipso facultatem ministrandi Eucharistiam. Tùm, quia istæ sunt diuersæ facultates, quarum vna non continet alteram, tùm quia in Paschate quilibet Sacerdos approbatus potest audire confessiones, non tamen potest ministrare Eucharistiam dissentiente parrocho. Qui vero semel sumpsisset Eucharistiam tempore Paschatis, posset eodem tempore recipiens iterum Eucharistiā causa deuotionis, illam recipere à quolibet Sacerdote ex quadam ratihabitione, quæ facile tunc potest concipi, quia ei communioni communiter non contradicunt proprij pastores, sicut illi, quæ fit ad implēdum præceptum Paschatis, est etiam quia illa verba, in quibus communio Paschatis reseruatur proprio Sacerdoti, intelliguntur sine dubio de communione, quæ contingit ad implendum præceptū Paschatis, alias rigor in se viderentur continere.

Circa quod punctum adimpletionis præcepti Paschatis probabile iudico cum *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 72. sectione* 2. Fidelem, qui non potest tempore Paschatis ratione peregrinationis suscipere Eucharistiam de manu sui pastoris, posse extra suam parrochiā eam suscipere ab his, qui habent potestatem in eo loco, vbi commoratur, ministrādi Eucharistiam. Per illam tamen communionem non implet præceptum Ecclesiæ communicandi semel in anno, sed tenetur postea cum ad patriam redierint, à proprio pastore suscipere Eucharistiā. Primum patet, quia ad hoc se videtur extendere ratihabito proprij pastoris. Secundum patet, quia præceptum communicandi in Paschate propter suam nimiam excellentiam stricti iuris est. Neque obstat aliter contingere in præcepto annuæ confessionis, nam peregrini satisfaciunt huic præcepto, cum confitentur alieno Sacerdoti in eo loco, vbi sunt tempore, quo obligat præceptum confessionis: quia cum præceptum confessionis magis sit necessarium, quam sacramentum Eucharistiæ, & minus excellens, & difficilius ad recipiendum, diuina misericordia ampliorem ad illud, quam ad præceptum Eucharistiæ concessit facultatem. Quamuis vt verum fatear, probabilius iudicem, etiam peregrinum satisfacere præcepto communionis Paschalis, dum tempore Paschatis recipit Eucharistiam in aliena parrochia, vbi commoratur, quia tunc credendum est, proprium pastorem ratam habere eam communionem in ordine ad implendum præceptum, ne rigorose videatur procedere cum peregrino obligando eum ad nouā communionem. Quemadmodum certum existimo, Scholasticos, litigatores, & mercatores, qui diu alicubi commorantur, satisfacere præcepto annuę communionis, si in ea parrochia, vbi commorantur tempore Paschatis, Eucharistiam suscipiant, quia tunc sufficienter præsumitur licentia propriorum pastorum.

Verum etiam quantum ad hoc existimo doctrinā *Enriq. in Sum. lib. 8. de Eucharistia, cap. 55. num. 2.* asserentis Sacerdotes satis implere præceptum communionis Paschalis, etiamsi eo tempore celebrent extra parrochiam. Patet, quia consuetudo id obtinuit, cum autem more laico com-

communicarent, deberent in propria parrochia communicare.

12 Quæres tamen primò, an Sacerdos proprius Missam celebrans, & non habens nisi vnicam tantum hostiam à se cõsecratam in eo die, quo finitur præceptum Eucharistiæ, & quo non restat alia via implendi illud, possit partem illius hostiæ dispensare subdito suo desideranti implere præceptum Eucharistiæ? Huius difficultatis occasione respondetur primo, cum Sacerdote celebrante in prædicto casu se offerat necessitas alicui recipiendi Eucharistiam in articulo mortis, posse eum præbere partem illius hostiæ. Ita sentit *D. Thom. in 4. dist.* 17. & hoc ita necessariò præstandum esse docet *Sylvester in Summa Eucharistia, secundo, num.* 17. Secundò respondetur, posse etiam Sacerdotem præbere partem suæ hostiæ ei, qui extra articulum mortis petit Eucharistiam aut cũ magna aliqua deuotione, aut ratione adimplendi præceptum Eucharistiæ, vel ex aliqua alia rationabili causa, quia in hoc nullum apparet inconueniens.

13 Secundò quæres, an aliqua pœna sit imposita contra eos Sacerdotes, qui sine licentia proprij pastoris Eucharistiam ministrant? Respondetur, nullam pœnam excommunicationis, vel alterius censuræ, vel irregularitatis esse impositam à iure generaliter contra omnes Sacerdotes, sed tantum contra Religiosos Sacerdotes imponitur pœna excommunicationis *in Clementina Religiosi, de priuilegijs.* Si sine licentia speciali parrochi hoc sacramentum laicis ministrent, quæ pœna non ligat Sacerdotes seculares, quia isti non contendebant ex vi alicuius exemptionis, se posse dare Eucharistiam laicis sine licentia parrochorũ: sicut religiosi contendebant. Quæ Clemẽtina sic est intelligẽda iuxta *Caiet. in Sum. verbo, excommunicatio*, c. 46. & *Vazquez* 3. *tomo in* 3. *part. disp.* a 19. Nam nomine presbyteri parrochialis intelliguntur Papa, Episcopi, & parrochi etiam nondum ordinati & eorum vicarij. Secundò, hæc pœna non incurritur, cum hoc sacramentum ministratur ex ignorantia, vel voluntate præsumpta parrochi, vt patet ex illo verbo, præsumpserit, incurritur tamen per collationem Eucharistiæ etiam in casu necessitatis sine licentia parrochi, quando ille adest. Tertiò intelligenda est talis Clementina de Religiosis, qui ministrant hoc sacramentum laicis, non vero alijs religiosis, etiamsi eam ministrent sine licentia superiorum, qui præsunt religiosis suscipientibus Eucharistiam. Quartò, vt optimè perpendit *Vazquez loco citato cap.* 3. vt religiosi liberentur ab hac excommunicatione contrahenda sufficit licentia generalis eis concessa circa personas, vel circa sacramenta, tunc enim generaliter concessa licentia comprehendit hoc sacramentum.

A Sed nihilominus fratribus Minoribus per *Nicolaum Quintum, & Sixtum Quartum, vt refertur in monumentis Minorum fol.* 114. *concessione* 149. & 150. *in illo supplemento fol.* 58. *concessione* 160. & *Societati Iesu per Paulum Tertium, vt refertur in compendio priuilegiorum huius religionis, verbo Eucharistia* §. 2. Et omnibus, quibus communicantur priuilegia Societatis, & Mendicantium, conceditur vt sine parrochorum licentia possint omnibus fidelibus quouis anni tempore Eucharistiam ministrare, præterquã in festo Paschæ Resurrectionis, vbi per festum Paschæ, vel per diem Paschæ iuxta supra dicta intelligitur totum tempus à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiue. Quo tẽpore debẽt fideles recipere Eucharistiã à proprio parrocho, Imò quouis anni tẽpore debẽt eã recipere à proprio parrocho, cũ eã recipiũt per modũ viatici, quia tũc cõueniẽs est, ouem à proprio pastore cognosci, & salutari cibo recreari. Vnde *Paulus Tertius in dicto priuilegio Societatis Iesu*, communionem per modum viatici excepit, tempore tamen articuli mortis absente parrocho possunt religiosi laicis præbere Eucharistiam sine eo, quod postea adueniente parrocho, iterum debeant illã recipere, quia in eo articulo concessa esse videtur facultas absolutè ab Ecclesia propter instantem necessitatem, communiter tamen vsu video esse receptum extra Pascha, & articulũ mortis à quolibet Sacerdote Eucharistiam recipere, quia proprij Sacerdotes in hoc videntur consentire, quare priuilegium Societatis proderit etiam proprio renuente Sacerdote, in quo casu alij non gaudentes priuilegio non possunt Eucharistiam ministrare. 14

Quæres tertiò, cur religiosi ex vi suorum priuilegiorum, & alij Sacerdotes non proprij ex vi Bullæ Cruciatæ possint audire fidelium confessiones in articulo mortis præsente parrocho, & non possint ministrare Eucharistiam eodem modo. Respondetur huius diuersitatis eam posse assignari rationem, quia sacramentum confessionis plus necessarium est, quam Eucharistia, & plus habet oneris in receptione. Vnde amplior conceditur facultas ad ministrandum illud, quam ad ministrandam Eucharistiam. 15

D Similiter laicis ex aliquibus priuilegijs cõceditur facultas, vt possint à quouis Sacerdote sine licentia parrochorum Eucharistiam recipere. Et quidem per bullam Cruciatæ *Suarez* 3. *tom. in* 3. *part. disp.* 72. *sect.* 2. defendit hanc facultatem non concedi. Cuius Doctoris fundamenta ex dicendis facile soluuntur, probabilius tamen videtur cum alijs recentioribus, talem facultatem in Bulla Cruciatæ concedi, & extendi ad quodlibet tempus, præter quam in tempore Paschatis. Probatur primo, ex illis verbis Bullæ quæ Hispano sermone sic se habent 16

habent. *Y tiene bir* (supple) *puedan el Sacramento dela Eucharistia, y los de mas sacramentos, saluo en el dia de la Pasqua : aunque sea tiempo de entredicho.* Secundo probatur ex illis verbis : præter quam in die Paschatis. Nam si solum concederetur facultas recipiendi Eucharistiam tempore interdicti ab eo solum, à quo de iure aliàs extra tempus interdicti recipi poterat, non fieret exceptio diei Paschatis, quia esset rigorosa quædam sententia, cum præsertim tunc præcipiatur à iure auferri interdictum, quia potius in eo die contra sententiam interdicti deberet concedi dicta facultas: non enim tedendum est, concedere Pontificem hanc facultatem pro alio tempore, in quo non obligat præceptum annuæ Eucharistiæ, & pro tempore Paschatis, quo illud obligat, eam denegare. Per diem autem Paschæ in bulla contentum intelliguntur quindecim dies prædicti. Quibus diebus non satisfaciet quis præcepto annuæ Eucharistiæ, nisi eam recipiat à proprio Sacerdote.

17 Aduertendum tamen maxime est, non requiri alicubi approbationem aliquam ordinarij ad ministrandum hoc sacramentum, sicut requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, neque etiam ea requiritur ad alia sacramenta ministranda ex iure aliquo, aut consuetudine. Cuius differentiæ ea potissima ratio se offert, quia collatio sacramenti pœnitentiæ cum plurimas patiatur difficultates maiorem sufficientiam requirit in ministro, quam collatio reliquorum sacramentorum, etiam si ea conferantur solemniter. Etiam si huic resolutioni contradicat, *Vazquez loco citato, cap. 5. in fine.*

18 Quæres vltimo in hac quæstione, an parrochus teneatur sacramentum Eucharistiæ ministrare suis subditis, non solum eo tempore, quo obligat præceptum Eucharistiæ, sed etiam alijs temporibus, in quibus solius deuotionis gratia rationabiliter, & opportune subditi petunt Eucharistiam? Respondetur, parrochum in his omnibus temporibus debere Eucharistiam ministrare. Ita docet cum alijs Doctoribus *Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 72. sect. 3.* Fundamentum huius doctrinæ illud est, quia parrochus non tantum tenetur adiuuare suos subditos ad ea præstanda, quæ necessaria sunt ad præceptorum impletionem, sed etiam ad ea, quæ sunt valde vtilia saluti, inter quæ principem locum obtinet huius sacramenti digna susceptio: quemadmodum pastor non solum tenetur ministrare cibum necessarium ad vitæ sustentationem suis ouibus, sed etiam eum, qui conueniens est ad hoc, vt illæ pinguiores fiant.

(∴)

A

QVÆSTIO. Vltima.

De alijs pertinentibus ad Sacerdotem in ordine ad hoc sacramentum.

VT aliquæ difficultates soluantur, quæ hic sese possunt offerre, videatur noster tractatus de sacramentis in genere.

Sit prima conclusio. Etiam si Sacerdos prauus sit, valide consecrat Eucharistiam. Ita docuit *D. Thom. 3. p. q. 82. art. 5.* Probatur ratione Diui Thomæ ibidem, quia Sacerdos conficit hoc sacramentum vt minister Christi, ex eo autem, quod sit prauus, non desinit esse minister Christi, ergo non amittit potestatem consecrandi. 1

B

Secunda conclusio. Sacerdos, vel laicus etiam si contingant hoc sacramentum, non delinquunt lethaliter, etiam si in statu peccati mortalis illud contingant. Ita sentit *Sotus in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. §. appendit autem* (Licet alij sentiant oppositum) probatur, quia nulla ratio, aut ius contrarium nos docent: peccatum tamen veniale committeret, qui in eo prauo statu absque necessitate sacramentum contingeret, si verò necessitas occurreret, nullum in eo contactu reperiretur peccatum, & de prædicto peccato veniali intelligi potest *D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 4. ad primum.* Dum defendit, peccatores repelli à contactu huius sacramenti. 2

C

Tertia conclusio. Hæretici, & schismatici, & excommunicati possunt valide consecrare. Ita docuit *D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 7.* Probatur, quia isti non amittunt characterem Sacerdotalem, in quo nititur potestas consecrandi. Ergò si de facto intendant consecrare, veram efficiunt consecrationem: & eadem est ratio de Sacerdote deposito, aut degradato, licet hi peccatum mortale committant, dum consecrant, quia eis vsus consecrandi prorsus est prohibitus ab Ecclesia. 3

D

Quarta conclusio. Ab excōmunicatis, Hæreticis, & schismaticis non licet communionem accipere, à peccatoribus autem licet. Ita docuit *D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 9. in corpor.* Cuius ratio est, quia alij peccatores non sunt per sententiam Ecclesiæ priuati exercitio ordinum, excommunicati verò, Hæretici, & schismatici sunt à tali exercitio suspensi. 4

Ad plenam huius conclusionis intelligentiam duo erant hic discutienda. Primum est, qua ratione debeamus euitare excommunicatos, & quos. Quod pertinet potius ad materiam 5

teriam de excommunicatione. Secundum est, vtrum liceat, sacramentum Eucharistiæ recipere à Sacerdote indigne ministrante. De quo egimus in tractatu de sacramentis in genere quæst. penultima, & de quo disputat, *Suarez 3. tomo in 3. part. disp. 72 sect. 3.* Respondetur enim in hoc secundo puncto, quod cum peccator est parrochus, qui tenetur ex officio ministrare Eucharistiam, vel non parrochus est, & est paratus ad ministrandum, tunc sufficit ad recipiendam Eucharistiam communis necessitas huius sacramenti. Quando verò neque est parrochus, neque est paratus, tunc requiritur necessitas implendi præceptum diuinum, vel humanum, vel non differendi nimium communionem, vt à peccatore possit recipi, nisi ratione aliqua eo facto videretur quis approbare hæresim Sacer-

A dotis, vel aliud peccatum, sic enim non liceret à Sacerdote peccatore Eucharistiam accipere, quin potius deberet eam respuere etiam cum periculo mortis. Ob quam causam Hermenegildus Hispaniæ princeps noluit ab hæreticis Eucharistiam recipere, licet esset extra tempus necessitatis mortis, vt refertur *Canone superueniente. 1. quæst. 1.* Cuius hæc sunt verba: *Superueniente Paschalis festiuitatis die intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum Episcopum misit, vt ex eius perfidis manibus sacrilegæ consecrationis communionem acciperet, atque per hoc ad patris gratiam*

B *redire mereretur, sed vir Deo deditus Arriano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque perfidiam dignis à se increpationibus repulit.*



TRACTA-

TRACTATVS VNICVS DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.



VLTI gravissimi Patres, & Doctores de isto Sacramento disputarũt: inter Patres magnum locũ obtinent *Augustin. lib. 2. de visitatione infirmorum, capit. 4. Dionys. in Ecclesiastica Hierarch. capit. 7. Chrysostomus, lib. 3. de Sacerdotio, Hieronymus super Marci 6. inter Doctores numerandi sunt, D. Thom. in 4. dist. 23. Sotus ibidem, Summistæ verbo unctio, Navar. cap. 22. num. 12. Victoria in Summa, Petrus Soto de institut. Sacerdot. titulo de unctione, Bellarminus tomo 2. lib. de hoc sacramento, Suarez 4. tom. tertiæ partis à disp. 39. Enriquez tomo 1. suæ Summæ, Coninc. tomo de sacramentis, & alij.*

QVAESTIO. I.

Utrum Extrema Unctio sit Sacramentum novæ legis?

1 IN hac quæstione multi heretici lapsi sunt, dum negant aperte, Extremam Vnctionẽ esse Sacramentum. Ita senserunt *Albanenses apud Antoninum 4. part. Theologiæ titulo 11. cap. 7. §. 5. Albigenses apud Sanderum, lib. 7. de visibili Monarchia hæresi* 151. & multi alij hæretici recentiores, quorum meminit *Bellarminus in libro de hoc sacramẽto.* Fundamentum hæreticorum vnicum est, scilicet, quia nulla fit mentio huius sacramenti in sacra scriptura, quod si verum esset sacramentum, maxima fieret eius memoria in scripturis.

2 Conclusio est de fide, Extremam Vnctionẽ esse verum sacramentum novæ legis. Hanc conclusionem quidam gravissimi Patres Ecclesiæ probant ex *Marci 6. cap.* vbi dicitur, quod cum misisset Christus Dominus Aposto-

A los ad prædicandum, vngebant oleo multos ægrotos, & eos sanabant, per quam vnctionem intelligunt aliqui Patres sacramentũ Extremæ Vnctionis. Hic tamen locus communiter non reputatur à recentioribus efficax ad hoc propositum, nam in eo non continetur sacramentum Extremæ Vnctionis, sed quædam eius figura. Ita *Sotus in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. Iansenius in concordia capit. 55. in fine, Bellarmin. lib. de hoc sacramento cap. 2. Suarez 4. tom. tertiæ partis disp. 39. sectione* 1. Tum quia hoc sacramentũ requirit presbyteros vt ministros, & tunc temporis Apostoli non erant presbyteri, tũm quia illa vnctio, quæ habetur *Marci 6. cap.* Præci-
B pue ordinabatur, & primario ad salutem corporis, sacramentum autem præcipuè, & primario ordinatur ad salutem animæ, communiter ergo probatur, Extremam Vnctionem esse sacramentum *ex epistola Canonica Divi Iacobi cap. 5.* in illis verbis: *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alevabit eum Dominus, & si*
C *in peccatis sit, dimittentur ei.* Nam secundum expositionem Sanctorum Patrũ in prædictis verbis continentur omnia necessaria ad sacramentum novæ legis; nam ad huiusmodi sacramentum requiritur signum aliquod externũ constans rebus, & verbis, & causans gratiam, quæ omnia inveniuntur in dictis verbis, ibi enim reperitur vnctio, quæ est res, & signum externum, dum dicitur *vngentes eum oleo.* Deinde reperitur forma verborum, dum dicitur, *& orent super eum*, tum etiam reperi-
D tur effectus gratiæ, dum dicitur; *si in peccatis sit, dimittuntur ei*; qua ratione intellexit hunc locum Iacobi *Concilium Tridentinum Sessio. 14. canone primo*, eandem conclusionem docuerunt *Innocentius Primus, epistola ad Decentium capit. 8.* vbi Extremam Vnctionem appellat sacramentum, & *Innocentius Tertius, capite vnico de sacra vnctione*, vbi dicit hanc vnctionem esse signum invisibilis vnctionis interioris, in quo quidem consistit vera ratio sacramenti.

Hæc

Hæc veritas est definita in multis concilijs, & peculiariter in *Florentino in decreto Eugenij, & in Tridentino sess. 14. canone primo de hoc sacramento*: Cuius hæc sunt verba. *Si quis dixerit, Extremam Vnctionem non esse vere, & proprie sacramentum à Christo Domino institutum, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed esse tantum ritum acceptum à Patribus aut figmentum humanũ, anathema sit.*

3 Prætterea veritas huius conclusionis, & interpretatio verborum Iacobi Apostoli ptobatur ex communi consensu Pattum. *Ex Dionys. cap. 7. de Ecclesiast. Hierarch. in part. 3. & ex Augustin. lib. 2. de visitat. infir. cap. 4. ex Chrysost. lib. 3. de Sacerdotibus, & ex alijs patribus.* Et probatur ratione. Quia ad diuinam ptouidentiam videtur pertinere, vt, quemadmodum instituit aliqua sacramenta pro ingressu huius vitæ: vt baptismum, & cõfirmationem, & alia pro progressu: vt pœnitentiam: & Eucharistiam. Ità etiam instituerit aliquod sacramentum pro egressu, & fine hui⁹ vitæ. Quãdo, & pugnæ dæmonis acerbiores sunt, & homo est minus aptus propter morbos ad resistendũ: sed hoc nullum est aliud, nisi Extrema Vnctio. Ergo Extrema Vnctio est vere sacramentũ nouæ legis.

4 Vnde ex verbis Iacobi optime potest colligi definitio Extremæ Vnctionis. Est enim sacramentum Vnctionis ordinatum ad salutem animæ, & corporis sub præscripta forma verborum. Quæ definitio optima est, quia explicat totã essentiam Extremæ Vnctionis, & eam distinguit à reliquis sacramentis.

5 Contra nostram tamen conclusionem obijciet aliquis pro sententia hæreticorum epistolam Iacobi non esse canonicam. Sed respondetur, talem epistolam esse canonicam, vt constat ex *Concilio Trident. sess. 4.* Vbi inter scripturas canonicas numeratur epistola Diui Iacobi.

6 Secundo obijciunt hæretici, nostram Vnctionem esse diuersam ab Vnctione, de qua facit mentionem Diuus Iacob. Nam Iacobus ait: oratio fidei saluabit infirmum. Vnde videtur requirere in ministro Vnctionis fidem. At nostra Vnctio non requirit fidem ministri, nam licet hæreticus aliquis eam conferat, dabit gratiam; tum, quia Iacobus totam vim iustificandi concessit orationi dicens: *Oratio fidei saluabit infirmum.* Nos autem totam vim iustificandi tribuimus Vnctioni, dum dicimus in forma huius sacramenti: per istam sanctam Vnctionem, &c. Sed ad hoc optime respondet *Bellarm. li. de hoc sacramento, cap. 3. ad primum.* Vbi dicit, neque nostram Vnctionem, neque Vnctionem Iacobi requirere in ministro fidem diuinam, dici tamen orationem fidei ea verba, quæ adhibentur in hac Vnctione, quia sunt verba dictata à fide, & quia sola fide intelligitur, quomodo Verbũ cum elemento coniunctum efficiat sacramentum. Ad secundum respondet Bellarm. orationem fidei, quæ saluat infirmum, includere Vnctionem dum dicit: per hãc Sacram Vnctionẽ, &c. Tum etiam nostra Vnctio, vt operetur gratiã, debet includere verba, alias nihil efficeret.

Tertio obijciunt hæretici, quia sacramentũ habet infallibilem effectum, sed hæc Vnctio promittit sanitatem corporis, & eam non semper largitur, vt patet, ergo non est sacramentum. Ad hoc respondetur *cum Concil. Florent. & Trident.* Promitti sanitatem in hoc sacramento conditionaliter, id est. Si animæ saluti expediat. Reliquæ obiectiones hæreticorũ, quæ nullius momenti sunt, possunt videri apud *Bellarmin. cap. 3. & 6. in lib. de hoc sacramento.*

QVÆSTIO. II.

Vtrùm hoc sacramentum fuerit à Christo Domino immediate institutum?

IN hac quæstione nonnulli Catholici, vt *Hugo de Sancto Vict. lib. 2. de sacramẽtis p. 15. c. 2. & Magist. in 4. d. 23. & alij*, dixerunt hoc sacramentum non esse à Christo, sed ab Apostolis institutum, quod probant, quia hoc sacramentum non constat ex Euangelijs, vbi videntur contineri ea, quæ sunt à Christo Domino instituta: sed ex epistola Iacobi. 1

Sit tamẽ conclusio, quæ nũc est de fide. Hoc sacramentũ fuit à Christo Domino immediate institutũ. Ita cõmuniter scholastici cũ *D. Tho. in 4. d. 23.* Et probatur *ex Trident. sess. 14. can. 1.* Vbi definitur, Extremã Vnctionẽ esse sacramẽtũ à Christo institutũ. Quæ verba indicant, esse à Christo immediate institutũ, nam si esset ab Apostolis institutũ hoc sacramentũ, non diceretur absolute, & simpliciter à Christo institutũ. Et ita sentit traditio Ecclesiæ. Et probatur rationibus. Prima sit, quia Christus immediate instituit legem Euangelicã, ergo immediate debuit instituere omnia eius fundamenta, qualia sunt septẽ sacramenta, inter quæ includitur Extrema Vnctio. Et cõfirmatur, quia sacramẽta nouæ legis, inter quæ est Extrema Vnctio, causant gratiam, ergo non est instituta ab Apostolis, sed à Christo, quia ad instituendum signum causatiuum gratiæ requiritur potestas excellentiæ, quam solus Christus habuit, & non habuere Apostoli, vt vidimus in tractatu de sacramentis in genere. 1

Quæres verò, quo tempore Christus Dominus hoc sacramentum instituerit? Quidã dicũt, esse institutũ, quando Dominus misit Apostolos, *Marci 6.* Ad prædicandũ, & ad curandũ infirmos medio oleo, veruntamẽ, vt probauimus in præcedẽti quæst. Apostoli in prædicto loco non ministrabant Extremã Vnctionẽ, sed solũ per gratiam gratis sibi datã medebantur corporibus. *Suarez, disp. 39. sect. 2. tomo*, allegato sen- 3

tit,

A tit, hoc sacramentū esse institutū post resurrectionē Christi. Dū Ioan. 20. Christus instituit sacramentū pœnitentiæ quia inquit, hoc sacra mentū est quasi annexū sacramēto pœnitētiæ. Et ideo, quando instituit Christus sacramentū pœnitentiæ, instituit etiam sacramentum Extremæ Vnctionis, quæ sententia ex infra dicēdis refutabitur.

4 Ad hoc tamē respōdetur primo, hoc sacramē tū nō esse institutū ante noctē cœnæ. Tū quia nullum habemus ad hoc fundamentū, tū quia hoc sacramentū posterius in ordine exhibetur quā sacramentū Eucharistiæ. Sed sacramentū Eucharistiæ exhibitū est, & institutū in nocte cœnę, ergo credibile est, ante illā noctē nō esse institutū hoc sacramentū. Secūdo respōdetur, hoc sacramentū esse institutū in nocte cœnæ B post institutionē Eucharistiæ, & ante mortem Christi, quod probatur, quia vt diximus in tractatu de sacramētis in generę, omnia sacramenta nouæ legis sunt instituta ante mortē Christi, ergo, & Extrema Vnctio. Antecedēs probatur, quia Christus ante mortē suā instituit Testamē tū nouum, vt illud sua morte cōfirmaret, quia quodlibet testamentū fit ante mortē testatoris; & eius morte cōfirmatur, Vt ait Paul. ergo etiā ante mortē suā instituit Christus fundamenta talis testamenti, quæ sunt omnia sacramenta nouæ legis. Et cōfirmatur, quia, vt diximus in principio tractatus de baptismo, in morte Christi cessauit lex antiqua, vt indicatū est per illa verba Christi pēdentis in cruce: Consummatū est. Ergo tunc cæpit lex noua, ne homines ma- C nerent sine lege, ergo prius debuerunt institui ante mortē necessaria fundamenta nouæ legis: qualia sunt sacramenta. Ita sentiunt *Armach. li. 11. ca. 14. & Sotus in 4. dist. 3. q. vnica, art. 2. indicanit D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 4.* dum ait *in passione Christi mortuam esse antiquam legem, & nouam incoatam.* Quare probabile mihi videtur, sacramentū Extremæ Vnctionis in nocte cœne esse institutum post institutionem Eucharistiæ, non enim inuenimus aptius tempus ad hanc in-

5 stitutionem.

Ex his respondetur ad fundamentum primæ sententiæ, quod, licèt non constet ex Euangelijs, sacramentum hoc esse à Christo institutum, constat tamen ex traditione Ecclesiæ ab Apostolis deriuata. Vnde *Concilium Tridentinum sess. 14.* dixit, *hanc Extremam Vnctionem es-* D

6 *se à Christo institutam, & à Iacobo promulgatam.*

Dum verò Doctores citati in principio quæstionis, & alij docent, Extremam Vnctionem fuisse à Iacobo institutam, vt doctè aduertit *Enriq. in sum. lib. 3. de confirmat. & Extrema Vnctione cap. 7.* Interpretandi sunt de promulgatione, quia, cum sine promulgatione lex non exerceat communiter vim obligandi, tunc instituitur quantum ad perfectam vim obligandi, quando promulgatur.

QVÆSTIO. III.

Quæ sit materia huius sacramenti?

DOCTISSIMVS *Magister Victoria in sua summa de sacramentis nu.* 216. Sen- 1 sit, benedictionem olei esse necessariā in Extrema Vnctione ex præcepto Ecclesiæ, non verò esse de essentia sacramenti: quare sine ea fieri verum sacramētum. Probatur, quia Iacobus loco citato nullo modo meminit benedictionis, ergo benedictio non requiritur essentialiter. Et confirmatur, quia aqua baptismi non requiritur essentialiter, quod sit benedicta, neque scriptura meminit talis benedictionis. Ergo cum in Sacra Scriptura non fiat mentio alicuius benedictionis, qua consecrandum sit oleum Extremæ Vnctionis, sequitur, benedictionem non esse essentialem. Et confirmatur, quia, quæ sunt essentialia in sacramentis, sunt à Christo Domino instituta in particulari: sed nunquam Christus instituit aliquam olei benedictionem in particulari, ergo illa non est essentia.

Sit tamen prima conclusio de fide. Materia remota huius sacramenti est oleum. Ita habe- 2 tur in verbis Iacobi 1 *Vngentes eum oleo.* Et etiam est de fide, tale oleum debere esse oliuarum. Ita definitur in *Florentino in decreto Eugenij.* Imo per oleum absolute sumptum solum intelligitur oleum oliuarum, sicut per aquam absolute sumptam solum intelligitur aqua elementalis, & per panem panis triticeus. Oleum conuenienter à Christo Domino fuit institutum pro materia huius sacramenti, quia oleum, & dolores solet lenire, & sanitatem restituere, & hilaritatem afferre: hoc autem sacramentum semper dat sanitatem animæ, scilicet, gratiam non ponentibus obicem, & aliquando tribuit sanitatem corporis, & causat hilaritatem quandam in anima, qua anima spem diuinæ misericordiæ concipit, & contra dæmonis tentationes se erigit.

Sit secunda conclusio. Ad essentiam huius sacramenti requiritur, quod oleum sit ab Epis- 3 copo benedictum. Ita tenent *D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. q. 2. Bonaue. ar. 1. q. 3. Durand. q. 2. Soto in 4. ar. 3. Bellarmin. lib. de hoc sacramento, capit. 7. Suarez tomo 4. disput. 40. sect. 2.* ita habetur *in Concilio Tridentino sess. 14. capit. 1.* dum dicitur. *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Ita habent Innocentius primus, & alij Pontifices, & Patres allegati in 1. q.* hoc defendit *Concil. Aquisgran. ti. 2. c. 8.* dum dixit, *oleum sanctum conficiendum esse ab Episcopo, quia in eo salutio infirmorum creditur.* Vbi ostēditur in benedictione Episcopali esse

positā essētiā huius sacramēti. Quę veritas etiā cōstare videtur ex traditione Ecclesiæ, & probatur ratione *D. Tho. loco citato*. Quia materiæ sacramētorum, quæ consistunt in aliqua re per manente, & aptæ sunt, vt possint sanctificari, cū eleuentur ad munus sacrū causandi gratiā, prius debent sāctificari, & benedici: & quia materia baptismi videtur quodā modo sanctificata per hoc, quod Christus in Iordane baptizatus eam tetigit purissima carne sua, & panem etiam, quæ est materia Eucharistiæ, quodammodo Christus sanctificauit, quando illum in venerabiles manus suas accepit: ideo hæc duo scilicet, aqua, & panis non indigent præuia sanctificatione hominum ad hoc, vt assumantur tā quam materiæ baptismi, & Eucharistiæ. At vero chrisma, quod est materia confirmationis, Christus non tetigit carne sua, neque oleum, quod est materia Extremæ Vnctionis, ideo hæc debent prius ab Episcopo consecrari, quā assumantur ad sua propria sacramenta. Nā, vt recte notauit *Sotus in 4. dist. 23. q. 1. art. 3.* Licet Christus vnctus fuerit à Magdalena. *Lucæ 7.* vnctio tamen illa nullam habuit rationem sacramenti. *Caiet. 3. p. q. 72. art. 3.* Docet, ex dispensatione Papæ posse sufficere benedictionem Sacerdotis, cui adhærent alij. Sed communior sententia tenet contrarium, quia *Concil. Florent. & Trident.* Expresse requirunt benedictionem Episcopi, quod amplius confirmatur ex dictis supra in hoc simili puncto in tractatu de confirmatione.

Sit tertia conclusio. Materia proxima huius
4 sacramenti est vnctio facta medio oleo benedicto ab Episco. Probatur primo *ex Iacobi primo*, Vbi dicitur. *Vngentes eum oleo.* Et præterea probatur *ex Trident. sess. 14. cap. 1.* dicente: *Vnctio apstissime Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter ægrotantis anima intingitur, repræsentat.* Et confirmatur, quia hoc sacramentum non consistit in ipsa re permanente, vt in oleo benedicto, quia neque vt sic significat gratiam, neque causat illam, solum enim est proprium Eucharistiæ, in re permanenti consistere, vt in speciebus consecratis, ergo consistit in vsu talis olei: quare materia proxima non poterit esse oleū, sed vnctio Et confirmatur, quia supra vnctionem cadit immediate forma verborum huius sacramenti, dum dicitur, per istam sanctam Vnctionem, &c. & non cadit immediate supra oleum, ergo vnctio est materia proxima, & non oleum.

5 Sit quarta conclusio secūdum communē resolutionem Doctorum. Non est de essentia huius sacramenti, neque de præcepto obligante sub mortali peccato, vngere infirmos efficiendo signum crucis, patet, quia, neque ex Sacra Scriptura, neque ex traditione Ecclesiæ colligitur talis necessitas, vnde propter piam consuetudinem, quæ est in Ecclesia, vngendi per

A modum crucis, est solum peccatū veniale, crucem omittere. Ratio autem differentiæ. Quare hoc sacramentum non debeat dari per modum crucis, & confirmatio debeat dari, ea est, quia in sacramento confirmationis homo constituitur miles Christi ad defendendam eius crucē coram Tyrānis; & ideo debet fieri crux in fronte, at vero in sacramento Extremæ Vnctionis præparatur via, qua homo ex hac vita euolet ad Cœlum, & ideo non est necesse, crucem adhibere,

Sit quinta conclusio cum communi sententia scholasticorum *in 4. dist. 24. & cum D. Thom. specialiter ibidem q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. Durand. q. 4. Bonauent. Ricard. Palud. & alijs.* De essentiā huius sacramēti est, vnctiones fieri in quinque 6
B sensibus hominum, alias nullum erit sacramentum. Probatur in primis ex consuetudine Ecclesiæ, quæ semper infallibiliter vngit in quinque sensibus. In quo nunquam est dispensatum. Et confirmatur, quia sicut contritio cordis, & confessio oris sunt partes essentiales sacramenti pœnitentiæ, & quia ordinantur ad eundem finem, scilicet ad efficiendam satisfactionem Deo pro peccatis commissis, ideo cō stituunt idem sacramentum. Et consecrationes panis, & vini in Eucharistia, quia ordinātur ad perfectam refectionem, & ad perfectum conuiuium spirituale, sunt idem sacramentum, eodē modo vnctiones quinque sensuum, quia ordinantur ad delendas omnes sordes peccatorum omnibus sensibus cōtractas, cōficiūt idē sacra-
C mētū Extremæ Vnctionis. Quod sacramentū dicitur vnū per cōpositionem, quia ex omnibus vnctionibus, & ex omnibus formis verborum vnū resultat sacramētum, quod ordinatur ad vnū finem. Et confirmatur ratione D. Thomæ, quia hoc sacramentum adhibetur per modū medicinæ ad tollendas omnes reliquias peccatorum, ergo in his partibus debet adhiberi, vbi sunt radices peccatorum; istæ autem radices sunt in quinque sensibus, ergo in illis omnibus debet applicari hoc sacramentum. Et confirmatur, quia istæ omnes vnctiones ordinantur ad integram sanitatem animæ significandā, & operandam, ergo non habent perfectam significationem, nisi omnes compleantur, nam si cut Christus existens in terris nunquam con-
D tulit, nisi integram sanitatem, ita non instituit sacramenta, nisi vt integre sanent animam.

Quidam putant, essentiam huius sacramenti perfici quauis vnctione, & reliquas esse tantū partes integrales. Hoc sentit probabile *Conin. tomo de sacramentis, disp. 19. dubio 3. de Extrema Vnctione.* Et huius sententiæ asserit, fuisse anno 1588. coram Vniuersitatem Louaniensem, quæ vna cum Archiepiscopo probauit *Pastorale Mechliniense, in quo canone 9. de Extrema Vnctione, dicitur, in morbis contagiosis sufficere, vngere organum sensus magis obuium, dicendo formam illi* 7

sensui

sensui correspondentem. Sed hanc sententiam non iudico probabilem propter generalem Ecclesiæ consuetudinem sine vlla vnquam dispensatione etiam in morbis contagiosis procedentē, & propter rationes in præcedenti §. allegatas.

8 Quamuis autem hoc sacramentum vnum tantum sit in specie, quod commune est septem sacramentis, & vnum tantum numero sit in quolibet homine, potest reiterari, & non imprimit characterem, ita docent *Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. & Florentinum in decreto Eugenij.* Cuius ratio est, quia datur per modum medicinæ; medicina autem reiterari debet, quoties infirmitas id exigit. Secundum verò communem sententiam, quam notat *Suarez in 4 disp. 40. sect. 4.* Potest reiterari hoc sacramentum non solum, quando sunt diuersa pericula propter diuersas infirmitates, sed etiam, quando in eadem infirmitate homo lucidit in diuersa pericula. In eodem verò periculo, & necessitate non debet iterari hoc sacramentū, quod quidem docet vsus Ecclesiæ.

9 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus, aliquo modo constare ex scriptura, oleum Extremæ Vnctionis debere esse benedictum. Nam dixit *Iacobus dicto cap. vngentes eum oleo in nomine domini.* Quod indicat benedictionem datam in nomine Domini. Tum etiam respondetur, necessitatem talis benedictionis constare ex traditione Ecclesiæ, quod sufficit. Ad secundum respondetur concedendo, aquam baptismi non esse benedicendam necessario antequam adhibeatur ad baptismum, benedicendum tamen oleum Extremæ Vnctionis. Rationes discriminis sunt duæ, prima est, quia baptismus est magis necessarius, quam Extrema Vnctio, vnde in eo non requiritur benedictio aquæ, ne deficiente benedictione in aliqua necessitate, homo moreretur sine baptismo. Alia verò ratio est, quia ad hoc, vt aqua censeatur sancta, sufficit, quod Deus eam tetigerit in Iordane sua purissima carne, quando baptizatus est à Ioanne, at verò, quia oleum non sic tetigit Christus, ideo non est ita sanctum: vnde debet benedici ab Episcopo.

10 Secundū verò argumentum quærit, an Christus in particulari instituerit aliquam benedictionem huius olei. Ad quod respondetur primo Christum instituisse pro materia necessaria huius sacramēti oleū ab Episcopo benedictū. Ita patet *ex Concil. & ex patribus supra allegatis.* Vnde Ecclesia efficere non potest, vt oleū nō benedictū aut benedictū à Sacerdote sufficiat ad sacramentum, quia Ecclesia in materijs substantialibus sacramentorum nequit aliquid innouare. Respondetur secundo. Secundum communem sententiam, modum benedicendi oleum, scilicet, vt fiat cum his benedictionibus, aut ceremonijs, vel illis, nō esse à Christo institutum, sed hoc fuisse relictum arbitrio Ecclesiæ. Ita colligitur *ex Concilijs, & Patribus allegatis.*

11 Quæres secundo, an sit de essentia huius olei, quod non misceatur ei aliqua res. Ad quod in primis respondetur, quod si aliquid misceatur oleo, per quod, vel corrumpatur oleum, vel taliter maneat, vt non sit oleum vsuale, neque eo possit quis vngi, non esse veram materiam huius sacramenti. Patet, quia debet esse verum oleum, & vsuale: sicut in baptismo materia consistit in aqua vera, & vsuali. Si autem per id, quod miscetur oleo, semper maneat verum oleum, & vsuale, erit apta materia huic sacramento, vt bene notat *Suarez 4. tomo 3. partis disp. 40. sect. 2.* Vnde Ecclesia posset propter aliquem finem, balsamum, aut aliquid aliud miscere; sicut vino Eucharistiæ miscetur aqua, & aquæ baptismi miscetur sal: nullum enim reperitur in hoc inconueniens. Addit verò Suarez, aliquando Ecclesiam oleo infirmorum miscuisse balsamum. Quod probat *ex Innocentio Primo epist. 1.* vbi ait, *infirmos sancto oleo Chrismatis perungi posse. Et ex Concilio Vormatiens. & ex epist. Fabiani Secundi.* Quod etiam confirmari potest *ex cap. illud superfluum, dist. 95.* Vbi monet Innocentius *Episcopus, si dignum duxerit, aliquem ex languidis à se visitandum, benedicere, & tangere chrismate sine cunctatione potest.*

12 Verumtamen nescimus, Ecclesiam aliquando vsam esse oleo mixto balsamo, quod si aliquando dicitur fuisse in vsu chrisma, quod est confectum communiter ex oleo, & balsamo. Respondetur cum *Soto loco citato, & alijs authoribus.* Ibi per chrisma solum intelligi oleum ab Episcopo consecratum; *In cap. enim vnico de sacra Vnctione* denotatur, quod oleum non miscetur balsamo. Ratio autem, quare in hoc sacramento non sit necessarium miscere oleum balsamo, quod tamen est necessarium in sacramento confirmationis, ea est, quam reddit *Altissiodorensis lib. 4. summæ tract. 7.* Quia in balsamo significatur, odor bonæ famæ, quem tenentur homines dum viuunt per bona opera, & exempla exhibere, de qua re admonentur homines in confirmatione, quia tunc incipiunt viuere in hac vita, illi vero, qui iam sunt vicini morti, solum debent habere curam bonæ conscientiæ, quæ significatur per oleum, & non bonæ famæ: quare simplex oleum est materia huius sacramenti.

(?)

QVÆSTIO. IIII.

Quæ sit forma huius sacramenti?

1 SIt conclusio de fide. Aliqua verborum forma determinata est à Christo in hoc sacramento. Ita tenent *Concilium Florēt. & Trident. locis citatis*. Et patet, quia supra diximus à Christo esse institutum hoc sacramentū, ergo ab eo debuit determinari vera forma, & materia eius. Ita vt verba substantialia, & essentialia non possint mutari ab Ecclesia, licet verba quæ non sunt de substantia possint mutari ab Ecclesia: in quo sensu intelligendi sunt Doctores, qui dicūt, Ecclesiā posse mutare formā huius sacramēti: Vnde licet *D. Iacobus* solū dixerit, orationē fidei esse adhibēdā, Ecclesia tamen ex Apostolica traditione tenet hanc formam debere esse per verba sensibilia, & determinata, quæ includunt formam deprecatiuā.

2 Quod si apud *Mediolanenses tempore D. Ambrosij, & etiam apud Venetos* olim erat in vsu forma modi indicatiui, v. g. vngo te, illa non erat secundum *D. Tho. Bonau. & omnes scholasticos*, forma essentialis, sed erat præambula ad formā essentialē, ita vt diceretur vngo te oleo sancto, & indulgeat tibi Deus per hanc sacrā Vnctionē, quidquid peccasti per visum, &c.

3 Sit secunda conclusio de fide. Sufficit ad sacramentum Extremæ Vnctionis hæc forma per modum deprecatiuum, per hanc sacrā vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, &c. probatur ex *Concilio Trident. & Florēt. supra citatis*, & probatur ex traditione Ecclesiæ Romanæ, quæ semper vsa est hac forma. Et quæ non pōtest decipi in his, quæ ad doctrinā sacramentorum pertinent, vt dicitur *in cap. ad abolendam de hæreticis*, & patet quia *Iacobus in sua epistola canonica cap. 5. ait, & orent super eum.* Quod indicat formam deprecatiuam, ergo prędicta forma sufficiens est.

4 Tertia conclusio. Probabilius est, ad formā huius sacramenti non sufficere modum indicatiuum, vnde non sufficit dicere, vngo te in remissionem peccatorum, quæ commisisti per visum, &c. Sed forma debet pronuntiari per modum deprecatiuum, Ita tenent *D. Tho. in 4. d. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. Capreolus, Sotus, & alij, & Suarez tomo 4. disp. 40. sect. 3.* Et probatur ex *Iacobo loco citato vbi dicit. Orent super eum.* Quod videtur significare formam deprecatiuam. Vnde debet dari hoc sacramentum potius, quam alia sacramenta per modum deprecatiuum. Tum etiam confirmatur, quia hoc sacramentum est complementum pœnitentiæ: & quod in pœnitentia datur quasi per modum iustitiæ propter aliqualem dispositionē hominis, & aliqualem satisfactionem, datur in hoc sacramento per modum indulgentiæ, quia

A homo est destitutus viribus ad satisfaciendum, ergo debet pronunciari hæc forma per modū deprecationis. Et vt patet ex præcedenti quæstione, requiruntur plures formæ partiales essentialiter: sicut, & requirūtur plures vnctiones partiales. Et docet expresse *Greg. de Val. to. 4. disp. 8. q. 2. puncto 2.* Et in fine vltimæ datur gratia sacramenti reliquis antecedētibus moraliter operantibus: vt contingit in baptismo valide, sed indebite suscepto, qui vt vidimus in tractatu de baptismo, postquā iā præterijt, & nō est, moraliter gratiam in anima operatur.

In qua forma non sunt essentialia illa verba: per istam sanctam Vnctionem, quia potest dici; vngo te, vt indulgeat tibi Deus, &c. neque sunt essentialia illa verba: & suam pijssimam 5

B misericordiam. Quia Dei misericordia sufficienter explicatur, dum dicitur, indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, vel auditum, &c. reliqua sunt essentialia, & essentialiter requiritur, ea repeti in omnibus sensibus. Quod patet ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ, & patebit ex ijs, quæ infra dicemus circa effectum huius sacramenti: vnde sicut requiruntur plures vnctiones in quinque sensibus, quæ efficiant vnam vnctionem totalem, sic etiā requiruntur plures formæ partiales, quæ efficiant vnam totalem formam.

Sic autē obijciet aliquis pro sentētia eorum Doctorū, qui dicūt, in hoc sacramēto sufficere formā verborū expressā modo indicatiuo. Primū autē argumentū sit, quia in baptismo ex eo, 6

C quod Christus dixit: baptizātes eos, Ecclesia colligit, formā baptismi esse per modum indicatiuum: vt dicendo, ego te baptizo. Et ex eo, quod dixit Christus: quorū remiseritis peccata, colligit Ecclesia, hanc esse formam pœnitentiæ: ego te absoluo, ergo ex eo, quod Iacobus dixit: vngētes eū oleo, potest colligi, hāc esse sufficientē formā, ego te vngo, &c. Sed respōdetur, Ecclesiā ab Spiritu Sancto edoctā declarasse, illas formas baptismi, & pœnitentiæ per modū indicatiui esse sufficiētes. Et illā formā Extremæ Vnctionis debere fieri modo deprecatiuo propter rationes speciales. Tū etiam Sacra Scriptura, dum assignauit formas aliorum sacramentorum, non dixit, & orent, sicut dixit in hoc sacramento: vnde in hoc sacramento forma solum debet esse deprecatina, & nō in alijs sacramentis.

D Secūdo obijcies. Leo Papa, & alij absolutionē Sacerdotis appellāt orationē, quāuis fiat modo indicatiuo, ergo, quāuis Iacobus dicat, formā Extremæ Vnctionis esse deprecationē, potest tamē fieri modo indicatiuo. Ad hoc respondetur, modū indicatiuū nō esse aptum ad orationem formalem. Quod si forma absolutionis dicitur oratio facta per modum indicatiuū, ex eo est, quia dum profertur in fide promissionis Christi videtur includere vim orationis. 7

Quæres, an inuocatio Trinitatis sit necessaria in hoc sacramēto? Ad quod respondet optime *Petrus de Ledes. in summa de Extrema Vnctione, cap. 3.* Cum communi sententia Theologorū, talem inuocationem neque esse de essentia, neque de præcepto, patet primo, quia, neque ex Sacra Scriptura, neq; ex decreto Ecclesiæ, neque ex aliqua parte id constat. Tum etiam, quia hoc sacramentum non est professio fidei, sicut baptismus, & confirmatio sunt. Quare in eo non est necessariū inuocare Trinitatē, sicut in baptismo, & confirmatione necessarium est.

In hoc sacramēto seruanda est cōiunctio moralis inter materiam, & formā prædictam: quæ coniunctio, qualis futura sit, prudentis arbitrio relinquēdum est. Et seruandum est hoc, ne fiat verborum mutatio, vel detractio, & seruanda sunt reliqua, quæ in tractatu de sacramentis in genere notauimus. Vt optime aduertit *Enriquez in sum. lib. 3. de confirmatione, & Extrema Vnctione, cap. 8.*

QVÆSTIO V.

Quis sit effectus sacramenti Extremæ Vnctionis?

1 IN hac quæstione prima sententia asserit per hoc sacramentum primario, & principalius auferri omnia peccata venialia, non mortalia. Ita tenent multi *Scholastici super quartum librum sententiarum, dist. 23. Ayala, de tradit. 3. p. consideratione 8. Alensis 4. p. q. 5. membro 7. art. 2.* Et probatur rationibus. Prima sit, quia sacramentum Extremæ Vnctionis institutū est propter remissionem peccatorum, vt patet ex ipsa forma, in qua dicitur. Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c. Sed non est institutum primario propter remissionem mortalium, ergo propter remissionem venialium. Quod nō sit primo institutum propter remissionē mortalium, patet, quia ad remissionem mortalium est institutum tanquam medium necessarium sacramētum pœnitentiæ, ergo non fuit necessarium, ad remittenda mortalia aliud sacramentum institui. Confirmatur, quia tria sunt genera peccatorum originale, mortale, & veniale. Ad tollendum originale fuit institutum sacramentum baptismi, ad tollendum peccatū mortale fuit institutum sacramentum pœnitentiæ, ergo ad tollendum peccatum veniale conueniens fuit, institui aliquod sacramentum; sed non est aliud, quam Extremæ Vnctionis, ergo sacramentum Extremæ vnctionis primario tollit peccata venialia. Hæc tamen sententia vera non est, & reprobatur à *D. Tho. in 4. d. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1.* Reprobatur autem ex eo, quia sacramentum pœnitentiæ, primo, & per se fuit institutū ad delēda omnia peccata actualia, etiā venialia, ergo nō fuit necessarium, institui sacramētū aliud primo, & per se ad delenda peccata venialia. Deinde vt bene notauit *Bellarm. li. 1. de Extrema Vnctione, c. 7.* Hæc sententia est contra illa verba generalia Iacobi, *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Et est etiā cōtra formā huius sacramenti, in qua dicitur, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, nam hæc verba generalia omnia peccata tam mortalia, quam venialia significant, & tollunt.

2 Alij sentiūt, hoc sacramētū esse institutū ad tollēda peccata venialia, quatenus impediūt ingressum Regni Cœlorū. Sed hoc etiā verū non est, si intelligatur, hoc sacramentū esse primo institutum ad hunc finem, quia cum reatus pœnæ temporalis etiam impediat ingressum Regni Cœlestis, hoc sacramentum esset, etiam institutum ad tollendam pœnam temporalē primario, quod non est dicendum de aliquo sacramēto, & alias sequeretur, posse hoc sacramentum concedi ei, qui condemnatus esset suspendio, quia tunc posset esse vtile tale sacramentū ad remittendam pœnam temporalem, quod non est dicendum, quia hoc sacramentum solū fuit institutum pro infirmis.

3 Alij verò sentiūt, hoc sacramētū esse institutū ad tollēdas reliquias peccatorū, quæ sententia varijs modis explicatur: quidam dicūt, per tales reliquias intelligi pœnam temporalē relictam ex peccato, ad quā primo est instituta Extrema Vnctio. Sed hoc falsum est, quia, vt vidimus nullum sacramentū est primario institutū ad tollendam pœnam temporalem.

4 Alij sentiūt, per hoc sacramentum primo, & principaliter tolli reliquias peccatorū, id est, prauos habitus ex peccatis relictos. Sed hoc falsum est, quia homo, qui prius recepit hoc sacramētū, & postea cōualescit, experitur in se eosdē prauos habitus, quos antea habebat. Nō ergo tolluntur per Extremam Vnctionem.

5 Alij verò vt *Bellar. li. 1. de Extrema Vnctione, c. 8.* Et alij dicūt, per hoc sacramētū, primo tolli reliquias peccatorū, scilicet, peccata tā mortalia, quā venialia, quæ, vel cōmittūtur post susceptā cōfessionē, aut Eucharistiā, & homo ignorās ea nō cōfitetur, aut quiā existimat, se habere cōtritionē, & tamē solā habeat attritionē, vel quia nō sunt ablata per confessionē, & Eucharistiā, quia homo nō fuit sufficiēter dispositus, & postea habuit attritionem, quando recipit hoc sacramentum, & existimat, se habere contritionem. Sed hic modus repugnat Diuo Thomæ, vt videbimus, & etiā repugnat communi modo loquendi, secundum quem dicitur, per hoc sacramentum tolli reliquias peccatorum, peccata enim ipsa non possunt dici reliquiæ peccatorū. Tū etiam, quia ad remittenda omnia peccata etiam commissa post receptam Eucharistiam, institutum fuit primario sacramentum pœnitentiæ, ergo non debuit institui ad hoc Extrema Vnctio. Et confirmatur,

quia aliàs hoc sacramentum esset conferendum A
his,qui vltimo supplicio afficiendi sunt,aut pe
riculosam nauigationem suscepturi,quia hi om
nes æquè egent isto effectu quod nemo dixe
rit,& est *cõtra Iacobū dicto loco* dicentē, *infirma-*
tur quis in vobis,&c. Vltimò refutatur ea sententia,quia remissio peccatorū solū secūdario videtur huic sacramēto adscribi,vt patet ex illis verbis *Iacobi 5 si in peccatis sit,remittentur ei.*

6 His suppositis pro nostra sententia sit prima conclusio.Sacramentum Extremæ Vnctionis non est institutū ad tollendū fomitē peccati radicitus,aut praua phantasmata relicta ex peccatis præteritis,aut prauos habitus, seu promptitudines,& facilitates ad peccandum.Quia vt probauimus cōtra quendā modū dicendi , hæc omnia manent in homine,etiam postquā rece B
pit hoc sacramentum.

7 Quare institutum est à Christo hoc sacramētū,primo,& principaliter ad tollēdas reliquias peccatorū,id est,ad vincendas difficultates homini occurrentes in articulo mortis,(quæ sunt variæ tētationes dæmonis,fomes peccati,praui habitus,prōptitudo ad malum, & ineptitudo, seu debilitas ad bonū.)Quod fit per gratiā habitualē primario productam per hoc sacramētum,quatenus habet adiunctas gratias actuales his prædictis effectibus accommodatas:nempè sanctas cogitationes,& pios impulsus voluntatis. Hanc cōclusionē expressè sequitur *D.Th. in 4.d.23.q.1.art.2.quæstiunc.1.* Et cum eo omnes eius discipuli *Antoninus 3.p.tit.14.c.8. Syl-*
uester verbo Vnctio Extrema num.3. Victoria in C
summa num.197. Suarez disput.41.de effectu huius sacramenti. Et probatur ex illis verbis Iacobi,*alleuiabit eum Dominus.* Græcè enim ita habetur,excitabit,seu confortabit eum Dominus. Apud Iacobū enim iste effectus prius,& principalius ponitur,quam auferre peccata. Et confirmatur ex *Concil. Trid. sess.14.* Vbi in proemio sic ait,*Quemadmodum auxilia maxima in sacramētis alijs Christus præparauit,quibus Christiani conseruare se integros,dum viuerent, ab omni grauiori spiritus incommodo possint,ita Extremæ Vnctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio,muniuit.* Vbi postea ostendit granes difficultates, quæ in fine vitæ se offerunt, quæ sunt reliquiæ à nobis explicatæ, & inquit Conciliū contra has difficultates necessarium D
esse sacramentum Extremæ Vnctionis. Et probatur ratione, quia ad diuinam prouidentiam pertinet, vt quemadmodum per alia sacramenta abundanter prouisum est omnibus necessitatibus,quæ in discursu vitæ occurrūt omnibus bene se habentibus, ita etiam per aliquod sacramentum prouideatur homini in articulo mortis constituto,quando necessitas magna vrget propter prædictas difficultates, & quando corporis vires deficiunt. Et vt eleganter ad uertit *Gregor. de Valentia tomo 4. disput.8. de sa-*
cramento Extremæ Vnctionis puncto. 3. procliuitas ad malum non est aliquis habitus adquisitus per actus malos, quia iste non tollitur per hoc sacramentum, vt experimur, sed est quodam experimentum rei vtilis,aut delectabilis, quod impedimentum propter peccati illecebram animum reddit pronum ad rursus peccandum,& ineptum ad malum. Vnde hæc procliuitas non est respectus rationis, vt ait Valentia ibidem, sed imaginatio rei præteritæ, mouens animum ad rursus peccandum, propter naturalem sympathiam, quā habet anima cum corpore.

Circa quam conclusionem aliqua notanda sunt. Primum notandum est ad effectum primarium huius sacramenti pertinere præparare animam ad introitum gloriæ, siquidem ad talem effectum pertinet,tollere reliquias peccatorum , quibus homo impeditur,ne cœlum ingrediatur. 8

Secundo notandum est, vt bene notauit *D. Tho. loco citato.* Sacramentum hoc efficere hæc omnia, & ea quæ statim dicemus infundendo in anima gratiam habitualem, & adquirendo auxilia ad fortiter pugnandum in eo transitu, quæ auxilia *vt Trident. notat sess. 14. cap. 2.* Ad tres præcipuos effectus dantur. Primo ad roborandam spem, quam dæmon in articulo mortis conatur extinguere, vt notauit *Concilium Tridētinum* dicens, *vehementius ille omnes versutias suas vernos intendit ad perdendos nos penitus,& à fiducia etiam, si possit, diuinæ misericordiæ deturbandū.* Secundo datur auxilium ad quaodam hilaritatem animi concipiendam, qua infirmus labores morbi leuius fert. Tertio datur auxilium vt homo tunc fortior reddatur ad vincendas tentationes dæmonis, quæ tunc temporis vehementius vrgēt. Istæ autem reliquiæ peccatorū quæ prædictis tribus effectibus tolluntur, ita appellantur, quia per peccatum originale contraximus necessitatem incidendi in fomitem, & in alia mala in conclusione posita, & cōtraximus necessitatem carendi gratia. 9

Secunda conclusio. Hoc sacramētum etiam est institutum à Christo secundario, & directe ad tollenda peccata tam venialia, quam actualia mortalia quoad culpam, quod expresse dixit *D. Thom. in fine quæstiunculæ primæ allegatæ,* Et expresse defendunt *Bellarminius, & Suarez locis citatis.* Probatur ex illis verbis *Iacobi, si in peccatis sit dimittentur,ei.* Et ex verbis formæ in quibus dicitur *indulgeat tibi Deus quidquid peccasti &c.* & patet *ex Tridentino sess. 14. cap. 2.* vbi dicitur, *cuius vnctio delicta, siquæ sunt, adhuc expianda abstergit.* Vnde colligitur esse hoc sacramentum institutum directe ad rollenda omnia peccata. Confirmatur, quia credendum est de diuina misericordia, & prouidentia, voluisse instituere hoc sacramentum taliter, vt in illo momento, à quo pendet æternitas, ab homine 10

mine auferat peccata, quia tunc potest contingere, quod aliqua peccata non sint ablata.

11 Circa hanc conclusionem aliqua notanda sunt. Primo notandum est, quod licet probabile sit, omnia sacramenta viuorum, vt Eucharistiam v. g. auferre peccata, quando nullus est obex, at diuerso modo habet conferre primam gratiam, & remissionem peccatorum sacramentum Extremæ Vnctionis, quod etiam est viuorum, & alia sacramenta viuorum, nā alia sacramenta causant istos effectus per accidens, & indirecte, quia cum directe sint instituta ad dandam gratiam: in eo casu, quo quis habet solam attritionem, & existimat se habere contritionem, dant primam gratiam, & auferunt peccata, hos tamen effectus, scilicet, dare primā gratiam, & auferre peccata, causat Extrema Vnctio directe, & ex intentione directa Christi, vt patet ex eius forma.

12 Secundo notandum est, etiam ex secundaria intentione Christi hoc sacramentum tollere reatum pœnæ iuxta dispositionem recipientis. Probatur primo quia ita credendum est de diuina misericordia, voluisse subuenire illi statui miserrimo. Tum quia cum homo per hoc sacramentum præparetur ad introitum gloriæ, debet per illum liberari homo à pœna, qua impeditur talis ingressus gloriæ.

13 Tertio notandum est, hoc sacramentum esse sacramētum viuorum, & ideo requirere, vt homo, dum ad illud accedit, aut confiteatur peccata mortalia, aut habeat veram contritionem illorum. Aliquando tamen facit hoc sacramentum hominem de attrito contritum ex eo, quia si quis existens in peccato mortali habens solam attritionem existimans tamen se habere contritionem recipit Extremam Vnctionem, liberatur à peccato tali.

14 Ex his patet ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum, quod contendebat, peccata venialia tolli per hoc sacramentum, & per sacramentum pœnitentiæ solum tolli peccata mortalia, respondetur, negando sola peccata mortalia auferri per sacramentum pœnitētiæ. Fuit enim institutum ad delenda omnia peccata actualia, tam mortalia quam venialia, & ex his patet ad confirmationem.

15 Obijciet tamen aliquis contra nostras conclusiones, quia ille est effectus primarius alicuius sacramenti, qui significatur per formam ipsius, sed per formam Extremæ Vnctionis significatur peccatorum expulsio, & non significatur expulsio reliquiarum peccatorum, ergo primus effectus erit, auferre peccata, & non reliquias peccatorum. Minor probatur, quia dicitur in forma, *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti.* Quæ verba non significant reliquias peccatorum: quia istæ tantum sunt pœnæ, sed significāt peccata ipsa. Ad hoc respōderut dupliciter. Primo, vt respōdet *Sotus in 4. dist. 23. quæst.*

A 1. *art.* 2. Scilicet, illud verbum, quidquid peccasti, etiam verificari de reliquijs peccatorum. Sic enim potest intelligi, quidquid relictum est de peccatis commissis. Secundo respondetur, illud verbum, peccasti, optime verificari in nostra sententia, in qua dicimus, ex secundaria intentione Christi etiam tolli peccata per sacramentum Extremæ Vnctionis, negamus tamen eum effectum, qui significatur per formam, debere esse primariū, & magis principalē. Multa argumenta adducit *Bellarm. in confirmationem suæ sententiæ.* Quæ nobis fauēt, & adducta sunt in confirmationē nostræ secundæ cōclusionis.

16 Quæret tamen aliquis, an hoc sacramentum possit dari infantibus, qui solum habent peccatum originale? Ad quod optime respondet *D.* B *Tho. in 4. d. 23. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 4.* Hoc sacramentū nō posse dari infantibus, quia de eis nequit verificari forma huius sacramēti, scilicet, quidquid peccasti. Quia nō potuerūt peccare. Et neque sunt capaces primarij effectus huius sacramēti supra explicati in hac quæst, neque secundarij. Neque obstat huic resolutioni, si aliquis dicat, infantes esse capaces augmenti gratiæ, & sanitatis, nā contra est, quod gratiæ augmētū est effectus huius sacramēti primarius, vt ordinatur ad reliquias peccatorū tollendas modo suprà explicato, qua ratione nō datur iste effectus infantibus. At vero sanitas est effectus valdè remot⁹, & secūdarius, vnde ob eū nō est dandā infantibus Extrema Vnctio. Possunt tamē pueri hoc sacramētum accipere ab eo tēpo- C re, quo sunt capaces recipiēdi Eucharistiā, nam hoc sacramentum post Eucharistiam datur.

17 Quæres secundo, an hoc sacramentum conferat sanitatē corporis? Ad quod respondetur, cōferre quidē. Ita definitur *in Conc. Florent. & Trident. locis citatis.* Et patet *ex epist. Iacobi, c. 5.* Vbi de hoc sacramento dicitur. *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Quæ verba communiter intelligūtur de sanitate corporis à *D. Thoma, & à Magistro sentent. in 4. dist.* 23. Qui effectus neque est infallibilis, neq; semper datur, sed, quando conuenit saluti animæ, & sub hac conditione intelligit Ecclesia esse promissum hunc effectum. Vt declarauit *Concil. Trid. sess.* 14. c. 2. dicens, *dari sanitatem corporis, vbi saluti animæ expedierit.* Et datur sanitas tunc supernaturaliter, D & contra vim morbi naturalem, dum eam vincit sæpius via supernaturali, vt bene notat *Greg. de Valent. loco citato contra Sotum in 4. d. 23. q. 1. art. 2.* Hoc enim pertinet ad excellentiam Extremæ Vnctionis, quæ non est remedium naturale, sed supernaturale.

18 Obijcies tamen cōtra hoc: Sæpe datur salus corporis illis, qui receperūt Extremā vnctionē & male ea vtūtur, ergo his nō datur salus corporis, quia cōuenit saluti animę. Tū etiā aliqui moriuntur post receptionem huius sacramenti, de quorū vita multa sperabantur bona. Ad primū respon-

respondetur, sæpe non dari sanitatem virtute huius sacramenti, sed virtute alicuius remedij naturalis. Tum etiam si datur sanitas per hoc sacramentum, semper contingit, quod per eam homo per aliquod tempus adquirat sanitatem animæ, quamuis postea malitia sua non cooperet eam per totam vitam. Ad secundum respondetur, illos viros sanctos fortasse lapsuros esse in aliqua peccata, si viuerent. Vnde conueniens fuit, vt raperentur ex hac vita, ne malitia mutaret intellectus illorum.

19 Obijcies secundo. Sanitas est bonum tēporale, ergo eius promissio non potest esse absoluta, sed sub conditione. Ad hoc respondetur, sanitatem corporis non tribui huic sacramento absolute, sed sub hac conditione: si fuerit animæ conueniens.

20 Quæres vltimo quid sit in hoc sacramento sacramentum tantum, res tantum, res, & sacramētum simul? Ad hoc respondetur, rem tantum esse gratiam, sacramentum tantum esse vnctionem, & verba, res, & sacramentum simul esse hilaritatem animi, & tolerantiam laborum, quæ significantur per hoc sacramentum, & significant interiorem animæ sanctitatem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum gratia huius sacramenti conferatur post primam vnctionem?

1 VARIJ possunt esse in hac quæstionē modi dicendi. Primus est, totam gratiā conferri in hoc sacramento per primam vnctionem, reliquas verò vnctiones solum deseruire ad perficiendum sacramentum, non verò ad causandam nouam gratiam, nisi homo post primam vnctionem de nouo disponatur. Probatur primò, quia Iacobus solum requirit ad hoc sacramentum, vngi infirmum, quod reperitur in prima vnctione. Et confirmatur, quia in sacramento Eucharistiæ totus effectus causatur per sumptionem vnius tantum speciei, vt panis solius, aut vini solius. Ergo effectus huius sacramenti causatur per vnam tantum vnctionem. Et confirmatur, quia hic modus causandi gratiam potuit institui à Christo, & est valde vtilis, quia potest contingere, quod post primam vnctionem infirmus moriatur, vel minister, in quo casu non causabitur gratia, quod est magnum inconueniens.

2 Secundus modus dicendi est. Per quamlibet vnctionem dari partem aliquam gratiæ. Probatur exemplo ordinum, nam quilibet ordo tribuit suum effectum partialem.

3 Tertius modus dicendi est, non dari gratiam vsque ad vltimam vnctionem, esse tamen positum, quod gratia conferatur in fine quinque vnctionum, aut septem, in potestate ministri, per hoc, quod minister intendat efficere quinque, aut septem vnctiones. Probatur, quia sacramentum hoc non integrum, & perfectum est, donec finiantur omnes vnctiones, quas intendit efficere minister. Ergo non causat gratiam, nisi in fine omnium vnctionum.

Sit tamen prima conclusio. Licet alicubi fiant septem Vnctiones in hoc sacramento, quinque in quinque sensibus, sexta in renibus, septima in pedibus, istæ tamen, quæ fiunt in pedibus, & renibus, non sunt essentiales. Patet, quia eis non vtitur vniuersalis Ecclesia, sed tantum vtuntur aliquæ Ecclesiæ particulares. Ergo tales vnctiones non sunt essentiales, quia id, quod est essentiale in sacramentis, commune est in omnibus Ecclesijs. 4

Sit secunda conclusio. De essentia huius sacramenti est, vt quinque vnctiones fiant in quinque sensibus, & vnctio alicuius sensus potest fieri in duobus organis, aut in vno: vt in vtraque manu, vel in vna tantum. Ita docet *Sotus cum D. Thoma in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 1. D. Thom.* Et probatur ratione Diui Thomæ, quia hoc sacramentum applicatur per modum medicinæ: sed medicina applicatur in radice morbi: ergo hoc sacramentum debet applicari quinque sensibus, qui sunt radices omnium peccatorum, & morborum animæ. 5

Vnde effectus huius sacramenti producitur in fine vltimæ vnctionis earum, quæ fiunt in sensibus. Ita docet *D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad tertiū.* Probatur, quia omnia sacramenta, quæ consistunt in fieri, vt baptismus, pœnitentia, &c. causant vnicā gratiam in eo instanti, quo finiuntur: ergo Extrema Vnctio causat gratiam in eo instanti, in quo finiuntur omnes quinque vnctiones, quia omnes illæ, vt vidimus sunt essentiales, & in quibus sita est essentia sacramenti. Confirmatur, quia effectus huius sacramenti est ablatio reliquiarum omnium peccatorum, & remissio etiam omnium peccatorum: sed per quamlibet vnctionem solum significatur expulsio illorum peccatorum, quæ commissa sunt per illū sensum, qui vngitur, ergo, vt omnia peccata auferantur, necesse est, omnes sensus vngi. 6

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus, quod licet Iacobus nihil aliud dixerit, quàm esse vngendos infirmos, traditio tamen Ecclesiæ declarauit, esse vngendos in quinque sensibus. Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem de specie bus Eucharistiæ, & de vnctionibus huius sacramenti, nam per vnam tantum vnctionem non significatur remissio omnium peccatorum, quæ est effectus huius sacramenti: vnde per vnam vnctionem non potest causari effectus, quare neque in ea potest esse tota essentia sacramenti. At verò in qualibet specie Eucharistiæ 7

ftiæ eſt totus Chriſtus,qui eſt fons gratiæ, vnde poteſt per talem ſpeciem tota gratia cauſari.

8 Ad tertium argumentum reſpondetur, potuiſſe Chriſtum ita inſtituere hoc ſacramentum,vt per primam vnctionem gratia communicaretur,non tamen nobis conſtat, id voluiſſe.Ad illos vero caſus reſpõdetur, quod etiam ſi homo moriatur ante vltimam vnctionem, vel miniſter,imò etiamſi præuideatur tale periculum, & miniſter velit conferre effectum per primam vnctionem,vel per vnam vnctionem factam alicui ſenſui, non cauſaretur effectus,quia non eſt validum ſacramentum. Quod ſi in huiuſmodi caſibus contingentibus in Sacramento Pœnitentiæ confeſsio vnius peccati ſufficiat,ex eo eſt,quod ſecundum traditionem Eccleſiæ ſufficit, quod quis confiteatur quidquid poteſt, quæ traditio Eccleſiæ non declarauit hoc in ſacramento Extremæ Vnctionis. Tùm etiam quia vt vidimus ſæpe in materia de pœnitentia, materia ſacramenti Pœnitentiæ tantum eſt confeſsio morali modo poſſibilis, at materia Extremæ Vnctionis non eſt quælibet vnctio poſsibilis, niſi ea, quæ fit in quinque ſenſibus.

9 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt deſumptum ex ordinibus, reſpondetur, vnum ordinem eſſe independentem ab alio, & eius effectus non dependere ab alio ordine: at vero vna vnctio vnius ſenſus dependet ab vnctionibus aliorum ſenſuum: quia remiſsio eorum peccatorum mortaliũ,quæ commiſſa ſunt per vnum ſenſum,nõ poteſt fieri ſine eo quod remittantur peccata aliorum ſenſuum.

10 Ad fundamentum tertiæ ſententiæ reſpondetur,in hoc ſacramento gratiam cauſari in fine earum vnctionũ, quæ fiunt in quinque ſenſibus,quia iſtæ tantum vnctiones ſunt eſſentiales, & non eſſe in poteſtate miniſtri, quod gratia non cauſetur in fine quinque vnctionum, ſed ſuſpendatur vſque ad ſeptimam vnctionẽ, quia hoc eſt contra inſtitutionem Chriſti.

11 Quæret aliquis primò, an ille, qui in prima vnctione non eſſet diſpoſitus ad recipiendam gratiam huius ſacramenti,& in vltima vnctione diſponeretur,reciperet gratiam? Et reſpondetur,recipere quidem quia gratia cauſatur in fine vltimæ vnctionis, qua ratione iudico, reſpectu ſacramentorum, quæ conſiſtunt in fieri, gratiam ab illis in anima produci in eo inſtanti,quo finitur ſacramentum, quod philoſophi vocant primum non eſſe?

12 Secundo quæres, quo modo, & ad quid ſit vngendus ille, qui perpetuo caret aliquo ſenſu,vt viſu, verbi gratia? Ad primam interrogationem reſpondetur, eſſe vngendum in illa parte, in qua deberet eſſe ſenſus,vt cæcus eſſet vngendus,ſi non haberet oculos,in illis partibus,in quibus deberent eſſe oculi, ſi adeſſent. Quod ſi talis pars deficiat,vt manus, debet vngi in parte propinquiori ſecundum communem ſententiam, quia ita cenſetur inſtitutum hoc ſacramentum, ne aliquis priuetur eius effectu. Ad ſecundam interrogationem reſpondetur cum recentioribus,hoc non obſtante bene poſſe vngi hominẽ in illa parte, in qua reſideret ſenſus,ſi adeſſet, nam forma huius ſacramẽti,intelligitur conditionaliter,ſi quid peccaſti per viſum,&c.alias ille,qui habens viſum non peccaſſet per illum, non deberet vngi in tali ſenſu,quod non eſt dicendum: imò ex eo poteſt vngi iſte cæcus in illa parte oculorũ, quia licet nõ peccauerit opere videndo res turpes: potuit tamen peccare per voluntatem eas res videndi.

QVAESTIO. VII.

Quis ſit capax recipiendi hoc Sacramentum?

SIT prima concluſio. Solus homo baptizatus eſt capax huius ſacramenti, quia baptiſmus eſt ianua omnium ſacramentorum. 1

Sit ſecunda concluſio. Illis,qui prius habuerunt vſum rationis, poteſt dari hoc ſacramentum, quamuis non habeant vſum rationis eo tempore,quo illud recipitur. Ita communiter *Theologi in 4. diſt. 23. ita Sylueſter verbo Vnctio Extrema,quæſt.5. Nauar. in ſumma cap. 22. num. 13.* Et ratio huius eſt, quia iſte talis potuit cõmittere peccatum, ante quam amitteret vſum rationis,& ideò ad illud tollendum poteſt eſſe maxime neceſſarium hoc ſacramentum: præſertim,ſi contingat,non potuiſſe infirmum recipere alia ſacramenta. At vero perpetuò amẽs non eſt capax huius ſacramenti, quia nunquam potuit peccare, ſicut neque infans, qui nondũ peruenit ad vſum rationis, ad quod ſacramẽtũ miniſtrandũ amenti temporali ſufficit volũtas virtualis,ſeu interpretatiua, qua rem ita vtilẽ, qualis eſt hoc ſacramentum cenſetur iſte, qui modo eſt amens, deſideraſſe,antequam incideret in amentiam. Ita *Palud. & Soto diſt. 23.* 2

Circa quod notandum eſt, curandum eſſe propter maiorem reuerentiam huius ſacramẽti,vt detur homini habenti vſum rationis,alias eſſet peccatum veniale. 3

Secundo notandum eſt, non eſſe dandũ hoc ſacramentum homini amenti, quem ſcimus cõmiſiſſe aliquod peccatum mortale, & non habuiſſe dolorem eius, quia ſacramentum eſt viuorum neceſſariò requirens in recipiente ſtatum gratiæ. Eo autem ipſo, quod ignoremus, infirmum eſſe in malo ſtatu, debemus credere, eſſe in bono,quia qui malus nõ probatur, ſem- 4

per præsumitur bonus: vnde cum *Innocentius 1. epist. 1. ad Decentium cap. 8.* inquit *Pœnitentibus non posse dari vnctionem*, ibi per pœnitentes intelliguntur excommunicati, aut alio modo separati à receptione sacramentorum.

5 Sit tertia conclusio. Solus infirmus est capax huius sacramenti. Patet ex verbis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, & ex Concilijs Florentino, & Tridentino locis citatis, & ex Innocentio in capite vnico de sacra vnctione.* Vbi oleum huius sacramenti appellat oleum infirmorum: imò solus ille infirmus est capax huius sacramenti, qui est constitutus in graui mortis periculo. Probatur primò, quia cum hoc sacramentum sit institutum ad curandos morbos, non creditur institutum pro quolibet morbo curando. Secundò probatur ex vsu Ecclesiæ, secundum quem hoc sacramentū validè non datur in quolibet leui morbo, dandum ergo est hoc sacramentum statim, atque quis est constitutus in graui mortis periculo, & morti propinquus, antequam amittat sensum, & rationem, & antequam de eius salute desperatum sit, vt sine miraculo possit homo sanari per hoc sacramentum. Et confirmatur, quia hoc sacramētum est vltimum, & datur contra reliquias peccatorū, quæ in articulo mortis magis vrgent, ergò circa illum articulum dandum est hoc sacramentum. Vt hoc sacramentum validè conferatur, satis est, aliquem grauiter ægrotare, licet non sit in vero periculo mortis, sed præsumpto prudenter vt tali. Patet, quia alias semper esset expectandus verus articulus mortis, cum ante eum communiter sit dubium de periculo, & tunc sæpissime deesset ex aliquo capite copia sacramenti, atq; ita homines frustrarētur eius salutifero fructu, & effectu, quod insinuat *Trid. Session. 14. cap. 3.* vbi dicit: *Hanc vnctionem infirmis adhibendā, illis vero præsertim qui tā periculose decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videātur*, ergo satis est probabile iudicium periculi.

6 Sit quarta conclusio. Hoc sacramentum potest dari ei, qui nunquam actualiter peccauit. Ita sentiunt *D. Bonauent. in 4 dist. 23. part. 2. ar. 1. quæst. 2. Ricard. art. 2. quæst. 4. & Suar. 4. tomo disp. 41. sect. 2.* Probatur, quia in istis Extrema Vnctio causat augmentum gratiæ, & eos præparat ad introitum gloriæ, & alias tollit ab eis reliquias peccati originalis, quas explicauimus supra, ergo quamuis non tollat peccata, propter hos tamē effectus necessarium est hoc sacramentum in his, qui peccatum actuale non commiserunt. Et confirmatur, quia si aliquid obstaret, maxime, quod non verificatur de illis forma huius sacramēti, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c. Sed hoc non obstat, quia hęc verba intelligūtur sub cōditione, si quid peccasti. Vt indicatur in illis verbis Iacobi: *Si in peccatis est, dimittentur ei*: imò etiam sensus huius formæ potest esse. Deus confe-rat tibi gratiam, quæ ex se remittat peccata, si quæ sunt, & confortet contra reliquias peccatorū, quæ reliquiæ modo explicato in quæst. 5. possunt reperiri in eo, qui non peccauit actualiter, & tamen potest peccare.

Vnde hoc sacramentum, quamuis primario tollat reliquias peccati originalis, quatenus roboratæ sunt per peccata actualia, secundario tamen aufert reliquias peccati originalis solius, quamuis istæ non fuerint roboratæ per peccata actualia, vt in eo casu, quo nullum sit commissum peccatum actuale. Vnde si supra diximus, non posse infantibus ante vsum rationis conferri sacramentum, sic est intelligendum, quod non possit conferri hoc sacramentum, tùm quia non potest infans peccare, tum etiam, quia licet habeat reliquias peccati originalis, vt inclinationem ad malum, &c. tamen istæ reliquiæ non inclinant ad peccatum formaliter quatenus est offensa Dei, quia eius non est capax infans, sed tantum inclinant ad peccatum materialiter, vt verbi gratia ad nimi comedendum, &c. 7

Beata virgo secundum multos Auctores creditur recepisse hoc sacramentum, etiamsi peccatum actuale, & originale non habuerit, quia fuit capax augmenti gratiæ, quod confertur per hoc sacramentum, tùm etiam, quia ex vi suæ originis, & conceptionis contraheret peccatum originale, nisi ex speciali priuilegio Dei fuisset præseruata. Sed credo Beatissimā Virginem hoc sacramentum non recepisse, quia non indigebat primario effectu, neque secundario, supra in quæstione quinta explicato. 8

QVÆSTIO VIII.

Quis sit minister huius Sacramenti?

SIт prima conclusio. Sacerdos est minister Extremæ Vnctionis. Patet ex verbis Iacobi vbi dicitur: *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, per quos presbyteros *Concilium Tridentinum Sessione 14. cap. 3.* Intelligit Sacerdotes. Probatur, quia Sacerdos habet potestatem supra corpus Christi verum, & habet potestatem conficiendi Eucharistiam, ergo habet eam supra corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia. Et confirmatur, quia hoc sacramentum est quasi quoddam complemētum Sacramenti Pœnitentiæ, quia pœnitentia remittit peccata, & istud sacramentum tollit reliquias peccatorū, ergo sicut Sacerdos potest ministrare sacramentum Pœnitentiæ, ita etiam potest ministrare hoc sacramentum: quia autem hoc sacramentum administratur per modum medici- 1

næ,

næ, & non per modum iudicij non requiritur A
ad illud iurisdictio, sed solus ordo sacerdotalis,
quod etiam patet ex illis verbis Iacobi, *Inducat*
presbyteros Ecclesiæ, in quibus solum requiritur
ordo Sacerdotalis.

Secanda conclusio. Ille, qui non est Sacer-
2 dos, non potest valide conficere hoc sacramen
tum. Patet quia in administratione huius sa-
cramenti *Diuus Iacobus, & Concilia*, solum fe-
cerunt mentionem Sacerdotis, ergo ille qui
non est Sacerdos non potest esse minister hu-
ius sacramenti. Cõfirmatur ex rationibus pri-
mæ conclusionis, quæ etiam hoc probant.

3 Tertia conclusio. Vnus Sacerdos solus po-
test conficere hoc sacramentũ. Probatur *ex ca.*
quæ sinit. de verborum significatione, vbi hoc de-
finit Pontifex. Vnde regulariter loquendo, B
& extra casum necessitatis ab eodem ministro
debet perfici hoc sacramentũ, à quo inchoatũ
est, & debet minister esse vnus tãtũ, vt perfecte
repræsentetur Christus, autor sacramentorũ,
qui vnus est, nõ requiritur autem essentialiter,
quod minister sit vnus tantum, quia sicut plu-
res possunt vnum baptizare, sic & plures pos-
sunt ministrare hoc Sacramentum Extremæ
Vnctionis, quando tamen necessitas non vr-
ger vnus tantum debet esse minister, alias cõ-
mitteretur peccatum mortale, quod si Iacobus
dixit: *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, ibi numerus
pluralis sumitur pro singulari.

Sit quarta couelusio. Hoc sacramentum nõ
4 est validum, si ita cõficiatur à duobus, vt vnus
proferat verba formæ, & alius applicet vnctio
nes. Patet, vsus enim Ecclesiæ nunquam hoc
admisit: & confirmatur, quia in Sacramento
Baptismi, quod est magis necessarium, hoc nõ
potest fieri, ergo neq; in hoc sacramẽto, quod
est minus necessarium.

5 Sit quinta conclusio. Validum est hoc sacra
mentum si aliquæ vnctiones cum suis formis
correspondentibus fiant ab vno Sacerdote, &
aliæ ab alio. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist.* 23.
quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 2. ad tertium, Duran-
dus quæst. 1. in fine, Sotus quæst. 1. art. 1. Syluester
verbo Extrema Vnctio, quæst. 4. Probatur, quia
ex eo quod vnus Sacerdos confecit priores vn
ctiones cum suis formis, & posteriores non cõ
fecit, quia non potuit propter mortem suam,
non debet infirmus priuari hoc sacramento,
potest ergo ab alio exhiberi, at non potest ab
alio exhiberi, repetendo primas vnctiones,
quia illæ fuerunt validæ, integræ, & comple-
tæ, & non possunt repeti iterum, sicut neque
hostia semel consecrata potest iterum conse-
crari, ergo ille alius Sacerdos, qui subsequitur
solum debet posteriores vnctiones cum suis
formis efficere. Confirmatur, quia quamuis in
alijs sacramentis sacramentum inceptum ab
vno ministro nõ posset consummari ab alio, vt
in Baptismo. &c. ex eo est, quia non consistit

A in pluribus materijs, & formis partialibus, sed
in vna tantum materia, & forma, at hoc sacra-
mentum habet plures materias, & formas par-
tiales, ergo licet quædam vnctiones fiant ab
vno Sacerdote, aliæ tamẽ possunt fieri ab alio
Sacerdote. Sicut in sacrificio Missæ, si Sacer-
dos moriatur post consecrationem hostiæ, a-
lius Sacerdos debet consecrare calicem, & pro
sequi sacrificium, & quidẽ extra casum neces-
sitatis graue peccatum committeretur eo mo-
do diuidendo vnctiones propter rationem ter
tiæ conclusionis, in casu vero necessitatis nul-
lum.

Obijciet aliquis contra hæc. Videtur, quod 6
Sacerdos non sit minister huius sacramenti si-
ne licẽtia Episcopi, *nam in cap. presbyteros dist.*
B 59. dicitur, *permitti presbyteris vngere infir mos*
oleo sanctificato. Ad hoc respondetur primò *cũ*
Soto in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 1. illud verbũ per
mitti, additum esse à Gratiano, & non esse ip-
sius canonis, vnde non esse habendam huius ra
tionem. Secundò respondetur, per hæc verba
sufficienter ostendi, officium presbyterorum
habẽte sibi annexam potestatem ministrandi
hoc sacramentum, verbum enim, permittimus
largo modo sumptum etiam hoc aliquando sig
nificat.

Secundò obijcies *Innocentium I. epist. 1. cap.* 7
8. asserentem, omnibus fidelibus licere vti o-
leo sancto ad vngẽdos suos infirmos. Ad quod
respondetur cum *Enriquez in summa lib. 3. de cõ-*
firmatione, & Extrema Vnctione, cap. 13. hoc es-
C se intelligendum, quia olim concedebatur pijs
laicis, vti oleo infirmorum, non ad sacramentũ
conficiendum, sed ad sanitatem causandam in
corporibus, sicut *Marci 6.* efficiebant Aposto-
li, & ad hunc effectum olim sumebatur oleum
hoc, vt docet *Rufinus lib. 11. historiæ Ecclesiasti-*
cæ, cap. 4. & alij.

Non est tamen silentio prætereundum, quẽ 8
uis Sacerdotem extra casum necessitatis sine
licentia parochi valide ministrare hoc sacra-
mentum, quia non est actus iurisdictionis, non
tamen licite, saltim sine ratihabitione, quia cõ-
ferre sacramenta attinet ad officium pastoris.
Quare religiosi, qui sine licẽtia pastorum spe-
D ciali personis non religiosis sacramentum hoc
conferunt, incurrunt pœnam excommunica-
tionis ipso facto *ex Clementina prima de priuile-*
gijs. Alij Sacerdotes tamen propter hoc non
excommunicantur, licet grauiter peccent, in
necessitate tamen, quando ægrotus esset mori
turus sine hoc sacramento, quilibet Sacerdos
potest licite illud ministrare etiam parrocho
dissentiente, quia Ecclesia dat in eo casu iuris-
dictionem, ita recentiores Theologi, & merito
quia sacramentum est magnæ vtilitatis, vnde
credendum est, piam matrem Ecclesiam con-
cedere in isto casu facultatem cuilibet presby-
tero, ne homines tanto beneficio priuentur.

Quæst.

QVAESTIO. IX.

Vtrùm baptizati teneãtur recipere hoc Sacramentum?

1 PETRVS *Soto lectione 2. de hoc sacramento,* sentit hoc sacramentum esse sub præcepto. Probatur ex *Concilio Coloniensi anni 1536. part. 7. cap. 50.* vbi dicitur: *Est autem vnctio impendenda cum expositione vnctionis, & mandati Apostolici,* vbi per illa verba, *mandatum Apostolicum,* denotatur hoc sacramentum esse sub præcepto. Et probatur ex *Conc. Senonensi in decretis fidei decreto* 10. sub illis verbis: *Nt hic noster vngendi infirmos ritus Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dicit Iacobus, infirmatur quis in vobis.* Ex quo loco patet, homines obligari ex Christi præcepto ad recipiendum sacramentum hoc.

2 Sit prima conclusio. Non est aliquod præceptum recipiendi hoc sacramentum. Ita sentiunt *Summista verbo Vnctio Extrema, Couarru. cap. alma mater, 2. part. §. 2. num. 6.* Probatur, quia tale præceptum neque constat esse traditum à Christo, neque ab Ecclesia, neque sequitur ex natura rei, quia licet hoc sacramentum sit vtilissimum ad salutem animæ, non tamen est simpliciter necessarium. Nemo autem tenetur ex lege etiam charitatis, procurare id, quod est vtilissimum, præsertim, quia fructus huius sacramenti potest adquiri per orationẽ, & sacrificia, ergo non est tale præceptum.

3 Sunt autem aliqui casus, in quibus hoc præceptum obligat. Primò ad vitandum scandalũ, vt in eo casu, quo sequeretur in Republica scandalum, & contemptus huius sacramenti ex eo, quod vir aliquis egregius & sanctus nõ reciperet hoc sacramentum. Secundò secundũ considerationem piorum hominum, quando quis haberet aliquod peccatum mortale, & nõ posset aliud sacramentum recipere, nisi hoc nam tunc ex lege charitatis videtur obligari infirmus, licet moraliter sit certus, se habere contritionem, ad recipiendum hoc sacramentum, quia cum difficile sit, & incertum, habere cõtritionem, tenetur quilibet in illa necessitate constitutus adhibere securius remedium, quale est hoc sacramentum.

4 Sit secunda conclusio. Non tenetur quisante Extremam Vnctionem, viaticum, aut confessionis sacramentum recipere ex vi Extremæ Vnctionis, saltim sub peccato mortali, quamuis propter consuetudinẽ Ecclesiæ possit esse veniale. De viatico patet, quia cum viaticum sit sacramentum requirens statum gratiæ perfectissimum, non est necessaria dispositio ad Extremam Vnctionem: imò in aliquibus A Ecclesijs viaticum recipitur post Extremam Vnctionem. De confessione patet, quia potest quis per contritionem disponi sufficienter, & postea recipere Extremam Vnctionem. & tandem confiteri, neque extat præceptum de præmittenda confessione. Vnde respondetur ad Concilia, ad Coloniense respondetur, ibi esse sermonem de præcepto docẽdi populum hoc sacramentum, non autem de præcepto vtendi illo. Ad secundum de Concilio Senonensi respondetur, ibi loqui Concilium de mandato, quo præcepit Christus Apostolis, vt infirmos curarent.

B

QVÆSTIO X.

Ad quid teneantur ministri huius Sacramenti?

IN hac quæstione primo certum est secundum communem sententiam, teneri parrochum sub peccato mortali, & ex iustitia ministrare hoc sacramentum. Patet, quia parrochus tenetur sub peccato mortali ministrare suis ouibus remedia ordinaria ad salutem, quæ Christus instituit in Ecclesia, etiamsi non sint necessaria ad salutem, sed solùm vtilissima, sed huiusmodi est hoc sacramentum, ergo tenetur illud ministrare. 1

Secundò certum est, simplicem Sacerdotẽ C non teneri ex officio ad ministrandum hoc sacramentum. Vnde neque ex iustitia, solum autem ex charitate deficiente parrocho tenetur simplex Sacerdos ministrare hoc sacramẽtum, quoties potest sine graui incommodo suo. Patet, quia hoc sacramento maximè indiget infirmus, & debemus succurrere ex lege charitatis graui necessitati proximi, quoties possumus, sine graui incommodo nostro. 2

Tertiò certum est, teneri ministrum esse in statu gratiæ ad hoc sacramentum ministrandũ, sicut diximus in tractatu de sacramentis in genere: imò debet esse liber ab excommunicatione, nam si esset excommunicatus toleratus ab Ecclesia, rogatus poterit dare sacramẽtum, & si non est toleratus, cum hoc sacramentum D non sit necessarium necessitate medij, neque præcepti, nisi in duobus casibus in præcedenti quæstione explicatis (in quibus etiam tunc licita est administratio) non poterit illud dare etiam in necessitate, quando alius non adesset, si tamen alius Sacerdos adesset, posset parrochus excommunicatus, imò & suspensus à iurisdictione, licentiam ei dare ad ministrandum Extremam Vnctionem, quia hoc non est exercere actum iurisdictionis, sed permittere, vt alter vtatur iurisdictione, vt dixit *Sylnester quæst. 4. verbo Extrema Vnctio,* sed tunc Ecclesia vide- 3

videtur, talem licentiam dare, ne homo moria-
tur sine tanto sacramento, & parrochus tantū
designat personam.

4 Difficultas vero est, an teneatur parrochus
ministrare hoc sacramentum, & sacramenta
Confessionis, & Eucharistiæ tempore pestis
cum periculo propriæ vitæ, quando non pos-
sunt sine periculo sacramenta ministrari?

5 In qua difficultate sunt aliquæ diuersæ sen-
tentiæ. Prima asserit, solum teneri parrochum
ministrare hæc sacramenta, quando moraliter
timetur æterna damnatio proximi, si absque
his sacramentis moriatur, quia non creditur eū
fuisse per contritionem iustificatum. Ita vi-
dentur sentire *Armilla verbo Episcopus, num.*
6. Tabiena eodem verbo, num. 5. Secunda senten-
tia defendit, solum teneri parrochum ad mini-
strandum sacramentum Confessionis, quando
imminet periculum vitæ, non vero alia sacra-
menta minus necessaria. Ita docet *Maior in 4.*
dist. 27. quæst. vltima. Tertia sententia asserit,
teneri parrochum cum periculo propriæ vitæ
ad ministranda sacramenta confessionis, & Eu-
charistiæ, non vero ad ministrandum sacramē-
tum Extremæ Vnctionis. Quarta sententia est,
teneri parrochum ad ministranda hæc omnia
sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extre
mæ Vnctionis, etiam cum periculo mortis. Ita
Ioannes Erbius in homilia vltima Dominica 2. post
Pascha, & alij.

6 Sit prima conclusio. In extrema necessita-
te spirituali quilibet Sacerdos tenetur minis-
trare sacramenta populo saltim ex charitate.
Patet, quia charitas obligat ad procurandam
salutem spiritualem proximi cum damno cor-
porali nostro, at vero parrochi tenentur mini-
strare sacramenta ex iustitia. Probatur, quia
parrochi tenentur ex vi sui muneris, & officij
ministrare sacramenta suis subditis, sed talis o-
bligatio est iustitiæ, ergo tenentur ex iustitia
parrochi ministrare sacramenta. Ita communi
ter *Theologi cum Diuo Thoma 2. 2. quæst. 26. art.*
5. vnde pastores non possunt fugere tempore
pestis, sed tenentur per se adesse, vel per vica-
rios sufficienter omnibus suis prouidere.

7 Circa quam conclusionem, primo notandū
est, Episcopos benefacere, si in ciuitate sua ma
neant, quando in ea est pestis, quia ibi possunt
pericula præcauere, & conuenientius prouide
re animarum saluti, non tamen peccabunt E-
piscopi, si eo tempore, quo ciuitas est infecta
peste, in qua est sedes Episcopalis, confugiant
ad alium locum suæ Diœcesis, imò etiamsi to-
ta Diœcesis est peste infecta, possunt fugere
ad alium locum alterius Diœcesis. Qui sit pro
ximus suæ Diœcesi, & ex quo facile possint
adhibere sufficientia remedia suæ Diœcesi,
quia ipsi non tenentur immediatè sacramenta
ministrare, sed mediatè, & per parrochos, &
exhortationes, & alia munera per alios legiti-

A mos ministros possunt exercere. Tunc autem
præceptum residendi in sua Diœcesi, cuius me
minit *Trident. Sess. 23. cap. 1. de reformatione,*
non obligat, quia conuenientius est, vt prop-
ter bonum commune seruetur persona Episco
pi, & sic prouideatur saluti animarum. Non
poterit autem Episcopus recedere in locum
valde distantem à Diœcesi, etiamsi relinquat
vicarium sufficientem, quia ipse tenetur esse
prope obligatione personali, & quia alias mo-
raliter loquendo oues exponuntur maximis
periculis.

Secundò notandum est, parrochum non ita 8
facile posse discedere à suo populo, atque E-
piscopum à sua Diœcesi. Patet, quia est imme
diatus minister sacramentorum, & quia cum
B sit subditus, indiget licentia Episcopi, qui cum
conueniens fuerit, poterit cogere parrochum
ad residendum in sua Diœcesi tempore pestis,
sed tamen si relinquat parrochus sufficientem
vicarium, poterit abesse à suo loco, & Diœcesi
de licentia Episcopi.

Sit secunda conclusio. Parrochus tenetur
ministrare sacramentum confessionis tempo- 9
re pestis etiam cum manifesto periculo mor-
tis. Patet, quia salus æterna præferenda est vi-
tæ corporali, sed ad salutem æternam est me-
dium necessarium sacramentum Confessionis,
quia est secunda tabula post naufragium, sine
qua homines exponuntur maximo periculo
damnationis æternæ, ergo propter ministran-
dum tale sacramentum nihil mirum, si parro-
C chi, qui in tota vita aluntur, vt huiusmodi ne-
cessitatibus subueniant, se exponant mortis
periculo. Neque valet, quod fideles possunt
saluari per contritionem sine sacramento Pœ-
nitentiæ, vnde parrochi non ita rigorose obli-
gari debent ad illud ministrandum, nam respō
detur, habēte contritionem, esse rem difficilli
mam, & ideò, qui non suscipit sacramentum
Confessionis, est in morali periculo æternæ
damnationis, & in tam graui necessitate con-
fessionis, vt ad eam ministrandam obligetur
parrochus sub periculo vitæ. Ita sentiunt *A-*
drianus dub. 8. de Confessione, Nauar. in summa,
cap. 24. num. 23. & communiter Doctores. Quod
si parrochus certo sciret, subditū nō peccasse
mortaliter, & esse bene dispositum ad mortem
D neque indigere confessione, & ipse se expo-
neret periculo mortis illam ministrando, re
vera non teneretur illam audire. Patet, quia
subditus nō est in graui necessitate confessio-
nis, ergo parrochus non debet illam ministra-
re cum graui periculo propriæ vitæ, hoc enim
esset, efficere intolerabile munus parrochi.

Sit tertia conclusio. Parrochus tenetur mi- 10
nistrare sacramētum Eucharistiæ tempore pe-
stis cum periculo vitæ. Ita *Suarez 4. tom. in 3.*
part. disp. 44. in fine. Probatur, quia hoc sacramē
tum communicat animę multa auxilia ad salu-
tem

tem maxime necessaria, & ad euitandas tentationes vtilissima, & est necessarium necessitate præcepti, & alias potest dare per accidens primam gratiam, si homo non recepisset prius sacramentum pœnitentiæ, vel illud recepisset sinè vera attritione, & postea haberet attritionem, & existimaret, illam esse veram contritionem: ergo cum tot modis sit vtile hoc sacramentum, conferendum est etiam cum periculo vitæ ipsius parrochi, etiamsi subditus sacramentum Pœnitentiæ receperit.

11 Sit quarta conclusio. Si parrochi tempore pestis possent sine periculo vitæ conferre Extremam Vnctionem, etiamsi illa tantum sit generaliter necessaria, debent illam conferre sub pœna peccati mortalis. Patet, quia est sacramẽtum valde necessarium, ergo parrochi tenentur illud ministrare sine suo periculo.

12 Sit quinta conclusio. Si infirmus non potuit recipere alia sacramenta, sed solum potest recipere Extremam Vnctionem, & dubitatur, an ille infirmus commiserit aliquod peccatum mortale, tunc parrochus tenetur illam ministrare etiam cum periculo vitæ. Patet, quia au- A xilia, quæ per hoc sacramentum in articulo mortis dantur, maxime sunt homini vtilia, & maximè necessaria, quando non sunt communicata alia adiumenta per alia sacramenta, & alias poterit contingere, vt supra vidimus, vt homo solum attritus existimans se habere cõtritionem, recipiat primam gratiam per hoc sacramentum, ergo obligandus est parrochus ad illud ministrandum sub peccato mortali.

Sit sexta, & vltima in hac materia conclusio. Non obligatur parrochus cum periculo 13 propriæ vitæ ad ministrandum hoc sacramentum, cum infirmus recepit alia sacramenta cõfessionis, & Eucharistiæ. Patet primò, quia B hoc sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem, aut necessitate præcepti. Deinde per alia duo sacramenta sufficienter prouisum est necessitati infirmi, ergo non est valde necessarium sacramentum Extremæ Vnctionis: quare ad illud ministrandum in isto casu non est obligandus parrochus sub mortali cum periculo propriæ vitæ.



TRACTA-

TRACTATVS VNICVS DE SACRAMENTO ORDINIS.



DE hoc Sacramento multi disputauere Doctores; qui tam antiquis, quàm nostris tẽporibus floruerunt, Patres varijs in locis, quos contra hæreticos referunt recentiores; *Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis. cap. 28. Sanderus de visibili Monarchia Ecclesiastica, lib. 1. & 7. Cardinalis Bellarm. lib. de ordine tomo 2. D. Thom. in Additionibus ad tertiam partem, quæst. 34. & sequenti, ex Scholasticis Sotus 4. dist. 24. Enriquez in summa lib. 10. Summista verbo ordo, Vazquez 3. tomo in tertiam partem disp. 235. Conine. tomo de Sacramentis à disp. 20. de ordine, & Reginaldus tomo 2. suæ praxis lib. 30.* cuius sacramenti maxime meminerunt *Concilium Lateranense, Florentinum. & Tridentinum, & Decretalia in titulo de ætate, & qualitate ordinandorum, & titulo de temporibus ordinationum.*

QVAESTIO. I.

Vtrùm ordo sit Sarramentum nouæ legis, & in quo consistat?

1 PRo quæstionis intelligentia quædam notanda sunt. Primum sit, hic nomine ordinis nos minime intelligere alios quoscunque ordines, sed tantum ordinationẽ Ecclesiasticam, qua homo ad aliquod ministerium in Ecclesia exercendum deputatur.

2 Secundum sit, hoc sacramentum ordinis denotari ab effectu, sicut enim sacramentum Cõfirmationis sumpsit denominationem ab effectu, quem in anima producit, scilicet, confirmandi, seu corroborandi animum per gratiã, quam causat in anima, ita hoc, de quo loquimur, sacramentum, ordo nuncupatur, ab effe- A ctu constituendi hominem in gradu quodam, & ordine Ecclesiasticæ dignitatis.

3 Tertium sit, antiquitus hoc sacramentũ non esse dictum ordinem, sed ordinationem, vt notant *Lindanus lib. 4. Panopliæ Euangelicæ capit. 75. §. quod hodie, & Vazquez 3. tom. in 3. part. disp. 235.* modo tamen vsum Ecclesiasticum merito obtinuisse, vt hoc sacramentum, & ordo, & ordinatio appelletur.

4 *Lutherus lib. de captiuitate Babylonica, cap. de ordine, Illiricus in confeßione Antuerpiensi cap. 51. & Kemnitius in 2. parte examinis,* manifeste negant hoc sacramentum, & de illo maligne loquuntur.

5 Sit tamen Catholica conclusio, ordinationẽ B Ecclesiasticam verè, ac proprie sacramentum esse. Probatur primò ex traditione Ecclesiæ. Nam *Eugenius IIII. in decreto fidei in Concilio Florentino post Seßionem vltimam, §. sextum Sacramentum.* Inter sacramenta Ecclesiæ, quæ cõtinent gratiam, & eam efficiunt, enumerat ordinem, & *Concilium Tridentinum Seßione 7. canone primo de sacramentis*, inter alia septem Sacramenta à Christo instituta constituit ordinem, quam etiam veritatem suis nobis scriptis illustrarunt *Innocentius I. in epistola 18. ad Alexandrum Episcopum, cap. 3. & Leo I. epistola 81. quæ est ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, Dionysius cap. 5. de Ecclesiastica Hierarchia,* C *Tharasius in epistola, quæ est ad Adrianum, quæ est in primo to. Bibliothecæ sacræ. Theophilactus, & ... menius in illud secundæ ad Timotheum 1. admoneo te vt excites gratiam. August. lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1.* qui omnes vel vocant ordinationem sacramentum, vel quod in idem coincidit, asserunt, in ordinatione conferri gratiam. Secundò probatur hæc veritas ex scriptura, ex qua tria deducuntur, ex quibus sacramentum coalescit. Primum ceremonia, sub qua fit sacramentum, seu signum sensibile. Secundum promißio gratiæ, quæ per ordinationem confertur. Tertium diuina institutio, media qua sacramentum Ordinis subsistit, & quidem

dem ceremonia ipsa sacra impositionis manuum, quæ reperitur in Sacerdotij sacramenti collatione aperte liquet ex *1. ad Timotheum cap. 5.* vbi dicitur: *Nemini cito manus imposueris,* quę impositio sine dubio est ceremonia huius sacramenti, & non alia, qua Deo homines cōmendarentur: nam statim subdit Paulus; *Ne communicaueris peccatis alienis.* Hoc autem nequit dici de oratione, nam per hoc quod quis cito, & sine examine peculiari alium Deo cōmendet, non propterea peccabit, vel communicabit peccaris alienis, quod bene tamen potest dici de eo, qui sacris initiat aliquem sine sufficienti examine vitæ, & morum, quia in hoc grauiter delinquit. Et deinde probatur hoc idem *ex Paulo 2. ad Timotheum 1. Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Quo testimonio vtitur pro hac veritate confirmanda *Tridentin. Sessio. 23. cap. 3.* quæ duo locs esse intelligenda de ordinatione probant *Patres Ecclesiæ, & expositores Catholici super hunc locum.*

6 Præterea, quod in scriptura sit promissa gratia conferenda in ordinatione, probatur primò, ex *1. ad Timot. 4. in illis verbis. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Vbi nomine prophetiæ non denotatur prophetiā fuisse instrumentum ad causandam gratiam, sed per reuelationem accepisse Paulum, vt suū Discipulum Episcopum constitueret. Vltimò ex scriptura colligitur institutio huius sacramenti, nam *Actorum 20.* dicitur: *In quo nos Spiritus sanctus posuit Episcopos, & ad Ephesios 4.* dicitur: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores.* Sed Episcopi, & pastores ordinati sunt à Deo, vt sacramētum Ordinis conferrent, ergo dum Christus, instituit Episcopos, & Pastores, etiam sacramentum Ordinis instituit.

Vt vero ad definitionem sactamenti gradū
7 faciamus *Magister Sententiarum in 4. dist. 24. cap. si autem quæritur,* definit sic sacramentum Ordinis: *Ordo est signaculum, id est, sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium,* sed hanc definitionem merito reijcit *Vazquez loco citato, cap. vltimo* ex eo, quod in ea definitum ingreditur definitionem sui ipsius, vt patet ex illa particula ordinato, at nihil potest per se ipsum definiri, sed per aliquid distinctum, alteram definitionem *Vazquez loco citato,* adducit his verbis contentam: *Est signum Ecclesiæ à Christo Domino institutum, quo traditur alicui potestas, & officium,* quæ definitio non clare, & expresse explicat naturam sacramenti ordinis, sed implicite, & inuolute. Vnde ea mihi placet definitio, quæ colligitur *ex Soto 4. dist. 24. & Coninc. disp. 20. dubio 1. de ordine est, sacra quædam ceremonia à Christo Domino instituta, qua traditur alicui potestas spiritualis*

A *in ordine ad mysterium venerabilis Eucharistiæ peragendum.* Hæc autem definitio, si recte inspiciatur, optime explicat naturam Ordinis, & omnes ordinum gradus comprehendit, quia Sacerdoti peragenti mysterium Diaconus, & Subdiaconus inseruiunt eo modo, quo postea explicabimus, dum functiones, & officia propria Diaconorum, & Subdiaconorum explicemus.

QVÆSTIO II.

Quot sint ordines in Ecclesia, & quæ sint eorum officia?

B

HAERETICI nostri temporis, vt refert *Bellarminus lib. de Clericis cap. 11.* tantum admittunt tres ordines Ecclesiasticos, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, alia vero officia, quæ sunt in Ecclesia, non esse ordines Ecclesiasticos, nec certo numero definiri. Probatur primò, quia patres huiusmodi officia modo plura, modo pauciora enumerant, & generaliter tantum conueniunt in illis tribus ordinibus numerandis, vt *Diuus Dionysius cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & Canon Apostolorum 34. secundum alios 42. & 43.* Secundo probatur, quia officia aliorum ordinum præter exorcistæ obeunt iam laici, ergo ad ea non sunt consecrati
C aliquando ministri. Tertiò, quia vt patet ex *Actorum 6.* etiam diaconi fuerunt primo solū ex occasione creati, vt ministrarēt mensis pauperum, quod non est officium sacrum, ergo etiam modo ad officia minorum ordinum, non est necesse ministros cōsecrari, si quidem possunt per laicos exerceri. 1

Alij voluerunt primam tonsuram esse ordinem Ecclesiasticum vt *Maior 4. dist. 24. Angelus in summa verbo, ordo primo numero 1.* Probatur hæc sententia *ex cap. cum contingat de ætate, & qualitate ordinandorum,* vbi hæc sunt verba: *Cum contingat aliquando, quod laici ad monasteria conuolantes à suis Abbatibus tonsurentur, requisisti, an clericatus ordo in tonsura huiusmodi cōferatur.* Nam cū his verbis, & in fine capitis prima tonsura appellatur ordo clericatus, alijs omnibus annumerandus videtur. Probatur secundò *ex Sixto V. in motu proprio edito anno 1588. Nonis Ianuarij,* vbi primam tonsuram appellat *characterem clericalem.* 2

Alij denique volunt, Episcopatum esse distinctum ordinem Ecclesiasticum ab alijs omnibus, sed de eo latior erit sermo in alia quæstione. Alij tandem, vt *Tilmanus, quem refert Coninc. disp. 20. dubio 2.* addunt his ordinibus, quos postea numerabimus, ordinem cantorum, seu Psalmistarum, quod probant *ex Concilio IIII.* 3

Cartha-

Carthaginense cap. 10. vbi fit mentio huiusmo-
di personarum.
Sit tamen prima conclusio de fide. Ab ini-
4 tio nascentis Ecclesię fuerunt septem veri or-
dines Ecclesiastici, scilicet Sacerdotum, Dia-
conorum, Subdiaconorum, Acolytorum, E-
xorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, hanc
conclusionem expresse docuit *Concilium Tri-
dentinum Sessione* 23. *capite secundo.* De ordine
Sacerdotum, & Diaconorum non potest es-
se ambigendi locus, quia scriptura sæpe eo-
rum mentionem facit. De alijs vero ordini-
bus tanquam de rebus in Ecclesia antiquis me-
minerunt antiquissimi Pontifices Ecclesiæ, vt
*Cornelius Pontifex in epistola ad Fabianum, Ca-
ius Pontifex epistola ad Felicem Concil. Romanũ,
sub Syluestro cap.* 3.
5 Secunda conclusio. Proprie loquendo tan-
tum reperiuntur in Ecclesia illi septem ordi-
nes, quos in prima conclusione recensuimus.
Ita sentit *Diuus Thomas in supplementis quæstio-
ne* 32. *articulo secundo*, quem communiter se-
quuntur Doctores tam antiqui, quàm recen-
tiores, vt constat *ex Vazquez tertio tomo in ter
tiam partem disp.* 236. *ex Coninc. loco citato*, *ex
Reginaldo lib.* 30. *praxis pœnitentialis cap. primo.*
Probatur sufficienter ex *Tridentino loco citato*,
vbi tantum prædictos septem ordines enume-
rat, vbi cum Concilium contendat nobis de-
clarare doctrinam Catholicam, & se oppone-
re hæreticis, qui aliquos ordines admittebant,
& aliquos negabant, videtur expresse inten-
disse, omnes Ecclesiasticos ordines nobis re-
censere, alias diminuta esset eius doctrina.
6 Tertia conclusio. Prima tonsura non est
proprie ordo Ecclesiasticus. Ita sentiunt quã
plurimi Doctores, vt *Diuus Thomas in quarto
dist.* 24. *quæstione* 3. *articulo primo, quæstiuncula
secunda, Durandus ibidem quæstione quarta, Do-
minicus Sotus ibidem, quæst.* 2. *art.* 1. *ad quartum,
& communiter recentiores Theologi.* Hæc con-
clusio probatur primò, ex secunda conclusio-
ne, in assignanda vero ratione diuisi sunt in-
ter se Doctores, vt patet ex *Vazquez loco cita-
to*, ea tamen mihi sufficiens videtur esse, quia
vt vidimus in prima quæstione ille tantum di-
cendus est ordo Ecclesiasticus, in quo datur
potestas ad aliquod officium peculiare in Ec-
clesia deseruiens sacrificio altaris, sed per pri-
mam tonsuram non datur hæc specialis pote-
stas, nam per illam solum designantur homi-
nes ad laudes Dei in templo decantãdas, quod
commune est toti statui clericali: ergo prima
tonsura non est ordo specialis, sed quædam ve
luti ianua, & dispositio ad reliquos ordines
suscipiendos.
Ad argumenta hæreticorum respondetur.
7 Ad primum Patres Ecclesiæ in illis locis non
disputasse expresse de numero ordinum Ec-
clesiasticorum, sed illorum tantum meminis-

A se, qui ad suum propositum tunc pertinebant,
alios vero omisisse. Ad secundum dicimus,
sæpe laicos officia minorum ordinum; vt O-
stiarij, Acolyti, & Lectoris exercere, quia dif-
ficile inueniuntur clerici, præsertim in Ec-
clesijs parrochialibus pauperibus, qui huius-
modi officia obire possint. Ad tertium late
respondet *Vazquez loco citato, capit. quarto*, Bre
uiter tamen respondetur, *Actorum sexto*, ele-
ctos fuisse *Stephanum*, & alios sex Diaconos,
seu ministros ab Apostolis, vt pauperum cu-
ram haberent, & mensis eorum præessent, &
ad hoc vt eis debita alimenta præberentur, nõ
vero tunc temporis fuisse electos ad aliquod
sacrum ministerium, quamuis ad hoc ante vel
postea (quod non est nostrum disputare) fue-
B rint electi: responsum hoc sequuti sunt Theo-
phylactus, & Arethas super illum locum Acto
rum. Quod ex eo etiam patet, quia septem
viri, vt patet consideranti textum, electi fue-
runt loco viduarum, quæ mensis ministrare,
& præesse antea solebant, at qui viduæ non
præerant dispensationi Eucharistiæ, aut alicui
ministerio sacro, sed mensis laicis, & profanis,
ergo Diaconi, seu ministri (qui idem sunt) nõ
sunt electi *Actorum* 6. ad aliquod ministerium
sacrum, neque tunc receperunt ad illud offi-
cium characterem sacramentalem Diaconatus.
Ad primum argumentum secundæ sentẽtiæ 8
de ductum *ex cap. cum contingat*, respondetur or
dinem in eo cap. sumi pro gradu quodam su-
pereminenti, non quidem inter ministros Ec-
C clesiæ, & respectu illorum, sed respectu fide-
lium laicorum. Ad secundum ex *Sixto V.* dici-
mus primam tonsuram appellari characterem
clericalem, non quia prima tonsura sit sacramẽ
tum, aut imprimat characterem, hoc enim cõ
munis sententia negat, sed quia per eam con-
signatur, seu designatur homo, & disponitur
ad statum clericalem. Sicut enim ad reliqua
sacramenta suscipienda baptismus ianua est, &
dispositio, ita etiam ad ordines suscipiendos,
& exercendos in templo Dei prima tonsura
ianua est.
Vt ad secundum quæstionis punctum gra- 9
dum faciamus, notandum est cum Theologis
recentioribus, duplex esse genus ordinum, a-
liud est ordinum sacrorum, aliud eorum, qui
D appellantur non sacri, & minores. Primi ge-
neris ordinis ex eo sacri appellantur (reli-
ctis alijs opinionibus, quæ non habent suffi-
ciens fundamentum) quia annexum habent
votum castitatis, per quod homines Deo
consecrantur, quod postea videbimus. Ma-
iores vero dicuntur ordines huius primi ge-
neris, propter sacrificium altaris, nam cum
tres sint ordines maiores, scilicet Sacerdo-
tum, Diaconorum, & Subdiaconorum, Sacer-
dos ex sua ordinatione destinatur ad conficiẽ-
dum sacrificium altaris, quod ex natura sua

omnibus alijs sacrificijs maius est, Diaconi vero, & Subdiaconi Sacerdoti celebranti immediatè, & proximè assistunt, reliqui vero ordines, ad secundum genus pertinentes ex eo nuncupantur non sacri, quia non habent annexum votum castitatis, minorum vero nomine gaudent, quia Sacerdoti celebranti, nō proxime, sed remote deseruiunt.

10 Secundò notandum est, eum, quem Latini ministrum vocant, Græcos Diaconon appellare, vnde nomen Diaconi generaliter sumptum quemlibet ministrum siue sacrum, siue prophanum significat: vt notat *Michael Medina libro primo de continentia capite 13. & 25.* vsus tamen Ecclesiasticus eam vim obtinuit, vt solus minister altaris, cuius officium postea explicabimus, Diaconus dicatur.

11 Tertiò notandum est, nomen Sacerdotis sumptum esse à sacris, quia deputatus est ad sacrificia facienda, Sacerdotes etiam dicuntur presbyteri, quod nomem presbyteri Græcum est, & significat seniorem, & antiquiorem, etiam modo ex vsu Ecclesiastico hoc nomen solis Sacerdotibus simplicibus, & non Episcopis conuenit. At vero hoc nomen antiquitus Episcopis conueniebat, vt notat *Diuus Hieronymus epistola ad Heuagrium, quæ est 85. in principio, & Diuus Isidorus, lib. septimo Etymologiarum capite vndecimo §. presbyter*, quod aperte probatur ex illis verbis, *prima ad Timotheum quarto. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Vbi per presbyterium plane intelliguntur Episcopi, à quibus fuerat Timotheus consecratus, vt docent *Theophilatus, Oecumenius, & Hieronymus ibidem.* Nomen autem Episcopi Græcum est, & significat idem, quod superintendens, vt notant *Almainus libro de diuinis officijs capite 35. aliquantulum ante finem; Rabanus libro primo de institutione Clericorum, capite quinto.* Deinde dicitur etiam Episcopus Pontifex, vt notat *Diuus Isidorus lib. septimo Etymologiarum, capite duodecimo, §. Pontifex:* Quasi pontem, & viam sequentium Christum indicans, Sacerdotes autem nostri Ecclesiastici nunquam Episcopi, aut Pontifices dicti sunt. Et quidem licet nomine Pontificis modo communiter solùm Romanum Pontificem, seu Papam appellemus, antiquitus tamen etiam Episcopi dicebantur Pontifices, & iuxta eum vsum modo Ecclesia Romana in officio Confessorum Pontificum pro quolibet sancto Episcopo sic canit, *Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, &c.* Imò addo Episcopos vocari Summos Sacerdotes: *Tum in Antiphona Laudum dicti officij: ibi, ecce Sacerdos Magnus qui in diebus suis placuit Deo, & ab Anacleto in epistola secunda ad Episcopos Italiæ, capite secundo, & refertur in canone, accusatio 29,*

A *distinctione, & ab Innocentio Primo, epistola duodecima, quæ est ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, & refertur Canone miserum dicta distinctione. & ab alijs Patribus.* Præterea Episcopos appellant Summos Pontifices *Melchiades Papa epistola prima, quæ est ad Episcopos Hispaniæ capite secundo, Concilium Hispalense secundum canone septimo, & alibi.* Tandem Episcopus dicitur antistes à verbo antiquo, Latino antisto, eo quod cæteris antestet antistes.

Vt autem satis aperte ostendamus munera, 12 & officia omnium ordinum Ecclesiasticorum, initium sumamus à Sacerdotibus, & Episcopis. In Pontificali hæc quinque munera Sacerdotibus assignantur, offerre, benedicere,

B præesse, prædicare, & baptizare. Offerre idem est, quod sacrificare, benedicere sumitur pro benedictione panis, aquæ, cereorum thuris, & aliorum fructuum terræ, vt patet ex Missali. Præesse denotat iurisdictionem actiuam circa peccata, quam habent Sacerdotes ex vi suæ ordinationis. De qua egimus in materia de pœnitentia. Ex quibus quinque officijs prædicta benedictiò conuenit iure humano, quia illo iure introducta est in Ecclesia. Alia vero quatuor officia iure diuino conueniunt Sacerdotibus, & iure diuino inuenta sunt, quamuis officium prædicandi alijs omnibus clericis etiam inferioribus ex licentia Episcoporum ita possit tribui, vt recte ab eis fiat. Cætera autem officia nullo

C modo alijs, quam Sacerdotibus ex licentia Episcoporum conuenire possint, saltem vt recte ab eis fiant, Episcopis, vt patet ex Pontificali, hæc munera conueniunt, iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, & baptizare. Sub interpretatione concluditur officium prædicandi, in quo Episcopus Sacram Scripturam debet populo interpretari, sub consecratione comprehenditur confectio chrismatis, & administratio confirmationis Sacramenti medio chrismate, vt notat *Martinus de Ayala parte tertia, de traditionibus §. quæ vero.* Per illam particulam, iudicare, conuenit Episcopis iudicium non solùm animarum in foro interno, quod com-

D mune est presbyteris, sed etiam in foro externo ex communicationem imponendo, & ab ea absoluendo, vt notat *Vazquez loco citato, capite decimo,* quæ quidem omnia munera sunt iure diuino Episcopatui annexa.

Diaconis iure diuino conueniunt hæc tria 13 officia, quæ in Pontificali Romano notantur his verbis: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Conuenit autem Diaconis iure diuino prædicare, non quia hoc illis iure diuino præceptum sit, sed quia ex vi suæ ordinationis digni facti

sunt

sunt, vt conuenienter possint eligi ad prædicandum ex approbatione Ecclesiæ, nam si Ecclesia id eis non permittat, prædicare minime possunt, & Ecclesia id non permittens nihil facit contra ius diuinum, quia ita vsu receptum esse videmus, vt nullus nisi raro ante Sacerdotium prædicare permittatur. Quo modo vero Diaconis conueniat baptizare ex commissione Sacerdotum, & qua ratione ad hoc apti sunt ex sua ordinatione, docuimus in materia baptismi. *Diuus Isidorus libro secundo, de officijs Ecclesiasticis, capite octauo*, sub nomine ministrandi in altari, quod conuenit Diaconis iure diuino, alia officia his verbis comprehendit: *Leuitæ inferunt oblationes in altari, leuitæ componunt mensam tantum, leuitæ aperiunt arcam Testamenti*. Quartum officium Diaconorum est, calicem consecratum à Sacerdote populo offerre, quando est in vsu, nam modo vsus ille est abolitus propter periculum effusionis sanguinis, vt notauimus in materia de Eucharistia. Quintum ministeriū Diaconorum, cuius meminit *Clemens Romanus libro octauo constitutionum capite quinto*, in eo consistit, vt hortetur plebem exaltari ad orandum pro catechumenis, & pœnitentibus, sed duo hæc officia vltima ex eo dicuntur esse de iure diuino, quamuis ab Ecclesia inuenta sint, quia vt ad ea eligantur, apti sunt Diaconi ex sua ordinatione, & iure diuino.

14 Deinde conuenit Diaconis canere Euangelium in Missa, quod qua ratione conueniat, postea videbimus. Olim Diaconi dispensabant bona Ecclesiæ, & distribuebant ea pauperibus, sed superbierunt temporum iniuria, quia à plebe honorabantur, & cessauit tale officium. Ita docet *Diuus Hieronymus epistola* 85. *ad Euagrium*. Alia tria officia Diaconorum quæ ortum habuere ex Ecclesiæ institutione, & quæ fere omnia, iam non sunt in vsu, numerat *Vazquez cap. 7. loco citato.*

15 Restat, vt de Subdiaconis, id est de subministris; seu ministris inferioribus pauca dicamus. In Pontificali hæc continentur verba: *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare pallas altaris, & corporalia abluere, calicem, & patenam in vsum sacrificij eidem offerre*. Officium præparandi aquam pro ministerio altaris non est intelligendum de aqua, quæ infundenda est vino ante consecrationem, sed de aqua pro lotione manuum Sacerdotis, vt notat *Hugo de sancto Victore libro secundo de Sacramentis, parte tertia, capite* 10. Nam ministratio aquæ cum vino comprehenditur in officio Diacono ministrandi, nam tangit vrceolos aquæ, & vini, & vrceolum aquæ ostendit. Est etiam eius officium, vt patet ex Pontificali, canere Epistolam in Missa, & in eodem Pontificali significatur, eius officium esse, oblationes populi suscipere, & supra altare ponere, & etiam additur in Pontificali, debere Subdiaconum panem consecrandum pro populo, in altari ponere, corporalia, & alia similia lauare.

De Acolytis hæc dicuntur in Pontificali: 16
Acolytum enim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam ministrare.

De Exorcista in Pontificali eodem hæc ha- 17
bentur: *Exorcistam enim oportet, abijcere dæmones, & dicere populo, vt qui non communicat, det locum, scilicet alteri communicanti, vt possit accedere, & aquam in ministerium, scilicet, baptismi infundere.*

De Lectore sic dicitur: *Lectorem siquidem* 18
oportet legere ea, quæ prædicat, & Lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus nouos. Sed hæc officia prædicandi, & benedicendi iam respectu Lectorum non sunt in vsu, sed quomodo ab his exercerentur, difficile colligitur ex Doctoribus. Cum minori tamen solemnitate hæc fiebant à Lectoribus, quam ab alijs initiatis ordinibus superioribus.

De Ostiario sic dicitur in Pontificali: *Os-* 19
tiarium oportet percutere cymbalum (scilicet tempore sacrificij) *& campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium & librum aperire ei, qui prædicat.*

QVÆSTIO III.

Vtrum prima tonsura, & quatuor minores ordines sint Sacramenta?

QVAMVIS vnum ex septem sacra- 1
mentis sit ordo, ille tantum constituit vnum Sacramentum in genere, nam sub se plura sacramenta comprehendit, vt ex discursu patebit huius materiæ.

In hac quæstione prima sententia asse- 2
rit, non tantum quatuor minores Ordines, sed etiam primam tonsuram esse Sacramenta iure diuino à Christo instituta. Pro qua sententia solent allegari Iurisperiti *in capite cum contingat. de ætate, & qualitate ordinandorum.*

Prima conclusio sit, quatuor Ordines mi- 3
nores esse sacramenta. Hanc sententiam plurimi Theologi sequuntur *vt S. Thomas in 4. dist. 24. quæstione secunda articulo primo, quæstiuncula tertia, Bonauentura ibidem, articulo secundo, quæstione prima in corpore, & alij multi*, quos citat *Vazquez tertio tomo in tertia parte, disputatione 237. capite primo*, & nouissime eum sequuntur *Reginaldus 2. tomo fori pœnitentialis, lib. 30. capit. primo, & Coninc tomo de sacramen-*

tis disputatione 20. *dubio sexto*. Probatur hæc sententia primò, quia perantiqua est in Ecclesia mentio horum ordinum, vt patet ex *Dionysio capite tertio de Ecclesiastica Hierarchia, parte secunda, & Ignatio proximo temporibus Apostolorum, epistola ad Antiochenses, quæstione nona, alias duodecima, Anacleto epistola tertia, & alijs*. Ergo signum est hos ordines à Christo dimanasse, quare & sacramenta esse. Secundò probatur ex *Concilio Florentino in litteris Eugenij quarti*, vbi sic dicitur: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per libri Euangeliorum dationem, Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de alijs per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem*. Vbi dum definit ordinationem in genere esse sacramentum, & postea enumerat omnes ordinationes, videtur insinuare omnibus ordinibus conuenire rationem sacramenti. Imò *Concilium Tridentinum Sessione 23. idem insinuat. Nam cum capite secundo*, enumeraisset omnes ordines etiam minores, *postea capite tertio* definit ordinem esse sacramentum, vbi omnes ordines vocat etiam sacram ordinationem, quia sunt sacramentum, imò in eo *capite tertio*, sic ait: *Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, exorcistæ, lectores, & ostiarij in vsu fuisse cognoscuntur, nam Subdiaconatus ad maiores ordines à Patribus, & sacris Concilijs refertur, in quibus, & de alijs inferioribus frequentissime legimus*. Imò *Concilium Tridentinum eadem Sessione, cum canone secundo* definiat esse in Ecclesia ordines maiores, & minores, postea sine vlla distinctione definit *canone tertio, ordinem esse proprie sacramentum*: ergo indistincte sentit Concilium omnem ordinem etiam minorem esse sacramentum, alias confusam, & diminutam doctrinam traderet: vnde opposita sententia vix mihi probabilis videtur.

4 Vltimò probatur, quia si hi ordines minores essent ab Ecclesia instituti, neque haberent materiam, neque formam, nec imprimerent characterem, vnde repeti possent, quæ tamen omnia falsa sunt, nam materiam & formam eorum notauit *Concilium Florentinum*, & characterem *Concilium Tridentinum Sessione 23. canone 4.* dum absolutè de omni ordine, quem sacrum vocat, quia est sacramētum dicit imprimere characterem.

5 Secunda conclusio. Prima tonsura non est sacramentum. Probatur, quia vt patet ex præcedenti quæstione, non est ordo Ecclesiasticus, ergo non est sacramentum. Probatur, quia tantum in genere ordinis constituitur vt sacramentum id, quod est ordo Ecclesiasticus, & de eo tantum loquitur *Concilium Tridentinum loco citato*, cum ergo prima tonsura non sit ordo, non erit sacramentum.

Sed vrget nos secunda sententia, asserens ordines minores non esse sacramenta à Christo instituta, sed à sola Ecclesia esse inuentos: 6
Hanc sententiam sequuntur Magister in quarto dist. 24. Gratianus in Decreto dist. 21. Caietan. tomo 1. opusculorum tractatu vndecimo. Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. articulo 4. conclusione septima, Vazquez loco citato, capit. 2. & alij. Probatur *ex Socrate in lib. nono Tripartitæ, capite 38. aliquantulum circa finem*, vbi asserit *olim Alexandriæ in more fuisse positum, vt Lectores, & Psalmi pronunciatores indiscriminatim ex Christianis, & catechumenis fierent*. Si autem isti ordines essent sacramenta (loquitur enim de ordinibus Ecclesiasticis) non possent catechumenis conferri, eo quod sine baptismo nullus est capax aliorum Sacramentorum. Secundò probatur, quia ea, quæ sunt de iure diuino, & ea quæ habent rationem sacramenti, cum sint bases, & fundamenta Ecclesiæ, debent esse fixa, & firma, & inuariata, & perpetua in eadem Ecclesia, sed ordines minores, neque semper fuerunt à principio in Ecclesia, neque postquam cœperunt, semper perseuerarunt, ergo neque sunt sacramenta, neque sunt de iure diuino. Probatur minor, quia antiquitus erant laboratores, seu fossores sepulturarum, vt constat ex *Ignatio in epistola ad Antiochenses*. Isti autem erant constituti in ordine Ecclesiastico, vt constat ex *Auctore epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum tomo 9. quæ est epistola 13. nam capit. 1.* dicitur primo: *Igitur in clericis fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur*, qui tamen ordo modo non est in vsu, nam corpora sepeliunt homines infimæ notæ, & etiam tempore *Clementis Romani, vt patet ex lib. tertio constitutionum eiusdem capituli vndecimi*. Fuit ordo Ecclesiasticus Cantorum, seu Psalmistarum, qui tamen modo non est in vsu, teste *Isidoro libro secundo de officijs Ecclesiasticis, capite 12*. Præterea multi sancti Patres quos refert *Vazquez loco citato, capite secundo*, nullam mentionem faciunt Acolytorum, quamuis alij Patres posteriores vt ipse refert huius ordinis meminerint. Præterea *Clemens Romanus lib. octauo constitutionum, capit. 26. alias 22.* negat esse suo tempore ordinem Ecclesiasticum exorcistę his verbis, exorcista non fit ordinatione. Ex eo autem notant antiqui Doctores, olim non fuisse ordinem exorcistæ, quia tunc gratia sanitatis conferebatur fidelibus, postea vero ista gratia cessante successit ordo exorcistarum. Præterea ordinem Acolyti non esse sacramentum ex eo patet, quod *Concilium Carthaginense IIII. canone 6.*

doceat

doceat materiam huius ordinis; nempe candelabrum cum cereo extincto, & vrceolum vacuum ordinando suo tempore tradi non ab Episcopo, sed ab Archidiacono, verba autem quæ sunt pro forma, proferebantur ab Episcopo. Hoc autem est contra modum institutum à Deo ministrandi sacramētum. Nam sacramenta, quæ in actione consistunt, præter sacramentum Pœnitentiæ, cuius materia consistit in confessione Rei, pro materia habent actionem ministri, sed in ordine Acolyti Episcopus est minister, si ergo ille antiquitus non adhibebat materiam, ergo non erat sacramentum, ergo neque modo est.

7 Restat modo respondere ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum sumptum ex auctoritate Socratis respondetur, eū cū dixit: *Olim Alexandriæ in mare positum fuisse, vt Lectores, & Psalmistæ indiscriminatim ex Christianis, & catechumenis fierent*, esse ita intelligendum, non quod isti omnes ordinarentur in clericos, nam quamuis ordo Lectoris non esset sacramentum, non esset credendum, cum non baptizatis conferri, sed quod ministeria Lectoris, & Psalmistæ fidelibus, & catechumenis indifferenter committerentur propter defectum Clericorum. Ad secundum argumentum respondetur, omnes ordines minores, qui nunc sunt in Ecclesia, ab initio nascentis Ecclesiæ semper, & sine vlla varietate in Ecclesia extitisse, vt patet ex *Concil. Tridentin. locis citatis.* Neque huic solutioni obstat, quod olim fuerunt fossores, & Psalmi Cantores, qui modo non sunt, nam respondetur eos ordines nunquam fuisse de genere eorum ordinum ecclesiasticorum, quos modo habemus, & qui sunt sacramenta Ecclesiæ, & gratiam conferunt, sed esse alios ritus Ecclesiæ, quibus homines ad peculiaria munera destinabantur, qui modo non sunt in vsu, quamuis Psalmorum decantatio ad ipsos Lectores reduci posset. Neque obstat, aliquos Patres non meminisse Acolytorum, nam argumentum ab auctoritate negatiua in hac parte non habet vim. Vnde cum *Clemens Romanus*, *& alij Patres*, indicant inferiores aliquos ordines minores antiquitus non fuisse in Ecclesia, sed postea fuisse institutos, solum denotant decursu temporis fuisse per Ecclesiam distributos hos ordines in diuersas personas, cum antea per paucitatem ministrorum plura officia horum ordinum ab vna, eademque persona exercerentur. Solutio est *Syluestri verbo, Diaconus, & Enriquez in Summa libro decimo, capite secundo numero secundo in fine.* *vno Clement*, ita posset intelligi, exorcistam illum, qui virtute miraculose accepta sanabat ægrotos, non fieri ordinatione, sed à Deo. Ad vltimum *ex Concilio Carthaginensi IIII.* respondetur, ea verba sic esse intelligenda, quod ad suggestionem, & petitionem Archidiaconi traderetur Acolyto ceroferarium, & vrceolus, non tamen per manus Archidiaconi, sed Episcopi. quam solutionem colligo *ex canone nono, eiusdem Concilij*, vbi dum sermo instituitur de ostiarij ordinatione, sic dicitur: *Ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claues Ecclesiæ de altari*; non enim est credendum, aliter tunc tradi materiam ordinationis Acolyto, & Ostiario.

QVAESTIO IIII.

An ordines Diaconatus, & Subdiaconatus sint Sacramenta à Christo instituta, & quæ sit eorum materia, & forma?

PRIMA sententia est eorum, qui dicunt Subdiaconatum, & Diaconatum non fuisse à Christo institutos, neque esse sacramenta, quam sententiam sequuntur *Durand. in 4. dist. 24. quæst. 2. numero 6. & sequentibus, & Caietanus tom. 1. opusculorum tractatu 11. articulo vnico.* Quam sententiam quantum ad Subdiaconatum alij plures sequuntur relati à *Vazquez 3. tomo in tertia parte disputatione 238. capite primo.* Hæc sententia probatur primò generaliter quantum ad vtramque ordinem; & quidem prima ratio sit Duran. quando plures respectiones dicunt ordinem ad vnam actionem, quæ sola operatur effectum spiritualem, ea tantum est sacramentum à Christo institutum, ad quam cæteræ ordinantur, vt in baptismo, licet reperiantur catechismus, & exorcismus, in illis tamen non consistit Sacramentum Baptismi, quia illæ tantum disponunt ad ablutionem, quæ quia sola causat gratiam internam, in ea sola baptismus consistit; sed ordinationes Subdiaconatus, & Diaconatus, sunt propter conficiendam Eucharistiam, quam Sacerdotalis ordinatio sola conficit, & aliæ ordinationes tantum disponunt, ergo sola ordinatio Sacerdotalis est Sacramentum. Secunda ratio sit, potestas sacramenti Ordinis tendit ad sacramentum conficiendum, sicut potestas collata in baptismo tendit ad accipiendum, sed in Subdiaconatu, & Diaconatu, non datur potestas conficiendi sacramentum, ergo isti ordines non sunt sacramenta. Tertia ratio sit, quia sacramentum Ordinis videtur institutum ad liquid conficiendum, sine quo illud non posset confici valide, vt patet in Sacerdotio, sine quo nullo modo conficitur Eucharistia, sed omnia, quæ fiunt à Diacono, & Subdiacono possunt valide fieri à Lai-

cis, ergo isti ordines non sunt potestates sacramentales. Quarta ratio sit, quia tantum, Ecclesia nobis tradit septem sacramenta, si autem isti ordines essent sacramenta, plura sacramenta essent, quam septem, sed quod isti ordines non sint sacramenta, neque à Deo instituti, probatur *ex Anacleto epistola decimatertia, capite primo in fine*, vbi post numeratum ordinem Sacerdotum, & Episcoporũ, sic inquit: *Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum neque nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt*, & idem tradit *Damascenus epistola quarta, columna quarta, sub finem*. Secundò probatur Diaconatum non esse sacramentum, quia quodlibet sacramentum debet habêre materiam, & formam certam, Diaconatus autem non habet materiam, neque formam certam, quia *in Concilio Carthaginensi Quarto*, assignari videtur pro materia impositio manuum, è contrario vero *ab Eugenio Quarto post Sessionẽ vltimam Concilij Florentini in Decreto fidei, 6. sextum sacramentum*, assignatur pro materia liber Euangeliorum. Secunda ratio sit, quia in sacra Scriptura nulla fit mentio huius ordinationis Diaconi, licet mentio fiat Diaconorum, qui mensis pauperum præerant. Tertiò Subdiaconatum non esse sacramentum, probatur his rationibus. Prima est, quia *Eugenius IIII. loco citato, & Concilium Carthaginense quartũ, capite quinto* assignant pro materia huius ordinationis traditionem calicis vacui cum patena, nullam tamen assignans verborum formam, neque Episcopus aliquid dicit, dum hæc porrigit, omne autem sacramentum verbis debet constare pro forma, præter sacramentũm Matrimonij. Secunda ratio sit, quia sacramentum Ordinis necessariò videtur concedendum cum manuum impositione, quia aliquando per eam solum significatur, Subdiaconatus vero nõ cõfertur per manuum impositionem. Tertia ratio sit, quia si Subdiaconatus esset sacramentum, ab initio esset ordo Sacer, non tamen fuit, vt constat ex *Decreto Vrbani Secundi, quod refertur canone, nullus ad Episcopatum, dist. 60.* Quarta ratio sit, quia si Subdiaconatus esset sacramentum Ordinis, non posset conferri ab alio, quam ab Episcopo, sed conferri potest à Corepiscopis, scilicet coadiutoribus Episcoporum, vt docet *Isidorus lib. 2. de Ecclesiasticis officijs, cap. de Corepiscopis.*

a Secunda sententia in hac quæstione est *Michaelis Medinæ lib. primo de continentia, cap. 39.* Asserentis, materiam in ordinatione Diaconi consistere in tribus actionibus, quæ sub certa verborum forma ab Episcopo fiunt, nempe in traditione stolæ, traditione dalmaticæ, & traditione libri Euangeliorum, quam sententiam colligit iste Auctor ex verbis Pontificalis, quibus istę res traduntur.

Tertia sententia est aliorum, qui dicunt, in manus impositione sola cum verbis quibus imponitur sitam esse ordinationem Diaconi. Ita *Durand. in 4. dist. 24.* & quod traditio libri Euangeliorum non sit materia, probat *Durand.* quia in Ecclesia Anitieñ. in qua fuit præsul, liber Euangeliorum non tradebatur sub consueta forma verborum: & quod manus impositio sit materia in hoc ordine, probat *ex capit. 4. Concilij IIII. Carthaginensis*, vbi pro ordinatione Diaconi solum fit mentio impositionis manus, vbi quod non loquatur *Concil.* de ceremonia mere accidentali, sed de ea per quam Diaconus verè ordinatur, patet *ex canone 5.* vbi docet, Subdiacono, dum ordinatur, ideò dari calicem, quia non accepit manus impositionem; vbi eum assignet differentiam inter ordinationem Diaconi, & Subdiaconi, apertissime insinuat, eodem modo Diaconum ordinari per impositionem manuum, sicut Subdiaconus ordinatur per traditionem calicis, & patenæ. 3

Secundò probatur à recentioribus hęc sententia, *ex Concil. Trident. Sessio. 23. canone 4.* vbi diffinit *Concil. Non frustra ab Episcopo ordinante dici, dum manus imponit ordinando, Accipe Spiritum sanctum.* Quia scilicet, per hæc verba cõfertur gratia, alias frustra dicerentur, si non efficerent, quod significant: ergo credendum est, manus impositionem esse materiam huius ordinationis, siquidem dum applicatur materia confertur gratia in sacramentis. 4

Vltimò probatur; nam antequam esset liber Euangeliorum, fuerunt Diaconi ministrantes in altari, *Diuus Stephanus* enim ministrauit in altari *Diuo Iacobo* fratri Domini, antequam pateretur. 5

Quarta sententia est *Bellarmin. capit. nono de ordine in fine, & nouissime Conine. tomo de sacramentis disp. 20. dubio 7.* Asserentium, Christum instituisse pro materia ordinationis Diaconi non solum impositionem Episcopi manuum, sed etiam traditionem alicuius rei, qua Diaconi officium designarêtur, quænam autem res hæc deberet esse, hoc reliquisse Christum determinationi Ecclesiæ; sicut instituit pro materia confirmationis chrisma ab Episcopo benedictum, verba autem, quibus illud benedicitur, reliquit Christus Ecclesiæ determinationi. Similiter externa peccatorum confessio instituta est à Christo in materiam sacramenti Pœnitentiæ. Vérum verò hæc cõfessio facienda sit verbis, an scripto, Christus nõ determinauit, ergo similiter potuit contingere in ordinatione Diaconi. 6

Quinta sententia est *Hosij in confessione Catholica capite 72.* Asserentis, materiam ordinationis Diaconi consistere in impositione manuum Episcopi, quod probat *ex Concilio Carthaginensi Quarto*, & simul etiam consistere 7

tere in traditione libri Euangeliorum, quod probat ex *Decreto Eugenij*, ex quo postea nos probabimus hanc materiam consistere in sola traditione libri Euangeliorum.

8 Sexta sententia est aliorum affirmantium, materiam ordinationis Subdiaconi esse traditionem libri Epistolarum, formam vero verba illa Pontificalis *Accipite librum Epistolarum, &c.* Ita *Viguerius in summa institutionum Theologarum capite 16. §. sexto.* Quæ sententia ex eo potest probari, quod sicut materia Diaconatus consistit in traditione libri Euangeliorum, ita materia Subdiaconatus debet consistere in traditione libri Epistolarum.

9 Septima sententia est *Michaelis Medinæ lib. 1. de continentia, capit. 44.* qui videtur sensisse materiam Subdiaconatus sitam esse in traditione vestium, libri Epistolarum, calicis vacui cum patena, quia omnes istæ res traduntur ab Episcopo ipsi Subdiacono, dum ordinatur.

10 His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Diaconatum esse sacramentum à Christo institutum. Ita sentiunt *Hugo de sancto Victore, Magister, Gratianus, & alij relati à Vazquez, loco citato, capit. 2.* Quæ conclusio probatur aperte ex *Concilio Tridentino Sessione 23. canone 6.* vbi sic diffinitur: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam; quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris, anathe. &c.* Vbi per ministros sine dubio intelliguntur Diaconi, nam de nullis alijs æque certum est, ac de Diaconis esse à Christo institutos. Si ergo ordo Diaconatus est à Christo institutus, & vt postea patebit, habet suam materiam, & formam, sine dubio est sacramentum, vnde oppositam sententiam nullo modo puto probabilem. Secundò probatur ex *Anastasio 2. epist. ad Anastasium Imperatorem, cap. 7.* vbi docet per ordinationem presbyteri, & Diaconi conferri gratiam sacramenti. Vltimò probatur, quia Diaconus ordinatur ad officium maxime sacrum, scilicet, vt Sacerdoti celebranti sacrificium Missæ proxime assistat: ergo credendum est, eius ordinationem esse sacramentum, in quo confertur gratia ad officium ita præcipuum.

11 Sit secunda conclusio. Ordinatio Subdiaconi verè est sacramentum. Probatur ex communi sententia Doctorum, quæ in hac re debet esse magni momenti. Secundò probatur, quia cum in præcedenti quæstione satis aperte probauimus, minorum ordinum collationem esse sacramentum, multo magis liquet, ordinationem Subdiaconi, quæ sacra est, & magis præcipua, esse sacramentum. Vltimò, quia cum hæc ordinatio tendat ad ministrandū in altari, credendum est, eam esse sacramentum, & conferre gratiam ad tale ministerium.

Tertia conclusio. Sola traditio libri Euangeliorum, & non manus impositio est materia ordinationis Diaconi, & verba, quibus ille liber traditur, sunt forma. Hæc conclusio ita vera est, vt opposita censeatur erronea, eam sequuntur *sanctus Thomas in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. ad septimum, Sotus ibidem, quæst. 1. art. 3. § per quam tamen, & alij plures Auctores antiqui & recentiores.* Probatur primò ex *Eugenio Quarto in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post vltimam Sessionem, §. sextum Sacramentum.* Vbi definiens Concil. per cuius rei traditionem ordines conferantur, de Diaconatu sic dicit: *Diaconatus vero per libri Euangeliorum dationem.* Vbi cum Pontifex auctoritate Pontificia doctrinam pro tota Ecclesia obseruandam definiuit, credendum est, totum id, in quo consistit materia essentialis huius sacramenti, sine dubio nobis explicuisse. Secundò probatur, materiam huius sacramenti non consistere in manus impositione, quia *in capite presbyter, de sacramentis non iterandis,* sic dicitur: *Presbyter, & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto recipiunt.* Si ergo manus impositio est introducta ab Apostolis, non est materia huius sacramenti, quia materia sacramentorum est à Christo instituta. Secundò probatur quod manus impositio, & verba illi correspondentia non sint materia, & forma huius sacramenti, quia non significant aliquod ministerium peculiare Diaconi, sicut significant materia, & forma aliorum ordinum. De impositione manus aperte patet, de verbis ei adiunctis cōstat, quia sunt hæc. Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius. 12

Neque valet, si obijcias, Episcopum loqui per modum imperantis, Accipe, quæ verba videntur significare efficaciam sacramenti. Nam contra est, quod verba hæc videntur deprecatoria, & illud verbum imperandi significat magnam fiduciam, quam habet Episcopus impetrandi gratiam Spiritus sancti ei, qui statim ordinandus est ab eo. Qui modus loquendi fiduciam significat, iuxta verba *Christi Lucæ 17. si habueritis fidem, sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare.* 13

Quarta conclusio (ita vt oppositum sit error) sit, materiam Subdiaconatus esse traditionem calicis vacui cum patena vacua. Ita sentiunt *Diuus Thomas in quarto distinctione 25. quæstione prima, articulo primo ad secundum, Paludanus ibidem, quæst. 2. art. 3. num. 15. & alij.* Probatur primò ex *Concil. Florent. loco citato in tertia conclusione,* quod dum assignat materiam Subdiaconatus, in hæc verba prorumpit: *Subdiaconatus vero per calicis vacui cū patena vacua superposita traditionem.* Et probatur ex 14

Concil. Carthagin. 4. cap. 5. hoc enim Concilium solum à *cap.* 5. incipit explicare materias sacramentorum Ordinis, nam *cap.* 30. vbi in ordinatione presbyteri meminit manus impositionis, assignat eam pro materia, quia ibi loquitur de manus impositione, quæ fit ab Episcopo. Præterea *in cap.* 40. vbi loquitur de manus impositione in Diaconatu, non assignat eam pro materia, sed pro ceremonia quadam accidentali, quæ longe diuersa fit ab impositione manus in presbyterio, sicut autem hæc manus impositio non assignatur pro materia in presbyteratu, ita neque in Diaconatu.

15 Nec obstat obiectio *Conimc.* qui ponderat *id Conc. canon.* 5. dixisse, Subdiacono ideò dari calicē, quia non accipit manus impositionē, ergo *Concil.* ideò vtitur eo modo loquendi, vt denotet impositionem manus, cuius meminit in ordinatione Diaconi, esse in eadem ordinatione materiam. Sed contra est, quia *Concil.* non ideò illa verba addit, quia intendat, in Diaconatu esse materiam impositionem manus, sed quia cum inueniatur actio illa principalis impositionis manus, de qua poterat esse aliqua difficultas, an esset materia, eam excludit à ratione materiæ in Subdiaconatu, ergo sine dubio materia Subdiaconatus posita est in traditione calicis vacui cum patena vacua, quia in Subdiaconi ordinatione non reperitur manus impositio.

16 Vltimò probatur, quia præcipuum munus in Subdiacono est ministrare vasa corporis, & sanguinis Christi, ergo in traditione eius rei, quæ hoc ministeriū indicat, hæc materia cōsistere debet. Pro forma vero huius sacramenti Subdiaconatus maior se offert difficultas, cum eam non assignet *Florentin. loco citato.* Vnde ea mihi placet forma, quæ à *Vazquez loco citato, cap.* 5. traditur, & alijs placet recentioribus, quæ his verbis continetur in Pontificali: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur*, quæ verba dicuntur omnibus simul ordinandis in Subdiaconos, post quam calicem, & patenam tetigerunt. Quod sit hæc forma sufficiens, patet primo, quia sufficienter coniunguntur hæc verba saltim moraliter cum materia, quod sufficit in sacramentis, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere. Tum etiam quia illa verba relata ad traditionem antea factam ab Episcopo plane indicant peculiare ministerium Subdiaconi ministrandi in altari Sacerdoti calicem vacuum cum patena vacua, ergo sufficiunt pro forma huius Sacramenti.

Ex his respondetur ad argumenta in oppo-
17 situm. Argumentis primo loco positis contra Diaconatum, & Subdiaconatum satisfacimus prius, ad primum dicimus, omnem actionem, quæ non attingit effectum principalem gratiæ in anima, non esse sacramentū, at vero ordi-
A nationes Diaconi, & Subdiaconi esse sacramēta, quia licet nō attingant consecrationē Eucharistiæ, attingunt tamen gratiam, quam in anima ordinati producunt, in ordine ad quam vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere, ratio sacramenti consistit. Ad secundum argumentum dicimus, non esse necessarium, potestatem sacramenti Ordinis vbique ordinari ad efficiendum sacramentum, sicut potestas baptismi ordinatur ad recipiendum sacramentum, sufficit enim si ad id ordinetur in presbytero. Ad tertium respondetur, vt ordinatio sit sacramentum, non esse necesse, vt ordinetur ad aliquod efficiendum, quod non possit validè effici sine illo, nam sacramentum Confirma-
B tionis est verum sacramētū, & tamen protestatio fidei, ad quā id Sacramētum ordinatur, potest fieri sine eo sacramento. De multis enim credendum est, esse passos pro Christi fide pro testanda, qui non fuerunt confirmati. Ad quartum cum communi sententia respondetur, sacramentum Ordinis vnum esse non vnitate speciei, sed generis, sicut dicuntur quatuor Virtutes morales, cum tamē sub se plures alias species cōtineant, vt patet de iustitia, quæ cōtinet sub se iustitiam commutatiuam, & distributiuam, cuius argumenti solutionem latius cum Auctorum controuersia prosequutam vide in *Vazquez loco citato, cap.* 3. Ad testimonia eo loci adducta aliquorum Patrum respondetur, eos tantum indicasse, nos ab Apostolis solos duos ordines Sacerdotij accepisse, scilicet
C Sacerdotum, & Episcoporum, quia hoc tantū ad eorum institutum pertinebat, quæ solutio est communis recentiorum.

Ad argumenta secundo loco adducta pro 18
sententia *Durand.* respondeamus. Ad primum dicimus *ab Eugenio IIII. loco supra citato*, assignari materiam Diaconatus, non vero à *Concil. Carthaginen. IIII. loco allegato.* Ad secundum respondetur, Apostolum Paulum, quoties meminit Episcoporum, & presbyterorum, meminisse etiam Diaconorū, quorū ordinatio ex Ecclesiæ traditione constat.

Argumentis tertio loco tactis restat satisfa- 19
cere. Ad primum patet ex quarta conclusione, vbi formam huius sacramenti assignauimus,
D Ad secundum dicimus, per manus impositionem significari quidem sacramentum Ordinis, ob hoc tamē nō semper manus impositio erit materia ordinationis. Ad tertium respondetur, Subdiaconatum ab initio fuisse sacramētum, non tamen ab initio fuisse sacrum, sacramentum enim fuit ab initio, quia fuit signum sensibile collatiuum gratiæ, at vero quia non habuit ab initio annexum votum castitatis, sacrum minime fuisse. Ad vltimum respōdetur, primo mihi satis probabile esse, si recte considerentur verba *Concilij Antiochen. canone* 10. Corepiscopos fuisse veros Episcopos, sed li-

cet

eet non fuerint veri Episcopi, sed tantū presbyteri, potuit tamen illis collatio Subdiaconatus ex commissione Episcoporum concedi, vt probat *Vazquez loco citato, cap. vltimo.*

20 Ad argumenta tertiæ sententiæ respondeamus, nam secunda sententia nulla pro se habet fundamenta. Ad primum respondetur in ea Ecclesia particulari præualuisse oppositā sententiam defendentem materiam Diaconatus esse manus impositionē, sed immerito eā præualuisse. Ad secundum argumentum patet ex quarta conclusione. Ad tertium respondeo, etiam si non consistat in manus impositione materia Diaconatus, veram tamen esse doctrinam concilij, non frustra ab Episcopo in eius ordinatione dici. Accipe Spiritum sanctū, quia tunc significat Episcopus, vt patet ex supra dictis, se habêre magnam fiduciam communicādi gratiam Spiritus sancti Diacono, postea dū eum ordinauerit conferendo ei librum Euangeliorum. Ad vltimū respondet optime *Vazquez loco citato, cap. 4.* in principio Ecclesiæ, an quam scriberentur libri Euangeliorum, esse à Christo dispensatum in materia huius sacramenti, ita quod traderetur per manus impositionem solam, sicut in materia baptismi docuimus, fuisse cum Apostolis dispensatum, vt baptizarent aliquo tempore solo inuocato nomine Iesu Christi, quæ solutio necessaria videtur in hac parte, licet dura videatur, supposita definitione *Eugen. IIII.* supra relata, à qua non licet recedere, & hæc solutio etiam est *Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 1. puncto 4. & Reginaldi tom. 2. lib. 30. cap. 3.*

21 Ad argumenta quartæ sententiæ respondetur, Christum instituisse in particulari materiam huius ordinationis Diaconi per traditionem libri Euangeliorum, vt patet *ex Eugenio IIII. loco citato*, alias si hoc reliquisset ordinationi Ecclesiæ, posset Ecclesia alterius rei traditionem pro materia instituere, quod omnino est falsum, & contra Eugenianam definitionem. Tùm etiam quia omnis materiæ, & formę substantialis assignatio, & determinatio est à Christo facta, quia Christus sacramentum instituit, ad quod necessaria est materia, & forma. Vnde *Tridentin. Sessione 21. cap. 2.* sic ait: *Hanc potestatem perpetuo fuisse in Ecclesia, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, eā statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum administrationi, & venerationi expedire iudicauerit.* Ergo in Ecclesia non est, neque fuit potestas circa substantiam Sacramentorum, quæ consistit in materia, & forma.

22 Quintam sententiam constat esse falsam ex nostra tertia conclusione. Ad sextæ sententiæ fundamentum respondet *Sotus 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. §. hæcere*, & bene, ordinationem cuiuscumque ministri in actu eius principali consi-

A stere, vt in materia, quia autem principalior actus in Subdiacono est ministrare in altari, ideò eius materiā esse traditionē calicis vacui, cū patena vacua, per quod illud ministeriū significatur: traditio autē calicis cum patena nō potuit esse materia Diaconatus, quia cum presbyteratus suam habeat materiam constitutam in traditione calicis pleni, & Subdiaconatus in traditione calicis vacui, nullo modo restat via distincta, & media, qua possit esse calicis traditio materia Diaconatus.

QVÆSTIO V.

In quo sita sit materia, & forma ordinationis presbyteri, & an sit ea Sacramentum?

SIT conclusio de fide. Vno ore Catholicorum contra hæreticos prolata, ordinationem Sacerdotis esse iure diuino institutam, & Sacramentum Ecclesiæ Euangelicæ, vtrunque liquet *ex Triden. Sessione 23. primum ex canone 1.* Cuius hæc sunt verba: *Si quis dixerit non esse in nouo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, vel offerendi corpus verum, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi anathem. &c.* Secundum vero constat *ex canone 3. eiusdem Session.* in hæc verba: *Si quis dixerit ordinem, seu sacram ordinationem non esse vere, & proprie sacramentum à Christo Domino institutum, anathema sit.* 1

In hac quæstione prima sententia est *Bonauent. in 4. dist. 24. parte 2. art. 1. quæst. 4.* vbi assignat pro materia solùm manuum impositionē, & verba illi respondentia solùm pro forma, atque ita hanc materiam, & formam assignat, vt aliam excludere plane videatur. Probatur hæc sententia, quia illud est materia, per quod denotatur præcipua actio ordinis, sed per manuum impositionem denotatur præcipua actio Sacerdotis, ergo illa est materia in eius ordinatione. 2

Secunda sententia sit *Tapper ar. 17. §. de materia*, qui existimauit, nunc in ordinatione Sacerdotum materiam esse traditionem calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum pane, formā vero esse verba illa, Accipe potestatē offerendi sacrificium, &c. impositionem vero manuū non esse materiam huius sacramenti, quam sententiam alij videntur sequuti, qui prædictam tantum materiam, & formam quam Tapper. assignarunt. Ita *Durand. in 4. dist. 24. quæst. 3. num. 8. Syluester in summa verbo, Ordo, 2. quæst. 4. dicto 3. & alij, Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4. conclusione 7. & deinceps, & dist. 20. quæst. 1. art. 2. cum alijs.* Eandem sententiam amplexus 3

est. Hoc addens in traditione calicis, & patenæ, & illis verbis. Accipe potestatem offerēdi sacrificium, &c. conferri sacramentum, & characterem Sacerdotibus, & totam potestatem offerendi sacrificium, & absoluendi à peccatis, alia vero verba, quæ postea subijciuntur ab Episcopo ordināte Sacerdotes. Accipite Spiritum Sāctum, quorum remiseritis peccata, &c. tantum explicare potestatem absoluendi à peccatis, quæ prius erat tradita. Probatur hæc sententia primo quia illud est materia in ordine, qui habet plures actiones, per quod denotatur præcipua actio, sed per traditionem calicis, & patenæ significatur præcipua actio Sacerdotis, quæ est consecratio corporis, & sanguinis Domini, ergo illa est vere materia. Secundo probatur ex *Eugen. IIII. in Concil. Florent. post vltimam sess. §. sextum sacramentum.* Vbi non assignatur alia materia, & forma pro Sacerdotio, nisi traditio calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum pane, & verba illa. Accipe potestatem offerendi sacrificium, ergo omnis alia materia, & forma immerito assignabitur. Tertio probatur, quia si præter prædictam materiam, & formam esset assignanda alia, materia consistens in impositione manuum, & alia forma verborum, scilicet. Accipe Spiritum Sāctum, sequeretur ex inde, aut potestatem consecrandi Eucharistiam minime conferri vsque ad eam impositionem manuum, quod affirmari non potest, quia repugnat illi formæ verborum. Accipe potestatem offerendi sacrificium, & quia antequam Episcopus manus imponat super Sacerdotes, illi simul cum Episcopo consecrant Eucharistiam, quod signum est, illos iam accepisse potestatem consecrandi, vel saltim sequeretur, esse duos characteres, & priorem cōferri ante impositionem manuum, posteriorem vero per ipsam, quod maximum est inconueniens, sicut etiam non paruum videtur esse inconueniens, asserere, characterem collatū per calicis traditionem extendi ad absoluendum à peccatis per impositionem manuum, sicut character Sacerdotalis extenditur ad officium Episcoporum, nam contra est, longum inter hæc intercedere discrimen, nam Episcopus accipit potestatem conferendi sacramenta aliqua vt ordinis, & confirmationis, quam non habebat dum erat simplex Sacerdos, at vero Sacerdos, cui traditus est calix cum patena, veram potestatem habet absoluendi à peccatis, vnde si à parrocho ad illud munus assumeretur, antequam reciperet impositionem manuum, sine dubio vere absolueret à peccatis. Quarto probatur *ex cap. presbyter. de sacramentis non iterandis.* Vbi affirmatur, manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, sed materia sacramentorum solo iure diuino instituta est, ergo materia ordinationis presbyteri non consistit in impositione manuū. Vltimo probatur, quia ceremonia impositionis manuum cum illis verbis, Accipe Spiritum Sāctum, in aliquibus Pontificalibus non inuenitur, signū ergo est in aliquibus Ecclesijs sine ea fieri ordinationem presbyteri.

Vltima sententia, & à nobis amplectenda defendit, integram materiam huius sacramenti ordinationis presbyteri ex duabus partialibus materijs coalescere, scilicet, ex traditione calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum hostia, & ex impositione manuum, quæ à solo Episcopo post consecrationem Eucharistiæ, & post communionem acceptam in Missa, in qua ordinat, conficitur (nam alia impositio manus, quæ antea ab Episcopo, & ab alijs Sacerdotibus fit, tā tum est ceremonia ab Ecclesia inuenta). Et similiter integram formam ex duabus partialibus formis componi, nempe ex illis verbis, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, Missasque celebrādi, tam pro viuis, quam pro defunctis,* & ex alijs, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Quam sententiam expresse defendunt *Scotus in 4. dist. 24. quæst. vnica §. de tertio articulo. Viguerius in institutionibus Theologicis cap. 16. §. 6. Valdensis tomo 2. qui est de sacramentis cap. 123. num. 5. & sequētibus Enriquez in summa, lib. 10. cap. 6. Coninc. tomo de sacramentis disp. 20. dubio 7. Reginaldus tomo 2. lib. 30. capit. 2. in fine.*

Vnde sit prima cōclusio. Ad materiam ordinationis Sacerdotis pertinet traditio calicis cū vino, & patenæ cum hostia, & ad formam pertinent verba illa, Accipe potestatem offerēdi sacrificium, &c. Probatur primo. *Ex Eugenio IIII. in Concilio Florent. post vltimam sess. §. sextum sacramentum,* vbi sic dicitur, *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* De forma vero idem Eugenius postea subiūgit: *forma Sacerdotalis est, Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis.* Neque Concil. Cartha. 4. Oppositum docuit, dum meminit huius materiæ, & formæ, quia vt vidimus quæst. præcedenti, ibi non loquebatur de materia, & forma ordinis, sed de quadam forma Ecclesiastica, quæ in ordinatione presbyteri seruatur. Secundo probatur conclusio, quia in quolibet sacramento illa habent rationem materiæ, & formæ, quæ significant, & efficiunt proprium effectum illius, sed traditio prædicta simul cum prædictis verbis significant potestatem consecrandi Eucharistiā, qui est effectus proprius ordinationis Sacerdotalis, & causant eādē potestatē, quia paulo post applicationē illius materiæ, & formæ, Sacerdotes simul cum Episcopo in eadem Missa consecrant, ergo in prædictis rebus consistit materia, & forma huius sacramenti. 4

Secunda

Secunda conclusio. Pertinet etiam ad essentialem perfectionem, & integritatem materiæ in ordinatione presbyteri impositio manuum Episcopi, & ad integritatem essentialem formæ eiusdem sacramenti etiam pertinent verba illa, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Quod vt liquido constet, probandum est per illam materiam simul, cum illis verbis tradi Sacerdotibus potestatem dimittendi peccata, hæc enim necessario confertur per illud, quod est materia, & forma, assumpti verò huius primum fundamentum sit, quia ad eum modum credendum est conferri modo Sacerdotibus potestatem absoluendi à peccatis, quæ propria est huius sacramẽti presbyteratus, quo collata est à Christo suis Apostolis, sed Christus non concessit Apostolis hanc potestatem, quando in vltima cœna ante mortem suam illis dedit potestatem consecrandi suum corpus, & sanguinem, (quod enim potestatem consecrandi Eucharistiam in vltima cœna Christus tribuerit, docet *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.*) Sed post resurrectionem suam *Ioannis* 20. vt diffiniuit *Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. de sacramento pœnitentiæ*, Vbi loquens Conci. de insufflatione facta à Christo in discipulos *Ioannis* 20. illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctũ, quorum, &c.* Quæ contigit post suam resurrectionem, sic ait, *Quo tam insigni facto, nempe insufflatione, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis, & earum legitimis successoribus fuisse communicatam vniuersorũ Patrum consensus semper intellexit.* Quo nihil clarius pro nostra sententia excogitari potest, ergo etiam nostris Sacerdotibus tunc confertur ista potestas, quando Episcopus illis manus imponens his vtitur verbis, *Accipite Spiritum Sanctũ quorum, &c.* Neque obstat his, Apostolos in vltima cœna accepisse potestatem ad Eucharistiam consecrandam expeditam quidem, & etiam eam accepisse ad remittenda peccata, sed impeditam donec Christus proferret illa verba, accipite Spiritum Sanctum, &c. quo loco aliqui dicunt, tantum significari illam potestatem esse ex tunc expeditam. Nam contra est, quod de tali impedimento nullo modo nobis constat, tum quia alias verba illa, accipite, si referrentur ad potestatem multo antea collatam non essent vera, imo talis intelligentia verborum manifeste contrariatur verbis citatis, *Trident. sess. 14. cap. 1. ibi fuisse communicatam.*

6 Neque etiam obstat, Christum simul cum illis verbis *Ioannis* 20. vsum fuisse pro materia insufflatione, Ecclesiam vero modo vti manuum impositione, nam contra est, nemini in dubium venire posse, quin Christus aliud statuerit ad nostra tẽpora pro materia, & forma, & aliud ipse, aut eius Apostoli obseruauerunt, nam etiam Christus instituit Apostolos Sacer-

A dotes ad consecrandum traditione sui corporis, & sanguinis iam consecrati, & verbis illis, *Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem*, Vt notauit *Ricard. Tapper. art. 17. §. de materia*, Cum tamen modo Ecclesia diuersa materia, & forma vtatur in consecratione Sacerdotis ad consecrandam Eucharistiam. Secundo probatur, etiam pertinere ad materiam huius sacramenti impositionem manuum, *ex Trident. sess. 14. cap. 3.* Vbi loquens de sacramento Vnctionis, sic dicit, *Nam, & ostenditur ibi* (Scilicet Iacobi 5.) *Proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine ea loco non ætate, seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis recte ordinati per impositionem manuum presbyterij.* Vbi

B dum Cõcil. affirmat: Sacerdotes ordinari per manuum impositionem, aperte indicat, eam esse materiam huius sacramenti.

Ad argumentum primæ sententiæ. Respondetur, non esse necessarium, materiam ordinis sitam esse in principaliori actione, imo etiam si hoc requireretur, materia ordinationis presbyteri non esset posita in manus impositione, sed in traditione calicis, quia per eam denotatur præcipua actio Sacerdotis, quæ consistit in consecratione Eucharistiæ. z

Ad argumenta secundæ sententiæ dissoluenda veniamus, si placet; Ad primum negamus materiam debere esse sitam tantum in actione præcipua traditionis calicis. Ad secundum respondetur Eugen. eo loci, non ita exacte assig- 8

C nasse omnes materias, & formas ordinũ, quin aliquid aliud relinquatur supplendum per alia decreta Ecclesiæ: in ordine autem presbyteri addenda videtur pro materia impositio manus iuxta doctrinam *Concil. Trident. loco citato*, quod ex eo patet, quia pro ordinibus aliquibus non assignauit materiam, & formam, sed eas ad Pontificale reduxit. Ad tertium argumentum respondetur, ex nostra sententia neque sequi, potestatem consecrandi suspendi vsque ad prolationem horum verborum, *Accipite Spiritum sanctum; quorum, &c.* Quia antè eam datur sua materia partialis, & forma verè significans potestatem consecrandi, & ita potest habere suum effectum, sicut antequam adueniant materia, & forma consecrationis ca-

D licis, consecratur hostia per aliam materiam, & formam partialem. Neque etiã sequi esse duos characteres, cum potestas dimittendi peccata simul cum potestate consecrandi adintegret potestatem vnam Sacerdotalem, quod repugnat duplici characteri, sed sufficit extẽdi priorem characterem datum ad consecrandum, vt quis Sacerdos valide possit absoluere: sine qua extensione non valebit absolutio collata à Sacerdote, quæ extensio non est physica, vt contingit in scientia vnius conclusionis, quæ ad aliam nouam demonstrandam extẽditur iuxta

probabi-

probabilem sententiam, sed est moralis consistens in hoc, quod ex Dei institutione character prius impressus destinetur, & deputetur ad illud nouum ministerium absoluendi à peccatis, qui character non bene dicitur, quod per partes concedi dicatur, quamuis Sacerdotium per partes concedi dicatur, diuersa autem pars, & diuersa illa potestas adueniunt animæ cum diuerso augmento gratiæ, vt notant recentiores, quod ex eo patet, quia istæ potestates dantur ad diuersa ministeria maxime perfecta, ad quæ diuersa gratia sine dubio à Christo datur.

9 Ad quartum desumptum ex capit. presbyter dicimus, ibi esse sermonem, sicut diximus, *de Concil. Carthag. 4. can.* 3. de ceremonia quadam accidentali ab Ecclesia introducta imponendi manus Episcopi, & aliorum Sacerdotum, supra ordinandum ante consecrationem Eucharistiæ, sine illis verbis, accipite Spiritum Sanctum, non verò esse sermonem de impositione manuum facta à solo Episcopo post communionem in Missa, cum illis verbis, accipite Spiritum Sanctum, quorum, &c.

10 Ad vltimum respondetur, satis esse pro nostra sententia, huius impositionis manuum fieri mentionem in Pontificali Romano.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Episcopatus ordo sit à Christo institutus in sacramentum?

1 ANTIQVISSIMA olim fuit hæresis, asserentium Episcopatum à Sacerdotio nullo modo distingui, cuius erroris vt antiquiorem authorem referunt *Aerium Epiphanius aduersus hæreses hæresi 75. & Augustin. lib. de hæresibus capit.* 53. Imo ex Catholicis quidam senserunt, Episcopos à Sacerdotibus solo iure humano, & non diuino secerni, quos late refert *Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 240. cap. primo.*

2 Deinde alij Catholici existimarunt, Episcopatum à Christo fuisse institutum. Nihilominus non esse ordinem, qui est sacramentum. Huius sententiæ fuerunt *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. & 3. Turrecremata in canonem 1. 21. dist. §. 3. D. Tho. in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 2. quæst. 2.* Et alij Scholastici, quæ sententia his fulcitur rationibus. Prima sit. Communis sententia Doctorum est, septem tantum esse ordines, si autem Episcopatus esset ordo, octo essent ordines, quia septem supra enumeratis adderetur Episcopatus. Secunda ratio sit, quia ordines Ecclesiastici distinguuntur per respectum ad sacramentum altaris, sed Episcopatus, pro vt distinguitur à Sacerdotio, non dicit peculiarem respectum ad sacramentum altaris, vt patet, ergo non est ordo distinctus ab alijs. Tertia ratio sit, si Episcopatus esset ordo distinctus à Sacerdotio, imprimeret diuersum characterem ab eo, quem imprimit Sacerdotium, at non imprimit, quia alias, si quis consecraretur Episcopus, antequam esset Sacerdos, reciperet characterem Episcopalem: sicut ille, qui reciperet Sacerdotium ante Diaconatum, vere reciperet characterem Sacerdotis, quod tamen est absurdum. Quarta ratio sit, quia in consecratione Episcopi nulla apparet materia, & forma sacramenti, ergo reuera non est sacramentum.

3 His non obstantibus sit prima conclusio, Episcopatum pro vt à Sacerdotio distinctum fuisse à Christo institutum. Ita defendit *Durand. in 4. dist. 24. quæst. 5. numero 9. Maior eadem dist. quæst. 1. colum. 2. §. sequent. Petrus Sotus lib. de institutione Sacerdotum lectione 4. de sacramento ordinis §. ex his igitur*, Et alij recentiores. Hanc sententiam existimo esse de fide. Primo enim expresse definita est, *in Trident. sess. 23. canon. 6. sub his verbis, Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina institutam ordinatione, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris, anathema sit.* Secundo definita est ab *Anacleto Papa epist. 3. capitul. primo* Cuius hæc sunt verba *Sacerdotum fratres ordo bipartitus est, &, sicut dominus illum constituit, à nullo debet perturbari* postea subdit, *Episcoporum ordinem institutum esse sub Apostolis.* Tertio probatur, quia ex communi doctrina Patrum, *Et ex Eugenio Quarto in Concilio Florentino in decreto fidei post vltimam sessionem, & Tridentino sess. 23. cap. 4.* Sacramenta ordinis, & confirmationis ad suum valorem taliter requirunt, fieri ab Episcopo, vt ab alio valide fieri non possint, ergo certum est Episcopatum esse iure diuino institutum, nam si esset ab Ecclesia inuentus, non habere tantam vim.

4 Sit secunda conclusio Episcopatus est ordo, & sacramentum. Ita sentiunt authores præcedenti conclusione allegati, *& Petrus Soto loco citato.* Vt minimum certa fide credendum asserit. Episcopatum esse sacramentum, *& Vazquez loco citato capite quarto ac Michael Medina libro primo de sacrorum ordinum continentia capite* 15. Affirmant oppositam sententiam sine graui nota defendi non posse. Hæc conclusio deducitur primo ex *Tridentino.* Quod postquam *sess.* 13. *capit.* 3. definiuit, *Per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, quare dubitandum non esse, vere,*

& pro-

& proprie esse sacramentum:can. 6. Damnat asserentes,non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam,ex Episcopis,presbyteris,& ministris,ex hoc enim sequitur ordinationē Episcopi sacramentum esse, nam si iure diuino ad hierarchiam Ecclesiæ,id est, ad ordinem hierarchicum præcipue spectat, Episcopatus necessario est sacra ordinatio,& verum sacramentum,quia quid obsecro illi deest? vt verām rationem sacramenti sibi vendicet? Secundo probatur efficaciter hæc conclusio *ex* 1. *Epist. Pauli ad Timotheum cap.*4.& ex illis verbis, *noli negligere gratiam,quæ data est tibi per prophetiam cū impositione manuū presbyterij.* Ex quo loco sic argumentor. Ratio sacramenti,vt constat,ex nostro primo tractatu de sacramentis in genere, consistit in signo quodam sensibili significante gratiam spiritualem animæ,sed ex hoc testimonio aperte constat,in ordinatione Episcopi reperiri signum sensibile, quod est impositio mannum Episcoporum,& significationem gratiæ correspōdentem tali signo. Ergo vere Episcopatus est sacramentum.

Restat respondere ad argumenta in oppositum;Ad primum *Maior, & Petrus Soto locis citatis*, non dubitarunt plures ordines,quā septem in Ecclesia constituere distinguentes Episcopatum in ratione ordinis sacri a Sacerdotio, *Vazquez vero loco citato cap.*5. Non audet concedere plures ordines,quam septem,quia istos tantum communis sententia scholæ admittit, vnde asserit, Episcopatum esse quidem ordinem,& sacramentum, non tamen distinctum à Sacerdotio,sed tanquam quid perficiens,& cōplēs sacramentum Sacerdotij,ego vero ad prædictum argumentū respondendum puto,duos esse ordines,& duo sacramenta omnino distincta,Episcopatū,& Sacerdotium,iuxta doctrinam Anacleti in prima conclusione citatam, eos tamen communiter in Ecclesia sub nomine Sacerdotij comprehendi, & ita cum dicitur,vnus ordo Sacerdotij,intelligitur de vnitate generica,qua ratione ordo dicitur vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ,licet plura sacramenta distincta specie sub se contineat. Ad secundum argumentum respondetur, Episcopatum vere esse sacramentum distinctum ab alijs in ordine ad Eucharistiam,quia ordinatur ad generādos Sacerdotes spiritualiter,qui possint conficere Eucharistiam, quem respectum ad Eucharistiam nullum aliud sacramentum ordinis includit. Ad tertium argumentum respondetur, per Episcopatum diuersum imprimi characterem à charactere Sacerdotij,quod probo primo *ex Anacleto Papa loco supra citato*, asserente,duos ordines constitui ex Sacerdotibus, & Episcopis,ergo,& duo sacramēta, sed quodlibet sacramentum ordinis imprimit characterem,ergo illa duo sacramenta duos imprimūt characteres. Tum etiam probo secūdo hāc par-

A tem contra *Vazquez loco citato cap.*5.*ex Trident. sess.*23.vbi cum *Canone* 4.definisset per sacram ordinationem imprimi characterem, postea can.6.distinguit,vt *Vazquez notauit in ea disputatione,cap.*4.Ordinem hierarchicum in Episcopos,presbyteros,& ministros. Propter hanc tamen doctrinam non sequitur, quod contendit Dominicus *Soto in eo argumēto* 3, Scilicet posse aliquem consecrari in Episcopum, antequam ordinetur sacerdos,quia characteris Episcopalis ex diuina ordinatione capax non est,qui nōdum recipit characterem Sacerdotalem, sicut etiam,licet characteres baptismi, & confirmationis diuersi sint,tamen,qui,non dum est baptizatus non est capax confirmationis.

B Ad quartum argumentum respōdetur cum *Vazquez disp.citata,ca.*5.& cum *Armil. in summa verbo,ordo num* 11. Materiam proximam ordinationis Episcopi esse impositionem manuū Episcoporum plurium,qui requiruntur ex diuina ordinatione ad consecrationem Episcopi,iuxta doctrinam *Paul.*1.*ad Timotheum* 4.*noli negligere gratiam,quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij,scilicet, Episcoporum.* Formam vero esse verba illa: accipe Spiritum Sanctum:quæ simul à tribus Episcopis dicuntur:quæ verba simul ab illis congregatis prolata aperte indicant, se ei Episcopo noniter consecrando Spiritus Sancti gratiam tribuere,vt in eorum consortium admittatur. 6

C Non tamen puto verum quod *Vazquez ibidem notat*,respondens *ad Concil. Carthagin.*4. *can.* 2. (Vbi ea doctrina indicatur)scilicet,omnes tres Episcopos manus imponere super consecrandum in Episcopum, non tamen omnes, sed vnum tantum verba proferre, nam sicut iste author notat,plures requiruntur Episcopi in ordinatione Episcopi,tanquam necessarij ministri,ergo omnes simul debent applicare materiam,& formam,hoc enim est de ratione ministri in sacramentis,vt applicet materiā, & formam. Defectu cuius, in materia baptismi docuimus,non fieri sacramentum,cum duo accedunt ad baptizandum, & vnus lauat paululum, ac alius profert verba formæ:vnde *Concil. Carthag.*4.*loco citato*,dum hæc verba asserit, *Episcopus cum ordinatur,duo Episcopi ponant, & teneant*

D *Euangeliorum codicem super caput, & verticem eius,& vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi,qui adsunt,manibus suis caput eius tangant.* Vbi videtur significare vnum tantum Episcopum benedicere,scilicet, proferre verba formæ,existimo non loqui de ceremonia aliqua essentiali ad ordinationem Episcopi, sed de aliqua accidentali, & ab Ecclesia inuenta, sicut supra diximus ex sententia eiusdem Vazquez,idem *Concilium can.* 3. & 4. Non agere de ceremonia aliqua substantiali, dum de Sacerdotio, & de Diaconatu agit.

QVAE-

QVÆSTIO. VII.

Quis possit esse effectus, & quis minister sacramenti ordinis?

1 EX dictis poterit quis facile conijcere, qui sint effectus sacramenti ordinationis illius, quā hactenus explicuimus ex iure diuino originem ducere; & pront se extendit ad quatuor ordines minores, & ad tres maiores: aliqui enim sunt effectus communes alijs sacracramentis, alij peculiares huius sacramenti. Communis effectus huius sacramenti, cum omnibus alijs in hoc consistit, vt gratiam iustificantem conferat animæ recipienti illud ex opere operato, vt pulchre docuerunt *Trid. sess. 7. can. 6. & Concil. Florent. in instructione Armenorum.* Secundus effectus huius sacramenti eodem modo communis est ille, vt tribuat animæ gratiam sacramentalem, necessariā ad exercenda ministeria ordinis, de qua late egimus in tractatu primo de sacramentis in genere.

2 Effectus huius sacramenti cum aliquibus tātum sacramentis communis in eo situs est, vt spiritualem conferat animę potestatem, & perpetuam, & in illius signum characterem indelebilem imprimat. Hoc euidenter docuit *Trident. sess. 7. canone 9. sub his verbis. Siquis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddā spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anath. sit.*

3 Alius effectus huius sacramenti proprius est, conferre potestatem ad aliquod ministeriū peculiare, per quod talis ordo deseruiat consecrationi Eucharistiæ. Vt autem istos effectus operetur ordo in anima, requirit simpliciter (ita vt alias illos non possit operari), vt prius receptus fuerit baptismi character, vt patet *ex cap. 1. & vltimo de presbyteris non baptiza.* Ex quadam vero congruentia, & ex præcepto Ecclesiæ prærequiritur in eo, qui ordinandus est, character confirmationis, vt notant *Victoria in summa de sacramentis, num. 232. sub finem.* Quare siquis ordinatur ante confirmationem delinquit, ratus tamen ordo susceptus erit.

4 Secundum vero quæstionis punctum latiorem exigit indagationem. Hæretici namque nostri temporis iudicarunt, ministros Ecclesiasticos à Magistratibus, & plebe ordinari posse. Alij vero authores, quorum nomina non invenimus, dixerunt Episcopum degradatum, si aliquem velit ordinare cum legitima materia, & forma, nihil prorsus efficere.

5 Sit conclusio de fide. Episcopus consecratus minister est cuiuscūque ordinationis siue maioris, siue minoris. Conclusio patet *ex Trid. sess. 23. cap. 7. sub his verbis. Siquis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere po-*

A *testatem, cōfirmandi, vel ordinandi, &c. anathema sit,* canone autem secundo docuerat, præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios ordines maiores, & minores.

Secunda cōclusio. Quilibet Episcopus, siue sit hæreticus, siue excommunicatus, siue degradatus, siue alia quauis pœna affectus, est sufficiens minister ordinationis: ita vt ordo ab eo collatus verus sit. Ita tenet communis sententia Doctorum. Probatur, quia potestas spiritualis ordinandi, quæ annexa est characteri Spirituali indelebili non potest ab Ecclesia auferri, ergo quamtumuis Ecclesia puniat Episcopum, adhuc ea manet in eo, ergo si de facto velit ordinare, valida erit ordinatio: peccabit tamē in eo exercitio, quia illud ei prohibitū est 6

B ab Ecclesia in pœnam suorum delictorum. Imo dummodo Episcopus susceperit in se characterem Episcopalem, & Sacerdotalem, quamuis neque ordines minores, neque maiores alios receperit, verè conferet omnes ordines maiores, & minores, quia aliorum ordinum receptio, licet sit de præcepto, non tamen de necessitate. Vnde inter eos ordines, qui sunt inferiores Sacerdotio, talis reperitur subordinatio, quod licet peccet recipiens superiores ordines sine inferioribus, ordinatio tamen valet. Cuius ratio est, quia characteres illi continent in se virtualiter, & eminenter reliquos ordines inferiores minus principales.

Sed contra istam secundā conclusionem obstat primo *Innocentius 1. epist. 18. c. 3. vbi ait, Cle-* 7

C *ricos ordinatos ab Arrianis nō esse recipiendos in Sacerdotio, vel inalio gradu Clericali.* Respōdetur *Innocentiū*, nō negasse, eos mānsisse vere ordinatos, prohibuisse tamen illis vsum ordinū, propter indecentiam, quam consequebantur ex eo, quod pro tali peccato pœnitentiam agere publicam necessum esset. Secundo obstat *Leo epistol. 38. aliàs 40.* & refertur *Canone in Ecclesia 1. q. 1. his verbis. In Ecclesia Dei, quæ corpus Christi est, aliter nec rata sunt Sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostra proprietate naturæ verus nos Pōtifex reconciliet.* Sed respondetur, *Leonem* ibi loqui de Episcopis ordinatis à Catholicis, qui propter metum hæreticis consenserant: quorum ordinatio vera est sine dubio, sed dicitur non rata, quia non erat Deo accepta. Tertio ob-

D stat *Canon, non consecrationem 9. quæst. 1.* Vbi dicitur. Non posse appellari consecrationem, quæ fit ab excommunicatis. Respondetur eam doctrinam esse intelligendam, ita quod vera consecratio non dicatur, licet re vera sit, quia cum peccato facta est. Quarto obstat *Canon per illicitam 4 quæst. 1.* Vbi dicitur vulnerari caput ordinati per illicitam manuum impositionem & in fine additur, nāquo modo honorem possit retinere, qui ab illo accepit, qui potestatem dare legitime non habuit, inueniri non possum, sed respondetur in eo canone loqui Da-

masum

masum Papam de ordinatis à Chorepiscopis, qui nullo modo erãt Episcopi de quibus infra.

8 Difficoltas vero prima huiusquæstionis sit, an aliquis alius præter Episcopum possit esse minister ordinarionis? Quidam sentiunt collationem ordinum minorum posse Papam concedere simplicibus Sacerdotibus, non maiorũ. Ira sentit *Ricard.4.dist.25.art.1.quæst.1.Syluest. summa, verbo Ordo, 3, quæst.7, Couarru. lib.1. variarum cap.10.nu.10.* Probatur, quia Papa non potest committere simplici Sacerdoti ea, quæ pertinent ad dignitatem Episcopalem, & proxime pertinent ad corpus Christi verum, sed ordines minores non proxime pertinent ad corpus Christi, sicut maiores, ergo.

9 Sit tertia conclusio. Simplici Sacerdoti, id est non Episcopo potest concedi, & committi concessio primæ tonsuræ, & ordinum minorum. Ita sentiunt *Angelus in sum. verbo Ordo. Innocent. IIII. in cap.4. de consecrat. nu.4. Aureolus apud Capreolum 4.dist.25.quæst.1.art.2. Panormit. ibidem num.9.* Probatur ex priuilegijs antiquitus, & modo cõcessis passim Cardinalibus non Episcopis, & Abbatibus exemptis, in quibos conceditur eis facultas conferendi primam tonsuram, & ordines minores, neque potest dici Ecclesiã in his rebus ita præcipuis errare passim. Secundo probatur ex *Eugenio IIII. in Decreto fidei in Concil. Florent. post vltimam Sessio. §. sextum Sacramentum*, vbi de ministro huius sacramenti sic inquit: *Ordinarius minister huius sacramenti est Episcopus*, sed ibi dum loquitur Pontifex de alijs sacramẽtis (præter quam de sacramento Confirmationis, de quo eodem modo loquitur.) Solum eis assignat suũ ministrum, ergo dum huic assignat ministrum ordinarium, censet esse alium posse ex cõmissione, sed nequit esse alius nisi Sacerdos, quia alius inferior id nequit præstare, cum non viderimus adhuc talem cõmissionem à Sede Apostolica dimanasse, ergo Sacerdos non Episcopus potest ex cõmissione minores ordines conferre, ex commissione inquam Papæ, cui Deus creditur dedisse talem facultatem. Nam alius inferior in re tam graui non poterit se intromittere, neque ralis facultas reuocata est per *Concil. Trident. Sessio.23. cap.10. de reformatione*. Vbi præcipitur Abbatibus, & alijs quibuscunq; exẽptis intra fines alicuius Diœcesis existẽtibus, ne vlli nisi subdito regulari. Primam tonsuram, vel ordines minores conferant, tum Ecclesia noluit hanc potestatem illis personis generaliter concedere conferendi ordines minores, ob hoc tamen non negauit eam posse concedi.

10 Quarta conclusio. Diaconatus, & Subdiaconatos possunt ex Ecclesiæ cõmissione à simplicibus Sacerdotibus cõcedi, ita tenet Auctores citati in præcedenti cõclusione. Probatur primò ex *Eugen. IIII. loco citato*, cuius verba etiã

A hic habent vim: dũ asserit absolutè ministrum ordinariũ huius sacramenti esse Episcopũ, & præterea probatur ex facto Ecclesiæ, quod in hac re parui faciendũ non est, nam *Victoria in sum. n.235.* testatur, se legisse Bullã Pontificis, in qua concedebatur Abbatibus Cisterciensibus, vt Subdiaconatũ cõferre possent, & *Ioan. Maior 4.dist.7.q. vnic. §.2. arguitur*, asserit, per Bullas Pontificis concessum esse illis Abbatibus, vt omnes ordines excepto Sacerdotio suis subditis conferrent, *& Vazq.3.to. in 3.p. disp.243.* testatur, se vidisse in suo collegio Cõplut. Bullã cõtinentem hoc priuilegiũ, de quo meminit *Maior*, quam Bullã ait *Vazq. esse Innocēt. VIII.* & datam anno 1489. quæ priuilegia ex *Triden. loco citato*, præcedenti §. sunt quoad Ab-
B bates sublata.

Quinta conclusio. Simplex Sacerdos ex cõmissione Pontificis potest conferre Sacerdotiũ. Ita docent Auctores citati in tertia cõclusione, & probatur primò *ex verbis Euge. IIII. supra citatis*. Secundò probatur ex facto Ecclesiæ, nam *Conc. Antioche. can.10.* postquã cõcessit Chorepiscopis, vt ordinarent Lectores, & Subdiaconos, atque exorcistas, addit *Conc. hæc verba, neq; presbyterũ vero, neq; Diaconũ audeãs ordinare* (vt haber tertia quædã translatio) *præter conscientiã Episcopi*, ergo à contrario sensu sciente, & consentiẽte Episcopo bene possunt istos ordines cõferre, illi autẽ Chorepiscopi, probabile est, quod non fuerint Episcopi. Ita sentiunt aliqui recentiores cũ *Ayala de tradi-*
C *tionibus Ecclesiasticis 3.p. consideras.4.* Probatur primo ex *Ioan. III. epist. vnic. in medio in 2. tom. Concilior.* vbi ait, Chorepiscopos veros Episcopos non fuisse, quod ab vno tantũ ordinati essent, & *Damasc. epist.4.* idẽ defendit, dum dicit eos non esse Episcopos, quia minus, quã à tribus sunt ordinati, & ad *can.10. Conc. Antioche.* quod oppositũ indicat, dum ait de Chorepiscopis, quãuis manuũ impositionẽ Episcoporum perceperint, & vt Episcopi cõsecrati sint, respõdet *Vazq. disp.238.c.7.* vbi de hoc late disputat, per illa verba, *& vt Episcopi sint consecrati*, potius denotari non fuisse veros Episcopos, quia particola (vt) diminuit.

Sexta cõclusio. Sicut laico nequit à Papa cõ- 12
mitti ordinatio alicuius clerici, ita neque non
D Episcopo potest cõmitti cõsecratio Episcopi. Probatur primò ex *Paul. ad Hebr.7.* sic dicẽte: *Minor à maiori benedici debet*. Secũdò probatur, quia cõtrariũ nunquã vidimus in Ecclesia Dei factum esse, vnde & credimus id fieri nõ posse, cum magnã præseferat incongruẽtiæ rationẽ, tum etiam quia sicut in naturalibus nemo dat, quod non habet, vel formaliter, vel eminẽter, ita etiam in moralibus, sed qui laicus est nullo modo habet ordines in virtute, neq; qui Episcopus non est, Episcopatũ: nam in quo quæso est ita virtus posita? ergo vera est conclusio.

Dif-

13 Difficultas vero est, an ad essentiam ordinationis Episcopi tres Episcopi alij requirātur, quidā negant, & probatur *ex Can. 1. Apostolorū.* Vbi statuitur, vt Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur, & idem habetur apud *Clemens. li. 3. const. c. 20.* Quod si tres non sunt necessarij, cur duo erunt necessarij? Secundo probatur *ex Concil. Arausic. 1. can. 21.* Vbi statuitur, vt si duo Episcopi præsumpserint aliquē inuitū Episcopum facere, vno ex authoribus dānato, in locum illius is, qui vim passus est, substituatur, & deinde alter etiā dānetur, & in locū eius alius ordinetur, si ergo de illo, qui à doobus erat ordinatus Episcopus, nō dicitur, quod de nouo ordinetur, sed quod substituitur in locū alterius Episcopi, ergo ex eo est, quia māserat vere ordinatus. Tertio probatur, *ex Clemente li. 8. const. c. 27. alias 33.* Vbi refert sententiā *Simonis Chananæi* Dicentis de ordinato ab vno Episcopo in Episcopū, vt tā ordinatus, quā ordinans deponātur, si autem vterque nō esset ordinatus Episcop⁹ deponi nō posset.

14 Septima conclusio. Ex iure diuino requirūtur, vt ordinarij ministri ad Episcoparus collationē tres Episcopi, ita sentiunt *Hostiensis, & Gloss. in cap. Episcopi de tēporibus ordinationū;* Probatur ex *Aniceto Papa, epist. vnica ad Galliæ Episcopos cap. 1. in principio*, Vbi post quam retulit verba *Anacleti* de ordinatione Iacobi facta à Petro, Iacobo, & Ioanne, sic ait, *Si autē nō minus, quā à tribus Apostolis sātus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profecto eos formā Domino insti tuēte tradidisse, nō à minus, quā à tribus Episcopis Episcopū ordinari debere.* Si ergo hæc forma instituente Domino tradita est, erit de iure diuino, & necessaria simpliciter, sicur, & formę aliorum sacramentorum. Secundo probatur ex testimonijs *Damas. & Ioan. 3. citatis in 5. conclus.*

15 Octaua conclusio. Vnus tantum Episcopus potest ex cōminissione Papæ Episcopum consecrare. Probatur ex facto *Gregorij relato à Vazquez loco citato cap. 6.* Qui Augustino in Anglia commoranti concessit ordinationem cuiusdam Episcopi. Secundo probatur *ex Simone Chananæo apud Clementem li. 8. constitutionem ca. 27. alias 33.* Vbi post quam dixit Episcopū ordinandum esse à duobus, vel tribus, subiungit (*Quod si necessitas coegerit, ab vno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint*) afferatur *decretum commissionis plurium Episcoporum.* Quæ verba aperta sunt pro nostra sententia, ita tamen requiritur commissio, vt sine ea nō valeat ordo collatus, vt patet ex verbis *Damasc. & Ioannis.*

16 Ex his respondetur ad argumenta contra istam cōclusionem 8. posita. Ad primum, & secundum respondetur cum *Turriano lib. 1. pro can. Apost. cap. 22.* Ibi requiri duos, vel tres Episcopos simul cum Metropolitano, quia iste semper antiquo iure fuit requisitus, vnde si duo tantum inuenirentur cum eo, iam impleretur numerus ternarius Episcoporum. Ad tertium *ex Concil. Arausicano* Respondetur, ibi denotari per verbum, substituēdum, esse ordinandū de nouo, & in loco alterius cōstituendū. Ad quartū respōdetur Episcopū ordinatū à duobus esse deponendum quoad ordines, quos antea habebat Sacerdotij, non Episcopatus.

Ad argumentum allatum pro prima difficultate respondetur, Papā posse committere Sacerdoti simplici concessionem ordinationis Sacerdotalis, licet illa proxime ad sacrificium altaris ordinetur. 17

Vt autem bene aduertit Vazquez loco citato, ideo forma verborū in hoc sacramēto profertur modo imperatiuo, vt minister denotet, se habere certā, & indubitatā potestatē ad effectum, & characteris, & gratiæ sanctificantis, quem sicut verum instrumentum in anima producit. 18

In calce huius quæstionis quædā vltimo notanda sunt. Primū *sit ex Trid. sess. 14. ca. 2. de reformatione*, Vbi statuitur, nullus Episcopus titularis, etiā si resideat in loco exempto, aut nullius diœcesis, aut in monasterio; aut ibi moram traxerit, vigore cuiuscunq; priuilegij de promouendo quoscumque ad se venientes protēpore cōcessi, subditū alterius Episcopi etiam, præ textu familiaritatis absque sui prælati expresso cōsensu ad ordines maiores, vel minores, vel primā tōsurā promouere audeat, aliàs ab exercitio Pontificaliū per annum ipso iure suspensus sit. *Et in sess. 23. can. 9. de reformatione* præcipitur, ne Episcopus, (vbi non est sermo de titularibus) familiarem suum in subditū ordinet, nisi per trienniū fuerit eo ipso commoratus, & beneficiū illi sine fraude statim conferat. Quod priuilegium distinctum est ab eo, quod *continetur in cap. nullus de temporibus ordinationum in 6.* Vbi statuitur, vt quicumque, etiam non familiaris Episcopi, neque ei subditus ratione natiuitatis, & habitationis, si ab eo beneficium accipiat, possit ab eo etiam ordinari, & literas dimissorias accipere sine consensu proprij Episcopi. 19

Hinc notandū est secundo quoad susceptionē ordinū, vt patet ex *c. cū nullus allegato*, Tripliciti tulo aliquem posse subijci Episcopo. Primo ratione originis, quia in eius diœcesi natus est, secūdo ratione domicilij, quod in eius diœcesi habet, (animo scilicet perpetuo ibi habitandi), tertio ratione beneficij, quod in eius Diœcesi obtinet, vnde qui in vna diœcesi esset natus, & in altera habitaret, & in tertia haberet beneficiū, ab illis tribus Episcopis posset ordinari, & literas dimissorias accipere. 20

Tertio notādum est, prohibitū esse, nequis Episcopus sibi non subditum ordinet sine consensu proprij Episcopi, ita habetur *in Conc. Agath. can. 17. & Trid. sess. 23. c. 8. de reformatione.* 21

Vltimo

Vltimo notādū est, varias statutas esse pœnas ab Ecclesia his, qui contra ordinē ab Ecclesia statutum ordines conferunt, aut suscipiunt, sed earum exacta cognitio pertinet ad materiā de censuris.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm fœminæ sint capaces ordinationis Ecclesiasticæ?

1 CERTVM, Et indubitatū esse debet apud Catholicos, Christū potuisse fœminas capaces efficere eius ordinationis Ecclesiasticæ, quæ modo est in vsu, ita vt Episcopæ, & presbyteræ esse possent. Hoc enim legi naturali diuinæ nullā includit repugnantiā, vt aperte patet, solum ergo hæc quæstio locū habet supposita de facto Christi institutione, an fœminæ sint capaces ordinationis.

2 Secūdò certū est, Ecclesiā posse aliquod gen⁹ ordinationis instituere, quo fœminæ ad aliqua ministeria consecrarētur, sicut, & modo virgines cōsecrantur, dū sacrum velamen recipiūt, & Abatissæ, dū prælatura insigniuntur. Sed tātū quærimus, an eius ordinationis, qua Ecclesia vtitur modo in collatione primæ tonsuræ, vel in collatione ordinū minorum, qui secundum aliquos Theologos non sunt vera sacramenta, neq; à Christo instituta, sed tantum sunt ab Ecclesia inuenti, sit capax sexus fœmineus.

3 *Epiphan. aduersus hæreses hæresi.* 49. Agens de hæreticis Quintilianis, Peputianis, Artotyricis, ac Priscillianis, quos eosdem esse putat cum Cataphrygis, hos eis errores tribuit, quod mulieres in Diaconissas altaris ordinarēt, & quod ex mulieribus Episcopos, & presbyteros haberēt. Testeque eodem Epiphanio error eorū nitebatur tribus fundamētis. Primū sit quia tā in veteri testamēto, quā in nouo aliquæ fuerunt prophetissæ, in veteri Maria soror Moysis, vt constat ex 14. 12. *Numeror.* & filiæ Philippi Diaconi, vt cōstat ex historijs, ergo etiā sunt fœminæ capaces ordinis Ecclesiastici, siquidē capaces sunt doni altissimi prophetiæ. Secūdū fundamētū erat ex verbis *Paul. ad Galatas 3. vbi dicitur, in Christo Iesu non esse masculū, neq; fœminā,* Ergo in Ecclesia Euangelica à Christo fundata eodē modo possunt ministrare fœminæ, ac viri. Tertiū fundamentū sit, quia in Ecclesia nostra Diaconissæ fuerūt, Subdiaconissæ, presbyteræ, & Episcopæ, vt patet ex abrogatione ordinationis earū apud Græcos facta in *Cōci. Laodicen. can.* 11. & refertur *can. mulieres* 32. *d.* Et apud Latinos in primo *Conc. Arausic. can.* 26.

4 Sit conclusio de fide, fœminæ nō sunt capaces ordinationis sacramenti à Christo institutæ, ita sentiūt *D. Th. 4. d. 25. q. 2. ar. 1. q. 1. Sot. q. 1. ar. 1. conclus. 1. Sylu. in sum. verbo ordo. 4. q. 1.*

A Quæ conclusio probatur primo ex perpetua traditione Ecclesiæ, quę nūquā aliquā fœminā nouit ordinatā, nā si quæ posset ordinari, id Beatæ Virgini denegatū non fuisset, quæ sanctior lōge Apostolis extitit, & dignius ordinis ministeria tractaret, quā omnes alij, at ea nullo modo ordinata fuit à Christo Filio suo, qui nullas prærogatiuas gratiarū hominib⁹ cōcessas dilectæ Matri suæ denegauit, quarū esset capax, ergo sensit eā nō esse ordinis sacramēti capacē ratione sexus fragilis. Secūdo probatur ratione *Epiph. in illa hære.* 79. quia nulla mulier neq; in lege naturę, nec in lege veteri, neq; gratię, neq; etiam apud barbaras nationes legitur aliquādo sacrificiū Deo obtulisse, ergo signū est, omnes sensisse, illas esse incapaces huius ministerij, sed B ordinatio quælibet Ecclesiastica ordinatur ad sacrificium altaris proxime, vel remote, ergo eius capax nō est fœmina. Tertia ratio sit, quia si fœminæ essent capaces ordinationis iure diuino, immerito Ecclesia denegasset eam omnibus fœminis. Quarto probatur *ex Paulo 1. ad Corinth.* 4. dicēte de fœminis, siquid autē volūt discere, domi viros suos interrogēt. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia: si enim turpe est, mulierē in Ecclesia loqui, & docere, & ordinati debēt in Ecclesia loqui, & docere, sequitur plane *ex Paulo*, Christū effecisse fœminas incapaces ordinationis iure diuino fūdato etiā aliqua ratione in iure naturali, ratione cui⁹ fœminæ subditæ debēt esse viris, quod si possent ordines recipere, possēt esse viris superiores, C (cū ordinatus sit superior non ordinato) quod quidē cū ratione naturali pugnat, & quidē siue prima tōsura sit sacramētū, siue nō, & siue ordines minores sint sacramētū, siue nō, de quare supra iudiciū tulimus, tamē certū esse debet, fœminas horū omniū ita esse incapaces, vt ab Ecclesia nulla via, vel causa, vel necessitate occurrēte possint ordinari. Probatur quia hęc si sunt instituta ab Ecclesia, sunt instituta tāquā quædā præparationes præuiæ, & gradus, quibus tēditur ad sacra ministeria altaris, & ordinātur ad quædā ministeria in tēplo sacra exercēda, sed fœminæ iure diuino sunt incapaces horū ministeriorū, ergo & illarū præparationū.

Hermaphroditę, vt bene vidit *Sot. q. 1. a. 2. 4. d. 25.* §. Hinc fit, si in eis pręualeat sexus virilis, 5
D sunt capaces, ordinis quia vere sunt homines, quod si præualeat sexus fœmineus, nō sunt capaces ordinationis, quod si dubiū sit qui sexus præualeat, non sunt ordinandi, ne sacramentū exponatur illi periculo, vt sit inane. Pro hermaphroditis vero hoc vnū nota cū *Arist ot. 4. lib. de generatione animaliū ca.* 4 licet vtrumque membrum virile, & fœmineum in eis reperiatur, vnum tamen tantum sexum præualere, & nō vtrūque, & alterū esse nullius virtutis, quia isti duo sexus ita exigunt cōtrarias qualitates, vt eidem homini conuenire non possint.

Ex his respõdetur ad argumenta in opposi-tũ. Ad primũ dicimus, ex eo donũ prophetiæ nõ repugnare fœminæ, quia per illud nõ cõstituitur homo vt superior viro, & vt docens illã, at vero per ordinẽ cõstituitur ordinatus in tali statu, vt alijs preſit, & eos doceat, quod repugnat sexui fragili fœminarũ. Ad secũdũ respondetur, verba *Pauli* esse ita intelligẽda, vt in Ecclesia Euãgelica nulla sit differẽtia inter virũ, & fœminam, sed omnes posse cum gratia Dei æqualiter mereri. Ad tertiũ respõdet late *Vazquez*. Sed breuiter respõdetur, antiquitus fuisse quasdã fœminas dictas Diaconissas, nõ quia gradus Diaconatus ordinis in Ecclesia adeptæ essent, sed vt patet *ex Clement. Roma. li. 2. const. cap. 25. alias. 30* quia ex officio illis incũbebat, cæteras instruere fẽminas, circa res, de quibus acturæ erãt cũ Diaconis, & Episcopis, tum etiã vt cõstat ex eodẽ lib. c. 57. alias 61. Diaconissæ portas, per quas ingrediebãtur fœminæ in tẽplum, custodiebant, sed custodia tẽpli nõ erat penes eas, neque illæ excõmunicatas expellebãt, sicut ostiarij: vnde nõ recipiebãt ordinẽ ostiarij. Tertio vt constat *ex 3. li. const. c. 5.* mulieres, quæ oleo sancto vngebantur, dũ baptizarẽtur, à Diaconissis abstergebãtur, ne à viris aspicerentur, & cũ Episcopus aliquem mittere vellet ad domus mulierũ, non mittebat diaconos, ne quid mali fideles suspicarẽtur, sed mittebat Diaconissas. Quarto vt patet *ex c. 16.* mulieres baptizatę à Diaconissis suscipiebãtur vt à matrinis, & viri à Diaconis vt à patrinis. In Latina vero Ecclesia post tempora Apostolorũ mulieres dicebãtur Episcopæ, presbyteræ, Diaconæ, & Subdiaconæ tantũ ex eo, quod essent coniunctæ matrimonio cũ Episcopis presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, qui viri post matrimoniũ celebratum ex consensu fœminarum hos ordines suscipiebant, vtroque coniuge emittente votũ castitatis, vt obseruat *Michael Med. li. 4. de continent. controuers. 6. c. 7.*

QVÆSTIO. IX.

De ætate, & qualitate ordinandorum, & de temporibus ordinationum.

1 IN hac quæst. quidam iudicarunt, infantes ante vsum rationis prorsus esse incapaces sacramenti ordinationis, ita iudicauit *Durand. 4. dist. 25. q. 2. nu. 8.* Probatur primo hæc sententia, quia absurdum videtur, asserere, paruulum sine vsu rationis posse esse Sacerdotẽ, vel Episcopum. Secundo probatur, quia ad valorem sacramentorum videtur, necessario requiri consensus proprius eius, qui ea recepturus est, vel alienus, vt eorũ, quorũ quis est curæ demandatus. At in sacramento ordinis, dum à paruulo susciperetur, nõ inueniretur consensus proprius, quia illius capax nõ est, præterea

A alienus vt parentũ non sufficit, quia cũ hoc sacramẽtũ nõ sit ita necessariũ, ac sacramẽtũ baptismi ad salutẽ, ideo non videtur illis esse cõmissa cura ordinationis filiorũ parentibus, sicut est cõmissa cura baptizãdi eos. Tertio probatur, quia in forma ordinationis dicitur ordinando, accipe potestatẽ, &c. quæ verba cũ sint infsionis, necessario dirigenda sunt ad eũ, qui capax est rationis. Quarto quia aliquãdo in ordinatione traditur res aliqua sensibilis ordinando, vt cum dicitur, accipe librum, &c. hæc autẽ traditio, vt vera sint verba, necessario requirit contactum, & acceptationem ex parte ordinandi, quorum tamen non est capax infans ergo ille nõ est capax ordinis. Quinto probatur, quia alias infans maneret obligatus ad seruandam castitatem, sicut, & ille qui per metum ordinatur, quod est absurdum. 1

B Sit prima cõclusio. Puer ante vsum rationis, licet cõtra canones suscipiat ordines maiores, at si de facto Episcopus omnes ordines minores, & maiores vsq; ad Episcopatũ cõferat ei, valide recipit illos, ita docet expresse *D. Tho. 4. d. 25. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 2.* Et cõmuniter cũ eo Theologi. Probatur primo *ex cap. vnico de Cleri co per saltum promoto*, Vbi loquens Innocentius III. de eo qui ante annos discretionis minores ordines suscẽperat (per annos vero discretionis quidquid dubitet aliqui recẽtiores sine dubio intelligũtur anni vsus rationis) nõ præcipit, ordines minores iterũ suscipi, sine dubio tamẽ id præciperet, si illi inualide fuissent collati, 2 ergo infans est capax minorũ ordinũ, qui sunt sacramẽta, & imprimũt characterẽ, etiã erit capax aliorũ ordinũ, quia quãtũ ad hoc nõ est maior ratio horũ, quã illorũ. Secundo probatur ratione *D. Tho. loco citato.* Quia licet infans non sit capax alicuius actus liberi in ætate illa, attamẽ capax est alicuius potestatis, quam tẽpore discretionis exerceat, ergo licet capax non sit eorũ sacramẽtorũ, quæ essentialiter requirunt aliquẽ actũ in suscipiente, vt pœnitentiæ, & matrimonij, quorũ materia sunt actus recipientis ea sacramẽta, vt suis locis patet, & similiter Extremæ Vnctionis, quæ essentialiter requirit hominẽ peccasse, tamẽ aliorum sacramentorum omnium, vt baptismi, confirmationis, Eucharistiæ, & ordinis, quæ non requirunt essen-

C

D tialiter aliquem actũm liberũ in recipiente; vt patet, vnde possunt recipi à perpetuo amente, quia tantũ ei communicant aliquam potestatem spiritualem, cuius capax est infans.

Secũda cõclusio. Etiã infans est capax Episcopatus. Ita *Dominicus Sot. in 4. q. 1. ar. 2. concl. 3. & Vazquez 3. to. in 3. p. d. 236. c. 1.* Probatur 3 ratione, quia non est maior ratio huius sacramenti ordinis, quam aliorum, sed infans est capax aliorũ ratione characteris, & potestatis spiritualis, ergo huius, in Episcopatu vero id 4 vnũ existimamus, illũ infantẽ ordinatũ Episcopum

pum nun manere obligatum vinculo matrimonij spiritualis, neque cura pastorali illius Ecclesiæ, ad quam fuerat cunsecratus, quia vt probe considerauit *D. Thom. loco citato*, ad id requiritur vsus rationis propriusq; consensus.

4 Ad primum argumētum in oppositū respōdetur, non esse obsurdū, asserere, posse paruulū esse Sacerdotem, & Episcopū, si de facto ordinaretur, esset tamē absurdū eum ordinare. Ad secundū respundetur, ad validitatē urdinis neque requiri cunsensum ordinandi, neque olterius pro eo, sicur neque ad validitatē baptismi talis consensus requiritur. Ad tertiū respondetur, ad verbū illud, Accipe potestatē, nō requiri aliquē actum liberū acceptautē eam potestatem, sed solam capacitatē, hæc autem in infante reperitur, ita vero loqui Episcopū, etiam dū sacris initiat infantē, & perpetuo amentem, necesse est, vt denotet efficaciā, & infallibilem vim sacramenti, quod ministrat, & suorū verborum, propter quam efficaciā denotandā verborū asserit baptizans ad paruulū qui baptizatur: Accipe sal sapientiæ, & non quia ille sit capax rationis, ergo eadē ratione potest dici infanti, Accipe potestatem. Ad quartum argumentum quidam respondeut, vt *Victor. in sum. n. 230. & Vazq. loco citato, cap. 2.* nō esse necessarium contactū ex parte ordinandi respectu materiæ traditæ in ordinatione, neque proxime, neque remote, sed satis esse si eam materiā tradat Episcopus ordinādo præsenti. Probatur primò, quia forma huius sacramēti solū denotat traditionē potestatis, ad hanc autē denotandam nō est necessarius aliquis cōtactus ex parte ordinandi, sicut neque in matrimonio, neq; in traditione alicuius dominij est necessariū rē traditam ab acceptante dominiū tangi. Secūdò probat idem Vazq, quia si aliquis cōctatus materiæ ex parte ordinādi requireretur, maxime ille, qui esset vera acceptio rei, at puer licet tāgeret si nō cōprimeret manibus, nō accipere diceretur, sicut neq; Sacerdotes, qui dū ordinātur, tangūt calicē, nō eū accipiunt, quia manus habent ligatas, nihilominus tamen ad tertiū argumentū melius videtur respōdendū cum *D. Tho. in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. quæstiūc. 5. ad tertiū, & cum Soto eadem dist. q. 2. a. 2. §. vnū hic suboritur dubiū*, ad valorē sacramenti Ordinis requiri, ordinandū tangere materiā sibi traditā ab Episcopo, nō quidē ita vt tangere debeat hostiam immediate, imo neque ipsam patenam, quæ continet hostiā, sufficit enim si calicē tangat continentē patenam, & hostiam. Probatur primò, quia ex parte ordinantis requiritur essentialiter contactus physicus, & materialis materiæ, quā tradit, ergo ex parte ordinādi requiritur etiam contactus physicus materiæ, quā accipit, neque enim est maior ratio vnius, quam alterius. Secundò probatur ratione *D. Tho. loco citato*, quia in forma ordinationis, dum traditur

A res aliqua physica, dicitur, accipe hoc vel illud, ergo vt forma sit vera, debet illud accipi physice per verū contactū, sicut & in alijs sacramentis, quæ imprimunt characterē, vt in baptismo, & confirmatione reperitur contactus materiæ ex parte recipientiū illa. Ex his respōdetur ad primum argumentū Vazq. in ordinatione tradi quidē potestatē, quia tamen ea traditur medio aliquo signo sensibili, necesse esse, tale signū tangi ab ordinando, in matrimonio autē, & in traditione dominij alicuius rei, quia non sit traditio medio aliquo signo sensibili, quod attrectari posit, ideò non est necessarius aliquis contactus ex parte acceptantis rem. Ad secundum argumentū respōdetur, per solū tactum paruuli materiæ sibi traditæ, etiamsi eam non

B cōprimat manu, sufficienter verificari physice materiam ab eo accipi, & eadem est ratio de his, qui ordinautur in Sacerdotes, dum manus habent ligatas.

5 Ad quintū argumentū late respōdet *Vazq. loco citato c. 3.* breuiter vero respondetur, paruulū initiatū ordinibus sacris posse matrimoniū contrahere, & non esse obligatum ad seruādam castitatem, quia obligatio nascitur ex voto, cuius infans capax sine dubio non est, neque etiam est aliquod ius naturale, aut diuinū, aut humanum quod huiusmodi ordinatum sine suo consensu ad castitatem obliget.

6 Ad illud vero de ordinato per metū illatum ab extrinseco, & cadentē in virū constantē, & iniustū, & illatū ad extorquendū votū respon

C det *Vazq. loco citato*, illū esse obligatū ad seruādā castitatē ratione voti in tali ordinatione emissi, quod putat esse validum in illo casu iure omni naturali, & positiuo. Melius tamē respōdemus tale votū minime habēre vim, ita sentiūt *Rosela, & Pisana*, quos refert *Syluest. verbo votum 2. q. 12. & verbo metus 8. Azor to. 1. sum. li. 11. c. 16. & Lesius li. 2. c. 40. to. de iustitia dubitatione 4.* Hæc sententia probatur ab omnibus ex *c. perlatū de his, quæ vi*, vbi Pontifex respōdet, mulierē, quæ metu mortis, quem maritus incusserat, religionē vouerat, solutā esse voti vinculo, nisi post obitū viri votū ratum habuerit. Quæ decisio eodē modo applicāda est ad alia vota eodē metu emissa. Neque obstat, baptizatū per talē metū obligari ad legem Christi

D seruandā, vnde etiā ordinatū ordine sacro esse obligatū ad castitatē, quia in omniū sententia est verè ordinatus, nā cōtra est, quod obligatio illa in baptizato prouenit ex vi sacramēti, at obligatio castitatis nō prouenit ex vi ordinis, sed voti, secūdo, quia omnes tenemur iure diuino baptizari, vnde ille compellitur ad id, ad quod tenetur alias, at ille, qui metu ordinatur, cōpellitur ad ordines, quos nō tenetur suscipere.

7 Quātū ad ętatē ordinādorū nota, vt notatur in rubrica Pōtificialis de ordinibus conferēdis, ante septimū annū non esse primā tōsurā con

ferendam,& in Concilio Trid. nulla ætas pro prima tonsura assignatur, neque etiã pro minoribus ordinibus, pro maioribus vero ordinibus *sess*.23.c.12. De reformatione sic dicitur, vt nullus ad Subdiaconatum ante 22.ad Diaconatum ante 23.Ad presbyteratũ ante 25. annũ admittatur:quod intelligitur de anno incepto, nõ cõpleto,& etiam seruanda est in Religiosis ea ætas iuxta *Conc.Trid.in illo c.*12. vbi inquit quibuscumque priuilegijs, quoad hoc spectat,omnino exclusis, nam licet ordo minorũ habeat priuilegium hoc *ab Innocet.VIII*. Vt Generalis,& Prouincialis dispensare possint cum fratribus in 22.anno completo ad Sacerdotium,& *Gregor.XIII*.Hæc priuilegia mendicantibus contra Trid.restituat in foro conscientiæ,tamen cum Generalis, & Prouincialis committunt aliquem ordinandum ad Episcopos,debent in suis literis testificari ætatem, & in eis veritatem narrare,& non possunt in ætate dispensare,quia sic in foro externo vterentur suis priuilegijs,quod non conceditur; tũc autem cũ aliquis bona fide esset ordinatus ante legitimam ætatem,posset prouincialis cum eo dispensare,vt In ordine suscepto ministraret,quia hæc esset dispẽsatio in foro interno.

8 Quantum ad tempora,in quibus ordines cõferendi sunt,nota, primam tonsuram quolibet tempore anni,& quouis die posse conferri, & ordines minores,vt notatur in Pontificali quouis die Dominico,imò etiam quouis die festo: & etiam in Hispania interdictum est consuetudine,vt ordines minores Ieiunio quatuor tẽporum ante Sabbathum conferantur, vt autẽ ordines sint generales,monetur Episcopus,vt primam tonsuram,& minores ordines in Sabbatho conferat. Alij vero ordines tantum possunt conferri quatuor temporibus anni, & Sabbatho ante Dominicã Passionis,& Sabbatho Sancto,vt dicitur *cap. De eo autem de temporibus ordinationum*. Communiter autem dicunt authores, *vt Nauar.in sum.c.*27.*nu*. 241. *Innocẽtius IIII.ca.dilectus de temporibus ordinationum*, Et alij,ordines minores,& Subdiaconatum nõ posse eodem die conferri,quod saltem consuetudine ita se habet;at in c.dilectus prohibetur, hominem eodem die duos sacros ordines recipere, *Concil.autem Trid.sess*.23.*c*.11.Asserit, ordines minores esse conferendos per temporũ interstitia, nisi aliud Episcopo videatur, sed hoc in Hispania vim non habet, vbi consuetudo legitima obtinuit,omnes ordines minores eodem die conferri,vt notat *Vazquez loco citato*.Ad Subdiaconatum autem nemo promoueri potest,nisi post annum à susceptione ordinũ minorũ, vt patet *ex ca*. 11. *eiusdem sessionis*, Neque ad Diaconatum, nisi post alterũ annũ, vt patet *ex cap*.13.Neque ad presbyteratũ nisi post alterũ annũ,vt patet *ex ca*.14.Nisi aliud Episcopo videatur ob Ecclesiæ vtilitatem, vel

A necessitatem, vel ob causas occurrẽtes ex parte ordinandi,quæ ad vtilitatem etiam Ecclesiæ reducantur.

Quæret tamen aliquis,In quibus casibus specialibus,& ob quas causas possit Episcopus dispensare in interstitijs ordinum recipiendorũ? 9 Respondetur primo in hac re non posse assignari certam,& generalem regulam, sed prudẽter ab Episcopo considerandũ esse in casibus se se offerentibus quando necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ prædictam dispensationem postulet. Respondetur secundo,non esse seruanda temporum interstitia cum eo,qui beneficium parrochiale obtinet; ita aduertunt *Cerola in praxi Episcopali, verbo ordo folio 79. & Reginal. in praxi pœnitentiali tom.2.lib.30 cap.8.sect.4*.Et ratio

B huius in prõptu est. Quia beneficiũ parrochiale potest concedi ei, qui nondum est initiatus sacris ordinibus,sed si de facto huic tale beneficiũ cõferatur,intra annum debet ille recipere omnes ordines sacros,vt constat *ex cap. licet canon de electione in* 6.Cũ isto ergo temporũ interstitia obseruari non debent. Tertio respondetur cum eo,qui obtinet aliud beneficium nõ parrochiale, cum onere tamen celebrandi sacrum,Canendi epistolam,vel Euangelium,nõ esse seruanda temporum interstitia, sed absq; illis posse omnes eos ordines eum recipere, qui ad tale munus obeundum necessario prærequiruntur. *Ita sentiunt Cerola,& Reginald. locis citatis*.Probatur quia iste intra annum debet ordines necessarios ad suum munus exe-

C quendũ recipere sub pœna amissionis beneficij,vt constat *ex Clementina vt ij qui de ætate, & qualitate*.Renouata per *Concil.Trid.sess*.22.c.4. *de reform*.Ijs ergo temporum interstitijs subiacere nequaquam potest. Quarto respondetur in eo casu quo beneficiũ,aut capellania habeat aliquem ordinem annexum ex statutõ Episcopi,aut voluntate fundatoris,aut consuetudine legitima,ita vt qui intra annum non receperit talem ordinem,amittat beneficiũ, cum eo, qui tale beneficium, aut capellaniam obtinet, tẽporum interstitia seruanda non esse, quod à fortiori patet ex ratione adducta in tertia responsione. Quinto respondetur posse Episcopum dispensare in temporum interstitijs cum eo, qui in literis, aut virtute magnos fecerit

D profectus. Ita continetur in quadam declaratione Cardinalium, cuius verba sunt hæc, *Ob eminentiam doctrinæ, vel bonum testimonium, & de consensu ordinarij Sũmus Pontifex concedit, vt quis omnes ordines, etiam presbyteratus breuiori tẽpore sumere possit, etiam extra tempora, sic responsum fuit Episcopo Placentino*. Vltimo respondetur cum eo,qui licet habeat prædicta beneficia aut capellanias, & cum quo aliàs posset dispẽsari in interstitijs,seruanda esse temporum interstitia,si non habeat animum in seruiendi Ecclesiæ,cui est annexum beneficium, aut capellania

lania, ita docuit *Cerola loco citato.* Et ratio huius aperta est, quia cũ prædictis beneficiarijs, aut capellanis dispensatur in interstitijs ad succurrendum necessitati, aut vtilitati Ecclesiæ, sed si non habeant animum ei inseruiendi, nullum sequitur ex eorum ordinatione emolumentũ Ecclesiæ, ergo cum illis non est dispensandum in interstitijs.

10 Quantum ad alias qualitates ordinandorum attinet, primo requiritur probitas vitæ, & morum integritas, vt ad minores ordines quis promoueatur, & etiam ad maiores, patet *ex Trid. sess. 23. cap. 5. de reformatione, & cap. 13. & 14. & idem Trid. eadem sess. cap. 4. de reformatione*, præcipit, vt nullus prima tonsura initietur qui fidei rudimenta ignoret, quique legere, & scribere nesciat, & præcipit, vt hi tantum ad primã tõsurã admittãtur, de quibus sit probabilis coniectura nõ secularis iudicij fugiẽdi fraude sed vt Deo inseruiant, hoc vitæ genus elegisse. Ex quibus verbis *Concilij eo cap. 4.* Vbi verbis præceptiuis loquitur ad Episcopos, ne aliquem prima tonsura afficiant, de quo non sit probabilis cõiectura eum statum clericalẽ suscipere, vt Dei cultui inseruiat, manifeste colligitur, quidquid contra dicant *Thom. Sanchez. lib. 7. de matrimonio disp. 31. & Conin. tom. de sacramentis disp. 20. dubio. 10.* Peccare eũ, qui primam tonsuram recipit, cũ animo ducendi postea vxorem, quia iste non habet animũ in perpetuum inseruiendi Ecclesiæ, quem requirit Concilium ibidem. Tale tamen peccatum tantum existimo esse veniale, quia materia leuis est, & indecentia inde sequuta statui clericali leuis etiam cẽsetur. Licet *Bañez 2. 2. quæst. 12. ar. 1. in 2. difficultate, & conclusione vltima*, hoc putet esse peccatum mortale.

11 Pro minoribus vero ordinibus *Concil. Trid. ead. sess. c. 11. de reformatione* decernit, vt qui ad minores ordines admittuntur, saltem linguam Latinam intelligant, & *cap.* 13. De his qui recepturi sunt Subdiaconatum asserit, debere linguam Latinam intelligere, & cognoscere ea, quæ requiruntur ad suum officium ministrandum: & idem requiritur de suscipientibus Diaconatum *Cap. vero* 14. His, qui ordinandi sunt Sacerdotes, præcipitur, vt cognoscant ea, quæ hactenus dicta sunt, & vt sciant eã docere, quæ omnibus necessaria sunt ad salutem, & vt etiã sint idonei ad sacramenta ministrãda, quæ sciẽtia ad sacramenta ministranda non tantũ requiritur, quanta necessaria est ad munus confessarij, vnde diuerso modo ad vnum, & ad aliud ministerium examen requiritur: vnde vt bene ponderauit *Vazq. loco cit. c. vlt.* Sufficit in isto ordinando scientia necessaria ad recte ministranda sacramenta baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis. Imo quidquid negent *Vazquez loco citato, & Conin. loco citato.* Etiam Sacerdotes ordinandi debent cognoscere

A principia generalia sacramenti pœnitentiæ, vt materiam, & formã, & alia huiusmodi, quia in articulo mortis possunt sine examine Episcopi sacramentum pœnitentiæ ministrare: in Hispania autem iuxta legitimam consuetudinem Episcopi cognoscunt de scientia ordinandorum etiam regularium.

Vltimo, vt aliquis bene suscipiat ordines sacros, requiritur, eum habere congruam sustentationem certam, & fixam ex beneficio, pensione, aut patrimonio sine fraude collato, quia valde indecens iudicatur, ministrum Ecclesiæ cum dedecore, & ignominia gradus Ecclesiastici mendicare, vt habetur *in canone Diaconi sunt 93. dist.* Quæ autem conditiones in beneficio, & patrimonio, aut pensione requirantur, 12
B. nouissime docuit *Trid. sess. 21.* Vbi videantur.

Circa qualitates vero ordinandorum, quæ aliæ requirantur, vel quæ sese possunt offerre impedimenta, quæ impediant susceptionem ordinum, late disputant authores in materia de irregularitate, vnde in isto tractatu necesse non est in illis immorari.

In fine huius quæstionis quæret aliquis, an sit præceptum suscipiẽdi ordines? cui quæstioni breuiter respondetur ex communi resolutione Doctorum, non esse huiusmodi præceptum impositum neque à iure naturali, neque à diuino, neque ab humano singulis Christianis regulariter, moraliterque loquendo. Hæc enim differentia versatur inter sacramenta ordinis, & matrimonij ex vna parte, & inter re- 13
C liqua sacramenta, vt de se patet, quod reliqua sunt instituta ad vtilitatem singulorum hominum, sacramenta vero ordinis, & matrimonij non sunt primario instituta ad vtilitatem singulorum, sed ad vtilitatem totius communitatis Ecclesiæ, quare iuxta *caput consuluit dist. 19.* Prælatis incumbit obligatio prouidendi, ne in Ecclesia Dei desint Sacerdotes, quorum ministerio, & Ecclesia condecoretur sacrificijs, & fideles fruantur sacramentis, quæ tantum ab ordinatis possunt confici: parrochus tamen compellitur relinquere beneficium curatum, nisi intra annum post pacificam possessionem eius adeptam, Sacerdotium suscipiat, iuxta *caput cum in cunctis de electione* [illegible] Similiter electus Episcopus post acceptam posses-
D sionem Episcopatus tenetur intra tres menses consecrari in Episcopum, sub pœna restituendi fructus, quos percepit, & nisi intra alios tres menses consecretur, ipso iure amittit Episcopatum, iuxta *Concil. Trident. sess. 23. cap. 2.*

QVÆSTIO. X.

Vtrùm illi, qui sacros ordines post matrimonium legitime contractum susceperunt, iure diuino castitatem debeant seruare?

1 FRANCISCVS *Turrianus in lib. de 8.7. & 8. Synodo generali in expositione 3. canonis, 6. Synodi* Iudicauit, Clericos, qui sacros ordines etiam Subdiaconatus ceceperunt post matrimonium, ex diuino præcepto ita obligatos esse ad seruandā castitatem, vt nequeant cō iugibus matrimonio antea coniunctis vti sine lethali peccato. Quam sententiam latissime refert cum suis fundamentis *Gabriel Vazquez 3. tom. in 3. p. disp. 247.* Per varia capita, & erudite confutat, quia tamen ea fundamenta difficilia non sunt, neque magnam vim afferunt nostræ sententiæ, neque ad nostrum institurum nimis attinent, ideo illis magna ex parte supersedē dum duxi. Primum autem fundamentū huius sententiæ *sit ex Siritio Papa in epist. 1. quæ est ad Hymerium Tarraconensem Episcopum ca. 7.* Vbi post quam Pōtifex doluit eo quod, in illis prouincijs multi Sacerdotes non solū de proprijs vxoribus, sed etiam de turpi concubitu sobolē dicerērur procreasse, subiungit hæc verba: *Vnde, & dominus Iesus cum nos suo illustrasset aduentu, in Euangelio protestatur, quia legem veneris implere, non soluere.* Et ideo Ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, vt in die iudicij cum rursus aduenerit, sine macula, & ruga eam posfit, sicut per Apostolum suum instituit reperire, quarū sanctiorum Sacerdotes omnes, atque leuitæ inso Iubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ corda nostra mācipemus. Quibus verbis videtur indicari sanctiones, & leges de continentia sacrorū hominum esse non solùm Apostolorū, sed etiā Christi, supra eam, quā lex antiqua suis Sacerdotibus postulabat, ad quam non soluendam, sed implendam Christ' venit. Secundū fundamentum huius sententiæ est desumptū ex Sanctis Patribus vocantibus hoc præceptum Apostolicū, nā asserūt à Christo descēdere: quo modo loquēdi videtur vsus *Epiphanius lib. aduersus hæreses hæresi 59.* Tertiū fundamētū sumitur ex generalib' verbis Patrū Ecclesiæ, qui generaliter docēt Sacerdotibus etiā Græcis esse prohibitū vsum matrimonij. Probatur quarto *ex Cōcil. Niseno can. 3. & refertur canone interdixit 32. dist.* Nam ibi prohibetur Episcopis, presbyteris, & Diaconis, ne vllam domi mulierem sub introductam habeant, nisi matrem, vel sororē, A vel amitam, vel aliam, quæ omni careat suspicione, si autem permitteretur Græcis, vti vxoribus, eo tempore eas excipered Concilium, sicut & sorores.

Sit prima cōclusio cōtinentia annexa est ordinibus sacris sanctissime, ita vt nullo modo expediat eā hoc tēpore relaxare, ita tamen vt neque ducere vxores, neq; vti vxoribus antea ductis liceat post ordinatlonē. Probatur primo *ex Sacra Scriptura, nā Paulus 1. epist. ad Titho. 1.* sic inquit: *Oportet esse Episcopū hospitalē, benignū, sobrium, iustum, sanctum, continentē.* Illud autē verbum sobrium, iuxta *Hieronymum* in hūc locū, significat castum, quia autē castitas cōmunis est etiam coniugatis, ideo addidit Apostolus illud verbū continentē, quod iuxta *Hieronymum* B *ibidem* significat abstinentem se ab vxoris amplexibus. Secundo idem Apostolus *1. ad Corinth. 7.* iubet coniugatos ex cōsensu abstinere se à copula carnali, vt orationi vacent, ex quo loco deducūt Sancti Patres homines sacros semper cauere debere copulā etiam maritalē, cum quotidie ratione officij orare cōpellantur: tum etiā quia in veteri testamento illi, qui rem aliquam sanctam tractaturi erant, ad continentiā ab vxoribus cogebantur, vnde *Exodi 12.* præcipitur comestutis agnum Paschalem, vt renes suos accingerent id est, à carnis voluptate cessarent, & *Exod. 19.* Quādo populus accepturus erat legē à Deo, iubetur hāc cōtinentiā seruare his verbis, *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Et 1. li. Regū cap.* C *21.* noluit Sacerdos Achimelech dari Dauidi panes propositionis comedēdos, nisi prius iuuenes abstinuissent, ō aliquādiu ad vxorē suā nō accessisse, si ergo in veteri testamento illis hominibus præcipiebatur abstinētia à proprijs vxoribus, quāto hoc magis necessariū erit sacris hominibus, qui corpus Christi per agnum Paschalē, & panes propositionis adumbratum conficiunt, edūt, & alijs tradunt. Secūdo probatur hæc veritas ex continua traditione Ecclesiæ, quā eleganter, & fuse deducit *Belarm. to. 1. de Clericis, c. 19.* Ex Cōcilijs, Pontificibus, & Patribus Ecclesię Catholicę. Tertio probatur ratione, quia cum vsus coniugij tam ante ordines sacros suscepti, quā post ordines celebrati impediat Ecclesiastica officia, conuenientissimum fuit, sacris hominibus coniugia prohibere, D Ecclesiasticorum autē officia hæc sunt, sacrificare, orare, docēre, exhortari, sacramēta ministrare, curam pauperum gerere, & similia, his autē matrimonij vsus maxime obstat. In primis obstat muneri sacrificandi, quia illud exigit summam quandam charitatem, & sanctitatem in actu vero coniugij admixta est quedam impuritas, & turpitudo, quæ licet peccatum non sit, ex peccato tamen nata est, vt aduertit *D. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei. cap. 17.*

De inde obstat vsus cōiugalis orationi, & lectioni, 3

ctioni, in qua Sacerdos continue occupari debet, oratio enim requirit mētē ad Deū eleuatā, & tranquillam, vsus vero coniugij, vt notauit August. loco citato cap. 16. hebetat mentē, ac præturbat. Præterea obstat vt prædicationis iuxta *Ambro. lib. 1. de officijs cap. vltimo*, Qoia inefficaciter exhortabitur virginitatē, qui eā non prosequitur. Deinde obstat curæ, & diligētiæ pastorum Ecclesiæ, nam qoi vxorē habet, vt docuit *Apostolus 1. ad Corinth. 7.* Solicitus est quomodo placeat vxori, qua ergo ratione solicitudinem adhibebit suis ouibus? Deinde obstat vsus coniugalis curæ pauperum, cui incūbere debent homines sacrati. Nam cum vxorati omnem suam diligentiam constituant in cōgetendis diuitijs filijs suis, qua ratione se expoliabunt, vt pauperū necessitati succurrant. Demum sacramentorum administratio maximam requirit continentiam in ministris eorū, ne laici vxorati videntes alios etiam vxoratos sacramenta ministrare, eorum ministerium, & munus parui pendant.

Secūdo probatur, quia cū ministri in sacris constituti deseruiant altari sacrosancto, in quo bibitur vinum germinans virgines, & comeditur agnus immaculatus, qui pascitur inter lilia id est, qui fruitur, & delectatur animis puris, & castis, necesse est, vt ipsi sint conformes ministerio, quod gerunt, eos esse puros, & castos, non solum abstinentes se à copula fornicaria, sed etiam à licita, & coniugali.

Nihilominus tamen sit secunda conclusio, Clerici in sacris cōstituti, qui ante ordines susceptos matrimonium contraxerūt, solum prohibentur iure Ecclesiastico copulam maritalē habere cum suis vxoribus, ex quo facile apparebit solum Latinos Sacerdotes, & non Græcos ad eam continentiam teneri. Hanc conclusionem defendit *D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11. in corpore, Sotus lib. 7. de iustitia, quæst. 6. artic. 2. post secundam conclusionem §. ista ergo cōclusiones Sylnester in summa verbo matrimonium* 8. q. 12. *D. Bonau. in 4. dist. 37. artic. 1. quæst. 2. ad 3. Michael Medina lib. 1. de continentia, cap. 7. 21. &* sequentibus. Probatur hæc sententia primo ex quodam facto celebri, & contigit *in Concilio Niseno*, & refertur à *Socrate lib. 1. suæ historiæ c. 8. & à Sozomeno lib. 1. suæ historiæ cap. 22.* & vt refertur in eodem *Concil. Niseno*, quod *Alfonsus Pisanus*, Ex codice Græco Vaticano in Latinum transtulit, & typis mandari curauit *li. 2. quo acta omnia Concilij continentur, c. vltimo*, hæc historia inter acta, & disputationes Cōcilij habetur, factum illud ergo in hoc consistit cum Patres Concilij Niseni legem nouam in Ecclesiā Græcam introducere vellent, vt Episcopi, presbyteri, & Diaconi vxoribus, quas ante ordines sacros in matrimonium duxerant, minime vterentur, Paphnutius Monachus, & confessor ita acriter suasit Concilium, ne talem legem in Ecclesiam introducerent, propter mala, quæ inde possent oriri, vt totum Concilium ei assenserit, & vt Socrates asserit controuersia de hac re exorta penitus sedata est, potestasq; permissa cuique pro arbitratu ab vxorū consuetudine abstinēdi. Senserūt ergo Patres Cōcilij legem huiusmodi continentiæ nō esse diuinam, alias non acquiescerent consilio Paphnutij, neque ipse cū sanctus esset iuxta *Rufinum lib. 10. historiæ cap. 40.* talem doctrinam Concilio proponeret. Secūdo probatur ex *6. Synodo generali in Trullo cōgregata, & refertur in can. quoniam 31. dist.* Cuius hæc sunt verba: *Siquis dignus inuētus fuerit Hypodiaconus, vel presbyter, ordinetur, is ad talem gradum nequaquam prohibeatur, sitam legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tēpore ab eo postuletur, vt profiteatur se à legitima cū vxore cōsuetudine abstinerē.* Tertio probatur ex *Conc. Lateran sub Innocent. III. ca. 14.* Vbi postquā Patres Cōcilij incontinētiā Clericorū puniēdā esse duxerūt, in fine sic asserūt, qui autē secundū regionis suæ motē nō abdicarūt copulā, si lapsi fuerint grauiꝰ puniūtur, cū legitimo matrimonio possint vti, vbi cum Patres loquantur de Græcis Sacerdotibus, & illos dicāt legitimo vti posse matrimonio, quid clarius dici potuit pro nostra sententia?

Deinde nostra cōclusio probatur authoritate Pontificum, nam *Gregorius Mag. lib. 1. epist. 42. & refertur canone ante trienniū 31. dist.* Sic ait ante trienniū Subdiaconi omnium Ecclesiarū Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur, quod mihi durum, atque incompetens videtur. *Et Stephanus Papa III. in Concilio Lather. & refertur canone aliter 31. dist.* Sic ait, aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulātur, istius tamen Ecclesiæ, vel occidētaliū nullus Sacerdotū à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugiū sortiēdi, quibus testibus nobis suffragantibus, quid ad hoc egemus nouis testibus.

Vltimo nostra conclusio probatur ratione, qoia si homines in sacris cōstituti essent obligati ad seruandā castitatem, etiam cum proprijs vxoribus ex iure diuino, cū alijs sint ad idem obligati ex suo proposito voto (quod in susceptione ordinū sacrorū emittunt, aut expressum, vt cum ab Episcopis ordinantibus ad id cōpelluntur, vel implicitum, vt cum scientes ordinibus sacris esse annexum votum cōtinentiæ eos volunt suscipere) sequeretur inde, eos accedētes ad proprias vxores duplex peccatum secūdū speciem cōmittere. Probatur sequela: quia licet vtraque malitia sit contra virtutē religionis, diuerso tamen modo secundum speciē opponitur ei virtuti violatio voti, & violatio legis diuinæ, quia violatio voti est contra fideli-

tatem debitã Deo ex nostris promissis,& violatio legis diuinæ impositæ in reuerentiam sacramenti ordinis est contra reuerentiam debitam sacramentis, vnde in cõfessione vtraque malitia esser necessario aperienda, quia peccata diuersa secundum speciem sunt necessario explicanda in confessione, inconueniens est in auditum, ergo etiam illud, ex quo sequitur, quod inconueniens admittit *Conin. tomo de sacramentis disp.20.dubio 13.* Quia ait ordines sacros ex lege, Ecclesiæ, & voto ad castitatẽ obligare, ductus hoc argumẽto quia cum Ecclesia reddit aliquas personas inhabiles ad contrahendum matrimonium ex motiuo alicuius virtutis, eisdem etiam prohibet actum venereũ, vt peccatum distinctum specie à fornicatione, vt contingit in eo, qui cognoscit sibi affinem in gradu dirimente, qui peccat duplici peccato, sed Ecclesia omnes sacris initiatos reddit immediate ad matrimonium inhabiles propter excellentiam ipsius status sacri, quem suscipiunt, ergo specialiter his immediate prohibet omnem actum venereum cùm quauis fœmina ob talem reuerentiam, vnde si eam cognoscãt peccãt speciali peccato distincto à violatione voti. Sed hæc ratio nullam habet vim, quia Ecclesia solum præcipit sacris hominibus continentiam, & solum reddit eos inhabiles ratione voti, quod iubet ordinandos in sacris emittere, *vt patet ex D. Greg. relato c. nullum 28.dist.* Vbi præcipit, vt Episcopus nullum deinceps ordinet Subdiaconum, nisi prius caste se victurum promitteret, & si sententia Conine. esset vera, ille qui ordinaretur nolens obligari ad castitatem, maneret obligatus ratione legis Ecclesiæ, & non ratione voti, quod falsum est, nobiscum sentit *Reginaldus lib. 3. cap. 7. in fine.*

8 Ex his consequitur, homines sacros in Ecclesia Latina Ecclesiastica solum lege obligatos esse ad abstitiendum à proprijs vxoribus, quia Ecclesiastica lege obligantur ad eam continentiæ speciem vouẽdam, vt constat *ex Canone nullum 28.dist. & Canone quamquam 23. dist. & vt supponitur in cap. cum olim de Clericis coniugatis.* Quæ quidem lex continentiæ à multo tempore in Ecclesia Græca recepta non est, quia Græci non sunt ita frequentes in ministerio altaris, sicut Latini, quod si aliquis intra Latinos (quod tamen minime potest contingere propter magnam huius præcepti notitiam) istud votum neque implicite, neque explicite emitteret, quia illud ignorat, vt contingit illis Subdiaconis, de quibus loquitur *D. Greg. dictã epist. 42.* vel propter malitiam, quia non vult, liber omnino maneret, vt propriam vxorem cognoscere posset, nisi ignorans votum annexum, vellet sucipere ordines eo modo, quo Ecclesia eos concedit, & vult suscipi, quia iste saltim virtualiter vult votum, & cognoscit illud,

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum *ex Syricio Papa*, respõdetur, illum, in illis verbis vsque ad verbum illud, reperire, tantum voluisse Christum suam Ecclesiam Euangelicam velle esse omnino castam, & suos ministros, non quia hoc præceperit, sed quia hoc vehementer suaserit. In alijs vero sequentibus verbis tantum voluit Pontifex legem Ecclesiæ præcipientem sacris hominibus in Latina Ecclesia abstinentiam à concubitu maritali esse indissolubilem, quia nemo potest se ea lege soluere. Ad secundum respondetur, eos Patres tantum velle hoc præceptum continentiæ esse ab Apostolis deriuatum, & institutum cum illud vocant Apostolicum, & quando dicunt à Christo descendere, intelligitur à Christo consulente non præcipiente. Ad tertium respondetur, Patres ita generaliter posse loqui, etiam pro Græcis, quia antiquitus in Ecclesia primitiua etiam Græcis erat impositũ hoc præceptum continentiæ. Cum tamen postea, vt vidimus in probatione nostræ conclusionis, licite data sit facultas Græcis vtendi matrimonio ante ordines legitime cõtracto. Multa alia, quæ hinc infert *Vazquez loco citato vltimo*, nos late disputamus in materia matrimonij, dum loquimur de impedimento voti. 9

Ad quartum respondetur primo, in illo verbo, vel aliam, quæ omni careat suspicione, posse vxorem intelligi. Secundo respondetur cũ *Vazquez loco citato cap. 4. & Michael Medina lib. 2. de continentia cap. 21.* Ibi per introductas intelligi mulieres suspectas. 10

Tertia conclusio. Iustissima est in Ecclesia lex omnimodæ continentiæ. Ita vt sacris initiatus propria etiam vxore ante matrimonium habita vti non possit. Probatur hoc primo authoritate Ecclesiæ, quæ hoc præcipit, vt iam vidimus, & ex dicendis amplius patebit, quæ tamen in re tanti momenti, & ita vniuersali errare non potest. Secundo probatur, quia Ecclesia Latina, vbi hoc est in vsu, nulli in hac re facit iniuriã, quia neminem cogit ad seruãdam istã castitatem, sed eum, qui sponte sua vult sacros ordines suscipere, cum eo onere recipit ad ordines, quia castitas maxime decet sacri altaris ministros. Nam si olim Sacerdotes antiquæ legis qui nostris multo erant imperfectiores, tẽpore vicis suæ, & eo diẽ, quo in templo ministrabant in inferiori quodã ministerio ad vxores non accedebant, nostri qui multo sunt perfectiores, & qui quotidie celebrare debẽt, semper debent etiam à proprijs vxoribus abstinere præsertim cum tanto, ac tam verando sacrificio perficiendo ad scripti sint. 11

Sit quarta conclusio, in vtraque Ecclesia Latina, & Græca à tempore Apostolorum fuit introducta lex continentię etiam à proprijs vxoribus ante ordinea in matrimonium ductis, ita sentiunt *Sotus 7. de iustitia q. 6. art. 2. conclus. 4. & Mi-* 12

& Michael Medina, lib. 2. de continentia, cap. 36. & alij. Probatur primò *ex Clemente Romano in epist. ad Iacobum fratrem Domini, colum. 2.* vbi sic ait: *Ad Dominica autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam coniuges suas nouerint, quod si post ordinationem ministro altaris contingeret proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina.* In fine autem epistolæ cõfitetur se ea omnia ex *Diuo Petro Apostolo Magistro suo accepisse.* Secundò probatur *ex Concil. Carthaginensi II. canone 2.* vbi de hac lege loquitur tanquam de lege ab Apostolis descendente his verbis, vt *quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Tertiò probatur *ex Epiphanio lib. aduersus hæreses, hæresi 59.* ibi post Christi aduentum sanctam Dei prædicationem non permittere, vt ministerijs altaris admittatur is, qui ex vxore adhuc viuente liberos genuerat, sed continens ab vxore. A tempore autem sextæ Synodi abrogata est hæc lex in Ecclesia Græca propter magna damna, quæ videbat Ecclesia ex ea pullulare, in Ecclesia vero Latina semper lex illa continentiæ inualuit, quia neque ex historijs neque ex Concilijs, neque ex Patribus constat hanc legem fuisse aliquando in Ecclesia Latina interruptam.

13 Vltima conclusio. Subdiaconatus tempore primitiuæ Ecclesiæ non fuit ordo Sacer habẽs annexum votum castitatis, vnde Subdiacono licebat vti vxore ante eum ordinem possessa, & aliam ducere ea mortua. Probatur hoc aperte ex *Innocentio III. in cap. à multis de ætate, & qualitate. & ordine perficiendorum, & ex Vrbano II. in canone. nullus ad Episcopatum 60. dist.* at vero tempore *Nicolai II.* vt vindicauit idem *Innocentius eodem capit. Subdiaconatus* iam erat ordo Sacer. Verba Nicolai hæc sunt Erubescant impij, & intelligãt iudicio Spiritus sancti eos, qui in sacris ordinibus presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu sunt positi, si caste nõ vixerint excludendos ab omni eorundem gradnum dignitate, & ad similitudinem Diaconi, & presbyteri Subdiaconus debet continentiã obseruare.

14 Cæterum quo tempore hæc lex continentiæ cœperit in Subdiaconis non constat aperte, in nostra autem Hispania cæpit (quia nulla antiquior memoria eius constat) *ex Concilio Iliberitano canone 33. in his verbis. Placuit in totum prohibere Episcopis presbyteris Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios.* Illa enim particula in totum denotare videtur legem continentiæ tunc ad totum statum clericalem extendi ordinum sacrorum, secundo post ea tempora tempore Augusti, hæc lex lata est pro Subdiaconis *in canone 6. Africano canone 28. & Gregorius Magnus lib. 1. epistolarum, epistola 42. & epistola 34.* Supponit hanc legem vt antiquiorem, & obseruatam in Ecclesia Latina, & præcepit, vt in Sicilia recipiatur, nam in ea nõ erat recepta, sicut neque in Græcia.

15 Cæterum contra primam conclusionem obstant aliqua argumenta pro sententia hæreticorum vehementer impugnantium cælibatum, & continentiam clericorum. Prlmum fit, quia Deus dedit hominibus ius contrahendi nuptias, imò & iure naturali tale ius homines possident, ergo non potest Ecclesia hominibus sacris prohibere nuptias. Ad hoc tamen respondetur iuxta id, quod latius apparet *tractatu 2. de matrimonio, quæst. 15.* ius naturale esse in duplici differentia. Aliud enim est ius naturale præcipiens aliquid, vt non furandum, non fornicandum, & huic iuri nullo modo potest Ecclesia derogare. Aliud est ius naturale permittens aliquid, id est, tribuens facultatem ad aliquid efficiendum, qua ratione dicitur esse de iure naturali comedere carnes quouis tempore, & hominem esse liberum, & huic iuri bene potest derogari per Ecclesiam, & de facto derogatur, quando prohibet comedere carnes certis temporibus. His ergo dicimus ad nostrum propositum, omnes homines iure naturali posse contrahere matrimonium, non quidem iure naturali præcipiente, sed permittente, iure autem huic naturali permittenti bene potuit Ecclesia derogare, prohibendo hominibus sacris vsum omnium connubiorum.

16 Secundum argumentum fit, quia *Paul. 1. ad Timoth. 3.* iubet Episcopum esse vnius vxoris virum, ergo licet ei coniugium. Respondetur tamen, ibi Paulum solum prohibere voluisse bigamiam, quæ prouenit ex matrimonio cum duabus vxoribus celebrato, hæc enim & impedit vsum ordinum priorum, & receptionem posteriorum, & hoc quidem iure Ecclesiastico impedit ab Apostolis introducto, & continuo ab Ecclesia asseruato.

17 Tertium argumentum fit, *ex Paulo 1. ad Hebræos 13.* vbi dicit: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, ergo omnibus etiam sacris hominibus licitus est vsus coniugij. Verumtamen istud argumentum Lutheri nullam vim habet, quia nullus catholicus eo modo, quo ipse, locum interpretatur hune, placet autem solutio *Theophilati in eum locum* asserentis, in omnibus hominibus illis honorabile esse coniugium, qui legitime coniuncti sunt, siue sint senes, siue iuuenes, siue Græci, siue Iudæi.

18 Quartum argumentum hæreticorũ fit, quia omnes Apostoli habuerunt vxores, ergo decens est Sacerdotes eas habêre, & illis vti. Huic argumento respondetur primo, apud omnes Patres Ecclesiæ certum esse, Apostolos siue ante vocationem ad Apostolatum habuerint vxores, siue non, ad eas vero post vocationem nullo modo accessisse, quod quidem

manifeste colligitur *ex Matth.cap.*19.ficut recte expendit *D.Hieronym.lib.*1. *aduersus Iouinianum num.*30. *post medium*. Nam in eo capit. prius Petrus nomine omnium Apostolorum dixit Christo; *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*,& postea Christus in eodem capit. explicuit ea, quæ relicturi essent ij, qui Christum sequi volebant vere, & ex animo, in illis verbis: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, &c.* sed Apostoli ex animo, & verè sequuti sunt Christum, ergo fine dubio deseruerunt vsum vxorum.

19 Secundò respondetur, probabilius esse cum *Hieronym.lib.*1.*aduersus Iouinianum*, licet de Petro negari non posset, vxorem aliquando habuisse, quia legimus *Lucæ cap.* 4. habuisse socerum, tamen de alijs Apostolis, & de Paulo nunquam fuisse vxoratos, neque contrarium probari posse,& specialiter de Ioanne sancto Euangelista,ac de Diuo Apostolo Paulo, nunquam fuisse vxoratos, sat est probabile, nam in primis cum isti ab adolescentia sua ad Apostolatum sint vocati,credendum est,ipsos fuisse celibes. Deinde post vocationem ad Apostolatum credibile non est, matrimonium contraxisse,imò de Paulo,quod vxorem non habuerit,multi Patres Ecclesiæ probant ex illis verbis 1.*ad Corinth.*7. *Dico autem non nuptis,& viduis bonum est illis,si sic permaneant,sicut & ego*. Nam in eo loco se proponit in exemplum Paulus,non solum viduis, sed etiam innuptis, per quos intelligit eos, qui nunquam vxorem habuerant, vt eos distinguat à viduis, ergo constituit se in numero cælibum.

20 Quartum argumentum est *Philippi Melancthon.ex* 1.*ad Corinth.*7. ibi: *Propter fornicationē vnusquisque vxorem suam habeat*. Sed respondetur,eum locum non fauere hæreticis, siue de vxoratis intelligatur ita,vt post conuersionem ad fidem vxoribus vtantur,siue de his qui non dum matrimonium contraxerant, ita vt contrahant, quia non loquitur de sacris hominibus,sed de laicis, qui non sentiunt donum continentiæ in se.

21 Quintum argumentum sit *Petri Martyris*, ex *Leone Papa I. epist.* 87. *alias* 85. cuius hæc sunt verba: *Dicente enim Apostolo,inter alias electionis regulas,is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constiterit, tam sacra habita est ista præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligenda eadem intelligatur seruanda conditio*. Ex quibus verbis aperte sequitur, Episcopum posse contrahere matrimonium, si quidem ei eligenda est vxor, sed respondetur primo cum recentioribus, in isto textu mendacium esse, & pro muliere Sacerdotis eligenda in melioribus codicibus legi, mulieri Sacerdotis eligendi,& hoc etiam *ex Leone colligitur epist.*36.*alias* 84.*cap.* 5. Vbi cum asserit, esse eligendum in Episcopum, qui neque vnam quidem coniu-

A gem habeat,vel habuerit. Secundò respondetur illa verba: *De muliere Sacerdotis eligenda*, posse reddere hunc sensum: *de muliere eligenda ei, qui futurus est Sacerdos*.

Sextum argumentum sit, quia *canone sexto Apostolorum*, præcipitur ne Episcopus vxorē prætextu religionis abijciat, *& canone* 4. *Concilij Gangrensis* dicitur: *Si quis discernit presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit*. Vltimo probatur *ex epist. Vdalrici ad Nicolaum primum*, in qua narratur, tempore Beati Gregor. à piscatoribus in eius piscina fuisse repertas ex millia capita infantiū occisorum, quod cum D. Gregor. cognouisset, prouenisse ex occultis fornicationibus clericorum, quibus coniugia prohibuerat, valde B doluit, & legem continentiæ pro clericis reuocauit,sed ad hæc facile respōdetur. Ad primum in canone solum prohiberi, ne Episcopus deserat ita vxorem suam, vt ei necessaria ad suum statum non tribuat, non vero præcipitur, vt ille vxorem cognoscat, quia etiam in Ecclesia Græca Episcopi nō accedere possunt ad vxores ante ordines sacros susceptos, quia continuo celebrant, at alij Sacerdotes ad eas possunt accedere, quia non ita frequenter, sed raro celebrant. Ad secundum respondetur, ibi esse sermonem non de his, qui vxoribus vtebātur ad copulam, sed de ijs, qui prius contraxerant matrimonium, quam ordinarentur, quos propter solas eas nuptias dicitur, non esse arC cendos ab altaris ministerio vllo modo, quod clarum est, & euidens etiam modo, ad historiā Vdalrici respondetur cum *Vazquez disp. citata, & Coninc. tom. de Sacramentis disp.* 20. *dub.* 11. esse meram fabulam, quod ex ipsa serie historiæ patet, vbi tot narrantur impossibilia.

QVAESTIO XI.

Quo iure prohibitum sit post sacros ordines matrimonia contrahere?

QVIDAM existimarunt, iure diuino hoc esse prohibitum. Ita *Iodocus Clictoueus Doctor Parisiensis lib. de continentia, cap.* 13. *& Michael Medina lib.* 2. *de continentia cap.* 7. Probatur primò, *ex Paulo* 1. *ad Timoth.* 3. *cap.* vbi Paulus præcipit, vt Episcopus sit tantum vnius vxoris vir, ex quo colligitur iterum eos non posse matrimonium contrahere post ordines, sed ad hoc obligantur ministri altaris iure diuino, ergo iure diuino obligantur, vt post ordines matrimonia inire non possint. Secundò probatur, ex 26. *canone Apostolorum alias* 25. *aut* 27. vbi dicitur: *In nuptijs autem, qui ad clerum prouecti sunt*

sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo, ergo alijs clericis prohibetur matrimonium post ordines susceptos contrahere. Tertiò probatur, quia in Synodo Neocæsariensi canone 1. statuitur, vt presbyter, qui vxorem duxerit post ordines, ab ordine deponatur, & idem prohibetur presbyteris sub eadem pœna in Concilio Romano sub Sylvestro canone 19. ex grauitate autem pœnæ deducitur prohibitionem esse de iure diuino, nam si esset ex iure humano non ita grauis ei pœna imponeretur. Quartò probatur ex Concil. Toler. capit. 5. vbi contra Sacerdotes ministros, qui eo tempore post ordines vxores ducebant, grauis pœna statuitur, eo quod dixerint Patres Toletani, huiusmodi peccatum esse contra literas, & Patrum constitutiones, & confirmatur, quia in eo Cōcilio Patres vtūtur exemplo calicis, & vasis consecrati: vt sicut ab eo non potest tolli consecratio, & ideò non permittitur profanis vsibus deseruire, ita etiam sacris hominibus ordinatione sua interdicatur matrimonium contrahendum, & eo vti, ex quo colligit Medina non ex iure Ecclesiastico, sed ex ipsa institutione ordinum prouenire, vt ordinati matrimonium non possint contrahere, quare & ex iure diuino hoc prouenire dicendum est, sicut ex ipsa benedictione vasis prouenit, quod non possit profanis vsibus deseruire.

Vltimò confirmatur, quia iste mos semper in Ecclesia tam Latina, quàm Græca inualuit, vt nullus post sacros ordines matrimonium celebret, ergo credendum est id ex iure diuino dimanasse, nam si ex solo iure positiuo hoc proueniret, sicut & non vti sacros ministros matrimonio prius ante ordines celebrato, potuisset introduci varietas in hoc in his Ecclesijs, sicut in vsu prioris coniugij introductam esse vidimus in præcedenti quæstione.

3 Sit prima conclusio. Semper fuit prohibitū ab initio nascentis Ecclesiæ, matrimoniū post ordines sacros contrahere. Probatur primò, ex canone 25. alias 27. Apostolorum supra pro sententia Medinæ allegato, vbi solis Lectoribus, & Cantoribus datur facultas matrimonium post clericatum contrahendi. Secundò probatur, quia hoc quidem prohibetur Subdiaconis, ac proinde cæteris omnibus in Concilio Romano sub Sylvestro canone 8. & tandem probatur hæc sententia, quia in sexta Synodo in Trullo cōgregata canone 6. confirmatus fuit canon Apostolorum supra allegatus, ergo certum est sacris hominibus tam in Ecclesia Græca, quàm Latina esse à tempore Apostolorum prohibitum, matrimonia post sacros ordines susceptos celebrare.

4 Sit secunda conclusio. Sacris hominibus tātum est prohibitum iure Ecclesiastico post sacros ordines matrimonium contrahere. Hanc conclusionem absolutè docent Almainus 4. dist. 37. quæst. vnica, Syluester in summa, verbo matrimonium 8. quæst. 12. dicto. 2. Sotus 4. dist. 58. quæst. 1. art. 2. & 3. restat tamen verbum, & alij Theologi recentiores. Et quidem conclusio probatur primò ex Concil. Trident. Sessione 24. canone 9. quamuis non valde efficaciter his verbis: Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumq́; validum esse non obstante, lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit. Quem locum ad nostrum propositum sic expendo, ex his sequitur contrahere matrimonium post ordines sacros nō esse prohibitum iure diuino iuxta Concilium, nam nō prohiber id ius diuinum media lege Ecclesiastica, vt patet, non etiam medio voto, quia lex diuina non præcipit homines vouere, sed per se ipsam res præcipit, at ille modus loquendi, iuxta nostram sententiam in præcedenti quæstione pronuntiatam, denotat hoc præceptum esse Ecclesiæ, quia Ecclesia præcipit eos, qui volunt ordinari, votum castitatis taliter emittere, quod neque vxoribus prius habitis vtantur, neque eas de nouo suscipiant. Secūdò probatur ratione eadem, qua secūdam conclusionem in præcedēti quæstione comprobauimus, quia sequeretur exinde, eum virum sacrum, qui post ordines sacros matrimonium contrahit, duplex peccatum sacrilegij committere, alterum contra legem Dei respicientem reuerentiam debitam Sacramento Ordinis, alterū contra votum continentiæ emissum in susceptione sacrorum ordinum, quod respicit, Deo fidelitatis iura seruare debitæ ex promissione humana. Vltimò probatur hæc pars, quia si iure diuino esset prohibitum viros sacros post ordines matrimonia contrahere, sequeretur non posse Papam in hoc dispensare, vt contraherent, cuius tamen oppositum in matrimonij materia tractatu secundo probamus aperte. Patet consequentia, quia non potest Papa in lege diuina aliquid relaxare, at in voto castitatis dispēsat Papa, non quidē relaxando ius diuinum seruandi votum, sed condonando nomine Dei ius adquisitum Deo per nostrum promissum.

5 Hic poteramus etiam disputare, an matrimonium dirimatur per ordines sacros ex iure diuino, an iure positiuo, sed hæc difficultas, & aliæ, quæ hic desiderati possunt, late tractantur in tractatu secundo de matrimonio, dum est sermo de impedimento voti, quod est vnum ex impedimentis dirimentibus matrimonium.

Ex his ad argumenta in oppositum patet. Ad primum dicimus, Apostolum ibi tantum contendere non esse assumendos bigamos, id est duarum vxorum viros ad ordines sacros: inde tamen non constat, neque bigamiam, neque prohibitionem nuptiarum post ordines sacros

sacros esse introductas iure diuino, tantum enim sunt introductæ iure Ecclesiastico. Ad secundam rationē sumptam ex canone Apostolorum, & ex Concilijs Neocesariensi, & Romano respondetur, ibi prohiberi quidem matrimonium sacris hominibus non tamen lege diuina, sed humana, neque enim omnia, quæ Apostoli, aut Concilia in canonibus suis tradunt sunt leges diuinæ, vt patet discurrenti, neque etiam ex grauitate pœnæ in his Concilijs contentæ satis colligitur hoc præceptum continentiæ esse de iure diuino, quia aliæ multæ leges solū Ecclesiasticæ has pœnas imponunt, vt apparet in iure canonico. Ad quartum ex Concilio Toletano primo respondeo, ex eo, quod ibi præceptum prohibens matrimonia sacris hominibus, dicatur esse contra constitutiones Patrum, non sequi, esse diuinum, quia multa Patres humana præcepta tradunt, neque ex eo quod dicatur esse contra sacras literas, quia aliqua continentur in sacris literis, quæ neque sunt præcepta, vt consilium continentiæ datum à Paulo laicis, neque sunt præcepta diuina, sed Ecclesiastica, vt patet in præ- A cepto imponente bigamiam, neq; ex eo quod hoc præceptum comparetur præcepto de non accōmodando vase sacro vsibus profanis, deducitur vlla ratione, vt expendit *Vazquez tertio tomo in tertiā partē disp.* 249. hoc præceptum esse de iure diuino, quia illa prohibitio vasis sacri tantum est Ecclesiastica, vt pote proueniens ex consecratione, quæ Ecclesiastica est: quod inde patet, quia bene posset eam consecrationem ita ordinare Ecclesia, vt solum vsque ad certum tempus duraret, & postea res illa consecrata inuariata in se intrinsecè, & solum per extrinsecam denominationem mutata vsibus profanis deseruiat sine vllo peccato. Ad vltimum argumentum respondetur ex B eo, quod istud præceptum de non contrahendo matrimonio post ordines sacros nunquam in Ecclesia vniuersali sit ablatum, non sequi esse diuinum, quia etiam secundum omnium doctrinam præceptum illud, prohibens bigamos ordinari, est tantum humanum, & tamen semper in Ecclesia fuit seruatum à tempore Apostolorum.



TRACTA-

TRACTATVS

PRIMVS DE SACRO MATRIMONII SACRAMENTO.



1 E Sacramento Matrimonij, cuius naturæ cognitio ad vtrunque forum pertinet, vtriusque fori Doctores magnopere disputarũt, & quidem Theologos ad tres classes reducere possumus, in prima classe comprehendemus disputantes contra hæreticos, in secunda Scholasticos, in tertia Summistas, contra hæreticos, qui matrimonium labefactate contendunt, acriter decertarunt *Thomas Vvaldeñ. tomo* a. *cap.* 130. *& sequẽtibus, Castro lib.* 11. *contra hæreses verbo nuptiæ, Ioannes Rofensis in defensione libri Regis Enrici VIII. Petrus à Soto in institut. Sacerdotum in lectionibus de Matrimonio, Hosius Cardinal. in explicat. Symboli cap.* 55. *&* 56. *Ioan. Eckius in* 4. *tomo sermonum à serm.* 69. *vsque ad finem, Ioann. Gropper in Enchiridio Christianæ institutionis. Iabell. in lib. de Philosophia Christiana, part.* 5. — A, B

2 Ex Scholasticis *cum Magist. in* 4. *dist.* 26. *vsque ad* 42. *Sotus, & Palat. D. Thom. in additionibus, quæst.* 41. *& alijs sequentibus. Ledesma* 2. *par. quæst.* 43. *Victoria in sum. & in relectione de Matrimonio, Hieronym. Torrensis lib.* 3. *Confessionis, Cathet. opusculo de Matrimonio; Canus lib.* 8. *de locis cap.* 5. *Caietan. opusculo trium quæstionum, de Matrimonio, Alexand.* a. *part. quæst.* 169. *Altisid.* 4. *part. tract.* 9. *cap.* 8. *Ioan. Stobeus serm.* 65. *Angles in floribus Theologicis, Petrus de Ledesma in tractatu de Matrimonio, Bellarm. tom.* a. *de Matrimonio lib.* 11. *&* 12. *& nouissime, ac luculentissime Thomas Sanchez in tribus tomis de Matrimonio, Paulus Comitolus in tom. responsionum moralium, Rebellus in tom. de obligationibus iustitiæ, Basilius de Leon in libello de impedimentis Matrimonij, Coninc. tomo de Sacramentis à disp.* 21. *Reginald.* 2. *tom. suæ prax. pœnit. à lib.* 31. — C

A 3 Ex Summistis *Angel. Syluest. Caiet. Tabiena, Armill. Emanuel Rodrig & alij verbo Matrimonium, & verbo sponsalia, Nauar. capit.* 22. *in sua summa à num.* 19.

Iuris Pontificij professores lib. 4. *Decret. tit. de sponsal. vbi Panorm. Hostiens. Conar. Anton. Gomez de hoc disputant: item in sexto, & in Clementinis est tit. de Matrimonio, de sponsalibus, & de consanguinitate, de hac re mentionem fecere Gratian. multis in locis in decreto, Ivo. in suo decreto, part.* 6. *&* 7. *Segura de Aualos tractatu Sacerdotali,* 1. *part. cap.* 15. *&* 16.

4 Tandem de hac materia sermonem instituerunt *Iuris Cæsarei Doctores, Greg. Lopez part.* 4. *tit.* 1. *per totum, Gutierrez. in quæstionibus canonicis, lib.* 3. *fori tit.* 1. *Matienzo tit.* 1. *lib.* 5. *recopilationum, Anton. Gomez, & alij Auctores super leg. Tauri* 47. *& sequentibus.* — B

5 Præsentem hunc tractatum, vt pote longissimum, multis, ac varijs difficultatibus implicatum, qua poterimus facilitate, & breuitate percurremus.

6 Matrimonium multis solet nominibus nuncupari. Primò enim dicitur matrimonium potius, quam patrimonium attestante *Gregor.* 9. *cap.* 2. *de conuersione infidelium*, quia mulier in partu, & ante, & post partum varios labores sustinet. Secundò appellatur nuptiæ, & connubium, quia quasi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum benedicitur, vt ostendat, se esse viro inferiorem, & illi subiectam semper fore. Demum nuncupatur coniugium ex eo, quod virum, & fœminam ita inter se cõiungit, vt iam vna caro efficiantur. In huius vero matrimonij tractatu prius de sponsalibus quæ viam parant ad matrimonium, diseremus, multos sequentes in hoc magnos duces, sed præcipue *Gregor. nonum iuris Pontificij collectorem, qui in* 4. *lib. Decretalium.* Vbi de matrimonio agit, à sponsalibus exordium sumpsit, & quidem necesse non est, in præsenti disputare, — C

an

an matrimonium desesit licitum, cum res satis nota sit, videatur de hoc late *Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 10. quæst. 1. de matrimonio puncto 2.*

QVÆSTIO I.

Quid sint sponsalia, & an violare illa per fornicationem sit circũstantia necessariò confitenda?

1 IN hac quæstione, ante quam ad rem veniamus, aliqua de nomine ipso notanda sunt. Primo notandum est cum *Dominico Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. in princ. & cum Sanchez tom. 1. de Matrimon. lib. de sponsalibus disp. 1.* Hoc nomen, sponsalia, deriuatum esse à verbo spondeo, quod significat sponte, & liberè promittere, tùm quia sponsalium contractus requirit liberam promissionem matrimonij futuri, tùm etiam, quia antiquitus mos ille inualuit, vt nuptura puella, ante quam ad matrimonium accederet, promitteretur futuro viro in vxorem à patre, tutore, vel amicis, quã nominis significationem eleganter deduxit *Iurisconsultus lege 2. & 3. ff. de sponsalibus, & leg. sponsio ff. de verborum significat.* prædictam vero antiquam consuetudinem digito nobis demonstranit *Gellius lib. 4. cap. 4. & desumpsis ex Seruio Sulpicio lib. de dotibus.*

2 Secundò notandum est, nomen, sponsalia, triplicem solere sortiri significationem. Primo enim desumitur pro promissione futuri matrimonij, vt videre licet *in cap. si quis sponsam 27. quæst. 2.* vbi continetur, Cum quis spõsam filij sui oppresserit, filium eius debere aliã ducere, quod nequaquam licitum esset, si spõsa fuisset de præsenti, & hæc acceptio sponsalium proprior, & frequentior est inter Doctores, & huic materiæ maxime germana. Ita notarunt *Panorm. in rubr. de sponsalibus num. 3. Felin. num. 1. prope initium, Couar. lib. 4. decretal. p. 1. cap. 1. num. 4. in fine,* imò vt probe considerauit *Couar. eo loci,* quoties in aliqua lege aut statuto, aut alio quouis loco fit sermo de sponsis, aut sponsalibus, intelligitur de solis sponsis, aut de solis sponsalibus de futuro, nisi aliud suadeat communis vsus loquendi illius temporis, in quo lex, aut statutum condita sunt, aut illius intentio, qui legem, vel contractum celebrauit, adde vel nisi qualitas materiæ aliud exigat, quia fauorabilis est, vt infra ostendemus. Secundò accipiuntur sponsalia pro matrimonio contracto per verba de præsenti nondum tamen cõsummato, quia in eiusmodi matrimonio virtualiter continetur promissio quædam futuræ copulæ communiter loquendo. In hac significatione loquitur, *cap. qui desponsaram 27 quæst. 2.* in illis verbis: *Diuinæ legis est mos, sponsas appellare coniuges,* & eadem ratione loquuntur, *cap. coniuges, & cap. coniux, 27. quæst. 2.* Secundum doctrinam *Diui Isidori, & D. August.* in eis contentam, & hac ratione intelligere necesse est *Matthæum, qui cum 1. cap. sui Euangelij,* de Virgine Maria, quæ nupta erat per verba de præsenti, historiam suam exordiretur, in hæc verba prorupit: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.* Tertiò tandem, & vltimo nomen sponsalia ea munera significat, quæ sponsus solet donare suæ sponsæ, quæ alio nomine arræ nuncupantur, secundum illud *1. Regum 18. Non habet Rex sponsalia necesse.*

3 Tertiò prælibandum est, ad nostræ quæst. faciliorem resolutionem, aliquando in iure, sponsam de futuro appellari vxorem, vt constabit legenti, *cap. iuuenis, de sponsalibus.* Vbi de quadam sponsa de futuro sic pronunciatur, *quia ipsa coniux ipsius fuisse dicatur.* Et similiter *Genes. cap. 19.* consideranti verba, quæ protulit Iacob socero suo Labã, scilicet: *Da mihi vxorẽ meam,* quæ tamen eo tempore tãtum erat promissa in matrimonium, imò etiam sponsus, & sponsa de præsenti, qui nondum matrimoniũ cõsummauere, iure optimo appellantur vir, & vxor, seu coniuges. In huius rei confirmationem elegantes se se offerunt textus, *capit. cum initiatur, & cap. coniuges 27. quæst. 2. & Matth. 1. cap. ibi, Iacob genuit Ioseph virum Mariæ,* & ibi: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quæ doctrina taliter intelligẽda est, vt in fauorabili materia nomine vxoris intelligatur spõsa de futuro, & sub nomine sponsæ comprehendatur ea vxor, quæ contraxit matrimonium per verba de præsenti, nondum tamen illud cõsummauit, in materia vero odiosa nomina il la strictim accipienda sunt, ita vt neque nomine vxoris comprehendatur sponsa de futuro, neque sub nomine sponsæ concipiatur ea, quæ matrimonium tantum ratum contraxit. Quando autem materia est indifferens, id est, neque fauorabilis, neque odiosa: tunc nomen vxoris non continet sub se sponsam de futuro, bene tamen sponsam de præsenti, quæ cõsummationem matrimonij nondum obtinuit. Cui fauet celebris textus *in leg. non fine, C. de bonis, quæ liberis,* vt notarunt *Felin. in rubr. de sponsalibus, num. 1. Syluest. verbo, sponsalia, quæst. 1.* Alios referens in fauorem huius partis, tunc autem materia censetur fauorabilis, cum præcipuus scopus alicuius legis, vel legislatoris fauor est, licet inde alicui resultet odium, seu nocumentum aliquod indirectè, & minus præcipuè, & tunc materia censetur odiosa, cum omninò è contra res se habet.

His praiactis fundamentis, vt primæ quæstionis parti satisfaciamus, sit prima conclusio, 4
Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio. Ita definiunt sponsalia *Nicolaus Pontifex, cap. nostrates 30. quæst. 5. & Iurisconsultus, l. 1. ff. de*

de sponsalibus. Confirmatur secundò conclusio ex etymologia nominis explicata in primo notabili, quæ quidem definitio, & eius exacta intelligentia, quia longam requirunt indaginem, in sequentibus quæstionibus late discutientur.

5 Circa ritus, quibus olim sponsalia fiebant, consulatur *Petrus Gregorius in Syntagmate iuris part. 2. lib. 8. cap. 2. per totum.*

6 Vt ad secundam quęstionis partem gradum faciamus, licet aliqui grauissimi Doctores Iurisperiti oppositum tueantur, quos late refert *Thomas Sanchez tom. 1. de Matrimonio disp* 2. Sit tamen prima conclusio. Non est adulterium proprie, & in rigore dictum, cognoscere fœminam desponsatam per verba de futuro cum alio. Ita docent *Couar. in 4. Decretalium 1. part. cap. 1. num 8. Ant. Gomez l. 80. Tauri num. 47. vers. dubium tamen est, & Enriq. lib. 11. de Matrimonio, cap. 13. num. 4. & Emanuel Rodriguez, 1. tom. summa in 2. editione cap. 53. num. 3. in fine.* Probatur conclusio ista primo, quia vt eleganter docuit *D. Thom. Theologorum lumen, & dux Ecclesiæ secunda secundæ, quæst. 54. art. 8. in corpore,* adulterium nihil aliud est, quam alieni thori violatio, sed qui accessit animo fornicario ad sponsam de futuro, nulla ratione violat alienum torum, quia iste torus ante matrimonium contractum per verba de præsenti nulli conceditur, ergo non committit adulterium. Probatur secundò conclusio ex *l. inter 6. in principio, ff. ad l. Iul. de adulter.* vbi sic dicitur: *Sed propriè adulterium in nuptam committitur.* At sponsa de futuro nupta non est, ergo accessus ad eã adulterij nomen non meretur. Tertio confirmatur hæc pars ex *l. Tauri 81. quæ hodie est lex 4 tit 20. lib. 8. nouæ recopilat. Castellæ*, cuius hæc sunt verba: *Si alguna muger estando casada, o desposada por palabras de presente, cometiere adulterio.* Sentit ergo sponsam de futuro adulterium committere non posse.

7 Pro opposita vero sententia aliquæ nobis leges contradicere videntur. Prima sit *lex si vxor. 13. in princip. ff. ad l. Iul. de adulter.* his verbis: *Diuus Verus, & Antoninus rescripserunt, etiã in sponsam hoc idem vindicandum, quia neque matrimonium qualecunque, neque spem matrimonij violare permittitur.* Si ergo licet vindictam sumere de sponsa eam accusando de fornicario concubitu cum alieno viro, ex eo est, quia illa in hoc adulterium commisit. Secundo obijcies *Legem 1. tit. 17. part. 7. in princip.* illis verbis: *Adulterio es yerro, que home faze jaziendo con muger casada, o desposada con otro.* Ad primam tamen l. respondetur cum *Couar. loco citato*, in eo casu dari vindictam contra sponsam etiam de futuro, quia licet illa adulterium non commiserit in eã fornicatione, alterius tamen generis iniuriam irrogauit sponso, vt statim videbimus. Ad 2. l. respondetur cum *Sanchez loco citato*, ibi per desponsatam cum alio intelligi sponsam, quæ matrimonium per verba de præsenti cõtraxit, nondum tamen consummauit, quæ sine dubio, cum accessit ad non suum, adulterium perpetrauit.

Propius tamen ad secundã quæstionis partem peruenientes tres circa eam diuersas sententias inueniemus. 8
Prima est illorum, qui sentiunt, in accessu fornicario ad alienam spõsam non reperiri aliquam circunstantiam necessariò explicandam in confessione. Ita *Couar. 4. Decretalium 1. part. cap. 1. num. 14. Candelabrum aureum 1. part. in materia de sponsalibus, num.* 10. docuerunt. Probatur primò, quia hæc circunstantia non mutat speciem, circunstantiæ autem, quæ speciem non mutant, minime debent explicari in confessione. Secundo probatur, quia qui fustibus cædit aliquem iniuriam irrogat eius fratribus, & tamen hæc circunstantia fratrum non est necessariò confitenda, ergo licet sponso irrogetur iniuria per accessum ad eius sponsam, hæc tamen circunstantia non debet confessioni subijci. Tertiò probatur, quia sicut se habent sponsalia ad matrimonium, sic se habet votum simplex religionis emissum in sæculo in ordine ad ipsam professionem religionis, sed qui post tale votum simplex accedit ad aliquam, non tenetur hanc circunstantiam voti confiteri, ergo neque qui accedit ad spõsam, debet confiteri circunstantiam sponsæ.

Secunda sententia asserit, in eo casu, quo vir 9
solutus accedat ad sponsam de futuro, debere confiteri circunstantiam sponsæ, at in eo, quo vir desponsatus per verba de futuro accedat ad solutam, non debere explicare in confessione circunstantiam sponsalium. Ita sentit *Thomas Sanchez, tomo 1. de Matrimonio disp. 2. & in suum fauorem citat Antonium Cuqum, lib. 5. institut. maiorum tit. 10. num. 7. & Emanuel Rodriguez 1. tom. summæ in secunda editione. cap. 53. nu. 3. in fine.* Isti tamen Doctores hanc sententiam non docent, sed solum contendunt, ex huius sponsæ fornicatione maiorem infamiam sequi viro, quam è contra. Probat suam sententiam Sanchez, quia licet fornicatio tam sponsæ, quàm sponsi ratione sponsalium habeat adiunctam circunstnatiam iniustitiæ, quæ diuersa est secundum speciem à malitia, quæ opponitur castitati, tamen secundum prudentum arbitrium, hæc iniustitia leuis est, quando infertur à viro, & ita tanquam leuis, & venialis non est necessariò confitẽda, nam vt apparet in materia de pœnitentia peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, ea vero iniustitia irrogata à fœmina iuxta prudentum æstimationem grauis est, & ideò tanquam peccatum mortale, & mutans speciem, necessariò est aperienda in confessione.

His tamen non obstantibus sit secunda con- 10
clu-

clusio. Hæc circunstantia sponsalium mutat A speciem fornicationis, & actum constituit in specie iniustitiæ. Ita sentiunt *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 43. art. 1. dubio vltimo, & Sarmiento lib. 2. Selectarum cap. 5. num. 3. & nouissime Coninc. tom. de Sacramentis disp. 22. dubio 1.* Probatur conclusio, quia per sponsalia aliquod ius iustitiæ adquirunt mutuo sponsi in sua corpora, cum ergo aliquis eorum corpus tradit alteri per fornicationem, violat illud ius, & transfert peccatum in speciem iniustitiæ. Antecedens probatur ex *leg. si vxori 3. in principio, ff. ad l. Iul. de adulter.* in illis verbis citatis: *Neque spem matrimonij violare permittitur.* Ergo per spem matrimonij, in qua consistunt sponsalia, aliquod ius adquiritur, alias nō diceretur violari, quia verbum hoc peccatum B contra iustitiam significat. Et confirmatur cōclusio, quia si quis domum suam alteri tamen promissam funditus euerteret, peccaret contra iustitiam, ergo etiam, qui violat corpus spōsæ debitum sponso, cōtra iustitiam delinquit.

11 Sit tertia conclusio. Circunstantia sponsalium in prædicto concubitu tam ex parte spōsi, quam ex parte sponsæ, peccatum mortale est, & ita necessariò est in confessione explicanda. Hanc conclusionem videntur defendere Auctores allegati in fauorem secundæ conclusionis. Probo primò istam conclusionem, quia ius mutuum ex vtraque parte adquisitum in corpora contrahentium ex vi sponsalium de futuro æquale omninò est, & eiusdem rationis tam in viro, quàm in fœmina, ergo si ex C parte fœminæ violatio eius est peccatum mortale, eodem modo erit peccatum mortale ex parte viri. Consequentia patet, quia ius illud ex vtraque parte graue est, & magni momenti, & ita violatum à quolibet ex sponsis, grauē continet iniuriam necessariò confitendam. Fateor quidem ex violatione eius iuris maiorem infamiam resultare viro sponso, quam sponsæ, imò & maius nocumentum propter incertitudinem prolis. Probo secundò istam conclusionem, quia si grauitas huius iniuriæ solum metienda esset ex infamia apud omnes pullulante, sequeretur virum matrimonio coniunctum habentem copulam cum fœmina soluta non debere, hāc circunstantiam confiteri. Patet sequela, quia si solam infamiam inde resul- D tantem vxori consideremus, eam satis leuem esse comperiemus, sequelam tamen concedere nemo audebit, ergo oppositum nostræ conclusionis admittere nemo debet.

12 Ex his respondetur argumentis in oppositum. Ad primum primæ sententiæ impugnantis secundam conclusionem dicimus, circunstantiam sponsalium in fornicatione mutare quidem speciem, non adulterij, quia non frangitur ius perfectum, & in re, sed alterius iniustitiæ inferioris, quia frangitur ius imperfectum, & ad rem. Ad secundum argumentum respondetur, illum, qui fustibus aliquem cædit, indirectè lædere honorem fratrum eius, quia omnibus fratribus idem honor est communis, non vero directè ratione alicuius specialis obligationis, qua teneatur consulere honori fratrum. Accedentem tamen ad sponsam violare quoddam speciale ius, quod sponsus habet in corpus eius. Tertio argumento eiusdem sententiæ facilis apparet solutio ex eo, quia qui vouit votum simplex religionis, ex eo dum fornicatur, nōn peccat contra religionem Deo debitam, quia non vouit votum castitatis, neque ad eam se adhuc obligauit, sponsa vero ratione sponsalium contraxit obligationem quandam iustitiæ seruandi corpus suū illæsum sponso, ergo dum alteri tradit corpus, sine dubio peccat contra iustitiam.

Ad argumentum Sanchez pugnans contra tertiam conclusionem respondetur, iniuriam 13 illatam sponsæ, cum sponsus cum alia concubuit, grauem esse, vt conuicimus, dum tertiam conclusionem confirmauimus.

In præsenti aliqui disputant, an filij, quos 14 peperit sponsa ex concubitu fornicario, sint naturales, nec ne. Sed hæc disputatio ad nos minime pertinet, qui tantum de foro interno curamus, videri tamen poterit in *Sanchez loco citato*, qui pro vtraque parte probabiles adducit sententias.

Ex prædictis inferre possumus, vt primæ 15 quæstionis finem inueniamus, ratione illius iuris specialis, quod ex sponsalibus oriri probauimus, licere inter sponsos, osculari se mutuo, & amplecti, & tangere se manibus, & alijs tactibus natura sua non impudicis, dummodo nō sit in his periculum pollutionis, vel copulæ, & ratio est, quia cum sponsalia sint dispositiones præuiæ ad matrimonium, præbent licentiam ad actus, qui sunt præambuli ad copulam. Ita *Caietan. secunda secundæ, quæst. 154. art. 4. in fine Nauar. in sum. cap. 16. num. 12. Pet. de Ledesma de sacramento Matrimonij, cap. 3. in summa.*

QVAESTIO II.

Vtrùm promissio mere interna futuri matrimonij obliget ad illud contrahendum?

PROMISSIONEM mere internam vo- 1 ceamus eam, quæ facta est in solo corde ita, quod nullo modo exterius manifestetur, neque per verba, neque alio modo, & quidem attento solo iure positiuo humano talis promissio sine dubio non obligat, quia ius humanum, sicut & homines non habent vim neque iurisdictionem in actus mere internos,

sed in actus externos, & humano modo factos, A
vnde disputantes in Ciuitate Legionensi de
censuris in communi, docuimus non posse Ec
clesiam censuras imponere propter actus me-
re internos, & mentales, solum ergo procedit
hæc quæstio spectato iure naturæ.

2 In qua re quidam defendunt, hanc promis-
sionem obligare in conscientia, *Palatius lib. 5. de contractibus. cap. 1 t. §. porro, vt meam, & Pater
Molina, to. 2. de instit. tract. 2. disp. 266.* & proba
bilem putat hic *Sanchez tom. 2. de Matrimonio,
disp. 3.* Probatur primò, quia si quis nō implet
promissionem committit mendaciū, ergo pro-
missio interna obligat. Et confirmatur secūdò
quia obligatio promissionis à nullo alio capite
pendet, nisi à voluntate promittentis, si ergo
promittēs vult se obligare per talem promis- B
sionem, manebit obligatus absq; eo, quod ex-
pectetur aliqua acceptatio alterius. Tertiò cō-
firmatur, quia si promissio interna iuramento
confirmatur, obligat sine dubio, ergo per actū
mere internum potest quis alteri obligari, nā
iuramentum actus est mere internus. Quartò
cōfirmatur, quia possessio alicuius rei sola vo-
luntate interna non possidendi rem, sed eā de
serendi, amittitur, vt patet ex *l. si quis 2. §. vlt.
& l. 1. §. si vir, & l. 3. §. in amittenda, ff. de adqui-
renda possessione*, ergo sola promissio interna e-
tiam videtur sufficiens ad obligandum homi-
nem, vt promissis stet.

3 Verior tamen sententia est ea, quæ asserit,
promissionem internam in materia matrimo-
nij, neque in alia aliqua materia, quæ ad tertiū C
hominem pertineat, non inducere obligationē
in ordine ad alium hominem. Ita insinuat *D.
Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. in corpore, & noster insig-
nis Abulensis Numeror. cap. 30. q. 44. in corpore,
eam defendit enim Soto lib. 3. de iustitia, quæst. 5.
art. 3. post 2. conclus. Garcia de contractibus 1. part.
cap. 3. fol. 41. Aragon 2. 2. q. 88. art. 3. fol. 993. §.
dico 2. Gutierrez lib. 2. quæstionum, Canon. cap. 22.
num. 4.* Probatur primò ex *l. qui absenti, ff. de ad-
quirenda possessione*, in illis verbis: *Qui absenti
seruo scribit, vt in libertate moretur, non eam men-
tem habet, vt statim velit, serui possessionem dimit
tere, sed magis destinationem suam in id tempus
conferre, quo seruus certior factus fuerit.* Si ergo
in promissione externa absenti facta requiri-
tur, vt vim habeat acceptio absentis, multo po D
tiori iure in promissione interna alicui facta
ea requiritur. Et confirmatur à priori hæc pars
quia homines obligantur inter se modo sibi
connaturali, & humano, qui est per verba, nu-
tus, vel alio signo externo, quo reliquis noti-
ficent suam voluntatem, cum eam interne nō
possint cognoscere, vt eam acceptent, aut re-
pudient, ergo quoties promissio est solum in-
terna non obligat.

4 Ex his patet ad argumenta opposita. Ad pri
mum dicimus, quod si quis ante acceptationē

A alterius reuocet suam voluntatem, non men-
titur, quia à principio promisit cum ea con-
ditione implicita, modo alter sciat promissio-
nem, & eam acceptet. Et hoc etiam est ve-
rum secundum ius commune, & secundum
ius antiquum, & nouum Castellæ, vt late re-
soluit *Thomas Sanchez, tomo 1. de Matrimonio,
disp. 6.* Vbi videatur, hæc enim materia legalis
est, & ad alia loca pertinens, quamuis in aliqui
bus casibus, vt in promissione ab aliquo fa-
cta reparandi id, quod in ciuitate per incen-
dium, aut aliam ruinam perijt, ius ciuile non
exigat acceptationem talis promissionis, ne-
que hoc mirum esse debet, sed probabile ap-
parere ex hoc exemplo. Voluntas defuncti,
quâ aliquis constituitur hæres sine numero
B testium requisito in iure ciuili, attento solo
iure naturali, vim haberet constituendi hære-
dem, pro bono tamen publico minime vim
habêre, decretum est à iure ciuili, vt docet
Sanchez, loco citato. Ad secundum respondde-
tur, promissionem pendêre ex sola volunta-
te promittentis, tanquam à primo fonte, &
principali principio obligationis, requirere
tamen, vt obliget acceptationem alterius, cui
promittitur, veluti conditionem, sine qua
non. Ad tertium respondetur, quod si iura-
mentum internum fiat soli Deo, dandi aliquid
alicui, manet quis obligatus Deo, qui scruta-
tor est cordium, si vero fiat alteri homini, non
manet obligatus, donec ei innotescat, & ac-
ceptetur. Ad vltimum respondetur, sufficere
C voluntatem internam ad amittendum domi-
nium, & possessionem alicuius rei, quia in hoc
solum quis quasi contrahit secum, ad quod
sufficit voluntas interna, & non requiritur ali
quod signum externum, at vero ad transferen
dum dominium suum in alterum, quod fit per
contractum humanum, vtrique parti notum
requiritur necessario aliquod signum exter-
num verborum, &c.

QVAESTIO III.

Vtrùm ad rationem sponsalium requi- ratur promissio mutua sponsi, & sponsæ?

D CERTVM omnino est, ad rationem spō- 1
salium requiri promissionem mutuam
tam sponsi, quàm sponsæ, & hæc sit cō-
clusio nostræ quæs. Probatur primò *ex l. 1. ff. de
spōsalib.* vbi spōsalia dicūtur repromissio, id est
mutua promissio futuri matrimonij, & proba-
tur duplici ratione. Prima à priori, quia spōsa
lia sunt quidā cōtractus, vt iuristæ vocāt, onero
sus, & natura sua vltro citroq; obligatorius, ve
luti isti, do, vt des, facio, vt facias: ergo requirit
promissionē vtriusq; spōsi, ex qua oritur preci

sa obligatio. Et confirmatur, quia sponsalia, vt vidimus, sunt quædam via ad matrimonium celebrandum, quæ inchoant obligationem eã, quæ in matrimonio perficitur, ergo debent sortiri naturam matrimonij aliqua ratione, sed matrimonium requirit vinculum, & obligationem vtriusque contrahentis, ergo etiam sponsalia requirunt mutuam promissionem, & obligationem.

2 Quæret tamen aliquis primo, an sufficiat ad rationem sponsalium, & ad hoc, vt sit mutua promissio, quod Petrus dicat Mariæ, contraham tecum, & quod illa acceptet promissionem, dicens, accepto promissionem, etiamsi non repromittat ei matrimonium? quidam dicunt, hoc sufficere. Ita docent *Paludan. in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 1. num. 4. Enriquez lib. 11. de Matrimonio, capit. 13. num. 2.* Et probatur, quia acceptans censetur repromittere, & velle ex vtraque parte obligationem contrahi, cum videat, alterum non liberaliter, sed cum onere repromissionis promittere. Et confirmatur, quia sicut matrimonium nequit claudicare, sed vel ex vtraque parte contrahentium debet valere, vel ex nulla, ita etiam eodem modo in sponsalibus iudicandum est, sed in matrimonio sufficit, quod vir dicat, accipio te in meam, & quod mulier respondeat placet: ergo etiam hoc in sponsalibus sufficit, quod fœmina acceptet promissionem viri.

3 Respondetur tamen ad hoc dubium, cum *Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. post primam conclusionem, Petro de Ledesma de Matrimonio, quæstione 43. art. 1. dubio 1. §. in hac difficultate, & cum Thoma Sanchez, tom. 1. de Matrimonio disp. 5.* Solam acceptationem promissionis factam ab vna parte non censeri repromissionem, neque sufficere ad sponsalia. Probatur primò, quia qui tacet, consentire videtur, in quantum aliquid est in sui fauorem, non in id, quod vergit in eius præiudicium, vt patet *ex regula, qui tacet, de regulis iuris in sexto*, vt docent *Panorm. cap. non est de præsumptionibus, num. 1. & ibidem Felinus, num. 19. Couarru. quæstionum practicarum. cap. 15. num. 5. & alij plurimi.* Sed qui solã promissionem sibi factam futuri matrimonij acceptat, tacet repromissionem, ergo solum intelligitur acceptare id, quod sibi vtile est, & non repromittere matrimonium, quod onerosum quid est. Et confirmatur, quia in dubijs fauendum est libertati, quam quis possidet erga suas actiones secundum vulgarem regulam iuris. *In pari causa, & delicto melior est conditio possidentis.* Sed in eo casu, quo quis solum pronunciet, accepto tuam promissionẽ, dubium est, an velit manere obligatus alteri ad contrahendum matrimonium, an vero solum velit acceptare promissionẽ alterius quatenus sibi vtilis est, & quatenus continet simplicem tantum promissionẽ, & non sponsalia, ergo iudicandum est, tunc illum nolle repromittere, sed tantum acceptare, cum hoc in magnum eius commodum cedat.

Ad primum argumẽtum in oppositum respondetur, tunc non censeri, hominem repromittere, sed tantum acceptare alterius promissionem, in quãtum cedit in suum fauorem. Ad secundum respondetur, neque matrimonium, neque sponsalia in quantum sponsalia claudicare posse, est tamen inter hæc duo ista differentia, quod matrimonium nulla alia ratione potest acceptari, nisi vt matrimonium est, spõsalia vero, quia continent in se promissionem, possunt acceptari ab alio, in quãtum sunt promissio vnius partis tantũ, & non in quãtũ talis promissio onerosa est, & sponsalia redolet. 4

Quæret aliquis secundo, an saltim ille, qui promisit matrimonium, maneat obligatus ad illud contrahendum, in eo casu, quo alter tantum intendit acceptare promissionem, & non repromittere, etiamsi ille, qui sic acceptauit, liber prorsus maneat? Huic quæsito duobus modis respondetur, quibus varietas opinionum facile conciliari possit. Primo, quãdo quis omninò gratis, & liberaliter alteri promisit matrimonium, illo altero solum acceptante, & non repromittente matrimonium, tunc tantũ promittens manet obligatus, qua ratione intelligendi sunt illi Doctores, qui asserunt, promissionem vnius partis reddere illam partem obligatom. Cuiusmodi sunt *D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 18. in initio, vers. nota ergo, Armil. verbo sponsalia, num. 3. in fine, Nauar. in sum. Latina, capit. 22. num. 25. & alij.* Probatur hæc pars, quia bene potest contingere, vnum promittere liberaliter, & alterum acceptare, & minime repromittere, ergo tunc promittens manebit obligatus ad contrahendum. Secundò respondeo in eo casu, quo promissio non sit facta gratis, sed cum onere eo, vt altera pars etiã repromittat, tunc donec altera pars ex cõtrahẽtibus repromittat, prius promittens non manet obligatus ad implẽdũ promissum, sed potest ante repromissionem sine vllo peccato resilire. Probatur primò, ex doctrina *Bartoli, l. 1. nume. 3.* asserentis verbum, volo, adiunctum alicui actui, qui natura sua pendet ad sui valorem ex duorum cõsensu, nihil operari prorsus, donec vtriusque consensus accedat, vt si quis dicat volo tibi vendere equum centum aureis. Hæc voluntas nihil operatur, donec alter velit soluere pretium, sed cum quis promittit alteri matrimonium cum onere repromissionis alienæ, vult contractum sponsalium, qui nequit celebrari sine consensu duorum, ergo nihil operatur, neq; contrahit aliquam obligationem, donec alter repromittat. Et confirmatur, quia tota vis promissionis ad obligandum nascitur ex voluntate promittentia, sed iste in hoc casu nõ vult se obligare, quin alter etiam se obliget,

ergo

ergo promissio tunc nullam parit obligatio-
nem.

6 Quæret aliquis tertiò, quando censeatur
promissio liberalis, quando vero onerosa.
Respondetur hoc ex verbis promittentis, aut
ex alijs circunstantijs occurrentibus dijudi-
candum esse, quod si his bene perpensis, dubia
est natura promissionis, recurrendum esse ad
intentionem promittentis: quod si adhuc in-
tentio dubia sit, præsumendum esse in fauorē
promittentis, veluti possidentis suam liberta-
tem, ita vt minime voluerit promittere, nisi
cū cōditione repromissionis. Ex aliquibus ta-
men indicijs poterit colligi animus promit-
tentis; si enim sermo erat inter duas aliquas
personas de matrimonio contrahendo, & vna
promittat matrimonium, tunc certum est, cen-
seri, eam promittere, cum onere repromissio-
nis alterius partis. Si vero de matrimonio ni-
hil agebatur, sed tantum ad ostendendam ani-
mi gratitudinem ob aliquod beneficium accep
tum facta fuit promissio matrimonij, tunc gra
tuita censebitur, & liberalis omninò.

7 Quæret aliquis quarto, quanto tempore de-
beat expectari alterius partis repromissio? Et
quidem dico primò cum *Dominico Soto loco ci-
tato*, eum, qui diu differret repromissionem, vt
verbi gratia, per annum, cum facile potuisset
promittere censeri quidem contempsisse pro-
missionem, & ita promittentem sibi liberum
omninò reliquisse. Secundò dico in isto con-
tractu, iuxta notata in materia de sacramentis
in genere, non requiri coniunctionem physi-
cam ita, vt statim post auditam promissionem
vnius partis altera repromittat, qualis exigi-
tur ad stipulationem, *in lege continuus 137. in
princ. ff. de verborū obligationibus*, sed sufficere
coniunctionem moralem. Tertiò dico pruden
tum arbitrio iudicandum esse, quanto tempo-
re expectanda sit repromissio, considerata
qualitate personæ, quæ repromissura est, sci-
licet, an multis negotijs implicetur, vel non,
& considerata distātia eius, & difficultatibus,
quæ in tali matrimonio se possunt offerre, at-
que alijs circunstantijs studiose consideratis.

8 Quæret aliquis quintò, an simplex promis-
sio matrimonij obliget sub mortali? Cui quæ-
sito respondetur primo in hoc puncto, an sim-
plex promissio obliget sub mortali, quando
materia est grauis, varias esse sententias pro-
babiles, eam tamen esse veriorem, quæ defen-
dit, simplicem eam promissionem obligare
sub mortali, quam defendunt ex Iurisperitis
*Panorm. cap. qualiter in fine de pactis, Conar. de pa-
ctis, 3. par. § . 4. num. 13. Vers. quedam autem, & ex
Theologis, D. Antonin. 2. part. tit. 10. cap. 3. § . 4.
& Ricar. in 4. dist. 38. art. 3. quæst. 3.* Probatur
primò ex *cap. iuramenti 22. quæst. 5.* vbi dicitur
Deum non constituere differentiam inter sim
plicem loquelam, & iuramentum, quod intel-
A ligitur, vt ibidem notauit Glossa, quia vtrun-
que est peccatum mortale, quando non imple
tur, licet vnum sit grauius altero: ergo simplex
promissio, quæ ibi comprehenditur nomine
simplicis loquelæ, obligat sub mortali. Secun-
dò probatur hoc responsum à simili de voto,
quia votum obligat sub mortali in materia gra
ui, ergo & promissio, licet enim in nostra po-
testate constitutum sit, rem promittere, vel nō
promittere, non vero est in nostra potestate,
aut rem grauem sub leui culpa, aut leuem rem
sub graui culpa promittere, quia supposita pro
missione, qualitas obligationis necessario est
iuxta qualitati materiæ promissæ, quod vero
promissio simplex obliget titulo iustitiæ, pro
bat *Vazquez, 3. to. 1. par. disp. 85.* quia eius obli
B gatio transit ad hæredes: quod si obligatio tā-
tum esset veritatis, & fidelitatis, minime tran-
siret, sed tantū esset personalis, qualis est obli
gatio voti. Vltimò probatur, quia in omni foro
tam externo iudicū, quàm interno consciētiæ
idem omninó seruandū est, nisi forus externus
innitatur falsæ alicui præsumptioni, aut ad pœ
nam procedat, sed promittens simpliciter cogi
tur à iudice in foro externo ad implere promi
ssū *iuxta legem 2. tit. 16. lib. 5. recopilat. Castella*,
quæ lex neque est pœnalis, neque in falsa præ
sumptione fundatur, vt patet, ergo simplex
promissio obligat in conscientia, & ex iustitia,
dummodo ab altero acceptetur.

Hæc doctrina vera est, dummodo fiat animo 9
adimplendi, quod deficit multis promissioni-
C bus, quæ fiunt vrbanitatis causa, & dummodo
notabiliter non sint res mutatæ post promis-
sionem, iuxta *D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad quin-
tum*, vt si alicui promisi ensem, & ille insani-
uit, non debeo eum dare, *iuxta cap. ne quis 22.
quæst. 2.* denique vt bene notauit *Nauar. in sum.
Latina, cap. 18. num. 7. in fine*, quoties tanta mu-
tatio contigit, vt si antea præuideretur, nō es-
set facta promissio, non obligat promissio, in
quo in cōscientiæ foro fides adhibēda est pro
mittenti, *iuxta Glossam in c. significasti, 1. de ho
micidio*. In hac tamen parte non erit materia
grauis, quæ in furto esset grauis, sed debet esse
quadruplo maior, vt recte ponderauit *Sanchez
loco citato, disp. 5.* nemo enim se videtur obliga
re cum tanto rigore in promissione, vt duos ar
D genteos promittens, & nō soluens peccet mor
taliter, sicut maior quantitas desideratur vt
furtum vxoris sit mortale, quam vt sit furtum
extranei.

Respondetur secūdo ad hoc quæsitum, sim- 10
plicem promissionem matrimonij, quæ habet
materiam grauem, obligare sub mortali, non
solum quando ex non impletione promissio-
nis, sequeretur grauis iniuria alteri par-
ti, sed etiam secundùm se prop-
ter rationes di-
ctas.

QVÆSTIO IIII.

An promissio matrimonij facta absenti obliget ante acceptationem eius, etiamsi nullus pro eo promissionem acceptauerit, an vero necessarium sit, alium saltem pro eo acceptare promissionem?

1 IN hac quest. est sermo de promissione gratuita, de qua in praecedenti quaest. locuti sumus, quę solum requirit acceptationem, & non repromissionem, & quidem in hac quaestione sit prima conclusio. Cum *Azeuedo lib. 5. recopilationum, tit. 16. lib. 2. num. 20. & cum Angelo verbo sponsalia, num. 19. & Syluest. eodem verbo*, in initio. Promissio matrimonij facta absenti nullo pro eo acceptante nullā vim habet obligandi ante absentis acceptationem, licet aliqui sentiant contrarium. Probatur, quia vt vidimus in secunda quaest. omnis promissio requirit acceptationem, vel expressam per verba, vel nutus, vel implicitam, & tacitam medio silentio, quo quis acceptat tem in quantum est sibi fauorabilis, ergo promissio matrimonij facta absenti non obligat promittentē ante acceptationē absentis. Patet consequētia, quia de matrimonio nō est aliquid in contrariū statutū sed potius secundū illud, vt postea videbimus, requiritur acceptatio, & quāuis ius canonicū acceptationem subriceret, sufficeret tamen, eā requiri à iure ciuili in omni pacto, vt ea etiam in materijs Ecclesiasticis requiratur, vt bene probatur *ex cap. 1. de noui operis nunciatione*, in illis verbis: *Sacrorum instituta canonum principū constitutionibus adiuuantur*. Imò etiamsi matrimonium esset causa pia, quia quis ducere vult pauperem fœminam, vt eius paupertatem subleuet, cōmunius est, & verius, requiri acceptationem, quia hæc à iure naturæ requiritur, vt vidimus in quaest. secunda, & non est in causa pia per aliquod ius commune sublata, sicut sublata fuit, & non requiritur, quādo quis promittit matrimonium infanti, sed tenetur promittens expectare septennium, vt tunc infans capax rationis acceptet, aut repudiet promissionem sibi factam, quod factū est in fauorem infantium, qui suo iuri consulere nequeūt. Ita habetur *in l. iubemus C. de emancipatione liberorū*, in illis verbis, *nisi infantes sint*.

Secunda conclusio. Vt promissio absenti facta obliget promittentem, requiritur, vt promissio innotescat absenti per epistolā, aut per nuntiū ad id missum à promittēte, & alias cognita promisso, etiamsi acceptetur, non obligat. Ita sentit *Glossa in cap. veniens, titulo qui clerici, vel vouentes*. Et probatur, quia alias non videatur vniri consensus, neque fieri pactum, si aliquis à casu promissionem audiens eam esferret ad eum, cui fit, quando autem parens, vel alia persona coniuncta cum Maria peteret à Petro, vt contrahat cum Maria, si tunc Petrus promittit absenti matrimonium, ille, qui intercessit, est sufficiens nuncius ad deferendam promissionem.

3 Ex his patet resolutio ad textum in contrarium, *in cap. veniens allegato*, vbi promissio facta absenti adducitur tanquam obligatoria, cū nullus acceptasset, respondetur enim, tunc per nuncium, vel per epistolam esse intimatam promissionem, vt aduertit ibi *Glossa verbo promisit*.

4 Pro secundo tamen puncto quaest. an aliquis possit acceptare promissionem factam absenti, ita vt ea acceptata oriatur alteri ius, & non possit promittens reuocare promissionem, aliqua notanda sunt. Primò notandum est, promissionem, & posse fieri gratis, & respectiue, seu onerose. Secūdò notandum est, verba promissionis tripliciter posse dici. Primo ita, quod in absentem dirigatur, & promissio, & executio, vt promitto Petro absenti, me daturum: secundo, ita vt promissio in præsentem, & executio in absentem dirigatur, vt promitto tibi, me daturū Petro. Tertio, vt promissio aliquo modo fiat impersonaliter, vt promitto, me daturum Petro: si verba dicantur, primo modo, non obligat promissio, si alter pro alio stipuletur, seu acceptet, quod idem est. Patet, quia cō tractus celebratur per verba sed verba nullo modo dirigūtur ad præsentē, ergo nullo modo cū eo celebratur cōtractus. Si vero dicantur verba promissionis tertiò modo, tūc si ille, qui de iure potest stipulari, stipuletur, valet promissio, & obligat. Probatur *ex l. quoties in stipulationibus, ff. de verborum obligationibus*, vbi dicitur, verba in stipulationibus ambigua ita interpretanda esse, vt stipulatio valeat secūdum sensum *Iasonis num. 5.* super hanc legem, quando autem promissio fit secundo modo, vt promitto tibi, me daturum Petro, valet stipulatio, & quidem etiam secundum ius commune, & antiquum Castellæ non potest vnus pro altero stipulari, seu acceptare. Ita habetur *expresse. §. si quis alij Instituta de inutilibus stipulationibus, & l. 7. Castellæ, tit. 11. p. 7.*

5 Imò non solum secundum ius commune, & Castellæ antiquum, sed etiam secundum ius canonicum non potest quilibet pro alio acceptare. Probatur *ex cap. quanquam de vsuris, in sexto*, vbi insinuatur, non posse vnum alteri absenti ius adquirere, nisi sit persona publica, vt notarius, vel parrochus. Vnde patet solutio ad *textum in capite primo de pactis*, vbi dicitur, inira pacta suam obtineant firmitatem, intelligitur enim, quando fiunt cum eis personis, quæ possunt de iure pro alijs acceptare, &

& stipulari, & *ad textum in capite qualiter, de pactis*, vbi dicitur, studiose agendum est vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur, intelligitur enim de promissione acceptata, & ad *textum in cap. si tibi absenti. de præbendis in sexto.* Vbi dicitur, quod si Episcopus conferat absenti beneficium, non posse Episcopum reuocare voluntatem, donec ille certior factus nolit acceptare. Respondetur ibi esse sermonem, de beneficialibus, in quibus id statuitur speciale, quia talis collatio non est donatio, sed executio eius, quod Episcopus tenebatur facere.

6 Et etiam secundum ius nouum Castellæ nõ potest quilibet pro altero stipulari, quia non est aliqua lex, quæ corrigat ius antiquum, & ita illud seruandum est, nam licet *lex 2. titulo 16. lib. 5. recopilationum*, allegetur in contrariũ, tamen solum vult ea lex, in promissione absenti facta non esse seruandam stipulationis solẽnitatem in iure ciuili requisitam, quæ in hoc consistebat, vt præsens diceret, promittis Petro? Et ille responderet, promitto, sed acceptatione absentis secuta valere, siue priuatus aliquis, siue nullus acceptet pro eo, antiquitus autem etiãsi acceptaretur ab absenti, si tamẽ non acceptauit persona, cui interrrat acceptatio, & cum solemnitate stipulationis poterat reuocari.

7 Et addendum est, quod si priuata aliqua persona præter eas, quæ in iure excipiũtur, acceptet promissionẽ, ante acceptationem promissionis ab absente factam, non solum non teneri promittentem adimplere promissum obligatione ciuili, quæ consistit in eo, quod possit compelli à iudice in foro externo ad standum promissis, sed nec teneri obligatione naturali, id est, in foro cõscientiæ, quia quando lex prohibet actum, illum annullãdo, ex tali actu neque oritur obligatio ciuilis, neque naturalis, qua ratione intelligitur textus celebris *in leg. non dubium C. de legibus*, in illis verbis: *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eas volumus subsecutũ, qui contrahũt lege cõtrahere prohibẽte.* Sed lex omninò annullat eam promissionem factam absenti coram eo tertio stipulanti, cui non datur in iure ius acceptandi, vt patet ex §. *si quis alij de inutilibus stipulationibus*, in illis verbis: *Si quis alij, quam ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit*, ergo.

8 Tertiò notandum est, excipi aliquas personas, quæ quidem bene possunt pro alijs stipulari, & acceptare promissiones pro illis, etiam si alij absentes sint, vt verbi gratia, potest pater acceptare pro filio, vt patet ex *l. dominus seruo, ff. de verb. obligat.* & mater potest etiam acceptare pro filio, vt docet *Menoch. consilio 162. num. 4. & 6. volumine 2.* similiter tutor potest stipulari pro pupillo, & curator pro minore, quia istæ personæ succedunt loco parentum;

A Et etiam qui non sunt sui iuris, possunt stipulari pro alijs, vt filius familias pro patre, seruus pro domino, pupillus pro tutore, minor pro suo curatore, vt constat ex verbis allegatis ex §. *si quis alij*. Et etiam secundum communiorem sententiam in fauorem causæ piæ potest quilibet pro alio stipulari, vt patet ex *l. Caius, ff. soluto matrimonio*, vbi dicitur, in fauorem dotis posse vnum pro altero stipulari, dos vero causa pia est. Imo vt prædictis personis pro alijs absentibus acceptantibus quisquam maneat obligatus, requiritur, promissionem esse gratuitam, ad cuius obligationem sufficit acceptatio. Tandem, si aliquis nuncius missus ab absente ad acceptandam promissionem, eam acceptet, obligabit promissio. Ratio to- B tius doctrinæ est, quia promissio, & acceptatio est quoddam pactum, pactum vero requirit vniri duorum consensus inter se, nisi autem aliquæ personæ ex dictis stipulentur pro absenti, non repræsentabunt sufficienter personam absentem, neque constituunt sufficiens fundamentum, vt contrahentium consensus inter se vniantur. Hæc omnia late videantur in *Sanchez tomo 1. de matrimonio disp. septima.*

Tertia conclusio. Quando promissio matrimonij facta absenti onerosa est, & respectiua, 9 etiamsi legitima persona stipuletur pro absenti, non obligat promissio, donec absens repromittat coram nouo nuncio à promittente misso ad hunc finem, vel coram alio à se misso ad C repromittendum, vel per epistolam à repromittente missam, & donec repromissio sit intimata his medijs primo promittenti. Hæc conclusio patet *ex quæst. 3. § secundo respondeo*, huius tractatus. Et hinc patet solutio ad *textum in cap. sicut. de sponsalibus*, vbi quidam promisit patri cuiusdam fœminæ, se eam ducturum, & tamen promissio valida reputatur ante repromissionem filiæ, licet esset onerosa. Respondetur enim, illum contractum celebratum esse inter illum hominem, & inter patrem fœminę præcise, & nominibus proprijs. Pater enim ibi promisit, se facturum quantum in se esset, vt sua filia ei nuberet, & alter ei promisit, se ducturum eius filiam. Vnde mansit obligatus ante acceptationem filiæ per solam D acceptationem patris.

Quarta conclusio. Si promissio matrimonij sit gratuita, & acceptata per legitimas personas adductas in tertio notabili, obligat promissio ante repromissionem absentis. Patet, quia 10 hæc promissio solum requirit acceptationem, sed hæc sufficienter fit per prædictas personas, ergo ea promissio obligat. Imò facta acceptatione, non potest ille, qui acceptauit pro altero, remittere vinculum, quia per illud fuit ius absenti adquisitum, cui ille solus potest cedere. Cũ vero promissio hæc fit alijs personis

extrancis non obligat ante acceptationem absentis, vt patet ex secundo notabili.

11 Hæc autem omnia intelligenda sunt, quādo promissio dirigitur in præsentem, vt promitto tibi, me daturum Petro, &c. vel taeetur persona, quæ audit promissionem, vt promitto, me daturum Petro, & hæc etiam omnia intelliguntur, scilicet, quod non valeat promissio matrimonij facta absenti coram aliquibus stipulantibus, quamuis promissio iuramento cōfirmetur, si iuramentū fiat homini, & non Deo quia iuramentum sequitur naturam actus, vnde si actus est nullus, iuramentum etiam est nullum.

QVÆSTIO V.

Qua deliberatio sufficiat, vt sponsalia contrahantur?

1 QVIDAM dicunt, non sufficere deliberationem, quæ satis est ad peccandū mortaliter, sed vltra hoc requiri maturum iudicium, quo omnea circunstantię sponsalium perpendantur. Probatur primò *ex cap. diuortium de pœnitentia, dist. 1. & c. si quis iratus 2. q. 3. & l. licitatio 9. in prin. ff. de publicanis, & vectigalib.* vbi habetur, facta calore iracundiæ non prius esse valida, quam per perseuerantiam appareat, cum iudicio facta esse. Secundò probatur *ex l. 2. ff. ad l. Iul. maiestatis,* vbi habetur, iuramentum calore iracundiæ præstitum non valere. Tertió probatur, quia alias, si ante ebrietatem præuiderentur sponsalia, & in ea fierent, valida essent, sicut homicidium hoc modo præuisum esset peccatum mortale.

2 In hac tamen quæst. sit prima conclusio. Ad contrahenda sponsalia non requiritur maturū iudicium, quale in viris repetitur, sed sufficit illa rationis aduertentia, quæ satis est ad peccandum mortaliter, vt quod sciat quiscognoscere in communi differentiam boni, & mali, iusti, & iniusti. Ita docent *Palud. in 4. dist. 38. q. 1. num. 9. D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. in initio, Syluest. votum 2. q. 13. & Nauar. in sum. Latina, cap. 18. num. 7. & alij.* Probatur primò, quia maius iudicium requiritur ad contrahendum matrimonium, quam ad sponsalia contrahenda, vt patet, sed ad matrimonium non requiritur maturum iudicium, quia illud non repetitur in 14. annis, quando licet viro, celebrare matrimonium, ergo neque requiritur ad sponsalia. Secundò probatur, quia ad contrahenda sponsalia septennium designatum est à iure *cap. literas, ca. accessit, de desponsat. impub.* sed in illa ætate nullus puer naturaliter loquendo habet maturum iudiciū, sed discursum tātum ad peccandum mortaliter sufficientem, ergo iste sufficit, & amplior non requiritur.

Secunda conclusio. Mutus quidem simul, & surdus si intellectum ita acutum habeat, vt accidere solet, vt possit signis edoceri vim sponsalium, capax est sponsalium. Probatur *ex cap. cum apud, de sponsalibus,* vbi Pontifex in singulari respondet de muto, & surdo, eum posse cōtrahere. Nā licet interrogatio esset in plurali de duobus vno surdo, & altero muto, responsio est in singulari de eodem vtroque morbo laborante, quia mutus à natiuitate semper est surdus, & surdus à natiuitate semper est mutus. Probatur secundò, quia isti secundum omnes Doctores possunt confiteri, & absolui à peccatis, ergo & sponsalia celebrare. Quod si prædicti cæci essent, cum non possent edoceri per signa, non essent capaces sponsalium, eia vero qui muti sunt, & surdi alij contractus prohibētur, quia non ita necessarij eis sunt, & quia facile possunt in eis decipi, matrimonium vero nō prohibetur, quia valde eis necessariū est ad vitam transigendam, & quia durum esset, eos ad continentiam perpetuam obligare. 3

Tertia conclusio. Illi, qui semper sunt amentes, vel taliter mente capti, vt non possint peccare mortaliter, nequeunt contrahere sponsalia. Patet ex prima conclusione, at illi qui habēt lucida interualla, eo tēpore, quo vsu rationis graudent, possunt contrahere valide sponsalia, quod si dubitetur de vsu rationis, tunc si ille homo semper illum habuit, cēsendum est, etiam tempore contractus eum habuisse, quia vt bene docet *Sanchez disp. 8. s. tomi* allegati, qualitas, quæ naturaliter homini inest, vt iudicium, semper adesse præsumitur, & tunc, cum certo censetur, factum esse contractum sponsalium, in eius fauorem iudicandum est, quod si antea demens erat per longum tempus continuum, neque constat habêre lucida interualla, iudicatur demens, quod si habet lucida interualla, censetur in dubio demens, cum actus proximus dementiæ factus est, quia iste morbus est natura sua perpetuus, & semper censetur durare in dubio. Et nota cum *Sanchez disp. 8. num. 2.* posse dari hominem, qui in vna materia sit insanus, quia eam nimis efficaciter apprehendit, & excitat humorem lædentem imaginationem, & in alijs materijs non sit amens, sed mentis compos, quia eas non ita efficaciter apprehendit. 4

Ad argumenta contraria respondetur, ad textus iuris Canonici dicimus, loqui eos de homine irato, in quo dubitatur, an habeat vsum rationis sufficientem ad peccandum, vel non, in quo casu expectandum est illud tempus, in quo datus sit locus iræ, vt biduum, an perseueret in re facta in iracundia, vel non nam si perseueret, habuit vsum rationis, alioquin minime, *ad leg. citatis.* Adductam etiam in 5

in primo argumento, respondetur, illam legẽ factam esse specialiter ad obuiandum malis, quæ solent esse in licitantibus. Vulgo *arrendatarios*, qui in subhastationibus, vulgo *las cosas que se venden al pregon*, Solent contentione magis, quam voluntate ducti vltra modum pretium verum augere, in his enim vult ea lex, non valere facta calore iracundiæ, donec postea in maturo iudicio confirmentur, non quia non adsit vsus rationis de se sufficiens ad moetale, at ad alios contractus non est extendenda lex, quia in eis non vrget eadem ratio. Ad secundum argumentum respondetur, illam legem esse intelligendam, quando deficit vsus rationis. Ad tertium respondetur, non sufficere voluntatem virtualem sponsalium in causa, vt quod quis dum est sui compos, videat, se inebrietate constitutum initurum sponsalia, & velit inebriari, nam licet hoc valeat ad peccandum, quia malum ex quocunque defectu, vt ait *Dionysi. in quarto cap. de diuinis nominibus*, & etiam ad baptismum recipiendum, quia minister non est ipse recipiens, at in contractu sponsalium, qui actus virtutis est (& bonum debet esse ex integra causa ex eodem Dionys.) & in quo contrahens est minister, non sufficit virtualis voluntas in causa, sed requiritur, in se esse volitum. Alia tamen voluntas virtualis, qua sponsalia essent volita in se, sufficit, vt si quis animo sponsalium ea inciapiat celebrare, & progressu temporis mente distractus ad ea non attendat, sicut in Missæ sacrificio sufficit, quod quis in principio habeat animum celebrandi, quamuis postea, dum consecrat, sit distractus, & non attendat ad ea, quæ agit, quæ omnia in tractatu de sacramentis in genere late discussimus.

QVAESTIO. VI.

Vtrum ficta promissio matrimonij deficiente animo se obligandi, producat aliquam obligationem in promittente?

1 IN principio huius quæst. vt verã promissionem à falsa discernamus, notandum est, veram promissionem in eo sitam esse, vt sit affirmatio, & enunciatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, ei insinuatam, in cuius gratiam, & vtilitatem, seu obsequium est facienda est, simul requirens in promittente verum animum obligandi se, hæc definitio cõmuniter recepta est inter Doctores, & eius examinatio pertinet ad materiam de voto.

A Hæc difficultas tunc locum habet, quãdo quis promittit alteri matrimonium, nolendo tamen positiue se obligare ad matrimonium (nam si sit animus promittendi, & obligandi se licet desit animus adimplendi, est vera obligatio sine dubio.) Prima sententia asserit, manere hominem obligatum ad matrimonium in hoc casu. Ita docet in sponsalibus *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst.* 43. *art.* 1. *dubio* 2. & in voto similem doctrinam docent *Peña* 1. *par. instructorij, cap.* 42. §. *secundum Sotum, Manuel Rodriguez* 2. *tomo summæ, cap.* 92. *num.* 7. Probatur primò. Effectus promissionis est obligatio, sicut ignis calefactio, ergo sicut ex igne applicato combustibili sequitur calefactio, ita ex promissione obligatio. Et confirmatur,

B quia qui vult antecedens, vult necessariò consequens *l.* 1. §. 1. *ff. si vsus fructus petatur.* Sed obligatio sequitur promissionẽ, ergo qui vult promissionem, vult obligationem.

Sit conclusio. Sic promittens non obligatur ratione promissionis. Hanc conclusionem defendunt *D. Bonauent. in quarto dist.* 38. *artic.* 1. *quæst.* 1. *num.* 13. *D. Antonin.* 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. *in princip. Syluester verbo metus, quæst.* 8. *Nauar. in summa, cap.* 12. *num.* 38. Probatur hac vnica ratione, quia obligatio promissionis, cum non oriatur ex lege aliqua communi, quę obliget hominem ad promittendum, solum oritur ex libera voluntate promittentis, volentis sibi aliquam legem priuatam imponere: sed nulla lex obligat, nisi legislator habeat a- 2

C nimum obligandi, ergo talis promissio ad nihil obligat, cum promissor habet expressum animum minime se obligãdi. His respondetur argumentis in oppositum. Ad primum dicimus, obligationem tunc esse effectum promissionis, quando promissio vera fuit, non ficta. Ad secundum respondetur, eum qui vult verè, & non ficte antecedens, velle etiam necessario consequens, eum vero, qui ficte vult antecedens, non debere serio desiderare consequens. Vnde ficte promittentem non manere obligatum ad rem promissam, quia obligatio tantum consequitur necessariò promissionem veram.

Quæres primò, an iuramentum additum fictæ promissioni veram obligationem indu- 3

D cat? Cui quæsito respondetur negatiue. Ita sentiunt *Diuus Thomas in tertio sententiarum, distinctione* 39. *quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula tertia.* Dum asserit, iuramentum non obligare nisi iuxta intentionem iurantis, & *Azor lib. vndecimo institutionum moralium capite quarto quæstione secunda*, alios Doctores in hoc sequens (etiamsi contra dicant *Suarez lib. secundo de iuramento, cap.* 7. *num.* 11. & *Lessius tom. de iustitia & iure, cap.* 42. *de iuramento dubitatione* 8.) de quo puncto late nos

disputauimus in tractatu de iuramento, quæst. 7. cuius resolutionem, vt ad hunc locum passim tantum pertinentem breuiter probamus primò, quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, seu promissionis, cui annectitur, sed promissio in casu huius quæst. non obligat vt vidimus, ergo neque etiã iuramentũ ei annexũ obligabit. Secundò probatur, quia qui vult, non se obligare, & tamen iurat, aut cum iurat, desistit à voluntate non se obligandi, & tunc sine dubio manet obligatus, quia est vera promissio, & de hoc casu non procedit quæstio, aut non desistit à prædicta voluntate, & tunc in rei veritate non habet voluntatem iurandi, sicut neque promittendi, sed illud iuramentum tantum habet similitudinem iuramenti exteriorem, re vera tamen iuramentum non est, quod si in *capite quacunque arte 22. quæst.* 5. Dicitur, quacunque arte verborum quis iurat, Deus tamen, qui conscientiæ testia est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Respondetur, hoc esse intelligendum, cum est animus se obligandi, non vero adimplendi promissa, tunc enim promittens remanet obligatus. Vel intelligitur de iuramento à legitimo iudice extorto, in quo lusione verborum, & amphibologia vti non decet, sed iuxta intentionem iudicis iurandum est.

4 Quæres secundo, quomodo interpretandum sit dubium, in quo quis dubitat de promissione matrimonij à se facta? Ad hoc respondetur primo, cum dubium est de matrimonij promissione, an quis promiserit, nec ne, iudicandum esse, non fuisse factam promissionem. Ita docent *Couarruuias regula possessor 2. part. §. 7. num.* 4. & quantum ad votum, hoc sentire videtur *Glossa in capite ex parte de censibus, & Suarez secunda tomo de religione lib quarto, capit.* 5. Probatur ex regula *in pari. 65. de regulis iuris in sexto*, quæ sic habet *in pari causa melior est conditio possidentis.* Quæ regula generaliter est vera tam in materia iustitiæ, quam alterius virtutis. Sed in nostro casu est æquale ius ex parte obligationis seruandi sponsalia, & ex parte potestatis hominis non seruandi illa, & hoc ratione dubij, & alias possessio, qua quis possidet suam libertatem, (& à qua nõ cõuenit priuari in dubio, quia contrarium durares esset,) tribuit speciale ius homini, vt non se sentiat obligatum sponsalibus, ergo non tenetur ad implenda illa, quod si dubium sit, an promittens sponsalia habuerit animum se obligandi, certum tamen sit, prolata fuisse verba promissionis, tunc iudicandum est, sponsalia valere iuxta doctrinam *Immola cap. ad audientiam de ijs, quæ vi. num. 5. & Couarru. 4. Decretalium secunda parte, cap. 3. §. 5. num.* 3. Probatur, quia tunc possessio se tenet ex parte sponsalium, ergo iudicandum est, ea valida esse. Secundò probatur, quia nemo præsumitur dicere, quod non sentit in corde, nisi expresse probetur iuxta *leg. Labea, ff. de supellectilibus*, sed in isto casu verba continent sponsalia, ergo credendum est, etiam adfuisse verum animum ea contrahendi. Et hoc respondetur secundo nostro quæsito. Tertiò respondetur, cum dubitatur, an sponsalia valida sint implenda, vel non, seruanda esse, quia debitum est certum, & solutio incerta. Non soluitur autem bene debitum certum cum solutione dubia, tùm quia prædictum dubium interpretandum est in fauorem sponsalium possidentium obligationem ratione valoris. Quartò respondetur, præstandam esse sufficientem diligentiam magnam, vel paruam, prout fuerit possibilis secundum temporis angustias ad veritatem indagandam. Quintò respondetur, cum circa sponsalia dubitatur, an sint emissa cum sufficienti vsu rationis, tunc distinguendum esse, nam si de ea re dubitatur, quia dubium est de ætate, in qua emissa sunt sponsalia, tunc, si probetur, ea esse contracta ante septennium, & non sint aliæ vrgentes coniecturæ in contrarium, sponsalia cẽsentur inualida, quia ante septennium non iudicatur à iure, adesse sufficientem vsum rationis. Si vero probetur, facta esse sponsalia post septenuium, tunc si non sint aliæ coniecturæ in contrarium, censentur valida sponsalia, quia transacto septennio iudicat ius commune, non deesse rationis vsum. In dubio vero, an sint sponsalia contracta ante septennium, vel post illud, credo, iudicandum esse, valere sponsalia, & eodem modo iudico, ea valida reputanda, quando neque ex verbis eorum, neque ex intentione contrahentium, neque ex alijs circunstantijs (semper enim ad hæc capita in dubijs occurrẽdum est) probati potest eorum valor, sed adhuc res manet anceps, & dubia, quia in materia matrimonij, & sponsalium, vt postea videbimus, quæstione octaua, dubia interpretanda sunt in fauorem eorum.

5 Quæres tertiò, an ratione iniuriæ illatæ alteri parti teneatur ficte promittens, contrahere matrimoniũ? Et respondetur primo quod cum erat gratuita promissio, & ex ea non est secutum aliquod damnũ in honore, fama, &c. non tenetur ficte promittens. Dubitatur autẽ cũ promissio est respectiua, & mutua an teneatur ficte promittẽs, matrimoniũ illud cõtrahere ratione alicuius iniuriæ, vel dãni à se illati. Et quidẽ respõdetur secũdo ficte promittẽtẽ, siue cum cõditione, siue sine cõditione alterius partis repromissionis, si sub spe matrimonij fœminam deflorauit, teneri, eam ducere (licet aliqui sentiant, satis esse satisfacere pecunijs) ita respondent *D. Thom. in 4 dist. 28. q. vnica art. 2. ad 4. D. Anton. 2. part. tit. 5. cap. 6. §. 1.* Cum multis

alijs

alijs relatis à *Sanchez, loco citato, num.* 3. Probatur, quia in restitutione res in specie, quæ debetur, restituenda est, & non sufficit vnum pro alio reddere, vt si furatus sum pallium, idē met, si possum, debeo reddere *l.* 2. *§. matri ff. si certum petatur.* Sed promittens in isto casu tenebatur habere verum consensum, sub cuius si de virgo deflorata est, ergo, cum istum posit denuo habere, illum debet habere, & eam ducere, nec satisfacit pecunia. Et confirmatur, quia, si ego promitto Petro centum, vt laboret in mea vinea, si ille laboret, teneor ego reddere centum quamuis ficte promisecim, ergo, qui ficte promisit fœminæ matrimonium cum conditione, vt patiatur, se cognosci, si illa id patitur, ille debet eam ducere. Hoc tamen intelligendum est in eo casu, quo non sint notabiliter secundum prudentium arbitrium dispares in honore, & diuitijs, & illa non potuerit prudenter percipere hanc inæqualitatem, & deceptionem, nam si potest, & debet percipere deceptionem ex aliquo, cap. vel ratione disparitatis dictæ, vel ratione verborum, vel signorum, neque tenetur eam ducere, neque aliquid restituere. Vt aperte indicat *D. Thom. in* 4. *dist.* 28. *q. vnica art.* 2. *ad* 4. dicens, *hanc non esse deceptam, sed libere consensisse, quamuis ostendat, se esse deceptam exterius.* Intentio tamen viri decipiendi eam non obligat ad restitutionē, sed opus externum cum effectu decipiendi, qui hic non contigit. Quod si illa disparitatem nō cognouit, neque potuit cognoscere, & bona fide promissionis deflorata est à nobiliori multò se, cum *D. Thom. loco citato, & alijs multis Thomistis*, dicendum est, debere eam ducere. Probatur, quia hic intercessit quidam contractus inter virum, & fœminam promittentes sibi inuicem matrimonium, & fœmina promittentem suum corpus, sed fœmina impleuit ex sua parte contractum, quia tradidit suum corpus, ergo vir tenetur implere contractum ex sua parte contrahendo matrimonium. Neque satisfacit pecunia, cum se ipsum debeat, sub qua spe alia cognita est. Neque valet, quod hac ratione plus dat, quam debetur illi fœminæ, quia dat se ipsum longe nobiliorem: responde tur enim, quod, licet fuerit stulta promissio, facta ea tamen, licet ficte, & secuta iniuria fœminæ, altera contraxit iustitiæ ius, sicut, si quis mercenario promittat pro labore diurno centum aureos, quos non meretur, licet male promittat, tenetur ex iustitia soluere illos. Ita sentit *Pater Molina tomo* 2. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 271. *fol.* 113. Ratio à priori hui⁹ doctrinæ ea se offert, quia in matrimonio ad substantiam contractus solum pertinent corpora viri, & fœminæ, & reliqua bona præter ipsa sunt accidentaria, vt nobilitas, diuitiæ, &c. quare non potest dici, reperiri inæqualitatem in promissione matrimonij, ex eo quod vnus contrahentium

A sit ditior, aut nobilior altero, quare nec ob id contractus erit nullus, quia continet æqualitatem substantialem. Tandem addo in hac parte, quod si quis ficte promisit matrimonium cum spe repromissionis, & altera pars repromisit, & ex inde non est secutum aliquod scandalum, aut damnum tertij, nisi illa repromissio, tunc non tenetur eam ducere, neque aliquid satisfacere. Patet quia iste ficte promittens solum potest obligari ratione repromissionis alterius, & quia altera sua obligatione meruit obligationem eius, at repromittens nullo modo mansit obligatus, quia repromisit sub conditione veræ promissionis, vt si ego promitto Petro equū pro centū aureis, & ille promittit eos, si ego non do equum, aut ficte promitto,

B alter non tenetur mihi dare aureos.

QVÆSTIO VII.

An sint valida sponsalia clandestina.

QVIDAM respondent negatiue. Probatur primo *ex l. oratio. ff. de sponsalibus*, illis verbis. *Oratio, quæ quasdam nuptias Senatorum inhibuit de sponsalibus nihil locuta est. Recte tamen dicitur, sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti*, & ex *l. si quis tutor* 60. *vers. quamuis ff. de ritu nuptiarum.* Idem patet secundo quia *Trident. sess.* 24. *c.* 1. *de matrimonio* annullat matrimonia clande

C stina, ergo, & sponsalia. Tertio quia pœna imposita matrimonio clandestino censetur apposita sponsalibus clandestinis, *vt Panorm. docet, cap. fin. de clandestinis desponsationibus, num.* 6. *cum alijs.* Probatur quarto. Sicut se habet matrimonium absolute, ad sponsalia absolute, sic matrimonium clandestinum ad sponsalia clandestina; sunt enim sponsalia viæ quædam ad matrimoniū, sed irritato absolute, & omnino matrimonio intelligi retue, irritatum esse cōtractum sponsalium, ergo irritato matrimonio clandestino, etiam irritantur sponsalia clandestin. Ita tenet *Albornoz tract. de arte contractuū, lib.* 4. *tit.* 1. *Matienzo, lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *rubr.*

Notandum est, matrimonia, vel sponsalia esse clandestina, esse, fieri sine parrocho, & te-

D stibus.

Dicendum ergo est in hac q. Sponsalia eclan destina esse valida. Pro hac parte facit *declaratio Cardinalium relata, p.* 4. *fol.* 68. super illa verba, *ad sic contrahendum, ita Nauar. in summa Latina, c.* 25. *n.* 144. *Cordubæ, in sum. q.* 52. *Gutier. de Iuramento* 1. *part. cap.* 51. *à num.* 3. *Enriq. li.* 11. *de matrimonio, cap.* 5. *num.* 8. *& alij multi antiqui, & recentiores Doctores.* Probatur, quia, vbi non militat eadem ratio, neque militat idem ius: sed non militat eadem ratio ad annullandum matrimonium clandestinum, & sponsalia clan

destina, ergo lex annullans matrimonium, non annullat sponsalia. Probatur minor, quia ex matrimonio clandestino hoc sequebatur inconueniens, quod homines relicta priore vxore clam habita aliam ducebant in facie Ecclesiæ, & cum Ecclesia non posset probare primum matrimonium, & secundum cognosceret. Ad secundum obligabat, quod in rei veritate erat quidam concubinatus, relicto priori, quod verum apud Deum matrimonium constituebat. Ex sponsalibus vero non sequitur hoc inconueniens, licet clam contractis, nam illis non obstantibus valida sunt matrimonia cum alijs personis contracta. Secundo probatur, quia lex Concilij Trident. irritans clandestinum matrimonium est computanda inter leges odiosas, veluti B corrigens ius commune, quod solum illud impediebat. Vnde extendenda non est vltra casum in ea expressum *l. præcipimus, C. de appellat.*

4 Ex his respondetur ad argumenta in contrarium. Ad primum ex legibus sumptum dici-
1 mus, leges illas esse intelligendas, quando currit eadem ratio, vt in casibus illarum, non in nostro casu, vbi ea non currit. Ad secundum negatur consequentia. Ad tertium negamus, pœnam appositam matrimonio clandestino censeri appositam sponsalibus clandestinis, quia in odiosis nomine matrimonij non veniunt sponsalia, vt docet *Gloss. in Clement. de consanguinitate. Verbo contrahere.* Et vt docuimus, quæst. 1. huius tractatus. Ad quar- C tum respondeo, quod, cum matrimonia prohibentur omnino, tunc sponsalia sunt nulla, quia essent promissio rei illicitæ, quæ nunquam valet, & ita contigit in prædictis legibus, vbi matrimonia cum illis personis omnino prohibentur. At in Trident. non prohibentur matrimonia omnibus modis, sed clandestina, vnde potest quis promittere matrimonium celebrandum coram parrocho, & testibus.

5 Quæres primo, an saltem sit peccatum, sponsalia clam contrahere? Ad hoc respondetur, quod licet multi sentiant oppositum, verum tamen meo est, non esse peccatum. Patet, quia nullo iure est hoc prohibitum: non iure ciuili *l. oratio, vt iam vidimus, non in canonico,* D *in cap. fili. de clandestina desponsatione.* Quia ibi nihil dicitur de sponsalibus. Et si communis Doctorum ad sponsalia extendit illum textum, debet intelligi secundum morem antiquum, quo post sponsalia secuta copula efficiebat matrimonium, ex quo poterant sequi eadem inconuenientia, quæ ex clandestinis matrimonijs diximus paulo ante olim sequi. Hoc tamen, quod post sponsalia secuta copula etiam clam efficiat matrimonium, sublatum est à Tridentino loco citato. Præterea neque in nouo iure Tridentini sunt prohibita sponsalia clandestina, *vt declaratio Cardinal. habita 27. Septembris anni* 1570. Docet. Ita respondent *Ludouicus Lopez 2. part. instructorij materia de matrimonio, cap. 37. fol.* 1041. *Salzed. pract. cap. 73. versic. 9. §. ex quibus, & Sanchez disp.* 13.

Quæres secundo, an sint valida sponsalia vero animo contracta inter eos, qui notabiliter sunt inæquales in honore, vel diuitijs? Quidam respondent, esse inualida. Probatur, quia cum quis alicui rem prodigaliter promittit per modum contractus, vt meretrici, non tenetur totum illud soluere, sed, quod æquale est, sed ille, qui multo nobilior est altero contrahente, & promittit ei B matrimonium, promisit prodigaliter plus, quam iustum est. Ergo non tenetur implere, & contrahere matrimonium, sed pretio soluere promissionem alterius. 6

Verius tamen est, hæc sponsalia esse valida, ita *Veracruz, 3. part. speculi art. 19. concl.* 2. *Molina tomo 2. de iustitia tract. 2. disp.* 271. *fol.* 113. Probatur primo, ex praxi Ecclesiæ istum cogente ad matrimonium. Secundo, quia promittens est dominus sui corporis, & alias est conscius disparitaris, ergo, vel censetur cedere iuri suo, & donare excessum, vel se tradere per modum contractus. Quare iste debet obligari ad seruandam fidem, si non probabiliter scandalum, vel inter consanguineos rixa, vel aliquis prauus C exitus timeatur. Vnde ex his patet ad argumentum oppositum, negando illam doctrinam, vt etiam negauimus in fine quæstionis sextæ. 7

Quæres tertio, quæ personæ sint habiles ad sponsalia? Et primo respondetur, personas illas, quæ habent impedimentum dirimens contrahendi matrimonium, esse inhabiles ad sponsalia. Patet, quia sponsalia sunt via ad matrimonium, ergo inhabiles ad matrimonium sunt inhabiles ad sponsalia. Respondetur secundo inter illos, inter quos non potest esse matrimnium licite, licet possit valide, vt inter illos, qui votum simplex castitatis emiserunt, non esse valida sponsalia. Probatur, quia sponsalia sunt promis- D sio matrimonij, ergo, si matrimonium est illicitum, promissio est iniusta, & inualida. 8

Ita Sanchez disp. 15. cum alijs, patet,
quia promissio rei illicitæ
non obligat.

(.§.)

QVAE-

QVÆSTIO. VIII.

Quæ ætas Desideretur ad sponsalia?

1 SIt prima conclusio. Septênium requiritur ad sponsalia valide contrahenda. Ita tenet communis Doctorum sentẽtia. Et cõstat *ex c. literas, & c. accessit. de desponsat. impub. ibi. si præfatus vir matrem puellæ, antequam septimum annum compleuisset, in vxorem accepit, matrimonium non dissolues.* Ita tenet expresse *D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2.* Probatur, tunc incipit communiter vsus rationis, & tunc homo potest liberam exercere voluntatem, ergo tũc sunt valida sponsalia, quæ tam in viro, quam in fœmina solum septennium requirunt, quia solum requirunt vsum rationis, qui in vtroque tunc est: & vltima dies septennij sufficit, quod sit incepta in fauorem matrimonij. Quod si integer dies desit, non valent sponsalia, vt nec valet testamentum, si ad decimum quartum annũ vnus dies tantum desit. Neque professio, si ad decimum sextum completũ vnus dies desit. Et hoc videtur sentire *D. Thom. in 4. d. 27. quæst. 2. art. 2. ad 7. Couar. in 4. decretal. 1. part. c. 2. num. 2.* Hæc autem conclusio sic intelligitur, nisi in septennio desit rationis vsus, nam aliquando deficit. Et tunc non valent sponsalia, & ita intelligitur *l. in sponsalibus contrahendis ff. de sponsalibus.* Dum ait, nõ esse præscriptã ætatẽ in sponsalibus, quia scilicet in septennij ætate non semper est vsus rationis sufficiens ad spõsalia.

2 Sit secunda conclusio. Licet aliqui eam negent. Cum ita malitia supplet ætatem, vt ante septennium sit vsus rationis, valent sponsalia. Ita *D. Thom. loco citato, D. Anton 3. part. tit. 1. cap. 18. initio. Gloss. cap. tenentis, de sponsalibus, & ibi Ioan. Andr. num. 9. Card. num. 1.* Probatur *ex l. in sponsalibus 1. ff. de sponsalibus*, dicente, *satis esse, si sponsi, quid agant, intelligant.* Secundo probatur, quia *in cap. de illis 2. de desponsat. impub.* Dicitur, quod in matrimonio malitia supplet ætatem ergo multo melius in sponsalibus, quæ sunt via ad illud, & minoris momenti. Et hinc respõdetur ad id, quod solet obijci, quod, vbi certa ætas à iure præscribitur, ea debet seruari. Dicimus enim, hoc esse intelligendum, nisi in alio simili casu aliud ius disposuerit, vt vidémus *in ca. de illis.* Circa matrimonium fuisse dispositum. Et hinc etiam respondetur ad aliã obiectionem: quia si malitia supplet ætatem, frustra à iure præscriberetur septennium. Respondetur enim, hoc factum esse, vt in dubio rationis vsus in septennio præsumatur, & ante illud, nisi probetur, non præsumetur. Et hinc infertur, in quacumque ætate ante septennium si sit rationis vsus, valere sponsalia. Vt patet ex dictis in secunda conclus. quia, cum sint solubi-

A lia, & minoris momenti, sufficit quilibet rationis vsus. Vt etiam vidimus, quæst. 5. conclus. 1. Quod si respectu matrimonij, quod, quia indissolubile est, & maioris momenti, requirit potentiam generatiuam, & prudentiam ad valorem, hæc notabiliter accelerentur ante ætatem à iure præfixam, eodem modo valeret matrimonium.

Sit tertia conclusio. Licet aliqui eam negẽt, quos citat *Sanchez to. 1. de matrimonio disp. 17.* Non peccant, qui sponsalia contrahunt ante septennium. Probatur primò, quia, vel habent vsum rationis, vel non: si habent, sunt valida sponsalia, & licita, si non habent, non valent neque sunt capaces meriti, neque demeriti. 3
B Probatur secundo, quia hoc non est aliquo iure prohibitum, non enim est prohibitum, vt docent authores, *in c. 2. de desponsat. impub.* Nã verba textus sunt. *Districtius inhibemus, nè aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, cõiungantur. Nisi forte aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vt pote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Hũc autem textũ *Panormit. & Præpositus* illum explicantes dicunt, non intelligi de sponsalibus, ratione illius verbi, coniungantur. Quia sponsalia nõ sunt coniunctio, sed matrimoniũ solũ. Imo sentire videntur, non prohiberi matrimonium per verba de præsenti inter impuberes, quia hoc de iure Canonico permittitur, & censetur *in cap. sili. de despons. impub.* Esse sponsalia.
C Sed tunc prohiberi, ne impuberes, vel puber cum impubere ita contrahant matrimonium, vt simul copulæ carnali dent operam; quia dubium est de iudicio maturo, & potentia generandi, ne, si postea de matrimonij valore dubitetur, appareat turpitudo.

Sed quæres, cur dicitur in eo textu, Pro bono pacis permitti coniunctionem? Nam si coniunctio est copula, hæc non potest permitti ante legitimam ætatem, & cum dubio iudicij, & potentiæ generatiuæ? Sed respondetur, permitti copulam ex causa vrgentissima, quando iudicat Episcopus probabiliter malitiam præuenire ætatem, quamuis de potentia ad copulam dubium sit aliquale. In quo ius propter necessitatem aliquid dispensat. Et si experientia facta, esset certum, non adesse potentiam generandi, illud matrimonium vt sponsalia reputaretur secundum ius. *Rebello 2. part. de obligationibus iustitiæ, lib. 4.* Ait, quod maior septennio in sponsalibus à patre initis, regulariter non tenetur consentire. Probatur ex cap. 1. de desponsat. impub. & ratio est quia patres sine consensu filiorum non possunt eos ad matrimoniũ inposterum obligare. Quod si in dicto casu filius sit minor septennio, postea tenetur consentire ex cap. citato, & quia æquum est, vt cõsensum patris, quando ipse non habebat eum, sequatur paruulus, & infans filius. 4
D

QVAE.

QVAESTIO IX.

Quibus verbis contrahantur sponsalia?

2 VErba sunt in duplici differentia, alia affirmatiua, & de his prius agimus, alia negatiua, & de his postea, & inter hæc verba alia sunt dubia, alia vero certa.

3 Primo ergo supponendum est. Quando dubia sunt verba, & potest constare de intentione contrahentium, esse standum eorum depositionibus ita, vt sint sponsalia illis affirmantibus, vel non sint, illis negantibus, quod patet *ex cap. intelligentia de verborum significatione*, & etiam probatur, quia homo in his promissionibus spontaneis est sibi legislator, sed in verbis dubijs legis standum est intentioni legislatoris: ergo in his promissionibus intentioni promittentium. Quod si dubium sit tam in foro interno, quàm externo, an aliquis contractus sit matrimonium, nec ne, sit sponsalia, vel non sit, in foro externo, est iudicandum in fauorem matrimonij, & sponsalium. Ita colligitur *ex cap. ex literis de probationibus*, vbi secundum expositionem *Glossæ verba, liberali*, statuitur, in dubio matrimonij iudicandum esse in fauorem matrimonij. Ita sentiunt *Cardin. in ca. final. num. 7. de desponsat. impub. Syluest. verbo sponsalia, quæst. 5.* Et ratio est, quia causa matrimonij, quæ ordinatur ad bonum commune valde fauorabilis est in iure. Imò etiam in foro conscientiæ etiam censendum est, esse validum matrimonium, quia forus externus, & internus idem omninò iudicant, vbi non innititur forus externus in aliqua falsa præsumptione, vel non procedit ad pœnam: hic autem non innititur, neque procedit ad pœnam. Ita sentit *Sanchez. lib. 1. de sponsalibus disp. 18. allegans Conar. & Menoc.* Vnde probabilis opinio singularis Doctoris defendentis matrimonium præfertur opinioni multorum impugnantium idem matrimonium. Ita *Ostiens. capit. si vir, de cognat. spirit. verbo, aliter, Præpositus nu. 2. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. num. 30.*

3 Secundò notandum est, secundum doctrinam multorum attendendam esse consuetudinem prouinciæ ad effectum verborum. Nam *Veracruz 1. part. speculi, art. 19. in fine*, air aliquos Indos sic inire sponsalia. Sepeliam te, quando morieris, *& Bart. à Ledesma de matrim. dubio 25. fol. 1379.* Ait, apud Indos Mechoacēses per hæc verba fieri sponsalia, vnus dicit, ego ducam te, & alius respondet, forte & ego ducam te. Imò si esset vsus, vt hæc verba futuri temporis essent forma matrimonij præsentis, sufficientia essent ad contrahenda matrimonia, quia cum verba significent ex libera hominum impositione, potest inter aliquos conuenire, vt verba temporis futuri faciant sensum de præsenti: imò Ecclesia in foro externo semper iudicat verba secundum communem modum intelligendi hominum. Sic habetur *in cap. 1. ex litteris de sponsalibus*, & in verbis dubijs, videndum est, de quo erat sermo tempore prolationis, vt colligitur *ex capit. intelligentia de verborum significatione*, & generaliter facienda est interpretatio contra eum, qui potuit apertius loqui, vt si ille dicat, esse sponsalia, & altera pars dicat, esse matrimonium, censebitur matrimonium, *l. 2. ff. de pactis*, & si verba prius loquentis fuerunt clara, verba posterius loquentis, & sub dubio debent intelligi iuxta sensum prioris, & tandem in dubio fauendum est fœminis, quia simplicius loquuntur, vt si fœmina dicat, se solum voluisse, contrahere sponsalia cum verbis dubijs, credatur esse solum sponsalia.

Tertiò notandum est, verba affirmatiua, quibus contrahuntur sponsalia, & matrimonium, 4 posse quadrupliciter sumi. Primò vt verba sint futuri temporis, vel præsentis, & significent idem tempus, vt ducam te, vel duco te. Secundò ita vt verba quoad sonum, & significationem de se sint de præsenti, & ratione alicuius adiuncti fiant de futuro, vt, accipio te in crastinum. Tertiò, vt verba sint futuri temporis quoad sonum, & significationem de se, sed ratione alicuius particulæ fiant de præsenti, vt ex nunc te habebo in meam, deinceps, semper, &c. Quartò alia sunt verba dubia, vt volo te habere in vxorem, vel esse meam.

Circa primum genus verborum omnes cōueniunt, efficere sponsalia, si sint futuri temporis, & matrimonium, si sint præsentis, & hæc 5 etiam verba efficere matrimonium, si vnus cōiugum dicat, accipio te in meam, & alter respondeat, placet quia hic est aliquis contractus, & non potest esse alius, nisi matrimonij, hæc autem verba, promitto, me desponsaturum Mariam, secundum *Anton. cap. si inter. num. 8. de sponsalibus, Cardin. ibi, quæst. 2. & 3.* non sunt sponsalia, sed promissio eorum.

Circa secundum genus verborum, vt accipio te in crastinum, dicendum est secundum 6 *Victor. in sum. de matrimonio, num. 251. & alios*, solum efficere sponsalia, quia reddunt sensum de futuro.

Circa tertium genus verborum, vt cum adduntur particulæ habentes significationem de 7 præsenti verbis futuri temporis, dicendum est, efficere matrimonium, si iungantur verbis importantibus executionē consummatā, qualia sunt hæc verba, ex nunc deinceps, ab hoc tempore, semper habebo te, vel renebo te in vxorem, vel prouidebo tibi sicut vxori, vel tractabo te sicut vxorem, vel eris mea vxor.

Pro-

Probatur ex cap. ex parte de sponsalibus. Quod si verba, quibus iunguntur istæ particulæ, non significent executionem consummatã, sed incipientem, constituunt sponsalia, vt, deinceps ducam, vel accipiam te in vxorem.

8 Circa aliud genus verborum: vt habebo te in vxorem, tenebo, vel prouidebo tibi, vt vxori, quidam dicunt, ea efficere matrimonium. Probatur ex *cap. siquis diuinis* 30. *quæst.* 5. Quod desumptum est ex iure ciuili: vbi dicitur, esse matrimonium in eo casu, quo quis iurauit fœminæ, se in vxorem eam habiturum. Probatur secundo *ex cap. ex parte de sponsalibus.* Vbi dicitur, esse matrimoniũ, vno dicente. Ab hoc tempore habebo te in vxorem, & alio tantum respondente, te habebo. Probatur tertio, quia, vt patet ex præcedenti §. Si quis dicat. Ex nũc habebo te in vxorem, constituitur matrimonium, ergo etiam si solum dicat, habebo te in vxorem, patet, quia illa particula, ex nunc, in isto casu subintelligitur: quoties enim in obligatione aliqua non destinatur dies, statim cõtrahitur obligatio ex *l. in omnibus ff. de regulis iuris l. eum, qui kalẽdis ff. de verborũ obligationibus.* Sed in prædictis verbis non designatur dies, ergo statim contrahitur obligatio. *Ita Gloss. cap. siquis diuinis allegato, verbo habiturum, Archidiaconus, ibidem. Syluest. matrimonium* 2. *quæst.* 9. Alij vero existimant, hæc verba esse dubia.

9 Verius tamen est, per hæc verba solum constitui sponsalia, nisi consuetudo patriæ, vt vidimus in secundo notabili, aliud obtineat. Hanc sententiam defendunt *Ioan. Andr. cap. ex parte num.* 3. *de sponsalibus Adrian. quæst.* 2. *dubio* 3. *de matrimon. Palud. in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 4. *conclus.* 4. *num.* 26. Et probatur, quia istæ propositiones sunt æquipollentes, pro aliquo futuro tempore habebo te in vxorem, & habebo te in vxorem. Sed prior propositio tantum efficit sponsalia, ergo & posterior.

10 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum ex cap. siquis diuinis, respondetur primo cum *Sanchez, loco citato.* Illam legem ciuilem nos minime obligare, quia non est inserta in aliquo canone Ecclesiæ, aut ab Ecclesia approbata. Secundo videtur mihi, posse responderi, in illo cap. non definiri, effici per prędicta verba matrimonium, sed sponsalia. Dicitur enim in illo, sit illa legitima vxor. Quod videtur, tempus futurum significare. In quo debet sic iurans contrahere matrimonium. Ad c. ex parte, respondetur: quod licet posterior coniux solum dicat, te habebo; at tamen, quia alter prior dixit, ex nunc te habebo, quod clare significat matrimonium, ideo verba posterioris intelligenda sunt secũdum sensum prioris, vt patet ex primo notabili. Ad tertium respondetur, ex eo solum colligi, teneri hominẽ ad statim contrahendum, non tamen de præsenti contrahere; vt siquis dicat. Habebis do-
A mum meam tibi, non tradit illam ipso facto, sed promittit, statim tradendam esse.

Hæc verba. Posthac eris meus, vel ex nũc, constituunt matrimonium, significant enim consensum de præsenti, vt bene *Sotus in* 4. *d.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. *post.* 2. *conclus.* Et alij docent. Alia tamen verba, esto meus, & esto mea, vt Sotus loco citato, & alij dicunt. non efficiunt spõsalia, vel matrimonium, sed sunt verba rogantium matrimonium. 11

Circa aliud genus verborum dubiorum, vt volo tecum contrahere, vel te ducere, te habere, vel tenere in vxorem, licet variæ sint sentẽtiæ, dicendum tamen est, efficere sponsalia, nisi contineant solum propositum sine promissione. Probatur, quia ea verba sufficienter intelli- 12
B guntur esse vera, quamuis non significent matrimonium de præsenti, sed solum de futuro, ergo constituunt sponsalia. Ita tenet, *Sanchez loco citato, multos allegans num.* 25. Et ratio est, quia verba non significant consensum in maiorem obligationem, quam, quæ requiritur, vt secundum communem acceptionem vera sint; vt si promitto alicui dare triticum, vel oleum, satisfacio dando granum tritici, vel gutã olei, *l. fideiussorem* 52. *ff. mandati.*

Illa vero verba, volo, te esse mihi vxorem. Sunt verba dubia secundum *Gutier. lib.* 1. *q. Canonic. cã.* 21. *num.* 28. *& Enriq. lib.* 11. *de matrim. cap.* 11. *num.* 6. & si denotent voluntatem efficientem matrimonium, vt si de eo tractabatur, efficiunt matrimonium, si vero denotent quã- 13
C dam voluntatem inefficacem, vt placet mihi matrimonium, nec sunt matrimonium, nec sponsalia.

His dictis de verbis affirmatiuis, aliud genus est verborum negantium, vt, non contraham cum altera, à te, vel quàm tecum, vel prætterquam tecum, vel nisi tecum. Quæ omnes propositiones secundum probatos authores allegatos à *Sanchez lib.* 1. *sponsalium disp.* 19. Eundem sensum faciunt. Vnde id, quod dicetur de hac propositione, non contraham cum alia, nisi tecum, est applicandum ad alias propositiones. 14

Circa hanc vero formam verborum, non cõtraham cum alia, nisi tecum, vt potest videri apud *Sotum in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 3. *de hac au- 15
D tem negatiua contrahendi forma,* & apud *Palud. in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *& apud Adrian. lib.* 12. *de matrimon.* Magna est inter Doctores contentio, sed breuiter respondetur, per prædicta verba neque matrimonium constitui, neque sponsalia; sed quandam tantum resultare promissionẽ conditionalẽ hunc sensum reddentem. Si aliquam ducturus sum, te ducam. Ita sentiunt *Couar.* 4. *decretalium* 2. *part. cap.* 4. §. 1. *num.* 8. *Nauar. lib.* 4. *consiliorum in* 1. *editione, tit. de sponsalibus, consilio* 48. *in* 2. *vero, consilio* 7. *& Enriq. lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 4. *in fine. Vega, lib.* 6.

sum.

sum.casu,9 1. Probatur à simili, quia durum esset, affirmare, teneri eum Cartusiam ingredi, qui promisit nullam se religionem nisi Cartusiam professurum, iste enim solum tenetur, ingredi Cartusiã eo casu, quo religiosus futurus sit, non vero eam, tenetur absolute ingredi, ergo idẽ pronuntiandũ est in nostro casu, qui eodẽ tenore verborũ continetur. Neque huic obstat resolutioni affirmari, in propositionibus dialecticis hanc negationem, nisi, adiunctã propositioni negatiuæ, reddere illam affirmatiuã, vt hanc propositionem, nullus, nisi Petrus currit, efficere hunc sensum, Petrus currit, & nullus alius currit. Quare, & illam formam verborum, non contraham cum alia, nisi tecum, hũc reddere sensum, contraham tecum, & cum nulla alia cõtraham. Respondetur enim, quidquid contingat in propositionibus dialecticis, in cõtractibus aliter rem se habere ex communi modo loquendi, redditur enim sensus conditionatus, vt iam explicuimus.

16 Negare non possumus, posse contrahentes conuenire inter se, vt per aliqua verba extraordinaria, aliàs non significantia matrimonium, illud contrahant, dummodo parrocho, & testibus tale pactum innotescat.

QVÆSTIO X.

An per verba de præsenti aliquando celebrentur sponsalia.

1 PRo quæstionis intelligentia præmittẽdum est, in eo casu, quo contrahentes per verba de præsenti tantũ intendant matrimoniũ conficere, nõ vero sponsalia, etiã si matrimoniũ non valeat: no effici sponsalia, quia habent expressam intentionẽ non efficiẽdi sponsalia, & hæc sine intẽtione nõ resultant, cũ vero intentionẽ habent efficiendi spõsalia, eo ipso, quod matrimoniũ ex aliquo cap. minime valeat, resultare sponsalia, nisi id, quod matrimoniũ impedit, sponsalia etiam impediat. Difficultas ergo est, an, quando duo contrahũt matrimonium simpliciter, & secundũ ius per verba de præsenti, & illud valorem non sortitur, aut, quia clandestinum est, aut, quia inter impuberes celebratur, an tunc vera saltem resultent sponsalia.

2 Circa secundum quæstionis casum, de matrimonio celebrato inter impuberes, aliqui existimarunt, in eo neq; reperiri matrimoniũ, neque spõsalia. Probatur ex doctrin. *Barth. relata à Couar. in 4. Decretal. 1 p. c. 3. n. 3.* Asserentis, quoties agitur de contrahenda obligatione inter duos actum non valentem eo modo, quo fit, minime valere eo modo, quo fieri potuit.

Sit tamen prima conclus. per verba de præsenti inter impuberes prolata etiã si non contrahatur matrimonium, quia non sunt capaces eius, cõtrahũtur tamẽ sponsalia. Hanc conclusionẽ defendũt *D. Anton. 3. p. tit. 1 1. c. 18. in initio, Sot. in 4. d. 35. q. vnic. art. 5. vers. ad q. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 13. n. 2. & 5. gloss. in ca. fin. de desponsat. impub. verbo subarrata.* Et alij quã plurimi Doctores. Probatur primo ex *c. fin. de desponsat. impub. & ex c. vnic. §. idem quoque. de desponsat. impub. in 6.* Secũdo probatur, quia in præsenti videtur contrahentes habere intentionẽ contrahẽdi adminus spõsalia eo ipso, quod matrimoniũ non habeat effectũ, ergo, cũ matrimoniũ non resultet, resultant sponsalia: nã, quemadmodũ ex verbis de futuro resultat matrimoniũ, quando contrahentes intendunt illud, ita per verba de præsenti possunt in isto casu contrahi sponsalia, dũ adest intentio ea contrahendi: hæc autẽ intentio iuste præsumitur adesse in prædictis cõtrahentibus eo ipso, quod cõtrahunt, & secundũ ius, quia contrahere intelligũtur meliori modo, quo possunt. Tertio probatur, quia matrimonium per verba de præsenti per puberẽ, & impuberẽ contractũ clãdestine sine parrocho, & testibus resoluitur in sponsalia de futuro iuxta *c. vni. §. 1. de sponsalib. impub. lib. 6. & iuxta congregationem Cardin.* hoc sentiẽtem. Ergo etiam matrimonium inter impuberes eodem modo se habere debet.

4 Ad argumentũ in oppositũ respõdetur, doctrinã Barth. recte explicari à *Couar. loco citato,* Quando obligatio, quæ cõtrahi poterat, non includitur in obligatione, quæ contrahitur, vel de qua agitur, in præsenti autẽ casu, vbi de matrimonio agebatur, obligatio sponsaliũ includitur in obligatione matrimonij, nã, qui vult ex nunc, & pro semper habere aliquã in vxorem, quod pertinet ad matrimoniũ, etiam vult, habere illã in futurũ, quod attinet ad sponsalia, ergo cũ ex defectu ætatis non sit validũ matrimoniũ, sunt valida spõsalia, cũ ad ea nullũ sit impedimentum, vt supponitur in hac quæst.

5 Circa primum casum, an matrimonium clandestinum inter personas aliàs omnino habiles ad contrahendum matrimonium, & solum deficiente parocho, & testibus, tam, quod ex *Tridens. sess. 24. c. 1.* Non sit matrimonium validum, saltim sponsalia ex illis resultent. Quidã respondent negatiue, *Ita Nauar. lib. 4 Consil. in 1. editione tit. de sponsalibus, Consil. 1. n. 3. Palat. in 4. dist. 28. q. vlti. prope finem. vers. exquires, & Sanchez dicto lib. 1. disp. 20. alios allegans* Tenaciter tenet hanc sentẽtiam. Huic parti negatiuæ fauet *Congregatio Cardin. p. 4. fol. 67.* Vbi declararunt, matrimonium sine parrocho non habere vim sponsalium, vt verbi gratia, cum inter puberes cõtraheretur matrimoniũ sine parrocho, tunc non resultarent sponsalia. Hãc declarationẽ adducit *Rebello. 2. p. de obligat. iust. li. 2. quæst. 9.*

quæst. 9. & probatur primo, quia Concilium Trident. loco citato, personas clandestine contrahentes matrimonium ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit. Vnde nullum locum videtur relinquere, vt tales personæ etiam ad sponsalia sic contrahenda sint habiles. Tum etiam Concilium talem contractum decernit, esse nullum. Vnde neque, vt sponsalia valebit, tertio quia resistit Concilium tali contractui, vnde ex eo nullam videtur posse oriri obligationẽ. Quarto probatur, quia actus aliquis non valens tunc, vt agitur, valet eo modo, quo valere potest, quando defectus eiusdem actus non fieret ex parte formæ, at matrimonium clandestinum non valet vt matrimonium ex defectu formæ, quia deficit solemnitas essentialiter requisita, ergo neque valet vt sponsalia.

6 Sit secunda conclusio. In isto casu sponsalia valida sunt tam inter impuberes, quam inter puberes contracta, quæ conclusio quantum ad impuberes difficultate prorsus vacat, quantum ad puberes vero probanda à nobis est, eamque defendunt *Veracruz appendice ad speculum, dubio 9. conclus. 2. Barth. à Ledes. de matrim. dubio 18. fol. 184.* Et eam reputat probabilem *Sanchez loco citato num. 2.* Et demum eam tuetur *Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 4. vbi asserit nu. 8.* Ita declarasse congregationem Cardinalium in responsione ad Archiepis. Valentin. Probatur primo, quia matrimonium clandestinum inter impuberes contractum, & inter puberem, & impuberem, vt patet ex textibus præallegatis in prima conclus. licèt vim matrimonij non habeat, habet tamen vim sponsalium. Ergo etiam idem matrimonium inter puberes contractum saltem vim habebit sponsalium: non enim videtur maior ratio vnius, quam alterius, neque Concilium oppositum voluit, vt patebit respondendo ad primum argumentum in oppositum. Secundo probatur ex ratione textus in *cap. vnico de desponsat. impub. in 6. §. idem quoque.* Vbi definit Pontifex, matrimonium impuberum obligare, vt sponsalia, & reddit rationem, quia actus, qui non valet eo modo, quo gestus est, valet eo modo, quo geri poterat, *l. tam angusti. ff. de seruit.* Ergo quamuis matrimonium puberum non valeat, vt matrimoniũ, quomodo gerebatur, valet, vt sponsalia, quomodo fieri poterat, quia ad rationem sponsalium nihil videtur posse desiderari.

7 Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primum dicimus, Concilium Tridentinũ solum reddidisse personas inhabiles ad matrimonium clandestinum, de quo in illo cap. tractat. Et ex quo sequitur magnum illud inconueniens ibi tactum: quod aliqui prima sponsa relicta, cum qua matrimonium nõ poterat probari, quia fuerat clandestinũ, & quæ vere erat vxor, cum alia publice contrahebant, cum qua manebant in perpetuo concubinatu, de sponsalibus vero non tractat, neque ex his hæc inconuenientia sequuntur, cum relicta sponsa de futuro valeat matrimonium de præsenti cũ alia. Et lex correctoria iuris communis, qualis est ista, non est extendenda, vt ex doctrina ipsius Sanchez supra probauimus, vltra casus in ea expressos. Imo etiam respondetur, illum contractum reddi nullum in ratione matrimonij, de quo agebatur, non in ratione sponsalium, de quo non agebatur. Imo etiam dico, Concilium resistere illi contractui in ratione matrimonij, non in ratione sponsalium, propter rationem dictam. Ad secundum respondetur, etiam si matrimonium non valeat vt matrimonium ratione formæ, posse tamẽ valere vt spõsalia, quia forma matrimonij diuersa est à ratione sponsalium, & ad formam sponsalium non requiritur præsentia parrochi, & testiũ. Quod si esset eadem forma, vera esset illa doctrina Sanchez.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm subarratio sit sufficiens signum matrimonij?

ARRA, teste *Syluest. verbo, arra.* Est munus illud, quod datur alicui in signum alicuius contractus, & propter securitatem eius, & ista arra solet dari in contractibus sponsalium, seu matrimonij, quæ est communiter immissio annuli in digitum annularem, qui annulus in matrimonio imponitur in medio digiti, quia ibi est quædam vena, quæ in cor tendit, & significat in medio coniunctio nẽ cordium, perfectã, quæ est inter coniuges: in sponsalibus vero non ponitur in medio digiti, sed in principio eius, quia in illis non ita perfecte coniunguntur corda, atque in matrimonio, ita *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsump. 7. nu. 10. & Sanchez dicto lib. 1. disp. 21.* 1

Sit conclusio exhibitio annuli, & exhibitio manus ad recipiendam fidem ab altero promissam secundum loci consuetudinem, & secundum intentionem contrahentium constituunt sponsalia, vel matrimonium, si contrahentes certiores fiant consuetudinis, ita Sanchez loco citato, multos allegans. 2

(?)

QVAE-

QVAESTIO XII.

Vtrum duobus præsentibus, & tacentibus, & alijs pro ipsis contrahentibus sponsalia, vel matrimonium, valida hæc sint?

1 NON loquimur de illis, qui habent ad contrahendum pro alijs expressam licentiam, sed de illis, qui eam nõ habent, & contrahunt sponsalia, vel matrimoniũ pro illis, illis scientibus naturam contractus, & præsentibus, & tacentibus.

2 In hac quæst. sunt variæ sententiæ. Prima asserit, non posse parentes contrahere sponsalia pro filijs, si ipsi sint præsentes, & taceant, & non ostendant aliud signum consensus. Ita sentiunt quidam recentiores, vt docent *Enriquez in summa, & Petrus de Ledesma*, statim allegandi. Probant primò *ex cap. 1. de desponsat. impub.* vbi Patribus videtur concedi, vt pro filijs infantibus contrahant sponsalia, & matrimoniũ, non vero pro adultis. Et probatur, quia taciturnitas potest nasci ex verecundia, ergo non est signum consensus.

3 Secunda sententia asserit, quęcunque extraneum posse contrahere in hoc casu sponsalia. Ita *Glossa in cap. vnic. de desponsat. impub. in sexto §. fili. verbo sponsalia, Enriq. lib. 11. de Matrimonio, cap. 2. num. 6. Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 45. art. 2. dubio 3.* Probatur *ex cap. 1. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, vbi sponsalia contracta à fratre pro sorore præsenti censentur esse valida, vbi non fuit expressus consensus, quia aliqua signa eius ponderantur, sed solum tacitus, quod si frater hoc præstare potest, cui nõ est soror subiecta, idem quoque quilibet alius extraneus poterit præstare.

4 In hac parte sit prima conclusio. Ad sponsalia sufficit, quod parentes, scilicet, tam mater, quàm pater pro filijs, etiam spurijs, & emancipatis ea contrahant eis præsentibus, & tacentibus. Probatur primo expressè *ex cap. vnic. de desponsat. impub. §. fili. in sexto*, & probatur ratione, quia parentes plus diligunt filios, quam se *l. isti quidem 8 ff. de eo, quod metus causa.* Vnde iudicatur, optime consulere parentes bono filiorum, quare creditur, filios tacentes dispositioni patrum consentire. Ita defendunt Doctores in secunda conclusione allegandi.

5 Secunda conclusio. Si alij, præter parentes, licet sint tutores, vel curatores pro tertijs personis sponsalia contrahant, vt ea valorem sortiantur, præter taciturnitatem partium, requirunt aliquod aliud signum consensus. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad tertium. Palud. ibidem, art. 1. concl.* A *1. num. 4. Innocent. de Matrimonio contracto, nu. vnic. & Sanchez cum alijs ab eo allegatis 1. lib. de Matrimonio, disp. 25.* Probatur primo conclusio ex dicto *cap. vnico de desponsat. impub. in sexto*, vbi tanquam quoddam speciale priuilegiũ conceditur parentibus, posse pro filijs tacentibus contrahere: ergo hoc alijs personis denegandum est. Secundo probatur, quia cum matrimonium cum hac, vel illa possit esse nociuum, aut valde commodum, non creditur, alios præter patres, æque bene consulere vtilitati sponsorum ita, vt eorum tantum dispositioni committatur valor sponsalium, sponsis tacentibus.

6 Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur cum *Abba. ibidem, num. 3.* in illo B textu solum significari, non æque conueniens esse, parentes contrahere pro filijs adultis, qui habent proprium consensum, ac pro infantibus, qui eo prorsus destituti sunt. Ad secundũ respondetur, præsumi quidem verum consensum in sponsalibus, patribus pro filijs contrahentibus, non tamen esse vera sponsalia, nisi re vera adsit consensus filiorum. Ad argumentum secundæ sententiæ resp̃detur cum Glossa in dicto cap. in casu illius textus adfuisse verum consensum exterius manifestatum, ponderari tamen signa, vt confirmetur, verum adfuisse consensum.

7 Quæret tamen aliquis primo, an parẽtibus contrahentibus sponsalia pro filijs absentibus sufficiat ad eorum valorem, filios postea certiores C factos sponsalium eis minime contradicere, sine eo, quod aliud signum externi consensus ostendant. *Thomas Sanchez cum alijs disp. citata*, tuetur, aliquod aliud signum requiri. Probat ex eo, quod in dicto *cap. vnic. de despons. impub.* pro filijs absentibus requiratur cõsensus tacitus, vel expressus, & pro præsentibus solum requiratur, filios non contradicere, aliquod ergo aliud signum requiritur pro absentibus, præter taciturnitatem. Verumtamen respondeo cum *D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad primum* (à cuius doctrina recedendum minime est) satis esse, filios in prædicto casu absentes minime reclamare alio signo minime requisito. Probatur ex eodem *cap. vnico citato*, D quia in eodem sensu ibi accipitur verbum, tacite, dum dicitur, filijs præsentibus sufficere, patres pro ipsis contrahere, dummodo filij tacite, vel expresse consentiant, & dum dicitur in eodem textu, filijs absentibus, & parentibus pro ipsis contrahentibus sponsalia, requiri, filios ratificare prædictum contractum tacite, vel expresse, quia sub eodem tenore verborum procedit textus. Sed in primo loco, dum sermo est de sponsalibus pro filijs præsentibus contractis, ly, tacite, explicatur à Pontifice per hoc, quod est, non contradicere, ergo etiam in secundo loco, dum sermo est de spõsali-

sali-

salibus contractis in fauorem filiorum absentium, eodem modo intelligi debet. A

8 Quæres secundo, ad quid maneat obligatus in foro conscientiæ pater, dum matrimonium promittit Mariæ nomine sui filij absentis? Cui quæsito respondetur primo, patrem in eo casu valide promittere tam secundum ius commune, quam secundum priuatum Castellæ nouũ, & vetus, vt late probat Sanchez loco citato. Imo talem promissionem valide cõfirmari iuramento. Secundo respondetur, ibi patrem non promittere aliquid impossibile, neque factũ alienũ, sed possibile, & factũ propriũ: & ad hoc tantũ obligari, vt efficiat omnes diligẽtias sibi moraliter possibiles ad hoc, vt filius ratam habeat suam promissionẽ. Ita nos docuerunt, *D. Thom. in 4. d. 29. q. vnica art. 4. ad 3. D. Bonauent. ibidem q. 3. in fine Conar. de pactis a p. §. 5. n. 1. cum alijs* multis, probatur, quia pater in eo casu, cum promittat, se facturum quantum in se, est promittit suum factum, & rem sibi possibilem, valet ergo promissio, etiam si iuramento confirmetur. Imo iuxta graues Doctores relatos â *Conar. dicto. §. 5. num.* 3. Quamuis huiusmodi promissionibus addatur pœna in eo casu soluenda, quo contractus non sortiatur effectum, dummodo qui promisit nomine alterius, faciat, quod est in se, vt ille alter consentiat, liberatur tamẽ in cõscientia à pœnæ solutione, etiam alterius deficiente consensu, quia ipse expleuit omnia, ad quæ secundum iura se intelligitur obligasse. Et hinc patet solutio ad celebrem text. *in l. 11. tit. 11. p.* 5. Vbi insinuatur, promissorem alieni facti ad damna, & pœnas obligari, his verbis, *Si el otro no lo cũpliere, tenudo sera el de lo cumplir, o de lo pechar con los daños.* Intelligitur enim hæc lex, quando promissor non præstitit omnem, quam debebat, diligentiam.

9 Quæres tertio, si pater non promittat vnam filiam determinate, sed aliquã ex multis, quas habet, an sint sponsalia? Et respondetur, minime, quia matrimonium non valet, nisi initum cum determinata persona, ergo neque sponsalia. Vnde, etiam si Petrus promittat, se ducturum aliquam ex multis filiabus, & illæ consentiant omnes, non est desponsatus cum aliqua, imo, quamuis postea cum vna determinate habeat copulam coram parrocho, & testibus, nõ fit matrimonium. Patet, quia solum vera sponsalia transeunt in matrimonium, illa autem nõ fuerunt vera sponsalia, quæ præcesserunt ante hanc copulam. Vnde requiritur nouus consensus omnino, ita *Gloss. in cap. ex literis 2. de sponsalibus, verbo, sub iuramento, & Innoc. ibi. n. vnі. licet Sanchez cum multis autoribus oppositum doceat, disp. 26. num. 8. & 12.*

(·?·)

QVAESTIO XIII.

Quo tempore debeant impleri sponsalia, & sub qua culpa?

CIRCA primum aliqui sentiunt, statim teneri spondentem matrimonium ad illud contrahendum, patet ex l. *in omnibus obligat. ff. de regulis iuris l. cum, qui §. quoties ff. de verborum obligationibus.* Vbi dicitur, quod, cum non signatur dies in aliqua obligatione, statim debet ea impleri, ergo ille, qui non signato die promisit matrimoniũ, debet illud statim implere. Et confirmatur, quia, qui votum emisit religionis non signato termino, statim tenetur. Implere illud. 1

Sed dicendum est cum doctrina *Nauar. in summa capit. 17. num. 79. & Manuel Rodrig. t. 2. summæ capit. 43. num. 4.* Solum teneri promissorem matrimonij ad illud contrahendum, quando ab altero consorte id petatur, & commode possit. Probatur generaliter ex omni debito, vt patet *ex l. debitores præsentes C. de pignoribus.* Excipe tamen, nisi creditor ex timore reuerentiali non petat, vt fœminæ sæpe propter eum non petunt, perfici matrimonium sibi promissum, vel ex obliuione taceat. Tunc enim debitor tenetur statim soluere. Ad leges respondetur, esse intelligendas, quando creditor petit, vel non tacet ex metu, vel obliuione. Ad secundum respondetur, Deum semper petere redditionem voti, homines vero non semper petere solutionem debitorum. 2

Circa secundum quæst. pũctum certum est, sub culpa mortali esse hominem obligatum ad seruanda sponsalia, probatur ex *capit. de sponsatas 27. quæst. 2. & capit. requisiuit, de sponsalibus.* Vbi supponitur, sponsalia ad sui obseruantiam obligare, ergo cum materia sit grauis, obligat sub mortali. Tum etiam, quia, sicut alij contractus obligant in materia graui sub mortali peccato iniustitiæ; cur non eodem modo obligabit iste? Ita docent *D. Tho. in 4. d. 27. quæst. 2. artic. 1. ad secundum D. Anton. 3. part. titul. 1. cap. 18. in fine. Sotus cum D. Tho. artic. 5. vers. reliqui. Caiet. in summa verbo sponsalia. Abbas. capit. ex literis 2. de sponsalibus num. 3. Felin. ca. 1. de pactis, declaratione 6. vnde lex 1. C. de sponsalibus.* Vbi desponsata vni non prohibetur alteri nubere, quasi veritati sit contraria, est per sacros Canones correcta. 3

QVÆSTIO XIIII.

Vtrùm cogendus sit per iudicem sponsalia seruare, qui sine causa legitima id recusat.

1 IN hac, quæst. triplex est sententia. Prima eorum, qui dicunt, neminem esse cogendum ad sponsalia seruanda sub censuris. Probatur primo, *ex cap. requisiuit, de sponsalibus*, vbi dicitur, *potius hunc esse monendum, quam cogendũ*. Secũdo probatur, quia excõmunicationis metus cadit in virum constantem, ergo, qui propter illam contrahit, inuoluntarie, & inualide contrahit: quia contrahit propter metum cadentem in virum constantem.

2 Secunda sententia defendit, solum esse cogendum hominem ad seruanda sponsalia, quãdo est adhibitum iuramentũ. Probatur *ex c. ex literis de sponsalibus, vbi dicitur, cogendũ esse, quia contra iuramentum venire, periculosum est*.

3 Tertia sentẽtia multò probabilior est, prius hominem monendum esse ad seruanda sponsalia: quod si nolit seruare, esse cogendum per rẽsuras iudicum, nisi ex circunstantijs prudenter colligat iudex, ex coactis nuptijs prauos exitus dimanaturos, vt perpetuas dissensiones inter coniuges, aut eorũ propinquos, & quod maritus vxorem relinquat, &c. Et hoc modo procedendum est, siue sponsalia iuramento cõfirmentur, siue non, *Gloss. cap. 2. de sponsalibus, verbo, interpositione, Felin. num. 14. Palat. in 4. d. 27. disp. 3. fol. 609. Enriq. lib. 11. de matrimonio, cap. 13. n. 4.* Et alij, quos refert late, & sequitur *Sanchez, disp. 59. in 1. lib. sponsalium.* Probatur primo *ex cap. 2. ex literis, de sponsalibus*, vbi dicitur, *cogendum esse, nisi rationabilis causa extiterit*, Intellige iurgiorum, inimicitiarum, &c. Probatur secundo, quia iudex tenetur ex officio compellere ad reddẽdum vnicuique, quod suũ est, & ex iustitia debetur, siue sit iuratum, siue non, sed contrahens sponsalia tenetur ex iustitia, seruare fidem, vt supra vidimus, ergo potest ad id compelli tam à iudice Ecclesiastico, quam à seculari. Cum autem praui exitus timerentur prudenter ex aliquo contractu, non esset sponsus cogendus ad matrimonium contrahendum, quia ex eo destruerentur mutuum obsequium, & cohabitatio inter coniuges, qui finis est matrimonij.

4 Restat respondere argumentis in oppositũ. Ad primum primæ sent. deductum ex cap. requisiuit, dicimus, in illo non denegari coactionem, sed affirmari, prius esse sponsum monendum, quam cogendum. In quo conuenit iste textus cum textu, *in cap. ex literis, allegato*. Vnde cum coactio denegatur, tantum denegatur in eo casu, quod non adsit rationabilis causa cogendi. Ad secundum argumẽtum dicimus, metum excõmunicationis iustè impositæ minime cadere in virum constantem, quia potest, & debet ille, cui talem pœnam comminatur iudex, desistere à suo peccato, & sic excõmunicationem fugere. Iudices tamen in hac materia magna vti prudentia, necesse est, nam si excõmunicationem iam impositam nihil profuturam sperant, absoluere debent reos, cum excommunicatio medicinalis sit, non mortalis. Argumento secundæ sententiæ satis fit asserendo, *in cap. ex literis 2.* Loqui Pontif. de sponsalibus iuratis in principio, quia iste casus erat propositus, decretum tamen generale esse, ac commune omnibus sponsalibus, quamuis maiori rigore vtendum sit contra eum, qui sponsalia iuramento confirmauerat, quam contra eum, qui ea simpliciter contraxerat.

QVÆSTIO. XV.

Vtrùm possit aliqua pœna apponi frangẽti sponsalia.

1 SIT prima conclusio inter Doctores satis communis, & trita. Pœna apposita spõsalibus est prorsus nulla, nullamque inducit obligationem eius impositio, neque in foro externo, neque in interno, siue apponatur iuste resilienti, siue iniuste. Ita expresse definitur *in l. Titia 134. ff. de verborum obligationibus, & in cap. Gemma, de sponsalibus.* In illis verbis, *& ideo talis stipulatio propter pœnæ impositionem sit merito improbanda.* Quæ verba sic explicat *Gloss. verbo, stipulatio, stipulatio pœnæ sponsalibus apposita non tenet.* Rationem huius conclusionis digito demonstrauit, *cap. illud, Gemma.* Quia scilicet matrimonia debent celebrari maxime libere, & absq; vlla prorsus coactionis vi, si autem præfata pœna valida esset, ex timore eius posset aliquis coactè cõtrahere, ergo talis pœnæ impositio nullius valoris iudicanda est.

2 Oppositum huius conclusionis nouissime docuit *Conin. t. de Sacramentis, disp. 22. dubitat. 5.* Probat iste author suam sententiam primo, quia metus pœnæ æternæ, quam incurrit iniuste resiliens, & metus excommunicationis, quam iudex potest imponere, vt vidimus in præcedenti quæst. ad seruanda sponsalia, non impediunt libertatem contrahendi matrimonium, ergo, neque adiectio pœnæ voluntaria. Et confirmatur secundo, quia iura non annullant impositionem arræ etiam magnæ, quæ in quadruplum reddenda sit, ergo neque impositionẽ pœnæ. Tertio confirmatur, quia olim approbata est impositio pœnæ in sponsalibus. *In nouella 18. Leonis Imperatoris, ibi, idcirco, quod consuetudini placuit, vt in sponsalibus reprobationibus pœnæ imminerent his, qui reprobare instituerent, id in legis authoritatem collocamus.*

3 Secũda cõclusio. Non tantum pœna est nulla quando

la quando apponitur sponsis, sed etiam quando apponitur eis, qui ita consanguinitate cum sponsis coniuncti sunt, vt probabile sit, spōsos contracturos matrimonium, vt illos à pœna liberent. Ita habetur in cap. Gemma. Vbi est sermo de parentibus sponsorum, & ratio eadem est, quia per talem pœnam impeditur libertas ad matrimonium necessaria. Ita docuerunt, *Bart. in l. Titia ff. de verborum obligat. Iason ibidem nu.* 1 2. *& alij Doctores*, Quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disput.* 30. Idemque affirmandum est propter eandem rationem, cum pœna apponitur ijs, qui maxima familiaritate coniuncti sunt cum sponsis. Hoc autem intelligendum est, quando pœna imponitur in eo casu, quod matrimonium minime sequatur. Quando autem quis promittit absolute matrimonium filiorum, vel se curaturum, vt illud sequatur sub pœna, valida est pœna, quia tunc obligatur ad faciendum tantum, quod in se est, & hoc facto quamuis matrimonium non sequatur, non manet obligatus ad pœnam, neque filius timore eius potest induci ad matrimonium, quia quamuis matrimonium tunc non contrahat filius, pater tamen liberari potest à solutione pœnæ. Quod si pœna apponeretur inter extraneos, valida esset, quia non tollit libertatem matrimonij. Similiter non valet pœna, siquis promisit, se non contracturum matrimonium sub certa pœna, quia hac ratione tollitur libertas requisita. Neque valet pœna apposita viro, si dissolueret matrimonium per ingressum religionis, vel petierit matrimonij diuortium, cum causa iusta se obtulerit, quia tollit libertatem, valet tamen pœna adiecta in fauorem matrimonij, vt, quod vir non habeat concubinam, nō deserat sine causa vxorem, &c.

4 Quæres tamen primo an addictio cuiuslibet pœnæ etiam leuis sit nulla? Respondetur, esse quidem nullam, vt patet ex dictis textibus; qui absolute loquuntur, & quia aliqualis tollitur semper libertas, culpa tamen venialis est, & non amplius adijcere pœnam etiam graue, quia illa non valet, neque obligat ad matrimonium, est autem venialis, quia est actus frustratorius, ita *Armillanum. 14. verbo sponsalia, & Rebell. lib. 4. de obligationibus inst. 2. part.*

5 Et quidem, licet pœna exigi non possit ratione pacti initi, quod nullum est, exigi tamen potest ratione iniustitiæ commissæ à violante fidem, sicut ab eo, qui iniuste recedit à quocunque contractu, quod ex natura rei nascitur, & non fuit annullatum per ius positiuum.

6 Quæres secundo an ille, qui recipit pecuniam adiectam in pœnam, debeat eam restituere? *Sanchez loco citato disp.* 31. Cum multis respondet, non teneri, quia textus allegati nō ita rigorose intelligendi sunt. Respondetur tamen verius, recipientem hanc pecuniam teneri eam restituere. Probatur, quia in dictis textibus, *& in l. fili. in fine C. de sponsalibus.* Dicitur esse nullam promissionem talis pœnæ, ergo ex ea nullum ius adquiritur, quare ex vi eius nihil potest recipi, quod non restituatur. Hoc sentire videntur illi, qui sentiunt de ludentibus pecunia credita, & recipientibus lucrum teneri ad illud restituendum, vt *Sotus lib. 4. de iust quæst. 5. artic. 2. fine, in 2. editione, Gutier. de iuramento 1. part. capit. 53. num. 1. & alij. iuxta l. Castella 8. & 9. tit. 7. li. 8. recopilat.*

7 Quæres tertio, an cum promissio pœnæ iuratur, obliget ad sui impletionem, & firmetur contractus? Quidam dicunt, obligare iuramentum ad soluendam pœnam. Ita respondent, *Alexand. de Neuo cap. Gemma. de sponsalibus nu. 10. Tabiena verbo sponsalia, quæst. 8. num. 9. Armil. ibi. num. 11.* Et alij. Probatur primo quia licet pœnam promittere, esset peccatum, at eam soluere peccatum non est. Sicut promittens pecuniam fœminæ pro copia corporis peccat, at soluens non peccat. Imo, si iurauit, tenetur, ergo tenetur quis soluere pœnam sponsalium, cum firmatur iuramento. Confirmatur, quia hoc iuramentum non est contra bonos mores, vt patet *ex l. Titia in prin. quæst. allegata.* Vbi dicit tantum, non esse secundum bonos mores, vnde non sequitur, contra eos esse. Tum, quia hoc non contradicit publicæ vtilitati, quod pœna soluenda maneat potius apud vnum ciuem, quam apud alium.

8 Pro huius dubij resolutione duo notanda sunt. Primo notat, iuramentum confirmare cō tractum nihil aliud esse, quam contractū aliàs nullum validum efficere; & non confirmare, esse, relinquere illum nullum, sicut antea erat. Contractus autem tunc non firmatur iuramento, quando est contra bonum publicum principaliter, id est, quando ex eo immediate læditur bonum commune, vt patet *ex cap. si diligenti, de foro competenti.* Vbi dicitur, irritum esse pactum iuratum, in quo quis Clericus renunciat fori priuilegio, quia cedit in detrimentum totius status Clericalis, cui priuatus homo non potest renunciare, imo non firmatur contractus iuramento, quando est contra bonos mores, & in præiudiciū tertij, patet ex *cap. cum contingat, de iure iur.* Tunc autem contractus aliàs nullus firmatur iuramento, quando erat principaliter cōtra bonum priuatum alicuius, & non contra commune bonum. Cui bono potest priuatus homo renunciare vt patet *ex cap. 2. de pactis in 6. & ex authent sacramenta pub. ca. si aduersus venditionem.* Vbi contractus minorum, qui in ipsorum fauorem sunt nulli de iure, confirmatur iuramento. Et in *capit. cum contingat, de iureiurand.* alienatio fundi dotalis mulierum fauore inualida, firmatur iuramē to, quod non est contra bonū cōmune, quia ad bonum commune non magis pertinet, quod fundus

fundus maneat apud hunc, quam apud illum ciuem. Aliquando tamen contractus, qui solū cedit contra bonum priuatum, non firmatur iuramento, quando in odium creditoris est reprobatus, quia in ipso est turpitudo, vt cum quis iurat alicui, soluere vsuras, cōtractus nullam habet vim, quia vsurarius de iure naturali prohibetur, vsuras recipere, iuramentum tamen seruandum est, ne Deus frustra in testem adducatur.

9 Hoc supposito dicendum est, promissionē pœnæ additam sponsalibus, etiamsi iuramentum addatur, neque confirmari per illud, neque obligare. Ita sentiunt *Bart. dicta l. Titia in prin. num. 11. Cuman. n. 1. Conar. rubr. de testamentis, 2. p. n. 17. Sanch. dicto 1. lib. disp. 32. cum alijs.* Probatur primò, promissio pœnæ in sponsalibus, vt vidimus in prima conclusione, est contra bonum publicum ex eo, quod matrimoniū requirit omnimodam libertatem, ne iurgia, dissensiones, praua educatio filiorū, & alij praui exitus sequantur, qui sunt contra bonum publicum, sed contractus, qui est contra bonū publicum, & commune non firmatur iuramento, ergo neque talis promissio. Probatur secundò, quia talis promissio est cōtra bonos mores naturales, cum sit contra libertatem matrimonij, vt patet ex *cap. gemma*, vbi improbanda dicitur, id est, tanquam praua damnanda, *& in l. Titia*, dicitur inhonesta, & solutio etiam pœnæ, cum sit approbatio promissionis malæ, est praua, ergo hæc non firmantur iuramento.

10 Respondetur argumētis in oppositum. Primo argumento respondemus, tam promissionē prædictæ pœnæ, quàm solutionē eius peccatū in se includere. Ad illud de soluēre pecuniam pro vsu corporis alicui fœminæ respondetur, talem solutionem non esse peccatū, imò esse actum iustitiæ soluendi debitum pro vsu corporis, qui venalis est. Ad secūdum dicimus tale iuramentum esse contra bonos mores, vt patet ex nostra resolutione.

11 Quia autem duplex est pœna, altera, quæ consistit in perdendis proprijs bonis iam possessis, vel ad quæ quis habet ius, quæ proprie, & in rigore dicitur pœna, altera in deperdendo aliquo lucro, vel nō acquirendo eo, quę minus proprie dicitur pœna.

12 Ideò quæret aliquis quartò, an valide imponatur sponsalibus pœna hæc secunda? Cum de prima in præcedentibus late egerimus.

In quo puncto supponendum est, conditiones, quas reijcit ius à legatis, vt impossibiles vel de facto, vel de iure, quales sunt turpes, & retrahētes à matrimonio, tā in foro externo, quā interno reijciēdas esse, quāmuis de cōtraria voluntate testatoris constet. Ita sentiunt *Syluest. verbo hæreditas 4. in fine Armil. verbo hæreditas, num. 22. Conar. 1. variar. c. 19. n. 10. Molin. to. 1. de iust. tract. 2. disp. [illegible] col. 1258. & alij.* A qua difficultate facile nos expediemus, quia potius eam pertinere, arbitramur, ad materiā, de legatis, & ad Iurisconsultos, quam ad præsentem materiam, & ad Theologos, qui eius tamē longiorem desiderat discussionem, legat *Tho. Sanch. lib. 1. sponsalium, disp. 33. & Molin. de iust. 1. tom. tract. 2. disp. 207.*

13 His suppositis respōdemus primo huic quęsito, pœnam consistentē in aliquo lucro nō adquirendo positā ab ipsis cōtrahentibus sponsalia, nullam esse, vt promitto tibi centū, si mecum contraxeris matrimoniū. Ita definitur *in l. si ita stipulatus fuero, et fisti 97. §. si tibi nupsero, ff. de verborum obligationibus.* Consentientibus multis Doctoribus, quos refert, & sequitur *Sanchez loco citato*, huius rei rationem reddunt Doctores, quia iste modus promittendi præsumitur fieri causā libidinis, quæ causa admittenda nullo modo est. Quare cessante turpitudinis præsumptione valet promissio, vt si vir promittat fœminæ matrimoniū, sub hac conditione, si centū mihi dederis, intelligitur enim illa centum peti causa dotis: imò si vir sit ignobilior, & senior fœmina, cum qua vult contrahere matrimonium, & eam inuitet ad matrimonium promittendo pecuniam, promissio valorem sortitur, quia talem pecuniam censetur vir ille promisisse ad compensandum defectū ætatis, & ignobilitatis, & nullo modo causa libidinis, & etiam valet promissio, cum vir causa donationis propter nuptias promittit aliquid fœminæ cum hac lege tacita, vel expressa sibi nubendi, quia ea donatio intelligitur fieri in præmiū dotis, & permittitur *l. si constante, C. de donat. ante nupt.* ideò autem valida est hæc pœna lucri nō cōparandi, licet minime valeat pœna opposita perdendi de proprijs bonis, quia hæc secunda grauior est, plusq; ab hominibus timetur, & multo plus ad matrimonium celebrandum cogit, quam illa prior.

15 Respondemus secundò huic interrogationi, pœnam de lucro perdēdo, appositam ab alijs personis distinctis à contrahentibus validam esse, vt si Ioannes legatum relinquat in suo testamento Mariæ, vt Petro nubat, vnde illa non nubente Petro amittet legatum. Ita definitur *in l. 1. C. de instit. & substit.* quam conclusionem cum quibusdam additionibus, & temperamentis prosequitur *Sanchez loco citato.* Si vero conditio apponatur hæreditati, vel legato relicto puellæ virgini abstinendi omninò à nuptijs, conditio pro non adiecta habetur, & eodem modo obtinebit hæreditatem, & legatum, etiamsi nubat. Ita habetur expresse *in l. Titia, si non nupserit, ff. de cōditionibus, & demonstrat.* Cuius ratio est, quia prædicta conditio est contra bonum commune, cui interest, vt Respublica multis procreatis filijs augeatur. Omnis autem conditio, quæ prudenter considerata, aut retardat homines à matrimonio

nio celebrando, aut matrimonij libertatē impedit, nulla omnino censenda est. Si vero viduæ vel viduo conditio aliqua apponatur in hæreditate, vel legato, non nubendi, valida censeri debet. Ita iudicauit *Molin. to. de iust. tract. 2. dis. 207. fol. 1264. & seq.* Cuius cā possumus assignare rationē, quia honestum est secūdas nuptias vitare, vt *c. fin. 31. q. 1. cauetur*, similiter valet conditio nuptias prohibens ad certum tempus, & certo loco, & cum certis personis sub pœna alias non comparandi aliquam pecuniæ quantitatē, quia huiusmodi conditiones, & cōformes sunt dispositioni diuinæ legis scriptæ, & necessariæ ad nobilitatē conseruādam, & bonos mores tuendos, & nō adimunt libertatē hominibus in alijs temporibus, in diuersis locis, & cum alijs personis matrimoniū cōtrahendi, nomine vero viduæ, eam tantum intelligimus, quæ matrimoniū contraxit, & illud

15 consummauit.

Thom. Sāch. cum alijs plurimis Doctoribus ab eo relatis lib. 1. sponsalium, disp. 33. n. 32. sentit relictum legatum indefinite puellis non determinatis, neque cōsanguineis, vt matrimonio collocentur, distribui minime posse puellæ ingredienti monasterium, sed ei soli, quæ matrimonium temporale iniuit, quamuis sentiat, legatum relictum consanguineæ, vel determinatæ fœminæ concedi ei posse, etiamsi matrimoniū non ineat, sed religionem ingrediatur. Probat primò, quia cum testator relinquit legatū consanguineæ, vel determinatæ alicui fœminæ, censetur, speciali amore illam prosequi. Vnde nolle fraudare eam legato, si monasterium ingrediatur, cum vero legatum relinquit incertis fœminis, non iudicatur adfuisse specialem amorem erga illas, & ita non creditur, legatum eis distribuendum esse, cum religionem ingrediantur. Secundò probat, quia si quis legauit aliquid certæ virgini matrimonio collocandæ si tempore testamenti iam nupta erat, poterat illi legatum donari, cum autem id relinquitur incertis feminis, nullo modo fieri potest, ergo diuersa ratio est de legato relicto certæ perso-

16 næ, & personæ incertæ.

Secundò defendit *Sanchez loco citato, disp. 34. num. 11.* legatum relictum fœminæ, si non ingrediatur religionem, non posse ei distribui illa religionem ingrediente. Probat primò, quia quamuis conditio illa sit aduersa religioni, fauet tamen matrimonio, cui contenditius fauere, quia status religionis ordinatur ad bonū priuatū, & status matrimonij ad bonum cōmune. Secundò probat, quia non est verisimile, aliquem arcendum à religionis ingressu, ex eo, quod legato priuetur, cum ad id ingrediatur, vt bonis temporalibus renunciet.

17 His tamen minime obstantibus respondemus tertiò, prædictum legatum relictum non solum consanguineis, & certis puellis, sed etiā

A incertis absolutè ad hoc, vt collocentur matrimonio, posse eis omnibus distribui, etiamsi nō nubant, sed religionem profiteantur. Hanc sententiam sequuntur *Nata, consilio 296. num. quarto, Boer. decisione tertia, numero decimotertio, & in hanc sententiam explicant Baldum authent. nisi rogati numero vndecimo, & eius sententiæ fuit Bartol. super authent. de sanctissimis Episcopis, collatione nona, super §. sed & hoc præsenti, & pro ea sent. citat Ricard. Malumb.* & istā doctrinam nouissime sequuntur *Paul. Comitolus in paruo volumine suarum respons. moral. & perdoctus Pater Magister frater Basilius de Leon, tomo de impedim. dirim. fol. 206. & sequentibus, & pater Molina tomo 1. de iustitia tractatu 2. disp. 207.* optime addens posse licite aliquem mi-

B norem dotem assignare puellæ ingredienti religionem, quam transeunti ad nuptias, imò à maioratu excludere ingredientem religionem eo fine; quia in statu religionis, qui paupertatem profitetur, minores diuitiæ sunt necessariæ, quam in statu seculari. Quam conclusionem expressis verbis (quidquid contradicat *Thomas Sanchez loco citato*, dicens, tantum ibi esse sermonem de legato relicto certæ puellæ) definiuit *Iustinianus Imperat. in authent. de sanctissimis Episcopis, collation. nona, §. sed & hoc præsenti.* Cuius hæc sunt verba: *Sed & hoc præsenti addimus sanctioni, si forte quis sub conditione nuptiarum, siue liberorum, siue dotis causa, siue ante nuptialis donationis donauerit, siue reliquerit suis liberis, siue alij cuicunque personæ*

C *hæreditatem, siue legatum, aut ab initio pure relinquens eis, aut per eos substitutionem, aut restitutione, aut sub vna prædictarum conditionum reliquerit, vel donauerit, substitutiones vero, vel restitutiones eis fecerit, qui adiectis conditionibus quibuscunque ex ijs, quæ superius enumerata sunt, sancimus; si personæ talibus conditionibus subiectæ, siue masculi, siue fœminæ monasteria ingrediantur; aut Clerici, aut Diaconissæ, aut ascetriæ fiant, tales conditiones inualidas, & pro non scriptis esse.* In quibus verbis nullo modo asserendum est, sermonem esse de legato relicto certæ alicui personæ, cum generaliter constituat casum Iurisconsultus de legato relicto cuiuscunque personæ. Secundò probatur ex doctrina *Bartoli loco citato, &*

D *Glossa super citatā authenticam.* defendente, monasterium haberi loco filij: sed si fœmina certa, vel incerta filios habuisset ex matrimonio, tale legatum lucraretur, ergo etiam illud lucratur, dum monasterium ingreditur. Tum quia, vt idem notauit *Bartolus*, non videtur esse sine matrimonio, qui monasterium ingreditur. Tertiò probatur, quia vt notauit idem *Bartolus ibidem*, summa ratio est, quæ pro religione facit, iuxta *legem sunt personæ, ff. de religion.* ergo in prædicto legato fauendum est religioni, imò & pietati Christia-

næ, quæ nostram interpretationem natura sua A exigere videtur. Quarto probatur, quia quantum ad hoc nulla videtur esse differentia inter legatum relictum certæ personæ, & incertæ, sed si certa persona ingreditur religionem, lucratur prædictum legatum, ergo idem affirmandum est de persona incerta. Vltimo confirmatur, quia si opposita sententia vera esset, multæ personæ retardarentur ab ingressu religionis, vt si legatum esset alicuius pinguis maioratus. Quod est maximum inconueniens nullo modo admittendum, cum plus intersit reipublic. Christianæ status religiosi augmentũ, quam liberorum procreatio, propter quas causas facile video, Pontificem, & eius legatos à partibus rogatos prædicta legata concedere puellis, vt religionem ingrediantur: & audio B huiusmodi legata in foris contentiosis concedi solere puellis ingredientibus monasteria.

18 His respondetur argumentis allatis à Sanchez contra hanc partem. Ad primũ dicimus, nullam considerationem dignam differentiam reperiri inter legatum relictum personæ certæ, ac personis incertis, neque maiorem, aut minorem affectum in hac re considerandum esse. Ad secundum respondetur, In neutro casu posse donari legatum virgini matrimonio coniunctæ, quia animus testatoris videtur fuisse, eius statui prouidere; quod si ea nupta sit, non est necessaria talis prouidentia. Ita docuerunt *Tiraquelus l. si vnquam, verbo suscceperit, nu. 178. C. de reuoc. donat. & Mant. de coniecturis vlt. vol. lib. 12. t. 1. num. 13.* C

19 Quarto respondemus, Legatum relictum cuilibet puellæ cum ea conditione, si non ingrediatur religionem, distribuendum esse ei, etiam si ingrediatur, nam conditio illa habetur pro non adiecta. Quam resolutionem tuentur *Baldus, & Decius, quos refert, & sequitur Acosta l. cum tale §. si arbitratu ff. de condit. & demonstr. Rolandus Consil. 55. num. 20. & 25. l. 3. & Metius C. de restitut. quæst. 23. §. itaque quatuor conditiones, & Ledes. 2. part. 4. quæst. 18. art. 1. dub. 14.* Quæ conclusio probatur ex authent. citata in 3. respons. & ex alijs rationibus allatis in eius confirmationem. Deinde confirmatur hoc responsum ratione *Euerard. loco à matrimonio carnali ad spirituale*, Quia valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, sed conditio legati de non contrahendo matrimonio carnali D non valet, sed habetur pro non adiecta, ergo idem dicendum est de tali conditione opposita contra matrimonium spirituale, id est, contra ingressum religionis.

20 Ad primum argumentum Sanchez oppositum huic parti respondetur, etiam ius, vt patet ex dicta authentica, fauere ingressui religionis, tum quia talis ingressus cedit in bonum commune spirituale, tum quia, licet talis ingressus primario tendat ad bonum priuatum spirituale, hoc tamen vt ad salutem animæ necessarium, præferendum est bono communi temporali, quod reperitur in matrimonio. Ad secundum respondetur, valde verisimile esse, multos arcendos esse ab ingressu religionis, vt fruantur magnis bonis temporalibus in testamentis relictis, sicut contingit, filios natu minores, qui animum applicuerant ad religionem, vel ad ordines sacros, si contingat, fratres suos maiores natu absque filijs decedere, propositum eos mutare, & libenter matrimonium contrahere, vt maioratibus perfruantur.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm in sponsalibus possint arræ constitui, amittendæ à frangente fidem?

NOMINA arrarum intelligimus pignora illa, quæ dantur ab sposis in signum complendi matrimonij; quæ, cum donantur, necesse est, dici, dari in signum matrimonij, alias sunt spõsalitia largitas exhibita propter cõplacẽtiã sponsalium, & debent tradi, & non sufficit, eas promittere, vt patet *ex l. finali cap. de sponsalibus*. 1

In hac quæst. sit prima cõclusio. Licitũ est, arras tradere in sponsalibus; quæ amittantur per frangentem sponsalia, ita expresse traditur *in l. arris, & l. filij C. de sponsalibus l. 1. tit. 11. p. 4.* Et rationem reddunt authores, cur arræ sint licitæ in sponsalibus, quia earum amissio est quædã pœna, & nõ promissio alicuius pœnæ, quia scilicet, arra reuera traditur, at pœna non statim traditur, sed promittitur, alias non esset pœna, sed arra, quia autem frequenter arræ sunt paruæ, quia homines sunt moderati in dando, & pœnæ sunt sæpe magnæ, quia homines largiores sunt in promittendo, quam in dando, ideo leges prohibent pœnas, quia possunt compellere ad matrimonium istæ, & non prohibent arras, quia istæ cõmuniter nõ ita cõpellunt vt res parui valoris: quod si aliquando arra est magna, licita est, quia hoc est per accidens, & raro, & leges attendunt ad id, quod frequentius accidit, scilicet, esse arras paruas, ita habetur *in l. nam ad ea ff. de legibus*. 2

Secunda conclusio. Arræ secuto matrimonio reddendæ sunt ei, qui illas tradidit, non secuto vero ille, qui sua culpa violauit spõsalia, debet quas accepit restituere, & quas dederat, vel si nullas dedit, debet, quas accepit, duplicatas restituere, vel si cõuẽtum fuerit inter partes, triplum, vel quadruplum restituere, ita habetur *in l. fili C. de spõsal.* si vero sine culpa, vt in gressu religionis dissoluatur spõsalia nõ amittit arras, 3

tit arras, quas tradidit, ita in *dicta l. fili*; quanto
autem tempore debeat expectari, ad videndũ
an aliquis sit fractor sponsalium, qui non vult
contrahere matrimonium, videatur *Mantica
de coniecturis vltimæ voluntatis lib. 11. tit. 18. nu.
23. & 24.* Vbi in simili casu rem explicat.

4 Tertia conclusio, Pœna dupli legalis tradi-
ti in dicta *l. fili vel.* tripli vel quadrupli cõuen-
tionalis valida est, patet ex ratione primæ con
clusionis, quia communiter est parua respe-
ctu pœnæ, quæ promittitur, & quando est le-
galis, non est restituenda secundum omnes Do
ctores ante iudicis sententiam. Quod commu-
ne est pœnis legalibus, quæ petunt executio-
nem rei, vt late, & docte prosequitur *Vazquez
tomo de legibus in principio.* Imo & pœna conuẽ
tionalis non debetur ante iudicis sententiam,
quia hic videtur esse animus cõtrahentium, vt
late defendit *Sanchez li. de sponsalibus disp. 37.*
Multos Doctores allegans, apud quem autho-
rem hæc late videantur, & an posint in sponsa
libus intercedere fideiussores, & pignora, vbi
disputat de matrimonio spirituali ingredien-
tium religionem, & quod posint dari mune-
ra ad captandam beneuolentiam alicuius, cui
volumus persuadere statum religionis, & ad
inducendum ad illum, & licet non posit appo
ni pœna, cum quis promittit alteri homini reli
gionem, arrę tamen possunt dari, in quo eodẽ
modo prorsus philosophandum est in matri-
monio spirituali, ac in carnali, quia recte valet
argumentum in hac parte à carnali ad spiritua
le, cum eadem libertas in vno requiratur, at-
que in altero, at valet ad iectio pœnæ sponsali
bus, & promissioni religionis annexa, cum
quis promittit eam Deo, quia non est in iure
aliquo annullata.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm supposito pacto sponsalium, vt vir teneatur in certo loco habitare, si ipse nolit illud seruare, sed alio migrare, vxor debeat illum sequi.

1 QVIDAM sentiunt, hanc conditionem
habitandi in certo loco non teneri vi
rum seruare, quia est quoddã ge
nus seruitutis: & probatur ex
*l. Titio centũ 70. §. Titio centum 2. ff. de conditioni-
bus, & demonstrationibus*, in illis verbis. *Titio cen
tum relicta ita, vt à monumento meo non recedat,
vel vt in illa ciuitate domicilium habeat, potest di
ci, non esse locum cautioni, per quam ius libertatis
infringitur.* Vnde constat minime valere eam
conditionem legati, vt legatarius in certo lo-
co habitet, quia speciem habet seruitutis, ergo
neque ea conditio propter eandem rationem
in sponsalibus valebit.

A In hac quæstione sit prima conclusio. Talis 2
conditio apposita sponsalibus, vt vir teneatur
in certo loco habitare, valida est, & vir tene-
tur eã seruare, ita Iurisperiti in cap. primo qui
matrimonium accusare possunt *Ioan. And. ibi
nu. 2. Abbas antiquus, & communis sententia ibi.*
Probatur primo ex *l. 89. tit. 18. part. 3.* in illis
verbis, *Otro si prometio por si, y por sus hijos, de mo-
rar en tal heredamiento para siempre jamas.* Proba
tur secundo quia licet in *cap. Gemma de sponsali-
bus* prohibeatur pœna sponsalium, vt contra-
ria matrimonio, attamen hæc conditio nullo
modo est reprobanda, quia cedit in bonum ma
trimonij, vt vxor non cogatur vitam ducere in
ter extraneos, & inde rixæ nascantur, & coha-
bitatio non ita stricte seruetur. Quæ quidem
B conclusio intelligitur, quoties non se offert ali
qua iusta causa recedendi à loco designato, nã
ea oblata vt graui infirmitate, vel capitali ini-
micitia, vel alia huiusmodi, licitus est recessus
à tali loco, & vxor tenetur virum sequi, dein-
de infertur valere pœnam appositam tali pa-
cto, sicut, & pactum ipsum, sic *Tiraquelus cum
alijs l. 1. Connub. Gloss. 1. p. 1. num. 39.*

Vnde infertur, si non se offerente noua cau- 3
sa iusta recedendi à loco designato, vir recedat,
nõ teneri vxorem eum sequi, neque lex diui-
na in hoc obligat casu, vt bene cum alijs Docto
ribus *Sanchez dicto lib. 1. disp. 40.*

Ex his respondetur ad dictam legem Titio 4
centum, eam esse intelligendam, quando talis
C conditio manendi in aliquo loco vana est, & ne
mini vtilis, at in nostro casu est vtilis matrimo
nio, & vxori, vt vidimus.

Secunda conclusio. Cum non intercesit ali 5
quod pactum de non mutando loco, tenetur
vxor sequi virum, dum aliò transfert domici-
lium, ita expresse definitur in *capite vnaquæ-
que 13. quæst. 2.* Probatur, quia vir est caput mu
lieris, vt patet *ex Paulo ad Ephes. 5.* Ergo ipse,
non intercedente contrario pacto, potest elige
re domicilium, & vxor tenebitur iure matri-
monij eum sequi, quod intelligitur non in-
tercedente iusta causa timendi mortem animę,
vel corporis vxoris vel aliquod graue pericu-
lum, & quidem vir, vt notant *Angelus Verbo
vxor, nu. 9. Syluester quæst. 8.* & alij pro suo libi-
D to potest mutare domicilium, dummodo non
fiat ex causa turpi, & vxor tenetur eũ sequi, at
vxor nõ potest pro libito illud mutare, sed ex
causa necessaria, & graui animæ, vel corporis.

Sed quæres circa hãc cõclusionẽ, quid si vir 6
sit vagabundus? Et respõdetur, quod si vxor id
sciat, tenetur eũ sequi, si causa diuagandi nõ sit
turpis, & posit sine vllo graui periculo eũ se-
qui, quia ipsa se sciens ad talem laborem spõte
obligauit, sicut tenetur eum sequi, cũ ipse per
longum tempus studiorum, vel litium causa ad
aliũ se cõfert locũ, quãdo ipse id petit, vel illa
videt in se, vel in illo esse incontinẽtiæ pericu

lum,& idem dicendum est cum vir in exiliũ A
per aliquod notabile tempus mittitur ob suas culpas,vt bene *Sanchez cum multis Doctoribus di lib.1.disp.41.* Quod si vxor tempore contracti matrimonij ignorabat consuetudinem diuagã di viri,non tenetur eum sequi, quia hoc est gra uissimum onus ei imponere sine causa. Ita in numeri Iuris periti,& Theologi relati à Sanchez loco citato.Quod si vxor facile potest virum sequi,quia ipsa etiam est vagabunda, vel infimæ sortis,& bonæ valetudinis, & pauper, quæ aliàs victum ex suo labore quærebat, tenetur virum sequi,quamuis vagus viuat, & sine fixa sede, quia lex matrimonij fortissima est,& ex separatione multa possunt sequi incommoda,& quia tunc fœminę non est grauis talis diuagatio,si autem fœmina alterius sit ra- B
tionis,& superioris conditionis, non tenetur virum vagãtem sequi diu, etiam ex insta causa voti,quia graue onus est ei, diu vagari, vt notarunt *Enriq. cap. de illis nu. 3. de sponsalibus, & Ostiensis relati à Sanchez loco citato.*

QVÆSTIO. XVIII.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per solum ingressum religionis professione non secuta?

1 IN hac quæstiõ.prima sententia asserit,solo ingressu,etiam si quis exeat ante professionem,dissolui sponsalia, ita *Innocent. & Ostiens. cap. veniens, qui Clerici, vel vouentes, verbo votum, Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. vers. hoc tamen, Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 42. Enriq. lib. 11. de matrimonio cap. 14. num. 3. in fine.* Probatur primo,quia per solum ingressum religionis vnius sponsi notabilis fit mutatio in eo, & infamiæ videtur tribui fœminæ,si cum illo cõtrahat: ergo alter sponsus non tenetur contrahere matrimonium,si enim hoc ante præuidisset,sine dubio non consensisset.

2 Secundo probatur. Obligatio sponsaliũ mutua est, & ex vna parte ablata, ex altera etiam auferri necesse est,sed ille, qui ingreditur religionẽ,renunciat iuri suo,& sponsalibus, vt patet,ergo nullo modo valent sponsalia. Tertio probatur, quia, vt supra vidimus, eodem D
modo se habent sponsalia,& matrimonium, sicut se habet nouitiatus religionis,& professio eius,sed professio dirimit matrimonium ratũ, cap. ex publico instrumento. De conuersione cõiugatorum. Ergo, cum minus requiratur ad dirimenda sponsalia, solus nouitiatus dirimit sponsalia, & ex authoribus huius sententiæ quidam dicunt dissolui in hoc casu sponsalia ex parte vtriusque sponsi, alij ex parte tantũ manentis in seculo.

3 Sit tamen prima conclusio. Sponsalia nõ dirimuntur per solum ingressum religionis. Ita expressè sensit *D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 1.* (quod sufficiebat ad hanc partem sequendam) *Et ibidem, Palud. q. 1. art. 3. casu 5. vers. de ordine vero religionis nu. 23. Armilla, verbo, sponsalia, nu. 12. Couar. in 4. decretal. 1. part. ca. 5. iuxto. nu. 11. vers. 6.* Probatur primo, quia ingrediens religionem non censetur cedere iuri suo,donec profiteatur,quia cum ingrediatur experiendi causa,an melius se habeat in religione,quam in matrimonio,neutri statui videtur renunciare. Probatur secundo, quia sponsalia constituunt suum statum habentem iura sua, & obligationes suas,quilibet enim sponsus habet ius in corpus alterius, & quilibet tenetur sub speciali peccato abstinere à copula cũ alio viro,at nouitiatus non constituit statum, sed dispositionem ad statum religionis, quia non habet aliquod ius,neque obligationem ex parte religionis,vel nouitij,(& secundum *D. Tho. 2. 2. q. 183. ar. 1.* status requirit obligationem.) Sed facere hoc,vel illud,abstinere ab hoc, vel illo,fit solum ex quadam spontanea voluntate, ergo nouitiatus non dissoluit spõsalia,vnde neque dissoluit ea votũ ingrediendi religionem.

Secunda conclusio. Dirimuntur sponsalia per professionem religionis, patet, quia per 4
eam dirimitur matrimonium ratum nondũ copula carnali consummatum,vt patet ex *cap. publico allegato*, vt postea videbimus, quod fortius vinculum est,quam sponsalia,ergo multo melius dirimuntur sponsalia.

Ex his patet ad rationes oppositas. Ad primam enim respondetur, fieri notabilem muta- 5
tionem,bonam tamen,nullam tamen iniuriam fieri alteri parti,tũ, quia illa se exposuit huic periculo,tum,quia alter potuit quærere,quod melius esset, in quo æquale est ius vtriusque partis. Ad secundam rationem respondetur, nequaquã ingrediente religionem renunciare iuri suo,donec profiteatur. Ad tertiam rationem respondetur,concedendo,sponsalia,& matrimoniũ ex vna parte habere quãdam similitudinem eũ nouitiatu,& professione ex alia,nõ tamen ex hoc sequitur, quod,sicut professio matrimoniũ,ita nouitiatus dissoluat sponsalia: quia,vt vidimus, nouitiatus status non est, & ideo non potest dissoluere sponsalia, quæ statum constituunt. Vnde hac ratione non est mirum,si ad sui dissolutionem requirant professionem,quæ vere status est.

Tertia conclusio. Etiam si sponsalia iuramento confirmentur,potest quis tuta conscien- 6
tia religionem intrare non contracto matrimonio. Ita tenent *Gloss. in cap. commissum, de sponsalibus, verbo, tutius, & Ostiens. eodem verbo, Armil. num. 12. Couar. 4. decretal. 1. part. cap. 5. num. 11. Sot. in 4. dist. 27. q. 2. ar. 5. versu, dubiũ hic.* Et probatur hac vnica ratione, quia iuramentũ, vt constat ex cap. quemadmodũ. De iure iur. fortitur

tiane naturam, & conditiones tam tacitas, quam expressas illius actus, cui adhæret, sed quando quis promisit matrimonium, promisit cum hac tacita conditione, nisi religionem eligeret, ergo etiam, dum iurat talem promissionem, includit eandem conditionem, quare sicut non iurans sponsalia potest religionem ingredi, ita & iurans.

17 Quod si obijcias contra hoc, *caput commissum, de sponsalibus*, vbi consultus Pontifex de hac nostra quæstione respondit, *tutius est ex religione iuramenti seruata prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare*. Vbi indicatur, non posse aliquem post iurata sponsalia religiosum fieri ante contractum matrimonij. Quod si secundo obijcias, quia iurans soluere vsuras, vt patet *in cap. debitores de iureiurand.* debet eas soluere, & qui tenetur ære alieno, & soluere iurauit, si potest, debet prius soluere, quam ingrediatur religionem, ad caput commissum respondetur cum *Conarru. & alijs Doctoribus*, illum qui iurauit sponsalia, nondum habuisse firmum propositum amplectendi religionem, vt patet ex illis verbis, *& postea si elegerit*. Sed fuisse indifferentem ad sponsalia, vel religionem sequendam, & cum instaret tempus implendi iuramentum, ideò dixisse Pontif. tutius esse, statim contrahere, ne labente termino assignato sponsalibus, periurium committeretur. Ad secundum respondetur in illis casibus nullam in esse tacitam conditionē, quæ possit excusare impletionem iuramenti, sicut inest in nostro casu.

8 Quarta conclusio. Peccat mortaliter, qui post sponsalia iurata emittens votum religionis contrahit matrimonium, etiamsi sit animo ingrediendi religionem ante consummationē eius. Ita *Nauar. in summa cap. 16. num. 30. Soto in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1. vers. contra primam conclusionem, & Sanchez dicto 1. lib. disp. 43.* Probatur primò, quia sic contrahens exponit se magno periculo violandi votum. Secundò probatur, quia sic nubens decipit in re graui fœminam, quæ bona fide contraxit, & alias nō contraheret. Tùm etiam, quia non ita facile hæc fœmina nubet alij, quia existimabitur, eā desertam esse à viro ob aliquod vitium, aliquādo tamen habenti votum castitatis, vel religionis licebit contrahere matrimonium. Primò quando ex non cōtrahendo matrimonio esset metus notabilis amittendi famam, honorem, vel vitam, quamuis non cadens in virum constantem. Secundò, si non posset alio modo religionem intrare, quia inclusus teneretur in carcere. Tertiò, ad vitandum magnum scandalum populi, quādo timeretur notabilis infamia fœminæ ex eo, quod vir eam non duceret. Aut quartò, quando magnæ rixæ, seu dissensiones inter consanguineos, & amicos vtriusque spōsi timerentur.

Neque valet, si quis dicat, quod nulla infertur in eo casu iniuria alteri coniugi propriè contra iustitiam, quia vir ingredens religionem vtitur iure suo, quod habet, vt possit ad meliorem frugem confugere ante consummationem matrimonij, & contractus ex vtraque parte est æqualis, quia idem licet etiam fœminæ, ergo rectè potest vir post votum emissum matrimonium contrahere, si tamen firmus adsit animus ingrediendi prius religionem, quā consummetur matrimonium. Ad hoc enim respondetur, non esse tale factum contra iustitiam, sed tamen contra charitatem esse cum eo dolo contrahere, quia licet vterque habeat ius ingrediendi religionem, decipitur tamen fœmina, quæ bona fide, & simpliciter contrahit viro contrahente cum conditione ingrediendi religionem. 9

Quæret vero aliquis primo, an post sponsalia contracta, & iuramēto confirmata ille, qui non emisit votum, possit matrimonium inire animo ingrediendi religionem, antequam matrimonium consummet? Quidam dicunt tale matrimonium licite posse contrahi, nos tamen respondemus, id minime licere, quia in eo reperitur quædam deceptio, & iniuria explicata à nobis in conclusione quarta præcedenti. 10

Quæret aliquis secundo, an ille qui sponsalia contraxit cum virgine, & eam sub spe matrimonij deflorauit, possit ingredi religionem tuta conscientia, siue ante matrimonium ratum celebratum, siue postea? Quidam respondent affirmatiue, breuiter tamen respondemus, id nullatenus esse licitum, etiamsi vir velit iniuriam pecunia compensare. Probatur, quia inuito creditore nō potest reddi vnum pro alio, sed vir in isto casu debet pro defloratione talē fœminam ex iustitia ducere, ergo non satisfacit pecuniam reddendo. Secundo respondetur, idem dicendum esse, etiamsi virgo non sit cognita, & etiamsi fœmina virgo non esset, sed vidua honestæ famæ, dummodo notabilis infamia ei sequeretur ex eo, quod vir religionem ingrediatur, quia tunc tenetur vir eam ducere ad vitandam infamiam. 11

Quæret aliquis tertio, an qui prius emisit votum castitatis, aut religionis, & postea fœminam deflorauit fide data contrahendi cum ea matrimonium, teneatur eam ducere, vel implere votum? Quidam existimant, huiusmodi hominem teneri ad matrimonium contrahendum, quam sententiam amplexus est *Sanchez lib. 1. de Matrimonio, disp. 45.* Probatur primò hæc sententia, quia votum non obligat, si res post votum emissum notabiliter mutentur, vt si quis post emissum votum religionis valetudinem prorsus amittat, sed in præsenti casu post votum contigit notabilis mutatio vouendi, cum superuenerit ei fortissimum iustitiæ vinculum, ergo non tenetur votum implere, 12

 sed

sed potius sponsalia. Secundò probatur, quia A vinculum iustitiæ fortius est, quam vinculum charitatis humanæ, sed per vinculum charitatis subsequens votum, vt propter indigētiam parentum tenetur quis differre voti religionis executionem secundum receptam omnium sententiam, ergo multo potiori ratione differendus est ingressus religionis propter vinculum iustitiæ in nostro casu superueniens. Hāc sententiam negare non possum, probabilem esse, verumtamen amplectenda est sententia *Nauar. lib. 4. consiliorum in 1. edit. tit. de sponsalibus, consilio 21.* & aliorum asserentium, huiusmodi hominem non posse licite matrimoniū contrahere, sed debere ad religionem confugere, aut castitatem seruare. Probatur primò, quia posterior obligatio non potest derogare B priori, quando sunt eiusdem generis, vt si ego promitto Petro prius meum pallium, & postea illud promittam Francisco, etiamsi Franciscus aliquid mihi pecuniæ dederit pro tali spe. pallium nihilominus debetur Petro, & non Francisco, sed vouens promisit Deo corpus suum, ergo licet postea illud promittat fœminæ, & sub ea spe corpus eius in copulam acceperit, priorem promissionem prævalere necessum est. Secundò probatur, quia iste non tenetur ducere vxorē ratione promissionis, quia hæc nulla est, cum sit illicita, & contra votum: neque etiam ratione damni illati, quia hoc damnum potest resarcire media pecunia, quæ sua est, & non medio corpore, quod suum quodāmodo non est, sed Deo debitum per votum. C Ex his primo argumento in contrarium respondemus, contigisse quidem notabilem mutationem eo casu, eam vero tantam non esse, vt sufficiat ad impediendam adimpletionem voti. Ad secundum respondetur, vinculum alēdi parentes esse antecedēs omne votum, quia nascitur ex natura filij. Vnde votum semper fit cum ea conditione, nisi parentes mea industria indiguerint, at vinculum illud resarciendi iniuriam fœminæ violatæ superuenit voto, & cum non possit obligare ad reddendum corpus alio titulo debitum, solum obligat ad pecuniam reddendam.

QVÆSTIO XIX. D

Vtrùm sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis superueniens, & per votum ordinis sacri?

1 HIc loquimur de voto castitatis superueniente, non de antecedente, quia antecedens, certum est apud omnes, dirimere sponsalia, cum in isto casu sponsalia sint promissio rei illicitæ, quæ inualida est.

Secundò certum est, non dirimere sponsalia solum propositum seruādi cęlibatum, quia tale propositum non constituit statum, quia non habet stabilitatem, vel obligationem de se, dirimet tamen, vt patebit ex dicendis, votū cęlibatus, quia statum constituit. 2

Tertiò certum est, dum vnus sponsus castitatem vouet alterum consortem liberum remanere ab obligatione seruandi sponsalia, quia vouens censetur cedere iuri suo, quod habet in corpus alterius, vnde alter liber manet. 3

In hac quæst. quidam sentiunt, non dirimi spōsalia per votum simplex castitatis, vel suscipiendi ordines sacros. Ita sentiunt *Toletus in summa cap. 21. lib. 7. Nauar. in summa cap. 22. num. 25. Armilla verbo sponsalia, Thomas Sanchez 1. lib. de Matrimonio disp. 46. & 47.* Probant primò suam sententiam, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri debitæ, & promissæ, sed qui prius contraxerat sponsalia, promisit corpus suum fœminæ, ergo Deus non acceptat eius corporis promissionem sibi factā per votum. Secundò probatur, quia prior obligatio resultans ex sponsalibus debet præualere posteriori resultante ex voto. 4

Sit prima conclusio. Bene potest emitti votum castitatis post sponsalia, & hoc dissoluet illa, hanc sententiam defendunt *super cap. venientes, qui clerici, vel vouentes, Calderin. & Prapofit. num. 2. Cardin. in cap. rursus, eodem titulo num. 2. quæst. 1. D. Thom. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ad primum, Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. vers. vtrum, & alij Thomistæ,* & ex parte sequitur *Azor tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 22.* Probatur primo *ex capit. venientes, qui clerici, vel vouentes,* vbi quædam fœmina, quæ prius sponsalia contraxerat cum viro timens eius asperitatem morum, castitatem vouit, vt à sponsalibus eximeretur, & rogatus Pontif. an non obstante voto posset nubere, sic respondit. *Ob fornicationis periculum mandamus quatenus, si plus non processit, sibi de fide mentita, & voto violato, id est, iuxta Glossam de animo violandi votum congruam satisfactionem indicat, & ei cui vult, nubendi in domino licentiā tribuere, non postponas.* Vbi cum pœnitentia imponatur de voto violato, sequitur, votum fuisse validum contra sponsalia, & esse seruandum, & quando in eo textu dicitur, imponi satisfactionem de fide mentita fortassis ibi fides mentita idem est, ac votum violatum. Secundò probatur, quia sponsalibus semper inest tacita quædam conditio ad meliorem statum transeūdi, ergo potest quis emittere votum castitatis, quod constituit statum meliorem, & hoc cum sit incompatibile cum sponsalibus, & fortius illis, quia est promissio facta Deo, dissoluet spōsalia. 5

Secunda conclusio. Etiam votū suscipiēdi ordines sacros dissoluit spōsalia, Ita expresse *Corda-* 6

Cordubæ in summa, quæst. 136. *puncto* 4. *opinione* 5. *Enriquez lib.* 11. *de Matrimonio, capit.* 14. *num.* 4. Et probatur eisdem rationibus, quibus probauimus primam conclusionem.

Ad primum argumentum oppositum respõdetur, promissionem matrimonij semper fieri cum ea conditione tacita, nisi melior status eligatur, vnde ea non obstante acceptat Deus votum. Ad secundum respondetur, votũ quod posterius est sponsalibus, bene posse illis præualere, quia ea fiunt cum illa conditione, nisi meliorem statum elegero.

QVAESTIO XX.

Vtrum sponsalia dissoluantur per matrimonium cum alia contractum, & per alia sponsalia?

1 CIRCA primum punctum quæstionis, certum est apud omnes, matrimonium de præsenti cum vna dissoluere sponsalia contracta cum alia. Ita definitur expresse *in cap. si inter de sponsalibus, & alibi.* Probatur, quia matrimonium de præsenti est traditio corporis, & sponsalia sunt solum promissio, sed traditio fortius est vinculum, quam promissio, ergo & matrimonium fortius est sponsalibus. Controuersia tamen in hac parte est, an dissoluto matrimonio debeat quis implere priora sponsalia, si alter sponsus non renuntiauit iuri suo, & respondent aliqui *vt Palud. in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *ar.* 1. *conclus.* 4. *n.* 8. *& Præposit. c. sicut de sponsalibus, num.* 8. *& alij.* Omninò dissolui sponsalia, & nullam in posterum remanere obligationem. A nobis tamen dicendum est cum multis recentioribus, *& Adriano in* 4. *quæst.* 2. *de Matrimonio ad secundum in paruis voluminibus, fol.* 394. *Petro de Ledesma de Matrimonio quæst.* 43. *art.* 3. *dub.* 2. *fol.* 118. Istum teneri postea ad priorem sponsam ducendam. Probatur, quia promissio simplex religionis non extinguitur per matrimonium de præsenti, sed suspenditur, & soluto matrimonio debet impleri: ergo idem est dicendum de sponsalibus, & vt bene aduertit *Petrus de Ledesma,* si vir esset ita senex, vt non esset aptus matrimonio, & copulæ, aut ita pauper, vt ducens vxorem pauperem, scilicet, non posset priores filios alere, non deberet priora sponsalia implere, quia res esset notabiliter mutata post contracta sponsalia.

2 Circa secundum punctum dico primo. Si quis contraxit prius sponsalia cum vna, & postea cum alia, & cum secunda habuit copulam sub spe matrimonij, cum prima debet contrahere. Ita colligitur *ex cap. sicut de sponsalibus,* vbi Pontif. indistinctè præfert priora sponsalia posterioribus, ergo hoc intelligendum est, siue posteriora sint coniuncta cum copula, siue non. Probatur, quia prior fides debet præualere posteriori, quia secunda non valuit in præiudicium prioris, neque admittendæ sunt exceptiones *Sanchez, disp.* 49. *neque in cap.* 1. *de sponsalibus duorum.* In quo nituntur oppositũ asserentes, definitur aliquid contra nos, vt legenti patebit. Ita *Sotus in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *dubio* 3. oppositum docet *Coninc com. de Sacramentis, disp.* 23. *dub.* 4. Ductus primo, quia qui post votum simplex aliquam deflorauit, tenetur eam ducere, si deflorauit sub spe, & promissione matrimonij, ergo & qui post spõsalia. Secundò probatur, quia æquitas naturalis non patitur, vt cum tanto alieno damno impleam priorem contractum. Tertiò, quia licet secunda sponsa per ea sponsalia nullum adquisierit ius, adquisiuit tamen ratione damni iniuriosi, quod aliter, quã matrimonio nequit reparari, quod ius est fortius alio sponsaliũ. Sed ad primũ respondetur negando totũ. Ad secundũ respondetur, secundum æquitatem naturalem priorem contractum præualere secundo, vnde prima sponsa innocens non debet iure suo priuari propter damnũ secundæ. Ad tertium respondeo, iniuriam illatam secundæ sponsæ non posse præiudicare priori sponsæ, neque tollere ius prius ab ea adquisitum, quinimo conueniens est, eum sponsum cum prima spõsa contrahere matrimonium, & resarcire, secũdæ media pecunia damnum illatum, vt sic vtrique rectè satisfiat. Alias secundum oppositam sententiam, prima sponsa, quæ innocens est, inuita priuaretur iure suo sine vlla prorsus satisfactione ei data.

Ad secundum punctum dico etiam cum cõmuni sententia doctorum, posteriora sponsalia etiam iuramento confirmata minorem valorem sortiri, imò & nullum respectu priorum sponsalium propter rationes adductas in primo dicto, iuramentum enim sequitur naturam actus, cui adhæret; vnde quia posteriora illa sponsalia nullum valorem habuerunt, etiam iuramentum eis adiunctum nullas vires habet. In quibus casibus loquimur de spõso, qui culpabiliter contraxit secunda sponsalia, nam prior sponsa, quæ innocens omninò manet libera prorsus est à prioribus sponsalibus ita, vt optime possit ad aliud matrimonium transire, quia contrahens secunda sponsalia, eo ipso renuntiauit prioribus, imò etiamsi priora sponsalia tractu temporis inualida fiant, posteriora non obligant. Patet, quia quod à principio validum non est, tractu temporis minime conualescit, *regula non firmatur. de regulis iuris in sexto,* sed astrictus prioribus sponsalibus nullo modo potest dare fidem alteri sponsæ, quæ habeat vim sponsalium, aut simplicis promissionis, ergo secunda sponsalia nunquã obligabũt.

Ad.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrùm cogendus sit per iudicem sponsalia seruare, qui sine causa legitima id recusat.

1 IN hac, quæst. triplex est sentẽtia. Prima eorum, qui dicunt, neminem esse cogendum ad sponsalia seruanda sub censuris. Probatur primo, ex *cap. requisiuit, de sponsalibus*, vbi dicitur, *potius hunc esse monendum, quam cogendũ.* Secũdo probatur, quia excõmunicationis metus cadit in virum constantem, ergo, qui propter illam contrahit, inuoluntarie, & innalide contrahit: quia contrahit propter metum cadentem in virum constantem.

2 Secunda sententia defendit, solum esse cogendum hominem ad seruanda sponsalia, quãdo est adhibitum iuramentũ. Probatur *ex c. ex literis de sponsalibus, vbi dicitur, cogendũ esse, quia contra iuramentum venire, periculosum est.*

3 Tertia sentẽtia multò probabilior est, prius hominem monendum esse ad seruanda sponsalia: quod si nolit seruare, esse cogendum per cẽsuras iudicum, nisi ex circunstantijs prudenter colligat iudex, ex coactia nuprijs prauos exitus dimanaturos, vt perpetuas dissensiones inter coniuges, aut eorũ propinquos, & quod maritus vxorem relinquat, &c. Et hoc modo procedendum est, siue sponsalia iuramento cõfirmentur, siue non, *Gloss. cap. 2. de sponsalibus, verbo, interpositione, Felin. num. 14. Palat. in 4. d. 27. disp. 3. fol. 609. Enriq. lib. 11. de matrimonio, cap. 13. n. 4.* Et alij, quos refert late, & sequitur *Sanchez, disp. 29. in 1. lib. sponsalium.* Probatur primo ex *cap. 2. ex literis, de sponsalibus*, vbi dicitur, *cogendum esse, nisi rationabilis causa extiterit*, Intellige iurgiorum, inimicitiarum, &c. Probatur secundo, quia iudex tenetur ex officio compellere ad reddẽdum vnicuique, quod suũ est, & ex iustitia debetur, siue sit iuratum, siue non, sed contrahens sponsalia tenetur ex iustitia, seruare fidem, vt supra vidimus, ergo potest ad id compelli tam à iudice Ecclesiastico, quam à seculari. Cum autem praui exitus timerentur prudenter ex aliquo contractu, non esset sponsus cogendus ad matrimonium contrahendum, quia ex eo destruerentur mutuum obsequium, & cohabitatio inter coniuges, qui finis est matrimonij.

4 Restat respondere argumentis in oppositũ. Ad primum primæ sent. deductum ex cap. requisiuit, dicimus, in illo non denegari coactionem, sed afirmari, prius esse sponsum monendum, quam cogendum. In quo conuenit iste textus cum textu, *in cap. ex literis, allegato.* Vnde cum coactio denegatur, tantum denegatur in eo casu, quod non adsit rationabilis causa cogendi. Ad secundum argumẽtum dicimus, metum excõmunicationis iustè impositæ minime cadere in virum constantem, quia potest, & debet ille, cui talem pœnam comminatur iudex, desistere à suo peccato, & sic excõmunicationem fugere. Iudices tamen in hac materia magna vti prudentia, necesse est, nam si excõmunicationem iam impositam nihil profuturam sperant, absoluere debent reos, cum excommunicatio medicinalis sit, non mortalis. Argumento secundæ sententiæ satis fit asserendo, *in cap. ex literis 2.* Loqui Pontif. de sponsalibus iuratis in principio, quia iste casus erat propositus, decretum tamen generale esse, ac commune omnibus sponsalibus, quamuis maiori rigore vtendum sit contra eum, qui sponsalia iuramento confirmauerat, quam contra eum, qui ea simpliciter contraxerat.

QVÆSTIO. XV.

Vtrùm possit aliqua pœna apponi frangẽti sponsalia.

SIT prima conclusio inter Doctores satis communis, & trita. Pœna apposita spõsalibus est prorsus nulla, nullamque inducit obligationem eius impositio, neque in foro externo, neque in interno, siue apponatur iuste resilienti, siue iniuste. Ita expresse definitur *in l. Titia 134. ff. de verborum obligationibus, & in cap. Gemma, de sponsalibus.* In illis verbis, *& ideo talis stipulatio propter pœnæ impositionem sit merito improbanda.* Quæ verba sic explicat *Gloss. verbo, stipulatio, stipulatio pœnæ sponsalibus apposita non tenet.* Rationem huius conclusionis digito demonstrauit, *cap. illud, Gemma.* Quia scilicet matrimonia debent celebrari maxime libere, & absq; vlla prorsus coactionis vi, si autem præfata pœna valida esset, ex timore eius posset aliquis coactè cõtrahere, ergo talia pœnæ impositio nullius valoris iudicanda est.

Oppositum huius conclusionis nouissime docuit *Conin. t. de Sacramentis, disp. 22. dubitat. 5.* Probat iste author suam sententiam primo, quia metus pœnæ æternæ, quam incurrit inin-ste resiliens, & metus excommunicationis, quam iudex potest imponere, vt vidimus in præcedenti quæst. ad seruanda sponsalia, non impediunt libertatem contrahendi matrimonium, ergo, neque adiectio pœnæ voluntaria. Et confirmatur secundo, quia iura non annullant impositionem arræ etiam magnæ, quæ in quadruplum reddenda sit, ergo neque impositionẽ pœnæ. Tertio confirmatur, quia olim approbata est impositio pœnæ in sponsalibus. *In nouella 18. Leonis Imperatoris, ibi, id circo, quod consuetudini placuit, vt in sponsalibus reprobationibus pœna imminerent his, qui reprobare instituerent, id in legis authoritatem tollocamus.*

2 Secũda cõclusio. Non tantum pœna est nulla quando

la quando apponitur sponsis, sed etiam quan-
do apponitur eis, qui ita consanguinitate cum
sponsis coniuncti sunt, vt probabile sit, spōsos
contracturos matrimonium, vt illos à pœna li-
berent. Ita habetur in cap. Gemma. Vbi est ser
mo de parentibus sponsorum, & ratio eadem
est, quia per talem pœnam impeditur libertas
ad matrimonium necessaria. Ita docuerunt,
*Bart. in l. Titia ff. de verborum obligat. Iason ibi-
dem nu. 12. & alij Doctores*, Quos refert, & se-
quitur *Sanchez lib. 1. de sponsalibus dispu.* 30.
Idemque affirmandum est propter eandem ra-
tionem, cum pœna apponitur ijs, qui maxima
familiaritate coniuncti sunt cum sponsis. Hoc
autem intelligendum est, quando pœna impo
nitur in eo casu, quod matrimonium minime
B sequatur. Quando autem quis promittit abso-
lute matrimonium filiorum, vel se curaturum,
vt illud sequatur sub pœna, valida est pœna,
quia tunc obligatur ad faciendum tantum,
quod in se est, & hoc facto quamuis matrimo-
nium non sequatur, non manet obligatus ad
pœnam, neque filius timore eius potest indu-
ci ad matrimonium, quia quamuis matrimo-
nium tunc non contrahat filius, pater ta-
men liberari potest à solutione pœnæ. Quod
si pœna apponeretur inter extraneos, vali-
da esset, quia non tollit libertatem matrimo-
nij. Similiter non valet pœna, si quis promisit,
se non contracturum matrimonium sub certa
pœna, quia hac ratione tollitur libertas requisi
ta, Neque valet pœna apposita viro, si dissolue-
C rit matrimonium per ingressum religionis, vel
petierit matrimonij diuortium, cum causa in-
sta se obtulerit, quia tollit libertatem, valet ta-
men pœna adiecta in fauorem matrimonij, vt,
quod vir non habeat concubinam, nō deserat
sine causa vxorem, &c.

4 Quæres tamen primo an additio cuiuslibet
pœnæ etiam leuis sit nulla? Respondetur, esse
quidem nullam, vt patet ex dictis textibus;
qui absolute loquuntur, & quia aliqualis tolli
tur semper libertas, culpa tamen venialis est;
& non amplius adijcere pœnam etiam graue,
quia illa non valet, neque obligat ad matrimo
nium, est autem venialis, quia est actus frustra-
torius. ita *Armilla num. 14. verbo sponsalia, &
Rebell. lib. 4. de obligationibus iust. 2. part.*

5 Et quidem, licet pœna exigi non possit ra-
D tione pacti initi, quod nullum est, exigi tamen
potest ratione iniustitiæ commissæ à violante
fidem, sicut ab eo, qui iniuste recedit à quocun
que contractu, quod ex natura rei nascitur; &
non fuit annullatum per ius positiuum.

6 Quæres secundo an ille, qui recipit pecu-
niam adiectam in pœnam, debeat eam resti-
tuere? *Sanchez loco citato disp. 31.* Cum multis
respondet, non teneri, quia textus allegati nō
ita rigorose intelligendi sunt. Respondetur ta
men verius, recipientem hanc pecuniam tene-

A neri eam restituere. Probatur, quia in dictis
textibus, *& in l. fili. in fine C. de sponsalibus.* Di-
citur esse nullam promissionem talis pœnæ, er
go ex ea nullum ius adquiritur, quare ex vi
eius nihil potest recipi, quod non restitua-
tur. Hoc sentire videntur illi, qui sentiunt de
ludentibus pecunia credita, & recipientibus
lucrum teneri ad illud restituendum, vt *Sotus
lib. 4. de iust quæst. 5. artic. 2. fine, in 2. editione, Gu
tier. de iuramento 1. part. capit. 53. num. 1. & alij.
iuxta l. Castellæ 8. & 9. tit. 7. li. 8. recopilat.*

Quæres tertio, an cum promissio pœnæ iura 7
tur, obliget ad sui impletionem, & firmetur
contractus? Quidam dicunt, obligare iuramen
tum ad soluendam pœnam. Ita respondent,
*Alexand. de Neuo cap. Gemma. de sponsalibus nu.
B 10. Tabiena verbo sponsalia, quæst. 8. num. 9. Ar-
mil. ibi num. 11.* Et alij. Probatur primo quia li-
cet pœnam promittere, esset peccatum, at
eam soluere peccatum non est. Sicut promit-
tens pecuniam fœminæ pro copia corporis
peccat, at soluens non peccat. Imo, si iurauit,
tenetur, ergo tenetur quis soluere pœnam
sponsalium, cum firmatur iuramento. Confir
matur, quia hoc iuramentum non est contra
bonos mores, vt patet *ex l. Titia in prin. quæst.
allegata.* Vbi dicit tantum, non esse secundum
bonos mores, vnde non sequitur; contra eos
esse. Tum, quia hoc non contradicit publicæ
vtilitati, quod pœna soluenda maneat potius
apud vnum ciuem, quam apud alium.

Pro huius dubij resolutione duo notanda 8
C sunt. Primo notat. iuramentum confirmare cō
tractum nihil aliud esse, quam contractū aliàs
nullum validum efficere; & non confirmare,
esse, relinquere illum nullum, sicut antea
erat. Contractus autem tunc non firmatur iura
mento, quando est contra bonum publicum
principaliter, id est, quando ex eo immediate
læditur bonum commune, vt patet ex *cap. si di-
ligenti, de foro competenti.* Vbi dicitur, irritum
esse pactum iuratum, in quo quis Clericus re-
nunciat fori priuilegio, quia cedit in detrimen
tum totius status Clericalis, cui priuatus homo
non potest renunciare, imo non firmatur con-
tractus iuramento, quando est contra bonos
mores, & in præiudiciū tertij. patet ex *cap. cum
contingat, de iure iur.* Tunc autem contractus
D aliàs nullus firmatur iuramento, quando erat
principaliter cōtra bonum priuatum alicuius,
& non contra commune bonum. Cui bono po
test priuatus homo renunciare vt patet ex *cap.
2. de pactis in 6. & ex authent sacramenta pub. ca.
si aduersus venditionem.* Vbi contractus mino-
rum, qui in ipsorum fauorem sunt nulli de
iure, confirmātur iuramento. Et in *capit. cum
contingat, de iureiurand.* alienatio fundi dota-
lis mulierum fauore inualida, firmatur iuramē
to, quod non est contra bonū cōmune, quia ad
bonum commune non magis pertinet, quod

fundus maneat apud hunc, quam apud illum ciuem. Aliquando tamen contractus, qui solũ cedit contra bonum priuatũ, non firmatur iuramento, quando in odium creditoris est reprobatus, quia in ipso est turpitudo, vt cum quis iurat alicui, soluere vsuras, cõtractus nullam habet vim, quia vsurarius de iure naturali prohibetur, vsuras recipere, iuramentum tamen seruandum est, ne Deus frustra in testem adducatur.

9 Hoc supposito dicendum est, promissionẽ pœnæ additam sponsalibus, etiamsi iuramentum addatur, neque confirmari per illud, neque obligare. Ita sentiunt *Bart. dicta l. Titia in prin. num. 11. Cuman. n. 1. Conar. rubr. de testamentis, 2. p. n. 17. Sanch. dicto 1. lib. disp. 32. cum alijs.* Probatur primò, promissio pœnæ in sponsalibus, vt vidimus in prima conclusione, est contra bonum publicum ex eo, quod matrimoniũ requirit omnimodam libertatem, ne iurgia, dissensiones, praua educatio filiorũ, & alij praui exitus sequantur, qui sunt contra bonum publicum, sed contractus, qui est contra bonũ publicum, & commune non firmatur iuramento, ergo neque talis promissio. Probatur secundò, quia talis promissio est cõtra bonos mores naturales, cum sit contra libertatem matrimonij, vt patet ex *cap. gemma*, vbi improbanda dicitur, id est, tanquam praua damnanda, *& in l. Titia*, dicitur inhonesta, & solutio etiam pœnæ, cum sit approbatio promissionis malæ, est praua, ergo hæc non firmantur iuramento.

10 Respondetur argumentis in oppositum. Primo argumento respondemus, tam promissionẽ prædictæ pœnæ, quàm solutionẽ eius peccatũ in se includere. Ad illud de soluẽte pecuniam pro vsu corporis alicui fœminæ respondetur, talem solutionem non esse peccatũ, imò esse actum iustitiæ soluendi debitum pro vsu corporis, qui venalis est. Ad secũdum dicimus tale iuramentum esse contra bonos mores, vt patet ex nostra resolutione.

11 Quia autem duplex est pœna, altera, quæ consistit in de perdendis proprijs bonis iam possessis, vel ad quæ quis habet ius, quæ proprie, & in rigore dicitur pœna, altera in deperdendo aliquo lucro, vel nõ acquirendo eo, quę minus propriè dicitur pœna.

12 Ideò quæret aliquis quartò, an valide imponatur sponsalibus pęna hæc secunda? Cum de prima in præcedentibus late egerimus.

In quo puncto supponendum est, conditiones, quas reijcit ius allegatis, vt impossibiles vel de facto, vel de iure, quales sunt turpes, & retrahẽtes à matrimonio, tã in foro externo, quã interno reijciẽdas esse, quamuis de cõtraria voluntate testatoris constet. Ita sentiunt *Sylvest. verbo hæreditas 4. in fine Armil. verbo hæreditas, num. 22. Conar. 1. Variar. c. 19. n. 10. Molin. to. 1. de iust. tract. 2. disp. 207. fol. 128. & alij.* A qua

A difficultate facile nos expediemus, quia potius eam pertinere, arbitramur, ad materiã, de legatis, & ad Iurisconsultos, quam ad præsentem materiam, & ad Theologos, qui eius tamẽ longiorem desiderat discussionem, legat *Tho. Sanch. lib. 1. sponsalium, disp. 33. & Molin. de iust. 1. tom. tract. 2. disp. 207.*

13 His suppositis respõdemus primo huic quæsito, pœnam consistentẽ in aliquo lucro nõ adquirendo positã ab ipsis cõtrahentibus sponsalia, nullam esse, vt promitto tibi centũ, si mecum contraxeris matrimoniũ. Ita definitur *in l. si ita stipulatus fuero, te sistis 97. §. si tibi nupsero, ff. de verborum obligationibus.* Consentientibus multis Doctoribus, quos refert, & sequitur *Sanchez loco citato*, huius rei rationem reddunt B Doctores, quia iste modus promittendi præsumitur fieri causa libidinis, quæ causa admittenda nullo modo est. Quare cessante turpitudinis præsumptione valet promissio, vt si vir promittat fœminæ matrimoniũ, sub hac conditione, si centũ mihi dederis, intelligitur enim illa centum peti causa dotis: imò si vir sit ignobilior, & senior fœmina, cum qua vult contrahere matrimonium, & eam inuitet ad matrimonium promittendo pecuniam, promissio valorem sortitur, quia talem pecuniam censetur vir ille promisisse ad compensandum defectũ ætatis, & ignobilitatis, & nullo modo causa libidinis, & etiam valet promissio, cum vir causa donationis propter nuptias promittit aliquid fœminæ cum hac lege tacita, vel expressa C sibi nubendi, quia ea donatio intelligitur fieri in præmiũ dotis, & permittitur *l. si constante, C. de donat. ante nupt.* ideò autem valida est hæc pœna lucri nõ cõparandi, licet minime valeat pœna opposita perdendi de proprijs bonis, quia hæc secunda grauior est, plusq; ab hominibus timetur, & multo plus ad matrimonium celebrandum cogit, quam illa prior.

15 Respondemus secundò huic interrogationi, pœnam de lucro perdẽdo, appositam ab alijs personis distinctis à contrahentibus validam esse, vt si Ioannes legatum relinquat in suo testamento Mariæ, vt Petro nubat, vnde illa non nubente Petro amittet legatum. Ita definitur *in l. 1. C. de instit. & substit.* quam conclusionem cum quibusdam additionibus, & D temperamentis prosequitur *Sanchez loco citato.* Si vero conditio apponatur hæreditati, vel legato relicto puellæ virgini abstinendi omninò à nuptijs, conditio pro non adiecta habetur, & eodem modo obtinebit hæreditatem, & legatum, etiamsi nubat. Ita habetur expresse *in l. Titiæ, si non nupserit, ff. de cõditionibus, & demonstrat.* Cuius ratio est, quia prædicta conditio est contra bonum commune, cui interest, vt Respublica multis procreatis filijs augeatur. Omnis autem conditio, quæ prudenter considerata, aut retardat homines à matrimonio

nio

nio celebrando, aut matrimonij libertatẽ impedit, nulla omnino censenda est. Si vero viduæ vel viduo conditio aliqua apponatur in hereditate, vel legato, non nubendi, valida censeri debet. Ita iudicauit *Molin. to. de iust. tract. 2. disp. 207. fol. 1264. & seq.* Cuius eã possumus assignare rationẽ, quia honestum est secũdas nuptias vitare, vt *c. fin. 31. q. 1. caueatur*, similiter valet conditio nuptias prohibens ad certum tempus, & certo loco, & cum certis personis sub pœna alias non comparandi aliquam pecuniæ quantitatẽ, quia huiusmodi conditiones, & cõformes sunt dispositioni diuinæ legis scriptæ, & necessariæ ad nobilitatẽ conseruãdam, & bonos mores tuendos, & nõ adimunt libertatẽ hominibus in alijs temporibus, in diuersis locis, & cum alijs personis matrimoniũ cõtrahendi, nomine vero viduæ, eam tantum intelligimus, quæ matrimoniũ contraxit, & illud

15 consummauit.

Thom. Sãch. cum alijs plurimis Doctoribus ab eo relatis lib. 1. sponsalium, disp. 33. n. 32. sentit relictum legatum indefinitè puellis non determinatis, neque cõsanguineis, vt matrimonio collocentur, distribui minime posse puellæ ingredienti monasterium, sed ei soli, quæ matrimonium temporale iniuit, quamuis sentiat, legatum relictum consanguineæ, vel determinatæ fœminæ concedi ei posse, etiamsi matrimoniũ non ineat, sed religionem ingrediatur. Probat primò, quia cum testator relinquit legatũ consanguineæ, vel determinatæ alicui fœminæ, censetur, speciali amore illam prosequi. Vnde nolle fraudare eam legato, si monasterium ingrediatur, cum vero legatum relinquit incertis fœminis, non iudicatur adfuisse specialem amorem erga illas, & ita non creditur, legatum eis distribuendum esse, cum religionem ingrediantur. Secundò probat, quia si quis legauit aliquid certæ virgini matrimonio collocandæ si tempore testamenti iam nupta erat, poterat illi legatum donari, cum autem id relinquitur incertis fœminis, nullo modo fieri potest, ergo diuersa ratio est de legato relicto certæ personæ, & personæ incertæ.

16 Secundò defendit *Sanchez loco citato, disp. 34. num. 12.* legatum relictum fœminæ, si non ingrediatur religionem, non posse ei distribui illa religionem ingrediente. Probat primò, quia quamuis conditio illa sit aduersa religioni, fauet tamen matrimonio, cui contenditur fauere, quia status religionis ordinatur ad bonũ priuatũ, & status matrimonij ad bonum cõmune. Secundò probat, quia non est verisimile, aliquem arcendum à religionis ingressu, ex eo, quod legato priuetur, cum ad id ingrediatur, vt bonis temporalibus renuntiet.

17 His tamen minime obstantibus respondemus tertiò, prædictum legatum relictum non solum consanguineis, & certis puellis, sed etiã

A incertis absolutè ad hoc, vt collocentur matrimonio, posse eis omnibus distribui, etiamsi nõ nubant, sed religionem profiteantur. Hanc sententiam sequuntur *Nata. consilio 296. num. quarto, Boer. decisione tertia, numero decimotertio, & in hanc sententiam explicant Baldum authent. nisi rogati numero vndecimo, & eius sententiæ fuit Bartol. super authent. de sanctissimis Episcopis, collatione nona, super §. sed & hoc præsenti, & pro ea sent. citat Ricard. Malumb.* & istã doctrinam nouissimè sequuntur *Paul. Comitolus in paruo volumine suarum respons. moral. & perdoctus Pater Magister frater Basilius de Leon, tomo de impedim. dirim. fol. 206. & sequentibus, & pater Molina tomo 1. de iustitia tractatu 2. disp. 207.* optime addens posse licitè aliquem mi-

B norem dotem assignare puellæ ingredienti religionem, quam transeunti ad nuptias, imò à maioratu excludere ingredientem religionem eo fine, quia in statu religionis, qui paupertatem profitetur, minores diuitiæ sunt necessariæ, quam in statu seculari. Quam conclusionem expressis verbis (quidquid contradicat *Thomas Sanchez loco citato*, dicens, tantum ibi esse sermonem de legato relicto certæ puellæ) definiuit *Iustinianus Imperat. in authent. de sanctissimis Episcopis, collation. nona, §. sed & hoc præsenti.* Cuius hæc sunt verba: *Sed & hoc præsenti addimus sanctioni, si forte quis sub conditione nuptiarum, siue librorum, siue dotis causa, siue ante nuptialis donationis donauerit, siue reliquerit suis liberis, siue alij cuicunque personæ*

C *hæreditatem, siue legatum, aut ab initio pure relinquens eis, oneret vos substitutione, aut restitutione; aut sub vna prædictarum conditionum reliquerit, vel donauerit, substitutiones vero, vel restitutiones fecerit, qui adiectis conditionibus quibuslibet que ex ijs, quæ superius enumerata sunt, sancimus; si personæ talibus conditionibus subiectæ, siue masculi, siue fœminæ monasteria ingrediantur; aut Clerici, aut Diaconissæ aut ascriptæ fiant, tales conditiones inanãdas, & pro non scriptis esse.* In quibus verbis nullo modo asserendum est, sermonem esse de legato relicto certæ alicui personæ, cum generaliter constituat casum Iurisconsultus de legato relicto cuiuscunque personæ. Secundò probatur ex doctrina *Bartoli loco citato, &*

D *Glossa super citatã authenticam*, decedente, monasterium haberi loco filij: sed si fœmina certa, vel incerta filios habuisset ex matrimonio, tale legatum lucraretur, ergo etiam illud, lucratur, dum monasterium ingreditur. Tum quia, vt idem notauit *Bartolus*, non videtur esse sine matrimonio, qui monasterium ingreditur. Tertiò probatur, quia vt notauit idem *Bartolus ibidem*, summa ratio est, quæ pro religione facit, iuxta *leg. m. sunt personæ, ff. de religion.* ergo in prædicto legato fauendum est religioni, imò & pietati Christia-

Kk 3 næ,

næ, quæ nostram interpretationem natura sua exigere videtur. Quarto probatur, quia quantum ad hoc nulla videtur esse differentia inter legatum relictum certæ personæ, & incertæ, sed si certa persona ingreditur religionem, lucratur prædictum legatum, ergo idem affirmandum est de persona incerta. Vltimo confirmatur, quia si opposita sententia vera esset, multæ personæ retardarentur ab ingressu religionis, vt si legatum esset alicuius pinguis maioratus. Quod est maximum inconueniens nullo modo admittendum, cum plus intersit reipublic. Christianæ status religiosi augmentū, quam liberorum procreatio, propter quas causas facile video, Pontificem, & eius legatos à partibus rogatos prædicta legata concedere puellis, vt religionem ingrediantur: & audio huiusmodi legata in foris contentiosis concedi solere puellis ingredientibus monasteria.

18 His respondetur argumentis allatis à Sanchez contra hanc partem. Ad primū dicimus, nullam consideratione dignam differentiam reperiri inter legatum relictum personæ certæ, ac personis incertis, neque maiorem, aut minorem affectum in hac re considerandum esse. Ad secundum respondetur, In neutro casu posse donari legatum virgini matrimonio coniunctæ, quia animus testatoris videtur fuisse, eius statui prouidere: quod si ea nupta sit, non est necessaria talis prouidentia. Ita docuerunt *Tiraquelus l. si vnquam, verbo, susceperit, nu.* 178. *C. de reuoc. donat. & Mant. de coniecturis vlt. vol. lib.* 12. *s.* 1. *num.* 13.

19 Quarto respondemus, Legatum relictum cuilibet puellæ cum ea conditione, si non ingrediatur religionem, distribuendum esse ei, etiam si ingrediatur, nam conditio illa habetur pro non adiecta. Quam resolutionem tuentur *Baldus, & Decius, quos refert, & sequitur Acosta l. cum tale §. si arbitratu ff. de condit. & demonstr. Rolandus Consil.* 55. *num.* 20. *&* 25. *l.* 3. *& Mesina C. de restitut. quæst.* 23. *§. itaque quatuor conditiones, & Ledes. 2. part. 4. quæst.* 18. *art.* 1. *dub.* 14. Quæ conclusio probatur ex authent. citata in 3. respons. & ex alijs rationibus allatis in eius confirmationem. Deinde confirmatur hoc responsum ratione *Eueard. loco à matrimonio carnali ad spirituale*, Quia valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, sed conditio legati de non contrahendo matrimonio carnali non valet, sed habetur pro non adiecta, ergo idem dicendum est de tali conditione opposita contra matrimonium spirituale, id est, contra ingressum religionis.

20 Ad primum argumentum Sanchez oppositum huic parti respondetur, etiamsi, vt patet ex dicta authentica, fauere ingressui religionis, tum quia talis ingressus cedit in bonum commune spirituale, tum quia, licet talis ingressus primario tendat ad bonum priuatum spirituale, hoc tamen vt ad salutem animæ necessarium, præferendum est bono communi temporali, quod reperitur in matrimonio. Ad secundum respondetur, valde verisimile esse, multos arcendos esse ab ingressu religionis, vt fruantur magnis bonis temporalibus in testamentis relictis, sicut contingit, filios natu minores, qui animum applicuerant ad religionem, vel ad ordines sacros, si contingat, fratres suos maiores natu absque filijs decedere, propositum eos mutare, & libenter matrimonium contrahere, vt maioratibus perfruantur.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm in sponsalibus possint arræ constitui, amittendæ à frangente fidem?

NOMINA arrarum intelligimus pignora illa, quæ dantur ab spōsis in signum complendi matrimonij: quæ, cum donantur, necesse est, dici, dari in signum matrimonij, alias sunt spōsalitia largitas exhibita propter cōplacētiā sponsalium, & debent tradi, & non sufficit, eas promittere, vt patet *ex l. finali cap. de sponsalibus*.

In hac quæst. sit prima cōclusio. Licitū est, arrās tradere in sponsalibus; quæ amittantur per frangentem sponsalia, ita expresse traditur *in l. arris, & l. filij C. de sponsalibus l.* 1. *sit.* 11. *p.* 4. Et rationem reddunt authores, cur arræ sint licitæ in sponsalibus, quia earum amissio est quædā pœna, & nō promissio alicuius pœnæ, quia scilicet, arra reuera traditur, at pœna non statim traditur, sed promittitur, alias non esset pœna, sed arra, quia autem frequenter arræ sunt paruæ, quia homines sunt moderati in dando, & pœnæ sunt sæpe magnæ, quia homines largiores sunt in promittendo, quam in dando, ideo leges prohibent pœnas, quia possunt compellere ad matrimonium istæ, & non prohibent arras, quia istæ cōmuniter nō ita cōpellunt vt ires parui valoris: quod si aliquando arra est magna, licita est, quia hoc est per accidens, & raro, & leges attendunt ad id, quod frequentius accidit, scilicet, esse arras paruas, ita habetur *in l. nam ad ea ff. de legibus*.

3 Secunda conclusio. Arræ secuto matrimonio reddendæ sunt ei, qui illas tradidit, non secuto vero ille, qui sua culpa violauit spōsalia, debet quas accepit restituere, & quas dederat, vel si nullas dedit, debet, quas accepit, duplicatas restituere, vel si cōuētum fuerit inter partes, triplum, vel quadruplum restituere, ita habetur *in l. filij C. de spōsal.* si vero sine culpa, vt in gressu religionis dissoluatur spōsalia nō amittit arras,

tit arras, quas tradidit, ita in *dicta l. fili*; quanto autem tempore debeat expectari, ad videndū an aliquis sit fractor sponsalium, qui non vult contrahere matrimonium, videatur *Mantica de coniecturis vltimæ voluntatis lib. 11. tit. 18. nu. 23. & 24.* Vbi in simili casu rem explicat.

4 Tertia conclusio, Pœna dupli legalis traditi in dicta *l. fili vel*. tripli vel quadrupli cōuentionalis valida est, patet ex ratione primæ conclusionis, quia communiter est parua respectu pœnæ, quæ promittitur, & quando est legalis, non est restituenda secundum omnes Doctores ante iudicis sententiam. Quod commune est pœnis legalibus, quæ petunt executionem rei, vt late, & docte prosequitur *Vazquez tomo de legibus in principio*. Imo & pœna conuētionalis non debetur ante iudicis sententiam, quia hic videtur esse animus cōtrahentium, vt late defendit *Sanchez li. de sponsalibus disp. 37.* Multos Doctores allegans, apud quem anthorem hæc late videantur, & an possint in sponsalibus intercedere fideiussores, & pignora, vbi disputat de matrimonio spirituali ingredientium religionem, & quod possint dari munera ad captandam beneuolentiam alicuius, cui volumus persuadere statum religionis, & ad inducendum ad illum, & licet non possit apponi pœna, cum quis promittit alteri homini religionem, arrę tamen possunt dari, in quo eodē modo prorsus philosophandum est in matrimonio spirituali, ac in carnali, quia recte valet argumentum in hac parte à carnali ad spirituale, cum eadem libertas in vno requiratur, atque in altero, et valet adiectio pœnæ sponsalibus, & promissioni religionis annexa, cum quis promittit eam Deo, quia non est in iure aliquo annullata.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm supposito pacto sponsalium, vt vir teneatur in certo loco habitare, si ipse nolit illud seruare, sed alio migrare, vxor debeat illum sequi.

1 QVIDAM sentiunt, hanc conditionem habitandi in certo loco non teneri virum seruare, quia est quoddā genus seruitutis: & probatur ex *l. Titio centū 70. §. Titio centum 2. ff. de conditionibus, & demonstrationibus*, in illis verbis, *Titio centum relicta ita, vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat, potest dici, non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur.* Vnde constat minime valere eam conditionem legati, vt legatarius in certo loco habitet, quia speciem habet seruitutis, ergo neque ea conditio propter eandem rationem in sponsalibus valebit.

2 In hac quæstione sit prima conclusio. Talis conditio apposita sponsalibus, vt vir teneatur in certo loco habitare, valida est, & vir tenetur eā seruare, ita Iurisperiti in cap. primo qui matrimonium accusare possunt *Ioan. And. ibi nu. 2. Abbas antiquus, & communis sententia ibi.* Probatur primo ex *l. 89. tit. 18. part. 3.* in illis verbis, *Otro si prometio por si, y por sus hijos, de morar en tal heredamiento para siempre jamas.* Probatur secundo quia licet in *cap. Gemma de sponsalibus* prohibeatur pœna sponsalium, vt contraria matrimonio, attamen hæc conditio nullo modo est reprobanda, quia cedit in bonum matrimonij, vt vxor non cogatur vitam ducere inter extraneos, & inde rixæ nascantur, & cohabitatio non ita stricte seruetur. Quæ quidem conclusio intelligitur, quoties non se offert aliqua iusta causa recedendi à loco designato, nā ea oblata vt graui infirmitate, vel capitali inimicitia, vel alia huiusmodi, licitus est recessus à tali loco, & vxor tenetur virum sequi, deinde infertur valere pœnam appositam tali pacto, sicut, & pactum ipsum, sic *Tiraquelus cum alijs l. 1. Connub. Gloss. 1. p. 1. num. 39.*

3 Vnde infertur, si non se offerente noua causa iusta recedendi à loco designato, vir recedat, nō teneri vxorem eum sequi, neque lex diuina in hoc obligat casu, vt bene cum alijs Doctoribus *Sanchez dicto lib. 1. disp. 40.*

4 Ex his respondetur ad dictam legem Titio centum, eam esse intelligendam, quando talis conditio manendi in aliquo loco vana est, & nemini vtilis, at in nostro casu est vtilis matrimonio, & vxori, vt vidimus.

5 Secunda conclusio. Cum non intercessit aliquod pactum de non mutando loco, tenetur vxor sequi virum, dum alio transfert domicilium, ita expresse definitur in *capite vnaquæque 13. quæst. 2.* Probatur, quia vir est caput mulieris, vt patet ex *Paulo ad Ephes. 5.* Ergo ipse, non intercedente contrario pacto, potest eligere domicilium, & vxor tenebitur iure matrimonij eum sequi, quod intelligitur non intercedente iusta causa timendi mortem animę, vel corporis vxoris vel aliquod graue periculum, & quidem vir, vt notant *Angelus Verbo vxor, nu. 9. Syluester quæst. 8.* & alij pro suo libito potest mutare domicilium, dummodo non fiat ex causa turpi, & vxor tenetur eū sequi, at vxor nō potest pro libito illud mutare, sed ex causa necessaria, & graui animæ, vel corporis.

6 Sed quæres circa hāc cōclusionē, quid si vir sit vagabundus? Et respōdetur, quod si vxor id sciat, tenetur eū sequi, si causa diuagandi nō sit turpis, & possit sine vllo graui periculo eū sequi, quia ipsa se sciens ad talem laborem spōte obligauit, sicut tenetur eum sequi, cū ipse per longum tempus studiorum, vel litium causa ad aliū se cōfert locū, quādo ipse id petit, vel illa videt in se, vel in illo esse incontinētiæ periculum, &

lum,& idem dicendum est cum vir in exiliũ per aliquod notabile tempus mittitur ob suas culpas,vt bene *Sanchez tum multis Doctoribus di lib.1.disp.41.* Quod si vxor tempore contracti matrimonij ignorabat consuetudinem diuagã di viri,non tenetur eum sequi, quia hoc est gra uissimum onus ei imponere sine causa. Ita in numeri Iuris periti,& Theologi relati à Sanchez loco citato.Quod si vxor facile potest virum sequi,quia ipsa etiam est vagabunda, vel infimæ sortis,& bonæ valetudinis, & pauper, quæ aliàs victum ex suo labore quærebat, tenetur virum sequi,quamuis vagus viuat, & sine fixa sede, quia lex matrimonij fortissima est,& ex separatione multa possunt sequi incommoda,& quia tunc fœminę non est grauis talis diuagatio,si autem fœmina alterius sit rationis,& superioris conditionis, non tenetur virum vagãtem sequi diu, etiam ex iusta causa voti,quia graue onus est ei, diu vagari, vt notarunt *Enriq. cap.At illis nu. 3. de sponsalibus, & Ostiensis relati à Sanchez loco citato.*

QVÆSTIO. XVIII.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per solum ingressum religionis professione non secuta?

1 IN hac quæstiõ.prima sententia asserit,solo ingressu,etiam si quis exeat ante professionem,dissolui sponsalia, ita *Innocent.& Ostiens.cap.veniens,qui Clerici, vel vouentes, verbo votum,Sotus in 4.dist.27.quæst.2.art.5. vers.hoc tamen,Sanchez lib.1.de sponsalibus disp.42.Enriq.lib.11.de matrimonio cap.14.num.3.in fine.* Probatur primo,quia per solum ingressum religionis vnius sponsi notabilis fit mutatio in eo, & infamiæ videtur tribui fœminæ,si cum illo cõtrahat:ergo alter sponsus non tenetur contrahere matrimonium,si enim hocante præuidisset,siue dubio non consensisset.

2 Secundo probatur. Obligatio sponsaliũ mutua est, & ex vna parte ablata, ex altera etiam auferri necesse est,sed ille, qui ingreditur religionẽ,renunciat iuri suo,& sponsalibus, vt patet,ergo nullo modo valent sponsalia. Tertio probatur, quia, vt supra vidimus, eodem modo se habent sponsalia,& matrimonium, sicut se habet nouitiatus religionis,& professio eius,sed professio dirimit matrimonium ratũ, cap.ex publico iustrumento. De conuersione cõiugatorum.Ergo,cum minus requiratur ad dirimenda sponsalia, solus nouitiatus dirimit sponsalia, & ex authoribus huius sententiæ quidam dicunt dissolui in hoc casu sponsalia ex parte vtriusque sponsi, alij ex parte tantũ manentis in sæculo.

3 Sit tamen prima conclusio. Sponsalia nõ dirimuntur per solum ingressum religionis. Ita expressè sensit *D.Thom.in 4.dist.27.q.2.art.3.ad 1.* (quod sufficiebat ad hanc partem sequendam) *Et ibidem,Palud. q.1.art. 3. casu 5. vers.de ordine vero religiosis nu.23.Armilla, verbo,sponsalia,nu.12.Couar.in 4.decretal.1.part.ca. 5.initio.nu.11.vers.6.* Probatur primo,quia ingrediens religionem non censetur cedere iuri suo, donec profiteatur,quia cum ingrediatur experiendi causa,an melius se habeat in religione,quam in matrimonio,neutri statui videtur renunciare. Probatur secundo,quia sponsalia constituunt suum statum habentem iura sua, & obligationes suas,quilibet enim sponsus habet ius in corpus alterius, & quilibet tenetur sub speciali peccato abstinere à copula cũ alio viro,at nouitiatus non constituit statum, sed dispositionem ad statum religionis, quia non habet aliquod ius,neque obligationem ex parte religionis,vel nouitij,(& secundum *D.Tho. 2.2.q.183.ar.1.*,status requirit obligationem.) Sed facere hoc,vel illud,abstinere ab hoc, vel illo,fit solum ex quadam spontanea voluntate, ergo nouitiatus non dissoluit spõsalia,vnde neque dissoluit ea votũ ingrediendi religionem.

Secunda conclusio. Dirimuntur sponsalia per professionem religionis, patet, quia per eam dirimitur matrimonium ratum nondũ copula carnali consummatum,vt patet ex *cap.publico allegato*, vt postea videbimus, quod fortius vinculum est,quam sponsalia,ergo multo melius dirimuntur sponsalia. 4

Ex his patet ad rationes oppositas. Ad primam enim respondetur,fieri notabilem mutationem,bonam tamen,nullam tamen iniuriam fieri alteri parti,tũ, quia illa se exposuit huic periculo,tum,quia alter potuit quærere,quod melius esset, in quo æquale est ius vtriusque partis. Ad secundam rationem respondetur,neququã ingredientẽ religionem renunciare iuri suo,donec profiteatur. Ad tertiam rationem respondetur,concedendo,sponsalia,& matrimoniũ ex vna parte habere quãdam similitudinem cũ nouitiatu,& professione ex alia,nõ tamen ex hoc sequitur, quod, sicut professio matrimoniũ,ita nouitiatus dissoluat sponsalia: quia,vt vidimus, nouitiatus status non est, & ideo non potest dissoluere sponsalia, quæ statum constituunt. Vnde hac ratione non est mirum,si ad sui dissolutionem requirant professionem,quæ vere status est. 5

Tertia conclusio. Etiam si sponsalia iuramento confirmentur,potest quis tuta conscientia religionem intrare non contracto matrimonio. Ita tenent *Gloss.in cap.commissum, de sponsalibus, verbo, tutius, & Ostiens. eodem verbo, Armil.num.12.Couar.4.decretal.1.part.cap.5.num.11.Sot.in 4.dist.27.q.2.ar.5.versu,dubiũ hic.* Et probatur hæc vnica ratione,quia iuramentũ,vt constat ex cap.quemadmodũ. De iure iur. fortitur 6

ticur naturam, & conditiones tam tacitas, quàm expressas illius actus, cui adhæret, sed quando quis promisit matrimonium, promisit cum hac tacita conditione, nisi religionem eligero; ergo etiam, dum iurat talem promissionem, includit eandem conditionem, quare sicut non iurans sponsalia potest religionem ingredi, ita & iurans.

17 Quod si obijcias contra hoc, *caput commissum, de sponsalibus*, vbi consultus Pontifex de hac nostra quæstione respondit, *tutius est religione iuramenti seruata prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare*. Vbi indicatur, non posse aliquem post iurata sponsalia religiosum fieri ante contractum matrimonij. Quod si secundo obijcias, quia iurans soluere vsuras, vt patet *in cap. debitores de iureiurand.* deber eas soluere, & qui tenetur ære alieno, & soluere iurauit, si potest, debet prius soluere, quam ingrediatur religionem, ad caput commissum respondetur cum *Couarr. & alijs Doctoribus*, illum qui iurauit sponsalia, nondum habuisse firmum propositum amplectendi religionem, vt patet ex illis verbis, *& postea si elegerit*. Sed fuisse indifferentem ad sponsalia, vel religionē sequendam, & cum instaret tempus implendi iuramentum, ideò dixisse Pontif. tutius esse, statim contrahere, ne labente termino assignato sponsalibus, periurium committeretur. Ad secundum respondetur in illis casibus nullam in esse tacitam conditionē, quæ possit excusare impletionem iuramenti, sicut inest in nostro casu.

8 Quarta conclusio. Peccat mortaliter, qui post sponsalia iurata emittens votum religionis contrahit matrimonium, etiamsi sit animo ingrediendi religionem ante consummationē eius. Ita *Nauar. in summa cap. 16. num. 30. Soto in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1. vers. contra primam conclusionem, & Sanchez dicto 1. lib. disp. 43.* Probatur primò, quia sic contrahens exponit se magno periculo violandi votum. Secundò probatur, quia sic nubens decipit in re graui fœminam, quæ bona fide contraxit, & alias nō contraheret. Tùm etiam, quia non ita facile hæc fœmina nubet alij, quia existimabitur, eā desertam esse à viro ob aliquod vitium, aliquā do tamen habenti votum castitatis, vel religionis licebit contrahere matrimonium. Primò quando ex non cōtrahendo matrimonio esset metus notabilis amittendi famam, honorem, vel vitam, quamuis non cadens in virum constantem. Secundò, si non posset alio modo religionem intrare, quia inclusus teneretur in carcere. Tertiò ad vitandum magnum scandalum populi, quādo timeretur notabilis infamia fœminæ ex eo, quod vir eam non duceret. Aut quartò, quando magnæ rixæ, seu dissensiones inter consanguineos, & amicos vtriusque spō si timerentur.

A Neque valet, si quis dicat, quod nulla infertur in eo casu iniuria alteri coniugi propriè contra iustitiam, quia vir ingrediens religionem vtitur iure suo, quod habet, vt possit ad meliorem frugem confugere ante consummationem matrimonij, & contractus ex vtraque parte est æqualis, quia idem licet etiam fœminæ, ergo rectè potest vir post votum emissum matrimonium contrahere, si tamen firmus adsit animo ingrediendi prius religionem, quā consummetur matrimonium. Ad hoc enim respondetur, non esse tale factum contra iustitiam, sed tamen contra charitatem esse cum eo dolo contrahere, quia licet vterque habeat ius ingrediendi religionem, decipitur tamen fœmina, quæ bona fide, & simpliciter contrahit B viro contrahente cum conditione ingrediendi religionem. 9

Quæret vero aliquis primo, an post sponsalia contracta, & iuramēto confirmata ille, qui non emisit votum, possit matrimonium inire animo ingrediendi religionem, antequam matrimonium consummet? Quidam dicunt tale matrimonium licite posse contrahi, nos tamen respondemus, id minime licere, quia in eo reperitur quædam deceptio, & iniuria explicata à nobis in conclusione quarta præcedenti. 10

Quæret aliquis secundo, an ille qui sponsalia contraxit cum virgine, & eam sub spe matrimonij deflorauit, possit ingredi religionem tuta consciētia, siue ante matrimonium ratum celebrarum, siue postea? Quidam respondent C affirmatiue, breuiter tamen respondemus, id nullatenus esse licitum, etiamsi vir velit iniuriam pecunia compensare. Probatur, quia inuito creditore nō potest reddi vnum pro alio, sed vir in isto casu debet pro defloratione talē fœminam ex iustitia ducere, ergo non satisfacit pecuniam reddendo. Secundo respondetur, idem dicendum esse, etiamsi virgo non sit cognita, & etiamsi fœmina virgo non esset, sed vidua honestæ famæ, dummodo notabilis infamia ei sequeretur ex eo, quod vir religionem ingrediatur, quia tunc tenetur vir eam ducere ad vitandam infamiam. 11

Quæret aliquis tertio, an qui prius emisit votum castitatis, aut religionis, & postea fœminam deflorauit fide data contrahendi cum D ea matrimonium, teneatur eam ducere, vel implere votum? Quidam existimant, huiusmodi hominem teneri ad matrimonium contrahendum, quam sententiam amplexus est *Sanchez lib. 1. de Matrimonio, disp. 45.* Probatur primò hæc sententia, quia votum non obligat, si res post votum emissum notabiliter mutentur, vt si quis post emissum votum religionis valetudinem prorsus amittat, sed in præsenti casu post votum contigit notabilis mutatio vouendi, cum superuenerit ei fortissimum iustitiæ vinculum, ergo non tenetur, votum implere, 12

 sed

sed potius sponsalia. Secundò probatur, quia vinculum iustitiæ fortius est, quam vinculum charitatis humanæ, sed per vinculum charitatis subsequens votum, vt propter indigētiam parentum renetur quis differre voti religionis executionem secundum receptam omnium sententiam, ergo multo potiori ratione differendus est ingressus religionis propter vinculum iustitiæ in nostro casu superueniens. Hanc sententiam negare non possum, probabilem esse, verumtamen amplectenda est sententia *Nauar. lib. 4. consiliorum in 1. edit. tit. de sponsalibus, consilio 21.* & aliorum assereptium, huiusmodi hominem non posse licite matrimonium contrahere, sed debere ad religionem confugere, aut castitatem seruare. Probatur primò, quia posterior obligatio non potest derogare priori, quando sunt eiusdem generis, vt si ego promitto Petro prius meum pallium, & postea illud promittam Francisco, etiamsi Franciscus aliquid mihi pecuniæ dederit pro tali spe pallium nihilominus debetur Petro, & non Francisco, sed vouens promisit Deo corpus suum, ergo licet postea illud promittat fœminæ, & sub ea spe corpus eius in copulam acceperit, priorem promissionem præualere necessum est. Secundò probatur, quia iste non tenetur ducere vxorē ratione promissionis, quia hæc nulla est, cum sit illicita, & contra votum: neque etiam ratione damni illati, quia hoc damnum potest resarcire media pecunia, quæ sua est, & non medio corpore, quod suum quodāmodo non est, sed Deo debitum per votum. Ex his primo argumento in contrarium respondemus, contigisse quidem notabilem mutationem eo casu, eam vero tantam non esse, vt sufficiat ad impediendam adimpletionem voti. Ad secundum respondetur, vinculum alēdi parentes esse antecedēs omne votum, quia nascitur ex natura filij. Vnde votum semper fit cum ea conditione, nisi parentes mea industria indiguerint, at vinculum illud resarciendi iniuriam fœminæ violatæ superuenit voto, & cum non possit obligare ad reddendum corpus alio titulo debitum, solum obligat ad pecuniam reddendam.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis superueniens, & per votum ordinis sacri?

1 HIc loquimur de voto castitatis superueniente, non de antecedente, quia antecedens, certum est apud omnes, dirimere sponsalia, cum in isto casu sponsalia sint promissio rei illicitæ, quæ inualida est.

2 Secundò certum est, non dirimere sponsalia solum propositum seruādi cælibatum, quia tale propositum non constituit statum, quia non habet stabilitatem, vel obligationem de se, dirimet tamen, vt patebit ex dicendis, votū cælibatus, quia statum constituit.

3 Tertiò certum est, dum vnus sponsus castitatem vouet alterum consortem liberum remanere ab obligatione seruandi sponsalia, quia vouens censetur cedere iuri suo, quod habet in corpus alterius, vnde alter liber manet.

4 In hac quæst. quidam sentiunt, non dirimi spōsalia per votum simplex castitatis, vel suscipiendi ordines sacros. Ita sentiunt *Toletus in summa cap. 21. lib. 7. Nauar. in summa cap. 22. num. 25. Armilla verbo sponsalia, Thomas Sanchez 1. lib. de Matrimonio disp. 46. & 47.* Probant primò suam sententiam, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri debitæ, & promissæ, sed qui prius contraxerat sponsalia, promisit corpus suum fœminæ, ergo Deus non acceptat eius corporis promissionem sibi factā per votum. Secundò probatur, quia prior obligatio resultans ex sponsalibus debet præualere posteriori resultante ex voto.

5 Sit prima conclusio. Bene potest emitti votum castitatis post sponsalia, & hoc dissoluet illa, hanc sententiam defendunt super *cap. veniens, qui clerici, vel vouentes, Calderin. & Præposit. num. 2. Cardin. in cap. rursus, eodem titulo num. 2. quæst. 1. D. Thom. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ad primum, Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. vers. vtrum, & alij Thomistæ,* & ex parte sequitur *Azor tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 22.* Probatur primo *ex capit. veniens, qui clerici, vel vouentes*, vbi quædam fœmina, quæ prius sponsalia contraxerat cum viro timens eius asperitatem morum, castitatem vouit, vt à sponsalibus eximeretur, & rogatus Pontif. an non obstante voto posset nubere, sic respondit. *Ob fornicationis periculum mandamus quatenus, si plus non processit, fibi de fide mentita, & voto violato, id est, iuxta Glossam de animo violandi votum congruam satisfactionem indicas, & ei cui vult, nubendi in domino licentiā tribuere, non postponas.* Vbi cum pœnitentia imponatur de voto violato, sequitur, votum fuisse validum contra sponsalia, & esse seruandum, & quando in eo textu dicitur, imponi satisfactionem de fide mentita fortasis ibi fides mentita idem est, ac votum violatum. Secundò probatur, quia sponsalibus semper inest tacita quædam conditio ad meliorem statum transeū di, ergo potest quis emittere votum castitatis, quod constituit statum meliorem, & hoc cum sit incompatibile cum sponsalibus, & fortius illis, quia est promissio facta Deo, dissoluet spōsalia.

6 Secunda conclusio. Etiam votū suscipiēdi ordines sacros dissoluit spōsalia. Ita expresse Corduba

Cordubæ in summa, quæst. 136. *puncto* 4. *opinione* 5. *Enriquez lib.* 11. *de Matrimonio, capit.* 14. *num.* 4. Et probatur eisdem rationibus, quibus probauimus primam conclusionem.

Ad primum argumentum oppositum respõdetur, promissionem matrimonij semper fieri cum ea conditione tacita, nisi melior status eligatur, vnde ea non obstante acceptat Deus votum. Ad secundum respondetur, votũ quod posterius est sponsalibus, bene posse illis præualere, quia ea fiunt cum illa conditione, nisi meliorem statum elegero.

QVAESTIO XX.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per matrimonium cum alia contractum, & per alia sponsalia?

CIRCA primum punctum quæstionis, certum est apud omnes, matrimonium de præsenti cum vna dissoluere sponsalia contracta cum alia. Ita definitur expresse *in cap. si inter de sponsalibus, & alibi.* Probatur, quia matrimonium de præsenti est traditio corporis, & sponsalia sunt solum promissio, sed traditio fortius est vinculum, quam promissio, ergo & matrimonium fortius est sponsalibus. Controuersia tamen in hac parte est, an dissoluto matrimonio debeat quis implere priora sponsalia, si alter sponsus non renunciauit iuri suo, & respondent aliqui *vt Palud. in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *ar.* 1. *conclus.* 4. *n.* 8. *& Præposit. c. sicut de sponsalibus, num.* 8. *& alij.* Omninò dissolui sponsalia; & nullam in posterum remanere obligationem. A nobis tamen dicendum est cum multis recentioribus, *& Adriano in* 4. *quæst.* 2. *de Matrimonio ad secundum in paruis voluminibus, fol.* 394. *Petro de Ledesma de Matrimonio. quæst.* 43. *art.* 3. *dub.* 2. *fol.* 118. Istum teneri postea ad priorem sponsam ducendam. Probatur, quia promissio simplex religionis non extinguitur per matrimonium de præsenti, sed suspenditur, & soluto matrimonio debet impleri: ergo idem est dicendum de sponsalibus, & vt bene aduertit *Petrus de Ledesma*, si vir esset ita senex, vt non esset aptus matrimonio, & copulæ, aut ita pauper, vt ducens vxorem pauperem, scilicet, non posset priores filios alere, non deberet priora sponsalia implere, quia res esset notabiliter mutata post contracta sponsalia.

Circa secundum punctum dico primo. Si quis contraxit prius sponsalia cum vna, & postea cum alia, & cum secunda habuit copulam sub spe matrimonij, cum prima debet contrahere. Ita colligitur *ex cap. sicut de sponsalibus*, vbi Pontif. indistinctè præfert priora sponsalia posterioribus, ergo hoc intelligendum est, siue posteriora sint coniuncta cum copula, siue non. Probatur, quia prior fides debet præualere posteriori, quia secunda non valuit in præiudicium prioris, neque admittendæ sunt exceptiones *Sanchez, disp.* 49. *neque in cap.* 1. *de sponsalibus duorum.* In quo nituntur oppositũ asserentes, definitur aliquid contra nos, vt legenti patebit. Ita *Sotus in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 4. *dubio* 3. oppositum docet *Conınc tom. de Sacramentis, disp.* 23. *dub.* 4. Ductus primo, quia qui post votum simplex aliquam deflorauit, tenetur eam ducere, si deflorauit sub spe, & promissione matrimonij, ergo & qui post spõsalia. Secundò probatur, quia æquitas naturalis non patitur, vt cum tanto alieno damno impleam priorem contractum. Tertiò, quia licet secunda sponsa per ea sponsalia nullum adquisierit ius, adquisiuit tamen ratione damni iniuriosi, quod aliter, quã matrimonio nequit reparari, quod ius est fortius alio sponsaliũ. Sed ad primũ respondetur negando totũ. Ad secundũ respondetur, secundum æquitatem naturalem priorem contractum præualere secundo, vnde prima sponsa innocens non debet iure suo priuari propter damnũ secundæ. Ad tertium respondeo, iniuriam illatam secundæ sponsæ non posse præiudicare priori sponsæ, neque tollere ius prius ab ea adquisitum, quinimo conueniens est, eum sponsum cum prima spõsa contrahere matrimonium, & resarcire, secũdæ media pecunia damnum illatum, vt sic vtrique rectè satisfiat. Alias secundum oppositam sententiam, prima sponsa, quæ innocens est, inuita priuaretur iure suo sine vlla prorsus satisfactione ei data.

Ad secundum punctum dico etiam cum cõmuni sententia doctorum, posteriora sponsalia etiam iuramento confirmata minorem valorem sortiri, imò & nullum respectu priorum sponsalium propter rationes adductas in primo dicto, iuramentum enim sequitur naturam actus, cui adhæret; vnde quia posteriora illa sponsalia nullum valorem habuerunt, etiam iuramentum eis adiunctum nullas vires habet. In quibus casibus loquimur de spõso, qui culpabiliter contraxit secunda sponsalia, nam prior sponsa, quæ innocens omninò manet libera prorsus est à prioribus sponsalibus ita, vt optime possit ad aliud matrimonium transire, quia contrahens secunda sponsalia, eo ipso renuntiauit prioribus, imò etiamsi priora sponsalia tractu temporis inualida fiant, posteriora non obligant. Patet, quia quod à principio validum non est, tractu temporis minime conualescit, *regula non firmatur. de regulis iuris in sexto*, sed astrictus prioribus sponsalibus nullo modo potest dare fidem alteri sponsæ, quæ habeat vim sponsalium, aut simplicis promissionis, ergo secunda sponsalia nunquã obligabũt.

Ad-

4 Aduerte tamen pro intelligētia huius quæstionis aliquando contingere, copulam habitam cum secunda sponsa dissoluere sponsalia celebrata cum prima, & inhabiles reddere personas ad contrahēdum matrimonium, vt cum secunda sponsa erat soror prioris sponsæ, ex copula enim habita cum ea dimanauit quoddam impedimentum affinitatis dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum sponsalia impuberum dissoluantur per dissensum eorum, cum ad annos pubertatis deuenerint?

1 EX dictis in præcedentibus liquet, quid intelligatur per nomina puberum, & impuberum. Vnde in eorum explicatione modo laborandum non est.

2 Sit prima conclusio. Si duo impuberes ante pubertatem contrahant sponsalia, nullus eorum ante pubertatem potest suo dissensu dissoluere sponsalia. Hanc conclusionem pro viribus defendunt *Glossa in cap. proxime allegando, verbo negauerit, Innoc. ibidem initio, Cardin. num. 2. Syluest. verbo sponsalia, quæst. 10. & alij.* Probatur primò *ex cap. de illis 1. de desponsatione impuberum.* Secundò probatur, quia hoc maxime conueniens est, ne propter ætatis incōstantiam, & imbecillitatē sæpe impuberes contrahant sponsalia, & sæpe ea dissoluant, quod ridiculum sane esset, & in opprobrium cederet matrimonij, cuius ipsa sunt via: quod si vterque, vel alter tantum sponsus ad ætatem pubertatis peruenerit, potest suo dissensu sponsalia dissoluere. Patet ex dicto textu, cuius resolutionis ea ratio reddi potest, quia cum ante pubertatem communiter non sit maturum iudicium, concessit ius potestatem reclamandi eo tempore, quo maturum est iudicium, scilicet tempore pubertatis, in maximum beneficium, & fauorem matrimonij, tùm vt matrimonium, quod graue vinculum, & perpetuum inducit, maiori cum deliberatione, & libertate contrahatur, & sic quilibet perpendat onus sibi suscipiendum, tùm etiam vt matrimonium feliciores exitus habeat.

3 Secunda conclusio. Si pubes cum impubere contrahat sponsalia, non potest ipse à sponsalibus resilire, sed expectare cogitur tempus pubertatis alterius, vt in eo ostendat, an reclamet, vel consentiat sponsalibus. Probatur primò *ex præallegato textu §. vlt.* Secundò probatur ratione, quia pubes maturo potitur iudicio ac plenam nactus est deliberationem, ergo nō debet ei concedi locus, sicut concedendus est impuberi ad resiliendum, cuius tenue est iudicium. Quemadmodum, dum maior septennio promittit matrimonium infanti, tenetur expectare infantem, donec septennij limites attingat, ad hoc vt suum consensum in sponsalia manifestet, vel dissensum, quod fuit dispositum à iure in fauorem infantium qui miseram & cæcam habent ætatem, ita sentiunt multi, quos refert *Sanchez dicto lib. 1. disp. 51.*

Circa prædicta notandum est primo, *præallegatum cap. de illis,* loqui non de infantibus, sed de illis, qui iam adepti sunt vsum rationis, & nondum ad pubertatem peruenerunt. Ita sentiunt Auctores allegati, & probatur ex ipso textu, vbi versiculo primo desinitur: *Non posse eos, de quibus ibi est sermo, ante pubertatem à sponsalibus resilire,* sed si de infantibus esset sermo, possent quidem semper resilire à sponsalibus, quia vt supra diximus inualida sunt. Secundò notandum est, quod licet possint illi, qui in impubertate contraxerunt sponsalia, cum ad pubertatem peruenerunt, illa dissoluere, quod & potest præstare ille, qui prior ad pubertatem venerit, & hoc ob defectum iudicij hoc tamen intelligendum est, dūmodo statim pubertate adepta reclamēt verbis, vel nutibus vel alio signo externo, quale requiritur in rebus humanis, alias amplius differentes rem cēsentur ratificare illa, & nō possunt si rem differāt, reclamate, nisi antea pubertatem dissenserint quod si antea dissenserunt, tū ė dissensus censetur durare, statim autem intelligitur triduo ante, vel post pubertatem, quod patet ex *l. fili, C. de iudicijs, in illis verbis, illico, id est intra triduum,* & vt notat *Coninc. tom. de Sacramentis, disp. 23.* ille, qui perueniens ad pubertatem omninò fuit oblitus sponsalium, aut ignorat, se iā peruenisse ad ætatem, qua potest reclamare, in foro cōscientiæ semper posset reclamare, quādo eorum est memor, quia talis non potest dici, sponsalia confirmasse, sicut neque ille, qui existimat per errorem, sponsalia in quacunq; ætate contracta rescindi non posse.

Quæret tamen aliquis, an id, quod diximus, impuberem, nempe factum puberem posse à sponsalibus desistere, sit verum in foro solum externo ita, quod non possit à iudice compelli ad seruanda sponsalia, an etiam in foro interno ita, quod non peccet? Ad quod respondetur cum *Palud. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. casu 10. num. 18.* etiam in foro conscientiæ hoc verum esse. Patet, quia eadem ratione ius voluit patrocinari immaturo iudicio impuberū in sponsalibus, ac in votis. At vota tūc emissa possunt annullari per patrem, vel tutorem in vtroque foro, ergo similiter spōsalia impuberum possunt dissolui ab ipsis pubertatem adeptis. 5

Secundò quæret aliquis, an impuberes iurātes spōsalia possint, cū ad pubertatē peruenerint, resilire à spōsalibus? Ad quod respōdetur, licet aliqui oppositū sentiant, id minime posse fieri, quia sponsalia redduntur indissolubilia per iuramentum. Ita tenet *Glos. ca. ex literis 2. de* 6

de sponsalibus verbo, sub iuramento, Abbas ibi. A *num.6.& alij.* Probatur *ex cap. ex literis de sponsalibus secundò*, vbi de eo, qui sponsalia contraxerat, & iurauerat, & nolebat ea seruare, absolutè dicitur, & sine limitatione, an reclamauerit, vel non post pubertatem, cogendum esse, illis verbis: *Et si non acquieuerit monitis, Ecclesiastica censura compellas, vt ipsam in vxorem recipiat*, Ergo non possunt sponsalia iurara dissolui per dissensum, quia iste iam dissenserat, & cogitur contra suam voluntatem matrimoniũ celebrare, vnde iuramentum tollit conditionem illam tacitam inhærentem sponsalibus ante pubertatem celebratis, scilicet, nisi post pubertatem dissenseriut. Et ad hoc iuramentũ sufficit septennium, in eo enim possunt alia iuramenta, & vota fieri *cap. pueri, & cap. paruuli*, B *22. quæst. 5.* impuberes prohibentur iurare, in-
7 telligitur tamen, non esse cogendos iurare ad testimonium ferendum.

Quæres tertiò, an spõsalia possint dissolui à puberibus per vtriusq; cõsensum? Ad hoc respõdetur, licet aliqui oppositũ sentiant citati à *Sanchez disp. 5 a.* posse quidẽ. Ita tenet *D. Tho. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad quintum, Antonin. 3. part. tit. 1. ca. 18. §. 1. casu 5. alios allegans.* Probatur primò, *ex cap. 2. de sponsalibus*, vbi hoc videtur definiri, nam, licet in prædicto textu separatio sponsorum, qui dissenserunt sponsalibus, dicatur permitti ad euitandum maius malum, & non videtur vt licita admitti, hoc tamen intelligitur, quia iuxta vulgi opinionem isti censentur peccare, licet non peccent, & C probatur ratione, quia contractus, qui natura sua dissolubilis est, potest per dissensum contrahentium dissolui, vt notauit *Glossa ibidem.* Et hac ratione se habet contractus sponsaliũ, & hoc verum est, quamuis sponsalia sint iuramento firmata, vt communis tenet doctrina Theologorum, & Iurisperitorum, siue quis iuret, ducere fœminam intuitu pietatis, siue non, quia illud iuramentum cedit in vtilitatẽ alterius, & eo cedente iuri suo, Deus etiam cẽsetur cedere, vt patet, cum iuro Petro dare eleemosynam, quia includit hanc conditionem, nisi alter ius suum remittat. Quæ dissolutio fit sine vllo peccato, vt patet, quia nulla lex prohibet, & dummodo sine metu, vel dolo vna pars alteram inducat ad dissolutionem, alias D ipsa manet obligata in conscientia. Ita *Coninc. tom. de Sacramentis disp. 23. dub. 1. Lessius de iust. cap. 17. dub. 5. & 6.*

(2)

QVAESTIO XXII.

Vtrùm transacto termino præfixo sponsalibus, dissoluantur sponsalia?

IN hac quæst. primo notandum est, dupliciter posse terminum designari in aliqua 1 obligatione, primo vt in illo finiatur omninò obligatio, & tunc elapso termino cessat omninò obligatio ex parte eius, per quem nõ stetit, quo minus adimpleretur obligatio. Patet ex *l. si fideiussor, 29. §. fili. ff. mandati*, vbi bis dicitur, *fideiussorem solo tempore liberari*, & ratio B est, quia contractus pendet ex voluntate contrahentium. Secundò potest assignari terminus non ad finiendam obligationẽ, sed ad hoc, vt ante illum nullus contrahentium possit obligari ad implendam obligationem, & postea possit, & tunc elapso termino non cessat obligatio. Sic docent *Armilla num. 4. verbo obligatio, Couar. in 4. Decretalium 1. part. cap. 5. initio, num. 8. Abbas cap. sicut. de sponsalibus, num. 11.* tunc autem assignatur terminus ad finiendam obligationem, vt *Couar. loco citato* ait, cum in ipso contractu præfigitur terminus; vt cum promitto Petro, me ei venditurum domum tali die, elapso enim illo die non teneor, quia obligatio solum pro illo die currit. Quod si post contractum celebratum præfigatur termi- C nus, elapso termino adhuc manet obligatus ille, per quem non stetit, vt si debeo Petro 100. & promitto, me daturum ea certo die, elapso die teneor, hoc equidem est aliquale signũ non omninò certum.

Sit conclusio Si sponsalibus iam contractis **præfigatur terminus, vt impleantur, transacto** 2 **termino non dissoluuntur sponsalia.** Patet, quia tunc terminus non ponitur ad finiendam obligationem, sed ad compellendam rebellẽ ad eam implendam, & in hoc casu intelligitur *l. Celsus 27. §. 1. ff. de receptis arbitr.* vbi dicitur: 1 *Duo esse præcepta alterum pecuniam dandi, alterũ intra kalendas dandi*, quod si dum celebrantur sponsalia, præfigatur terminus, vt si conueniãt de contrahendo tali die, tunc lapso termino, D si per vtrumque sponsum stetit, quo minus matrimonium celebretur, dissoluuntur sponsalia. Et si per alterum tantum stetit, ille per quem non stetit, liber manet, & alter obligatus est, ne reportet commodum ex sua malitia, & ratio est, quia cum isti noluerint, se obligare absolutè, sed pro tali die, dies ille designatus videtur ad finiendam obligationem, & hac ratione intelligitur, *cap. sicut de sponsalibus*, vbi dicitur, liberum esse à sponsalibus eum, qui certum terminum præfixit, intra quem duceret vxorem, & per eum non stetit, quin ma-

tti-

trimonium cosummarit. Ita respondet *Thomas Sanchez disp.* 53. & ita intelligitur *Diuus Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad secundum.* Vnde si legitima sunt impedimenta, vt in termino præfixo non impleantur sponsalia, non dissoluuntur, etiamsi vnus tantum sit causa differendi, vt *Palud. ait in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3.* quidam oppositũ probabiliter dicunt, & secnudũ *Syluest. verbo sponsalia, quæst. 10. casu 4.* potest iudex propter periculum fornicationis, etiã si sine culpa differantur sponsalia, præfigere terminum ad implenda sponsalia, quo elapso potest ille, per quem non stetit, matrimonium aliud inire. Sed adhuc hæc regula non est omnino certa, vnde ex animis contrahentium, vel verbis conijcienda est, & in dubio in fauorem sponsalium, quod valeant, præsumendum est, quia fauendum est matrimonio, & quia tunc sponsalia possident, in pari autem causa, vt contingit, cum dubium se offert, melior est conditio possidentis.

3 *Rebello 2. part. de obligationibus iustitiæ, lib. 4.* bene dicit, sponsum discedentem sine licentia sponsæ, si verisimilis sit spes, quod intra tempus à iure ciuili præfixum reuertatur, expectandum esse tempus à iure ciuili præfixum, si in sponsa non sit periculum incontinentiæ, vel alia notabilis necessitas, & discessus erat necessarius sponso, vel vtilis vtrique, quia spõsalia non facile sunt soluenda. De iure autem ciuili tenetur sponsa absentem expectare spõsum, si sit extra prouinciam, per triennium, si intra prouinciam per biennium, & si est impedimentum regressui, quandiu illud durat.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum sint aliæ causæ dissoluendi sponsalia?

1 PRIMA causa præter dictas dissoluendi sponsalia est fornicatio alicuius ex spõsis superueniens sponsalibus. Ita definitur *in cap. quemadmodum, de iure iurand. in* §. Probatur, quia fides data sub ea conditione fuit, vt ait textus, si alter fidem seruauerit, & hoc etiamsi iurentur sponsalia, & idem est, si post sponsalia tactus impudicos patiatur aliquis, & oscula, & amplexus. Quod si fœmina vi cognosceretur, posset spõsus sponsalia dissoluere, quia magnæ ei infamiæ tribueretur, cum ea contrahere, vt cum multis docet *Sanchez disp.* 55. secus autem, si id accideret viro, quia inde nõ nasceretur infamia fœminæ: imò si vterque fornicetur, quia delicta compensantur, non possunt dissolui. Similiter fornicatio spiritualis, vt hæresis est causa dissoluendi spõsalia, nam si fornicatio carnalis propter iniuriam factam alteri consorti causa est sufficiens A ad dissoluenda sponsalia, multo magis sufficiẽs esse debet fornicatio spiritualis, in qua ita grauis iniuria fit Deo, & ita periculosa nimis redditur sponsorum cohabitatio.

2 Secunda causa dissoluendi sponsalia est absentia alicuius sponsi in regionem longinquã iuxta *caput. de illis, de sponsalibus*, & quidẽ quando causa absentiæ est necessaria, expectãdum est donec cesset talis causa iuxta *l. sæpe, ff. de sponsalibus*, quando verò est causa iusta, & non necessaria, notanda est doctrina *Rebelli assignata in fine præcedentis quæst.* si enim absens sit in eadem prouincia, expectandus est biennio, vt *l. 2. C. de sponsalibus*, & si est in alia prouincia, expectandus est triennio, vt cauetur in *l. 2. C. de repudijs*, tamen quando causa non est necessaria, B ius ciuile videtur correctum per ius canonicum, & potest ille, qui remanet in sua patria iuste dissoluere sponsalia. Ita notauerunt *Conar. 4. decr. 1. p. c. 5. in initio, n. 7. Nau. in sum. Lat. cap. 22. num. 26. Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. vers. decimo quando. Tolet. in summa lib. 7. cap. 21.* Probatur *ex cap. de illis de sponsalibus*, vbi absolutè, & sine vlla restrictione temporis dicitur, posse vnum sponsum dissoluere sponsalia per hoc, quod alter in remotam regionem se transferat. Quod intelligitur, quando absentia est longa, & non expectatur de proximo reditus, vt patet ex illis verbis dicti textus, *limittit terrã.* Cuius ratio ea videtur esse, quia qui sic abijt, & sine licentia sponsæ (vt loquimur) censetur cedere iuri suo, quando autem C absentia fit in terras longinquas, iudicio prudentum dirimendum est. Differẽtia vero prędicta inter ius canonicum, & ciuile ex eo nascitur, quia ius canonicum respicit peccatum fornicationis, quod impedire contendit, & ius ciuile tantum respicit bonum publicũ, & quidem præcedens doctrina, vt optime ponderat *Ioann. Gutierrez, de matrimonio, cap. 30.* Intelligenda est, etiamsi sponsalia sint iuramento firmata, patet expresse *ex dicto capit. de illis*, & cum absentia est manifesta omnibus, quia nullum sequitur scandalum, non est necessarium iudicium Ecclesię ad dissoluenda sponsalia, sed propria auctoritate sponsorum possunt dissolui. Ita docent *Tabiena verbo, sponsalia, quæst. 9. & Ioann. Gutierrez, ibidem.* Imò quando spõ D sus esset in loco propinquo, requirendus esset ad dissoluenda sponsalia, vt docet *Couarrunias 4. de sponsalibus 1. part. cap. 5. num. 7. & alij.* Hoc enim ratio ipsa naturalis, & natura sponsalium exigere videtur: imò si sponsus de licentia spõsæ se transtulit in partes remotas, tempus præfixum expectandum est, & non amplius, cum sponsus culpabiliter abest vltra tempus signatum. Ita sentit *Ioannes Andreas super dictum cap. de illis num. 5.*

3 Tertia causa, dissoluendi sponsalia est impedimentum dirimens matrimonium, cum enim spon-

ſponſalia ordinentur ad matrimonium, vbi A matrimonium impoſsibile eſt, impoſsibilia quoque ſunt ſponſalia. Cum autem impedimentum dirimens ſe offert, tunc ſoluuntur ſponſalia, & futura, & præcedentia, cum hac tamen differentia aduertenda, quod ſponſus, qui culpa ſua dedit cauſam impedimenti, tenetur expenſis ſuis procurare diſpenſationem eius impedimenti. ſponſa vero innocens neq; tenetur expenſas ſoluere, neque diſpenſationem acceptare, quia iuſtam habet cauſam reſiliendi à ſponſalibus, vt quia ſponſus cognouit conſanguineam ſponſæ in gradu prohibito. Et votum etiam ſimplex caſtitatis, vt patet ex dictis in præcedentibus quæſtionibus dirimit ſponſalia, ſpouſalia vero, vt etiam patet ex dictis, non dirimunt priora ſponſalia, B cum ea ſubſequuntur, & multo minus alia impedimenta impedientia matrimonium dirimunt ſponſalia, quia non ſunt in vſu, vt infra explicabimus.

4 Addimus tamen ſecundum *Rebellum 2. par. de obligationibus inſtit. lib. 4. allegantem Paludan.* (vt explicemus id, quod aliquo modo eſt annexum voto caſtitatis) per confirmationem validam factam à Papa alicuius in Epiſcopum, etiamſi cõfirmatus non ſit ſacris initiatus, diſſolui ſponſalia, quia decentius eſt, ea diſſolui, quam confirmatum ducere vxorem, licet de præſentatione non ſit eadem ratio.

5 Quarta cauſa diſſoluendi matrimonium fœditas notabilis eſt, vt amiſsio vtriuſque oculi, & naſi, vel paralyſis, vel lepra. Ita habetur in C *cap. quemadmodum de iure iurando, in princ.* & idẽ eſt, ſi morbus gallicus, aut alter contagioſus ſuperueniat, vt ait *Nauar. in ſumma cap. 22. num.* 27. & idem eſt de morbo incurabili graui, vt docet *D. Thom. in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 3. ad tertium*, & idem dic, ſi os male oleat, & non poſſit remedium adhiberi, ſic *Sanchez. diſp. 57.* Et idem dicẽdum, ſi ſponſus damnetur ob furtũ, vel aliud crimen turpe, quia fuit facta in re notabilis mutatio ob infamiam, hæc omnia intelliguntur, cum ſuperuenerunt ſponſalibus cõtractis, non cum antea præceſſerunt. In quibus caſibus poteſt ille, qui ſine culpa eſt, & ſine læſione, diſſoluere ſponſalia, alter vero non D poteſt, quia quod fauore alicuius introductum eſt, non debet in eius damnum retorqueri *leg. quod fauore, C. de legibus*, quamuis ille, qui morbo affectus non poſſet ſine notabili damno ſui matrimonium inire, non tenetur inire illud.

6 Quinta cauſa diſſoluendi ſponſalia eſt morum aſperitas, & ſæuitia alterius. Patet, quia in *cap. literas de reſtit. ſpoliat.* hæc iudicatur cauſa ſufficiẽs diuortij in matrimonio, ergo eſt ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia, quæ contractum minus fortem conſtituunt. Quod argumentum ſumitur *ex cap. quemadmodum de iure iurando*, & idem dicendum eſt de alia cauſa ſufficienti ad faciendum diuortium. Deinde capitales inimicitiæ ortæ inter ſponſos ſunt cauſa diſſoluendi ſponſalia ob rationem *cap. 2. de ſponſalibus*, ne infœlices exitus habeat matrimonium.

Sexta cauſa eſt paupertas ſuperueniens notabilis. Probatur, quia per hoc eſt facta notabilis mutatio in ſponſo, verbi gratia, quæ ſi ante ſponſalia intelligeretur, ea impediret, vel cum magna hæreditas aduenit alteri eorum poſt ſponſalia, quia notabiliter fit ſtatus dignior, niſi tunc adhuc matrimonium vtrique eſſet vtile. 7

Septima cauſa diſſoluendi ſponſalia eſt diſpenſatio Pontificis ex iuſta cauſa, quam non poteſt Epiſcopus concedere, quia in *cap. ex literis 2. de ſponſalib.* hoc videtur reſeruari Papæ ex eo quod præcipit Papa, vt Epiſcopi compellant ad obſeruanda ſponſalia. 8

Octaua cauſa eſt, cum parentes nolunt dare dotẽ promiſſam, *c. de illis, de cõditionibus appoſitis.* & nota quod conditio tacite intellecta non facit ſponſalia conditionata, quia alias nõ oriretur impedimentum publicæ honeſtatis, ſemper enim intelligitur, niſi nos diſſenſerimus. 9

Nona cauſa diſſoluendi ſpõſalia eſt aliquod inconueniens notabile ſuperueniẽs ſponſalibus, quod à principio, & ante ſponſalia ſuperueniens impediret, ea contrahi inter homines cordatos, non leues. Probatur, quia vt patet *ex cap. quemadmodum de iure iurando*, rebus notabiliter mutatis promiſsio non obligat. Ita docent *Nauar. in ſumma Latina nu. 27. Enriquez lib. 11. de Matrimonio cap. 14.* & hoc dicendum eſt, quamuis ſponſalia iuramento confirmentur, quia iuramentum ſortitur conditiones contractus, cui adhæret, *l. finalis, C. de non numerata pecunia.* Et quando aliquis dicit, ſe à principio non contracturum ſponſalia, ſi talis cauſa adeſſet, credendum ei eſt in vtroque foro, ſi iudicio prudentum ita conſideretur. Vnde ſi vir ante ſponſalia ſæpe fornicetur, poſtea præbet cauſam ea diſſoluendi, quia hoc eſt alteri coniugi ignominioſum, & ſuſpicionem cauſat eum non ſeruaturum fidem poſtea inito matrimonio, vnica tamen fornicatio viri non eſt ſufficiens cauſa ad diſſoluendum ſponſalia. Tũm quia ex eo non ſatis timetur in aliquo tẽpore luxurioſe victurum, tũm quia ex hoc nulla redundat ſponſæ iniuria, in fœmina tamen vna ſola fornicatio tribuit ſufficientem cauſam diſſoluendi ſponſalia, quia ex ea magnũ dedecus reſultat ſponſo. 10

Si vero ſponſus cognouerat, ſponſam fuiſſe impudicam, & infamem propter luxurioſam vitam ante ſponſalia actam, & hoc cognouit ante contractum ſponſalium, licet poſtea detegat alias fornicationes ſuæ ſponſæ, quæ paulo plus eius honorem denigrant, non poteſt 11

ſpon-

sponsalia dissoluere, quia hæc causa parua iudicanda est in contractu tanti momenti. Ita docuit *Sanchez lib. 1. de Matrimonio, disp. 63.* imò, si causæ, quæ sufficientes sunt ad dissoluenda sponsalia, quando ipsa subsequuntur, antecedant sponsalia, sed tēpore contractus prorsus ignorentur, & postea contingat, eas detegi, sufficiunt ad hoc, vt sponsalia dissoluātur. Probatur primò, quia in iure paria iudicantur, nō esse, & non apparere *l. in lege. ff. de contrahenda emptione:* ergo à contrario sensu, qui quidem valet argumentandi modus in hac materia, quæ fauorem redolet, paria cēsentur, esse & apparere. Sed si vitium aliquod notabile post contracta sponsalia adueniret sponsæ, vel sponso, posset altera pars sponsalia dissoluere, iuxta doctrinam traditam in explicatione octauæ causæ, ergo cum antiqua causa de nouo apparet, idem prorsus affirmandum est.

12 Quæret tamen aliquis primò, an cum iustæ causæ dissoluendi sponsalia præcesserunt ipsa sponsalia, omninò tamen fuerunt incognitæ, ipso iure reddant ea nulla? Huic interrogationi respondetur primò, quod si dolus, & ignorantia alicuius vitij non dedit causam contractui, quia contractus eodē modo celebraretur detecto eo vitio, atque eo occulto, tūc sponsalia non sunt irrita iudicanda. Probatur, quia in eo casu adest verus consensus sufficiens ad alios contractus, ergo etiam ad contractum spōsalium. Respondetur secundo sponsalia esse ipso iure nulla, quando dolus dedit causam contractui, quia eo detecto non cōtraherentur spōsalia, & quando aliquis contrahentiū fuit causa doli, vt si fœmina dixit, se esse virginem, cū non esset, & propterea vir ei promisit matrimonium illud alias nō promissurus. Probatur, quia contractus bonæ fidei hac ratione irriti sunt *l. eleganter 7. in principio, ff. de dolo,* cum vero non sponsus, sed alter tertius dat causam doli, tunc non sunt ipso iure irrita sponsalia, sed adquiritur ius ad ea dissoluenda. Ita *Sanchez alios allegans, disp. 64.* & ratio differentiæ est, quam reddit Pater *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 352. §. vt quod sentio.* Quia cōsensus iste in his casibus, stando in iure naturæ, cum nō sit circa aliquid substantiale matrimonij, validus est ad sponsalia, in iniuriam tamen, & pœnam eius sponsi, qui decepit, ne reportet commodum ex sua malitia, inualidus iudicatur. Quod non iudicatur, quādo quis tertius deceptionis causa fuit, quæ doctrina vera est in contractu oneroso, non vero in gratuito, vt in voto. Vnde votum eundi Romam, existimando, esse nobis propinquam, non valet.

13 Quæres secundò, an ille qui post cognitam causam sufficientem ad dissoluenda sponsalia sponsam cognouit carnaliter, perdat ius ea dissoluendi. Ad hoc respondetur cum *Thoma Sanchez disp. 66.* alios allegante, quod cum spōsalia valida sunt, tunc si post cognitam causam sufficientem ad dissoluēda sponsalia quis cognoscat carnaliter sponsam, amittit ius dissoluendi sponsalia. Patet, quia si vir matrimonio copulatus cum vxore post cognitum eius adulterium eam cognoscat amittit ius petendi diuortium, vt docet *D. Thom. in 4. dist. 35. quæst. vnica, art. 1. in corpore,* vt patet ex *l. si vxor. 13. in fine, ff. ad l. Iuliam de adulterijs.* Ergo similiter sponsus per talem copulam amittit ius dissoluendi sponsalia, & hoc etiamsi habeat voluntatem non remittendi ius suum, quia hæc remissio non fit ab homine, sed à iure. Si autē sponsalia ipso iure erant nulla, copula ea valida facit, si contingat cum scientia illius defectus, qui fuit in sponsalibus, & cum consensu permanendi in prioribus sponsalibus cognoscendo esse irrita. Patet, quia iste cōsensus sufficiens est ad sponsalia de nouo celebranda, cur ergo ea non celebrabit? Quod si ignorat ius resiliendi, & cum ea ignorantia cognoscat sponsam, non censetur, sponsalia ratificare, quia *ex l. si per errorem,* nihil est magis contrarium consensui, quam error.

Quæres tertiò, an sponsus habens aliquod vitium occultum, quod si sciret spōsa, haberet ius ad dissoluenda sponsalia, possit cogere illam ad seruanda sponsalia, quando valida fuere? Ad quod respondetur, posse huiusmodi spōsum compellere sponsam. Ita sentire vidētur, dum de adulterio loquuntur *Petr. de Soto lectione 16. de Matrimonio, §. penult. Turrecremata cap. in coniugio 32. quæst. 1. in fine, & alij.* Probatur primò, quia quod sponsus in hoc casu impediatur, quominus possit sponsam compellere ad matrimonium, est in pœnam sui delicti, sed huius pœnæ non debet esse ipse executor, quia id cōtra ius naturale videtur, neque tenetur, suum delictum prodere iudici, vt eam pœnam exequatur, ergo potest compellere sponsam ad seruanda sponsalia. Quod tamen intellige, nisi vitium causaret periculum mortis alij sponso, vt morbus gallicus. Hæc dicta vera sunt etiamsi sint sponsalia iurata. Patet, quia in iuramento subintelligitur, easdem attendi cōditiones, quas in cōtractu, cui adiungitur. Probatur *ex cap. quemadmodum de iure iurando, Cōninc. tomo de Sacramentis, disp. 23. de sponsalium dissolut. dub. 12.* sentit fœminam habentem defectum culpabilem, vel inculpabilem, qui reddat eius nuptias notabiliter minus expetibiles, non tamen periculosas alteri parti, non teneri parti volenti secum contrahere sponsalia aperire eos defectus, vt si mulier sit corrupta, aut ignobilis. Vel pauper, cum tamē virgo, nobilis, vel diues existimetur. Probatur, quia nemo tenetur, se ipsum infamare, aut suos defectus proclamare, quandiu hi alijs non nocēt, sed alterius partis esse, ea inquirere.

Verumtamen hanc doctrinam falsam esse 15
exi-

existimo. Vnde puto in eo casu, quo defectus notabiles sint, vt in dictis casibus, & quo vir errore ductus contrahit, alias non contractu- rus, veritate detecta eorum defectuum, peccare grauiter sponsam tacentem eos defectus, & cum illis contrahentem, licet mendacijs non occultet eos. Probatur, quia ex vna parte accipiens sponsam cum his defectibus graue dānum patitur, vt apparet, magnum enim dedecus est fornicariam ducere, hominemque nobilem ignobilem ducere fœminam, & ex alia parte sponsa sine eo, quod se infamet, potest alijs vijs fugere sponsalia. Secundò, quia qui emeret equum centum, quia putat esse velo- cissimum, cum tamen minus velox sit notabi- liter, debet moneri à venditore, ergo ad argu- mentum *Coninc.* patet ex prima ratione.

16 Circa quæ notanda sunt duo. Primò notandum est, non requiri auctoritatem Ecclesiæ ad dissoluenda sponsalia, cum alter sponsus aut religionem profitetur, aut matrimoniū de pręsenti celebrat. Patet, quia causæ istæ dissoluendi sponsalia, & sunt expressę in iure, & in facto satis notæ, quia fiunt publice. Ita *D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. in corpore, & ibi Thomistæ*. Quod si sponsalia sunt publica, & causa dissoluendi etiam sit publica, & certa in iure, quia est expressa in iure, & in facto, quia publica est, vt aliqua deformitas notabilis, tunc non est necessaria auctoritas Ecclesiæ ad dissoluēda sponsalia, sed quilibet potest ea dissoluere. Ita tenet *Sanchez disp. 69. num. 4. cum alijs*. Patet, quia inde nullum nascitur scandalū & etiam eum tam sponsalia, quàm causa dissolutionis sunt occultæ. Cum autem sponsalia sunt publica, & causa dissolutionis occulta, aut dubia, tunc desideratur auctoritas iudicis ad ea dissoluenda: quia in primo casu esset scandalū, in secundo iniustitiæ periculum, index competens cuius auctoritate sponsalia dissoluenda sunt, est solus Ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus, quia hæc materia spiritualis iudicatur, vt pote relata ad matrimonium, quod sacramē tum est, non vero est iudex parrochus, quia nō est iudex in foro exteriori. Ita *Ioann. Gutier. de Matrimonio, cap. 25*. Secundò notandum est,

A posse sponsum vitium occultum sponsæ, vt fornicationē ad tribunal deferre, quando eam admonens per se, vel parentes, vel viros pios, ipsa non vult à sponsalibus desistere, quia iuste se defendit sponsus in hoc casu. Ita in simili casu de testibus defendit *Sotus lib. 5. de iustitia, quæst. 7. art. 3.* quia iuxta receptam doctrinam, licitum est detegere vitia restium occulta, & denunciare furem occultum iudici ad vitandum proximi damnum.

Quæres quintò, quæ probatio sufficiat ad 17
impediendum matrimonium pro foro exter-
B no, & interno? Et responderur ad primum pro foro externo sufficere, ad impediendum matrimonium, & dissoluendum sponsalia, vnicū testem. Ita habetur *in capit. prærerea, secundo de sponsalibus*. Hoc autem intelligitur, quando agitur de vitando peccato, vt ne duo consanguinei contrahant, non quando agitur de non vitando peccato, vt de admonendo sponso de fornicatione sponsæ, qualitates vero testis videatur apud *Sanchez. disp. 7 in de Matrimonio, li. 2. d. 37.* qui generaliter dixit ad probādum impedimentum debere esse testes omni excep-
C tione maiores, sed *Ioann. Gutier. tract. de matrimonio, cap. 44.* sentit contra ad hoc admittendos esse vt testes consanguineos, & affines vtriusque sexus. Patet expresse *ex cap. videtur, qui matrimonium accusare possunt, & ex leg. 15. titulo 9. partita 4.* Cuius verba ad hoc propositum sunt clara: Imò sufficit fama publica ad dissoluenda sponsalia. Ita habetur in *cap. super eo. de consanguinitate*, rumor tamen qui solum est tertiæ partis viciniæ, vel quartæ non sufficit: imò si duo sponsi fateantur se habêre impedimentum, credendum est eis, & illi etiam, qui optabat matrimonium, non tamen ei, qui
D recusabat matrimonium. Ita *Sanchez. disp. 7 a.* & pro foro interno sufficit etiam vnicus testis, quando agitur de dissoluendis sponsalibus, & fama publica. Ita colligitur ex doctrina *Soti dum agit de diuortio in quarto dist. 36. quæstione vnica, artic. 4. versiculo circa singulos*, & hæc de sponsalibus.

(.?.)



TRACTATVS SECVNDVS DE ESSENTIA MATRIMONII.

QVAESTIO PRIMA.

In quo consistat essentia Matrimonij, & eius forma & materia?



1 IN qua quæstione
quædam supponen
da sunt. Primò sup-
ponẽdum est, quot
modis dicatur ma-
trimonium, quod vi
deatur in procemio,
quod ad totam hãc
materiam præmi-
simus.

2 Secundò supponendum est, matrimonium
esse homini naturale, non quidem ita vt ex so-
lis naturæ principijs oriatur nullo adhibito ra
tionis vsu, quemadmodum est naturale graui
ferri deorsum. Sed dicitur naturale, vt docet
cum suis discipulis *D. Tho. in 4. dist. 26. q. 1. a. 1.*
quia prouenit ex inclinatione naturali. In ho-
mine enim, supposito, quod non posit, se ip-
sum in perpetuum conseruare, est naturalis in
clinatio ad conseruandum se in filijs media ge
neratione. Et quia isti filij debent perduci ad
perfectam ætatem, & educationem, ideò ne-
cessarium fuit secundum naturam matrimo-
nium, vt hac ratione coniuges se solos, & non
alios cognoscentes, & maximam inter se con-
iunctionem habentes, & filios suos certo cog-
noscerent, & eorum curam gererent.

3 Tertiò notandum est, matrimonium in ra-
tione contractus esse institutum in lege natu-
ræ *Genes. 1.* illis verbis: *Crescite, & multiplicami
ni, & Matth. 19.* esse institutũ in ratione sacra-
menti illis verbis: *Quos Deus coniũxit, homo non
separet.*

4 Quartò notandum est, matrimonij hanc
esse veram diffinitionem, Matrimoniũ est con
iunctio maritalis viri, & fœminæ inter legiti-
mas personas, indiuiduam vitæ consuetudinẽ

A retinens. Ita habetur in *cap. illud in fine de præ-
sumptionibus, & l. 1. ff. de ritu nuptiarum.* Pro hac
diffinitione, & quod posit in separabilitate
Deus dispensare, videatur *Sot. in 4. dist. 33. q. 2.
art. 1. §.* ratio ergo huius cõclusionis, quia nos
in his immorari opus non est.

Quintò notandum est, matrimonium in du- 5
plici statu posse considerari. Primò in fieri, id
est, in ipsa actione, qua fit. Secũdò in facto es-
se, idest, postquã factum est, & hoc notabile sit
prima conclusione.

Loquendo ergo de matrimonio in facto es- 6
se, certum est, eius essentiam non consistere in
B copula, seu consummatione matrimonij, quia
B. Virgo verum cõtraxit matrimoniũ cum B.
Iosph, vt habetur *Matt. 1.* & tamẽ non consum
mauit matrimoniũ. Præterea neque matrimo-
nium consistit in consensu interno, neq; in cõ
tractu externo, quia hæc transeũt, at matrimo-
niũ vsq; ad mortẽ durat, neq; consistit in mu-
tua corporum traditione, propter eandẽ ratio
nẽ, neq; consistit in mutua obligatione vnius
ad alterũ, aut in iure, quod habet vnus in alte-
rũ, quia hæc posteriora sunt essentia matrimo-
nij, quasi ex illa nata. Consistit ergo matrimo-
C niũ in facto esse in quodã indissolubili vincu-
lo, quo coniuges ipsi vniũtur inter se, ad opera
matrimonij exercẽda. Vnde definitio matrimo
nij sic explicari potest, dicitur in ea, quod ma-
trimoniũ sit coniunctio, quia in ea cõsistit es-
sentia matrimonij, quia est quoddã vinculũ: di
citur maritalis, quia nascitur ex mutua tradi-
tione, dicitur viri, & fœminæ, quia in his per-
sonis recipitur matrimoniũ. Dicitur inter legi
timas personas, quia talis vir, & fœmina nõ de
bent habêre impedimentum dirimens, dicitur
indiuiduã vitæ consuetudinẽ retinẽs, quia est
in

in coniugibus mutua cohabitatio, & nexus in- A dissolubilis.

7 Sextò, Matrimonium aliud dicitur legitimum, & hoc est, quod legitimo consensu contrahitur, id est, non reprobato, & annullato per leges illius prouinciæ, in qua habetur. Et huiusmodi matrimonium etiam reperitur inter infideles, & non est sacramentum, quia nō est inter personas media fide, & charitate vnitas, vnde non perfectè repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Et ratum dicitur, quando matrimonium est sacramentum, vt contingit in matrimonio Christianorum, cum nōdum tamen est consummatum per copulam, matrimonium etiam dicitur consummatum, & est illud, quod copula carnali perficitur, sicut omnis potentia perficitur suo B actu.

8 Septimò notandum est, olim dum pauci erant homines, fuisse matrimonium in præcepto singulorum respectu, quia tunc quilibet tenebatur, speciem conseruare per generationem, vt *D. Thom. in quarto dist. 26. quæst. 1. artic. 2. in corpore notanti.* Et nunc si tantum essent in rerum natura monachi illi essent obligati ad matrimonium propter eandem rationem. Quod præceptum, & est diuinum, vt patet ex principio huius materiæ, & naturale, & reducitur ad dilectionem proximi in Decalogo, & ad non occidendum, quia qui in necessitate non contraheret, quasi occideret. Et in eo casu, quo magna bella sequerentur, nisi filius Principis vxorem duceret, tene- C retur ad matrimonium sub mortali, & posset à superiore obligari, vt docet *Salas tomo de legibus, folio 214.* absolutè tamen loquendo modo præceptum matrimonij non obligat singulos, sed Rempub. vt necessitate hominum superueniente compellat ad matrimonium. Ita *D. Thom. dicta quæst. 1. Soto quæst. 1. artic. 2. & alij multi relati à Sanchez. disp. 3. lib. 2. de sponsalib.* videatur iuxta hoc *Rebell. lib. 2. de contractu matrimonij, quæst. 1.*

9 Secunda conclusio. Matrimonium, vt est Sacramentum, sic potest definiri, est signum sensibile gratiæ, quo vir, & mulier legitimo consensu perpetuo coniunguntur, & vt com- D muniter Theologi docent cum *Magistro in 4. dist. 26. & D. Thom. in additionibus, quæst. 42. articulo secundo.* Post peccatum Adæ lumine naturæ dictante matrimonium cœpit esse remedium concupiscentiæ, est autem tale remedium, vt optime docuit *D. Thom. loco citato, articulo sexto, ad quartum,* quia per actus licitos matrimonij, expleta concupiscentia minus excitat ad actus illicitos, & inordinatos.

10 Circa secundum punctum quæstionis variæ existunt Doctorum sententiæ prima est *Glossæ capite tua. de sponsalibus, verbo, nec forma, & Capreoli in quarto dist. 26. quæstione vnica, artic. 3. ad septimum.* Defendentium, consensum esse materiam, & verba exprimentia consensum, formam in Sacramento matrimonij. Sed hæc sententia sustineri minime potest, quia materia Sacramentorum debet esse sensibilis, & externa, sicut sacramentum ipsum sensibile est, & externum, consensus autem est quid internum, ergo non potest esse materia, seu pars sacramenti, & eodem modo reijcitur sententia Maioris, quæ fit in ordine secunda asserentis *in quarto dist. 26. quæst. 1.* consensum esse formam, & verba materiam, quia cum sacramentum, quod componitur ex materia, & forma tanquam ex partibus, sit quid sensibile, & externum, forma etiam debet esse sensibilis, & externa. Tertia sententia est *Diui Antonini tertia parte, titulo 1. capit. 1. ante §. 1.* Docentis, contrahentes esse materiam, & verba formam, sed hæc sententia ex eo refutatur, quia sicut in alijs contractibus rerum, vt locationis, vel venditionis domus, domus nō est materia, ex qua componitur contractus, sed circa quam versatur, ita in matrimonio, quod est contractus personarum, personæ sunt materia, circa quam, & non ex qua constat matrimonium. Quarta sententia, quæ est *Enriquez lib. 11. de matrimonio, capit. 2. numero 5. & Victoriæ in summa de Matrimonio, numero 245.* ait, verba prioris contrahentis esse materiam, & verba posterioris formam. Sed hæc sententia nunquam mihi placuit, quia materia, & forma debent esse determinata, sic autē materia, & forma matrimonij determinata nō essent, quia ille, qui prius locutus est, poterat loqui posterius, & è contra, & ita verba, quæ prius erant materia, poterant esse forma. Quinta sententia est Cani dicentis, verba Sacerdotis esse formam, & verba contrahentium materiam, quæ videatur apud *Rebell. secunda parte de obligat. iust. lib. 2. quæst. 4.* Sed hæc sententia falsa omninò est, quia eadem sine dubio est forma in matrimonio post Concilium Tridentinum, & antea, sed antea verba Sacerdotis non constituebant formā, quia sine præsentia, & verbis Sacerdotis resultabat matrimonium, ergo etiam post Concilium Tridentinum verba Sacerdotis non habent rationem formæ.

Verior tamen sententia est, quam sequuntur *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæstione* 11 *42. articulo primo, dubio quarto, conclusione septima, & Thomas Sanchez. lib. secundo de sponsalibus disp. quinta, alios referens.* Verba vel signa exprimentia consensus esse materiam, & formam, hoc modo. Ita vt habeant rationem materiæ in quantum continent traditionem corporum, & habeant rationem formæ, in quantum continent acceptationem. Probatur, quia materia est quid imperfectum, & perficitur per formam, & ita traditio est materia, quia est

quid imperfectum, & acceptatio est forma, quia est quid perfectum, & complens contractum, & dissentiunt isti Auctores, vt apud illos videri potest in eo, scilicet, quæ sit materia, & forma in ratione sacramenti. Est enim eadem, atque matrimonij considerati in ratione contractus, quia Christus id, quod erat contractus, eleuauit ad esse sacramenti. Et prædicta definitio matrimonij sumpta in fieri, conuenit tantum matrimonio in fieri: vnde cùm supra diximus, definitionem matrimonij tantum conuenire matrimonio in facto esse, intelligitur, sumendo definitionem in facto esse.

12 Quæret tamen aliquis, quis sit minister huius sacramenti Matrimonij? Ad quod respondetur, esse ministros ipsos contrahentes. Ita *Diuus Thomas, & alij Auctores in secundo puncto citati, & alij complures relati à Sanchez, libro secundo disputatione sexta*. Probatur primò, quia in alijs contractibus ipsi contrahentes sunt ministri, ergo in isto. Probatur secundò, quia ante Tridentinum sine parrocho, & testibus erat verùm sacramentum, ergo non parrochus, sed contrahentes sunt ministri in matrimonio, vnde cum in *Concilio Tridentino, Sessione 24. canone primo de Matrimonio*, Iubetur, vt parrochus proferat ea verba, ego vos coniungo, talia verba non efficiunt coniunctionem, sed declarant esse iam factam, vt Doctores communiter dicunt. Vnde non est peccatum mortale, parrochum in lethali assistere matrimonio, quia non est minister.

QVÆSTIO. II.

An matrimonium, quod est inter fideles sit Sacramentum?

1 IN hac quæstione primò certum est, matrimonium lege naturæ, aut veteri non fuisse sacramentum, sed tantum contractum naturalem. Probatur *ex Concilio Florentino, Decreto de Sacramentis, & ex Concilio Tridentino, Sessione 24. canone primo, & Decreto immediate ante Canones*, vbi dicitur: *Matrimonium esse Sacramentum nouæ Legis à Christo institutum.* Vnde licet matrimonium Adami, & alia matrimonia antiqua aliquo modo figurauerint coniunctionem Christi cum Ecclesia, quia tamen non eam perfectè significabant, sicut matrimonia Christianorum, & quia non sunt ad hoc specialiter instituta, sicut nostra, ideò non sunt sacramenta. Ita multi Doctores, inter quos est *Bellarminus*, putans oppositum non esse tutum, *secundo tomo tractatu de Matrimonio, in principio*. Pro complemento huius notabilis, & vt Christiani contrahentes ma-

A trimonium sui contractus obligationes cognoscant, addimus hæc, vt matrimonium sit sacramentum, requiritur in contrahentibus intentio faciendi, quod facit Ecclesia, vel aliqua similis. In qua re non est necessaria confessio sacramentalis, sed sat est contritio ad receptionem sacramenti Matrimonij. Hoc videatur in nostro tractatu de Sacramentis in genere, & vt ministri indigent confessione, vel contritione, quia sunt ad id deputati. Videatur id in nostro tractatu ibidem. Tandè nō causat hoc sacramentum gratiam recedente fictione, videatur in nostro tractatu de Baptismo in fine hoc.

Secundò certum est, matrimonium infidelium non esse sacramentum propriè, & in 2
B rigore, quia vt ait *Concilium Florentinum in Decreto de Sacramentis*. Baptismus est ianua sacramentorum, & qui non est baptizatus, non est capax sacramenti, solum autem dicitur largo modo in *capit. gaudemus de diuortijs Sacrament.* quia aliquo modo, licet imperfectè, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Et eodem modo dicendum est, si quis fidelis ex dispensatione Pontificis cum catechumena contraheret, quia cum matrimonium sit vnicum sacramentum, eo ipso, quod non est sacramentum ex parte non baptizati, non est etiam ex parte baptizati. Ita defendit *Sanchez lib. 2. de sponsalibus, disp. 8.*

His suppositis sit prima conclusio. Matrimonium infidelium, quando postea conuer- 3
C tuntur ad fidem, non requirit præsentiam parrochi, & testium. Ita *Nauarr. in prima editione lib. primo consilio, titulo 35. de pactis, consilio quarto in fine, & in posteriore editione lib. tertio titulo de conuersione infidelium, consilio secundo in fine.* Probatur, quia *Concilium Tridentinum Sessione 24. canone primo de Matrimonio*, solum pro matrimonio inter fideles inito requirit eam præsentiam, infideles vero isti non contrahunt in Ecclesia, sed extra illam in infidelitate, & secundum suas leges celebratum validum est, dummodo illæ non sint contrariæ iuri naturali, aut diuino, vt patet ex 1. *ad Corinth. 7. & cap. gaudemus de diuortijs.*

Quidam dicunt, matrimonium contractum ab infidelibus, dum in infidelitate commo- 4
D rabantur, eis ad fidem conuersis, & baptizatis fieri sacramentum, & hoc sine nouo cōsensu superaddito. Ita sentiunt *Paludanus 4. diss. 26. quæstione quarta, artic. tertio numero 25. in solutione ad quintum, & Thomas Sanchez secundo lib. de Matrimonio, disp. 9.* Probatur hæc sententia, quia illud est sacramentum Matrimonij, quod perfectè significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, sed huiusmodi matrimonium significat perfectè hanc coniunctionem, sicut & alia matrimonia Christianorum, ergo est sacramentum. Quod autem tunc

non

non requiratur nouus consensus constat, quia tunc non fit nouus contractus, sed antiquus virtualiter perseuerat, ergo neque est necessarius nouus consensus, neque noua materia, & forma, sed sufficit, hæc omnia, quæ antea præcesserunt, virtualiter permanere, aut sufficit vinculum, quod est matrimonium in facto esse, & quod formaliter perseuerat, cum antea sacramentum minime esset, de nouo fieri sacrameotum. *Rebellus vero secunda part. de obligatione iustitiæ, lib. 2. quæst. 6.* Defendit conuersis infidelibus antiquum matrimonium fieri de nouo sacramentum, si illi de oouo exprimant suoa consensus, vel ratos habeant antiquos, Fundamētū huius Doctoris est, quia isti coniuges non sunt priuandi gratia sacramentali ad officia matrimonij exercenda necessaria. B

5 Sit tamen secunda cōclusio. Matrimonium istorum infidelium nullo modo fit sacramentum, etiam post eorum conuersionem. Hanc conclusionem pro viribus tuentur *Pater Magister Petrus de Ledesma in Summa de Matrimonio, capit. 24. & Pater Magister frater Basilius de Leon, cum alijs Doctoribus in libro de impedimen. dirim. capit. 26. § tertio, in fine.* Probatur hoc vnico discursu, quia tale matrimonium antiquum, neque modo fit sacramentum ratione vinculi, oeque ratione contractus in principio celebrati circa mutuam traditionem corporum, ergo nullo modo fit sacramentum, quia non restat alia via. Et quidem in primis non fit sacramentum ratione viooculi matrimonialis modo perseuerantis, quia tale vinculum quid spirituale est, sacramentum vero debet esse signum sensibile materiale. Præterea non fit sacramentum ratione contractus antiqui, quia materia, & forma illius cootractus iam præcesserunt, & modo non sunt formaliter, licet virtualiter perseuerent, ergo non possunt esse partes sacramenti, quod modo actualiter, & formaliter resultet. Secundò probatur quia matrimonium non causat gratiam postquam semel præterijt, vt vidimus in fine tractatus de baptismo, ergo neque si semel præterijt, & non fuit sacramentum ab initio, postea sacramentū esse potest.

6 Ex his respondetur argumentis in oppositum. Ad argumentum primæ sententiæ duo dicimus. Primum sit, ad rationem sacramenti non sufficere, significare quomodocunque cōiunctionem Christi cum Ecclesia, nisi ea significetur signo aliquo sensibili, & actuali, cum hoc sacramentum habeat suum esse in fieri, nō in facto esse, sicut sacramentum Eucharistiæ. Secundum sit, oeque vinculum postea formaliter perseuerans, neque antiquam materiam, & formam virtualiter manentem sufficere, vt vidimus in nostra conclusione ad constituendum de nouo sacrameotum. Ad argumentum secundæ sententiæ respondemus, eos nouos A consensus, vel nouas ratificationes non efficere modo cōtractū matrimonij, vnde, neq; ex illis posse resultare Sacramētū matrimonij, quia cū sacramētū Matrimonij fundetur necessariò in actione ipsa, qua fit contractus matrimonialis, & solum duret tandiu, quandiu illa durat, quia vt diximus solū habet suū esse in fieri, ideò impossibile est, trāsacta actione contractus matrimonialis, sacrameotum Matrimonij existere. Ad inconueniens verò, quod illa sententia contra nos obijciebat, huiusmodi coniugatos non esse priuandos gratia sacramentali valde necessaria, satisfacimus, asserentes huiusmodi gratiam non esse necessariò alligatam sacramēto Matrimonij, sed alijs vijs à Deo concedi. Vt contingit in cōiugatis, qui in peccato mor- B tali suscipiunt sacramentum Matrimonij, & tamen eam non suscipiunt recedente fictione ex vi matrimonij, quia hoc nō causat gratiam ea ratione.

Tertia conclusio. Matrimonium fideliū verè, & propriè est sacramentum conferens gratiam. Cōclusio est de fide. Quòd sit sacramentum definitur *in Trident. Sessione 7. can. 1.* vbi numeratur inter septem Sacramenta nouæ Legis. Quod conferat gratiam probatur ex *can. 8.* vbi dicitur: *Si quis dixerit, per ipsa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato nō conferri gratiā, anathema sit.* Sed rursus hæc tertia conclusio probatur ex *Paulo ad Ephesios 5.* vbi de coniugio sic dicitur: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* His enim ver- C bis significatur, non quod sacramentum sit tantum in Christi, & Ecclesiæ coniunctione, vt *Lutherus, & Caluinus volunt.* sed quod ideò maritalis coniunctio viri, & fœminæ est sacramentum magnum, quia significat Christi, & Ecclesiæ coniunctionē: vir enim est caput mulieris, sicut Ecclesiæ Christus, & mulier subdita debet esse viro, sicut Ecclesia Christo, & mutua dilectio debet esse inter vtrunque, sicut inter Christum, & Ecclesiam, vt loco citato prosequitur *Paulus, vt docet Aug. lib. 2. de gen. contra Manichæos, c. 24. & alij Interpretes ad Ephes. 5.* Secundò probatur, quia omnis actio externa; quæ est cultus Dei, & signum gratiæ, quæ in illius vsu ex certa Dei promissione confertur, verè est sacramentum, at maritalis con- D iunctio est huiusmodi. ergo est sacramentum. Maior est certa ex doctrina de Sacramentis in genere. Minor probatur. In primis coniunctio maritalis est cultus Deo gratus. Secundo eo ipso, quod ex Christi institutione est signum coniunctioois Christi, & Ecclesiæ, significat oobis gratiam diuinam, qua coniuges ipsi ita sibi animis coniuncti sint, vt repræsentent coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, neque enim hoc sine diuina gratia efficere possunt. Tertiò eum à momento, quo coniuges inter se copulantur, egeant gratia

diuina, vt illo charitatis vinculo iuncti sint, quo coniunctionem Christi, & Ecclesiæ imitentur, dubium non est, quin Deus illis gratiam det, si non ponant obicem. Tertiò probatur, quia antiqui Patres Ecclesiæ matrimoniũ quoddam Ecclesiæ Sacramentum esse censent *D. Ambros. lib. 6. in Lucam, ad cap. 8. D. August. de bono coniugali, cap. 18. & 24. lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 10.* Quia id, quod supponimus in primo certo huius quæst. secundæ, & notauimus conclusione tertia, grauem quandam continet materiam, & satis controuersam, quam non satis est per transennam attigisse: ideò in ea aliquantulum immorabimur.

8 Aliqui hæretici aperte existimarunt, matrimonium non esse Sacramentum à Christo institutum, sed tantum esse mysterium quoddam repræsentans Verbi Diuini incarnationem: hunc errorem secuti sunt *Lutherus lib. de captiuitate Babylonica, capite de Matrimonio, Caluinus lib. quarto de institutione, capite 19. §. 34. & Beza in annotationibus ad primum, capit. epistolæ ad Ephesios.* Probant suam sententiam hæretici ex eo, quia non constat ex Scriptura, matrimonium esse Sacramentum, nam si ex aliquo loco id constaret, maxime ex illis verbis *Pauli ad Ephesios quinto*, vbi postquam Paulus locutus fuit de matrimonio, addit hæc verba: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* At ex hoc loco non recte colligitur, matrimonium esse Sacramentum, tum quia Græci loco Sacramenti in verbis Pauli legunt mysterium, tum etiam, quia inde non colligitur, esse Sacramentum nouæ Legis institutum ad conferendam gratiam.

9 Secundò *Durandus* alios Auctores referens in suum fauorem *in quarto dist. 26. quæstione 3.* Affirmauit, matrimonium esse quidem Sacramentum, quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, non vero, quia significet gratiam sanctificantem coniugatos, quam significant alia sacramenta Ecclesiæ Euangelicæ. Probatur primò sententia Durandi, quia per matrimonium non confertur gratia prima, quia non est institutum in remissionem peccatorum, neque gratia secunda, hoc est augmentum gratiæ, quia si secundam gratiam conferret, sequeretur eos, qui prius in gratia Dei continentiam seruabant, & postea contrahunt matrimonium relicto statu perfectiori continentiæ, recipere in se augmentum gratiæ, quod incredibile videtur, cum ad imperfectiorem statum descendant. Secundò probatur, quia in matrimonio vir postulat à parentibus fœminæ dotem, quod tamen minime liceret absque simonia, si matrimonium esset Sacramentum. Tertiò probatur, quia ille, qui non est baptizatus, non est capax alterius sacramenti conferentis gratiam, nisi baptismi, sed non baptizatus est capax matrimonij, ergo matrimonium non est Sacramentum Ecclesiæ conferens gratiam.

Tertiò aliqui Catholici sentiunt, matrimonium esse sacramentum, institutum quidem à Deo, quando primos nostros parentes in Paradiso coniunxit. Ita docent *Albertus Pighius controuersia decima, Alphonsus de Castro contra hæreses verbo, nuptiæ, hæresi tertia, & alij.* Probatur, quia Deus, *Genesi 1.* benedixit matrimonio primorũ parentum dicens: *Crescite, & multiplicamini*, ergo gratiam contulit medio illo matrimonio. 10

His suppositis primo dicimus, à Deo esse vinculum matrimoniale. Probatur primò, ex illis verbis *Genesis secundo: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quæ verba pronunciauit Adamus diuino spiritu afflante, vt significauit Christus *Matthæi 19.* Secundò probatur ex *Matthæi 19.* ibi: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Tertio probatur innumeris exemplis sanctissimorum virorum, qui ab initio mundi matrimonia contraxerunt. Vltimo probatur ex *Concilio Gangrensi capit. 1. Bracharen. 1. can. 11.* 11

Secundo dicimus, certum esse nostris temporibus secundum fidem Catholicam, matrimonium esse proprie Sacramentum significans, & conferens gratiam coniugatis, quemadmodum reliqua sacramenta Ecclesiæ Euangelicæ sunt proprie sacramenta. Et præterea defendimus, matrimonium esse tanquam proprium Sacramentum institutum post aduentum Christi, non vero ab initio mundi. Ita sentiunt *Scotus in quarto dist. 26. quæstione vnica, §. tertia conclusio, Almainus, quæstione prima, Rurard. Taper artic. 3. 5.* sed aduersatur, *Bellarminus tomo secundo, lib. vnico, de Matrimonio, capit. primo, & deinceps, Vazquez in quodam fragmento Matrimonij*, quod continetur *in quarto tomo eius super tertiã partẽ, disp. 2.* Probatur doctrina Catholica *ex Eugenio IIII. in Concilio Florentino in illo Decreto fidei, quod est post vltimam Sessionem. §. quinto Ecclesiasticorum.* Vbi definitur septem esse nouæ Legis sacramenta, inter quæ matrimonium numeratur. Præterea inquit, septem Sacramenta nouæ Legis, & continere, & causare gratiam, & in eo differre à Sacramentis Antiquæ legis, quod illa non causabant gratiam, sed dandam per Christum significabant. Secundo probatur eadem doctrina *ex Concilio Tridentino Sessione 24. capite vnico, & canone primo*, vbi definitur, matrimonium esse vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ à Christo Domino institutum, & ibidem capite vnico definitur, gratiam conferre. Tertio probatur, ex Ecclesiæ constanti traditione, cuius meminit *Euari-* 12

stus

stat Papa in epist. 1. quæ est ad omnes Episcopos Africanos, *capit.* 2. & refertur *canone aliter* 30. *quæst.* 5. *& Siritius Papa epist.* 1. *cap.* 4. Quartò probatur ex communi doctrina Patrum Ecclesiæ, quorum plurima testimonia congerunt *Eckius tomo* 4. *Humiliarum homil.* 73. *Bellarmin. loco citato, capit.* 3. *Vazquez loco citato, cap.* 4. Quam sententiam aliqui contendunt cõfirmare ex quibusdam locis sacræ Scripturæ, sed quia alij existimant, ex illis locis non deduci hanc veritatem, ideò illis supersedendum duxi.

13 Tertiò dicimus, gratiam sacramentalem matrimonij plures effectus sortiri. Primum concupiscentiam reprimere. Secundum vt coniuges seruent sibi fidem. Tertium, vt prolem religiose educent. Ita docuit *Ricard. in* 4. *dist.* 26. *art.* 2. *quæst.* 3. *& multi alij.* Patet, quia ad hos omnes effectus indigent Dei gratia coniugati, ergo credendum est, eam conferri per Sacramentum matrimonij, quod institutum est ad vtilitates spirituales coniugum.

14 Vltimò dicimus, matrimonium tantum esse vnicum sacramentum in vtroque coniuge. Ita sentiunt *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst.* 42. *art.* 1. *dub.* 3. *& Enriquez in summa lib.* 11. *de matrim. cap.* 2. *num.* 1. Probatur primò, quia ibi tantum est vnica materia & forma, & vnicum signum repræsentans coniunctionem Christi cum Ecclesia, ergo tantum est vnicum sacramentum. Secundò probatur, quia cum Christus eleuauerit contractum matrimonialem ad esse sacramenti, & in vtroque coniuge tantum sit vnicus contractus matrimonialis, tantum erit vnicum Sacramentum.

15 Ex his respondetur ad argumenta aduersariorum. Ad argumentum hæreticorum dicimus, veritatem nostram Catholicam non probari ex eo loco Pauli, sed ex traditione Ecclesiæ, nam in eo loco solum appellatur matrimonium Sacramentum largo modo, quatenus significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, & ex eo Christus *Matth.* 19. probare contendit matrimonium omnium hominum esse indissolubile, vt inde hortetur omnes viros ad diligendas vxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Ad argumentum primum *Durandi* respondetur, Sacramentum matrimonij augere gratiam etiam in eo qui prius continẽter viuebat, non quia perfectiorem statum adeptus sit, sed quia recipit Sacramentũ nouæ Legis, quod confert gratiam ex opere operato. Ad secundum argumentum dicimus, in pacto de dote tribuenda marito, non committi simoniam, etiamsi matrimonium sit Sacramentum, quia ea pecunia non datur pro ipso Sacramento, sed ad alendam vxorem, & sustentanda onera matrimonij. Ad tertium patet, non baptizatos, non esse capaces matrimonij eius, quod propriè est Sacramentum, & confert gratiam ex opere operato, quia hoc supponit baptismum, sed matrimonij, quod largo modo est Sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Ad argumentum tertiæ sententiæ respondetur ex illis verbis, *Genes.* 1. *Crescite, &c.* non rectè probari, sacramentum matrimonij, ita propriè dictum esse à Deo in initio mũdi institutum, sed esse matrimonium in ratione contractus iustum, ac sanctum, & fuisse præceptum nostris primis parentibus, quia valde erat tunc necessarium ad propagandum genus humanum, quod tunc in rerum natura esse incipiebat, & quod duobus tantum hominibus constabat.

Contra tertiam tamen conclusionem obijciunt *Caluin. & Kemni. & alij* hæretici quædam argumenta facilia, quæ facile possunt videri apud *Gregor. de Valent. tom.* 4. *quæst.* 1. *de Matrim. secundum se, puncto* 5. 16

In quo Sacramento secundum *Diuum Thomam, in quarto dist.* 26. *quæstione secunda artic.* 1. *ad quintum*, actus externi sunt Sacramentum tantum, gratia res tantum, & vinculum est res, & Sacramentum simul. 17

Difficultas vero, neque lenis, neque contemnenda est, an inter Christianos possit talis intentio reperiri circa matrimonium contrahendum, vt solum resultet matrimonium in ratione contractus naturalis, non vero in ratione Sacramenti. In qua difficultate certum in primis est, in eo casu, quo intentio efficiendi contractum naturalem matrimonij, & non Sacramẽtum, ex priuato errore procedat, quo credat quis, matrimonium non esse Sacramentum, si tamen simul adsit intentio efficiendi id, quod fideles per matrimonium efficiunt, constitui verum Sacramentum matrimonij. Ita docent *D. Thom. in addit. quæst.* 51. *artic.* 2. *ad secundum, & Enriquez. lib.* 11. *de Matrimonio, cap.* 1. *num.* 5. Patet, quia iste simul cum errore priuato retinet veram intentionem generalem Ecclesiæ; quod possibile esse supra in tractatu de Sacramentis in genere docuimus: tota vero difficultas est in eo casu, quo quis cognoscat connexionem Sacramenti, & contractus matrimonialis. 18

Deinde certum est, non posse reperiri rationem Sacramenti matrimonij sine ratione contractus matrimonialis. Patet euidẽter, quia cõtractus ipse naturalis matrimonialis constituit veram materiam, & formã ipsius sacramenti, ergo sicut Sacramentum matrimonij non potest consistere sine materia, & forma, ita etiam non potest consistere sine contractu naturali matrimoniali. 19

Rebel. 2. *part. de obligationibus iustitiæ, li.* 2. *de contract. in genere, q.* 5. *n.* 4. Sentit, inter Christianos posse inueniri rationẽ contractus matrimonialis, sine eo quod inueniatur ratio Sacramẽ- 20

ti,si contrahentes,neque explicite, neque implicite intendant assumere contractum matrimonij tanquam signum practicum rei sacræ. Probatur hæc sententia primò,quia vbi ius nō exprimit contractum coniugalem esse inualidum,censendum est in vtroque foro esse eum validum ex *Ioan.XXII.Extrauag.antiqua* cum communi Doctorum sententia. Secundò,quia solæ conditiones contra substantiam matrimonij irritant contractum hunc, cuiusmodi sunt solæ de prole impedienda, adulterando, dissoluendo postea matrimonio, vt pote tribus ipsius bonis repugnantes. Reliquæ vero quamuis turpes non vitiant,iuxta *Gregor. IX. cap. fin de conditionibus appositis*, sed conditio efficiendi contractum matrimonialem, & non sacramentum,licet sit turpis, non est de numero illarum trium, ergo non irritat matrimonium. Tertiò probatur, quia si cōtractus matrimonialis esset irritus,quoties in illo deesset ratio Sacramēti nouæ legis,sequeretur eos Christianos,qui post receptū baptismū, ad Iudaismum recedētes contrahunt matrimoniū, posse valide ad secundas nuptias transire, prioribus relictis,quia vt Inquisitores testantur, isti prius solent priuatim more Iudaico sua matrimonia celebrare, cum tamen intentionem Ecclesiæ non habeant, & deinde in facie Ecclesiæ fingunt se iuxta intentionem Ecclesiæ contrahere. Consequens autem est contra consuetudinem Ecclesiæ, quod etiam magnam perturbationem afferret, ergo non est asserendum. Quartò probatur, quia ratio sacramenti accidentaliter coniungitur cōtractui naturali matrimonij,vt docet *D.Tho.in 4.dist.30. art.2. ad secundum argumentum*:ergo licet aliquando nō reperiatur ratio sacramenti,poterit tamen reperiri contractus naturalis matrimonij. Quintò probatur,quia gratia non destruit,sed perficit naturam, ergo contractus coniugalis qui de se validus erat, ex eo quod institutus sit in sacramentum non destruitur,vt in nostro casu, quā uis non attingat rationem sacramenti.Vltimò probatur,quia inter Christianum,& infidelem posset esse verum matrimonium, nisi obstaret ius Ecclesiæ, & tamen nulla ex parte esset sacramentum, quia infidelis non esset capax sacramenti.

21 Sit tamen nostra conclusio,in prædicto casu non reperiri verum contractū naturalē matrimonij.Ita sentiunt expresse *Pet.de Ledesma de Matrim.q.42.art.1.dub.7.in solut.ad primum & secundum,Sanch.lib.2.de essentia Matrim.disp.10.n.6.* & aperte colligitur ex ratione *Suarez tom.1.de sacrament.q.64.a.10.disp.13.sect.2. ad finem.* Probatur primò, quia ex Christi institutione non potest separari ratio sacramenti à ratione contractus naturalis matrimonij inter Christianos,quia Christus contractum naturalem matrimonij inter Christianos celebratum eleuauit ad esse sacramenti nouæ Legis, ergo qui non habet animum efficiendi sacramētum Matrimonij,non potest habēre animū efficiēdi contractum naturalem matrimonij. Secūdò probatur, quia eadem materia & forma, quæ sufficiunt ad rationē cōtractus matrimonialis constituendam,sufficiunt ad rationē sacramēti constituendā,& impossibile est hæc duo sufficientia esse ad constituendū contractum,& esse insufficientia ad componendum sacramentū, ergo etiam impossibile est intentionem contrahentium sufficere ad constituendam rationem contractus, quin sufficiat ad constituendam rationem sacramenti. Tertiò probatur ex *Concil.Trident.Sess.24.can.1.de sacramento Matrimonij*,vbi Ecclesia duo definit sub anathemate.Primum matrimonium esse verum, & proprium sacramentum. Secundum gratiam cōferre,ergo sentit Ecclesia non esse inter baptizatos aliquod matrimonium, quod non sit sacramentū, quia absolutè de omni matrimonio pronunciat esse sacramentum. Quartò probatur,quia sequeretur posse fideles inire matrimonium sine vllo peccato existentes in statu peccati mortalis, si quidem non efficerent in prædicto casu sacramentum:consequens est inauditum,ergo illud,ex quo sequitur.

Ex his respondetur argumentis in oppositum. 22 Ad primum dicimus,in prædicta extrau. illud matrimonium tātū annullari, quod iure diuino,aut sacris Canonibus reperitur annullatum,in præsenti autem casu illud matrimoniū in quo fideles non haberent animum efficiēdi sacramentum,sed efficiendi cōtractum annullatum fuit iure diuino,quia Christus voluit inseparabilem esse rationem cōtractus à ratione sacramenti. Ad secundum respondetur, Pontificem in eo cap. tantum contendisse annullare matrimonium celebratum cum conditionibus cōtrarijs tribus specialibus bonis matrimonij qualia sunt bonum fidei, prolis,& sacramenti: ob hoc tamen non negauit posse alias conditiones reperiri,quæ annullēt matrimonium:inter quas locum habet conditio efficiendi contractum matrimonij,& non sacramentū,quia hęc conditio destruit omnia bona sacramenti,& totam essentiam eius. Quemadmodū si contrahentes conueniant inter se de contrahendo sine vero consensu,si de facto cōtrahant cum ea cōditione defectus cōsensus, tale matrimoniū est nullū, & tamen hæc conditio nō est aliqua ex illis tribus *cap.fin.de condit.appositis*. Ad tertium respondetur illos baptizatos ad Iudaismū se conferentes, ibiq; more Iudaico contrahētes sine intentione efficiendi,quod facit Ecclesia,reuera neque efficere sacramentū matrimonij,neque cōtractū naturalem matrimonij, vnde recte posse prioribus coniugijs derelictis, alia valide contrahere, neque hoc generare scandalum, neque esse contra consuetudinem Eccle-

Ecclesiæ, quod si Ecclesia priora illa coniugia valida aliquando iudicat, hoc ex eo prouenit, quia agnoscit in illis saltem aliquã intentionẽ generalẽ faciendi, quod facit Ecclesia, quæ cõpossibilis est eũ priuatis eorũ erroribus, vt patet ex tractatu vnico nostro de sacramentis in genere. Ad quartũ dicimus, à contractu matrimoniali ex se considerato, & ante institutionem sacramenti matrimonij, separabilem esse rationem sacramenti, quia ei accidentaliter à Christo coniũcta est. Nihilominus tamen post institutionem sacramẽti matrimonij itã arcte, & indissolubiliter ratio sacramẽti cõnexa fuit cum ratione contractus matrimonij, vt vna ab alia sit inseparabilis. Ad quintum respondetur, ad verificandum illud commune proloquium, scilicet gratiam non destruere, sed perficere naturam, in materia matrimonij satis esse, contractum matrimonialem inter Christianos cum debita intentione Ecclesiæ celebratũ non destrui, ex eo quod ei adueniat ratio sacramenti, sed potius tunc maxime perfici. Vel secundo respondetur in eo casu non destrui naturam matrimonij per gratiam, & rationem sacramenti, sed per defectum veræ intentionis ministrorum. Ad vltimum dicimus, iuxta doctrinã assignatã à nobis in isto tractatu quæst. 2. nu. 2. in eo casu non fore sacramentum, quia infidelis non est capax eius (& ratio sacramenti non potest claudicare) fore tamen verum cõtractum matrimonij, quia huius quilibet contrahens capax est, in hac vero difficultate loquimur de alio diuerso casu, nempe cum vterque contrahens baptizatus est.

QVÆSTIO III.

Utrùm matrimonium contractum per procuratorem sit validum, & sacramentum.

IN hac quæst. certum est, matrimonium cõtractum per procuratorem ante Trident. validum fuisse. Ita habetur in *cap. fili. de procuratoribus, in 6. & in l. sufficit ff. de sponsalibus.* Probatur, quia hæc est natura contractus, vt possit per procuratorem contrahi, ergo matrimonium celebratum per procuratorem valebat olim. Quatuor tamen sunt requisitæ conditiones, vt hoc modo valeat. Prima vt commissio data procuratori sit specialis ad matrimonium, non enim sufficit generalis, ita habetur *in cap. fili. de procuratoribus in 6.* Secunda est, vt commissio sit ad contrahendum cum certa persona, & non cum qualibet. Ita habetur in *l. generali 34. ff. de ritu nuptiarum.* Tertia conditio est, vt procurator non substituat commissionem, nisi expresse hoc ei concedatur, ita habetur *in dicta cap. fili.* Quarta conditio est, vt tẽpore, quo contrahitur matrimonium, non sit reuocata commissio, si enim reuocetur, quamuis hoc sit ignotum procuratori, & coniugi alteri, non valet matrimonium. Ita habetur *in dicto cap. fili.* Quæ reuocatio quo ad forum conscientiæ sufficit interne in mente facta, & sufficit etiam facta sine verbis, sed solo facto, vt si altera sponsa quæratur, quas conditiones elegãter prosequitur *Sanchez, 2. lib. disp. 11.*

Difficultas vero est, an valeat matrimoniũ per procuratorem contractum post *Tridentinum sess. 24. cap. 1. de matrimonio.* Vbi in matrimonio requirit Concilium præsentiam parrochi, & testium. *Barth. à Ledesm. dub. 18. de matrim. fol. 1286.* sentit, tale matrimonium non valere. Probatur primo, quia ideo olim valuit matrimonium per procuratorem, quia sufficiebat nudus consensus sine parrocho, & testibus, vt patet *ex l. sufficit ff. de sponsalibus.* Sed hodie requiritur præsentia parrochi, & testium intelligentium consensum contrahentium, ergo non potest fieri per procuratorem. Secundo probatur, quia vbi presentia requiritur pro forma, non sufficit procurator. *vt in §. tutor autem inst. eodem tit.* Quia præsentia tutoris exigitur pro forma in contractu minoris, non satis est, eam adesse per procuratorem: & etiam Canonicus non potest per epistolam consentire alienationi bonorum Ecclesiæ, quia eius præsentia requiritur in iure, *cap. in Genesi, de electione.* Ergo cum in matrimonio requiritur præsentia parrochi, & testium coram contrahentibus, non sufficit, contrahentes per procuratores adesse. Tertio quia vbi ius petit cõsensum aliquorum, intelligitur, si cõsentiant per præsentiam realẽ, vt docet *Vald. l. 1. C. de fide instr.* Ergo, cum Concilium petat parrochum, & testes esse præsentes consensui contrahentium, contrahentes debent consentire per se, & non per procuratorem.

Sed dicendum est, tale matrimonium valere. Ita tenent *Belarmin. lib. 1. de matrim. cap. 5. vers. atque hinc etiam, Enriquez lib. 11. de matrimon. cap. 2. num. 2. Molina t. 2. de iustitia tract. 2. disp. 254. initio, & Sanch. li. 2. de sponsal. disp. 11.* Probatur primo, quia in Ecclesia Catholica passim fiunt matrimonia per procuratorem post Trident. ipsa sciente, & consentiente. Ergo valent. Secundo probatur, quia finis Tridẽtini irritantis matrimonia clandestina ille fuit, vt Ecclesia cognoscat matrimonium, & probare illud possit, cum opus sit, ne aliud occulte, aliud publice celebretur, at per procuratorem matrimonium celebratum innotescit, & probari potest (supponimus enim id, quod est necessarium, scilicet, haberi moralem certitudinem commissionis aliqua via, nam cum dubium est de commissione, non fit matrimonium, quia nequit Ecclesiæ certo cõstare de matrimonio absentis) & tolluntur hæc inconuenientia,

ergo valet matrimonium sic celebratum. A

4 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum, quod hodie debet celebrari matrimonium per procuratorem coram parrocho, & testibus, & hoc tantum voluit Tridentinum. Ad secundum responderur, negando semper, quod requiritur præsentia pro forma, necessariam esse præsentiam naturalem, & non sufficere per procuratorem, at in illis textibus eligitur industria personarum, & ideo requiritur præsentia naturalis. At vero in matrimonio non eligitur præsentia parrochi propter industriam, sed vt innotescat factum Ecclesiæ, & contrahentium præsentia non eligitur propter industriam, & contrahentes possunt esse præsentes per procuratorē, quia nō requiritur industria eorū. Ad tertiū respondetur, verum esse, vbi requiritur consensus alicuius, requiri eius præsentiā naturalē, nisi ius disponat, vt sufficiat præsentia per procuratorem, vt disposuit circa matrimoniū in cap. fili. allegato, quod per Trident. sublatum minime est. B

5 Hæc præsentia parrochi, & testium non requiritur, quando datur commissio procuratori, sed quando procurator contrahit cum altera parte. Patet quia Tridentinum solum annullat matrimonium, quando cōtrahitur sine parrocho, & testibus. At cum datur commissio, nō contrahitur matrimonium, sed quando procurator contrahit. Ergo præsentia parrochi, & testium non requiritur, quando datur commissio. *Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 4. num. 4.* defendit, ad valorem huius matrimonij satis esse, siquis, dum est sanæ mētis, det facultatem procuratori, quamuis, dum procurator contrahit coram alio, sit furiosus, quia virtualiter perseuerat consensus. Videatur iste author, & idem tenet *Conin. tomo de sacramentis disp. 24. dubio 9.* Ac merito, alias matrimonium nō coalesceret, si, dum illud contrahitur, constituens procuratorem ebrius esset, aut dormiret, quod absurdum est. C

6 Circa secundum punctum quæst. an matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum, quidam dicunt, esse matrimoniū, & non sacramentum, ita *Durand. in 4. dist. 26. quæst. 3. num. 11. Canus lib. 8. de locis Theologicis, cap. 5. ad 3. Ouandus in 4. dist. 28. proposit. 2.* Et alij. Probatur primo, quia pœnitentiæ sacramentum, licèt, in quantum iudicium quoddam est, possit exerceri in absentes, tamen in quantum sacramentum non potest, ergo neque matrimonium vt sacramentum potest circa absentes exerceri. Secundo probatur, quia perceptio, & effectio sacramenti sunt actiones personales in alijs sacramentis, ergo etiam in isto. Tertio probatur, quia alias homo dormiens peccaret, & reciperet gratiam. Patet consequentia, quia, si tunc temporis quando quis dormit, eius procurator contrahit matrimonium nomine eius, si est benè dispositus, recipit gratiam sacramenti, & si minus, peccat mortaliter, habens prauam dispositionē, & obicem gratiæ. D

Sed dicendum est, matrimonium per procuratorem contractum esse sacramentum. Ita sentiunt *Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vers. at vero. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 5. in solutione ad 11. argumentum, Enriquez lib. 11. de matrimon. cap. 2. num. 2. Albornoz lib. 4. de arte contractuum, tit. 8. Nauar. in cap. fratres, de pœnit. d. 5. num. 95.* Probatur, quia huiusmodi matrimonium vere repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia, vt patet: ergo est sacramentum. Secundo probatur, quia Concilia allegata scilicet *Florent. & Trident.* Absolute pronuntiant, matrimonium fidelium in lege noua esse sacramentum, ergo reuera est, etiam si per procuratorem celebretur, quia, vt vidimus, eo modo celebratum matrimonium est. Tertio probatur efficacius, quia Christus non mutando naturam contractus naturalis matrimonialis, illum erexit ad esse sacramenti inter fideles, sed matrimonium per procuratorem contractum valet in ratione contractus naturalis etiā secundum authores oppositæ sententiæ, ergo valet etiam in ratione sacramenti. Patet consequentia, quia idem met actus realiter cum eadem materia, & forma, & conditionibus inter fideles, & est contractus, & sacramentum. In quo casu ipsi principales contrahentes sunt ministri, & recipiunt sacramentum, & verba eorum, vt per procuratores explicata sunt materia, & forma, & potest iste contractus, sicut & alij, postea in præsentia ratificari, vt optime aduertit cum alijs *Sanchez lib. 2. disp. 11.* 7

Optimum consilium est, quod tradunt *Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. Petrus de Ledes. in summa de matrimonio fol. 13.* Scilicet, quod matrimonium per procuratores celebratum postea ratificetur à contrahentibus, ne res incerta vllo modo maneat, si forte sententia contraria vera sit.

Ad argumenta in oppositum respondetur. 8
Ad primum dicimus, sacramentum pœnitentiæ ex eo, quod est iudicium quoddam internum, requirere cognitionem dispositionis pœnitentis coram Sacerdote existentis, & ideo non posse in absentia pœnitentis ministrari, at matrimonium, quia hoc non requirit, in absentia potest ministrari. Ad secundum respondetur, alia sacramenta non posse exerceri per procuratorem, quia non sequuntur naturam contractus, matrimonium tamen potest, quia eam sequitur. Ad tertium respondetur, absentem teneri esse in gratia eo tempore, quo probabiliter credit, suum procuratorem celebrare matrimonium, & si prævidet tale tempus, & in eo vult dormire, tenetur antea se præparare ad gratiam: quod si sit male præparatus, tunc peccat,

peccat,& non quando dormit: quod si sit præparatus, in ipso somno recipit gratiam, quia ad hoc nulla requiritur operatio.

9 Et ob easdem rationes, quibus probanimus, matrimonium per procuratorem contractum, & esse verum matrimonium, & verum sacramentum, dicendum etiam est, matrimonium per epistolam contractum, & esse verum matrimonium, & verum sacramentum, vt si Petrus scribit Mariæ, se illi tradi in maritum, & ex nunc acceptare eam in vxorem pro eo tempore, quo illa se tradet, in quo casu requiritur Petrum aliquam personam designare, coram qua Maria consentiat, alias nullum erit signum exterius consensus Mariæ ad Petrum directus, per se, vel per aliū acceptatus, quod est necessarium, *ita Gloss. in cap. nequeillud verbo vxor. 30. quæst. 5. Sotus 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vers. at veroquamuis.*

QVÆSTIO IIII.

Qua ratione matrimonium sit indissolubile?

5 QVia triplex est ius, aliud naturale, aliud diuinum, aliud Ecclesiasticum, quærimus, quo iure hoc sacramentum sit indissolubile. In qua quæst. tam loquimur de matrimonio rato, quā de consummato: interquæ hæc est differentia quoad significationem, quòd matrimonium consummatū significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, quæ indissolubilis est: at ratum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ ratione membrorum dissolubilis est per peccatum mortale: vel significat coniunctionem cū anima per charitatem, quæ eodem modo solui potest. Ita definiuit Innoc. III. in c. debitū de bigamis. Et hac ratione intelligitur *caput, non est dubium 27. quæst. 2.* Vbi propter defectum huius significationis dicitur, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.

2 In hac quæst. variæ sunt sententiæ. Prima asserit, ex iure diuino positiuo prouenire indissolutionem matrimonij: ita *Abul. 1. Regum 8. quæst. 97.* initio, alij asserunt, indissolutionem matrimonij rati prouenire ex iure humano, *Ita Gloss. cap. ex publico, de conuersione coniugatorum, verbo consummatum*, & alij.

3 Sit tamen prima conclusio. Aliqua indissolubilitas conuenit tam matrimonio rato, quam cōsummato ex iure diuino, & naturali, patet hoc ex *D. Thom. in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 1. in corpore, Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 4. paulo post principium*, & alijs quam plurimis, quos refert,

A & sequitur *Sanchez lib. 2. de sponsalibus, disp. 13.* Probatur primo, quia matrimonium fuit in statu innocentiæ indissolubile ex præcepto diuino, vt patet *ex cap. vnic. de voto in 6.* Non positiuo, quia huiusmodi solum erat de abstinendo à ligno vetito. Ergo naturali diuino. Secundo probatur, quia, si non esset iure naturali indissolubile, posset, sicut, & alij contractus mutuo consensu dissolui. Tertio probatur, quia matrimonium ordinatur ad educandum sobolem, quod non potest commode fieri, si fœmina nunc vni, nunc alteri nubat, quia erit soboles incerta, & male educabitur. Et licet matrimonium ratum careat sobole, tamen ordinatur ad consummationē, & ad habendam sobolem.

Probatur etiam hæc indissolubilitas in matrimonio tam rato, quā consummato, *ex Lucæ 16. ibi, omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Quod ad hocpropositum vrget *August. lib. 1. de adulterio coniug. c. 9. Secundò probatur ex Paul. 1. ad Corinth. 7. dicente, ijs, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio nō ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit (scilicet pro fornicatione,) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Quod Augustin. loco citato, ad hoc propositum adducit. Tertio probatur. *Ad Rom. 7. ibi.* Quæ sub viro est mulier, viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro. 4

Secunda conclusio. Omnimoda indissolubilitas matrimonij non prouenit ex iure naturali. Patet, quia non prouenit hæc indissolubilitas ex matrimonio, prout est officium naturæ ad prolem procreandam, quia sic, quando vxor esset sterilis, posset aliam vir ducere. Neque prouenit ex matrimonio, vt est remedium concupiscentiæ, quia sic fœmina perpetuo morbo laborans, quæ nullum posset adhibere remedium, dimitti posse videtur stando in iure naturæ. 5

Tertia conclusio. Hæc omnimoda indissolubilitas non prouenit ex ratione generali sacramenti. Patet, quia matrimonium ratum est verum sacramentum, & tamen dissoluitur per ingressum religionis. 6

Quarta conclusio. Hæc omnimoda indissolubilitas prouenit matrimonio ex eo, quod significet coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, in quam causam refert *D. August.* Hanc indissolubilitatem *in lib. de bono coniugali, cap. 7.* Probatur, quia ob huius significationis defectum matrimonium ratum non est omnimodo indissolubile, sed soluitur per ingressum religionis. Quæ doctrina late videatur apud *Sanchez loco citato.* Vnde omnimoda indissolubilitas matrimonij consummati instituta est à Christo, *Matth. 19.* dum in illis verbis, *quos Deus coniunxit, homo nō separet*, erexit matrimonium ad esse sacramenti, & ad significandam coniunctionem Christi 7

sum

cum Eccleſia per carnem, in quo loco Chriſtus A de matrimonio conſummato locutus eſt. Vt dicitur, *in c. ſunt, qui dicunt 27. q. 2.*

Et quidē matrimoniū ratum ex eo, quod eſt ſacramentū, habet maiorem indiſſolubilitatē, quam reliqui contractus, nam alij cōtractus ex mutuo conſenſu, & alijs de cauſis facile ſoluuntur, matrimonium vero difficilius ſoluitur, nam ab ipſis contrahentibus in lege noua non diſſoluitur, niſi propter profeſsionē religionis, quod licet ex nullo loco expreſſo ſcripturæ colligatur, ex traditione tamen Eccleſiæ patet, *& ex c. 2. de conuerſione coniugatorum, Rebello 2. p. de obligationibus iuſt. lib. 2. de matrim. c. 12.* ait, indiſſolutionē potius dici conditionem matrimonij,
4 quia propterea ad ſubſtantiā matrimonij pertinere dicitur, & propterea in matrimonij definitione ponitur, vt niſi per mortem alterius, vel per Eccleſiam ſolui non poſsit.

Nota in fine, quid ſit matrimoniū ratū. Eſt enim matrimoniū contractū per verba de præſenti inter fideles, & non conſummatū copula, cōſummatū vero dicitur illud, quod copula cōſummatur. Sit quinta cōcluſio, matrimoniū baptizatorū habet eſſe omnino indiſſolubile à Chriſto, ſeu alio nomine habet eſſe, quod idē eſt, ratione baptiſmi, cuius character nunquā amittitur, quod notauit *Innocentius III. cap. quanto de diuortijs his verbis. Nā etſi matrimoniū verū inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratū, inter fideles autē verū, & ratū exiſtit, quia ſacramentū fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquā amittitur, ſed ratū efficit coniugij ſacramentū, vt ipſum in coniugibus, illo durante, perduret*, vbi per fideles baptizati, & C per infideles nō baptizati intelliguntur, & per ſacramentū fidei baptiſmi ſacramentū intelligitur, in quo fidē publice profitemur, ratio autē, quare matrimoniū baptizatorū non habeat hoc priuilegiū Chriſti, vt poſsit etiā cauſa hæreſis diſſolui, hæc eſt, quia vterque eſt intra Eccleſiā, & ei ſemper ſubiectus ratione characteris, qui eſt perpetuus, & ita ſi vnus labitur in hæreſim, aut cogitur ab Eccleſia habitare ſine cōtumelia Creatoris, aut occiditur, ita vt alter poſsit cū alio cōtrahere, qua ratione innocēti ſatis cōſulitur. Quod ſi baptizatus hæreticus fugit, & capi non poteſt, per accidens eſt. Quādo vero vterque coniux in infidelitate contraxit, & vnus tantum baptizatur, & alter nō vult D cohabitare ſine cōtumelia Creatoris, multum derogaretur libertati Chriſtianæ, ſi baptizato non concederetur eum altero contrahere, quia Eccleſia alterum non baptizatum non poteſt cogere, quia non eſt ſuus ſubditus, ad cohabitandum ſine contumelia Creatoris. Ita docuit, *Vazquez in fragmento matrimonij diſputatione 2. cap. ſeptimo.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm matrimonium ratum poſsit ſolui per diſpenſationem Pontif. & per profeſsionem?

QVIDAM aſſerunt, non poſſe quidem diſſolui ratum matrimonium diſpenſatione Papæ, ita ſentiunt *Sot. in 4. diſt. 27. quæſt. 1. artic. 4. verſ. his tamen nihil obſtantibus, Scotus in 4. diſtinct. 31. quæſt. 1. verſic. 3. modo dici poteſt. Turrecremat. cap. ſunt, qui dicunt 27. quæſt. 2. art. 3. num. 5.* B *in fine*, & alij multi. Probatur primo, quia matrimonium ratum eſt indiſſolubile, vt patet ex definitione matrimonij ſupra allata, ergo nequit per Pontificem diſſolui. Secundo probatur, quia aliàs poſſet Pontifex in matrimonio conſummato diſpenſare, quia ſolum differt accidentaliter à matrimonio rato. Tertio probatur, quia aliàs poſſet diſpenſare Epiſcopus in matrimonio rato, quia hoc non inuenitur ei prohibitum, & quidquid poteſt Papa in toto Orbe, poteſt Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu. Vltimo probatur, quia aliàs poſſet matrimonium ratum cum vna contractum diſſolui per matrimonium cum alia conſummatū: patet, quia primum matrimonium eſt ſolubile, & ſecundum minime.

C Verior tamen mihi videtur oppoſita ſententia, quæ aſſerit, poſſe Papam in hoc diſpenſare, vt matrimonium ratum diſſoluatur. Ita tenent communiter iuriſperiti. *Vt gloſ. c. ex publico, de conuerſione coniugatorum in fine Ioan. Andr. n. 9. Ant. num. 16. Abbas in fine. ex Theologis Anton. 3. part. tit. 1. capit. 2. num. 21. §. 3. Caiet. in opuſculis tom. 1. tract. 28. de matrim. quæſt. vnica, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 11. & alij, quos refert, & ſequitur Sanch. lib. 2. diſput. 14. & Leſ. 10. de iuſt. lib. 2. cap. 40. dubitat. 9.* Probatur primo, quia in dubijs ſuperiorū ſententijs ſtandum eſt, punctus autem hic dubius eſt, quia pro vtraque parte pugnant graues Doctores, ergo in eo acquieſcere debemus ſententijs ſuperiorum, ſi quæ ſint, vt patet ex cap. ad D aures de temporibus ordinationum; atqui multi Summi Pōtifices in matrimonio diſpenſarunt, nam *D. Anton. refert, ſe vidiſſe Bullas Martini Quinti, & Eugenij Quarti*, qui in eo diſpenſarunt, & *Nauarr. in Sum. cap. 22. num. 21. refert, ter ad ſuam petitionem Paulum Tertium, & Pium Quartum*, diſpenſaſſe, & alij authores alios caſus ſimiles referunt. Dicendum ergo eſt, hac in re Pontificis diſpēſationē valorē ſortiri. Et confirmatur, quia matrimonium ratum non eſt omnino indiſſolubile, vt patet ex præcedēti quæſt. ergo Pont. ob Eccleſiæ bonū in

caussis vrgentibus, quæ se possunt offerre, recte A potest dispensare. Et, vt bene notant recentiores, hæc est proprie dispensatio, & relaxatio matrimonij, nam perpetuitas matrimonij proueniebat ex contractu ipso, ratione cuius vnus coniux debet alteri ita perpetuo fidem seruare, vt neuter illorum possit alteri fidem remittere, ita petente natura huius contractus: Deus autem, qui author est omnium, potest remittere vinculum natum ex voluntate humana verbis expressa, & Pont. nomine Dei: ergo est proprie dispẽsatio in matrimonio. Et cũ Deus dispensat in matrimonio, non facit facultatem contra præceptum matrimonij, solum enim est præceptum seruandi fidem matrimonij, quamdiu illud manet, hic vero non manet matrimonium, sed soluitur voluntate Dei, sicut alij con B tractus soluuntur authoritate contrahentium, quando natura sua perpetui non sunt.

3 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum, Ad primum respondetur, matrimonium ratum esse indissolubile, quia nequit mutuo cõsensu contrahentium, & ea facilitate, qua alij contractus dissoluuntur, dissolui; at dispensatione Pontificis solui potest. Ad secundũ respondetur, matrimoniũ ratum, & consummatũ non differre accidẽtaliter, neque essentialiter, sed solum integraliter, sicut homo integer in membris, & homo manu orbatus: integratur enim matrimonium per copulam, sicut venditio integratur per possessionem rei venditæ. Ad tertium dicimus, non posse Episcopum in matrimonio rato dispensare, quia res ita ardua C alteri superiori reseruatur, *in cap. ex literis, el segundo, de sponsalibus*. Ad vltimum respondetur, matrimonium consummatum cum vna post ratum cum alia non posse dissoluere ratum, quia non est validum, neque Põtifex posset hoc statuere, quia daretur occasio dirimendi matrimonia rata.

4 Sed contra, obstat illud Christi, & erũt duo in carne vna, & id, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, sed respondetur quod intelligit *Alexander III. in cap. verum de conuersione coniug.* dici de matrimonio consummato, nõ de rato, illa verba, *& erunt duo in carne vna*, illa vero, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, eodẽ modo videntur intelligenda, quia Christus eo D dem tenore loquitur, & hoc sentit *Greg. de Valent. t. 4 q. 1. de matrimonio, & cum in ca: licet de sponsalibus duorum*, dicitur, aliquos Papas iudicasse, matrimonium consummatum dissoluere ratum, intelligitur, locutos esse, vt particulares Doctores, Similiter potest Pontifex dispensare in matrimonio cõsummato infidelium, quãdo conuertuntur ad fidem, & nondum in fidelitate habuerunt copulam, quia hoc se habet, veluti ratum, & non significat indissolubilem vnionem Christi, cum non sit in fidelitate consummatum.

A Quæres tamẽ primò, an sine causa iusta posset valere dispensatio Papæ. Ad quod respondetur, (licet alij relati à *Sanch. disp. 15. secundi lib.* oppositum dicant) cum Theologis communiter hanc dispensationem non valere. Probatur, quia matrimonium ratum est indissolubile ex iure diuino, & naturali, vt patet ex præcedenti, quæst. ergo Pontifex non potest dispensare sine iusta causa. Iustæ autem causæ aliquæ sunt. Prima est notabilis in qualitate disparitas, secunda est, quando magnum scandalum timetur, & magnæ rixæ inter sponsos, aut cõsanguineos eorum oriri possunt. Tertia est lepra, aut alius grauis morbus superueniens, ratione cuius nunquã possit sponsus ad sponsam accedere. Quarta est impotentia superueniens ma B trimonio rato. Quinta est, vt vir maxime conueniens bono communi efficiatur Episcopus. *Ita Sanchez loco proxime citato.* 5

Præter has causas dissoluitur matrimonium ratum per professionem solemnem religionis, & non per vota simplicia facta in religione approbata (siue vterque, siue alter profiteatur eam) conclusio est de fide. Ita definitur, *in cap. desponsatam 27. q. 2. & cap. ex publico de conuers. coniug. & in Trident. ses. 24. de matrim. can. 6. illis verbis, si quis dixerit, matrimonium ratum nõ consummatum per solemnem religionis professionẽ alterius coniugis non dirimi, anathema sit.* Cuius ratio duplex est, prima quia professio est mors spiritualis, & ita tollit vinculum spirituale matrimonij rati, sicut mors naturalis tollit vincu C lum carnale matrimonij consummati. Satisque est ad hoc professio Ordinis militaris Sancti Ioannis, sic *in praxi don Gaston Dux Metinæ Cæli*, suscepta professione huius ordinis liberatus est à matrimonio; & ita habetur in statutis illius religionis, hoc refert *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 8. n. 6.* quod de Equitibus aliorum ordinum militarium non videtur dicendum, & de Eremitis antiquis, licèt non de nouis, quia erãt professi, idem docet *Enriq. loco citato n. 7.* eorũ professionem sufficientem fuisse ad dirimendum matrimonium ratum. 6

Secunda ratio est, quia professione homo se 7. Deo emãcipat ad obsequia gratiora, quam sunt obsequia matrimonialia, & traditio homini facta per coniugium el cedit iuste, & probatur, D quia Ioannes à nuptijs nondum consummatis à Christo vocatur ad Apostolatum.

Quod si quæras, quo iure professio dissoluat 8. matrimonium ratum? Respondetur, quod, licet aliqui dicant, id esse de iure naturali, alij de iure diuino positiuo. Dicendum tamen est, hoc esse de iure Ecclesiastico, ita *Ioan. Andr. cap. ex publico allegato, verbo consummatum num. 9. Feli. consil. 26. num. 19. Gandabo. quodlibeto 5. q. 35.* Probatur, quia solẽnitas religionis, quæ in hoc consistit, scilicet, in perpetua traditione vtriusque partis publice facta secundum regulam approba-

approbatam, est de iure positiuo, vt erudite tradit *Vaz. tom. de legibus, & alij multi*, quos refert, *Enriq. in sum. lib. 11. de matrim. cap. 8.* quod definitur, *in cap. quod votum de voto, & voti redemptione in 6.* & alibi latius probabitur, ergo dissolutio matrimonij rati, quæ ex ea solemnitate nascitur, est de iure positiuo Ecclesiastico, & matrimonium consummatum, cum significet indissolubilem coniunctionem Christi cū Ecclesia media carne, & faciat ex duobus vnā carnem, non erat côueniens, vt Ecclesia statueret, imo, vt credo nulla ratione posset nostra Ecclesia statuere, dissolui illud per professionē religionis, neque *D. Thom. in 4. distinct. 27. q. 1. art. 3. quæstiuncula 2. in corpore*, vt aliqui volunt, dicit dissolutionem matrimonij rati per professionem esse de iure naturali, vt legenti patebit.

QVÆSTIO VI.

Quando dicatur matrimonium consummatum, vt non possit dissolui professione, vel dispensatione?

1 MVLTI discipuli D. Thom. quos refert, & sequitur *Petr. de Ledes. de matrim. q. 61. art. 1. à fol. 581.* sentiunt, per hoc solum, quod vir penetret claustrū virginis sine effusione seminis, consummari matrimonium. Probant primo, quia hæc est carnalis copula; & vt habetur in *cap. ex parte tua de conuers. coniugat.* matrimonium post carnalem copulam nō dissoluitur religionis professione.

2 Sit tamen prima conclusio, illud solum matrimonium dicitur consummatum, cum semen virile in vas naturale fœminæ ingreditur, & côiungitur cum semine illius; siue naturaliter, siue supernaturaliter id fiat; & siue cum ruptione vasis, siue non, ita sentiunt *Archid. ca. extraordinaria 35. q. 3. Inno. cap. attestationes initio de desponsatione impuberum. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 21. ante §. 1. Sot. in 4. distinct. 27. q. 1. art. 4. ver. sic. hoc autem perplexum, & alij.* Probatur primo, quia illa sola copula est sufficiens ad consummandū matrimonium, per quam coniuges efficiuntur vna caro. Sic enim significatur coniunctio Christi cum Ecclesia per vnam carnē, sed nisi coniungantur semina non efficitur vna caro, vt colligitur clare, *ex c. lex 27. q. 2.* ergo nō consummatur matrimoniū. Secūdo probatur, quia ea copula requiritur ad consummandum matrimonium, quæ apta est natura sua ad generandum, quia ad hoc ordinatur, at ad hoc requiritur seminatio viri, ergo. Vnde respōdetur ad argumentum, illam carnalem copulam factam sine seminis effusione ad consummandum matrimonium non sufficere. Vnde, vt ait *D. Tho. in 4. dist. 41. q. 1. art. 1. quæstiuncula 4.* Ad secundum nisi contingat feminis effusio in copula illicita non nascitur affinitas; quod si vir vas penetret vxoris, si non seminauit, potest ingredi religionem, non enim facit ei iniuriam.

3 Secunda conclusio, (licet alij oppositū sentiāt, quos refert *Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 21.*) Matrimonium non censetur consummatū per copulam habitam ante matrimonium. Ita sentiunt *Nauar. in Sum. Latina c. 22. n. 84. Conar. in 4. decretal. 1. p. c. 4. §. 1. n. 15. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 8. n. 8.* in cuius conclusionis confirmationem displicet ratio Sanch. loco citato. Vnde hæc conclusio ex eo probatur, quia per copulam fornicariam antecedentem matrimonium non significatur bene coniunctio indissolubilis, & immaculata Christi cum Ecclesia, bene tamen per copulam subsequentem matrimonium.

4 Sit tertia conclusio. Cum sponsa non erat virgo, neque erat traducta in domum viri, si vterque coniux iurauerit, non fuisse consummatū matrimonium, credendum est eis in foro externo, & interno, quia tunc non potest consummatio matrimonij aspectu matronarum, aut alia via cognosci. Quod si traducta est vxor in domum viri, non creditur illis negantibus consummationem matrimonij, quia difficile illud est creditu. Vnde in primo casu potest quis intrare religionem, si re vera non interuenit copula nullo foro interno, aut externo id prohibente. (Sicut potest etiam intrare, cum fœmina post aspectum matronarum apparet virgo, & ambo coniuges iurant non esse consummatum matrimonium) in secundo vero casu, cū vxor erat traducta, & non erat virgo, non potest aliquis coniux in foro externo ingredi religionem, licet possit foro interno considerato, & cessante scandalo, si re vera non fuit matrimonium consummatum.

QVAESTIO VII.

Vtrùm copula vi extorta impediat coniugem vim passum ingredi religionem?

1 QVIDAM existimant, non posse ingredi religionem côiugem vim passum ab alio media copula vi extorta. Probatur primo, quia omnia iura prohibent, aliquem coniugem cōsummato matrimonio religionem ingredi altero inuito. Secundo probatur, quia per eam copulam potest nasci proles, quæ matre professa male educabitur. Ita sentiunt multi Doctores, quos refert *Sanch. lib. 2. de matrimonio disputatione 22.*

Sit prima conclus.(licet, *Ioan. Andr. regula. quæ contra ius de reg. iur. in 6.* oppositum sentiat) matrimonium consummatur per copulam violentam, vel metu extortam intra bimestre. Quod, vt postea videbimus, conceditur à iure sponsis, vt à copula licite abstineant, altero inuito. Probatur vnica ratione, quia per talem copulam vere coniuges efficiuntur vna caro, vt patet *ex cap. discretionem de eo, qui cognouit cōsanguineā.* & vere repræsentatur cōiunctio Christi cum Ecclesia in substantia copulæ, licet non in modo violentiæ (quod non requiritur) ergo vere per eam copulam consummatur matrimonium, & fit indissolubile religionis professione, ita *Enriq. lib. 11. de matrimonio, cap. 8. nu. 10. Cona. in 4. Decretalium 2. p. c. 7. §. 4. n. 10. & alij.*

3 Quæres, an ille, qui per vim extorsit copulam, teneatur, altero intrante religionem, ad religionē migrare, si sit iuuenis, vel ad vorum castitatis, si sit sexagenarius? Et respondetur minime, quia non dedit licentiam alteri, vt ingrederetur, neque expresse, vel tacite voluit, se ad id alligare, durum autem esset ad id obligare illū, quia praui exitus possent timeri exinde.

4 Secunda conclusio, sponsus, qui copulā per vim extorsit, non potest inuita vxore religionem ingredi, ita *Manuel Rodr. 1. tom. sum. 2. editione, c. 239. n. 2.* Patet, quia ille nullam causam habet ad sic ingrediendam religionem, quia voluntarie consummauit matrimonium.

5 Tertia conclusio. Sponsa bene potest intra bimestre vi violata, sine eo, quod dissoluatur matrimonium, & sine licentia viri religionem intrare. *Ita Fel. in c. causam de probat. nu. 4. Petr. de Ledes. de matrim. q. 61. art. 1. fol. 584.* Probatur, quia Reus non debet reportare commodū ex sua malitia, reportaret autem, si vxor non posset sine viri licētia religionem intrare. Probatur secundo, quia sine sua culpa nemo debet priuari iure suo, cap. discretionem, citato, ergo vxor sine culpa violata non debet iure, quod habebat ad religionem, priuari. In qua copula peccat lethaliter spōsus, quia illam integritatē carnis tollit, quæ maxime exornat fœminas, & quia obligat vxorem ad magnos sumptus, vt se in lite defendat contra aliam opinionem probabilem, quāuis, si esset periculum in prole procreanda, quæ procederet ex tali copula, non posset intrare religionem: elapso vero bimestri potest vir vxorem cogere ad copulam, si ea nō sit inprocinctu ad religionē, & iā cognita nequit inuito viro ingredi religionem?

6 His suppositis quæret aliquis primo, an illud bimestre, quod datur, *cap. ex publico de conuersione coniugatorum*, sponsis de præsenti, vt in illo non teneantur reddere debitum, hac enim ratione caput est ab Ecclesia receptum, sit ad deliberandū de religionis ingressu, vel ad profitendum, diuersi diuersa sentiunt, vt refert *Sanch. lib. 2. disp. 24. Respondetur tamen cum Armil. verbo diuortium, num. 5. Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. vers. at vero si infra, & alijs.* Bimestre dari ad deliberandum de religionis ingressu, & ingredientem religionem non debere profiteri, nisi transacto anno nouitiatus designato, *in c. ad Apostolicam de regularibus.* Probatur ratione Soti, quia, si iure licet sponsis, religionem ingredi, licet id solum iuris priuilegio, experiendo per annum vitam religiosam, neque in hoc fit iniuria alteri parti, quia vterque coniux habet circa hoc æquale ius, propterquam rationē si puella 12. annorum nubat, & ante consummationem ingrediatur religionem differenda est professio ad annum 16.

Secundo quæres, an iudex possit restringere, vel extendere tempus hoc, & respondetur 7 cum *Glos. dicto, c. ex publico, & alijs*, quod licet, cum præfigitur terminus à lege ipsa, & non præcipitur iudici, vt illum præfigat, non possit iudex, quando non est supra legem, terminū prorogare, vel restringere; quando vero præcipitur, terminum præfigi à iudice, vt contingit in dicto cap. tūc videtur concedi facultas iudici terminum prorogandi, & limitandi ex iusta aliqua causa.

Quæres tertio, quomodo computabitur bimestre? Et respondetur, quod à tempore contracti matrimonij, secundum quod menses occurrunt in Kalendario. Ita vt si bimestre incipiat numerari septimo die Ianuarij, finiatur bimestre septimo Martij, & à momento, in quo incipit bimestre, ad momentum, in quo finitur, debet fieri computatio, quemadmodum dicendum est, dum *Tridens. sess. 25. de regular. c. 15.* petit nouitiatus integrum annum, à die Assumptionis habitus debere esse completum, & cōputari à momento in momentum; & dum petit ætatis annum 16. completum, debere eodē modo computari, & similiter, quando 25. anni requiruntur, ne aliquis minor dicatur, *l. 3. §. minorem, ff. de minoribus*, & similiter, quando ad ieiunium requiritur ætas 21. annorum. 8

Quæres quarto, an transacto bimestri si non dum est consummatum matrimonium, neque sponsus religionem est ingressus, possea licite possit religionem intrare. Ad quod respondetur eo tempore elapso, & non consummato matrimonio licite posse religionem intrare. Probatur, hoc priuilegium, vt professio dirimat matrimonium ratum, absolute videtur concessum, & ita omni tempore licet, eo vti. Tum etiam, quia in hoc æquales sunt sponsus, & sponsa, & cum hac conditione videntur ambo contrahere. 9

(∴)

QVAES.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm in matrimonio requiratur mutuus consensus, & ob quem finem.

1 SIT conclusio de fide. In matrimonio requiritur mutuus consensus contrahentium. Ita definitur *in Florent. in decreto de Sacramento matrimonij, & habetur in cap. tuæ de sponsal. & l. nuptias, ff. de regulis iur.* Et probatur, quia matrimonium, est quidam contractus, & quoddam pactum; pactum vero est consensus plurium in idem placitum, vt habetur, *in l. 1. ff. de pactis.* Ergo matrimonium requirit consensum duorum, & iste consensus est causa efficiens matrimonij in ratione sacramẽti, quia est causa externi contractus explicati per verba, vel signa, in quo fundatur sacramentum. Secundo consensus internus explicatus exterius est causa efficiens matrimonij, in quantum matrimonium dicitur vinculum maritale viri, & fœminæ. *Ost. c. ex literis de spons. & Sylvest. verbo matrimonium 2. q. 6.* dicũt, sufficere, quod vnus consentiat prius, & perseueret in suo proposito, & postea alterius consensus accedat ex post facto; & pro hoc facit *textus in l. 1. §. si vero præsens interrogauerit*, & requiritur, quod consensus vtrique innotescat ex contrahentibus, quia contractus debet esse humanus. Ita *Panor. in c. tua nos extra.*

2 Iste autẽ cõsensus ita necessarius est ad matrimoniũ, vt neq; de potentia Dei absoluta possit matrimonium sine eo consistere. Ita tenent aliqui discipuli D. Tho. vt refert *Sanch. disp. 26. lib. 2.* contra aliquos authores ibi relatos oppositum sentiẽtes, oppositum defendit *Gregor. de Valent. 4. tom. disp. 10. q. 3. puncto 1.* Probatur, quia matrimonium specialiter consistit in coniunctione animorum vtriusque coniugis. Hæc autem cõiunctio nequit intelligi, nisi per vnionem consensuum, non enim Deus se solo potest efficere, quidquid facit medijs causis secũdis, quando effectus essentialiter dependet à causa secũda, vt patet in matrimonio, & in actibus vitalibus, qui essentialiter pendent à suis potentijs vitalibus.

3 Et hinc colligitur cum *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 15. §. 3. Victoria in relect. de matrim. p. 1. nu. 7. Conar. in 4. decretalium 1. p. c. 4 initio n. 4.* nullã humanam potestatem posse efficere matrimonium sine consensu contrahẽtium. Probatur primo, quia id non potest facere Deus, ergo neque humana potestas; tum quia hoc esset contrarium fini matrimonii, qui est eduactio prolis, & mutuus amor. Vnde, quando *in c. is, qui de sponsalibus*, decernitur, sponsalia transire in matrimoniũ per copulã, & cum *in c. fili. de codit. apposit.* decernitur matrimoniũ initũ sub cõditione impossibili valere, in quibus casibus potest deficere assensus, nõn est ex eo, quod sine consensu fiat matrimonium, sed quia præsumitur consensus, & licet in alijs cõtractibus possit Ecclesiæ supplere consensum, in hoc minime, quia hoc est contrarium fini matrimonij.

Secũda cõclusio. Ad essentiã matrimonij requiritur consensus circa efficiendũ contractũ matrimonialẽ, in quo virtualiter, & implicite, includitur cõsensus ad copulã ex eo, quod talis cõtractus ad eã natura sua ordinetur. & vt valide, & licite fiat matrimoniũ non requiritur, vt cõtrahẽs matrimoniũ habeat intẽtionẽ copulę, nec prolis, nec remedij cõcupiscẽtiæ, imo potest velle nõ habere copulã. Hoc probatur exẽplo B. Virginis, quæ iniuit matrimoniũ, & copulã habere noluit, quo exẽplo vtitur *D. Tho. in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 3.* & tunc potest haberi tanquã finis animorũ cõiũctio, & sanctificatio per sacramentũ. Imo, vt optime *Rebell. defendit. 2. p. de oblig at. iust. lib. 2. q. 1 3.* Virgo Maria, quæ post votũ castitatis absolutũ habuit reuelationẽ nubẽdi Iosepho, nõ cõsensit in obligatione actuali ad copulã, idest, iuri expedito, cuius copulæ nihil obstat, sed in obligatione radicali, quæ est, quod corpus vnius sit alterius, in quo essentia matrimonij consistit. 4

Sit tertia conclus. habens duas partes. Prima pars sit, cõtrahẽtẽ matrimoniũ, vt validũ efficiat contractũ, non posse habere intentionem contrariã sacramento, idest, contrahendi ad tẽpus, quia de ratione sacramenti, & de eius essentia est indissolubilitas matrimonij. Secunda pars sit valere matrimoniũ, quãuis cõtrahẽs habeat intentionẽ contrariam bono prolis, idest, procurandi sterilitatẽ, & contrariam fidelitati matrimonij, idest, tradendi corpus suum alteri. Patet, quia hæc non sunt de essentia matrimonij, sed obligatio ad ea, quamuis, si isti defectus in pactum deducerentur, non valeret matrimonium. Ita sentiunt *D. Tho in 4. dist. 31. q. 1. art. 3. in corpore, & D. Bonau. ibidem, a. 1. q. 3. & alij.* 5

Pro qua conclusione notandum est, matrimonium primo institutum esse in officiũ naturæ ad procreandam prolem. *Genes. 1. ca. crescite, &c.* Secundo in remediũ concupiscentiæ post peccatum Adami. 6

Sit quarta cõclusio. Si contrahẽtes expresse excludant matrimonij proprios, & sanctos fines, peccatũ cõmittitur mortale, patet, quia grauе sacrilegiũ est in hoc propter iniuriã sacramẽti, imo, si simul pro fine habeat vanã gloriã, vel aliud peccatũ veniale, peccãt venialiter, vt patet, & si habẽt alios fines, vt delectationẽ, diuitias, vel pulchritudinẽ, quia extrahũt matrimoniũ a proprio fine, peccãt venialiter. Imo, quando isti fines solum applicant hominem ad matrimonium, & contrahens habet verum finem, vt communiter accidit, nullum est peccatum; sicut Sacerdos, qui non celebraret, nisi gratiã amici, & tamen habet in celebratione 7

verum

verũ finẽ,& nõ gratiã amici. Et similiter nullũ est peccatũ, si senes, qui non possunt habere filios, contrahant ob vitandam fornicationem, quia tunc finis prolis est impossibilis. Quãdo vero cõtrahẽtes possunt habere filios, tũc peccatũ est veniale, contrahere ob vitãdã fornicationem primario. Quia finis secũdarius, qui est vitatio fornicationis, primario præfertur, qui est educatio prolis. Cui consonat *Petr. de Ledes. in sum. de matrim. fol. 97.* dicens, esse veniale, contrahere matrimonium propter finẽ cui tandæ concupiscentiæ, quia principaliter ad prolem ordinatur.

3 Tria detrimenta ponũt hæretici in matrimonio, primũ perpetuã seruitutẽ, secũdũ nimiam voluptatẽ, tertiũ nimiam sollicitudinẽ placẽdi alteri. Contra primũ est sacramentũ, quod gratiã dat ad onera. Cõtra secundũ est bonũ prolis. Cõtra tertiũ est fides, & obligatio reddendi debitũ, ita *Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 29.* Hæc tria bona matrimonij tradunt *Theologi cum Magist. in 4. d. 31. D. Th. 3. p. q. 49.* Et decerpta sunt *ex August. lib. 9. super Genes. ad literam, c. 7.* His verbis. *Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum.*

QVÆSTIO IX.

Vtrum ad matrimonium contrahendum necessaria sint verba declarantia cõsensum?

1 CERTVM est in hac quæst. nõ sufficere ad matrimoniũ solos cõsensus internos cõtrahẽtium, nisi etiã verbis, vel signis exprimãtur. Ita definitur *in ca. licet, de sponsa duorum.* Vbi dicitur, legitimum consensum efficere matrimoniũ, ita, quod vnº alterũ in suo mutuo consensu verbis expresse recipiat. Et probatur, quia, si matrimoniũ consideretur in quãtũ est quidã cõtractus, vt sic, petit signa externa manifestãtia interiora cordis, quæ homines nõ possũt aliter cognoscere, si autẽ cõsideretur, vt sacramẽtũ, vt sic, essentialiter est signũ sensibile, & ita petit signũ externũ. Et quidẽ in eo casu, quo Deus reuelaret Mariæ consensum Petri circa matrimoniũ cũ ea, & ẽ contra, nõ reperiretur tũc sacramẽtũ, quia hoc essẽtialiter est signum sensibile, reperiretur tamen quidam contractus internus, non enim omnis contractus inter fideles circa matrimoniũ est sacramentum, nisi sit externus.

2 Prima sententia asserit. In potẽtibus loqui nõ valere matrimoniũ sine verbis. Ita sentiunt, *Bart. d. nuptias n. vnic. ff. de regul. iuris, Greg. Lopez, l. 5. verbo, por palabras, tit. 1. p. 4. Ricard. in 4. d. 27. art. 1. q. 3. in corpore.* Probatur primo, ex c. *tuæ de sponsal.* ibi. *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum consensum,* Sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia, si ergo verba necessaria sunt, quoad Ecclesiã constituũt formam essentialẽ. Et idem, insinuatur *in c. licet, de sponsa duorum, & c. si inter, de sponsalibus.* Et confirmatur, quia, vt notauit *Euerardus, loco à matrimonio carnali, n. 10.* Valet argumentũ à matrimonio spirituali ad carnale. *Sed in c. quia propter, de elect.* in matrimonio spirituali, quale est electio Episcopi, requiruntur verba, ergo similiter in matrimonio carnali. Et similiter aliæ sententiæ alijs modis opinantur.

3 Sed verior sẽtẽtia asserit. Ad matrimoniũ signa externa sufficere, quæ satis consensum cõtrahentiũ explicent, ita tenent *D. Tho. in 4. d. 27. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 2. ad 3. Palud. ibidem q. 2. ar. 3. n. 17. D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 19. §. 1. Conar. 4. decretal. 2. p. c. 4. initio n. 1. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Sanch. li. 2. de matrim. disp. 31.* Probatur primo ex *c. vnic. §. fili. de desponsat. impub. in 6.* Vbi dicitur, esse validum matrimoniũ, quando nomine puellæ præsentis, & tacẽtis pater consentit matrimonio. Et probatur secundo ex *Concil. Florent. in decreto de sacramentis.* Vbi dicitur, *consensus per verba regulariter expressus facit matrimoniũ.* Ergo verba nõ sunt de essentia, alias non diceret Concilium, verba regulariter, id est, communiter, facere matrimoniũ, sed semper. Et confirmatur, quia id, quod satis est ad rationem contractus externi matrimonialis, satis est ad rationem sacramenti matrimonij, sed ad primũ sufficiũt signa externa sine verbis, ergo etiam ad secundum.

4 Vnde respõdetur ad cap. tuæ, ibi requiri verba quoad Ecclesiã, id est ad faciliorẽ, & clariorẽ probationẽ matrimonij, qua constet matrimoniũ Ecclesiæ, *Ad capitu. licet, & inter,* allegata respõdetur, ibi verba poni exempli gratia, nõ pro regula necessario seruãda. Ad vltimũ argumẽtũ respõdetur, in aliquo matrimonio spirituali, vt in allegato in argumẽto, requiri verba, licet nõ in omni, vt in professione religionis, quãdo est professio tacita, *c. viduæ, de regularibus.* & ita non in omnibus cõueniunt matrimonium spirituale, & carnale.

5 Et quidem, licet signis satis explicetur consensus, communiter tamen est peccatum veniale, si non explicetur per verba, quia debet contractus tanti momenti clariori modo explicari, qualis est per verba. *Ita Bart. à Ledesma. dub. 17. de matrim. fol. 1271.*

6 Secunda conclusio. Non requiritur consensus contrahentium matrimonium simul, & in eodem tempore haberi, sed potest tempus inter eos intercedere. Ita sentiunt, *D. Thom. in 4. dist. 29. q. vnica ar. 3. quæstiunc. 2. ad 2. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. vers. nihilominus respondetur Abbas. c. cum inter Canonicos, de elect. n. 6.* & probatur, quia in omni contractu satis est, consensus

sensus diuerso tẽpore adhiberi. Vt patet *ex l. 1. §. 1. ff. de verborũ obligationibus.* Sed Deus instituẽdo matrimonij sacramentũ, non mutauit naturam contractus, ergo reuera matrimonij sacramentũ non requirit, consensus esse simul, imo vero, etiã si aliqualis temporis distantia inter vnum, & alterum consensum intercedat, si tamen secundum prudentis arbitrium non est magna distantia, valet matrimoniũ, quia tunc censetur prior consensus durare. Ita habetur, *l. 1. §. 1. ff. de verborum obligationibus.*

7 Quæres tamen primo an, cũ duo habiles ad matrimoniũ contrahunt illud, & vnus cõsentit vere, & alter ficte, debeat vterq; nouũ habere consensum, & respondetur, licet alij oppositũ dicãt, nõ vtrũq; sed illũ, qui ficte consensit, debere postea vere cõsentire matrimonio, patet; quia cõsensus alterius verus fuit, & in nullo deficiẽs, & semper perseuerat, ergo sufficit, ficte consentientẽ postea vere cõsentire, nisi prior directe, vel indirecte reuocarit consensum, ita *D. Th. in 4. d. 29. q. vnic. ar. 3. quæstiuncul. 2. ad 2.* cũ alijs, imo sufficit secũdũ alios si iste, qui modo vere cõsentit, in corde suo consentiat, quia priora verba de se satis erãt, & solũ deficiebat cõsensus, qui modo adhibetur. *Ita D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 7. ad medium. Syluest matrimonium 8. q. 11. dicto 4. & alij.* Imo secundũ istos Doctores, quãuis vterque ficte cõtrahat, satis est, si vterque in corde postea cõsentiat, vterq; autẽ debet consentire, quia vtriusq; consensus nullus fuit, sed huius resolutio ex sequenti patebit.

8 Aliqui dicunt, quod, quando vnus ficte contraxit, alter vere, satis est, esse præsentes isti cõtractui parrochũ, & testes, & nõ debet esse præsentes, quando alter vere cõsensit supplẽs suũ defectũ, hoc enim sufficit ad finẽ Concilij, sed huius oppositũ est declaratũ à *Clemente VIII. vt refert Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. q. 120 n. 3.* Verba sunt hæc. *Pœnitentiarij Pontifex respondit, esse necessarium nouũ consensum vtriusq; corã testibus, & parrocho ad monito prius marito de matrimonij nullitate, sed ad euitandũ scandalũ dispensat, vt secreto inter se contrahant renouato consensu. Et dispensauit pro illa vice, non pro alijs.*

9 Quæres an ad matrimonium sufficiat cõsensus duorũ, qui credunt, se habere aliquod impedimentum dirimens, cum non illud habeãt, & tamẽ cõtrahunt. Et respõdetur primo quod si credant posse cõtrahere, valet consensus, cũ nihil obstat. Respondetur secundo quod si credant, se non posse, validum efficere matrimonium, non possunt habere verum consensum, quia nemo consensum præbet rei, quam iudicat impossibilem, nisi aliquo modo subdubitet de impossibilitate, & ita sub conditione consentiat in matrimonium. Similiter non valet consensus in matrimonium, quando quis cõtraxit matrimonium inualidum, quia ficte contraxit, & postea credens illud valuisse, denuo

A consentiat, probatur, quia nihil est ita contrarium consensui, quam error, lege, si per errorẽ ff. de iurisdictione omnium iudicum.

QVAESTIO X.

An quando aliqui ignorantes aliquod impedimentum dirimens occultũ cõtraxerunt matrimonium, & postea aufertur impedimentum, debeat coniux rem sciens alterum ignorantem rei admonere, vt de nouo consentiat, vel quid debeat efficere alius, qui nouit?

B HÆc quæst. grauissima est, & duas oppositas sententias probabiles continet. Prima asserit, nõ esse necessariũ, coniugem rem cognoscentem alterum certiorem facere impedimenti præcedentis, & modo ablati, quando error non fuit personæ, neq; conditionis, vt ille de nouo consentiat, sed satis esse, si dissimulando petat ab altero, vt pro sua dissimulatione ipsum habeat in coniugem, imo ad hoc sufficere, quando timetur scandalum, aut aliquod graue damnum copulam habitam affectu maritali quamuis ex errore procedentẽ, quo iste credit, prius matrimonium valuisse. Ita tenent multi Doctores. *Caiet. in sum. verbo matrimoniũ, tit. contractus matrimonij potest reddi ex 7. capitibus vitiosus, Soto in 4. d. 28. q. 1. ar. 2. concl. 3. casu 1. Palud. in 4. d. 36. q. 1. ar.*

C *2. conclus. 2. n. 14. & alij multi.* Probatur primo quia ablato impedimento isti possunt cõtrahere matrimonium, & in illud consentiunt, vno ex modis prædictis, ergo valet matrimonium. Secundo probatur, quia solũ error personæ, & conditionis annullant matrimoniũ, ergo, cum iste error neq; sit personæ, neq; cõditionis, in casu, quo persona nõ est serua, sequitur, matrimoniũ etiam posito errore cõualescere. Tertio probatur, quia, quãdo quis duxit seruã putans esse liberam, licet matrimonium non valuerit, vt postea dicemus, si tamen postea manumittatur, & hoc ignoretur à viro, si de nouo habeat copulam affectu maritali cum ea, perficitur matrimonium, vt multi antiqui sen-

D serunt, ergo etiam in nostro casu perficitur matrimonium.

Sed opposita sententia tenenda est, quæ asserit, coniugem ignorantem nullitatem prioris matrimonij debere admoneri eius, vt modo denuo consentiat, & non sufficere, eum post ablatũ impedimentũ, & cum eadem ignorantia antiqua accedere ad vxorem affectu maritali. Ita tenent grauissimi Doctores *Gloss. in c. fili. de coniugio seruorum. In fine, Syluest. matrimonium 8. q. 2. dicto. 2. Nauar. in sum. c. 22. n. 47. Greg. Lopez l. 4. tit. 5. p. 4. verbo, no es ansi. Enriq. lib. 11.*

lib. 1 1. de matrim. c. 9. in fine, & alij. Quos refert, & sequitur Sanchez li. 2. de matrim. disp. 36. Probatur primo, quia nihil est magis contrariũ cõsensui, quam error l. si per errorem ff. de iurisdict. omn. iud. Sed iste talis ex errore, quo putat, fœminã esse suã vxorẽ, in illã consentit, & ad eam accedit, ergo vere nõ consentit. Secũdo probatur, quia cõiux ignarus impedimẽti præcedentis, & modo ablati, tantũ intẽdit cũ copula, vel alijs verbis ex errore dictis approbare prius matrimoniũ, & nõ aliud de nouo efficere, imò forsan, si sciret fieri nonũ matrimoniũ, illud recusaret: sed, quod nullum est, nequit ratificari, aut approbari, c. ad dissoluendum de despos. impub. Ergo illud matrimonium inualidum non ratificatur nouo consensu.

Quæret vero aliquis primo in hac quæst. an causa, quæ annullauit pri' matrimoniũ, debeat aperiri cõiugi eã ignorãti, vt denuo cõsentiat. Ad quod respõdetur primo, si ignorantia esset ex parte fœminæ, nõ esse ita periculosũ, ei rẽ totã aperire, atq; si esset ex parte viri, quia fœminæ mitiores esse solẽt, & magis timere dissolutionẽ matrimonij propter earũ infamiã, quã viri. Respõdetur secũdo, quod, quãdo vir esset ita lenis, & bonæ indolis, quod ex reuelatione secreti nullũ timeretur malũ, posset, & deberet ei reuelari, vt denuo cõsentiat, quod in omni opinione patet: matrimoniũ enim omnino libere, & cũ cognitione totius causę fieri debet, cũ potest. Tertio respõdetur, imminẽte aliquo periculo in reuelatione alicuius causæ, vt si fœmina fornicata fuerat cũ fratre sponsi, &c. Nõ debere causam nullitatis explicari, in cõmuni tamen patefaciendam esse nullitatem.

4 Sed quæres secũdo, quibus remedijs vtetur vxor sciẽs impedimentũ, ad alterũ certiorẽ faciẽdũ rei veritatis sine periculo sui, vel filiorũ, qui habiti sunt ex illo matrimonio nullo Nauar. loco citato. Istud adducit, quod dicat gratiose, suspicor, te nõ esse maritũ meũ ob aliquod fundamẽtũ. Ideo rogo te, causa tranquillitatis meæ cõsciẽtiæ, vt quaten' opus fuerit, denuo nos pro cõiugibus habeamus. Sanchez loco cit. n. 5. Adducit aliud, scilicet, ita vt dicat vxor viro, vel ecõtra, diligis me ita vehemẽter, vt si nõ esset inter nos matrimoniũ, denuo cõtraheres, ac ex nũc vis me in cõiugẽ, ac si nõ fuisset pri' matrimoniũ validũ? & ille respõdeat, volo, & illa idẽ dicat, te ita diligo, &c. Tertiũ remediũ est Segura 2. p. directorij. c. 15. n. 40. §. caterũ si alter. Ita, vt dicat fœmina. Ego aliud cogitãs dũ cõtraximus matrimoniũ, nullo modo habui cõsensum in illud, ideo te rogo, vt de nouo consentiamus. Quibus remedijs possunt addi alia remedia similia, quib' sufficiẽter satisfiet omnibus periculis, quæ in hac parte moraliter occurrẽt, quod si neq; his modis possit vxor extorquere cõsensum viri, potius debet fugere, quã reddere debitũ, quia hoc esset fornicatio, quæ nulla ratione licet, vel in casu nimis rigoroso periculi mortis, vel honoris posset opposita sententia probabilis defendi.

5 Ad argumentũ primũ oppositæ sentẽtiæ respõdetur, cõsensum, nisi aliqua ratione veritas pateftat, non valere. Ad secundum respondetur, prædictum errorem reduci ad errorẽ personæ, quia accedit ad non suã credens esse suã, imò esse errorem totius substantiæ cõtractus. Ad tertium respondetur, illam doctrinam nõ esse ita veram, atque oppositam, vt vidimus.

6 Tertio quæret aliquis, an isti, qui prius bonã fide cõtraxerãt matrimoniũ inualidũ corã parrocho, & testibus post impedimẽtũ iã ablatũ sciẽtes, & de nouo cõtrahentes debeãt iterũ corã parrocho, & testibus contrahere? In hac parte, prima sententia ait, hoc non esse necessariũ cũ infamia, vel scãdalum notabile timetur. Ita Doctores, quos refert Sanchez li. 2. d. 37. Alij vero sentiũt, requiri, vt iterũ corã parrocho, & testibus celebretur matrimoniũ, ita Nauar. li. 4. consi. in 1. edit. tit. 1. de sponsal. consil. 1. & in 2. tit. de desponsat. impub. cons. 3. Gutierrez li. quæstionũ canonic. c. 18. n. 7. & 8. Probatur primo quia cũ prius matrimoniũ fuerit nullũ, eodẽ modo celebrãdũ est corã parrocho, & testibus, ac si nõ esset cõtractũ. Probatur secundo quia præsentia parrochi, & testium requiritur pro consensu præsenti, non pro futuro. Tertio probatur, quia in diplomate cruciato conceditur facultas commissario dispensandi in matrimonio cum occulto impedimento contracto, vt occulte celebretur, ergo alias debet iterum coram parrocho, & testibus celebrari.

7 Dicẽdũ tamẽ est, nõ esse necessariũ, corã parrocho, & testibus iterũ cõtrahere, sed sufficere priorẽ præsentiã, ita Pedraza in sum. præcepto 3. §. 12. Ludouicus Lopez. 2. p. instructorij de matrim. c. 40. ad finem Nauar. in sum. Latina. c. 22. n. 70. & in nona editi. 16. n. 37. & dicit, sic declarasse Pij V. Et in pœnitẽtiariæ prætorio hoc est in vsu. Probatur primo quia decretum Trid. sess. 24. de matrim. c. 1. Annullans matrimoniũ cõtractũ sine parrocho, & testibus, & ratio, in qua fundatur, nõ se extẽdat ad hũc casum. Quia ratio Cõcilij fuit, vt mala ex matrimonio clãdestino secuta euitarẽtur, quorũ primũ erat, quod, cũ Ecclesia nõ cognosceret matrimoniũ clam contractũ, & cognosceret aliud ab eodẽ homine corã Ecclesia cõtractũ, cogebat ad secũdũ matrimoniũ, quod erat quidã cõcubinatus. At in nostro casu nõ reperitur hoc incõueniẽs, quia hoc matrimoniũ prius inualide ex impedimẽto occulto cõtractũ corã parrocho, & testib', & postea eiũ valide cõtractũ cogit Ecclesia seruari, & nõ permittit aliud de nouo contrahi cũ alia. Secũdo probatur, quia ex opposita sententia sequentur magna scãdala, & damna, ergo nõ est credendum, Ecclesiam requirere præsentiam prædictam cum his damnis.

Quod

8 Quod quidē intelligendum eſt ſecundū aliquos, quamuis in bullis, in quibus conceditur Epiſcopis diſpenſatio horū impedimentorū, dicatur illis, vt diſpenſent ita, vt *iuxta Trid.* cōtrahant, nā licet tūc nō poſsit diſpēſari, vt occulte cōtrahant, at poteſt Epiſcopus diſpēſare in impedimēto, & eo ablato clā poſſunt cōtrahere, & hoc aliqui dixerūt, multo magis placet doctrina *Ioan. Gutier. tract. de matrim. c. 74. n.6.* ſcilicet, ea clauſula appoſita, nō valere matrimoniū ſine noua præſentia parrochi, & teſtiū. Patet primo quia Papa expreſſe tūc diſponit, quod ſeruetur forma Tridētini, & aliter nō diſpēſat, & ablatiuus ille abſolutus, ſeruata forma Tridētini, cōditionē denotat *iuxta legem à teſtatore digreſſus de conditionibus, & demonſtrationibus*, vt cōmuniter ſentiūt iuris Cæſarei profeſſores, teſte eodē *Gutierrez n.9.* Tū quia forma ſtatuti nō obſeruata actus eſt nullus, vt docēt Doctores, quos citat *Boetius Conſilio 66. lib. 1.* & noſtra etiā doctrina intelligēda eſt, quando impedimentū nō eſt probabile cū duobus teſtibus, nā ſi ſit probabile, debent iterū contrahere corā parrocho, & teſtibus, aliàs, ſi clam cōſenſiſſent, & aliàs probaretur impedimentum, cogerētur ſeparari, & cōtingeret, aliquē aliam ducere publice, cū non poſſet cogi, ad primā redire. *Paulus Comit. lib. 1. reſponſ. moral. q. 106.* ita conciliat *Pium V. & Clement. VIII.* Citatū præcedenti quæſt. quod, cū matrimoniū fuit nullū propter impedimentū iuris poſitiui, & aufertur à Pōtifice, ſatis ſit clandeſtine cōtrahere, vt ait *Pius V.* in caſu poſito. Cū vero impedimentū eſt iuris naturalis, vel diuini, neceſſarium eſſe nouum conſenſum coram parrocho, & teſtibus, vt ait *Clemens VIII.*

9 Ad argumenta in oppoſitū reſpondetur. Ad primū dicimus, illud matrimoniū quoad præſumptionē Eccleſiæ eſſe validum, & ita non eſſe corā Eccleſia repetendū. Ad ſecundū reſpōdetur, præſentiā parrochi, & teſtium per ſe legitimare conſenſum de præſenti, per accidens tamen conſenſum de futuro. Ad tertium reſpondetur, in bullis ſæpe aliqua concedi ad magis pacandas conſcientias, quāuis ſine bullis poſsit res fieri, & ita nunc contingit.

10 Quæres, quarto an confeſſarius, qui cognoſcit, aliquos ex ignorantia inualide cōtraxiſſe, teneatur, eos admonere? Ad quod reſpōdetur primo, cōfeſſariū in cōfeſsione hoc cognoſcentē nō poſſe illud iudici reuelare, quia eſt detegere malū ſtatū pœnitētis. Secūdo reſpondetur, quod, quādo ignorātia eſt culpabilis culpa mortali, tenetur cōfeſſarius admonere coniuges, quāuis nō ſperet fructū, & ſcandalū ſequatur. Ita tenet, cū cōmuni doctrina *Sanchez. diſp. 38. lib. 2.* quia cōiuges ignorantia liberati aptiores ſunt ad reſipiſcendū, & facilius agitabūtur ſtimulis cōſcientiæ. Tertio reſpondetur, cū ignorātia eſt inuincibilis, ſiue iuris, ſiue facti, & ſiue iuris humani, ſiue diuini, ſiue naturalis, & ſperatur fructus, & poteſt fieri ſine graui detrimēto, debere confeſſariū admonere coniuges, hoc enim videtur eſſe proprium eius officium. Quarto reſpōdetur, nō teneri cōfeſſariū admonere pœnitentē impedimēti matrimonij, quādo ignorātia eſt inuincibilis iuris humani, vel diuini, vel naturalis, vel facti, & quādo nulla inde expectatur vtilitas, ſed potius detrimēta timētur, vt, quod pœnitēs cū peccato perſeueret in matrimonio, vel recedat ab eo cū ſcandalo alterius partis. Et hanc doctrinā amplector, etiā vbi aliqui in dictis caſibus volūt contrahere matrimonium, cum *Sanchez loco citato. num. 6. & Nauar. c. ſiquis autē de pœnitētia d. 7. n. 73.* & ante dictam doctrinam docent *Soto in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. ad 2. Can. relect. de pœnitent. p. 5. §. atque hic ego intelligi volo. in fine, fol. 10. Enriq. li. 6. de pœnit. c. 27. n. 4. & Sanchez loco citato, & n. 7.* Probatur primo ex *c. ſiquis autem, de pœnit. d. 7. ibi ſi ſcirem, non tibi prodeſſe, non te admonerem.* Probatur ſecūdo, quia ſicut correctio ad bonū perſonæ correctæ ordinatur, & dū nō ſperatur aliqua vtilitas ex ea, nō obligat, ſimiliter admonitio cōfeſſoris ad bonū pœnitētis ordinatur, ergo eo deſperato nō tenetur confeſſarius admonere, imo tenetur tacere. Et cōfirmatur ex illo ſcripturæ. *Vbi nō eſt auditus, non effundas ſermonē.* Imo, ſi cōiux iſte neget ex alia cauſa debitū, relinquendus eſt in ignorantia prædicta, & cogēdus ad reddendū illud. Tenetur etiam cōfeſſarius tacere, quādo pœnitens bona fide procedit, etiā ſi ſciat illū ita eſſe timoratæ conſciētiæ, vt ſit paratus ad faciendum; quod eſt in ſe, vt tollat impedimētū quodlibet, ex ablatione tamē timetur ſcandalū, vel notabilis infamia. Et hac ratione intelligitur *caput circa. De conſanguin.* Vbi loquēs Pontif. de quibuſdam, qui ſubreptitia diſpēſatione cōtraxerant, reſpondet, *Diſsimulare poteris, vt remaneant in copula ſic contracta, cū ex ſeparatione graue videas ſcandalū imminere.* Ibi enim cōiuges bona fide cōtraxerant ignorantes ſubreptitionē, & aliàs timebatur ſcandalū, ita *Nauar. Conar.* Et alij allegati à *Sanchez d. 38. citata n. 12.* Imo aliquis credere poſſet, hanc doctrinā eſſe veram, quod cōfeſſarius debeat tacere, cū deſperatur fructꝰ admonitionis, & eſt ignorantia inuincibilis in pœnitente, quamuis res vergeret in damnum tertij vt docet *Sanchez loco citato n. 9.* Sed contrarium, quando damnum tertij timetur, diximus in materia de pœnitentia.

11 Quod ſi obijcias *c. qui ſcandalizauerit, de regulis iuris.* Vbi dicitur. Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quā veritas relinquatur. Reſpōdetur cū *D. Th. 2. 2. q. 43. ar. 7. in corpore.* Hoc eſſe intelligēdū, quādo veritas nō poteſt omitti ſine peccato, hic autē poteſt, vt vidimꝰ. Et ſecūdo obijcias *c. Ephe. 43. d.* vbi refertur illud *Pauli, Actorū 20. mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrū.*

Non

non enim ſubterfugi, quominus annũciarẽ omne conſiliũ Dei vobis. Et in *c. error. 33. diſt.* Habetur, *approbari errorẽ, cui minime reſiſtitur*. Reſpondetur cũ *Soto in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. ad 2. & Aragon. 2. 2. q 33. art. 6. concluſ. vltim.* Hos textus eſſe intelligẽdos de Doctore, ſiue cõcionatore publico, qui, quãuis alicuius particularis non ſperet fructum, ſed ſcandalum, propter bonum commune non debet officium relinquere.

12 Ad ſecundũ vero, quod in quæſt. proponitur. Reſpõdetur proponẽdo duos caſus, & illos reſoluẽdo, quos proponit *Paulus Comit. lib. 1. reſponſ. moral.* Primus eſt. Quædã fœmina, ſciẽs filiũ cubile ancillæ ſuæ noctu adire, clam in eo ſe cubili collocat, ancilla pulſa, filius nihil de matre ſuſpicans matrẽ pro ancilla cognouit. Grauida ex filio mater efficitur. Filius ignarus ad longinquas migrat terras, poſt multos annos rediens, interea mater parit puellã pulchram, quã, rem neſciens, adamauit filius, & in vxorẽ petit, mater rẽ tacuit, & filius puellam duxit, & poſtea mater ſtimulis agitata conſciẽtiæ vult rem ad iudicẽ deferre, quã non poteſt probare. Reſpondet *Comit.* & bene, rem nõ eſſe ad iudicem deferendã, quia probari non poteſt, & ex accuſatione, & iurgia inter cõiuges, & infamia matris ſequerẽtur. Tum quia coniuges erant in bona fide, & filij propterea erant legitimi. Mihi tamen videtur, quod iſti coniuges eſſent priuatim admonendi, ſi ex admonitione fructus ſperatur, aliàs non.

13 Secũdus caſus eſt, quod Sacerdos cognouit duas fœminas, & ex vna filiũ, ex altera filiã genuit, quæ perſonæ ignaræ conſanguinitatis matrimoniũ tentant, ſolus Sacerdos rem norat. Quæſitum eſt, an iſte deberet eos matrimonio coniũgere? & reſpondet *Comit.* bene minime, ſed eum debere Epiſcopum adire: vnus enim teſtis ſufficit ad matrimonium impediendum, vt ſupra vidimus, & docent *Sylueſt verbo, teſtis, q. 5. & D. Anton. 3. p. tit. 9. c. 11. ante §. 1.*

QVÆSTIO XI.

An coniux cognoſcens impedimentum dirimens matrimonium bona fide contractum poſsit reddere debitum timore ſcandali, mortis, vel excommunicationis.

1 MAGISTER Sentẽtiarũ in *4. d. 38. in fine, Hugo de Sãcto Victore de Sacram. p. 11. c. 6.* Et alij dicunt, coniugẽ tũc poſſe timore prædictorum malorũ reddere debitum ei, qui bona fide petit. Probatur primo quia ille, qui cũ inuincibili ignorantia procedit, licite petit copulã, & vtitur iure ſuo, ergo alter tenetur reddere. Secũdo probatur, quia maius malũ eſt, occidere innocentẽ, quã acce- A dere ad nõ ſuã, ſed primũ licet iudici, quãdo ille ſecũdũ allegata, & probata eſt nocens, ergo, & ſecundũ licet cõiugi conſcio nullitatis matrimonij, quia in facie Eccleſiæ matrimoniũ validũ iudicatur. Tertio probatur. Ex duob' malis minus eſt eligendũ. *c. duo mala. diſt. 13.* Sed minus malum eſt in hoc caſu, reddere debitũ, quod eſt ſolum fornicatio, quã negare cũ ſcãdalo, & morte propria. Ergo licet reddere. Quarto probatur. Licet in repub. permittere fornicationes meretricum ad vitanda mala, ergo licitum erit in hoc caſu, ad maiora mala vitanda reddere debitum.

Sit prima concluſio. Nõ licet ob cenſuras Eccleſiæ, ob ſcandalum, aut mortem vitandam in hoc caſu reddere debitum, ſiue impedi- B mentum ſit humanum, ſiue diuinum dirimens, ſed potius hæc omnia ſunt toleranda, quam reddendum debitum. Ita defendunt *D. Tho. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 4. in fin. D. Bonauent. d. 38. in expoſitione litteræ Magiſt. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 19. ante §. 1.* Et alij innumeri, quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 2. diſp. 39.* probatur ex *c. inquiſitioni. De ſententia excom.* Vbi loquens de coniuge, qui ſcit impedimentũ dirimens, ſic dicit, *debet potius excõmunicationis ſententiã humiliter ſuſtinere, quã per carnale cõmercium peccatũ operari mortale.* Et in *c. literas, de reſtitutione ſpoliatorũ*, idem dicitur. Probatur, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, fornicationem, quæ eſt acceſſus ad non ſuam, eſſe licitam ob præceptum ſuperioris, ob vitan- C dum ſcandalum, &c. Quod erroneum videtur, quia eſt intrinſece mala, & nullo modo poteſt honeſtari, & hæc doctrina etiam eſt vera, quando impedimentum eſt Eccleſiaſticum, quia Eccleſia tunc cogendo per cenſuras non diſpẽſat. Sed ex falſa præſumptione iudicat matrimonium eſſe validum ex ſe, & quidem ſi in poteſtate cõiugis ſcientis impedimentum ſit, tollere illud, tenetur tollere, ſi ſua culpa ita cõtraxit inualide, vt ſi ficte contraxit, & ſine conſenſu, non quando contigit ſine culpa, vt quia contraxit ex metu cadente in conſtantem virum, duriſsimum enim eſſet, obligare aliquem ad contrahendum in hoc caſu.

Secũda concluſio. Si coniux iſte impedimẽ- D ti conſcius nõ poſsit ſine vitæ periculo detegere illud, vel, licet detegat, non poſsit probare illud, & ab Eccleſia cogitur ad cohabitandum, his poteſt vti remedijs, primũ eſt, in eum locũ fugere, vbi ſcandalum ceſſet, ita *D. Tho. in 4 d. 27. q. 1. ar. 2. quæſtiunc. 4. in fine.* Secũdũ mediũ eſt, ſi matrimoniũ nõ eſt conſũmatũ, petere Põtificis diſpenſationem, aut religionẽ ingredi, ita *Sanchez loco citato.* Tertium eſt, ſi aliqua ſit iuſta cauſa, petere diuortium. ita *Corduba lib. 1. quæſt. q. 11. ar. 2. ad finem dicto 5.* 3

Ad argumẽta reſpondetur. Ad primũ cõiugẽ ignorantẽ non habere verũ ius, ſed præſump- 4

tũ ad petendũ,& ita consciũ impedimenti nõ posse reddere debitũ. Ad secundũ respõdetur, iudicẽ procedentẽ ex notitia publica posse occidere licite innocentẽ, de quo publice secundũ allegata,& probata cõstat esse reũ: at cõiux conscius nullitatis procedit ex notitia priuata, & secundũ illã videt, non esse vere cõiugatũ,& secundũ illã alter coniux petit debitũ, & ita ea sufficit in sciente impedimentũ, ne possit reddere debitũ. Ad tertiũ dico, illũ textũ esse intelligendũ de malis pœnæ, vt potius est, amittenda fama, quã vita, si hæc duo occurrãt. Ad quartũ respondetur, licitũ esse, in alio permittere aliquod peccatum ad vitandum maius, at in se ipso permittere, quod quidem est facere, non licet.

5 Tertia cõclusio. Quãdo impedimẽtũ est Ecclesiasticũ occultũ,& matrimoniũ publicũ, & ex separatione coniugũ sequeretur scandalũ,& ad Pontificẽ nõ patet accessus inopia, vel alia iusta causa impediẽte, potest Episcopus cũ suis subditis dispensare. *ita Nauar. in sum.* Allegans pro se *Aug. & Syluest.* Et alij, quos refert, & sequitur *Sanchez loco citato.* Imo asserit Nauar. aliquos Episcopos dispensasse de facto in hoc casu. Probatur primo, quia in omnibus casibus reseruatis sedi Apost. ad sui absolutionẽ, in quibus strictior est reseruatio, quã in impedimẽtis, potest Episcopus absoluere, quãdo ratione impedimẽti nõ est recursus ad Papã, vt dicũt Doctores, quos refert *Enriq. lib. 6. de pœnit. c. 16. n. 1.* Ergo etiã in impedimẽtis: & cõfirmatur, quia licet Episcopus non possit in lege Papæ,& Concilij generalis regulariter dispẽsare, potest tamẽ in casu vrgentis necessitatis, quãdo nõ adest accessus ad Pont. vt *Enriq. loco citato* cũ multis docet, sed hic vrget necessitas, si proles nõ possit educari cõmode sine parẽtibus, vel scandalũ timetur ex separatione, ergo poterit Episcopus dispensare. Ad hoc autẽ, vt Episcopus dispenset, requiritur bona fides vtriusq; cõtrahentis, vel alterius, hoc enim videtur æquitati cõsonũ, non vero potest dispensare, quãdo sciẽter aliqui in gradibus prohibitis præsumũt cõtrahere, neq; quãdo solemnitates Ecclesiæ negligũtur, etiã si ex ignorantia procedatur, quia ita habetur in *Trident. sess. 24. c. 5. de matrim.* Vnde cũ eo, qui cũ culpa lata,& ignorãtia culpabili cõtrahit, potest Episcopus dispẽsare, quia iste non contrahit scienter, & idẽ videtur dicendũ secũdũ *Sanchez loco citato*, si paratis omnibus ad matrimoniũ contrahendũ, se offerat impedimentũ occultũ cũ prædictis circunstãtijs, tunc enim propter eandẽ secundã rationẽ potest Episcopus dispẽsare:& si in dictis casibus nuntius, aut alius haberet ad hoc potestatẽ, eã non haberet Episcopus, quia iste in defectũ aliorũ eã videtur habere. Habẽs tamẽ priuilegiũ dispẽsandi in casibus Episcopalibus etiã matrimonialibus, nõ potest dispẽsare in casibus, qui ratione vrgentis necessitatis cõueniunt Episcopis. Quia in generali concessione nõ veniũt eã, quæ quis nõ esset in specie verisimiliter concessurus.

Hæc autẽ iurisdictio Episcoporũ in his casibus ordinaria est,& possunt eam delegare. Patet, quia secũdũ doctrinã *Bart. lege ambitiosa, n. 34. ff. de decretis ab ordin. faciendis, Bald. c. fili. n. vnic. de officio ordinarij.* Et aliorũ, eã est iurisdictio ordinaria, quæ cõuenit in perpetuũ non personæ, sed dignitati, vel officio, sed huiusmodi est hæc iurisdictio in his casibus prædictis, ergo est ordinaria. Et hinc satis fit *ad c. vlt. §. fili. de officio delegati*, vbi dicitur, *nulli, cui commissum fuerit excommunicare, vel absoluere aliquos, dispensare cũ irregularibus, liceat hæc alijs demandare, quia non sibi iurisdictio, sed certũ ministerium potius cõmittitur.* Respõdetur enim *cũ glos.* ibi esse sermonẽ, quãdo cõmittitur nudũ ministeriũ, non quãdo datur iurisdictio, vt *in Trid. sess. 24. c. 6. de reformat.* Cũ conceduntur Episcopis casus reseruati, cõceditur facultas ordinaria, quam possunt cuilibet delegare. Et cũ dicitur, quod possit per se, vel per vicarium, hoc ex eo dicitur, quod vicarij ex generali commissione vicariatus hoc non possunt,& aliqui dicũt, posse Episcopũ casus hæresis delegare vicario ad id specialiter deputato, quod non puto verum, sed contra Concil. ibidem.

QVAESTIO XII.

Verùm post matrimoniũ bona fide initũ ex parte vtriusq; coniugis possit alter coniux dubitans probabiliter de valore matrimonij petere, & reddere debitum?

IN hac quæst. variæ sunt authorũ sententiæ. Prima docet, prędictũ cõiugẽ nec posse reddere, nec petere debitũ. Ita sentire videtur *Scotus in 4. d. 30. q. 1. §. sed de facto, est maior altercatio, & alij.* Probatur, quia iste dubitat, an accedat ad non suam, ergo dubitat an fornicetur, quare peccat mortaliter reddẽdo,& petẽdo debitũ, quia operatur cum dubio practico. Secundo quia, si prælatus iubeat detegere crimẽ fratris, non tenetur subditus dubitans, an iure præcipiat, obedire, non obstante prælati possessione in præcipiendo, ergo etiam si coniux procedens bona fide matrimoniũ possideat, nõ tenetur alter dubitans reddere debitũ ei petenti.

Secũda sententia docet, posse istũ dubitantẽ petere, & reddere debitũ. Probatur primò, quia illi, qui dubitãt de sua impotẽtia in ordine ad matrimoniũ, de valore dubitãt matrimonij, quia potẽtia necessaria est ad valorẽ ei⁹, sed isti, vt patet ex c. *Laudabilẽ, de frig. & malef.* Possunt per trienniũ reddere,& petere ad experiẽdam im-

dâ impotentiā, ergo omnes alij de valore matrimonij dubitantes. Probatur secūdo, quia id videtur definisse, *Pium V. in quodam motu proprio relato à Veracruz, 3.p specul. argum.* 18. Dū dicit, Indos ad fidē cōuersos, & nondum certos de prioris vxoris morte, neque eā potentes inuenire, cū vltima esse mansuros, & posse petere, & reddere debitū, ergo, cū quis dubitat de matrimonij valore, idē potest, ita fieri *Angles, in sum. 1. p. de matrim. q. 11. de imped. ordinis ar. 3. dub. 5. fol. 596. & alij Doctores.*

3 Tertia sententia asserit, dubitantem post factam diligentiam posse petere, & reddere debitum, ita sentiunt *Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. versiculo, imo vero Enriq. lib. 12. de matrim. c. 6. num. 5. & Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp.* 41. Probatur primo, quia, qui bona fide possidet palliū, & incipit dubitare, an sit suum, vel alienum, si post factam sufficiētem diligentiā adhuc dubitet, potest eo vti. Ergo coniux dubitans de valore matrimonij post factam sufficientem diligentiam potest petere, & reddere debitū, quod est, vti matrimonio. Secūdo probatur, quia inuincibilis ignorantia excusat à culpa, sed iste habet ignorantiam inuincibilem, ergo excusatur à culpa petendo, & reddendo debitum.

4 His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Si post factam sufficientem diligentiā potest quis prudenter, & probabiliter deponere dubium, & nullam habeat rationem probabilē dubitādi, tunc potest deponere dubiū, seu scrupulum, & petere ac reddere debitum, patet, *ex cap. inquisitione, de sent. excom.* Et hoc est certum in omni sententia. Sed sola difficultas est, quando post factam sufficientem diligentiam remanet dubium, an possit quis petere, & reddere debitum.

5 Sit secunda conclusio. Dubitans de valore matrimonij, quod bona fide contractum est, in primis tenetur debitam diligentiam præstare ad vincendum dubium, quod ius naturale docet, quod si dubius fit ante præstitam diligentiam, vel postea, in vtroque casu non debet alterum bona fide possidentem matrimonium priuare copula, sed tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti bona fide, & non dubitanti, non tamen potest petere illud, etiam si fecerit diligentiam sufficientem, modo tamen dubitet semper probabiliter, ita *Nauar. in sum. Hispana, cap. 22. nu. 81. Salon. 2.2. q. 61. tract. de dominio, ad finē, fol. 596. Petrus de Ledesm. de matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. Barth. à Ledesm. de matrim. dub. 10. conclus.* 2. Probatur primo, quod debeat reddere *ex cap. inquisitioni, de sent. excomun.* Vbi hoc expresse definitur. Probatur secūdo. *Quia in pari causa melior est conditio possidentis, iuxta reg. in pari. 65. de reg. iur. in 6.* Sed quādo est dubiū de valore matrimonij, æqualis est causa, & æquale ius pro matrimonio, & cōtra illud, ergo debet præualere possessio matrimonij, vnde dubitās potest reddere. Et probatur tertio quia ex duobus malis minus est eligendū, sed, si iste dubitās nō reddat ei, qui nō dubitat, sed bona fide petit, exponit se periculo faciēdi cōtra iustitiā, quā alter habet ad petendum, & in reddendo solū se exponit periculo incontinētiæ, quod de se minus peccatum est, imo in hoc quoq; casu propter periculū iniustitiæ euitandū nullū est, ergo tenetur reddere. Et etiā probatur, quod nō possit petere, quia in nō petēdo nullū est periculū, & in petendo est periculū incontinentiæ, ergo tenetur non petere.

6 Si lis mota sit circa valorē matrimonij, in foro interno possunt vti iure, quod antea habebant, nō existenti ratione sufficienti ad dubitādū. In foro vero externo, si matrimoniū est cōsummatū, & intra triduum non offerantur probationes, conceditur eis cohabitatio, & torus, & si offerātur, sola cohabitatio, & si matrimonium est ratū, cohabitatio, & alia obsequia conceduntur, præter copulam, ita *Sanchez lib. 2. de matrim. disp.* 41. Coniugi autem dicenti, se non consensisse, alter, si rationes sint probabiles, tenetur credere, & tunc non potest petere, nec reddere debitum.

7 Ad argumenta opposita respōdetur. Ad primū dicimus, illum dubitare, an accedat hic, & nūc ad non suā, nō tamen dubitare, an fornicetur, quia rectè scit, nō esse fornicationē, accedere ad eam, cū qua bona fide contraxit, & quæ bona fide petit debitū, licet postea sit subortū dubiū, sed ad eam, quam certo scit nō esse suā. Ad secūdū respōdetur, quod licet prælatus sit in possessione præcipiēdi, alter tamē terti⁹ etiā est in possessione suæ famæ, dū non adest sufficiens ratio illā tollendi, & ita subditus ei, sicut præcepto iniusto, non tenetur obedire.

8 Ad argumēta secūdæ sententiæ respondetur. Ad primū, esse diuersā rationē de dubio impotentiæ, ac de alijs dubijs aliorū impedimentorū, nā, cū dubiū impotentiæ, quando alia via vinci nō possit, debeat vsu matrimonij vinci, ideo à iure cōceditur cōiugibus petere, & reddere. Et alia dubia alijs vijs vinci possunt, vnde non datur in eis licētia petēdi debitū. Ad secundū *de Pio V.* respondetur. Illū merito præsumpsisse, priores vxores Indorū ad fidē conuersorū eo ipso, quod noluerint cōuerti, sed ad alios infideles cōfugerāt, noluisse habitare cum suis viris sine contumelia Creatoris, vnde dissolutum esse prius matrimonium, & posse Indos cum alijs fœminis contrahere. Iuxta doctrinam infra adducendam.

9 Ad argumēta tertiæ sententiæ respondetur. Ad primū dicimus. Illum, qui fecit sufficientem diligentiam ad cognoscendum, an pallium, quod possidet, sit suum, vel alienū, posse eo vti vēdendo, vel cōsumēdo, vt ait doctè ipse *Sanchez loco cit. n.* 22. Dū paratus, sit reddere

prtium vero domino, quia in hoc nullum est A periculum, st qui post factam diligentiam adhuc dubitat de valore matrimonij, non potest eo vti prtendo debitum, quia se exponit periculo incontinentiæ. Ad srcundum respondetur, ignorantiam, quæ non potest vinci, excusare à peccato, quando post factam omnem diligentiam nullum manet probabile dubium, quando vero manet, non excusatur à peccato, si petatur debirum.

10 Sed quæres, quid si duo coniuges mala fide contrahant? Er respondetur cum *Veracrux, 3. p. speculi art. 13. in fine, & Sanchez disp. 42. lib. 2.* Neurrum posse peterr, & reddere, patet, quia nulli suffragatur possessio malę fidei, & ita nullus potest prtere, quare nec reddere.

11 Quærrs secundo, quid si vnus tantum mala B fide contraxit, & adhuc in ea perseuerat? Respondetur cum *Innoc. in ca. Dominus, de secundis nuptijs num. vnic. Abbas. num. 4. Enriq. lib. 12. de matrim. c. 6. nu. 5. & alijs. licet Sotus in 4. dist. 37. q. vnic. in fine art. 5.* Sentiat oppositũ, istum dubitantem, qui prius contraxit cum dubio, debere reddere alteri bona fide contrahenti, & non posse petere, ita expresse, & in proprijs terminis definitur in prædicto *ca. Dominus.* Patet, quia, qui bona fide possidet, in dubio non debet spoliari iure petendi, quod habet ratione bonæ fidei, ergo alter tenetur reddere. Vt patet in præscriptione, in qua mala fides prioris possidentis non nocet ei, qui posterius bona fide possidet, & ad id, quod obijcit Sotus, C quod marrimonium non potest claudicare, sed si vnus non potest prtere, neque alius potest. Respondetur, matrimonium non claudicare quoad vinculum, sed tantum, quoad ius petendi debitum, sicut, cum vnus coniux commisit adulterium, vinculum ex vtraque parre valet, vt aduertit *Enriquez loco citato.* At ille non potest petere debitum, quamuis innocens petere possit.

12 Quæres tertio, an ille, qui dubitat de imprdimento, & in sua potestate habet confirmare prius matrimonium, & ratificare, vt si impedimentum sit seruitutis alterius coniugis, possit reddrre debitum sine animo ratificandi prius matrimonium, siue Ecclesia præcipiat reddere debitum, siue non. Quidam dicunt, teneri talē D coniugem rrddere debirum animo marirali, & probant, quia alias accederet animo fornicario, cum non accederrt animo maritali, quia nō datur medium. Er cōfirmatur, quia alias sic reddēs debitum sibi præiudicaret, definitur enim *in cap. 2 de Coniu. seruorum,* eum qui post quam cognouit vxorem esse ancillam, eam carnaliter cognouit, compellendum esse, eam retinere. quia non credit Ecclesia, huiusmodi hominem accedere ad eam ancillam animo fornicario, sed animo potius maritali, sed nihilominus respōdetur, licet hoc probabiliter defendi possit, probabilius esse hūc cōiugē teneri sine eo animo reddere debitum. Hanc partem defendunt ex Theologis, & Iurisperitis multi, quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 43.* Probatur quia alter coniux, qui nullo modo dubitat in bona fide persistit, & in sua possessione, ergo in eo dubio possessio ei suffragatur, sicut in alijs dubijs aliorũ impedimētorum, præsertim, quia coniux dubitans potest reddere debitum sine vllo peccato. Patet, quia potest accedere non animo maritali ratificandi prius matrimonium, sed animo maritali cōseruandi alterum in sua possessione, quod est quoddā medium inter hoc, quod est accedere animo fornicario, & accedere animo maritali ratificandi matrimonium antiquũ, atque hinc B respōdetur ad primum argumentum. Ad secũdum vero dicimus, illum textum intelligendũ esse in eo casu, quo quis credit ex fide dignis testibus suam coniugem esse ancillam.

Quæres quarto, an ille, qui habet opinionē 13 nullitatis matrimonij, possit alteri existenti in bona fide matrimonij, & possessione, & sine vlla dubitatione, vel opinione petenti debitũ, illud reddere tuta conscientia? Quidam relati à *Sanchez disp. 44.* dicunt, hoc esse non licitum, quia licet in dubio prosit possessio, non tamen in opinione, vt cum quis opinatur, rem quam possidet esse alienam, tenetur eam restituere, & confirmatur hæc pars, quia huiusmodi reddens debitum videtur fornicari, cum iudicet, se accedere ad non suam. Sed responde- C tur primo cum *D. Th. 4. d. 41. q. vnica art. 5. quæstiunc. 1. ad 3. & dist. 38.* In fine in hoc casu licitum esse reddere debitum. Probatur primo ex *cap. inquisitioni de sententia excommunicationis,* Vbi dicitur, *habentem conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, quamuis non euidenti, & manifesta reddere debere.* Et cōfirmatur, quia per solam opinionem, qua quis concepit rem ab altero possessam esse suam, nequit talem rem ab altero auferre, ergo idem prorsus affirmandũ est in nostro casu, in quo sine dubio non potest peti debitum. Pater quia si in dubio nō potest peti drbitum, multo minus cum opinione asserente non valrre tale matrimonium, quia tunc multo magis vrgent rationes in contrarium. Respondetur secundo, cum sunt opiniones di- D uersæ, altera affirmante valere matrimonium, altera prorsus destruente valorem eius, vnumquemque posse eligrre opinionem, quam maluerit, quod si affirmatiuam eligat, posse reddere, & perere debitum, hæc enim regula generalis est in diuersitate opinionum occurente. Tertio respondetur, difficile mihi esse, nisi temperetur, quod affirmant *Gregorius de Valentia, tomo 4. disp. 10. quæst. 6. de peccatis commissis in vsu matrimonij, & Nauar. in sum. cap. 22. nu. 82.* Non teneri coniugem credere, aut dubitare circa valorem sui matrimonij, etiam si vnus testis fide dig-

fide dignus id asseueret, & iuramento confirmet, & multo minus cum alter coniux affirmat, & iurat se ficte contraxisse, quia in rebus humanis solum oportet testimonio duorum stare, hoc tamen durum mihi videtur, nisi ita intelligatur, vt non sit facile eis credendum, nisi valde vrgentes, vel probabiles rationes reddant sui testimonij. Ex his respondetur argumētis in oppositum. Ad primum dicimus, possidentem tem cum opinione probabili, qua concepit illam non esse suam, non posse eam tuta conscientia retinere, quia nulla possessio legitima ei suffragatur, cum vero quis opinatur matrimonium esse nullum, debere eū reddere debitum alteri bona fide possidenti matrimonium, ne eum à sua possessione iniuste expellat, solum nitens opinione probabili. Ad secundum respondetur, eum accessum non esse fornicarium, quia ratio fornicationis in eo consistit, quod quis accedat ad eam, ad quam nequit accedere, iste autem sic non accedit.

QVÆSTIO. XIII.

Quæ circumstantiæ se se offerre debeant, vt quis credat nullitatem matrimonij?

IN hac quæst. sit prima conclusio. Generaliter loquendo, non debet coniux credere alteri coniugi affirmanti nullum fuisse matrimonium propter defectum sui consensus. Ita defendit communis Doctorū sententia. *Patet ex cap. per tuas de probationibus*, ibi, *nimis indignum est iuxta legitimas sanctiones, vt quod quisque sua voce lucide protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare.* Quando vero coniecturæ tales sint, vt virum prudentem moraliter certum reddant nullitatis matrimonij, tunc potest ille, & tenetur credere priores nuptias nullum fuisse valorem sortitas, & alias secundas merito quærere. Pro hac conclusione claré pugnant *Couar. 4. decretalium 2. part. cap. 2. num. 4. Syluest. matrimonium 4. quæst. 9. dicto 3. & alij.*

Vt vero hæc conclusio lucidior appareat, ali quæ coniecturæ ponderandæ sunt, quæ hanc credulitatem iuuāt. Prima sit, si vir immediate post quam protulit verba consensus, statim ea reuocet, tunc censetur ea verba per errorem protulisse, nisi persona valde inconstantis, & versipellis naturæ esset, quod in simili casu de testibus definitur *in c. præterea de testibus cogendis. ita Turrecremata 31. q. 2. in summa num. 10. & alij.* Secūda coiectura est, cū quis statim cō-fitetur, se ficte contraxisse, & aliud init matrimonium, vel religionem ingreditur, neque enim credendum est, eum ita salutis suæ esse immemorem, vt audeat, secundum matrimonium inire priori vires retinente. Ita *Nauar. in summa cap. 22. num. 76. versic. 3.* Tertia coniectura est, quando quis etiam post longum tempus iurat se matrimonium ficte contraxisse, & est vir honestæ vitæ, ac religionem ingreditur, vel ordinem suscipit sacrum, vel aliam vxorē ducit, ita *Nauarrus* vbi supra, & alij. Quarta coniectura sit, si puella sit honestæ vitæ, & dicat se ficte contraxisse, & verisimiliter credatur, eam contraxisse ex metu reuerentiali patris, & illa aliud ineat matrimonium, tūc enim iuxta *Sotum in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. propositione 1. versic. quo ergo gradatim*, Vir potest aliā ducere, & sine authoritate iudicis, quando primum matrimonium probari non potest, vt quia mortui sunt testes, dummodo id fiat in alia regione remota, vbi nullum sequatur scandalum, quod si vterque coniux confiteatur fictum consensum, hoc facilius credetur, nisi graues essent cōiecturæ in contrarium, de qua cō-iectura late videatur *Sanchez lib. 2. de matrimonio, disputatione 45.* Quinta cōiectura est. Siquis libere protestatus est ante matrimonium celebratum, se nolle contrahere matrimonium, quamuis postea verba proferat, quibus videatur matrimonium contrahere, & cum admittitur ab altero contrahente; vel ille ignorat talem protestationem, tunc enim nullam vim habet matrimonium. Patet, quia tunc non adest verus consensus, quādo vero istæ desit, siue copula sequatur, siue non, siue alter coniux repudiet protestationem, & ea repudiata contrahat, siue non, semper est matrimonium inualidum, quando vero censeatur quis à protestatione sua discessisse in foro externo, notāt Doctores *lege, non solum 9. morte ff. de noui operis enunciatione, & Ostiensis, & Abbas cap. tua de sponsalibus.*

3 Secunda conclusio. Quamuis ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, satis sit vnus testis, vel fama, quia res tunc non est ita grauis, at vero ad dissoluendum illud, quod cō tractum est, quia res multo grauior est, & pertinens ad præiudicium tertij, duo testes requiruntur omni exceptione maiores, ita definitur *cap. 1. de consanguinitate.* Et cum agitur de dissoluendō matrimonio ratione consanguinitatis, optimi testes sunt consanguinei coniugum, quia illi melius, quam alij, solent cognoscere huiusmodi impedimentum, vt constat ex *cap. super eo, el 2. de testibus.* Quæ conclusio intelligenda est iuxta tenorem primæ conclusionis, scilicet vnius testis testimonium sufficiens minime esse, non modo ad dissoluendū matrimonium: sed etiam, vt coniuges credant, matrimonium ab ipsis contractum inualidum fuisse, nisi tales coniecturæ concurrant, quæ virum prudentem moraliter certum reddant illius nullitatis.

4 Tertia conclusio. Vt quis propria authorita- A te, vel Ecclesiæ contrahat secundum matrimonium, tante requiritur certitudo per nuntium, vel epistolas de morte prioris coniugis, quanta iudicio prudentis satis iudicatur, & non sufficit probabilitas. Patet ex *cap. in præsentia, de sponsalibus in fine*. vbi sic dicitur. *Non possunt tales ad aliorum consortium conuolare, nec premissas, eos authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Vbi eadem B regula assignatur pro foro interno, & externo, quia vterque quantum ad hanc, rem pari passu currit. Ita notauit *Soto in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 5. vers. de hac vero certitudine*. Et alij ipsum sequuntur. Et probatur, quia tunc maximum periculum imminet nullitatis matrimonij secundi, & adulterij committendi contra primum matrimonium, ergo requiritur moralis certitudo. Quod si obijcias, *cap. quoniam §.* C *porrò, de lite non contestata, & cap. cum per bellicam 34. quæst. 2.* Vbi dicitur sufficere præsumptionem, & existimationem, *& l. 8. in princ. tit. 9. part. 4.* Vbi dicitur, credulitatem sufficere, respondemus, ibi per existimationem, aut credulitatem eam intelligi, quæ æquiualeat certitudini morali. Circa quam conclusionem quædam notanda sunt.

5 Primo notandum est, non sufficere vnicum D testem ad probãdam mortem prioris cõiugis, sed multos requiri (saltẽ dum non adsunt aliæ vrgentes coniecturæ) neque enim est certum nuncium, vt habetur *in c. in præsentia, allegato*. Quod vno teste comprobatur, & minus quam duo testes non plene probant, vt patet *ex ca. in omni negotio, de testibus, & attestationibus*. Quia iuxta *l. iuris iurandi, vers. simili modo C. de testibus, vox vnius est vox nullius*. Quæ doctrina vera existimatur, quando locus, in quo defunctus est coniux, est propinquus, si enim remotus sit, ita, vt non possit inde nisi vnus testis haberi, tunc ille solus sufficeret alijs adhibitis coniecturis probabilibus, ne nimium onus imponatur coniugi relictæ perpetuo abstinendi à nuptijs.

Secundò notandum est, famam cum alijs adminiculis sufficere, ita *D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 9. in fine, Sotus in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 5. verbo in primis*. Et alij, vt autem fama vere probet, aliqua requirũtur, primo vt probetur per duos testes, & secundo quod testes sint omni exceptione maiores, & quod fateantur, se audiuisse à fide dignis. Tertio vt causa sit rationabilis ad famam diuulgandam, vt quod quis nauigans tempore magnæ tempestatis, & loco congruo expectatus non appareat. Quarto quod teste a publice rem audierint à maiori populi parte, vt in rebus paruis sufficit, si à maiori parte viciniæ audierint. Quinto vt testes deponant, à quibus audierint, & fama à quibus orta sit, nisi in casu, quo septem, vel decem, aut multi testes de fama deponant, aut fama cõfirmetur probabilibus coniecturis. Sexto requiritur, vt testes de fama deponentes dicant, se credere rem ita esse, sicut fama fert. Ad quod nõ requiritur ab eis iuramentũ exigi, fama autẽ sola nõ sufficit, quia requiritur, vt diximus, in quarta conclusione, certa probatio, fama autem nec certo, nec plene probat, sic *Gutier. 2. practic. quæst. cap. 68. à num. 4. Abbas. dicto cap. in præsentia num. 6.* Et hæc intellige, nisi alia fama sit in contrarium.




TRA-

TRACTATVS TERTIVS DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

QVAESTIO PRIMA.

Quid Dicatur matrimonium clandestinum, & quando per illud incurrantur pœnæ iuris?



1 AEc quæst. non multum ad nos attinet, qui solum loquimur de foro interno, & ideo breuiter ab ea nos expediemus. C

Sit prima conclusio. Matrimoniũ clãdestinũ duplex tantum est, aliud, quod fit sine parrocho, & testibus, licet fuerint præmissæ denunciationes, aliud minos proprie dictom clãdestinũ, quod fit non præmissis denunciationibus, & fit coram parrocho, & testibus. Probatur conclusio, quia non est alius modus, quo matrimonium possit dici clam celebrari, ita sentiunt *Gutier. 2. practicarum quæst. cap. 4. num. 13. Caiet. in sum. verbo matrimoniũ, Enriq. lib. 11. de matri. c. 5. n. 1*

Quantum ad secundum punctum notandũ
2 est, hanc quæst. procedere, quando ius absolute assignat pœnas clam contrahentibus matrimonium, vt in constitutionibus synodalibus assignatur excommunicatio, *& in l. 49. tauri.* exhæredatio, an istas incurrant tam illi, qui sine denuntiationibus, quam, qui sine parrocho, & testibus contrahunt. D

Circa quod sit secunda conclusio. Matrimo
3 nium contrahens sine denunciationibus, etiam si fiat coram parrocho, & testibus, incurrit pœnam positam contra clam contrahentes, ita *Nauar. in sum. Latina, c. 22. n. 70. versi. 3. Menoch. cons. 69. n. 70. volum. 1. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6. n. 2. Petr. de Ledes. de matrim. q. 45. ar. 5. §. his positis difficultas est.* Probatur primo *ex c. fili. de clandestina desponsatione,* Vbi hoc matrimonium clandestinum pœnis subijcitur, *vt Gloss.* ibi notauit, quæ pœnæ nullo modo sunt sublatæ per aliqood nouũ ius. Probatur etiã, quia pœnæ appositæ sunt contra matrimoniũ clandestinũ, hoc autẽ matrimonium factum sine denunciationibus in iure dicitur clandestinum, vt patet *ex l. 1. tit. 3. partita 4. ibi, ca para no ser el matrimonio hecho encubiertamente, ha menester, que antes, que los desposen diga el Clerigo en la Iglesia ante todos, Como tal home se quiere casar.* Et probatur tertio, quia hoc matrimonium potest dici occultum, cum tantom tribus constet, & facile in eo possint occultari impedimẽta, cũ nõ sit publicũ, ergo, cũ ex eo possint multa sequi damna, puniendum est pœnis iuris.

Ex his sequitur, vt bene notaoit *Sanchez lib.* 4
3. de consensu Clandestino, disp. 1. Etiã esse matrimoniũ clandestinũ, quod fit sine denuntiationibus, licet à maiori parte viciniæ sit cognitũ, & subiacere prædictis pœnis. Tũ, quia vt patet *ex c. fili. de clandestina desponsat.* Illud dicitur matrimoniũ clandestinũ, quod fit sine his denũciationib⁹, tũ etiã, quia talis publicitas nõ æquipollet denũtiationibus. Quia istæ fiunt in Ecclesia, vbi maior pars populi conuenire solet, ergo ea nõ sufficit, vt matrimoniũ desinat esse clandestinũ. Nec contra hoc *facit c. 2. qui filij sint legitimi.* Vbi dicitur, esse filios legitimos, cum parentes publice contraxerunt, vbi videtur esse sermonem de publicitate sine denũciationibus. Respondetur enim secundum *Gloss. ibi.* per verbum publice, intelligi, id est, cum denunciationibus.

Sequitur secundo, quod si maior pars popu- 5
li sciat matrimoniũ, etiã si nõ fiant denunciationes, non dicitur clandestinũ, quia hæc publicitas æqui-

tas æqui-

tas xoniualet denũtiationibus, & ita sufficit lo co ilJarũ, *ex l. cum tenm. C. de sentent.* Et quãuis tũc nõ imponatur à parocho præceptum reue landi secretum, imponitur tamen iure naturæ, ita *Conar. 4. decretal. 2. p. c. 6. initio n. 10.*

7 De matrimonio vero clandestino, quod sic appellatur, quia, licet fiat cũ denũciationibus, fit tamẽ sine parocho, & testibus, licet hodie ex *Trident. sess. 24. c. 1.* nõ sit verũ matrimoniũ, difficultas grauis est, an subijciatur prædictis pœnis iuris. Quidã dicunt, nõ subijci his pœnis, ita *Palat. in 4. d. 28. disp. 3. vers. hæsitabis, Petrus de Ledes. de matrim. q. 45. ar. 5. fol. 183. Matthẽ zo lib. 5. recopil. tract. 1. l. 1. gloss. 7. in fine.* Probatur primo *ex l. ea quidem 5. C. de manumissionibus*. Vbi, cum sermo sit de quadã manumissione inualida sic dicitur. *Nec tamen pœna exactio, si qua addita est* (Supple manumissioni) *conditioni non seruatæ instam exigendi tribuit causam.* Secũdo probatur *ex c. ad dissoluendum, de desponsatione impub.* vbi dicitur, matrimoniũ cũ infante initum accusari nõ posse, eo quod irritũ sit, ergo matrimoniũ clãdestinũ, quod nullũ est, nõ potest accusari ita, quod pœnis clandestini matrimonij subiaceat. Alij dicũt pœnã excõmunicationis incurri per hoc matrimonium, non tamen pœnam exhæredationis.

8 Nihilominus tamẽ, licet istæ sententiæ probabiles sint, probabilius mihi videtur, per hoc matrimoniũ inualidũ incurri tales pœnas iuris. Ita defendunt *Veracruz appendice, ad specu lũ, dub. 11. conclus. 6. Gutier. 2. pract. q. c. 4. n. 7. vers. quod tenendũ. Sot. in 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 2. in fine.* Et alij. Probatur primo, quia tale matrimoniũ ex se ratione facti malum est, & ex eo multa mala possunt sequi, vt, quod fœminæ ignorantes hac ratione sub spe matrimonij decipiãtur, & violẽtur, & alia mala. Ergo credendũ est, pœnas matrimonij clãdestini ad hoc etiam matrimoniũ se extẽdere, & cõfirmatur, quia ille, qui rebaptizatur cũ vera intentione recipiẽdi nouũ baptismũ, fit irregularis, vt patet *ex c. non licet de consecrat. d. 4.* Propter iniuriã factã sacramẽto, quãuis nõ efficiatur verũ sacramentũ. Ergo in nostro casu, quãuis nõ efficiatur matrimoniũ, propter intentionem illud faciendi, qua iniuriã faciũt matrimonio cõtrahẽtes, puniuntur pœnis iuris. Vltimo cõfirmatur *ex l. quid ergo 13. § cum antẽ ff. de his, qui notantur infamia,* Ibi, si cum ea, quis faciat nuptias, vel spõsalia constituat, quam vxorem ducere non potest, vel fas non est, erit notatus, id est, punitur. Ergo etiam punitur ille, qui matrimoniũ celebrat clandestinum, quod nullum est, & valere non potest.

9 Ex his patet ad argumenta opposita. *Ad primũ ex l. ea quidẽ* Respondetur. Ibi nullam assignari pœnam, quia ex manumissione nulla non sequitur aliquod magnum inconueniens, neque magna iniuria, sicus hæc omnia sequuntur ex matrimonio clandestino, quamuis nullo, & *Ad secundũ ex c. ad dissoluendũ*, meo videri eodem modo respondere potest. Matrimonium cum infante initum iudicari liberum à pœna, quia ex eo non sequitur tantum inconueniẽs, quantũ ex clandestino cõtracto inter puberes.

QVAESTIO II.

Vtrùm Ecclesia potuerit irritare matrimonia clandestina?

IN hac quæst. tanquã de fide supponendum est, matrimonia clãdestina ante Tridentinũ valida fuisse, licet esset prohibita, ita definitur ab *Alex. III. c. 2. de clandestina desponsat. & à Trid. sess. 24. c. 1. cuius verba sunt hæc. Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero cõtrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde iure damnãdi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant.* Et probatur, quia, vt patet ex *Concil. Florent.* Sacramenta tribus perficiũtur materia, forma, & ministro: Sed ante Conciliũ in matrimonio clãdestino reperiebantur vera materia, & forma, & minister verus matrimonij, erat ergo verũ sacramentum. 1

2 Secundo supponendum est, etiã de fide, Ecclesiam potuisse irritare, & de facto irritasse matrimonia clandestina, patet ex *Trid. sess. 24. c. 1. de matrimonio.* In his verbis: *Qui aliter, quam præsente parrocho, vel alio Sacerdote de ipsius parrochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.* Quãuis enim iure ipso naturali vnusquisq; liber est ad contrahẽdum etiã clandestine, hoc est ex sua creatione, & ex conditione naturæ suæ, recte dicitur, quod quis habeat facultatem ad contrahendum matrimonium istud, verum ius hoc non est præcepti, sed permissionis, & idem est, quod facultas ad contrahendũ, quam uis aurẽ iure naturali, vel diuino, quod est præcepti, nulla lege humana, etiã Ecclesiastica derogari possit etiã per modũ cõditionis ad contractũ requisitæ, vt non posset Ecclesia ab eo, qui vult ordinari, exigere sub conditione, vt fornicaretur, vel, vt conferret sacramẽta in alia forma à Christo instituta, iuri tamẽ naturali, & diuino permissionis, & facultatis recte derogari potest. Non solum per modum conditionis requisitæ ad cõtractum, sed etiam absolute, hac ratione Iuri naturali libertatis, quod quis habet, derogari potuit per ius gentium, per quod introductæ sunt seruitutes.

Et hac ratione iuri naturali, quod quis habet, vt possit nubere cuilibet clandestine, Ecclesia derogauit per hoc, quod personas effecit inhabiles 3

biles ad matrimonium, vt cõsanguineos intra quartũ gradũ, & ad cõtrahendũ clandestine, sicut Ecclesia prohibet, vt certis diebus nõ vescamur carnibus, cũ iure naturali nõ esset prohibitũ eis vesci omnibus dieb', sed liceret eo iure.

4 Difficultas verò est, quomodo Ecclesia matrimoniũ irritauerit, an indirecte inhabiles reddendo personas, an directe annullando immediate contractum ipsum. Quidam dicunt, Ecclesiam irritasse indirecte matrimonium. Ita sentiunt *Gutier. de iuramento 1. p. c. 51. n. 22. Palat. in 4. dist. 28. disp. 3. vers. est igitur*, & alij Doctores.

5 Pro huius difficultatis resolutione notandũ est cũ *Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 4.* Ecclesiam habere potestatẽ ad irritãdos cõtractus immediate, & directe ad reddendos eos nullos, & habere etiã potestatem ad irritandas personas ad tales cõtractus, quod est irritare eos contractus indirecte. Quod possit irritare contractus directe, probatur primo, quia cõtractus humanus est actus hominis subordinati alicui cõmunitati, cuius sit pars, & à qua pẽdeat, quantũ ad politicã gubernationẽ, ergo potest quãdo conueniat bono communi Ecclesia hos contractus suorũ mẽbrorum irritare. Secundo probatur, quia Ecclesia irritauit alios contractus, vt professionẽ factã ante annos 16. expletos, & ante annũ expletũ nouitiatus, vt cõstat ex *Trident. sess. 25. de regularibus c. 15.* Et etiam irritauit matrimoniũ cõtractũ inter liberum, & seruam, cũ ignoratur conditio seruilis, vt patet *ex. c. 2, de coniugio seruorum*. Ergo potest irritare alios cõtractus. Quod autẽ Ecclesia possit irritare indirecte inhabilitãdo personas, patet, quia in his, quæ ad bonũ spirituale Ecclesiæ pertinẽt, quale est matrimoniũ, fideles subijciũtur illi, tanquã eius mẽbra, ergo, quãdo expedit tali bono spirituali, potest eos inhabiles reddere ad cõtrahendũ certo modo. Et cõfirmatur, quia respublica ciuilis potuit aliquas personas inhabiles reddere ad contrahendum absque aliquibus conditionibus, vt effecit minores inhabiles ad contrahendũ sine licẽtia, & authoritate tutorum, ergo Ecclesia potest idem facere.

6 His suppositis sit prima conclusio. Ecclesia irritauit directe matrimonium clãdestinum irritum reddendo huiusmodi contractum. Ita defendunt *Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. nu. 3. & 4. & Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 4.* Probatur ex *Tridentino, sess. 24. ca. 1. de matrimonio his verbis. Eiusmodi contractus irritos, ac nullos esse decernit, prout præsenti decreto irritos facit.* Vbi est sermo de matrimonio clandestino.

7 Secũda cõclusio. Ecclesia irritauit matrimonium clandestinũ indirecte inhabilitando personas in ordine ad illud, ita doctores citati, & probatur ex ipso *Tridentino ibidem*, vbi loquẽs de clandestine contrahentibus, ait, *eos ad sic contrahendum inhabiles reddens.*

A Ex his sequũtur duo notatu digna. Primum est, Ecclesiã irritando huiusmodi contractũ matrimonij clandestini directe, etiam indirecte irritasse sacramentũ matrimonij clãdestini, quia, cum sacramentũ matrimonij fundetur supra contractũ, destructo cõtractu, consequenter, & indirecte destruitur sacramentũ. Secũdo sequitur, Ecclesiã irritando matrimonium clandestinũ mutasse materiã, & formã sacramẽti matrimonij, non proximam, sed remotam: proxima enim materia, & forma sunt mutuus cõsensus signis, vel verbis expressus sufficiẽs ad valide, & mutuo tradendũ corporũ dominiũ, & hæc semper manent inuariata, & hæc elegit Christus ad esse sacramẽti matrimonij, remota vero B materia, & forma sunt istæ, vel illæ personæ cũ istis, vel illis cõditionibus, cũ hoc, vel illo modo: & hæc variãtur ab Ecclesia modò requirendo hũc modũ, modò illũ: modò admittendo has personas, modo alias, sicut viderit, pro qualitate tẽporum expedire, sicut fecit in *Trident. loco citato*. Vbi præsentiã parrochi, & testiũ ad valorem matrimonij requisiuit, quia oportebat, rem tanti momenti cum solemnitate fieri, tũ, quia clandestini matrimonij modus, & erat contrarius fidei matrimonij, & indissolubilitati, facile enim vxores sic habitæ deserebantur. 8

Secundo sequitur, vt declarauit cõgregatio Cardinaliũ, cum dicuntur eo decreto Concil. *inhabiles ad sic contrahendum* hi, qui sine parrocho, & testibus clandestine contrahunt, esse intelligendum, quod maneant inhabiles ad sic cõtrahendum, idest, sine forma Concilij, nõ vero, quod maneãt inhabiles ad rursus cõtrahendũ inter se, vel cum alijs seruata forma Concilij. 9

In fauorem tamen eorũ, qui ante Conciliũ Tridentinum defendebant, Ecclesiam nõ posse matrimonium clandestinum irritare, & contra nostram sententiam sunt aliqua argumenta. Primũ est. Matrimoniũ clandestinum est validũ de iure naturæ, ergo Ecclesia non potest illud irritare, quia nequit ius naturæ mutare. Ad hoc enim respondetur, matrimonium clãdestinũ esse validum de iure naturæ, quando cõsensus est legitimus, & non irritatus per Ecclesiã, quia tamen modo est irritatus, ideo non valet tale matrimoniũ, in quo casu Ecclesia mutauit ius naturæ remote, & materialiter, non proxime, & formaliter, vt modo dicebamus. Secundũ argumentũ est, quia Ecclesia vt patet ex *Trident. sess. 21. c. 2.* in doctrina de Eucharistia, nequit mutare materiam, & formam sacramentorum, ergo nequit mutare etiam remote materiam, & formã matrimonij. Respõdetur enim, in alijs sacramentis, in quibus materia est aliqua res naturalis, Ecclesiam non posse mutare materiam, & formam eorum, vt in baptismo: at vero in matrimonio, vbi materia & forma, est res moralis, & contractus humanus subiectus legibus Ecclesiæ, bene posse mutare materiam, 10

C D

riā, & formā remote inhabilitando personas, & irritando contractum. Lex tamen prohibēs matrimonia clandestina non obligat infideles subiectos Papæ temporaliter vt patet *ex 1. Corinth. 5. quid enim ad nos, &c.*

QVÆSTIO III.

An denuntiationes sint in præcepto?

1 IN hac quæst. certū est, nō esse de essentia matrimonij huiusmodi denuntiationes, ita tenent multi, & grauissimi Doctores, quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 3. de matrim. d. 5.* Probatur primo quia *Concil. Trid. sess. 24. c. 1.* Licet in principio capitis requirit denūcia tiones, vt necessarias ad matrimoniū, postea tamē, dum annullat matrimoniū, nō anullat, id quod fit sine denūtiationibus, sed id, quod fit sine parrocho, & testib', ergo sentit, illud, quod fit sine denūtiationibus, nō esse nullū. & cōfirmatur, quia matrimoniū sine denūciationibus omni iure validū est, ergo nō est iuditādū nullū sine manifesto decreto irritanti, sed hoc non est, vt docet *Rota in nouis. t. 1 decis. 750. n.* 3. Et cōfirmatur, *Concil. loco cit.* Concedit Episcopis potestatem remittendi denūtiationes, ergo credendum est, non esse essentiales, quod si Concilium, ibidem requirit denuntiationes, eas non requirit, vt essentiales, sed, vt licite fiat, & sine peccato matrimonium.

2 Sit ergo prima conclusio. Peccatū mortale est matrimoniū celebrare sine denunciationibus, ita *D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 16. Petr. de Soto, lect. 14. de matrim. Sylucst. matrim. 2. q. 17. dicto. 3. Spino speculo, sacrament. gloss. 15. n. 27.* Probatur, quia istæ denūtiationes, vt impedimēta matrimonij detegerētur, primo præceptæ sunt in *Concil. generali Lateran. c. 51.* Et nouisime in *Trident. sess. 24 c. 1.* Et materia grauis est, ergo, eas omittere, peccatū est mortale. Quæ denuntiationes debent ex *Trident. ibi.* fieri in vtriusque sponsi parrochia. In quo placet mihi sententia *Petri de Ledes. de matrim q. 45. ar. 5. puncto 1. dub. 1. conclus. 1. & 2.* Dicentis. Quod si parrochus faceret sufficientē diligētiam ad inquirenda impedimenta, & nō esset contra omittētes denūtiationes posita aliqua excōmunicatio, nō esset mortale, sed solū veniale, at omittercimo si tanta esset diligentia, vt fere totum populū admoneret talis matrimonij, & obligationis manifestandi impedimenta, tūc etiam si esset excōmunicatio, non ligaretur ea, nec peccaret mortaliter parrochus omittens, quia hæc diligentia æquipollens est denunciationibus: sicut non peccat in voto, qui æquiualens Deo reddit.

3 Istæ denuntiationes, vt notauit Trident. loco citato, debent ita fieri: debent fieri ante matrimonium terā proprio contrahentium parrocho, tribus continuis festis, & in Ecclesia inter Missarū solemnia, & publice, hæc autē festa, in quibus debent fieri denuntiationes, debent esse cōtinua moraliter, ita, quod aliquod dierum ferialiū interuallū intercedat inter vnum festum, & alterum. Ita habetur *in Concil. prouinciali. Moguntino, c. 38. & habetur 5. t. Conciliorum.* Et quamuis hæc res iudicio prudentū definienda sit attenta notitia, quæ habetur in oppido de contrahentibus, communiter tamē sufficiet, si duo dies inter vnum, & alterū festum intercedant, & istæ denuntiationes extra Ecclesiam, & in diebus non festiuis, quādo propter aliquem casum specialem magna pars populi ibi conueniret, possent fieri, vt *Congreg. Card. declarauit p. 4 fol. 66.* Secūda conclusio. Cū sponsi in diuersis locis habitarunt debent fieri denunciationes in loco, in quo diutius habitarunt nisi in alio optime noti sint: ita docent cū *Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 6. n. 6.* alij, & ratio est, quia hoc videtur necessarium, vt impedimenta manifestentur.

QVAESTIO IIII.

Quis possit dispensare in denuntiationibus, & ob quam causam?

QVÆSTIO hæc eodem modo procedit de potestate dispensandi in denūtiationibus, vt omnes omnino vel aliquæ illarū omittantur, & etiam vt post matrimonium ratum, ante tamen eius consummationē fiant, quia omnia hæc, vt patet ex *Trident. sess. 24. c. 1. de matrimonio,* eisdem personis committuntur.

1 Sit ergo prima conclusio, Episcopus potest in his omnibus dispensare. Ita habetur in *Trident. loco cit.* Quia hæc potestas ibi cōmittitur ordinario: Episcopus autē sine dubio ordinarius est. Imo, vt bene notarunt *Enriquez lib. 11. de matrim. c. 5. n. 5. & Manuel Rodrig. t. 1. sum. c. edit. c. 217. n. 4.* Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & non subditi Episcopis idē possunt, quia sunt ordinarij in suis territorijs. Magist. autem scholæ Salmant. secundū declarat. contra eum obtentā à Pontific. ad instantiam Episcopi Salmant. non potest in his denuntiationibus dispensare.

2 Secunda conclusio. Prælatus alterius cōtrahentis potest vrgente causa dispensare in denuntiationibus cum vtroque contrahente, ita *Sanchez dicto. lib. 3. disp. 7.* Quæ conclusio mihi videtur restringenda, & aliter probanda, quam probatur ab isto authore, restringenda autē est sic, vt tunc verum habeat, quando ex denuntiationibus faciendis in qualibet contrahentium parrochia aliquod notabile incōueniens sequeretur,

retur, quãdo enim hoc sequeretur ex eo, quod denũciationes fierẽt in vna parte, & nõ in alia, tunc posset ordinarius dispensare, ne denũciationes fierent in illa parte vbi sequitur inconueniens, non vero in alia, vbi non sequitur: in alia enim nulla subest ratio, sine causa autẽ ordinarius non potest dispensare. Vt habetur *in declarat. Cardinal. relata, p. 4. fol. 66.* Probatur autem in eo casu, quo sequitur inconueniens notabile ex eo, quod fiant denũciationes in vtraque parrochia, posse ordinarium dispensare in ambabus denunciationibus, etiam si alter contrahentium non sit sibi subditus. Quia, cũ matrimoniũ debeat fieri inter duos, ex eo, quod dispensat cum suo subdito, ne denunciationes fiant in sua parrochia propter inconueniens, à fortiori sequitur, secuto eodẽ incõuenięti ex denũciationibus faciẽdis in aliena parrochia, posse in illis indirecte cum alieno subdito dispensare, alias inutilis esset sua cũ solo suo subdito dispensatio.

4 Tertia cõclusio. Licet multi relati à *Sanchez dicto lib. 3. disp. 7. n. 9. & Enriq. in sum. lib. 11. de matrim. c. 5. n. 5.* sentiant, Vicarium generalem Episcopi non posse dispensare in denunciationibus matrimonij sine Episcopali licentia, verior tamen sententia est, Vicarium generalem ratione officij sine speciali Episcopi licentia posse in denuntiationibus dispensare, ita sentiunt *Veracruz, appendice ad speculum, dub. 1. fol. 4 col. 2. Gutier lib. 1. quæst. can. c. 19. n. 15. Salzedo in sua practica, c. 73. in fine, & Sanchez loco citato.* Probatur, quia *Trident. sess. 24. de matrimonio, c. 1.* Concedit ordinario facultatem dispensandi in his denunciationibus, sub his verbis, *Nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur.* Sed Vicarius generalis Episcopi est ordinarius, vt postea late probabimus, ergo potest dispensare in denũciationibus. Tum, vt aliqua earum, tum etiam, vt omnes omittantur. & potest vices suas alteri committere, licet non possit alium Vicarium instituere, vt patet ex c. *Clericos, de officio vicarij*, Quam facultatem nõ habet vicarius foraneus Episcopi, qui non est ordinarius, neque habet idem tribunal cum Episcopo, sed est quidam delegatus Episcopi ad speciales causas, vnde, si hæc causa delegetur, poterit dispensare in ea, Episcopus enim potest cuilibet delegare potestatem istam, cum ordinaria sit, nam, quamuis res sit ardua, *& in dicto c.* committatur prudentiæ Episcopi, quia tamen committitur personæ incognitæ, & incertæ, vt Episcopis præsentibus, & futuris, ideo est ordinaria, *vt Sanchez loco citato.* Poterunt tamen in his denunciationibus dispensare priores Vcles, & sancti Marci Legion. ordinis D. Iacobi, & alij similes prælati, & Vicarij ordinis D. Ioan. quia ordinarij sunt secundum, *Petr. Ledesm. in sum. de sacramento matrimonij fol. 46.* Sed isti priores, & vicarij non possunt dispensare in denunciationibus, quia Greg. XIII. declarauit, per ordinarium non intelligi, nisi Episcopum in Concilio, cum dicitur. Nisi ordinarius.

Obijcies tamen contra hæc duo. Primũ est, 5 quia in generali cõmissione cõcessa vicario nõ datur facultas dispensandi, ergo vicarius generalis non potest sine speciali facultate dispensare. Secũdũ est, quia, vt refert, *Enriq. anno 91. congregatio Cardin.* Declarauit, non posse vicarios generales sine speciali licentia in denunciationibus dispensare. Sed ad primũ respõdetur, quod, licet vicarius ex generali licẽtia nõ possit in omnibus his dispensare, in quibus Episcopus potest; potest tamen in his, in quibus dispensatio committitur ordinario, quia ordinarius est. Ad secundũ respondetur, talẽ declarationem non constare.

Licet multi Theologi, & Iurisperiti relati 6 à *Petro de Ledes. de matrimonio, q. 45. art. 5. circa. Tertium punct. dub. 1.* oppositum defendant. Sit tamen quarta conclusio, propter malitiosi impedimenti suspicionẽ nequit parrochus dispẽsare in hoc, vt denunciationes post contractũ matrimonij fiant, & ante cõsummationẽ eius. Ita tenent *Nauar. lib. 4. consil. tit. de clandest. de spons. consi. 2. Gutier. lib. 1. quæst. Canon. c. 19. n. 2. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 5. n. 5.* Et sic declarasse Cardin. certũ est *ex p. 4. declarat. fol. 66.* Probatur, quia clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia, *l. talis 5. §. fin. ff. de leg. 1.* Ergo illa clausula vltima §. 1. *dictis*, c. nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vbi facultas dispẽsandi in denũciationibus cõceditur ordinario, cõprehendit vtrũque casum, in quo potest dispensari, vnum, cũ timetur matrimonium malitiose esse impediendũ, tunc enim possunt post poni matrimonio rato, alterum, vt denunciationes omnino remittantur, quando ita expediat, sed parrochus nequit in secundo casu dispensare, ergo neque in primo secundũ declaratione sacræ congregationis non permittitur facultas dispensandi in denunciationibus cõmendatario, licet eius abbatia habeat iura Episcopalia curius, Abbas sub appellatione ordinarij venit iuxta *Gloss. in c. fin. de officio ordinarij in 6.* licet, Pontifex Cardinali Farnesio commendatario id concesserit non eius vicario.

Circa secundũ punctũ quæstionis, quod ex- 7 igit causas dispẽsandi in denũciationibus probabiles sunt duæ sententiæ relatæ à *Sanchez loco citato disp. 8.* Quarũ prima asserit ad dispensandum requiri cognitionem causæ iudicialẽ. Secunda vero defendit satis esse extraiudicialem, & in foro conscientiæ, quo supposito examinandum est præcipuum punctum.

Et quidem omnium sententia sufficiens 8 causa esse debet cum probabiliter timetur matrimonium ex malitia, & iniuste impediendũ esse, vt definit *Tridentinum sess. 24. cap. 1.* Prætorquam

ter quam causam sine dubio aliæ se possunt iustæ offerre ad dispēsandum, quod ex eo patet, quia Tridentinum post quam prædictam causam assignauit perpendens posse, & alias assignari sit, rem hanc prudentiæ, & iudicio ordinarij relinqui. Ita hæc verba perpendunt *Bartholomæus à Ledesma de matrimonio dubio, 21. fol. 338. §. annotata 3 Gutier. lib. 1. quæstionum Canonicarum cap. 19.* Cum alijs, atque quod maius est, ita declararunt Cardinales, vt expresse habetur *tom. 4. declarationum, fol. 06. super illa verba Concilij, nisi ordinarius ipse.* Quæramus ergo breuiter huiusmodi sufficientes causas.

9 Et quidem prima causa sufficiens est, quā assignarunt *D. Anton. 3. p. tit. 1 cap. 16. in fine Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 3. versiculo de bannis.* Cū volentes contrahere nimio pudore suffunderētur, si denunciationes fierent, vt si valde senex iuuenculam, valde nobilis ignobilem, valde diues pauperrimā vellet ducere, quā quidē causam ego veram reputarē, si personæ non essent nimis notæ in oppido, vel oppidum esset magnum, nam si paruum esset, vel persona aliqua illarum contrahentium esset nimis nota, reuera non esset pudor ille sufficiens causa dispensandi, quia illud matrimoniū tunc statim perueniet ad notitiam omnium, & eodem modo sequetur pudor, & idem est iudicium si volentes contrahere essent valde senes, vt notauit *Syluester matrimonium 2. q. 17. dicto 3. cum alijs Doctoribus.*

10 Secunda causa sufficiens est, dum aliqui volunt contrahere matrimonium, qui diu vixerant in concubinatu, & tamen communiter existimati sunt coniugati, in his enim ex denunciationibus magna sequetur infamia, & magnum scandalum, ita sentiunt *Syluester matrimonium 6. q. 7. dicto 2. & Paludanus 4. dist. 28. q. 2. art. 3. n. 19.*

11 Tertia causa sufficiens est, quando duo magnates volunt contrahere matrimonium, quia huiusmodi matrimonium longo tempore multæ præcedunt diligentiæ, vnde omnes rem norunt, & impedimenta facili negotio deteguntur, ita sentiunt, *D. Antoninus, & Sotus locis citatis,* Quod verum reputo cū hæc matrimonia, repente non fiunt.

12 Quarta causa legitima ad dispensandum est, cum aliqui volunt contrahere, & ita proximū est tempus prohibitionis nuptiarum, vt ante illud nequeant denunciationes fieri; expedit enim vt ante consummationem matrimonij benedictiones præcedant, cuius ratio est, quia si matrimonium differatur, vel posset non fieri, vel esset periculum fornicationis, ita docent *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 16. nu. 2. & Salzedo in practica, c. 73. ad finem §. dispenset.*

13 Quinta causa legitima communiter iudicatur, quando prius fuit matrimonium contractum publice, & postea detegitur esse nullū, & ablato postea impedimento volunt partes contrahere, quia tunc satis est prior publica fama, ex qua nullum dimanauit impedimentum.

14 Sexta causa est iuxta *Segaram 2. p. directorij, c. 16. n. 15. & Spinum speculo testamentorum gloss. 15. nu. 31.* Quando parentes, vel qui curā gerunt puellæ volunt, vt ea indigno nubat, & illa vult cum æquali contrahere.

15 Septima causa est, quando valde alicui conuenit matrimonium celebrare, & timetur impediendum, vt si virginis deflorator vellet eā ducere, & timeretur, decursu temporis mutandum esse eius propositum, vel cum duo contraxerunt sponsalia in pubertate, & timetur alterum pro sua leuitate iniuste discessurum à contractu inito, & alteram coniugem ducturum ita docet *Sanchez loco citato disp. 10.*

16 Octaua causa sufficiens iudicatur cum duo à iudice comprehenduntur, vt concubinarij, & volunt contrahere, vt possint dicere se esse coniuges, sicque à pœna imposita contra concubinarios liberari, ita docet *Capua lib. 2. decisionum cap. 81 num. 5.*

17 Nona causa ob vitandum peccatum, vt cum duo concubinarij volunt contrahere, & timetur prudenter esse carnaliter admiscendos, dū denunciationes fiant, quia euitatio peccati grauis causa est.

18 Decima causa dispensandi in denunciationibus est propter vitanda scandala, vel rixas inter consanguineos ortas, quæ omnia inito matrimonio probabiliter creditur cessare posse, ita docet *Vega lib. 3 summæ, casu 211.*

19 Vndecima causa est secundum *Nauar. in summa c. 16. num. 37. Couar. 4. decretalium 2. p. c. 6. initio, num. 12.* Quando vir in mortis articulo vult concubinam ducere, vt filios ex ea habitos legitimos reddat, & vt eam honore afficiat, quamuis non ex ea filios genuerit, in quibus casibus debet iudex cognoscere clam, an aliqua subsint impedimenta.

20 Et quidem ex his causis aliquæ sunt, quæ ordinarium obligāt ad dispensandum, vt quando ex dispēsationibus timetur aliquod notabile damnum publicum, vt verbi grātia, cum timetur matrimonium esse maliriose impediendum, quod nocet bono communi, vel, vt notauit *Salas tomo de legibus quæst. 97. tractatu 14. disp. 10. sectione 7.* Quoties dispensatio est necessaria, vel valde expediens bono priuato animæ, vel corporis, vel honoris, vt quia deflorata est virgo, & timetur mutandam voluntatem viri, vel contrahentes sunt in cōcubinatu, vel morti vicinus vult ducere concubinam suæ saluti consulens, & legitimationi prolis, quia his omnibus bonis tenetur prospicere Ecclesiæ ordinarius pastor, aliquæ vero causæ nō cogūt ordinariū ad cōcedendam

dam dispensationem, vt cum ex denunciationibus non sequitur notabile damnū, v.g. quando causa dispensandi solū nascitur ex eo quod volentes contrahere sunt magnates, quod conforme valde est dispositioni, quæ habetur in *capite, ex̄ clerici, §. de adulterijs de iudicijs*, vbi dicitur, de adulterijs & alijs criminibus, quæ sunt minora potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Et ratio est, vt notauit *Salas tomo de legibus, fol.* 532. Quia magnæ causæ se se offerre debent, vt Princeps teneatur per dispensationem vulnerare ius, & in casu quo ordinarius debet dispensare, si nolit iniuste, vel ad eum non sit accessus, potest matrimonium absque denunciationibus celebrari, alias non ita, *Sanchez cum alijs lib. 3. disp.* 50. quia Ecclesia in isto casu propter bonum commune dispensationibus vtitur in denunciationibus, imo parrochus ob metum mortis potest assistere matrimonio illi, cui non præcesserunt denunciationes, & tales denunciationes si ante matrimonium ratum non fiant, debent fieri ante eius consummationem.

QVAESTIO V.

An sit peccatum consummare matrimonium ante benedictiones vulgo velationes?

1 IN hac re variæ sunt sententiæ. Prima defendit esse mortale consummare matrimonium ante tales benedictiones, ita sentit *D. Antoninus 3. part. titulo primo, cap. 16. fine, & summa confessorum*, & probatur ex *capite aliter 30. quæst. 5.* vbi dicitur, aliter non fit legitimum coniugium, nisi suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus, & oblationibus à sacerdote benedicatur, & probatur, ex *cap. consanguineorum 3. quæst. 4.* ibi, quisquis nō legitime coniunctus, vel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes, vel legitime coniunctos criminari. Secunda sententia ait esse solum veniale tale peccatum. Tertia ait esse mortale consummare prima vice ante benedictiones non vero alias. Quarta sententia ait esse mortale petere non vero reddere,

2 Sit, tamen prima conclusio. Nullum est peccatum consummare matrimonium ante benedictiones ita *Nauar. in summa Latina, cap. 22. numero 83. Veracruz appendice ad speculum dubio 11. conclusione 7.* & alij Thomistæ quos refert *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst 45. ar. 5. puncto 3. dubio* 1. Probatur primo, ex Tridentino loco citato, ibi, præterea eadem Sancta Synodus hortatur vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in A eadem domo non cohabitent, vbi loquitur Cōcilium sub verbis Consilij non præcepti. Probatur secundo, quia in hac rē neque frangitur aliquod præceptum, neque fit aliqua iniuria sacramento, neque benedictionibus, ergo nullum in hoc est peccatum.

Quæ conclusio intelligenda est, nisi scandalum magnum sequeretur ex opposito facto, quia alias committeretur peccatum mortale, & etiam intelligenda est conclusio quidquid abnuat *Sanchez tom. 1. lib. 3. disput.* 12. quando non est posita excommunicatio contra eos, qui matrimonium consummant ante benedictiones susceptas, si enim esset vt in hac diœcesi Salmantina, peccatum committeretur mortale in ea consummatione matrimonij, ita *sentit Gutierrez tractatu de matrimonio cap. 58, num. 3, alios citans Doctores*. Licet enim in Tridentino non sit oppositum præceptum huius rei, imponi tamen potest ab Episcopis, ne post matrimonium consummatū, diu differātur benedictiones, quod facile potest contingere, quod peccatum toties committetur, quoties matrimonij vsus contigerit. 3

Sit secunda cōclusio, Benedictiones omnino omittere, peccatum est mortale, ita *Sanchez loco citato, num.* 14. Et probatur ex Authoribus primæ sententiæ, & probatur ex *Syricio Papa Epistola ad Pomerium, cap. 4.* vbi ait. Illa benedictio, quam nupturæ fœminæ sacerdos imponit, sacrilegium est si violetur, & probatur *ex cap. nulli 3. quæst. 5*. Ibi nulli ex propinquitate sui sanguinis vxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis, vbi præceptiue loquitur, & probatur quia istæ benedictiones, sunt magni momenti, & valde cōgruunt bono progressui matrimonij, ergo eas omnino omittere peccatum est mortale. 4

Vnde ad primū textum in contrariū respondetur cum *Magistro sententiarum in 4. distinct. 28. cap.* 3. In illo textu dici, matrimonium sine benedictionibus non esse legitimum, non quia non valeat, hoc enim in omnium opinione valet, sed quia non habet totum decorem & totam coniugij honestatem, ibi enim sub eodem tenore verborum requiritur dos, & quod biduo vacent sponsæ orationi. Ad secundum textum respondetur, *cum Sanch. loco citato*, ibi, esse sermonē de requisitis, vt præsumatur matrimonium, nam ibi etiam eodem modo requiritur dotalis titulus, cuius defectus non causat peccatum mortale. 5

QVÆSTIO VI.

An ex vi denunciationum teneatur qui libet impedimentum occultum reuelare superiori?

1 IN hac quæst. 1. disputandum est de alijs personis extraneis. Secundo de ipsis contrahentibus. Tertio de ordinatio & parrocho, qui impedimentum norunt in confessione.

2 Circa primum sit conclusio prima. Personę extraneæ quæ neque cõtrahunt matrimoniũ, neque sunt parrochus vel ordinarius, tenentur matrimonij impedimenta tam dirimentia, quam impedientia reuelare, etiamsi occulta sint, & probari non possint, ita sentiunt *Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. casu 4. num. 27. Nauarrus in summa, cap. 22. n. 83. in initio, Enriquez, lib. 11. de matrimonio, cap. 14. num. 5. in fine.* Probatur primo, quia in alijs rebus ideo non tenetur, quis denunciare id, quod probare nequit, quia eius testimonium nullum est, at ad impediendum matrimonium nondum contractum testimonium vnius sufficit, vt patet *ex cap. præterea, secundo de sponsalibus*, ergo quilibet tenetur illud impedimentum denunciare, licet non possit probare, quia testimonium eius etiam denunciantis sufficit. Secundo probatur quia secundum. *D. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 1. ad secundum.* & secundum communem sententiam quilibet tenetur etiam secreto commissam rem manifestare, vbi vergit res illa in damnum publicum, aut in damnum tertiæ personæ imminẽs in futurum, sed si impedimenta matrimonij occultarẽtur, sequeretur damnum tertio, si enim esset impedimentum dirimens, matrimoniũ esset nullum, & proles esset illegitima, & si esset solũ impediens, fieret iniuria sacramento, quia cum mortali peccato reciperetur, ergo tale impedimentum manifestandum est.

3 Circa quam conclusionem notandũ est. Primo quod si impedimentum sit occultum potius fraterne admonendus est ille, qui vult contrahere, quam denuncietur superiori, dũmodo adsit probabilis spes, correctionẽ esse profuturam.

4 Secundo nota, cum ex denunciatione graue timetur scandalum, licet impedimentum probari possit, & cogatur quis illud reuelare sub excommunicatione, tacendum tamen esse secundum *Adrianum IIII. de confessione, quæst. 5. dubio 7. §. de secundo, versiculo tertio dico*, & alios, quod supra explicuimus, qua ratione verum teneat, similiter tacendum est impedimẽtum, cũ cognoscirũt aliquos celebraturos matrimonium bona fide, & ex reuelatione timetur scandalum, vel timetur reuelationem non profuturam.

5 Tertio nota, illum qui impedimentum audiuit à persona non fidedigna, quando impedimentum non inducit infamiam, teneri illud reuelare, vt aliqua cognitio rei inde possit deduci, non alias, at non tenetur illud reuelare, cũ audiuit à persona nihil certum cognoscente, vel non meminit, à quo audiuit. Quia testimonium eius nullius est momenti, & qui audiuit rem à persona fidedigna, tenetur eam denunciare, altera persona non denunciante. *Ita Sanchez, tomo primo de matrimonio libro 3. disputatione 10. num. 7.*

6 Quarto nota, eum, qui nouit impedimentũ occultum, sed nouit etiam dispensationẽ occultam, non teneri reuelare illud, quia tunc impedimentum, vt nullum reputatur. Ita colligitur ex *Syluestro verbo, ordo 2. quæst. 2. D. Antoninus 3. p. titulo 14. cap. 16 §. 13.*

7 Sit secunda conclusio. Ipsi cõtrahẽtes nulla præcedente fama impedimenti licite à iudice interrogantur de impedimento occulto, & tenentur illud pandere. Probatur primo, ex doctrina *Abbatis cap. continebatur, num. 8. de desponsatione impuberum*, quia vbi agitur de vitando peccato, licite potest ordinarius interrogare reos, etiam nulla præcedenti informatione, licet non, cum agitur de puniendo peccato præterito, quia tunc est necessarium infamiã præcedere, iuxta *textum elegantem, cap. qualiter & quãdo, de accusationibus.* Secũdo probatur, quia tenetur ordinandus pandere defectum occultum, quo redditur incapax ordinis, vt irregularitatem, &c. Vt patet, *ex cap. nisi cum pridem de renunciatione iuncta glossa verbo non potuerit, vt docent Syluester, verbo, ordo 2. quæst. 2. Mayolus lib. 4. de irregularitate, cap. 10. in principio*, ergo pari ratione tenetur impedimentum occultum manifestare qui vult contrahere matrimonium.

8 Tertia conclusio. Patrochus, cum opponitur aliquod occultum impedimentum, debet prohibere matrimonium, vt patet ex *cap. finali de clandestina dispensatione*, & illud tenetur ad ordinarium deferre, vt tanquam directus iudex rei merita perpendat. *Iuxta caput primum de consanguinitate. ita Gutier. 2. practicarum quæstionum, cap. 8. numero 9. D. Antoninus 3. p. titulo 1. ca. 16.* Imo si ipse solus sciat extra confessionem, debet ordinario reuelare illud, & negare matrimonium etiam publice petenti illud, quamuis matrimonij impedimentum sit occultum, quia cum sit testis in hac causa, & non iudex, tenetur impedimentum ordinario reuelare, sicut quilibet alius testis. Et addit *Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio dispu. 15.* quod si ordinarius solus nouit impedimentum occultum, & non possit illud probare, tenetur ad dandã licẽtiã contrahen-

trahendi, cum eā publice petitur (licet occulte teneatur admonere de impedimento) tùm quia cum ipse sit iudex, nequit esse testis, tùm quia debet procedere iuxta allegata, & probata: imò tenetur parrochus assistere matrimonio, etiamsi cognoscat impedimentum occultum contrahentium, à quo tamen ipsi purgati sunt falsis adhibitis testibus, & cum ab ordinario præcipitur ei, vt prædictos laborantes eo defectu, & sic purgatos coniungat matrimonio.

9 Pro cuius quæst. vera intelligentia notandum est primò, in eo casu quo parrochus, vel ordinarius norunt impedimentum occultū, & etiam dispensationem occulte, & pro foro tantum interno obtentā, si non sit denunciatū impedimentum, posse dissimulare, neque teneri B inquirere de tali impedimento, quāuis de alijs inquirere debeant, quia in eo casu inquisitio circa illud impedimentum esset superflua cū sciatur illud nō extare, quod si in illo casu aliquis denunciet tale impedimentū, tenetur impedire matrimonium, & repellere dispensationem illam, quia res est deducta ad forū externum, & pro illo debet obtineri dispensatio. Ita *Sanchez loco citato, allegans in huius partis robur, Nauar. lib. 5. consiliorum in prima editione titulo de priuilegijs consilio 5. in 2. vero lib. 2. titulo de iudicijs consilio 4.*

10 Secundò notandum est, nullo obstante impedimento debere parrochum sine licentia ordinarij ad matrimonium procedere. Ita habetur in *Trident. Sessione 24. cap. 1.* C

11 Tertiò notandum est, parrochum teneri habere librum, & in eo scribere nomina coniugū & testiū, locum & tempus, in quo celebratum est matrimonium vt docet *Concil. Tridentin. loco citato*. Ad quod obligatur parrochus sub mortali, quia materia præcepti, & finis grauis res est, scilicet vt vitentur multæ lites, quæ ex earum rerum ignorantia pullulare possunt, & quod Ecclesia habeat rei notitiam, ita in Republica ob multas causas necessariam.

12 Quarta conclusio. Parrochus, siue quicunq; alius Sacerdos habens licentiā assistendi matrimonio, ob solum peccatū cognitū in confessione, etiamsi propter illud inualidū prorsus reddatur matrimoniū, nequit denegare suam assistentiam illi matrimonio, siue ea in occulto, siue in publico petatur. Hanc conclusionē præclare exornarūt multi grauissimi Doctores *Armil. verb. confessor. num. 7. Bañes 2. 2. q. 33. art. 8. ad finem, §. ad confirmationem respondetur, & Sanchez loco citato, disp. 16. num. 3.* Qui optime, & latissime resoluit, non posse confessariū extra confessionē iuuari notitia adquisita in confessione. Probatur conclusio, quia sigillum de iure diuino seruandum est, ne reddatur confessio odiosa, & ne homines retardentur à receptione tanti sacramenti, ac tam salutiferi, quale

A est hoc sacramentum Pœnitentiæ, si autē propter peccatū in confessione cognitū posset parrochus alicui denegare matrimoniū, confessio redderetur odiosa, & homines ab eius studio diuellerentur, quod tamen maius inconueniēs est, quam celebratio matrimonij inualidi, ergo non est denegandum matrimoniū ob eam causam: in quo casu licet possit petere cōfessarius licentiam à pœnitente, ad hoc vt de illo impedimento extra confessionē agatur cum eo, & sic eum admoneat periculi animæ suæ, non tamen ad id tenetur, quia vt notarunt *D. Tho. 4. dist. 21. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad tertium, & Palud. 4. dist. 18. q. 8. a. 1. n. 20.* Ex ea notitia adquisita non obligatur confessarius ad aliquid faciēdū, vel omittendum extra confessionem, ea enim notitia ad solum forum pœnitentiæ pertinet. Tùm præterea, quia multi pœnitentes ægrè ferent, eam licentiā peti, ac peccati confessi memoriā renouari, vnde ea ratione aliquo modo redderetur odiosa confessio, quod est maximum inconueniens, quod Ecclesia contendit vitare.

QVÆSTIO VII.

Vtrū in aliquo casu valeat matrimoniū celebratū sine parrocho, & testibus?

VERACRVZ *appendice ad speculum dub. 5. solut. 2. ad obiectionem positam post 7. conclusionem, & Vega lib. 3. Summæ casu 361.* Putant probabile, validum esse matrimonium sine parrocho, & testibus in articulo mortis, quando parrochus non posset inueniri & valde esset necessarium matrimonium ad legitimandam prolem, ad honorandam concubinam, & ad faciliùs corām Deo misericordiam impetrandam morienti. Probatur, quia præceptum Ecclesiasticum non obligat vrgente aliquā maxima necessitate, vt præceptum ieiunij, & audiendi sacri non obligat vrgente necessitate alicuius ægritudinis, vel propriæ, vel alienæ, cui ex charitate succurrendū sit, ergo præceptum requirens præsentiā parrochi, quod quidem est Ecclesiasticum, non obligat C vrgēte ea graui necessitate, de qua loquimur. Et confirmatur, quia Tridentinum hanc legem de præsentia parrochi, & testium edidit ad ea omnia præcauenda mala, quæ ex matrimonijs clandestinis oriri solebant, dum vir priorem vxorem, quam valide duxit, clam tamen, relinquebat, quia videbat illud matrimoniū non posse Ecclesiæ cōstare, & aliam inualidè ducebat, cū qua erat in perpetuo cōcubinatu, in isto vero casu, in quo versamur, alter coniux statim moritur, & ita dissoluitur matrimonium, quare libere potest alter superstes coniux alterū matrimonium contrahere, & non sequitur in-

conueniens prædictum. Tertio probatur, quia secundum *regulam cui licet, de regulis iuris in sexto, cui licet quod plus est, licet quod minus est*, sed simplici sacerdoti licet ministrare in articulo mortis sacramentum pœnitentiæ (cuius ministerium conuenit soli parrocho) quod sacramẽtum maius quid est, quam sacramentum matrimonij, ergo licebit eidem simplici sacerdoti id, quod minus est, scilicet, in prædicto casu assistere matrimonio, quamuis alias talis assistentia propria sit parrochi.

2 Sit prima conclusio. Matrimonia clandestina iam olim fuere ab Ecclesia prohibita. *Patet ex canone aliter 30. quæst. 5. & alibi*, & hoc propter multa ingentia damna, quæ huiusmodi matrimonia consequuntur, quæ quidem late expendit *Dominicus Sotus 4. d. 28. q. 1. art. 1.* in quibus non est necessum immorari, cum sufficiat prædictum in hac quæstione inconueniẽs, quod potissimum est, & quod Ecclesiam mouit, vt *in Tridentino sess. 24. cap. 1.* vt nouam legem irritantem ea matrimonia clandestina constitueret, & vt idem Sotus ibidem notat, & D. etiam attigit *Thomas, 3. p. q. 45. a. 5.* pristinis sæculis, vbi malitia hominum tantas radices, quantas modo, non fecerat, satisfuit coram duobus vel tribus testibus sine præsentia parrochi matrimonia celebrare, ne diceretur matrimonia esse clandestina, & vt nos docuerunt *Sotus loco citato, art. 2. & Gregorius de Valentia 4. tom. disp. 10. q. 3. de matrimonio*, olim, imo etiã modo, vbi non est receptum Concilium Tridẽtinum, in aliquibus casibus fuit licitum matrimonium cõtrahere sine testibus, & parrocho. Primo cum aliquibus ad effugiendam mortẽ opus erat matrimonium contrahere. Secundo cum inique ab aliquibus impedirentur, quominus possent matrimonium coram testibus contrahere, vt per vim, carcerem, &c. Tertio cum amitteretur magna opportunitas celebrãdi cõiugij, dum testes accersiri adueniũt. Quarto in alijs casibus similibus, neque enim prohibitio Ecclesiastica, cum tanto rigore obligare ad vocandos testes, aut parrochum putandã est.

3 Sit secunda conclusio. Inualidum est matrimonium sine parrocho & testibus contractũ; siue contrahatur in articulo mortis, siue in aliqua quauis necessitate, & non est excogitabilis casus, in quo matrimonium valorem sortiatur sine præsentia parrochi & testium. Ita sentiunt *Sarmiento lib. 1. selectarum, cap. 6. num. 7. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 3. num. 5. Petrus de Ledesma de matrimonio, q. 45. art. 5. circa tertium punctum, fol. 192.* Et est communis sententia. Probatur primo, quia *Tridentinum loco supra citato*, reddit inhabiles personas ad contrahendum clandestine, ergo in nullo casu potest valere matrimonium hoc, sicut consanguinei in secundo gradu nullo modo possunt cõ-

A trahere, neque in aliquo casu. Et confirmatur, quia secundum doctrinam *Felin. cap. cum dilecta de rescriptis, n. 6. & 7.* vbi in aliquo statuto adducitur decretum irritans, & dicitur aliter fieri non posse, assignatur forma substantialis alicuius contractus, sine qua ille omni prorsus valore destituetur, sed *Tridentinum loco citato*, asserit matrimonium sine parrocho & testibus factum esse nullum & sine illis fieri non posse, ergo præscribit formam matrimonij in omni euentu obseruandam.

Hinc infertur primo, Episcopum in hac re dispensare non posse, quia a superiore, scilicet à Concilio generali forma præscribitur & omnino inhabiles redduntur personæ ad contrahendum clandestine. 4

B Secundo infertur, non valere matrimoniũ sine parrocho, quamuis coram maiori parte populi fiat, quia forma substantialis Concilij specifice & proprie seruanda est. 5

Tertio infertur, hanc legem Concilij non obligare infideles subditos Principibus Christianis, quia est Ecclesiastica, & ita solum fideles obligat, iuxta *illud Pauli, secunda ad Corinthios 5. quid mihi est de his, qui foris sunt, iudicare?* 6

Quarto infertur, eos etiam qui inuincibiliter ignorant hanc constitutionem Tridentini inualide contrahere, si sine parrocho contrahant. Patet, quia cum hæc lex non ponatur per modum pœnæ, sed per modum formæ substantialis contractus, obligat etiam ignorantes secundum doctrinam *Imolæ clementina 1. de electione, num. 54. Nauarri in Summa cap. 23. numero 44.*

C Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primũ dicimus, in eo casu, quo præceptum Ecclesiasticum assignat formam substantialem, & materiam reddit inhabilem, in nullo prorsus casu validam esse aliam materiam, & aliam formam, quod contingit in hac materia matrimonij, at non sic se habet præceptum ieiunij, & cætera, & in eo diuersam esse rationẽ ac in matrimonio. Ad secundum respondetur non cessare rationem Tridentini in eo casu, quia posset constiturus in articulo mortis conualescere, tum quia fuerunt aliæ rationes quibus compulsum est Concilium ad illud decretũ, quæ possunt habere vim in isto casu. Ad tertium dicimus, in matrimonio esse decretum Concilij irritantis clandestinum, & constituentis formam, & ideo non valere etiam in articulo mortis sine præsentia parrochi; quod tamen decretum nõ habetur circa pœnitentiam, & Eucharistiã, & ideo possunt in articulo mortis à simplici sacerdote conferri. 7

D

QVAE-

QVAESTIO VIII.

Vtrum in his locis, in quibus non est receptum Tridentinum, possent personæ incolæ illorum locorum, vel extraneæ matrimonium clam contrahere, & de alijs casibus?

1 POstquam *Concil. Tridentinum sessione 24. cap. 1.* præsentiam parrochi, & testium tanquam necessariã requisiuit ad valorem matrimonij, declarans in eodem capite qua ratione obliget hoc decretum in hæc verba prorumpit, *Decreuit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque parrochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die publicationis in eadem parrochia factæ numerandos.*

2 Pro quæstionis intelligentia notandum est, in aliquibus Christianorum prouincijs decretum hoc non esse promulgatum, aut receptũ, vt in quibusdam Galliæ partibus, & in Polonia, in quibus quidem prouincijs, certum est, validũ esse matrimoniũ sine parrocho, & testibus celebratũ, si ab incolis illarũ prouinciarũ in illis locis celebretur, licet grauiter sine dubio delinquãt, quia hoc prohibitũ est antiquitus à iure cõmuni vbiq; recepto. Resolutio est certa, quia in eis locis nõ est tale decretũ publicatũ, ergo non obligat, vt ipsummet Conciliũ declarauit. Imo etiãsi tale decretum publicatũ sit, si tamen receptum non est per decem annos subsequentes publicationem, nullã vim habet obligandi, quia vt communiter sentiũt *DD. cap. 1. de tregua & pace*, generale est omnibus legibus, vt cum eo modo receptæ nõ sint, nullatenus obligẽt. Maior vero difficultas est, an valeat matrimonium celebratum sine parrocho & testibus ab his, quorum loca non receperunt Concilij decretum, quando ipsi contrahunt suum matrimonium in his locis, vbi receptũ est, & an etiam è contra valeat matrimonium celebratũ sine parrocho & testibus.

3 In primo casu sit prima conclusio in hac quæstione, Galli in Hispania contrahentes matrimonium, etsi ex illis prouincijs veniant, vbi non est receptum Concilij decretum, eorum tamen matrimonium irritum est, & inane. Conclusionem tuentur, *Petrus de Ledesma de matrimonio, q. 45. art. 5. puncto 3. fol. 197. Thomas Sanchez tomo 2. de matrimonio lib. 3. disp. 18.* & omnes illi Doctores, qui generaliter docẽt, peregrinos transeuntes per aliquem locum teneri legibus illius loci, per quem transeunt, vt Nauarros nostros per modum transitus in Castellam se conferentes legibus huius regni teneri in festis, ieiunijs, &c. (de quo puncto duas contrarias, & probabiles adducit sententias Sã-

A chez loco citato.) Probatur, quia in omnium opinione quilibet forensis & peregrinus alicubi celebrans contractũ debet seruare eas leges, quæ ibi ad contractum requiruntur, vt patet *ex cap. finali de foro competenti*, vbi dicitur ratione contractus sortiri homines forum, *& ex lege, si fundus 6. §. de euictione, ibi, si fundus venerit ex consuetudine eius regionis, in qua negotium est, pro euictione caueri oportet.* Quam regulam suarum monumentis rationum fulciunt, *Bartol. lege de quibus, numero 27. §. de legibus, Baldus lege 1. numero 3. Codice de contrahenda emptione*, cum alijs DD. (licet contrarium videatur defendere *Pater Molina tom. 2. de contractibus, disp. 443. fol. 234.*) Sed locus, vbi Galli contrahunt matrimoniũ tũc, exigit ad valorẽ ma-

B trimonij præsentiam parrochi, & testium, ergo sine ea contractum ibi, nihil valet.

Secunda conclusio. Hispani habentes perpetuum domicilium in his Galliæ prouincijs, vbi non est receptum Tridentinum, sine dubio valide contrahunt sine parrocho & testibus. Probatur primo, ex dicto *cap. finali, de foro competenti*, vbi dicitur ratione domicilij homines sortiri forum, ergo etiam tenentur legibus illius loci, vbi habent domicilium. Secundo probatur, quia isti nullo modo pertinent ad Hispaniam, sed ad Galliam, ergo legibus Galliæ, & non Hispaniæ subiecti sunt, cum ergo hæc lex Concilij ibi non obliget, eorum matrimonium sine parrochi præsentia validum esse debet. 4

C Tertia conclusio: Illi, in quorum locis est receptum Conciliũ, si forte transeant per loca, vbi non est receptum *Concilium Tridentinum*, & ibi velint contrahere, at in patriam suam redire; possunt valide contrahere sine parrocho, & testibus, ita sentiunt. DD. primæ sententiæ. Et probatur conclusio eadem ratione, qua probata est prima conclusio. 5

Et addo, licet isti eo animo se cõferant, vt libere sine parrocho, & testibus contrahant, quãuis peccẽt lethaliter, quod nemo in dubiũ vocare potest, valide tamen contrahunt, neque fraudẽ cõmittunt circa substantiæ contractus. Probatur primo, *ex regula nullus videtur, 55. ff. de regulis iuris*, vbi dicitur, *eum qui iure suo vtitur, nõ posse dici fraudẽ cõmittere, vt ea ratione* 6

D *effectus impediatur.* Secũdo probatur, *ex leg. 3. paulo post principiũ versiculo his tamẽ. ff. de lib. ho. exhib.* ibi, *dolo malo nõ videtur habere, qui iure suo vtitur.* Tertio probatur, quia illa intẽtio eo migrandi cũ animo libere matrimoniũ contrahẽdi sine parrocho praua quidẽ est, & contra honestatis actus, at valorẽ nullo modo destruit.

Contra hanc tamen conclusionem obstat. Primo, quia *Tridentinum*, vt supra dictum est, irritat matrimonia clandestina, & reddit personas inhabiles ad contrahẽdũ, sed hæc inhabilitas adhæret personæ, sicut excommunicatio 7

adhæret excommunicato, ergo comitatur eam, quocunque se conferat; sed huic obiectio ni nõ difficilis se offert solutio, si defendamus, hanc inhabilitatẽ non imponi à Cócilio absolute personis, sed dum in eis locis commorantur, in quibus prædictum Concilij decretum vim habet; quia hæc inhabilitas est in ordine ad cõtractus celebrandos, contractus autem secundum leges loci, inquo celebratur, regulandus est, *ex lege, si fundus, sexta allegata.*

8 Secũdo obstat cõtra eandẽ conclusionẽ *lex 1. §. idē aiunt, versiculo denique, ff. de aqua pluuia arcenda*, ibi, *Marcellus scripsit, cum eo, qui in suo fundo fodiens vicini fontem auerterit, nihil posse agi, nec doli actione, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi id fecit.* Vbi põderandum est illud verbũ animo, ergo migrãs in Galliam nõ ob aliam causam, sed animo eludendi matrimoniũ sine parrocho non valide contrahit, quia fraus, & dolus contra legẽ Tridentini præsumitur. Huic tamẽ argumento satisfacimus cum doctissimo *Nauar. in Summa, c. 27. n. 71. Vlpianum* ibi noluisse, solum animũ nocendi efficere actionem in re iniuriosam, & obligatoriam restitutioni, sed vt clarius confirmaret dictũ Marcelli negantis, in eo casu actionem de dolo dari, dixit, *non esse locum actioni de dolo sine malo animo*, sine quo non datur dolus, *l. dolũ, C. de dolo, quare, l. proculus, ff. de damno infecto, & l. fluminum, §. fin. eodem tit.* Quæ sunt Vlp. neque alia lex non ponderant bonũ, vel malum animum, sed opus exterius ad rationẽ doli, & in nostro casu matrimonium illud neque secundum rem, neque secundum animum est alicui iniuriosum, quia contrahens vtitur iure suo, & ita valet.

9 Sit quarta conclus. Hispani, qui captiui detinentur apud infideles, siue habeant animũ ibi perpetuo commorandi, siue non; & siue esset receptum Concilium in sua parrochia, siue non, antequam in captiuitatem ducerentur, & Hispani mercatores, qui ibi per modum transitus sunt, valide possunt contrahere absque parrocho, & testibus. Patet, quia Decretũ Cõcilij Tridentini de præsentia parrochi, & testium petit vt conditionem necessariã ad obligationẽ, requisitã publicationem in parrochia ea, vbi obligat, sed hæc publicatio non fuit facta apud infideles, ergo ibi, non obligat tale decretum, iuxta primam conclus. ita sentiunt *Palatios in 4. dist. 29. disp. 1. vers. iam* vero istis exploratis, *& Sanch. loco citato, nu. 35.*

10 Pro sententia tamen eorum, qui sentiunt contra hanc quartam conclus. sunt duo argumenta. Primum est, quia apud infideles nulla est parrochia, ergo quando Concilium voluit, suum decretum non obligare, nisi cum publicatur in parrochia, non loquitur pro locis infidelium, sed fidelium. Secundo, quia neque captiui prædicti aliàs obligarentur legibus ieiunij quadragesimæ, & alijs. Ad primum respondetur, quod licet apud infideles nulla sit parrochia, sunt tamen loca publica, in quibus posset fieri publicatio Concilij pro fidelibus, quam saltem voluit Trident. Ad secundũ respondetur, lege a ieiunij, & alias similes obligare captiuos, quia istæ non requirunt publicationem in qualibet parrochia præcise, sed satis est Romæ ad valuas D. Petri, & in Campo Floræ, vel alibi. At hoc decretum Concilij petit publicationem sui in qualibet parrochia. Vnde minime obligat, nisi in loco, in quo est publicatum.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm proprius parrochus possit in aliena parrochia assistere matrimonio, & an debeat esse Sacerdos, & sine aliqua censura?

1 IN hac quæst. aliqua supponenda sunt. Primum est, ad valorem matrimonij requiri præsentiam proprij parrochi contrahentium, ita tenent communiter Doctores, quos refert, *Sanch. dicto lib. 3. disp. 19.* Probatur ex *Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. cuius hæc sunt verba, quod si quis parrochus, vel alius Sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat; alterius parrochiæ sponsos sine eorũ parrochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandin suspensus maneat, quandiu ab ordinario eius parrochi, qui matrimonio interesse debebat, seu, à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.* Si ergo punitur ille, qui sine licentia proprij parrochi assistit matrimonio, sequitur, ad proprium parrochum pertinere, assistere matrimonio. Ex quibus Concilij verbis etiam colligitur, Bullam Cruciatæ concedentem facultatem ad recipienda sacramenta à quolibet sacerdote, non prodesse quoad sacramentum matrimonij, quia omnia priuilegia quoad matrimonium tollit prorsus Concilium.

2 Secundo supponendum est, ad matrimonij valorem sufficere assistentiam parrochi alterius contrahentis, siue viri, siue fœminæ, præsertim si in sua parrochia matrimonium celebretur, nec requiri ambos parrochos. Ita *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 3. numero 5. Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 45. articulo quinto, puncto 3. dub. 3. conclus. 2. Bartbol. à Ledes. dub. 21. de matrim. fol. 331.* & alij. Probatur, quia matrimoniũ nequit celebrari

nisi

nisi inter duos, ergo eo ipso, quo quis est parrochus ad coniungẽdum matrimonio suum subditum, erit etiam consequenter ad coniungendum alienum subditum. De qua re extat congregat. Card. ita vt sufficiat alterutrius parrochi præsentia, in quacunque parrochia contrahatur matrimonium. Hanc declarationem refert *Paul. Comit. lib. 1. respons. moral. q. 131.*

3 Sit tamen conclus. Ad valorem matrimonij sufficit parrochum alterius contrahentis assistere illi, etiamsi in aliena parrochia, ad quam non pertinent nec vir, nec fœmina, matrimonium fiat. Ita *Enriquez, & Sanchez loco citato.* Probatur primo, quia, vt bene notauit *Petr. de Ledes. in Sum. de matrimonio, fol. 41.* Adesse parrochum matrimonio, non est actus iurisdictionis, sed requiritur ad authoritatem matrimonio præstandam; sed hoc bene potest fieri in alieno territorio (nulla enim in hoc fit iniuria alieno parrocho) quia ibi etiam est persona publica, & parrochus, ergo valet tale matrimonium. Et probatur, quia finis Tridentini in exigentia parrochi fuit, vt clandestinitas, & alia damna ex illa secuta euitarentur, hæc autem satis euitatur ex eo, quod parrochus assistat in aliena parrochia, ergo ea sufficit. Nec contra est *lex. 3. ff. de officio præsidis*, vbi dicitur, *præsidem extra suam prouintiam priuatum hominem esse.* Respondetur enim, hoc verum esse in iurisdictione contentiosa (quid sit iurisdictio contentiosa, & voluntaria vide apud *Sanchez tom. 1. lib. 3. disp. 19. num. 8. & 7.*) in qua homines etiam inuiti iudicantur, quia hæc requirit proprium territorium, & tribunal, non autem inuoluntaria, quæ exercetur in volentes, vt manumissio, & adoptio, quia non requirit territorium proprium, neque iudicialem causæ cognitionem, vt patet ex l. 2. ff. de offi. Proconsulis. Vnde cum assistentia matrimonij non sit iurisdictio, bene potest quantum ad eam esse parrochus persona publica extra suũ territorium. Et idem propter eandem rationem sentit *Sanchez de parrocho delegat. disp. 34. in num. 2.*

4 Quæres tamen, an iste parrochus in aliena diœcesi coniungens suos subditos matrimonio male agat, & puniendus sit? Ad quod, licet alij oppositum sentiant, respondetur, nec peccare cessante scandalo, nec esse puniendum. Ita defendunt, *Spino Speculo Testament. glos. 15. num. 42. Sanch. loco citato, n. 18.* Probatur, quia per hoc neque aliqua fit iniuria alieno parrocho, cum ei non tollatur iurisdictio, neque hoc est alicubi prohibitum, ergo sine culpa, & pœna potest fieri. Neque contra hoc obstat *Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat.* Vbi Trident. prohibet, Episcopum in aliena diœcesi sine licentia Episcopi illius diœcesis ordines conferre suis subditis. Neque obstat, quod nõ potest parrochus in aliena parrochia suis subditis ministrare benedictiones nuptiales. Ad hoc enim respondetur, hæc omnia esse prohibita, quia fiũt cũ quodã strepitu quasi iudiciario, at assistere matrimonio fit sine tali strepitu, vt sine vestibus sacris, & non inter missarũ solẽnia, in fauorem nostræ conclusionis extat declaratio *Cardin. relata à Nauar. tit. de sponsal. cons. 52.* & huic parti adhæret *Rebel. 2. p. lib. 2. q. 8.* Ex qua declaratione Cardin. patet sufficere licentiam ab alterutro parrocho obtentam, & ab ordinario, vt extra proprias parrochias aliqui per tertium Sacerdotem valide iungãtur, imo extra diœcesim. Et probatur, quia Concilium solum requirit præsentiam parrochi, vel alterius Sacerdotis de eius licentia, & non requirit propriam parrochiam.

Quæres secundo, an parrochus assistens matrimonio debeat esse Sacerdos? Ad hoc respondent aliqui, debere esse Sacerdotẽ. Ita *Nauar. lib. 1. Consil. in antiqua editione, tit. 31. de officio ordinarij, cons. 1. in 2. lib. 4. tit. de Clandest. desponsat. cons. 10. refert quæ Cardinales*, in hanc partem inclinasse *Petr. de Ledes. de matrim. q. 45. a. 5. puncto 3. fol. 191. in fine, §. sit 3. conclus. & in summa*, tenet expresse Salzedo, *in pract. cap. 73. in noua editione, vers. 4. Probatur primo, ex Trid. sess. 24. c. 1.* Vbi dicitur, *qui aliter, quã præsente parrocho, vel alio Sacerdote, &c.* Vbi annullat matrimonium sine parrocho, vel alio Sacerdote factũ. Particula enim, alij, quæ relatiua est, repetit simile qualitatẽ ei, quæ est, expressa sed est expressum, quod ille, qui de licẽtia parrochi assistit matrimonio, sit Sacerdos, ergo parrochus debet esse Sacerdos. Secundo probatur, quia *Iuxta l. 1. ff. de rebus dubijs.* Vbi alternatiua dubia est, vna pars alterã declarat, sed in hac propositione alternatiua, parrocho, vel alio sacerdote, est dubia particula parrocho, an debeat esse sacerdos parrochus, ergo explicatur per alterã expressam, sacerdote; vnde debet esse sacerdos. Tertio probatur, quia olim, vt constat ex varijs decretis Pontificum relatis à *Gratiano 30. q. 5.* Ad nuptias contrahendas erat necessarius sacerdos, ergo similem parrochum petit, *Trident. loco citato.* 5

6 Sed opposita sentẽtia probabilior est, quã late sequitur *Sanch. loco citato, disp. 20.* Pro qua facit, quod ad valorẽ matrimonij sufficit præsentia eius parrochi, qui nõ esset sacerdos, quia adhuc nõ est elapsus annus, qui ei cõceditur à iure, vt ad ordines promoueatur, *iuxta c. licet canon. de elect. in 6.* & ita fuit resolutũ in *Congreg. Cardin. & Sanctiss. D. nost. Clem. VIII.* Hãc resolutionẽ approbauit, quod fauet sententiæ Sac. & ita ea est tenẽda. Secũdo probatur hæc doctrina, quia si aliquid obstaret huic sententiæ, maxime obstarẽt verba illa Tri. *loco citato, vel alio sacerdote*, Vt expedit primũ argumentũ in opposito, hoc tamẽ minime obstat, quia dictio, alius, nõ semper refert qualitatẽ similẽ præcedẽti, vt

Matth. 28. aperte patet, dum dicitur de Christo: *Cum eo crucifixi sunt alij duo latrones*, ibi particula *alius*, non significat Christum similem esse in qualitate latronibus alijs, sed præter eũ fuisse alios homines crucifixos, qui latrones fuerunt, ergo similiter in nostro casu particula, alio Sacerdote, non significat parrochum, qui debet assistere matrimonio, debere esse Sacerdotem, sed præter parrochum posse assistere matrimonio de eius licentia alium hominem, & illum debere esse Sacerdotem, vt qualitas parrochi, qua ille redditur testis omni exceptione maior, per Sacerdotium suppleatur. Tertiò probatur, quia prædictum decretum Tridentini est correctorium iuris communis, & ita odiosum, ergo restringendum est quantum potest, vt de parrocho non Sacerdote intelligatur. Vnde patet ad primum argumentum in contrarium. Ad secundum respondetur in illa alternatiua Concilij, parrocho, vel alio Sacerdote, satis notum esse ly, illud parrocho, vt patet ex nostris rationibus. Ad tertium dicimus, quod licet olim esset necessaria præsentia Sacerdotis ad nuptias contrahendas, modo tamen cum parrochus requiritur, quia per beneficium parrochiale graui quadã qualitate induitur eius persona, non est necessariũ Sacerdotium.

7 Quæres tertiò, an parrochus non Sacerdos possit concedere alteri Sacerdoti facultatem assistendi matrimonio. Respondetur cum *Enriquez lib.* 11. *de Matrimonio, cap.* 3. *num.* 5. posse quidem, quia si ille parrochus potest assistere matrimonio, quod maius est, etiam poterit cõcedere licentiam assistendi, quod minus est. Secundò probatur, quia parrochus non Sacerdos potest omnia officia iurisdictionis exercere, vt colligitur *ex cap. suffraganeis, de electione*, ergo potest præbere hanc facultatem, quia iste actus iurisdictionis est.

8 Quæres quartò, quæ personæ possint concedere istam facultatem, & assistere matrimonio? Respondetur, hæc officia posse præstare parrochum, & ordinarium parrochi, vt Episcopum, & capitulum sede vacanti, vel alium habentem ab eis facultatem, & legatum à latere Papæ, quia est Ordinarius in sua prouincia, vt docet communis sententia, & etiam legatus Papæ, quamuis non sit à latere, quia vt docet *Glossa cap.* 1. *de officio legati in* 6. legatus à latere, & non à latere sunt æquales, præterquam in beneficiorum collatione, & cognitione causarum exemptarum, confirmatione Episcoporum, & absolutione ab excommunicatione ob percussionem clerici in aliquibus casibus. Eã tamen facultatem non potest concedere Archiepiscopus suis suffraganeis, quia eorum Ordinarius non est, sed tantum iudex in gradu appellationis, & notauit *Petrus de Ledesma in summa verbo, Matrimonium, fol.* 37. Imò Archiepiscopus ad eum causa deuoluta per appellationem potest assistere matrimonio suffraganeorum, quando partes litigantes consentiũt sententiæ, non quando ab eo appellant, vt vero Episcopus suorum subditorum assistat matrimonio, non obest appellatio, quia semper remanet ordinarius, & talis assistentia non est actus iurisdictionis, propter quam causam potest parrochus dare licentiam assistendi matrimonio simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, & quia illa assistentia nullam sufficientiam requirit.

Quæres quintò, an Sacerdos possit assistere matrimonio, dum est excommunicatus? Ad quod respondetur excommunicatum, irregularem, & affectum qualibet censura, etiamsi nõ sit toleratus ab Ecclesia, posse assistere matrimonio valide, quanto magis toleratum, & illũ, qui ab Episcopo sine cẽsura est interdictus, est autem non toleratus iuxta *Concilium Constantiense* ille, qui vel est nominatim, & publice denuntiatus in aliqua censura, vel est notorius clerici percussor, & toleratus, qui his modis non est censura ligatus. Ita sentiũt *Nauar. lib.* 4. *consiliorum editione*, 1. *tit. de sponsalibus, consil.* 52, *in fine, & in noua editione, titulo de clandest. de spons. consil.* 4. *ad finem*, *& Sanchez loco citato, disp.* 20. *num.* 4. Patet, quia assistere parrochum matrimonio, vt vidimus supra, non est actus iurisdictionis, ergo potest fieri valide à parrocho excommunicato non tolerato, licet iste alias non habeat iurisdictionem. Quod ista præsentia non sit actus iurisdictionis, patet, quia actus iurisdictionis non potest esse validus, si fiat à iudice inuito, & habeat contrariam intentionem *l. non omnis in initio, ff. de rebus creditis*, sed ad valorem matrimonij satis est, parrochum inuitum, & sine intentione faciendi matrimonium assistere, ergo talis assistentia nõ est actus iurisdictionis, iste tamen non toleratus nequit dare licentiam alteri Sacerdoti assistẽdi matrimonio, licet multi teneant oppositum quia est actus iurisdictionis, qui inualide exercetur ab excommunicato non tolerato, licet valide à tolerato. Ita *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst.* 4. *art.* 5. *puncto* 3. *dub.* 4 *fol.* 192. Patet, quia est actus parrochi in quantum talis est, & non est actus ordinis, ergo iurisdictionis. Tùm etiam, quia assistere matrimonio licet nõ sit actus iurisdictionis, quia exercetur ab inuito, at dare licentiam ad id, est actus iurisdictionis, quia nequit ab inuito exerceri, & bene potest actus accessorius esse iurisdictionis, & principalis non vt iudex tradit actu iurisdictionis dominium fundi Petro, & tale dominium in Petro non est actus iurisdictionis. 9

Ex dictis sequitur, non valere matrimoniũ, si duo contrahant corã parrocho alieno, propterea quod eorum parrochus esset publicus hæreticus, vel profugus, vel quia Ecclesia par- 10

rochia-

ecchialis carebat suo rectore. Ita declarauit *Gregor. XIII. ex sententia congregationis.* A

8 Et addo in eo casu, quo quis haberet titulū parrochi à vero superiore, licet ille esset inualidus, quia quando illum recepit, erat excommunicatus occultus, vel habebat aliud vitium occultum reddens titulum inualidum, vel licet postea esset reuocatus titulus secreto à superiore, vel amissus occulte per delictum, si tamen communiter, & probabiliter existimabatur verus parrochus, valet matrimonium in vtroque foro conscientiæ, & externo, iuxta *legem Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Et idem est, si quis ex commissione parrochi assisteret matrimonio data licentia ficto animo, qui tamen animus communiter ignoratur. Ita tenet *Sanchez, late* hoc punctum, & alia similia tractans *tomo 1. de Matrimonio lib. 3. disp. 22.* ibi late videatur. Et probatur, quia hoc fit propter bonum commune ad euitanda damna, quæ ex opposito sequerentur in repub. vt scandala, &c. Tùm etiam, quia tunc Ecclesia supplet in isto casu sua auctoritate defectum istum, sicut etiam requisiuit talem præsentiam, & respectu contrahentium, qui talem defectum scirent, valeret in isto casu matrimonium (licet quia nullus debet reportare commodum ex sua malitia, & quia in illis non est communis error, qui fauere debeat, oppositum doceant *Abbas cap. sciscitatus in fine, de rescriptis, num. 13. vers. 3. casu. Felin. ibi, num. 5.*) quod defendit *Sanchez loco citato num. 41.* & parrochus in illo casu, quo communiter reputatur verus, potest licentiam alteri verò Sacerdoti dare assistendi matrimonio, imò potest eam dare laico, si communiter existimabatur Sacerdos, quia tunc Ecclesia propter commune bonum supplet defectum: de quibus late vide nostrū tractatum de Pœnitentia, q. 36. B C

9 Quod si, parrochus intrusus esset in officiū parrochi sine titulo collato a vero superiore, non valeret matrimonium coram eo contractum, nec coram eo, cui licentiam daret, etiam si talis defectus in populo ignoraretur, quia saltim requiritur à principio titulus collatus à vero superiore siue validus sit, siue non. Ita *Glossa final. cap. nihil. de electione, ibi Ioan. Andr. num. 28. Abbas, num. 11.* dicens esse rem indubitatam. *Aragon secunda secunda, quæst. 60. art. 6. §. est aliud dubium, & patet ex capit. infamis, vers. verumtamen, 3. quæst. 7. illis verbis, seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dedit.* Vbi pondero verbum ex delegatione, iam enim habuit aliqualem titulum cōcessum à iu dice ordinario delegante. Secundū declarationem Cardin. relatam à Rebello inter alias, quas refert, valet matrimonium, si fiat coram parrocho notorio fornicatore, non tamen in iudicio condemnato, vel confesso, vt credo tamen semper valere. D

QVAESTIO X.

Quis sit proprius parrochus, corā quo possit matrimonium contrahi?

IN qua quæstione certum est, non esse eum proprium parrochum quantum ad contrahendum matrimonium, in quo quis habet domicilium originis, quia in eo parentes alicuius habebant perpetuum, & fixum domicilium, quando ille natus est (licet sufficiat ad ordines recipiendos ab Episcopo, vt patet ex *cap. cum nullus, de temporibus ordinationum in 6.*) ita sentire videntur *Glossa cap. fili, verbo, habitatores, de parrochijs, Bart. l. eius, qui manumisit, §. Celsus, num. 1. ff. ad municipal.* Probatur primò, quia secundum *Tridens. Sessio. 24. cap. 1.* ad valorem matrimonij requiritur præsentia proprij parrochi, id est eius, in quo quis habet domicilium, sed in dubio nomine domicilij intelligitur domicilium habitationis, in quo quis moratur; & non domicilium originis, à quo quis abest per hoc, quod aliò mutauerit habitationem, vt docet *Glossa cap. statutum, §. cum vero, verbo, vnam dietam in fine, de rescriptis, cum alijs.* Ergo non satis est parrochus originis, sed requiritur habitationis. Secundò probatur, quod habitatio, & non origo constituat aliquē parrochianum, quia parrocho habitationis, & non originis debetur canonica portio, vt quarta funeralis, vt notauit *Francus, cap. 2. §. cum ab eo, de sepulturis in sexto, num. 1.* Et videtur dicēdum, requiri, vt parrochus ad hunc finem matrimonij sit adhibitus, & non sufficere, si casu sit, vel si casu per viam transiens id audiat, cum non intenditur hoc à contrahentibus. Ita docuit *Innocent. IX.* vt particularis Doctor in suis manuscriptis. 1

Quærimus ergo modo, quanto tempore debeat quis habitare, vel habere animum habitādi in aliquo loco, vt ratione habitationis sit parrochianus alicuius parrochiæ, coram cuius parrocho possit matrimonium celebrare? Certum enim est, non requiri ipsam habitationem per aliquod tempus determinatum, sed sufficere inchoatam habitationem, & animum ibi manendi toto tempore necessario ad parrochiani titulum adquirendum. Patet ex *l. Domicilium, ff. ad municip. ibi. domicilium re, & facto transfertur, vbi Glossa verbo, domicilium, ait, facto, subintellige, & animo,* nam hæc duo sunt necessaria. 2

Circa id ergo, quod quæritur, quidam dicūt requiri animum perpetuo habitandi, vt quis sit parrochianus quoad matrimoniū. Ita *Glossa cap. is, qui de sepulturis, in sexto, Francus ibi. num. 2. Ioann. Andr. ibi initio, & alij relati à Sanchez, loco citato disp. 23. num. 11.* Probatur ex *l. 1. §.* 3

haec autem verba, vers. hospes, ff. de his. qui deiecerunt. Tantùm autem interest inter habitatorem, & hospitem, quantum interest inter domicilium habentem, & peregrinantem, ergo qui ad tempus hospes est, vere est peregrinus, & ita ratione habitationis temporalis non adquiret parrochiam.

4 Dicendum tamen est, adhoc, vt quis adquirat parrochiam, & possit coram aliquo parrocho contrahere matrimoniũ, non requiri perpetuo habitandi animum, sufficere tamen animum habitandi in eius parrochia maiori parte anni. Ita docent *Gloss. l. quisquis, C. si certum petatur, verbo, versatus. Federic. de Senis cons. 254 quod incipit, subsequent, quaest. & ad eam accedũt. Syluest. verbo domicil. num. 2. Angel. ibidem, nu. vnico, & alij multi*. Probatur primò, ex *cap. in nostra de sepulturis, ibi. soluta quarta parrochiali Ecclesiæ, de cuius parrochia mortuorum corpora assumuntur*. Vbi ad declarandum cui debeatur quarta funeralis, solum ponderatur habitatio, & non animus perpetuo habitandi, ergo ad adquirendum parrochiam non est necessarius animus perpetuo eam inhabitandi. Probatur secundò, quia ille censetur proprius parrochus ad coniungendos aliquos matrimonio, qui est talis ad audiendas confessiones, sed iste, vt resoluunt Doctores *cap. omnis vtriusque sexus*, est ille, in cuius parrochia habitatur maiori parte anni, ergo idem dicendum in præsenti. Tùm etiam, quia durum videtur, vt Scholastici, & mercatores, & alij, qui maiori parte anni in aliqua parrochia inhabitant, cum animo tamen redeundi ad proprium domicilium, non possint coram illius parrocho matrimonium contrahere: requiritur tamen animus habitãdi maiori parte anni. Patet, quia *Inn. IX.* vt particularis Doctor ponit hunc casum, cõtraxerunt matrimonium quidam Prosper, & Claudia Romana, cuius Claudiæ domus erat in parrochia Beatæ Mariæ super Rotundum. A qua Ecclesia illa semper acceperat sacramẽta, huic domui erat coniuncta domus Camilli eius auunculi de parrochia B. Mariæ super Minervã, inter quas per foramen parietis patebat aditus in domo auunculi. Visa est Claudia in alijs negotijs, in sponsalibus, & tractatu matrimonij, tanquã in domicilio proprio, nõ deserendo habitationem propriæ domus, dubitatum fuit, quis esset proprius parrochus. Respondet Innocent. parrochum esse eum, qui pertinet ad Beatam Mariam super Rotũdum, quoniam quis dicitur habêre parrochiam quoad matrimonia in loco domicilij, iuxta *Abbat. in capit. in nostra de sepulturis. Syluest. verbo, domicil. num. 2. in fine*. Et si habitatio facit aliquem parrochianum, intelligitur, quando fit animo transferendi domicilium, non vero in hoc casu, vbi Claudia vtebatur domo auunculi gratia maioris commoditatis, & recreationis, & domus

A prædictæ semper manserunt separatæ, & maior pars congregationis Cardinalis huius sententiæ fuit, & tamen nihil fuit resolutum.

Ad argumentum in oppositum respondetur, domicilium habentem in ea lege non sumi strictè, sed vt distinguitur contra hospitem, & peregrinantem, ille autem, qui maiori parte anni alicubi habitat, licet non habeat ibi perpetuum domicilium, censetur ibi habêre parrochiam, non autem sic se habebat ille, de quo fit mentio *in cap. is qui, de sepulturis in sexto*, qui ex eo ad parrochiam ciuitatis, & non ad ruralem dicitur pertinere, quia ad illam ruralem pro paruo tempore, & causa recreationis se conferebat, vt ibi dicitur.

B Secundò dicendum est in hac quæstione, illum, qui duo habet domicilia habitationis in duabus parrochijs, in quibus æqualiter habitat, vel fere æqualiter, vt in vna hyeme, in altera æstate, quæ non sunt æqualia tempora matematicè, sed moraliter, quemlibet parrochorum illorum posse eligere pro matrimonio cõtrahendo. Ita *Sanchez loco citato, disp. 24.* & in simili de confessione docent *Angel. confess. 3. num. 12. Syluest. confessor. 1. quaest. 3. in fine*. Patet, quia iste æque habet duas parrochias, vt patet *ex cap. 2. de sepulturis in 6.* tùm quia isti quilibet ex illis parrochijs potest ministrare confessionis sacramentum, ergo, & matrimonij: quantum ad hoc enim nulla videtur esse differentia. 6

C Tertiò dicendum est de peregrinis, qui alibi sedem habent, ad eam parrochiam pertinere, si diu peregrinentur, quoad matrimonium celebrandum, in qua sunt tempore matrimonij, quia cum eadem sit ratio matrimonij, & confessionis, & quantum ad cõfessionem hoc definitum sit *ab Eugenio IIII. viua voce*, vt dicimus *tractatu 2. de Pænitent. quaest. 36.* codem modo videtur, quantũ ad matrimonium iudicãdum. Dixi, si diu peregrinentur, differentia inter confessionem, & matrimonium, ita quod ad confessionem sufficiat breuis peregrinatio, vt docet ibidem Eugenius, vt quis adquirat parrochiam, & non pro matrimonio, hæc est, quia confessionis præceptum vrget, non matrimonij. Qui si paruo tempore peregrinentur ad parrochiam sui domicilij pertinent, si D autem diu peregrinentur, durum videtur, eos obligare ad procurandam assistentiam sui parrochi. 7

Quartò dicendum est de vagis, qui quidem sunt illi, qui nullibi habent certum, & constãs domicilium, siue habeant animum illud habẽdi in certo loco, siue non. De quibus primo dicendum est, parrochum non debere eos vagos (nec etiam alienigenas alibi habentes domicilium) facili coniungere matrimonio, sed facta sufficienti inquisitione, & facto ordinario certiore, & ab eo obtenta licentia sub pœna pec- 8

cati mortalis, vt præcepit *Trident. Sessio.24.* A *cap.7.* Secundò dicendum est, quęcunque parrochum posse adesse matrimonio vagorum, & dare licentiam alteri Sacerdoti, cum sunt in oppido duarum parrochiarum. Probatur ratione supra facta, quia isti possunt eligere quẽ libet parrochum pro suis confessionibus, ergo pro suis matrimonijs. Tùm quia vel quilibet est parrochus, vel nullus, non enim est maior ratio vnius, quam alterius, dum tamen parrochus est in suo territorio, non in alieno: imò dum alter est vagus, etiamsi alius nō sit vagus, quilibet parrochus potest assistere matrimonio, vt patet ex dictis, quia cuiuslibet parrochus sufficit: quod si parrochus sine licentia Episcopi vagos coniungeret, male faceret, matrimonium tamen valeret, quia Concilium nō B irritat alias factum matrimonium. Ita *Enriquez* docens, sic declarasse *Cardinales, lib. 11. de Matrimonio, cap.3. num.3.*

9 Quintò dicendum est iuxta motum propriũ *Pij Quinti relatum à Veracruz appendice ad speculum in fine*, religiosos apud Indos gerentes officium parrochorum de licentia sui Concilij Prouincialis posse assistere matrimonio, sicut diximus supra de alijs parrochis. Et isti religiosi possunt per alia loca non sibi subdita trãseuntes homines ibi morantes, & non habentes parrochũ matrimonio coniungere, vt ex concessione *Leonis X. & Adriani IIII. relatis à Veracruz loco citato.* Patet, vnde religiosi non habentes in illis partibus Concilium prouinciale non possunt hanc licentiam dare, & præ- C terea est necessaria licentia Episcoporum, vel gubernatorum illorum locorum pro illis religiosis. Ita *Manuel Rodriguez, tomo 1. quæst. Regular. quæst.35. art.1. in fine,* quando tamen isti religiosi vagos coniungunt matrimonio, debent prius licentiam petere ab ordinario iuxta *Trident. loco citato,* quia *Pius V.* non derogauit Tridentino, quia non derogatur decretis Concilij generalis, nisi his verbis, non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita, vt patet *ex cap. ex parte de capellis Monachorum.*

10 1. Archipresbyter Cathedralis potest secundum *Gloss. cap.2. de pœnitentijs, & remissionibus in sexto. verbo, subdito.* Et secundum multos Do- D ctores dare omnia sacramenta omnibus illius Diœcesis, quod forsan olim fuit in vsu, modo tamẽ non videtur esse, quod si Archipresbyteratus esset dignitas, cui esset annexum ministrare omnia sacramenta omnibus Diœcesis illius, tunc esset ordinarius, & posset matrimonio adesse, si autem hoc non haberet iure ordinario, sed ex commissione Episcopi, vel Papæ, hæc esset attendenda, & obseruanda. Ita *Sanch. loco citato disp.27.*

(.2.)

QVÆSTIO XI.

An Vicarius generalis Episcopi possit assistere matrimonio, & alteri licentiam assistendi dare, & idem quæritur de alijs Vicarijs, & de parrochis ad nutum mobilibus?

VT certum suppono in hac nostra quæstione ante omnia, quod iudex Scholasticus Salmantinus ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ potest assistere matrimonio suorum subditorum, non tamen potest, vt declaratum est Romæ in denuntiationibus dispensare matrimonij *Glossa capit. accedentibus de excessibus prælatorum verbo, dignitatis, & Pet. de Ledesma de Matrimonio, quæst.45. art.5. puncto 3. dub.4. & alij sentiunt,* non posse Vicarium generalem Episcopi assistere matrimonio, aut alteri assistendi licentiam dare sine Episcopali Episcopi commissione. Probatur, quia Vicarius ex generali commissione non potest de causis matrimonialibus cognoscere, vt patet *ex cap. accedentibus allegato, & ex Trid. Sessio.24. cap.20.* vbi hæc res ad Episcopum dicitur pertinere, ergo neque potest assistere matrimonio. 1

Sed oppositum omninò dicendum est. Ita 2 *Nauar. lib.4. consiliorum tract. de sponsal. prima edit. consil.47. num.1. Enriquez, lib.11. de Matrimonio cap.3. & alij, quos sequitur Sanchez lib.3. disp.29. num.18.* Probatur primò, quia de causis matrimonialibus potest Vicarius cognoscere ex vi officij, vt patet *ex cap.1. de frigidis, & maleficiatis, iuncta Glossa verbo, misso,* ergo potest assistere matrimonio sine speciali cõmissione Episcopi, & alteri licentiam dare ad id. Secundò probatur, quia vt patet ex *Trident. Sessio.24. cap.1.* Ordinarius & potest assistere matrimonio, & alteri dare licentiam assistendi ex ratione sui officij, sed Vicarius generalis ratione sui officij est ordinarius, quia accipit iurisdictionem à Canone, & non ab Episcopo, quod proprium est iurisdictionis ordinariæ, vt patet *ex cap. à iudicibus 2. quæst.6.* & quia vt patet *ex cap. Romana de appellat. in 6.* eadem est iurisdictio Vicarij, & Episcopi, & idem tribunal. Vnde mortuo Episcopo, vel nominatim denunciato non valent gesta per Vicarium, licet valerent illi ab altero Episcopo delegata in aliquo negotio, & valent gesta donec insinuatur reuocatio Episcopi *Sanchez tom. 1. lib. 3. disp.30.* & certus debet fieri Vicarius ab Episcopo epistola, vel nũtio, &c. quare non appellatur ab vno ad alterum, & nomine Episcopi intelligitur, ergo ratione sui officij potest assistere

sistere matrimonio, & alteri dare licentiam sine speciali Episcopi commissione, & idem dicendum est de Vicarijs habentium iurisdictionem Episcopalem, vt docet *Nauar. loco citato*, & de Vicarijs Ordinum militarium, vt docet *Manuel Rodriguez 1. tom. sum. 2. edit. cap. 219. num. 15.* quia sunt ordinarij, sicut etiam Cardinales in Ecclesijs sui tituli. Atque hoc quod possit Vicarius dare licentiam, declararunt Cardinales.

4 Secundò dicendum est, parrochum proprietarium posse alteri Sacerdoti delegare, & cõmittere licentiam assistendi matrimonio. Patet ex *Trident. Sess. 24. cap. 1.* vbi id expressè habetur, imò potest parrochus eam licentiam committere cum potestate subdelegandi eam alteri. Patet, quia non delegatus non committit eam facultatem, sed delegans parrochus, & delegatus solum assignat personam iuxta *l. vnum ex familia, §. si de falcidia. ff. de legatis secũdo*, vbi dicitur eligentem iussu testatoris, nullum beneficium conferre, quia non ipse, sed testator iubens, conferre censetur beneficium.

5 Tertiò dicendum est, parrochos non proprietarios, qui ab Episcopo præficiuntur, vel à parrocho toti parrochiæ in omnibus causis posse dare alteri Sacerdoti licentiam assistendi matrimonio, ita declararunt Cardinales. Ita *Glossa Clement. 1. de priuilegijs verbo, presbyteri, vbi Cardin. quæst. 19. Syluest. ex communicatio 7. casu 14. dubio 11. num. 39.* Patet, quia isti sunt delegati ad vniuersitatem causarum, & ita possunt vnam, vel alteram causam delegare alijs, parrochus autem solum per tres hebdomadas posset alium vicecuratum sine licentia Episcopi relinquere in sua parrochia, vt Doctores resoluunt *in cap. si quis in clero 7. quæst. 1.* Isti tamen parrochi non proprietarij, qui delegant vnam vel alteram causam, non vniuersaliter eam non possunt delegare, nam non possunt suis delegatis concedere facultatem alijs rursus subdelegandi, quæ solum delegato principis, & delegato ad vniuersitatem causarum datur in iure facultas subdelegandi. Ille tamen delegatus ad vniuersitatem causarum posset dicere suo subdelegato, vt notauit *Sanchez loco citato, disp. 31. num. 18.* ex nunc ego do facultatem assistendi matrimonio Sacerdoti, quem tu designaueris, quia tunc delegatus dat iurisdictionem, & non subdelegatus, quando quis sit delegatus ad vniuersitatem causarum, vide in *Sanchez, tom. 1. lib. 3. disp. 31. num. 4.*

8 Quartò dicendum est, delegatum siue parrochi, siue Episcopi solum ad assistendum vni, vel alteri matrimonio, non posse suam facultatem alteri delegare, quia est delegatus ad vnam causam, & iste nisi sit delegatus principis supremi nequit totam causam alteri committere. Ita *Tabiena ex communicatio 5. casu 11. quæst. 3. num. 4.*

A Quintò dicendum est, quòd dum parrochus præsens in parrochia assumit Vicarium locantem suas operas, vt illum adiuuet, hic Vicarius non potest delegare. Ita *Enriquez lib. 6. de pœnitentia, cap. 7. num. 3. comment. lit. N.* quia non censetur illi plenas suas vices committere dũ adest.

Sextò dicendum est, matrimonium contractum coram parrocho, vel alio Sacerdote de eius licentia validum esse, licet Episcopus, vel constitutio Synodalis ei præceperint iusta causa, ne tali matrimonio assistat, & ne det licentiã alteri assistendi, qui nõ sit approbatus ab Episcopo, vel licet præceperit parrocho, ne assistat matrimonio, nisi cum his, vel illis conditionibus, quas ille non obseruauit, nisi constitutio expressè addat clausulam irritantem B aliter gesta. Ita tenent *Salzedo practica. cap. 73. §. primum dubium, Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 45. art. 5. puncto 3. dub. 2. fol. 190.* & referunt declarationem Cardin. pro hac parte. Probatur ex *nouissimis decisionibus Rotæ decis. 750. num. 3. volum. 1.* vbi dicitur: *Id ipsũ speciale in matrimonio, irritum minime reddi ex simplici prohibitione, nisi habeat clausulam irritantem talis prohibitio, iuxta cap. 2. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.* Ergo superior prohibendo matrimonium simpliciter, quando non addiderit decretum irritans, non censetur irritare velle matrimonium, licet habeat potestatem illud irritandi. Cuius ea potest esse ratio, quia matrimonium est res grauissima, & ex eius annullatione multa damna C sequuntur.

QVÆSTIO XII.

Qualis licẽtia parrochi requiratur ad assistendum matrimonio?

SIT prima conclusio. Ad hoc, vt aliquis vice parrochi assistat matrimonio, non est necessaria licentia ei concessa ita specialis, vt in ea dicatur, dari facultatem assistendi matrimonio, sed sufficit, si in aliquibus verbis generalibus sufficienter claudatur. Ita D *Salzedo in practica, cap. 73. in noua edit. vers. illud autem, & Thomas Sanchez dicto loco disp. 35.* Probatur, quia hæc licentia generalis æquipollet particulari, ergo sufficientissima est, talis autem licentia generalis sufficiens erit, si dicatur in ea, quod datur facultas ad exercendum in sua parrochia, quæ ad curam animarum pertinent, ita declararunt Cardinales, quia matrimonium maxime ad talem curam pertinet, & similiter sufficit, cum parrochus proficiscitur ex aliquo loco, si dicat alicui Sacerdoti, se illi conferre facultatẽ ad Sacramenta ministrãda,

quia cum nullum alium Vicarium relinquat, A illum sic relinquit. Ad rationem autem Vicarij requiritur ministratio matrimonij, quando autem parrochus adest in suo loco, non sufficit, si dicat illi Sacerdoti, se dare licentiam ministrandi sacramenta omnia, quia hæc clausula intelligitur sicut clausula cruciatæ de sacramentis necessarijs Pœnitētiæ, & Eucharistiæ, & hæc etiam licentia non requiritur in scriptis, vt communiter dicitur.

2 Secunda conclusio. Ratihabitio de futuro, scilicet, credere parrochum approbaturū matrimonium, non sufficit ad hoc vt aliquis valido assistat matrimonio. Ita *Menoch. consil. 398. num. 15. volum. 4. Enriquez lib. 11. de Matrimonio cap. 3. num. 5. & alij.* Probatur primò, quia quod fit sub ratihabitione, non fit revera, B sed manet in pendenti donec approbetur, vel reprobetur ab alio, at sacramentum nequit esse in pendenti, sed statim habet suum valorem vel non habet, ergo. Et probatur, quia *Triden. loco citato*, requirit licentiam ad valorem matrimonij, sed in ratihabitione de futuro non adest licentia de præsenti, ergo non valet matrimoniū de præsenti. Tertiò, quia in sacramētis, in quibus ad valorem est necessaria iurisdictio, vt in pœnitentia, vel licentia, vt in matrimonio, non satis est ratihabitio, sed hæc sufficit in alijs sacramentis, vbi solum iurisdictio requiritur ad rectam administrationē sine peccato, neque hæc retrotrahitur in matrimonio, sicut in contractibus retrotrahitur, *iuxta regulam, ratihabitionem, de regulis iuris in sexto*, quia C hoc petit consensum partium, qui si à principio non valuit ob defectum licentiæ Sacerdotis, repeti debet.

3 Tertia conclusio. Ratihabitio de præsenti, quæ in hoc consistit, quod aliquis parrochus videat alterum Sacerdotem assistere matrimonio, & eum non habêre licentiam, & taceat, cum possit contradicere facile, & soleat, sufficit ad valorem matrimonij. Patet, quia vt docet *Abbas cap. nonne, num. 3. de præsumpt. scientia, & patientia in his, quæ sunt modici præiudicij, operatur consensum.* Cum ergo, quod alter Sacerdos assistat matrimonio, parum operetur præiudicium parrocho, eius scientia, & patiētie sufficit ad dandam licentiam de præsenti, vt D in simili casu de confessione docent *Sylvest. confessor primo, quæst. 6. in fine, Caietan. in summa verbo absolutio ex parte absoluentis, versic. licentia, & alij.* Similiter sufficit ratihabitio de præterito ex eo, quod ille Sacerdos videat, sæpe se astitisse matrimonio parrocho sciente, & patiente, cum sciret, eum non habêre licentiam, & potuisse facile contradicere, nam conijcere potest, eum velle, vt alijs etiam matrimonijs assistat. Dixi autem consultò, si sæpe astitisset, quia si vna tantum, vel altera vice astitisset, non posset propterea alijs matrimonijs assistere, sed deberet credere, pro illis tantum vicibus concessisse licentiam, sicut si expressè concessisset parrochus licentiam ad vnum, vel alterum matrimonium, non propterea cēsetur, ad omnia concessisse eam.

His suppositis de licentia tacita loquendo, 4 iterum de licentia expressa sit quarta conclusio. Si parrochus concedit alteri Sacerdoti licentiam assistendi matrimonio coram nuncio misso ab eo Sacerdote ad petendam licentiam valet matrimonium ab eo tempore, quo conceditur licentia, licet ea expressè non sit nota Sacerdoti. Patet, quia illa persona nuncij repræsentat personam Sacerdotis, quod si parrochus ex motu proprio concedit eam licētiam, vel ad instantiam alterius non missi à Sacerdote, non valet matrimonium, donec ipse licentiam sciat, imò etiamsi eam cognoscat ex persona extranea, quæ neque sit impetrans, nec parrochus, nec nuntij ab eis missi, non valet matrimonium, quia non aliæ personę, sed istæ repræsentant personam concedentem, quod ex eo patet, quia hæc concessio se habet ad modum priuilegij, & hoc non operatur, donec sciatur, *ex capit. de concessione præbendæ in sexto ad medium, versic. ex parte.* Vbi quidam ex litigantibus hoc allegat, & Pontifex in fine textus illi parti adhæret, & ita fundamentum eius videtur approbare, quomodo priuilegiū operetur, vide in *Sanchez tomo 1. lib. 3. disp. 36.*

Hinc infertur, hanc licentiam non sufficere 5 mentaliter concessam, quia debet concedi humano modo, & externo, vt docet *Victoria, materia de Confessione num. 153. & alij.*

Quæret tamen aliquis primò, an Sacerdos 6 extraneus debeat credere eis, qui dicunt, se habêre licentiam à proprio Sacerdote, vt eos matrimonio coniungat? Ad quod respondetur primò personis valde fidedignis in hoc, & in dispensatione à se obtenta circa denunciationes esse credendum. Ita *Palud. in 4. dist. 18 q. 6. art. 2. num. 5. Nauar. in Summa cap. 27. num. 39. initio.* Quod ex eo patet, quia in matrimonio contrahendo, quod pertinet ad forum externum, eodem modo quantum ad hoc videtur procedendum, atque in excommunicatione, quæ etiam ad eum pertinet, teste *D. Tho. quodlibeto 3. art. 12. sed vt constat ex cap. sicut. de sententia excommunicationis.* Excommunicatis credendum est, si dicant, se esse absolutos, quando aliquo modo legitimo de eorum absolutione constat, quod tunc videtur contingere, quādo sunt valde fidedigni, ergo etiam eodē modo credendum est in matrimonio. Secundò respondetur, generaliter non esse credendum cuilibet affirmanti se habêre licentiam saltem à proprio parrocho. Probatur, quia licet in foro interno, ad quem pertinent Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Vnctio, credendum sit pœnitenti, quia tunc solum agitur de bono spiri-

spirituali interno animæ, in quo nullus censetur mentiri, at in foro externo non ita credendum est, quia in eo potest esse aliquod commodum corporale, quod mentiri cogat. Vnde parrochus non eredit subditis dicentibus, se esse confessos, nisi ostendant in paschate schedulas, & Episcopus non ordinat alienos subditos sine eius literis, sed matrimonium pertinet ad forum externum, ergo in eo non est generaliter credendum volentibus contrahere.

7 Quæres secundò, an sint ad matrimonium necessaria aliqua verba parrochi? Ad quod respondetur primò, nō esse de essentia, tum quia ipse non est minister, quare eius verba nō sunt materia, neque forma, tùm etiam quia Triden. cum in matrimonio requisiuit verba partochi, non annullat matrimonium aliter factum, sicut cum requisiuit præsentiam eius. Ita declararunt Cardin. vt refert *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 43. art. 1. dub. 4. conclus. vlt.* Respondetur secundò, verba partochi, Ego vos coniungo in matrimonium in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel alia huiusmodi secundum loci consuetudinem, quæ præcipit *Concilium Sessio. 24, cap. 1.* proferri, solum debere proferri sub peccato veniali, quia materia leuis est, & hæc sensum istum efficere, approbo, & declaro coniunctionem vestram esse legitimam.

QVÆSTIO XIII.

Qualis præsentia parrochi, & testium requiratur in matrimonio?

1 IN hac quæstione primo certum est, requiri præsentiam moralem partochi, & testiū, ita vt intelligant, & aliquo sensu percipiāt mutuum consensum contrahētium. Probatur primo, quia in *Trident. Sessio. 24. cap. 1.* requiritur præsentia parrochi, & testium, hæc autem non requiritur more brutorum, ergo more humano cognoscendo, & intelligendo, quę fiunt *iuxta l. coram Titio 209. ff. de verborum significa.* coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Et confirmatur, quia Concilium requirit præsentiam harum personarum, vt testificentur postea, cum opus sit, de matrimonio, at non intelligētes non possunt testificari; vnde non debent esse distracti, sed attenti eo tempore, quo fit matrimonium, alias quomodo testificabuntur? Imo cum parrochus, & testes sunt alterius linguæ, atque contrahentes, sufficit, si per interpretem matrimoniū intelligant, quia hoc sufficit ad alios contractus, vt patet *ex l. 1. §. fili, ff. de verborum obligat.* & quia hoc sufficit in sacramento Confessionis, vt apparet in materia

A de pœnitentia, difficultas vero est, an sufficiat eorum præsentia, quando vi detinentur, vel dolo adducuntur ad vidēdum matrimonium.

2 Quidam de valore talis matrimonij vidētur dubitare, vt *Azeuedo lib. 5. Recopilationū, tract. 1. l. 1. num. 39.* Probatur primò *ex l. 1. in fine. ff. de auctoritate tutoris.* Tutor si inuitus retentus fit per vim, non valet, quod agitur, neq; enim præsentia corporis sufficit ad auctoritatem, sed in matrimonio parrochus præbet auctoritatem, ergo non satis est, si adsit inuitus. Confirmatur, quia in iure idem est abesse, & adesse sine consensu, vt notauit *Sanchez, disp. 39.* sed partochus, & testes inuiti sunt sine consensu, ergo eorum assistentia nihil operatur. Confirmatur tertiò, quia si statuto requiritur præ- B sentia alicuius, si vi præcise adesset, actus esset nullus, vt docent Iurisconsulti, sed à Tridentino requiritur præsentia parrochi, & testium ergo hi non debent inuiti adesse.

3 Sit tamen conclusio. Valet in hoc casu matrimonium. Ita habet *declaratio Cardinal.* quam ego vidi, & quam referunt, & sequuntur *Enriquez lib. 11. de Matrimonio, cap. 3. num. 1. Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 45. art. 5. fol. 189. & alij multi.* Probatur, quia *Concilium loco citato*, solum petit præsentiam patrochi, & testiū, vt possint de matrimonio testificari, sed quamuis adsint inuiti, & dolo adducti existimantes aliud esse agendum negotium, si tamē intelligunt, sunt sufficientes testes *ex l. coram Titio, allegata.* vbi de teste dicitur, *scire autem,* C *non etiam velle is debet.* Peccabunt tamen mortaliter contrahentes coram parrocho vi detento, vel dolo, sic enim non censetur matrimonium celebrari auctoritate Ecclesiæ, quamuis si his modis testes assistant seclusa violentia, non peccabunt contrahentes mortaliter, quia non fit notabilis iniuria sacramēto, peccarent tamen venialiter non seruantes rectum ordinem.

4 Quæres tamen primò, an licentia extorta per metum cadentem in virum constantem à parrocho, vt alius Sacerdos assistat matrimonio, valeat? Ad quod respondetur, valere quidem, cum adest voluntas dandi licentiam. Probatur, quia voluntas coacta voluntas est iure naturæ, nisi annulletur per aliquod ius, at vo- D luntas coacta in hoc casu non annullatur alicubi, valet ergo ad dandam talem licentiam, quāuis sic extorquēs illam, vt patet, peccaret mortaliter.

5 Quæres secundò, an licentia hæc extorta mendacio, vt dicendo, magnum aliquem Principem eam petere, valeat, cum alias parrochus non esset eam cōcessurus? Respondetur, valere quidem, vt bene *Sanchez dicto lib. 3. de consensu clandest. disp. 39. num. 14.* Patet, tùm quia principis intercessio solum est ratio motiua, & non finalis concedendi licentiam. Vnde

etiamsi

etiamsi ea non sit vera licentia, tamen valebit. A Tum quia animus parrochi non est, non intercedente principe negare licentiam, cum videat mala ex matrimonio inualido secuta.

6 Ex his patet ad argumenta in oppositum. Ad primum dico illum textum habere vim in contractu pupilli, vbi non solum requiritur præsentia tutoris, sed etiam consensus ad dandam licentiam, at in matrimonio non habere eam vim, quia solum requiritur præsentia parrochi, vt testis. Et similiter respondetur ad secundum, & tertium argumentum; solum autem in testamento requiruntur testes voluntarie assistentes, & rogati ad euitanda damna, vt habetur *l. heredes palam, §. testamentis, ff. de testamentis.*

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum sufficiat parrochum, & testes assistere sponsalibus, ita quod postea clam sequatur copula, vel corā ipsis?

1 TRIA in hac quæst. certa sunt. Primum est, ante Tridentin. verum iudicatum fuisse matrimonium, si aliqui post spōsalia de futuro habebāt copulam affectu coniugali, aut aliquo actu sufficienter ostendebāt consensum matrimonij de præsenti, etiamsi clam hæc fierent, vt habetur *cap. is, qui fidem de sponsalibus*, & vt docent professores iuris Canonici in isto cap. vbi explicant, qui actus sufficerent.

2 Secundò certum est, in *Tridentin. Sessio. 24. cap. 1. de Matrimonio*, huiusmodi matrimonia fuisse annullata, quia in eo requiritur, consensum matrimonij exprimi coram parrocho, & testibus. Ita docent *Nauar. in summa cap. 25. num. 144. Gutier. lib. 1. quæst. Canon. c. 18. num. 4. Enriquez, lib. 11. de Matrimonio, cap. 3. num. 7. & alij.*

3 Tertiò certum est, matrimonium sub condi tione honesta contractum secuta copula effici putum. Ita ait *Paulus Comit. lib. 1. quæst. moral. 113. in fine.* ad suam instantiam respondisse Congregat. Cardinal. & idem videtur de sponsalibus secuta copula, præsertim in sententia Comitoli dicentis matrimonium sub cōditione ad sponsalia reduci.

4 Circa id vero, quod quæritur, sit prima cōclusio. Ad matrimonium non sufficit, sponsalia iuramento confirmari coram parrocho, & testibus. Probatur ratione *D. Thom. in 4. dist. 28. quæst. vnic. art. 1. in corpore*, quia iuramentum non mutat naturam contractus, cui adhæret, sed illum confirmat in sua natura, sed sponsalia solum sunt promissio matrimonij, & non matrimonium, ergo etiam per iuramentū non fiunt matrimonium, neque obstat, *cap. si quis diuinis 30. quæst. 5.* vbi dicitur: *Si quis diuinus cu tis iurauit mulieri; legitimam se eam vxorem habiturū, sit illa legitima vxor.* Respondetur enim, ibi solum explicari obligationem eam ducendi ratione illius particulæ, *sit.* quæ est de futuro, neque obstat *cap. ex parte*; vbi idem videtur insinuari, respondetur enim, ibi esse sermonē de verbis matrimonij de præsenti.

Secunda conclusio. Quando sponsalia de futuro per verba de futuro contracta, vel per verba de præsenti, vt quando impuberes sic contraherent (in quo casu etiam sunt sponsalia) initentur coram parrocho, & testibus, si tamen postea clam sequeretur copula animo coniugali sine parrocho, & testibus, non valeret matrimonium. Patet, quia ex *Trident. loco citato*, consensus legitimus de præsenti coram parrocho, & testibus præstandus est ad valorem matrimonij, sed quando fiunt sponsalia per verba de futuro, non præstatur consensus de præsenti corā eis, at quando ille consensus est de præsenti, sed inter impuberes, non est legitimus, ergo tunc non valet matrimonium, & si parrochus, & testes videant solam copulam & non videant sponsalia, non etiam valet matrimonium, quia sola copula sine verbis præcedentibus non satis exprimit consensum cōiugalem. 5

Tertia conclusio. Quando parrochus, & testes, & vident sponsalia de futuro, & postea vident copulam secutam animo coniugali, vel aliud signum sufficiens matrimonij, tale matrimonium validum est post Trident. neque video, qua ratione oppositum possit defendi. Patet, quia tunc est validum matrimonium cæteris paribus, quando consensus matrimonij de præsenti coram parrocho, & testibus manifestatur, sed in hoc casu sufficienter explicatur consensus matrimonij de præsenti, ergo valet matrimonium, quod sufficienter explicatur. Patet, quia olim ante Trident. vt patet ex *cap. is, qui fidem citato*, hoc erat sufficiens signum consensus de præsenti, ergo & modo post Trident. quia Concilium solum addit in hac parte præsentiam parrochi, & testium. 6

Si Petrus coram parrocho, & testibus, & per verba de præsenti matrimonium contrahit cum Maria cum hac conditione, si fratribus suis placuerit, deinde non expectato conditionis euentu secuta est inter eos copula affectu maritali, quæ copula multis innotescit, congregatio Concilij censuit, in dicto casu non expectato conditionis euentu matrimoniū consistere, neque requiri, vt denuo coram parrochō, & testibus contrahant, & *Clemens VIII.* mandauit, isti casui tantùm ita esse respondendum. Hodie post Concilium non præsumitur verum matrimonium, vt optime aduertit *Ioan. Gutierrez tractatu de Matrimonio, capit. 41. num. 17.* 7

videntur puniendi. Ita *Panorm. eod. ca. fili. n. 5.* A

3 Tertia pœna contra clam cōtrahentes in aliquibus Diœcesibus est excōmunicatio Synodalis. Alia pœna olim erat contra hos, vt sic cōtrahentes traderentur consanguineis propinquioribus vxoris in seruitutem perpetuam, quæ non est in vsu, vt ait *Couarru. in 4. decretal. 2. part. cap. 6. num. 17.*

4 Quarta pœna contra parrochos est, vel alios Sacerdotes, qui sine licentia proprij parrochi assistunt matrimonio, quæ his verbis continetur: *Si quis parrochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parrochiæ sponsos sine illorum parrochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario eius parrochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat absoluatur.* B

5 Cum ob aliquod delictum incurritur aliqua suspensio, verbi gratia, vnius anni, & iterum committitur idem delictum; & contrahitur alia suspēsio anni, confunditur vnus annus cū altero, & si eodem die delicta committuntur, pœnis eodem anno satisfit, *Sanchez tomo 1. de matrimonio, lib. 3. disp. 50.* multos Doctores allegans. Quid possit secularis iudex circa matrimonium, videatur apud *Bellarmin. lib. 1. de matrimonio, cap. 32. in his pœnis.*

6 Circa dictam suspensionem notandum est, eam non incurrere alienū parrochum, vel aliū Sacerdotem non habentem facultatē ad dandā licentiam assistendi matrimonio, quando isti dant licentiam alteri assistendi matrimonio alicuius, cum non possint valide eam dare. Ita *Syluest. excom. vlt. q. 4. dicto 3. Con. verbo excommunicat. paulo post principium, & alij multi.* Probatur, quia suspensio, cū sit odiosa, non est extendenda de vno casu ad aliud præsertim non similem, sed ille qui dat licentiam alteri assistē di matrimonio, non assistit illi, & minus facit, quam ille, qui assistit, ergo licet assistens sine licentia proprij parrochi suspendatur, non tamen suspenditur dans prædictam licentiam sine licētia parrochi. Neq; propter eandē rationem hanc pœnā incurret proprius parrochus, qui non Sacerdoti dat licentiā assistendi matrimonio, neq; etiam isti incurrunt pœnā *capitis filis.* de clandestina desposatione, quia ista matrimonia sunt inualida, & dictus tex. loquitur de matrimonio valido, quod solū est peccaminosum ob defectum denunciationū, & nō est extendenda pœna de vno casu ad alterum.

7 Secundò notandum est, non placere sentētiam *Sanch. lib. 3. disp. 49. num. 3.* asserentis hominem nō Sacerdotem assistentē matrimonio sine licentia parrochi non incurrere suspensionem prædictā Concil. Trid. quia non est parrochus, neque alius Sacerdos. Hoc inquam, nō placet, tùm quia si parrochus, & Sacerdos sine ea licentia non possunt assistere matrimonio sub pœna suspensionis, ergo multo magis, quādo sic assisteret non Sacerdos, quia multo grauius peccat, iste enim casus in altero videtur includi, & ita lex videtur posse extendi, quando vnus casus in altero includitur, tùm etiā, quia hæc lex in fauorem matrimonij potest extendi in hoc casu.

QVÆSTIO XVII.

Verùm matrimonium possit cōtrahi sub conditione generali, & sub speciali intrinseca, & extrinseca necessaria?

PRIMÒ notandum est, conditionem hic non sumi pro rei qualitate, secūdū quā dicimus, hominem esse liberæ, vel seruilis conditionis; sed sumi pro quodam additamento, quod solet apponi cōtractui, per quod contractus suspenditur, vt te ducā in vxorem, si copiosam supellectilē adduxeris, &c. de qua conditione loquitur *lex. si ita stipulatus fuero hanc summam ff. de verbor. obligat.* in quem sensum accipiunt conditionem *Soto in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. & Thomas Sanchez tomo 1. de matrimon. lib. 5. disp. 1.*

Secundò notandum est, multiplex cōditionum genus posse in matrimonio cōsiderari, aliud est generaliū, vt illarū, quæ tacite insunt cuilibet contractui, vt si vixerimus, si voluerimus, &c. Aliud est specialium, quæ quidē sunt particulares huius, vel illius contractus. Inter has vero conditiones speciales, quædam sunt intrinsecæ, quia sine eis matrimonium nequit celebrari, vt contraho tecum, si non es consanguinea mea. Aliæ autem sunt extrinsecæ, quia sine eis matrimonium potest esse. Inter has autem extrinsecas quædam sunt necessariò euenturæ, vt contraho tecum, si sol orietur. Aliæ sunt impossibiles, vt contraho tecum, si digito cœlum tetigeris. Aliæ sunt contingentes, & possibiles, & inter has quædam sunt honestæ, vt contraho tecum, si castitatem coniugalem seruaueris. Aliæ turpes, vt contraho, si dederis licentiam cognoscendi alias præter te. Aliæ sunt conditiones impertinentes, vt contraho tecum, si Rex fuerit Mattiti. Et tandem inter has conditiones turpes quædam sunt contra substantiam matrimonij, vt contraho tecum, donec aliam inueniam ditiorem, quædam vero non sunt contra substantiam, vt contraho tecum, si mecum concubueris. Et de his omnibus conditionibus speciatim agendum est. C D

Tertiò notandum est, in foro conscientiæ nunquam esse revera matrimonium conditio-

ne non impleta, siue conditio sit impossibilis, A siue possibilis, siue cuiuscunq; generis quãdo contrahentes non habuerunt consensum cõtrahendi, nisi impleta cõditione, licet Ecclesia iudicet, esse verũ matrimonium, quia ad valorẽ matrimonij requiritur essentialiter consensus contrahentium. Ita *Ioan. And. c. per tuas de condit. appos. Syluest. matrimonium* 3. *q.* 2. *Palud. in 4. dist. 29. q. 2. in fine.* Quando autẽ dubitat contrahens, an habuerit animum contrahendi etiã non impleta conditione, vel non habuerit, stãdum est iudicio Ecclesiæ, & Ecclesia iudicante matrimonium valere, etiam in foro conscientiæ iudicandum est validum, quia quodcunq; iudex non innitens falsæ præsumptioni, sed optimis coniecturis, & non procedens pœnaliter iudicat, B seruandum est in foro interno, quãdo in eo non constat oppositum.

4 His suppositis sit prima cõclusio. Matrimoniũ ipsum conditionẽ non recipit, licet consensus circa matrimonium illam recipiat. Ita tenent *Sot. in 4. dist. 29. q. 2. a. 1. ante 2. concl. vers. rursus animaduertendum, Couar. in 4. decretal. 2. p. cap. 3. initio num.* 4. Quam conclusionem sic explicat bene Sotus, cum in matrimonio ponitur conditio de futuro, tunc non fit de facto matrimonium, sed relinquitur in aliud tempus celebrandum, consensus tamen circa matrimoniũ bene potest recipere conditionem, vt si quis nolit celebrare matrimonium, donec aliqua impleatur conditio. Probatur dupliciter. Primò *ex regula actus legitim. 77. ff. de regul. iur.* vbi C dicitur, actus legitimos non recipere conditionem, neque diem. Cuius ratio est, quia sic sunt à legibus instituti, vt statim suũ effectum cõsequantur, & suspensio conditionis aduersetur eorum substantiæ. Secundò probatur, quia matrimonium est sacramentũ causans gratiã, gratia autem, vel statim datur, vel statim negatur, & non manet suspensa, ergo nec matrimonij Sacramentũ. Vnde conditio omnis honesta, & possibilis de futuro ita suspendit cõtractũ matrimonij, vt non valeat, ea non impleta. Ita habetur in *cap. super eo, & cap. de illis. de conditionibus appositis, & l. 3. tit. 4. partita 4. ita Nauar. in sum. cap. 22. num. 62. Couar. in 4. decret. 2. p. c. 3. initio, num. 2. & alij*, modo ponatur conditio à principio contractus, vt *Nauar. ibidem.*

5 Secunda conclusio. Conditiones generales, D quæ in omni contractu includuntur, vt si vixerimus, &c. non suspendunt matrimonium, sed cum illis de facto contrahitur eodem modo, ac si non exprimerentur. Patet ex *l. conditiones extrinsecas. ff. de conditionib. & demonstrat.* & hinc deducitur intellectus ad *l. si ita legatum 48. § il li si volet. ff. de legatis prima*, vbi legatum relictum alicui, si ipse volet, dicitur esse conditionale, & suspendi, cum tamen conditio sit generalis. Ad hoc tamen respondetur cum communi Doctorum, ibi *Abbate c. significasti. num. 6.* A *de elect. Præposito, cap. ad audientiam. de sponsalib.* prædictam conditionem nõ esse generalẽ, sed particularem, intelligitur enim, si legatarius declarauerit suam voluntatem, quod si non declaret ante mortem, legatum non facit suum, neque ad hæredes suos illud potest transmittere, vt dicitur §. citato.

Quæres verò, an hæc conditio sit generalis, 6 & quæ tacite insit cõtractui, si Deo placet, duco te. Respondetur cum *Sanch. loco citato*, quod si hæc conditio intelligatur de voluntate, qua Deus omnia, quæ fiunt, aut vult cum sunt bona, aut permittit cum sunt peccata, sic est cõditio generalis, & tacite inhærens, & non facit matrimonium conditionale, si autem intelligitur de voluntate Dei approbante matrimoniũ B vt bonum, tunc conditio est specialis, & matrimonium non fit, donec cognoscatur honestas matrimonij, quare cum hoc modo intelligatur hæc conditio, si Ecclesiæ placuerit, scilicet de voluntate approbante matrimonium, est etiã conditionale.

Tertia conclusio. Conditiones intrinsece, quæ necessariò insunt contractui, non reddũt 7 matrimoniũ conditionale, neque illud suspendunt, vt contraho tecum, si non es consanguinea in gradu prohibito, &c. Patet dupliciter primo, quia istæ conditiones includuntur in natura matrimonij, ergo nõ amplius operãtur expressæ, quã tacitæ, at tacitæ non efficiũt matrimoniũ conditionatum, ergo nec expressæ. Secundò probatur, quia tunc est matrimoniũ C conditionatum, quando suspenditur eius effectus, & de facto, neque omninò reprobatur, neque admittitur, at cum ista conditione, si nõ es consanguinea, duco te, non suspenditur effectus matrimonij, sed vel statim valet matrimonium non existente consanguinitate, vel statim non valet ea existente.

Quarta cõclusio. Matrimonium initum sub 8 conditione necessaria, & extrinseca, vt contraho tecum, si cras sol oriatur, est validũ, & absolutum eodẽ modo, ac si conditio esset de præsenti, & necessaria. Probatur primò ex *l. impossibilis. 7. de verborũ obligationib.* vbi hoc expresse habetur. Et confirmatur, quia talis conditio, licet in se sit futura, reputatur tamen vt præsens, quia est determinata in sua causa, & non D potest aliter se habere, ergo valet matrimoniũ ac si conditio esset de præsenti. Ita *D. Th. in 4. dist. 29. q. vnic. a. 3. quæstiunc. 3. D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 19. §. 5. vers. 3.* est alia cõditio, & alij relati à *Sanch. li. 5. citata dis. 2.* Et hæc cõclusio est certa, quando ipsi cõtrahentes sciunt conditionẽ esse certam, siue certus sit dies, in quo eueniat conditio, vt in exẽplo posito, siue incertus, vt cum Petrus moriatur, & siue conditio sit necessaria secundum ordinẽ naturæ, siue ex reuelatione diuina, vt si Antichristus nascetur, certum enim est, Antichristum nasciturum,

ex

ex scriptura, quod si vellent contractum suspendi vsque ad tempus conditionis, vere suspenderetur, ita *Rebelus vbi infra*, in dubio, res ex circunstantijs perpendenda est, si enim constituenti conditionem vtile est matrimonium suspendi, suspensiua est conditio, alias non.

9 Siquis autem contrahat cum hac conditione, si nunquam domo egrediaris, vel alia simili, si non intendat contrahere, nisi perpetuo cōditio impleatur, conditio repugnat firmitati matrimonij, cōtractus enim insolubilis ab euētu, qui potest esse, & non esse, non pendet. Ita *Rebell. 2. p. de oblegat. iust. lib. 2. q. 10.*

QVAEST. XVIII.

Vtrum conditio impossibilis annullet matrimonium?

1 HAec quæst. locū, & sedē habet apud, *cap. finale, de condit. appos. in Decretalibus*, vbi, postquam Pont. in prima, ejus p. definiuit, conditiones contra substantiam matrimonij reddere illud nullum, vt con traho tecum donec inueniā aliam te pulchriorē, &c. posteà *in 2. p. capitis*, in hæc verba prorūpit *aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi.* Qui textus multum negotij facessit, & iuris Pōtificij, & Theologiæ nostræ professoribus.

2 Pro quæst. intelligentia duo notanda sunt. Primo notandum est, conditiones impossibiles alias esse de præterito, alias de præsenti, alias de futuro; vt cōtraho tecum, si digito cœlum tetigisti, aut tetigeris, aut tangis. Rursus, conditiones impossibiles aliæ sunt secundum ius impossibiles, vt contraho tecum, si potest esse matrimonium inter consanguineos, aliæ sunt de facto impossibiles respectu omnium hominum, vt duco te, si dederis mihi montem aureum artificialem, quod de facto nulli personæ in particulari esset possibile, aliæ sunt impossibiles non secundum naturam, sed supposito præterito tempore, vt cum quis mulieri defloratæ diceret, duco te, si fueris virgo, dū scit ipse non esse virginem, quod modo est impossibile per naturam.

3 Secundo notandum est. In eo casu, in quo ambo contrahentes, vel aliquis eorum habeant intentionem nullo modo contrahendi, nisi adimpleta conditione naturaliter, vel supernaturaliter, tunc non esse matrimonium, quia non est consensus absolutus, sed vere conditionatus, & ita matrimonium differtur vsque ad tempus impletionis conditionis. Et ita in hoc casu non procedit, quæst. ita *Nauar. in sum. cap. 22. num. 66. & Grегor. de Valent. in 4. tom. disput. 10. quæst. 3. de matrim. puncto 3. & Les. tom. de iustitia 2. lib. cap. 18. dubitat. 15.* Sed in eo, in quo contrahentes adijcientes conditionem impossibilem volunt cōtrahere secundum ius.

4 Tertio notandum est, generaliter, & secundum communem modum loquendi hominū, quando conditio impossibilis additur alicui contractui, esse signum dissensus; vt cum quis promisit pauperi centum, si digito Cœlum attigerit, intelligitur nolle ei dare ea centum, Ecclesiam tamen in fauorem matrimonij potuisse talem conditionem impossibilem reijcere à coniecturis dissensus, & deinceps decernere, ne eius conditionis vlla in matrimonio haberetur ratio, hoc autem decretum fauorabile esset matrimonio quia conditio alias nocens contractui iudicaretur ab Ecclesia nullo modo matrimonio nocere, quod fecit Ecclesia *in dicto, cap.*

5 Circa quæst. multi Doctores perplexi hæret. *Durandus in 4. distinct. 29. quæst. 4.* dicit, se relinquere hanc rem peritioribus explicandam. *Palud. eadem distinct. quæst. 2. art. 5. conclus. 5. ait*, Hoc decretum satis esse mirabile, *Sotus eadem distinct. quæst. 2. art. 2.* fatetur, se de hac re nihil certum legisse. *Conar. in Epitome, p. 2. c. 3. §. 2. num. 9.* ait, sensum illius decreti Gregorij esse mire reconditum.

6 His suppositis circa nostrum tex. sunt varij sensus Doctorum, quos videre quis poterit apud *Sanch. loco citato, in tota disputatione*, sed præcipue sunt duo. Primus est *Sots in 4. distinct. 29. quæst. 2. a. 2. vers. mens* ergo Pontificis, & in fine ar. in solutione ad primum, *& Petri de Ledes. de matrim. quæst. 47. ar. 5. dubio 1.* Qui duo continet. Primū est Pōtificē in dicto cap. fili. voluisse nudare matrimonium à conditione impossibili, & de illa nullā esse habendā rationē, sed ex alijs cōiecturis esse indicādū, an cōtrahētes voluerint efficere matrimoniū, vel nō, Secundū est, si nō esset alia coiectura ad inuestigādū cōsensum, nisi cōditio illa impossibilis, tūc potius indicādū esse dissensum, quia illa cōditio est indiciū dissensus. Sed hæc sentētia quantū ad primū vera est, vt postea videbimus, quātū ad secūdū vero optime refutatur à *Tho. Sanch. l. 1. de matrim. disp. 3. n. 5.* si enim in ipso textu expresse dicitur, cōditionē impossibilē esse habendā pro nō adiecta, non ergo debet esse indiciū dissensus, etiā in eo casu, quo nō essent cōiecturæ ad colligendum assensum, tūc enim pro adiecta haberetur, & multū operaretur. Secūdus sensus est *in dicto textu*, cōditionē impossibilē habendam pro non adiecta, quādo dubia est cōtrahentiū intentio, an voluerint matrimoniū cōtrahere seriò, vel ioco, quā do vero ex alijs coniecturis constat, intentionem esse iocosam, tunc esse signum dissensus, qui sensus quātū ad hoc secūdū ex dictis refutatur. Ita *Sāch. lib. 5. de matri disp. 3. n. 15. & 16.*

7 Pro verioris ergo sensus explicatione rursus notandũ est, hunc textũ esse intelligẽdum in eo casu, quo conditio impossibilis iudicetur ab ipsis contrahentibus, vt impossibilis. Si enim iudicetur possibilis, matrimoniũ non valet, quia suspenditur eodem modo, ac si reuera esset possibilis. Ita docent *Adrian. in 4. quæst. 3. de matrim. dub. 11. in fine, Sot. in 4. dist. 29. q. 1. art. 2. vers. per hæc indicandum, Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 5.*

8 Verus ergo sensus nostri tex. est conditionẽ impossibilem habendam esse pro non adiecta in foro externo, tam in dubio, an contrahentes voluerint cõtrahere matrimoniũ serio, vel ioco, quam in his casibus, vbi ex alijs coniecturis colligitur, matrimoniũ factum esse serio vel iocose. Ita sentire vidẽtur *Sot. & Pet. de Ledes. locis citatis.* Haberi autẽ conditionẽ pro nõ adiecta, nihil aliud est, quã in iudicãdo, an matrimonium valeat, vel non valeat, nullã habendam esse rationẽ conditionis, ac si non apponeretur, sed aliũde iudicandũ esse valorẽ, vel inualiditatẽ. Quod autem ita generaliter textus intelligatur, siue cũ dubitatur, an cõtrahentes habuerint intẽtionẽ verã, vel iocosam, siue cũ certũ est. Patet primo, quia textus absolutè dicit, & sine distinctione, conditiones impossibiles habẽdas esse pro nõ adiectis, ergo neq; nos distinguere debemus. Secundò probatur, quia cõditiones turpes, quæ nõ sunt cõtra substantiam, semper sunt habendæ pro nõ adiectis, vt contraho tecum, si furtũ feceris, ergo & impossibiles, nã Pontifex eodem modo loquitur de conditionibus turpibus, & impossibilibus, qui sensus, vt verus sit, notandũ est cum *Palat. li. 6. de contractib. c. 6 concl. 1. & 2. cum Couar. in 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 1. & alijs*, vt cõditio impossibilis habeatur pro nõ adiecta, necessum esse, vt cõtrahentes sciãt constitutionẽ in dicto *ca. fili*, in quo ea iudicatur pro non adiecta. Patet, quia vt diximus in tertio notabili, cõditio impossibilis natura sua, id est secũdum communem modũ loquendi hominũ est signum dissensus, & tamẽ Pontifex in fauorem matrimonij disposuit, dicto ca. vt habeatur pro nõ adiecta, & cùm ea censeatur purus cõtractus, vt ergo hoc ita sit, & vt ita posit iudicari in foro externo, contrahentes debent, prædictam cognoscere constitutionẽ, vt secundum illam censeantur contrahere, & nullam habuisse considerationẽ conditionis, quod bene potest facere, quia est Dominus nostræ voluntatis, vnde & cõsensus coactos fecit ob hoc nullos: imò vt bene notat *Lesius loco citato, in ista quæst. cum Medina, cap. de restitut. quæst. 23. Couarrunias 4. decretal. cap. 3. §. 2.* Quando vterque contrahentium scit, conditionem esse impossibilem, & iure statutum esse, vt habeatur pro non adiecta, si volunt contrahere addita illa conditione, præsumuntur illam ioco addere.

9 Ex his ergo colligitur, in matrimonio addito sub conditione impossibili nullã nos debere habêre rationẽ cõditionis impossibilis, sed ex alijs coniecturis conijcere debere, an matrimoniũ valeat, vel non valeat, quod si ex nulla alia coniectura etiã possumus colligere validitatem, neq; inualiditatẽ, adhuc nullã esse habendam rationẽ conditionis impossibilis, sed in hoc dubio in fauorem matrimonij iudicandum esse iuxta *cap. fin. de sentent. & re iudicata.* Ita quod matrimonium valeat, & hoc tam in foro externo, quàm interno, & ratio est, quia maius periculũ est in hoc, quod illi, si sunt forte coniugati separentur, & alijs matrimonio coniungantur, quod esset adulterium, quam si non coniuges relinquantur, quod solũ est simplex fornicatio ad summum.

10 Secundò colligitur ex dictis, omnẽ illam cõditionẽ impossibilem habendã esse pro nõ adiecta, de qua locuti sumus in primo notabili huius quæst. quia eadẽ est ratio vnius, & alterius, & textus eodem modo in dicto *cap. fili.* Videtur de omni cõditione impossibili procedere, quidquid contra dicat *Sanch. loco citato disp. 4. n. 16.* qui sentit, conditionem impossibilem de facto supposito transacto tẽpore, possibilem vero per naturam absolutè non considerando hoc tempus, vel illud, vt cum quis dicit mulieri defloratæ: Duco te, si sis virgo, non habendam esse pro nõ adiecta, sed vitiare contractũ matrimonialem, hoc enim verum esset, quando contrahens apprehenderet rem illam, vt possibilem considerando illam secundum se, & absolutè non cognoscendo defectum mulieris, quando vero cognosceret defectum, & apprehenderet rem vt impossibilem, conditio re vera haberetur pro non adiecta, quia est secundum præsens tempus impossibilis, & vt talis iudicatur.

11 Tertiò colligitur in eo casu, quo conditio revera impossibilis esset, sed propter aliquam ignorantiã etiam crassam, à contrahentibus iudicaretur vt possibilis, tunc in foro interno nõ esse matrimonium, quia non est consensus absolutus, sed suspensiuus matrimonij, matrimonium vero non suspenditur, vt supra diximus, licet in foro externo quando non probaretur hæc ignorantia, iudicaretur conditio pro non adiecta. Ita *Sanchez disp. 3. citata num. 10.* & à contrario sensu ego colligo, quod si conditio possibilis apprehẽdatur etiam propter ignorantiam crassam vt impossibilis, vt si quis fœminæ potẽti habêre filios dicat. Duco te, si habueris filios credendo, eos esse ei impossibiles per naturã, revera conditio habetur pro nõ adiecta, etsi ex alijs coniecturis colligitur verus consensus, valet matrimonium, quia quãuis conditio sit possibilis, attamẽ respectu huius sic iudicantis est impossibilis, & ita quantũ ad hunc pro impossibili iudicanda est.

Con-

13 Contra nostram tamen resolutionē obstant aliqua argumenta. Primum est, *ex l. non solum 30. ff. de actionib. & oblig.* vbi reddēs rationem, cur omnes contractus sub cōditione impossibili inualidi sint, sic inquit, loquendo de contrahentibus, quorū proculdubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi, existiment apposita ea conditione, quā sciant esse impossibilē, si ergo conditio impossibilis est signū dissensus, cum ea nō valet matrimoniū, quia hoc requirit consensum. Ad hoc tamen respōdetur esse diuersam rationē aliorū contractuū, & ma-
2 trimonij, nam in alijs contractibus non est iudicata conditio impossibilis pro non adiecta, sed in dubio iudicatur pro signo dissensus, vt communiter esse solet, quia non sunt ita periculosæ materiæ, ac matrimoniū, at vero in matrimonio propter eius fauorē iudicatur ab Ecclesia pro non adiecta. Secundū argumentū est, quia in alijs contractibus ius supplere cōsensum potest, & tamen cum cōditio impossibilis adijcitur eis, non illū supplet, sed ex defectu cōsensus declarat eos inualidos, cū ergo in matrimonio nō possit eū supplere à fortiori adiecta cōditione impossibili erit inualidū. Ad hoc argumentū respondetur, quod quia alij contractus non sunt ita fauorabiles, ac matrimoniū; ideò licet Ecclesia in alijs contractibus nō iudicauerit conditionē impossibilē pro non adiecta, in matrimonio tamen eam iudicauit pro nō adiecta, in quo Ecclesia non suppleuit consensum, quin potius declarauit, esse purū, & sine cōditione iudicandū; neq; per hoc Ecclesia statuit in dicto *cap. fili.* vt contractus inualide celebratus sub conditione impossibili, esset postea validus ipse, sed vt cōditio impossibilis, quæ antea erat signū dissensus, & reddebat matrimoniū inualidū, postea haberetur pro nō adiecta, & cum ea matrimoniū post eam constitutionē celebratum posset validum, & constans permanere. De conditione turpi, quæ nō est contraria substantiæ matrimonij, nec bonis eius, vt contraho tecum, si furtū feceris, eodem modo loquendū est, sicut de conditione impossibili, quia de ea *cap. fin.* eodem modo loquitur, ac de impossibili, solum addendū est, Ecclesiā excludere hanc conditionem, quia ad peccandū inuitat, quod est impossibile, quia id possumus, quod iure possumus. Ita *Sot. in 4. dist. 29. q. 1. a. 3. concl. 2. Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 12. nu. 6.* Quæ conditio in alijs contractibus, quāuis sic inuitet, non reijcitur, quia illi non sunt tantæ sanctitatis, nec ita fauorabiles, ac matrimoniū, quod si conditio turpis sit de præsenti, vel præterito non reijcitur, vt, contraho tecum, si inimica es Petri, vel fuisti, quia non inducit ad aliquod peccatū faciēdum, sed factum supponit. Ita *D. Thom. in 4. dist. 29. q. vnic. a. 3. quæstiunc. 3. Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 12. num. 7.* Et conditiones prædictæ turpes eodem modo reijciū-tur à sponsalibus, quia sponsalia sunt initiū matrimonij, & dispositum in matrimonio censetur dispositum in sponsalibus *l. oratio. ff. de sponsalib.* Tum, quia concors Doctorum sententia *cap. fin. prædictum de sponsalib.* etiam intelligit, & in speciali *D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. in corpore, D. Bonau. in 4. dist. 28. q. 3. n. 15.*

QVÆSTIO XIX.

An cum duo consanguinei in gradu prohibito matrimonium sibi promittunt cum ea conditione, si Pontifex dispēsauerit, inducant sibi aliquam obligationem?

DIFFICVLTAS hæc in eo casu locum habet, quo princeps, vt Pōtif. solet ex causa iusta dispēsare in aliquo gradu cōsanguinitatis, vt in secundo, & illi qui volūt contrahere impediti tali gradu habent causam iustam ad obtinendam dispensationem, an scilicet tunc obliget matrimonij promissio cū ea conditione facta si Pont. dispensauerit. 1

In qua difficultate prima sentētia defendit, talem promissionem obligare, sed posse quemlibet contrahentem resilire ante, & post dispēsationem, sicut de sponsalibus impuberū idem diximus supra in tract. de spōsalib. Ita *Gutier. lib. 1. quæst. canonic. cap. 22. num. 17.* 2

Secunda sententia est, quæ asserit talē promissionem esse nullam, nullamq; parere obligationē: Ita tenet *Ioan. And. c. super eo de cōdit. appos. n. 2. Inn. ab Villa. in sum. de matrim. n. 28. Sot. in 4. dist. 29. q. 2. a. 1. & alij.* Probatur primò vnica, & forti ratione; quia vt visum est ex *cap. fil. de condit. appos.* conditio impossibilis habetur pro nō adiecta, sed hæc conditio, si Pōt. dispensauerit, reputatur vt impossibilis, vt patet ex *l. continuus. 137. §. cum quis. ff. de verbor. obligat.* ergo habetur pro non adiecta, sed ea nō adiecta non obligaret promissio matrimonij inter cōsanguineos, vt postea videbimus, ergo neq; cum ea. Secundò probatur, quia melius est cōformari legi cōmuni prohibenti nuptias inter consanguineos, quā sequi legem specialem dispensationis, sed promissio matrimonij inter consanguineos recedit à iure communi, ergo non obligat. 3

Sit tamē prima cōclusio. Promissio prædicta obligat, & nulla pars potest nec ante, nec post dispensationē à promissione recedere: Ita sentiunt *Angel. matrimon. 3. imped. 3. n. 4. Conar. 4. decret. 2 p. c. 3. initio n. 9. in fine. Pet. Ledes. de mat. q. 47. a. 5. dub. 2. conclus. 3. Sanch. dicto li. 5. disp. 5. n. 12 cū alijs Doctoribus, ibi allegatis.* Probatur primò à priori, quia promissio rei possibilis, & honestę obligat promittētē ita vt non posit 4

ab ea recedere, vt late vidimus in materia de sponsalibus, sed in promissione, qua quis promittit cõsanguineę matrimonium, si Papa dispensauerit, duo includuntur, scilicet petere dispensationem à Papa, & ea obtenta matrimonium contrahere, quorum vtrunque est possibile, & honestum, ergo talis promissio obligat. Secundò probatur, quia secundum communem sentẽtiam iuristarum valet institutio spurij alicuius (qui secundum leges hæres nõ est) in hæredem, addita conditione, si Princeps dispensauerit, ergo valet promissio matrimonij cum conditione, si Papa dispenset.

5 Et ad argumenta contraria respondetur. Ad primum pendens à voluntate principis nõ dici impossibile, sed difficile, & hoc quando nõ solet in eo dispensare, at quando solet dispensare, non dicitur impossibile, neque difficile, vt in nostro casu, in quo solet Papa dispẽsare. Hæc solutio patet ex *l. apud Iulianũ, §. constat, ff. de legatis* 1. in illis verbis, quantum commercium eorum, nisi iussu principis non est, cum distrahi non soleat, vbi solere principem concedere rem, vel non concedere, ponderatur ad rationem possibilis, vt aduertunt *Iason. num. 13. Alex. num. 5. & alij relati à Sanrbez loro cita to, num. 12.* Ad secundum respondetur, melius esse, conformari legi communi, quam legi particulari, qualis est dispensatio, nisi præcesserit aliqua iusta promissio, vt in nostro casu præcessit ad recedendum à lege communi.

6 Secunda conclusio. Hæc promissio matrimonij inter consanguineos facta cum ea conditione, si Pontifex dispensauerit, obligat in ratione simplicis promissionis ante dispensationem obtentam, vel denegatam, tùm ad procurandum dispensationem, tùm ad hoc, vt nullus resiliat à contractu. Probatur, quia vt patet ex prima conclusione, hæc promissio obligat, sed non in ratione sponsalium, quia consanguinei ante dispensationem non sunt capaces sponsalium, sicut neque matrimonij, ergo in ratione simplicis promissionis.

7 Tertia conclusio. Obtenta dispensatione à Pontifice, si non reuocetur prior voluntas, propter illam tantum sunt spõsalia prædictus contractus. Ita sentiunt *Adrianus IIII. quæst. 3. de Matrimonio dubio 10. solut. ad serundum, Couarrunias 4. Decretal. 2. part. cap. 3. initio, num. 9. in fine, Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 47. art. 5. dub. 2. conclus. 1. & 3.* Probatur primò à simili, quia valet institutio spurij, licet incapacis hæreditatis, quando ab aliquo instituitur in hæredem cum ea cõditione, si princeps dispensauerit, & ita obtenta dispensatione succedit in hæreditatem, ergo valent etiam sponsalia in nostro casu. Secundò probatur à priori, quia conditio natura sua hoc habet, vt suspendat actum, & eius absolutam obligationem vsque in illud tempus, in quo impleatur conditio, vt dicitur *l. tedere diem 213. ff. de verborum significat.* sed consanguinei promittunt matrimonium sub ea conditione, si Papa dispensauerit, & non contrahunt efficaciter, & perfectè pro eo tempore, quo fit promissio, sed pro tempore, quo facta est dispensatio, ergo licet non fiant sponsalia, quando promittunt, quia tunc non sunt capaces, fiunt tamen tempore dispensationis, quando sunt capaces. Vnde ante dispensationem non licent oscula, & alij tactus, qui licent inter sponsos, quia sponsi non sunt.

8 Quarta conclusio. Si consanguinei contrahant sine ea conditione expressa, si Pontifex dispensauerit, ea tamen subintellecta non valent sponsalia. Probatur primò *ex l. si stipuler. 35. in fine principij, ff. de verbor. obligat.* vbi cauetur, quod si aliquis stipuletur, sororem ad opituam ducturum, non valere promissionem, quia statim fit contra bonos mores. Probatur secundò, quia cum iste contractus fit inter homines, oportet externe, & humano modo exprimi ad illum necessaria. Ita *Nauar. in consil. 2. edit. lib. 4. tit. de consanguinitate, consil. 5. num. 1. & alij.* Licet alij probabiliter sentiant oppositum, neque valere, quod hæc conditio est necessaria, & ita semper intelligitur, nam hæc necessitas non est in secundo gradu, de quo loquimur, à natura, sed ab extrinseco ratione prohibitionis Ecclesiæ.

9 In qua quæst. aduertendum est, eum qui iniuste discedit à dicto cõtractu, teneri alteri expensas pro dispensatione factas restituere, & qui promisit alteri matrimonium, tenetur procurare dispensationem, ad hoc enim videtur se voluisse obligare, sed expensas ambo debent soluere contrahentes, quia ad vtrunque attinent, quando ambo volunt contrahere.

QVÆSTIO XX.

Quando hæc conditio si patri placuerit censeatur impleta, vt promissio matrimonij obliget?

IN hac quæst. certum esse debet, in dubio, an verba referantur ad præteritum, vel ad futurum, referri ad futurum, vt in hoc verbo. Si pater consenserit, quia communis modus loquendi hæc intelligit de futuro. 1

Sit ergo prima conclusio. Quando conditio de patris consensu est de præterito, vel de futuro, valet matrimonium patre consentiente, quamuis contrahentes ignorent consensum, quia tunc verificatur conditio. Ita *Cordubа in summa, quæst. 46.* & quia hæc conditio, si patri placet, vel placuit, intelligitur, si non est dissentirus, & sciens gratum habuerit, ideò suffi- 2

cis

est hic virtualis consensus, quod si primo placuit matrimonium patri, & postea displicuit, standum est posteriori voluntati, & si illa fuit dissensus, matrimonium non valet, alias valet. Quia contrahentes volunt obligationē manere quandiu intra breue tempus est spes patrem consensurum, tùm quia illa verba si patri placuerit reddunt hunc sensum, Cōtraho tecum si patris consensum obtinueris, sed in hoc secundo casu valebit matrimonium etiamsi parens initio neget consensum, dum tamen secundo, vel tertio rogatus intra breue tempus consentiat, quia tunc verè obtentus est consensus, ergo etiam in primo casu valet matrimonium. Confirmatur, quia si duo contrahant sub hac conditione, si Pontifex in impedimento dispenset, sine dubio contractus valet si primo procuratori dispensationis eadē neget, & postea obnixius petenti intra breue tempus concedatur, ergo eodem est ratio in nostro casu. Vltimò probatur, quia in alijs negotijs ea verba, si patri placuerit eum reddunt sensum quem defendimus, ergo etiam in matrimonio.

3 Quæres primò, si pater nec consentiat expresse, nec dissentiat, sed taceat, præsumitur ne in dubio, placere ei matrimonium, quando fit sub ea conditione, si placebit? Respondetur cum *Sylvest. Matrimonium 3. quæst. 4. dicto 4. & alijs*. hanc taciturnitatem sufficere ad valorē matrimonij, quia filij in ea conditione solum contendunt, ne patres dissentiant, aut ægre ferant, quando autem tacet, hæc verificantur, quod intellige dummodo pater propter aliquem timorem non taceat.

4 Quæres secundò, quid si pater obierat eo tēpore, quo dicitur in promissione matrimonij, si pater consentiat? Ad quod respōdetur, quod si sciebant mortem patris, conditio est impossibilis, & de ea iudicandum est *iuxta quæst. 31. huius tract.* quod si ignorabant mortem patris, ait *Sanch. loco citato n. 19.* valere matrimonium, quia in ea conditione solum intendunt filij, ne patres ægrè ferant suum matrimonium, quod verificatur in dicto casu, sed salua pace istius Doctoris hoc non videtur congrue dictū, quia filij contrahendo matrimonium cum ea conditione, si patri placebit, non ita materialiter intelligunt cōplacentiam patris, sed ita vt sciens & volens ad minus non contradicat, quod de mortuo non verificatur *cap. si gratiose, de rescriptis, lib. 6.* vnde melius respondetur cum *Sylvest. matrimon. 3. quæst. 4. dicto 2. Nauar. in sum. cap. 22. num. 64. & alijs.* Tunc non valere matrimonium, quia conditio impossibilis reputata possibilis, vt dictum est in quæst. 31. suspendit contractum matrimonij, & ita illud annullat.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm matrimonium per verba de præsenti celebratum, sub conditione tamen honesta, & de futuro, impleta cōditione absque nouo consensu validum fiat?

Præsens quæst. in eo casu procedere videtur, quo consensus ille, quem quis habuit, cū cōtraxit per verba de præsenti, nō fit reuocatus ante implementū conditionis. Ita *Sylvest. matrim. 2. q. 4. dicto 1. D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 19. §. 5. vers. 6. est conditio, & alij.*

2 Quidam sentiunt satis probabiliter, etiā in eo casu, quo contrahentes sint habiles ad matrimonium, non effici matrimonium, sed tantum sponsalia. Ita *D. Bonau. in 4. dist. 28. q. 3. nu. 13. Vict. in sum. de matrim. num. 258. Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 12. n. 3. & alij relati à Sanch. loco citato, disp. 8 num. 3.* Probatur primò; Cōsensus cum conditione præstitus ante impletam cōditionē non est sufficiens ad matrimoniū, quia est imperfectus, & inefficax, neque etiam post impletam conditionem est sufficiens, si enim ante impletionem eius reuocaretur, non esset sufficiens ad matrimonium de præsenti, ergo etiam sine reuocatione est insufficiens, quia si sufficiens esset ad matrimoniū, non posset reuocari. Secundò probatur, quia alia sacramenta non pēdent à futuro euētu, ergo nec matrimonij sacramentū. Tertiò probatur, quia talis cōtractus nō obligat vt matrimoniū, cū per aliud initum antè aduentū conditionis possit rescindi, ergo obligat vt spōsalia, quare impleta cōditione sine nouo cōsensu non fiūt matrimoniū. Quartò probatur, quia cōsensus iste, contraho tecum, si pater consentiat, non est de præsenti, sed de futuro, vt habetur, *in cap. super eo de condit. appos.* videntur circa hoc argumenta *Vict. lib. de relectionibus, relect. de matrimonio, num. 9.*

3 Sit conclusio. Adueniente conditione sine nouo consensu fit matrimoniū, licet antea non esset. Ita sentiunt communiter professores iuris canonici *Innocent. cap. super eo de condit. appos. Ioan. Andr. eodem cap. Aucharranus, Ostiensis, & alij, Petrus de Soto, lection. 3. de matrimon. §. 4. denique infertur, Manuel Rodrig. 1. tom. sum. 2. edit. t. 219. concl. 18. n. 19. & idem tenere videtur D. Thom. in 4. dist. 29. q. vnic. a. 3. quæstiunc. 3.* Vbi dicit, quod si quis contrahat sub cōditione cōtingēti, vt sub cōditione acceptationis patris tam, non facit matrimonium, quia videtur intelligendū id, ante impletam conditionē. Probatur primò ex *cap. super eo allegato*, vbi cum consultus esset Pontif. an ille, qui contraxit per verba de præsenti sub cōditione de futuro

impleta contraditione sit cogendus ad cõsummandũ matrimonium. Respondet esse cogendum ad contrahendũ, vbi nomine contractus intelligit perfectionem contractus, qui est cõsummatio matrimonij per copulam, quia de ea fueras interrogatus. Probatur secundò, quia sicut ad matrimonium requiritur purus consensus de præsenti, ita ad sponsalia requiritur purus consensus de futuro, sed impleta conditione de futuro, sub qua habitus est consensus matrimonij de futuro, manent perfecta, & absoluta sponsalia, vt patet à contrario sensu *ex cap. vnic. in fine, de sponsalibus in 6.* vbi dicitur, ante impletam conditionẽ non esse sponsalia, & vt in concl. 3. quæst. 3 a. vidimus, ergo consensus matrimonij de præsenti sub conditione habitus impleta conditione perficitur, & cõstituit B matrimoniũ. Tertiò probatur, quia prior consensus conditionatus durat vsque ad tẽpus impletæ conditionis, & ea impleta fit ità absolutus, & purus, ac si nulla fuisset addita conditio, sicut ergo nouus consensus, tunc adueniens cõstitueret verum, & purũ matrimoniũ, ita & antiquus. Quartò probatur, quia alij contractus conditionales sine nouo consensu impleta cõditione perficiuntur, vt patet ex *l. hæc venditio 7. ff. de contrahenda empt. ibi, conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio, in quibus non suppletur consensus, sed explicatur id, quod ex natura rei accidit.* Ergo & matrimonium sub conditione initum ea completa perficitur, quia sequitur naturam contractus, quod non habent alia sacramenta.

4 Ad argumenta opposita respondetur. Ad primum consensum de præsenti conditionatum ante impletionem conditionis esse imperfectum, post impletionem tamen esse perfectũ nec valet, quod possit reuocari ante impletionẽ, si enim reuocaretur, esset insufficiens, quia Ecclesia nequit in matrimonio medio illo tẽpore reuocato, supplere consensum, sicut potest in alijs contractibus, dum tamen non reuocatur, & perseuerat, adueniente conditione perficitur. Ad secundum respondetur, sacramentum Matrimonij sequi naturam contractus, & non alia sacramenta nihilominus nunquam fit cum conditione. Ad tertium respondetur, matrimonium conditionatũ, neq; esse matrimonium purum, quia fit cũ conditione, neq; esse spõsalia, quia fit per verba de præsenti, vnde neque obligare vt sponsalia, neq; vt matrimonium. Ad quartum dico, esse consensum conditionatũ consensum de præsenti, cõditionatum tamen, non absolutum, & purum, de quo absoluto loquitur *cap. super eo.*

5 Ex dictis sequitur, idem esse dicendum, dũ aliqui consanguinei contrahunt per verba de præsenti sub conditione de futuro, si Pontifex dispẽsauerit, quod eisdem rationibus probatur, & rationibus adductis tertia conclusione, A quæstione 3 a. huius tractatus. Ita *Couarrunias quarto decretalium, secunda parte, cap. 3. initio, num. 9. & Sanchez tom. 1. de Matrimonio, lib. 5. disp. 8. num. 10.*

Quæres tamen primò, quod matrimonium præualeat in eo casu, quo quis contraxit matrimonium de præsenti cũ duabus fœminis sub conditione, si pater tuus consentiat? Ad quod respondeo, quod si conditiones simul eueniãt, cum nulla est matrimonium, sicut si simul cum duabus absolutè contraheret. Patet ex *reg. vbi repugnantia 148. ff. de regulis iuris*, his verbis: *vbi repugnantia inter se in testamento inuenirentur, neutrum ratum est.* Ita *Syluest. Matrimon. 3. quæst. 6. Adrian. in 4. quæst. 3. de Matrimonio.* Vnde si prius pater vnius fœminæ consentiret, B quam alterius, cum illa esset matrimoniũ, quia consensus cum illa purificatur, & perficitur altero imperfecto manente, & idem sere est, ac si cum illa de facto absolutè contraheret, & alteri promisisset antea matrimonium. 6

Quæres secundò, quid si duabus promisit quis matrimonium sub prædicta conditione de futuro? Ad quod respondetur cum *Sanchez loco citato num. 18.* quod siue simul impleantur conditiones, siue prius impleatur conditio eius, cui posterius fidẽ dedit, semper teneri eũ ad cõtrahẽdũ cũ prima ratione prioris promissionis, quam debet adimplere expectando per tempus conueniens impletionem cõditionis. 7

Quæres tertiò, an hoc quod diximus, valere, 8 C scilicet matrimonium per verba de præsenti, & sub conditione de futuro, quando impletur conditio sine nouo cõsensu, sit verum post *Tridentin. Session. 24. cap. 1. de Matrimonio*, vbi præcipit assistere matrimonio parrochum, & testes. Respondetur valere quidem, dummodo parrochus, & testes assistant priori contractui, & impletioni conditionis, & cognoscant priorem consensum conditionalem adhuc perseuerare. Ita dicit vt certũ *Petrus de Ledesma de Matrimonio, quæst. 47. art. 5. dub. 7. concl. 3.* Probatur primò, quia secundum *Concilium loco citato*, parrochus, & testes debent assistere matrimonio, per quod intelligitur matrimonium absolutè, & simpliciter perfectè, & indissolubiliter contractum, sed ante impletionem conD ditionis ille contractus non est matrimonium hoc modo, ergo non sufficit, si parrochus, & testes ei assistant.

Pro contraria tamen sentẽtia asserente sufficere parrochum, & testes assistere illi cõtractui cõditionali per verba de præsenti, quãuis non assistant verificationi cõditionis, sunt alia argumenta adducta à *Sanchez loco citato, n. 24.* (iste enim auctor immeritò adhæret huic sententiæ.) Primũ est, quia dum aliqui cõtrahũt per procuratorẽ, nõ est necesse, parrochũ, & testes videre literas, in quibus datur ea facul- 9

nis, licet ea ſit ſimpliciter neceſſaria ad matrimoniū, neq; quādo duo cōſanguinei obtēta diſpenſatione contrahunt, eſt neceſſe, videre diſpenſationem, licèt ſine ea non valeat matrimonium, ergo neque in noſtro caſu debent parrochus, & teſtes videre verificationem conditionis. Secundum argumentum eſt, quia ſic ſaluatur finis Concilij, ne ſcilicet, aliqui relicto primo matrimonio contrahant aliud ſecundum inualidum, quia Eccleſia nonpermittit hos ad ſecundum matrimonium tranſire, donec probetur, conditionem defeciſſe, vt patrem, verbi gratia diſſenſiſſe. Ad hæc tamen facile reſpondeo. Ad primum dico, illa matrimonia valere, quamuis parrochus, & teſtes non videāt literas procuratoris, vel diſpenſationem, ſatis enim eſt, ſi fidedignis perſonis hac in re credant: tum quia illæ, licèt ſint conditiones neceſſariæ in matrimonio, non tamen ſunt partes eſſentiales eius, ſcilicet materia, & forma. Tū quia vere aſsiſtunt tunc, quando fit matrimonium perfecte, & ſimpliciter, at vero, ſi parrochus, & teſtes non aſsiſterent eo tempore, quo verificatur conditio, ſub qua aliqui contraxerunt de præſenti, non aſsiſterent materiæ, & formæ matrimonij, quia talis materia, & forma conſiſtunt in verbis prioris contractus, prout nunc impleta conditione perſeuerant, tum etiam non aſsiſterent, quando matrimonium fit perfecte, & ſimpliciter, quod contingit tēpore impletæ conditionis, ante illud enim nō poteſt dici fuiſſe matrimonium, quia poterat reuocari conſenſus, & deficere matrimonium, neque poteſt dici parrochum, & teſtes aſtitiſſe matrimonio. Ad ſecundum reſpondeo, non plene ſatisfieri fini Concilij, quia ex oppoſito multa damna poſſent ſequi, vt quod pater reuera aſſentiret matrimonio, & volens ſatisfacere filio, qui vult ſecundas inire nuptias, dicat, ſe diſſenſiſſe. Tum, quia Concilium voluit parrochum, & teſtes aſsiſtere matrimonio ob eius ornatum, illud autem, de quo loquimur, non eſt matrimonium.

QVAESTIO XXII.

Vtrùm conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, vel bonis eius annullet matrimonium?

1 PRimo notādū eſt, tria eſſe bona matrimonij vita perpetua, ſcilicet, ſocietas perpetua, fides mutua reddendi debitū ſibi, & non alteri, & proles.

2 Secundo notandum eſt, hæc omnia non eſſe de eſſentia quoad executionem, eſſe tamen de eſſentia quoad obligationem, vt obligatio ad perpetuam vitam, ad reddendum debitum, ad

A prolem ſuſcipiendam, eſt de eſſentia matrimonij.

Sit conclusio. Conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, & bonis eius annullat matrimonium. Probatur primo, *ex cap. fili. de conditionibus appoſ.* Vbi ſic dicitur. Si conditiones contra ſubſtantiam coniugij inſerantur; puta ſi alter dicat alteri. Cōtraho tecum, ſi generationē prolis euites, vel donec inueniam digniorem, aut, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunque ſit fauorabilis caret effectu. Secūdo probatur, quia nulla res poteſt conſiſtere ſine ſua ſubſtantia, & eſſentia, at conditiones contrariæ ſubſtantiæ matrimonij, & bonis eius deſtruentes obligationem eſſentialem deſtruunt eſſentiam ma- 3

B trimonij, ergo cum illis nō coaleſcit matrimonium. Quæ concluſio intelligitur, quando matrimonium fit ſub prædictis conditionibus de futuro, quia iſtæ inducunt obligationem, quæ eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij, non quando fit ſuo conditione de præſenti, vel de præterito, quia iſtæ non inducunt obligationem, ſed tantum loquuntur de executione, quæ nō eſt contraria matrimonio, vt non eſt contrarium matrimonio, quod quis poſt matrimoniū velit, corpus ſuum alteri tradere. Ita ſentiunt *Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 12. num. 7. & Sāchez 1. tomo de matrim. lib. 5. diſput. 9. num. 6.* Et concluſio prædicta vera eſt, ſiue conditio illa addatur cum animo contrahendi ſtatim matrimonium, & inducendi tales obligationes con-

C trarias matrimonio, ſiue cum animo prius ponendi in executione conditiones, & poſtea cō trahēdi; in vtroq; enim caſu animus, & cōditio poſſunt eſſe contraria ſubſtantiæ matrimonij.

Ex his infertur. Primo quod hæc conditio. Si prolem neces, aut mutiles, contraho tecum, eſt etiam contraria matrimonio, quia deſtruit bonum prolis. Hæc autem non eſt contraria; ſi prolem à nobis abijciamus ſemper, & alendam exponamus. Quia hæc conditio non eſt omnino contraria bono prolis, quia parentes in hoc ſufficienter prouident filijs. Ita *Sanchez loco citato, num, 13.* 4

Secundo infertur, has conditiones contrarias ſubſtantiæ matrimonij annullare etiā ſpōſalia, quia non compatiuntur inter ſe, habere 5

D intentionem celebrandi matrimonium, & habere intentionem contrariam eſſentiæ matrimonij. Ita *D. Thom. in 4. diſtinct. 27. quæſt. 2. ar. 1, in corpore D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2. & alij.*

Aliqui relati à *Sanch. diſput. 10. num 1.* ſentiunt quod conditio, licèt honeſta, contraria tamen bonis matrimonij, vt contraho tecum, ſi in perpetua caſtitate viuamus, &c. per quam tollitur ius, & potentia ad copulam, annullat matrimonium propter rationes ſupradictas. Probatur ex *cap. fili, de condit. appoſ.* vbi abſolute di- 6

ritur, contrarias substantiæ matrimonij illud annullare non distinguēdo inter honestas, aut turpes. Ita *D. Tho. in 4. dist. 28. q. vn. a. 4. ad 3. Bonauent. ibidem, q. vlt. n. 33. Enriq. lib. 11. de matrimonio, c. 4. & alij.* Vnde propter eius rationes non valet cōditio apposita in matrimonio de obligando se per istum ad non petendū aliquando, nec reddendum debitum. Ita Enriq. lib. 11. de matrimonio, c. 4. n. 1. neque valet pactū de non exigendo debitū, vt notauit *Adrianus, 4. q. 3. de matrim. dub. 9. in 2. solut. ad 3.* nec valet pactum de nunquam cohabitando simul, licet valeat, vt per mensem, verbi gratia, non cohabitetur, vel per bimestre à iure concessum.

7 Contrarium tamen defendunt *Basilius de Leon, tom. de impedimentis dirim. fol. 189. & 188. & Vazq. 2. tom. in 3. p. disp. 125. nu. 63. & Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 2. q. 13. nu. 31.*

8 Tertio infertur, probabiliorem esse sententiam *Vazq. & Rebell. loco citato,* distinguendo, vt distinguit Rebell. duas obligationes ad copulam, aliam remotam, quæ consistit in hoc, quod corpus vnius coniugis sit alterius, in qua consistit essentia matrimonij; aliam proximā, quæ consistit in iure expedito ad copulam, & hoc non est de essentia matrimonij, quia, si coniuges etiam post consummatum matrimoniū pari cōsensu professionem faciant, neuter habet ius petendi, vel obligationem actualem, vel proximam reddendi, vt patet ex c. cum sis c. vxoratus, de conuers. coniugat. & patet post adulterium coniugis ex *c. gaudemus de diuortijs.* Vnde si obligatio actualis habendi copulam non est de essentia matrimonij, non destruitur matrimonium propter conditionem insertam de seruanda perpetua virginitate, per quam hæc obligatio ad copulam tollitur, vt patet ex *c. fili. de condit. appos.* Et hæc conditio non aduersatur bonis matrimonij. Primo non bonis sacramenti, vel indiuisibilitati, vt patet, nō bono fidei, quia obligatio fidei necessario consequens naturam coniugij est sola obligatio ad non adulterandum, cui non possunt coniuges renuntiare, quod indicauit *August. lib. 1. de nuptijs,* vbi loquēs de coniugio Virginis Mariæ, ait, *prolem agnoscimus Dominum Iesum,* fidem, quia nullum adulteriū. Neque aduersatur bono prolis, quia bonum prolis, *vt ait Scot. & Gab. in 4. distinct. 31. quæst. 1.* vt est bonum prolis, consistit non in obligatione coeundi ad habendam prolem, sed in obligatiōe, quod non impediatur proles, si forte rem habere libuerit. Vnde est obligatio non affirmatiue accipienda, alias steriles non possent inire matrimonium. Sed negatiue, vt non impediatur proles, si forte coniuges coeant, per media turpia, sed potius educetur. Ita *Rebell. loco citato.*

9 Quarto infertur, quid dicendum sit, quando Iudæi, vel Pagani, vt Mauri, contrahunt

A rum ea conditione, vt possint dare libellum repudij, an tunc valeat matrimonium? Pro cuius resolutione suppono, *Primo ex Matth. 19.* Iudæis permissum esse libellum repudij, vel tanquam licitum ex Dei dispensatione, vel tanquam minus malum, quem tamē Christus abstulit, ibidem, vt *Sot. defendit in 4. distinct. 33. quæst. 2. art. 2. conclus. 2.* Secundo suppono, inter Gentiles nunquam esse talem libellum permissum, vt patet ex rap. gaudemus de diuortijs, vers. qui autem. Resoluitur ergo ex dictis, Iudæum, vel Gentilem contrahentem sub ea conditione, vel intentione interna dandi libellum repudij, non efficere matrimonium, quia habet conditionem, vel intentionem contra-

B riam substantiæ matrimonij, scilicet, perpetuitati, vt resoluit *Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 3. §. 1. num. 5.* Infidelis tamen, si habeat intentionem, cum contrahit matrimonium cum prima habendi plures vxores, vel id deducat in pactū, matrimonium est nullum, quia hæc sunt contra substantiam, & fidem matrimonij.

Quinto infertur, in eo casu, quo vnus tantum contrahentium apponat conditionem cōtrariam substantiæ matrimonij, etiamsi ab altero non acceptetur, quia absolute contrahit, esse nullū matrimonium. Probatur primo, quia diuersitas in consensu vitiat contractum, quia non vniuntur consensus. Vt quando alter absolute consentit, alter sub conditione, vt cauetur, *l. 1. §. siquis simpliciter, ff. de verborum obli-* 10

C *gat.* Sed in hoc matrimonio inuenitur hæc diuersitas, ergo non valet. Secundo probatur, quia qui sub illa conditione contrahit, non habet verum animum matrimonialē. Ita *Adrian. in 4. quest. 3. de matrim. dub. 9. Petr. de Ledes. de matrim. quæst. 47. art. 5. dub. 5. principali fol. 139. & Sanch. disp. 13.* qui ibidem adducit tres sententias in contrarium, quarum argumēta sunt hæc. Primum, *sit ex cap. aliquando 32. quæst. 2.* vbi quando ambo conuenerunt de veneno sterilitatis sumendo, vt melius rei venereæ operam darent, dicitur, non fecisse connubium, quando vero alter tantum conuenit de hoc, dicitur esse connubium. Secundum argumentū est, quia ex *c. 1. de regulis iuris,* contractus per quas causas nascitur, per eas dissoluitur. Sed ad

D matrimoniū constituēdū est necessarius cōsensus duorū, ergo & ad dissoluendū. Tertiū argumentū est, quia, si ille, qui addidit eā conditionē, postea habeat copulā ante aduentū eius cōditionis, recedit à cōditione, & validū efficit matrimoniū. Ad primū respond. cum glos. ibidē, in eo casu validū fuisse matrimoniū, siue ambo, siue alter habuerit animū sterilitatis, quia, vt bene *Adrian. loco citato, n. 3.* Hæc intētio nō fuit deducta in pactū, quare nō annullauit matrimoniū, quia nō induxit obligationē, quod si in eo cap. dicitur, quando ambo habent eam inten-

intentionem non esse connubium, & quando mulier tantum eam habet, esse debet intelligi secundū Glos. ibi, non seruare iura coniugij. Ad secundum respond. quod, vt contractus iā perfectus dissoluatur, requirit consensum duorū, sicut & ad sui cōstitutionē id requirit, vt tamen nō fiat, satis est dissensus alterius, etiamsi ab altero non accepretur; Quē dissensum habet, qui talem addidit conditionē. Ad tertium respondet optime *Sot. in 4. dist. 29. q. 2. a. 1.* Per copulam recedi à conditione, quando sunt spōsalia valida, vel contrahentes ostendunt verum animum contrahendi, hi autem eum non ostendunt, cum adhibent conditionem contrariam substantiæ matrimonij.

11 Sexto infertur, hanc cōditionem (quidquid aliqui dicant relati à *Sanch. loco citato, disp. 16.*) Contraho tecum, si mecum concubueris, si intelligatur de concubitu turpi, reijci tanquam turpem, vt habetur in cap. si. De condit. appofit. & haberi pro non adiecta, sicut supra diximus, q. 31. huius tractatus. Si autem intelligatur de concubitu matrimoniali, qui per hanc conditionem videtur exigi ante bimestre concessum à Iure, conditio est honesta, & cum ea suspenditur matrimonium vsque ad coitum, & simulàc coierit, est perfectum matrimoniū quoad Deum, & Ecclesiam. Ita *Adrian. in 4. q. 3. de matrim. dub. 8. Nauar. in sum. c. 22. n. 65. & Sylueft. matrimonium 3. q. 7.* Et etiam de hac conditione, si te virginem inuenero, dicendū est enim *Nauar. ibidem, n. 66. Petr. de Soto lect. 3. de matrim. ad finem. Petr. de Ledes. de matrim. q. 47. ar. 5. dub. 3.* & alijs, (quidquid alij relati à *Sanch. loco citato*, dicant) quod si hoc intelligatur esse inuestigandum per concubitum illicitum (licitus enim cum hac conditione non potest esse concubitus) reijcitur conditio vt turpis, & tanquam incitatiua ad peccandum, nisi experientia capienda sit per viam licitam aspectus matronarum. Hæc autem cōditio, si mihi placueris, quia semper est ad experiendū, & cum animo indeterminato matrimonij, reijcitur tanquam turpis, & incitatiua ad peccandum. Denique, siquis dicat cōtraho tecum, vel dabo tibi aliquid in dotem, si mihi feceris copiam tui corporis, nō erit matrimonium, quia habet animum indeterminatum, & datur ei optio, vel ducendi eam in vxorem, vel dandi aliquid pro dote. *Iuxta reg. in alternatiuis de reg. iur. in 6.* & idem, quod diximus de his omnibus conditionibus loquendo in matrimonio, dicendum est in sponsalibus, quidquid aliqui dixerint ex nostra Schola Salmantina relati à *Petro de Ledes. de matrim. q. 47. art. 5. ad finem*, propter eas rationes, quas supradiximus.

12 Ferdinandus, *Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 2. q. 10. num. 39. ait. caput finale de condit. appos.* ad sponsalia non extendi, tum, quia non sunt sacramentum, tum, quia non sunt indissolubilia, & ideo non merentur tantum fauorē. Et secundum istum Doctorem, num. 47. cum dicitur, contraho tecum, si pater consenserit, non fit matrimonium, sed sponsalia conditionata, vt *dicitur, cap. super eo. de condit. appos.* Quia ex alterius arbitrio habendo pendet, & hoc in vtroque foro; sed istum resolutionum contrariam doctrinam supra docuimus, quod si dicatur sic. Cōtraho tecum, si mihi numeraueris centum, vbi ly. si. & potest facere sensum modalem, & conditionalem; in foro conscientiæ expectanda est intentio contrahentis, in externo censentur sponsalia secundum Doctorea.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum doctrina supra adducta de conditionibus honestis, turpibus, & impossibilibus, & contrarijs matrimonij substantiæ possit applicari modo, demonstrationi, & causæ?

IN hac quæst. supponendum est, modum in matrimonio esse onus quoddā, ad quod volumus obligare contrahentem, vt doceo te, vt magnum honoris gradum cōsequar, causa vero est, in qua denotatur motiuū, ob quod contrahitur, vt contraho tecum, si diues, aut pulchra es, demonstratio vero est, cum significatur aliqua qualitas in contrahentibus, vt duco te, quæ virgo es, aut nobilis. 1

In hac re loquendo prius de modo quidam, vt *Aut. cap. fin. de condit. appos. num. 8. & Sot. in 4. distinct. 29. quæst. 2. art. 1. conclus. 1.* Sentiunt, modum etiam contrarium substantiæ matrimonij ipsum non annullare. Probatur, quia modus non suspendit actum, sed eo posito statim valet, & alter tertius manet obligatus ad modum. Sed cōtrarium dicendum est cum *D. Anto. 3. part. tit. 1. cap. 19. §. 5. Sylueft. matrim. 3. q. 12. Nauar. in sum. cap. 22. num. 62.* Probatur, quia obligari ad aliquid contra substantiam, vel bona matrimonij, tollit essentiam matrimonij, vt supra diximus, & tollit verum consensum ad matrimonium; sed contrahens sub illo modo contrario substantiæ matrimonij obligatur ad aliquid repugnans matrimonio, ergo non valet matrimonium. Ad argumentum respond. quod cum modus non contrariatur substantiæ matrimonij, tunc non vitiatur matrimonium, vitiatur tamen, quando eius repugnat substantiæ; quod si modus sit impossibilis, vel turpis, nec contrarius matrimonij substantiæ, sed inducens ad peccandum, tunc dicendū est, sicut de conditione supradiximus, q. 31. vel haberi pro non adiecto, quia eadem est ratio, 2

ratio, quod si sit honestus, & possibilis, statim valet matrimonium, quia modus non suspendit contractus, imponit tamen obligationem aliquam, quæ, si est honesta, licita est.

3 Secundo dicendum est, demonstrationem, vel causam per se sumptam, etiamsi sit cuiuslibet qualitatis, siue sit turpis, siue vera, siue falsa, siue contraria substantiæ matrimonij, non vitiate, neque suspendere matrimonium, sed haberi pro non adiecta quantum est de se. Ita *Palud. in 4. distinct. 29. quæst. 2. art. 1. conclus. 1. nu. 5. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 19. §. 5. & Sanch. alios sequens loco citato, num. 2.* Probatur primo, quia falsa demonstratio non vitiat legatū, *ex l. falsa 35. ff. de condit. & demonstr.* Ergo nec matrimonium. Secundo probatur, quæ vitiāt, vel variant contractum aliquem, solum sunt ea, quæ ad substantiam contractus attinent, at causa, seu demonstratio non pertinent ad substantiam consensus matrimonij, sicut conditio, neque se habent, vt obiectū, aut pars obiecti contractus, sed antecedenter, & quasi motiuum, quod intelligitur, quando causa nō mouet, vt obiectum. Ergo de se nullo modo vitiant matrimonium, suspendendo, vel annullando. Dixi, per se, quia, si reducantur causa, vel demonstratio ad defectum erroris in persona, vel conditione seruili, vel consensu, vt duco te, quia es Maria, cum esset Ioanna, vel quia es libera, cum esset serua, vel quia putas, matrimonium cras esse dissoluendum, cum tamen sit perpetuum, tunc matrimonium non valet, tunc enim, licet non adderetur causa, esset nullum matrimonium, vt *Palud. ibidem, art. 1. conclus. 5. num. 9.* quod si demonstratio, vel causa ponantur per verbum futuri temporis, tunc dubium est, si enim ponantur per modum conditionis, loquendum, sicut de conditionibus, si per modum credulitatis, manent per modū causæ. Ita *Sot. in 4. distinct. 29. q. 1. art. 1.*

QVAEST. XXIIII.

Quid sit metus, & quotuplex?

1 SI rem ad amussim, & stricte consideremus, nullus noster consensus, quantumuis ab extrinseco ab altero cogamur ad illum, potest dici absolute, & simpliciter violentus, seu coactus attestante *D. Thom. tum vniuersa Theologorum Schola 1. 2. quæst. 6. art. 4.* cuius ratio est, quia, vt patet, *ex Arist. 3. Ethicorum, cap. 1.* violentum est, quod fit ab extrinseco passo non conferente vim, id est, non adiuuāte, vel operāte, & vt patet, *ex l. 1. ff. de eo, quod metus causa.* Vt cum manus infirmi ab aliquo forti mouentur contra suam voluntatem, sed consensus voluntatis, cum sit actus vitalis, qui necessario dimanat à potentia vitali, est ab intrinseco, scilicet, à voluntate, & neque de potētia Dei absoluta potest fieri sine concursu voluntatis, aut ab extrinseco, talis ergo cōsensus non est coactus, aut violentus, sed simpliciter, & absolute liber, & voluntarius. Vnde metus non infert vim, aut coactionem simpliciter, & absolute, sed tantum conditionalem, quæ vis conditionalis in hoc consistit. Secundum, *l. si mulier 21. §. si metus coactus, el secundo, ff. de eo, quod metus causa.* Quia scilicet, secluso metu voluntas nollet id, quod vult. Ita *D. Thom. in 4. distinct. 29. q. vni. art. 1. in corpore.*

2 Ad primā quæstionis partem accedendo sit conclusio metus secundum Iurisconsultum, *Vlp. l. 1. ff. de eo, quod metus causa*, est instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio.

3 Secunda conclusio, metus duplex est, alius cadens in virum constantem, alius in virum inconstantem. Ita *habetur, c. veniens el secundo de sponsalibus.* Quinque autem desiderātur, vt metus dicatur cadere in virum constantem. Primum est, vt malum, quod timetur, graue sit, ita patet, *ex l. metum, la primera, de eo, quod metus causa*, hoc autem malum, vt recte ponderauit, *Dominicus Sotus, in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 2. versic. 2.* per accidens, non sufficit, quod sit graue comparatiue ad aliud malū minus. Sic enim leue malum posset esse graue. Sed debet esse graue malum in se consideratum, & ex parte obiecti, quia iste impedit liberum consensum, propter quod iura concedunt rescisionem cōtractus, quando fit aliquid ex tali metu, vt patet, *ex l. continet. 3. ff. de eo, quod metus causa.* Vnde, quamuis eligatur maius malum, vt peccatum ad vitandum minus, vt ad vitandam mortem, tunc metus illatus grauis dicitur in se, licet ex parte subiecti non sit timor cadens in virum constantem, quia timens inconstanter agit, & culpam contrahit. Ita *Nauar. in sum. Latina, cap. 22. num. 51. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 47. art. 2. in fine, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 9.* & ita intelligendus est *D. Thom. in 4. distinct. 29. quæst. vn. art. 2. in corpore.* Secundum est, vt malum prudenter, & probabiliter timeatur, vt probatur ex *l. metum, la segunda, ff. de eo, quod metus causa*, ibi, *metum autem non vani hominis, sed, qui merito, aut quod adsit iusta, & probabilis metus suspicio, & ex l. nihil consensui, ff. quod falso tutore.* Tertiū est, vt minas tentans posit eas executioni mandare aliquando, vt si fortis, & armatus minetur debili, & inermi, *l. famosi, ff. ad l. Iul. maiestatis*, ibi, *nam & persona spectanda est, an potuerit facere.* Quartum est, vt minas intentans soleat eas exequi in eodem genere mali, vel alio ita atroci. Si enim facile minatur, & ira deposita nihil exequitur, minæ timendæ non sunt, vt cōstat, *ex l. famosi allegata.* Verbo, & ante quod fecit, quod si sit persona incognita timeri debent minæ, ne incaute in periculū quis incidat. Ita *Abbas, cap. 1. num. 3. de officio* dele-

delegati, *Felin. ibi, num.* 2. *Decius, num.* 11. *Enriquez lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 9. *num.* 3. *& alij multi.* Quintum est, quando non potest, qui timet, facile occurrere malis imminentibus, vel petito ab alio auxilio, vel consilio, &c. Ita sentiunt *Angel, verbo metus, num.* 5. *Sylvest. ibidem quæst.* 5. *& Sanchez tom.* 1. *de matrimonio lib.* 4. *disp.* 1.

4 Sextum requisitum ad talem timorem cadentem in virum constãtem est, talem metum considerandum esse respectiue, & ita metus, qui respectu vnius est cadens in virum constãtem, quia minus fortis, & robustus est, respectu alterius, qui est fortior, & robustior, non est talis. Ita tenent *Cardin. cap. cum dilectus, num.* 3. *de his, quæ vi, Felin. cap.* 2. *de iure iurando, num.* 3. *Sot. lib.* 7. *de iustit. quæst.* 2. *art.* 1. *ad secundum, vers. haud tamen hic pacabitur, & alij relati à Sanchez, dicto lib. disp.* 3. *num.* 2. Vnde minor metus, scilicet minor probabilitas eius, & minus malum requiritur in fœmina, quam in viro, vt cadat in personam constantem: Vnde cum textus *cap. consultationi, de sponsalibus,* dicit, matrimonium cuiusdam fœminæ esse irritum, quia metus eius erat cadens in virum constantem, hoc debet intelligi de metu, qui non est vanus, nec leuis, imò etiam respectu senis, vel pueri minor timor sufficiet, quam respectu viri fortis, quia prædictæ personæ propter suam fragilitatem minus possunt malis sese opponere.

QVAESTIO XXV.

Quæ mala sint sufficientia ad causandum metum cadentem in virum constantem?

1 IN hac ergo quæst. primo certum est, metũ mortis cadere in virum constantem. Ita habetur *c. cũ dilectus, de his quæ metu fiunt.* quia omnium terribilium finis est mors ex *Aristot.* 4. *Ethicor.* & idem est de metu mutilationis membri, quia est mors partialis, & de metu grauis cruciatus, vt habetur *cap. cum dilectus,* Secũdò certum est, metum armorum, id est hominis armati vndequaque, aliquid præcipientis cadere in virum constantem, vt patet *ex l.* 3. *in princip. vers. qui armati. ff. de vi, & vi armata.* Tertiò idem est certum de metu seruitutis ex *Lege puto. ff. de eo.* quod metus causa, & de metu captiuitatis. Quartò, idem est de timore grauis exilij. Ita *Enriquez lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 9. *num.* 4. Quintò, idem est de carceris metu *ex l. timore. de eo, quod metus causa,* quod intelligitur, quando carcer esset diuturnus, & cum vinculis atrocibus. Ita *Sanchez loco citato, disp.* 5. licet multi absolutè de quouis carcere

A loquantur. Sextò idem est de metu amissionis status, vt patet *ex l. isti quidem. ff. de eo, quod metus causa.* Septimò idem dicendum est de metu honoris amittẽdi. Ita habetur *l.* 7. *&* 33. *part.* 7. Octauò idem est de comminatione stupri in viro, vel fœmina, vt habetur *l. isti* 8. *ad finem ff. de eo, quod metus causa,* propter periculũ peccandi, in quo versatur etiam, qui vi cogitur. Vnde in quauis fœmina etiam inhonesta est grauis metus copulæ violentæ propter idem periculum. Nonò idem est de metu infamiæ iuris, & facti, cui non facile occurri possit, & ita videtur intelligendus *D. Thom. in* 4. *dist.* 30. *art.* 1. Ad tertium, dum ait sic, infamia, quamuis sit magnum damnum, tamen ei de facili occurri potest, & ideò non reputatur cadens inconB stantem virum metus infamiæ secundum iura. Decimò idem est de metu excommunicationis iniustæ, quia grauissima pœna est excommunicatio, & iniuriosa, & quia saltem in foro externo propter scandalum esset seruanda: imò etiam, licet excommunicatio esset nulla, propter eandem rationem, quando tamen esset iusta excommunicatio, propter aliquod delictum, non esset eius timor cadens in virum constantem, quia potest reus emendari, & sic eam fugere. Vndecimo idem est, si metus sit amissionis bonorum maioris partis, vel notabilis, siue sine illis viuere possit, siue nõ, & siue sit pauper, siue diues ille, à quo bona auferuntur, virum enim constantem hæc terrẽt. Ita *Bald. cap. verum, de iure iurand. in princ. Enri-* C *quez lib.* 11. *de Matrimonio cap.* 9. *num.* 4. *Aragon secunda secundæ, quæst.* 88. *art.* 3. *§. pro explicatione huius difficultatis.* Probatur *ex Hesiodo in illo carmine, pecunia est anima miseris mortalibus.* Duodecimo, idem est, cum quis per iniuriam arcetur à lucro, ad quod habebat ius, vt cum quis vi impeditur, ne se opponat beneficio, nisi aliquem contractum celebret, in quo casu loquitur *lex finalis, §. si fœnerator. ff. de eo, quod metus causa.*

2 Tandem dicendum est, in hac quæst. ad metum cadentem in virum constantem non solum sufficere, quod malum quis timeat in se, sed sufficere, quod illud timeat in filijs suis. Ita habetur *l. isti quidem* 8. *in fine. ff. de eo, quod metus causa,* vbi filij ponuntur loco exempli, D non quia in ijs solis debeatur timeri malum, nam vt patet ex ratione ibi adducta de affectu, quo patres filios prosequuntur, cum eadem ratione, & prosequantur consanguineos omnes vsque ad quartum gradum inclusiue, vt vnam carnem, & vt descendentes ab eadem stirpe, & sanguine, sufficit ad metum cadentẽ in constantem virum, si malum in consanguineis vsque ad quartum gradum timeatur. Ita videtur sentire *D. Thom. in* 4. *dist.* 29. *quæst. vnica art.* 2. *ad secundum, ibi, nec differt. Vtrum hæc pertineant ad personam propriam, vel vxoris, vel filio.*

filiorum, aut aliorum huiusmodi, *vt patet ex cap. quicunque de sententia excom. in 6.* Vbi textus excommunicat eos, qui offendunt ferentes cēsuras, in suis personis, vel suorum, vbi glos. per suos, consanguineos intelligit. Et probatur ex doctrina supra allata in materia sponsal. Vbi diximus, pœnam appositam alicui, si sponsalia non seruat, vel suis consanguineis, esse reijciēdam, vt impedientem libertatem, ergo metus cadit in virum constantem, siue malum sibi immineat, siue consanguineis, & idem est, si malum immineat alicui nobis amicissimo, quia amicus est alter ego, teste *D. August. lib. 4. confes. cap. 6.* illud autem de consanguineis ego sic intelligerem, si modo, quādo remoti essent, essent simul amici, vel causa esset communis omnibus cōsanguineis, vt infamiæ in genere. Et idem est dicendum de malo, quod imminet domesticis alicuius, quos ipse specialiter diligit, non generaliter. Ita *Francus. cap. vn. nu. 8. de his, quæ vi. in 6.* licèt *Sanch.* contradicat, *disp. 4. num. 10.* & idem est de metu cadente in virum constantem, quandò metus ineuitur affinibus ex copula licita prouenientibus, quia hos sicut consanguineos diligimus, non quando affines sunt ex copula illicita, hi enim neque diliguntur, neque cognoscuntur.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm metus reuerentialis cadat in virum constantem?

1 PRimo notandum est, metum reuerentialem esse eum, quem inferior habet erga superiorem, vt quem habet filius erga parentes, de eo ergo quæritur, an iste sufficiat ad annullandum matrimonium.

2 Secundo notandum est, eum metum, qui ratione solius metus est sufficiens, vt alij contractus veniant rescindendi, & annullandi, esse sufficientem ad annullandum matrimonium. Ita *Conar. 4. p. decret. 2. p. cap. 3. §. 6. num. 4. Ludouic. Lopez. 2. p. instructorij noui. mat. de matrim. cap. 4. fol. 107.* & ratio est, quia in matrimonio maior libertas requiritur, quam in alijs cōtractibus, cum sit res tanti momenti. Ex cuius libertatis defectu maxima possunt mala dimanare, metus ergo, qui alijs contractibus sufficientem ansam præbet, vt à iudice rescindantur, omnino nullū efficit matrimonium. Dixi notanter, quando metus ratione sui satis est, vt rescindantur contractus, quia si ex alio, cap. vt ex ratione doli adiuncti, alij contractus rescindantur, vt propter læsionem in maiore pretio medietate iusti pretij, tunc non potest propter hæc reddi nullum matrimonium, vt quando quis existimauit, se ducere vxorem ditissi-

A mam, & est pauperrima, solus ergo metus, qui ratione sui solius est causa, vt alij contractus veniant rescindendi, efficit nullum matrimoniū. Quærimus ergo, an talis sit metus reuerētialis, & ex dicendis de matrimonio constabit, quid sit de alijs contractibus dicendum, & è contra.

In qua quæst. variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima asserit, metum solius partis esse cadentem in virum constantem, non autem metum aliorum, & ita hunc solum rescindere contractus. Ita *Barbati. consil. 6. à num. 1. vsque ad 4. volum. 1.* 3

Secunda sententia asserit, contractum initū metu reuerentiali cum eo, cui debetur reuerentia, rescindi in eius pœnam, non autem cū alio initum. Ita *Bald. l. fideiuss. la secunda §. Seij. ad finem, ff. de pignoribus.* 4

B Tertia sententia asserit, solum metum reuerentialem esse sufficientem ad rescindendos alios contractus, & consequenter ad annullandum matrimonium. Probatur primo, quia ad omnes contractus requiritur consensus, sed qui metu reuerentiali procedit, non habet cōsensum, nec velle, *ex reg. velle. 4. ff. de reg. iuris illis verbis, velle non creditur, qui obsequitur imperio patris: ergo.* Secundo probatur, *ex l. 1. §. quæ bono cauendæ, ff. quarum rerum actio*, vbi dicitur, *actum rescindi, si constet, metu, vel nimia reuerentia esse factum.* Tertio probatur, quia si solus metus reuerentialis sine minis non sufficeret ad irritandos contractus, ergo non esset differentia inter metum respectu eius, cui debetur reuerentia, & inter metum respectu alterius extranei; quod omnino falsum videtur. Ita *tenent glos. cap. vnusquisque verbo saltantium, in fine 22. quæst. 4. Nauar. lib. 4. consil. 1. edit. tit. de sponsalibus, consil. 36. num. 4. in 2. lib. 1. tit. de his, quæ vi. cons. 10. num. 4. & alij.* 5

C His tamen non obstantibus sit cōclusio. Solus metus reuerentialis non sufficit ad annullādum matrimonium, nisi minæ graues aliquod graue damnum comminantes simul cum isto metu coniungantur. Ita sentiunt, *Inn. cap. causam matrimonij, num. 1. in fine de officio delegati. Ioan. Andr. nu. 3. Bart. l. ad inuidiam in fine, C. de his, quæ vi. Sot. in 4. distinct. 29. quæst. 1. ar. 2. verf. huiusmodi autem metum.* Et alij innumeri. 6

D Probatur primo, *ex cap. 2. de pactis, ibi, quamuis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, vt dote cōtenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex ciuilis, si tamen iuramento, non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino seruari debebit.* Secundo probatur, quia ita perfecta libertas requiritur ad matrimonium, atque ad professionem, sed metus reuerentialis non sufficit solus ad annullandā professionem, vt patet *ex cap. fili, qui clerici, vel vouentes*, ergo neque ad annullandum matrimonium. Tertio probatur, *ex l. fideiussor impetrauit,*

tranit. 26. §. pater Seij. ff. de pignoribus, vbi dicitur filium patris suasione domum suam obligantem non posse contractum retractare. Et reddit rationem, quæ potissima est in hac conclus. nec metuere debebat, ex hoc solo, quod mandante patre manu sua præscripsit instrumentum. Vltimo probatur, quia vt patet ex his verbis vltimis, timor iste reuerentialis non multum terrere debet, neque est cadens in virum constantem. Vnde siue filius taceat in matrimonio patre pro eo contrahente, siue non, si reuera consentit, licet consentiat ob metum reuerentialem, valet matrimonium. Ita *Abb. cap. nunc. de præsumpt. num. 1. in fine. Fel. ibidem, n. 22.* licet, quando matrimonium esset præiudiciale, vt quia duceret ignobilem filius nobilis, in foro externo non præsumeretur matrimonium. Ita *Barbosa, l. 2. §. fili. num. 9. ff. soluto matrimonio.* Solum autem iste timor esset cadens in virum constantem in eo casu, quo pater austerus esset, & crudelis erga filios, qui ob inobedientiam, primo vel minas solet tentare, vel verbera, &c. Vel set undo toruum, & iracundum vultum per longum tempus ostendere: quodlibet enim horum sufficit, primum defendit *Abb. cap. cum virum, num. 8. de regularibus. Secundum significanit Bald. cap. 1. §. iniuria, col. penultima de pace firmanda.*

7 Ad argumenta opposita respondetur, ad primum, illum textum esse intelligendum ita, quod filius procedens ex reuerentia patris nõ omnino libere procedit, non vero, quod procedat metu cadente in virum constantem. Ad secundum respondetur illum textum esse intelligendum de reuerentia simul cum minis, vt patet ex illo verbo, minia reuerētia. Ad tertium respondetur in eo casu concludi, minorea minas sufficere, in patre respectu filij simul cũ timore reuerentiali, quam in alia persona extranea, cum qua non coniungitur talis metus; tunc enim maxime præponderat metus reuerentialis.

8 Quæres tamen, in quibus personis reperiatur metus reuerentialis? Et respondetur primo reperiri in ijs personis, quæ iure aliquo alijs sunt subditæ; vt in clerico respectu Episcopi, in sæculari respectu magistratus, in filio respectu patris, & matris, in vxore respectu viri. Secundo idem timor debetur socero, quia iste parentis locum habet, vt habetur, *l. quia parentis 17. ff. soluto matrim.* Tertio idem timor debetur auo, quia habet locum patris. Quarto idem est respectu proaui, & aliorum ascendentium in proximis gradibus. Quinto idem timor debetur à pupillo curatori, & à minore tutori. Sexto idem timor debetur à sorore respectu filij maioris, quando cum eo habitat, & ab eo gubernatur. Ita *Peralta, l. Titia, cum testamento, §. qui in vita, num. 1. ff. de legatis secundo.* Septimo idem timor debetur à fratre minore respectu maioris, à quo gubernatur, & in cuius domo est. Ita *Gutier. consil. 16. num. 17.* Octauo idem timor reuerentialis debetur à nepte, vel nepote ex fratre patris, vel fratre matris respectu eorum, *que tios de parte de padre, y tios de parte de madre*, dicuntur. Ita *Ant. Cucus, lib. 5. inst. maior. tit. 12. num. 148. Gutier. num. 17. cõsil. 16.* & idem videtur dicendũ respectu eorũ, quæ dicũtur *tias de parte de padre, ò, de madre*, quãuis respectu fœminarũ harũ non ita facile adsit timor iste: Hęc autẽ pars intelligitur, quãdo in eorum domo remanēt, & sub eius gubernaculo; cuius ratio est, quia prædictæ personæ habentur loco parentum respectu earũ, à quibus debetur iste timor.

QVÆST. XXVII.

An preces importuna sola incutiant metum cadentem in virum constantem?

IN hac quæst. notandum est, preces importunas eas esse, quando contingit petitio aliqua sæpe repetita, & inculcata.

Præterea supponendum est, quando preces non sunt importunæ, non incutere eas metũ cadentem in virum cõstantem, etiamsi sint alicuius maguatis, vel superioris, qui non solet grauiter irasci contra eos, qui sibi nõ obediũt. Ita tenent communiter Doctores *Nauar. in sum. cap. 17. num. 46. Armil. verbo coactio, nu. 2. Sot. in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 2. vers. huiusmodi autem metum.* Probatur; quia earũ personarum preces non eam vim habent, vt debeant cogere virum constantem ad aliquid faciendum, quod alias non esset facturus, & idẽ dicendum propter eandem rationem de blanditijs harum personarum, quibus inferiores vtuntur. 1

Prima sententia asserit, solas preces importunas incutere metum cadentem in constantẽ virum. Probatur primo ex Iudic. 16. vbi scriptura de Sansone cõmemorat detexisse suã fortitudinem coactum; coactio tamen solum nata est ex importunis precibus suæ vxoris. Dicitur enim *in edit. vulgata de vxore. Cumque molestaret ei, & in edit. Vatabli, num. 34. dicitur. Cũ coarctaret, & pene cogeret.* Secundo probatur ex *Extrauag. execrabilis, Ioan. 22. de præbendis*, illis verbis, *improbitas importuna petentium à nobis, & prædecessoribus nostris non tam obtinuisse, quã extorsisse plerumque noscitur.* Vbi importunæ preces vim facere dicuntur. Tertio probatur, ex *l. vn. C. de rapta virginum ad finem, & ex l. cũ 5. C. de Apostatis, & ex l. 1. §. qui bona fide. verbo persuadere, ff. de seruo corrup.* In quibus textibus solicitatio, & persuasio, quæ sunt quædã importunæ precea, vim facere dicuntur Vltimo 2

mo probatur, quia preces importunæ magis vexant hominē prudentem, quam minæ, sed minæ causant metum cadentem in virum constanrem, ergo & preces importunæ. Hanc partem defendunt *Glas. cap. si quanda dr rescripeit. Azeuedo, lib. 5. Recopil. l. 13. num. 2.* & alij multi Doctores relati à *Sanch. tom. 1. de matrim. disput. 7. lib. 4. dr consensu raacto, num. 4.*

3 Secunda sententia asserit, preces importunas etiam metui reuerentiali adiunctas nō causare metum cadentem in virum cōstantem. Ita tenent *Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 5. Ludonic. Loprz 2. p. Instructorij de matrimonia, cap. 40. fol. 1072.*

4 Verior tamen sententia est, preces importunas simul cum metu reuerentiali, vt si adhibeātur ab ijs, quibus reuerentia debetur, esse sufficientes ad causandum metum cadentem in cōstantem virum. Ita sentiunt *Iason, rans. 133. nu. 18. volum. 4. Mascard. de prabat. concl. 193. nu. 9. Gutier. lib. 1. quæst. Canonic. cap. 37. num. 17.* & in proprijs terminis *Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 3. §. 6.* Probatur primo, *ex cap. petitio, dr iur. iur.* vbi dicitur, iuramentum, quod Princeps Antioch. extorsit, non esse seruandum. Vbi est sermo de iuramento contra bonos mores, de non defendēdis iuribus Ecclesiæ, vbi *Ioan. Ande. num. 2. verba rxtorsit,* ait, scilicet precibus importunis, vel metu cadente in constantem virum, vbi hæc duo æquiparantur. Secundo probatur, *ex l. fideius. 26. §. probatur Seij, ff. de pignor.* Illis verbis. *Pater Seij filio rmancipato facile persuasit,* vbi ad hoc, vt actus esset voluntarius ponderatur, fuisse facilem persuasionē patris. Si ergo fuisset importuna, nō esset actus voluntarius. Et probatur ratione, quia importunæ preces ex vna parte valde opprimūt homines, & ex altera parte reuerentia debita petenti valde timidos eos reddit ad contradicendum, ergo vtrumque coniunctum quemlibet etiam virum constantem cogit vehementer.

5 Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad primum respondetur, ex illo loco scripturæ solum probari, preces importunas causare quoddam coactionis genus, non vero metum cadentem in virum constantem. Et similiter respondetur ad illam Extrauag. adductam in secundo argumento. Ad tertium respondetur, omnes eos textus loqui de persuasione dolosa, quam ius præsumit, esse in illis suasionibus. Ad vltimum respondetur, illas preces minus mouere, quam graues minas.

A

QVÆST. XXVIII.

An metus ille irritet matrimonium, qui cadit in constantem virum, & iniuste incutitur?

IN hac quæst. supponendum est primo circa alios contractus distinctos à matrimonio, an sint ipso iure nulli ex metu graui, vel annullandi; duas esse & probabiles hinc inde rationibus, & textibus, & authoritate Doctorum pugnātes inter se sententias, quas, quia ad nos modo non attinet late examinare, quia solū de matrimonio disputamus, poterit quis 1

B videre apud *Sanch. tom. 1. lib. 4. disp. 8.* Verior tamen sententia est illa, quæ asserit, alios contractus (præter eos, quos adducit, *Glos. ca. 2. de his, quæ vi. verba. coactus, qui metu facti sunt irriti*) metu cadente in virum constantem factoá valere quidem in se, esse tamen per iudicem rescindendos. Ita *Glos. cap. vn.* de his, quæ vi. *in 6. Abb. cap. romlorum, num. 7. de sponsal. Nauar, in sum. c. 22. n. 50. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 9. nu 4. Petr. de Ledes. de matrim. q. 47. a. 3. dub. 1. solut. ad 3. & 4.* Et alij. Probatur primo, *ex l. 56. tit. 5. p. 5. ibi, por mieda, ò por fuerça comprando, ò vendiendo deue valer, antes dezimos, que deue ser deshecha la compra, & ex l. si mulier 21. §. si metu coactus, vel segundo, ff. dr eo, quod metus causa.* Illis verbis, *si metu coactus adiui hæreditatem,*

C *puta, me hæredem effeci,* & *ex Instituta de excepr. ibi, si metu coactus Titio stipulanti promisisti, quod non debueras promittere. palam est, Iure Ciuili te obligatū esse.* Et probatur, quia alij cōtractus, vt locationis, & venditionis non sunt inualidi iure naturæ, quinimo validi, quia, licet fiant voluntate coacta, voluntas tamen coacta voluntas est, & libera dicitur, & absolute fieri, quod cum illa fit. Neque sunt inualidi iure positiuo, ergo valent isti contractus; in eo tamen casu contractus rescindendi sunt, quo metus iniuste iocutiatur, vt pater *ex l. continet. 3. §. sed vim. ff. de eo, quod metus causa.* Et ratio est, quia datur rescisio in his cōtractibus propter iniuriam factam ei, qui passus est metum, quando autem metus fuit iustus, nulla fuit illata iniu-

D ria. Ita *Bart. l. qui in carcerem, num. 1. ff. de eo, quod metus causa, & Bald. ibi. in prin.*

Secundo notandum est, licet alij sentiant oppositum, qui facile possunt apud *Sanch. videri, lib. 4. de matrimonio, tom. 1. disp. 9. & 10.* Ad contractum obseruandum initum metu leui non esse obligatum quempiam in cōscientia, quin potius accipientem aliquid hoc modo teneri ad restitutionem, *Syluest. verbo, metus, quæst. fin. Sot. in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 3. versic. biut erga primum argumentum, Nauar. in sum. ca. 17. num. 5. & 15.* Et probatur primo, quia, licet 2

ius

Ius nō det in foro externo vires ad rescíudēdos hos cōtractus, ne lites quotidie cōmercia humana impediant, vt non dat eas in læsione intra medietatem iusti precij, non tameu approbat actionē, vt bonā. Secundo probatur, quia, qui cū metu leui alterius accipit rem ab eo, accipit illā à renitente, ergo iniustitiæ reus est. Vnde extorta metu reuerentiali tali, quibus quis omnino repugnāti volūtate, & quasi coactus consentiat non audens præ pudore, & reuereutia contradicere quāuis nullū aliud malū timeat, vt bene explicuit *Sanch. loco citato, disp. 9. nu. 12.* obuoxia sunt restitutioni iu foro couscientiæ, quia saltē causant metū leuē. Ita *Angel. verbo metus, n. 15. Syluest. ibi. q. fin. Nauar. in Sum. c. 17. n. 152.* Imo, qui precibus importunis aliquid obtinet, tenetur illud restituere, quia causant metū leuē, vt cū quis rem illā dedit omnino repugnanti voluntate, & quasi coactus, vt vehementē importunitatem vitet. Ita *Syluest. restitutio. 2. vers. 9. Ludouic. Lopez 1. p. Instructorij, c. 96. §.* At quamuis quāuis id, quod blanditijs extrahitur, non sit restitutioni obnoxiū, quia non datur inuoluntarie, sed volūtarie. Nihil enim magis voluntarie fit, quam quod amore fit, *teste D. Tho. 1. 2. q. 6. a. 7.*

3 Pro quæst. resolutione uotandū est, duplicē esse metum, quidā enim est incussus ab intrinseco, & sic dicitur omnis ille, qui incutitur per modū naturæ, idest non per causam liberam creatam, vt bene docuit *Sot. in 4. dist. 29. q. 1. a. 3. vers.* Hinc primo colligitur, vt metus proueniens à morbo, tēpestate, feris animalibus, &c. Alius vero est metus ab extrinseco, vt ille, qui prouenit à causa libera, vt dū quis timet mortē à latronibus inferendam. Deinde metus & potest incuti iuste, vt cum quis minatur alicui iustā delicti accusationē; & iniuste, vt cum latro vult aliquē occidere ad diripienda bona. Loquimur ergo modo de metu incusso à causa libera iniuste ad extorquendum matrimonium, an eū iste cadit in virum constantem, reddat nullum matrimonium?

4 In qua quæst. *Card. c. 2. de his, quæ vi. q. 1.* ait matrimonium hoc metu celebratum non esse ipso iure nullū, sed esse annullandum. Probatur primo *ex c. consultationi, de sponsal.* Vbi fœmina metum passa dicitur esse audienda in iudicio, ergo vt matrimonium alias validum irritetur. Secundo probarur, quia alij contractus per metum facti validi sunt, ergo & matrimonium. Tertio quia alia sacramenta metu suscepta, vt baptismus, confirmatio, &c. Valent, ergo & matrimonium.

5 Secunda sententia asserit, matrimoniū hoc metu celebratum, si adsit consensus, esse in foro interno validum, non vero in externo ita iudicari, quia non præsumitur consensus.

6 Aliqui Doctores relati à *Sanch. dicto lib. 4. disp. 17.* sentiūt saltem in foro conscientiæ esse A nullum matrimonium initum metu leui, nitentes primo, quod ius constituens differentiam inter metum grauem, & leuem fundatur in falsa præsumptione, quia credit solū metum grauē esse causam contractus, ergo non est seruandū in conscientia. Secūdo, quia alij contractus metu leui initi rescindūtur in conscientia, ergo matrimoniū irritū erit; sed certum est primo valere matrimoniū hoc metu iuitum. Ita *D. Tho. in 4. dist. 29. q. vn. ar. 3. quæstiuncula 1. in corpore, & D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 7. ad finem.* Et cōmunis sententia. Probatur primo, quia professio religionis, & matrimoniū eodem metu nulla iudicantur, sed professio non redditur nulla metu leui, *vt patet ex c. penult. de his, quæ vi. & c. 1. eodem tit.* Ergo neque etiam matrimo- B nium redditur nullum ex metu leui. Secundo probatur, quia irritatio matrimonij est ex Ecclesiæ statuto, quæ tantū subuenit patienti metū grauē, eo quod fecit, quod debuit eligendo minus malum, vt verbi gratia matrimonium, antequam mortem pateretur acerbam, non autem subuenit in metu leui, quia leuiter quis propter illū eligit matrimoniū. Ad primū argumentū respondetur, negando fundari in falsa præsumptione Ecclesiā, sed potius æquitate moram subuenisse fortiter agenti, non leuiter procedenti. Ad secundū respondetur, contractus iuitos metu leui rescindendos esse, quia ibi reperitur iniustitia, & quia sunt contractus minoris momenti: at matrimonium non irritatur initum metu leui propter rationes dictas, C & quia cum sit contractus leuis momenti, non est ex leui causa rescindendus.

Secundo ergo certum est in hac quæst. me- 7
tū etiam grauē incussum ab intrinseco nō irritare matrimonium, patet, quia, cum incutiatur à causa naturali, & non libere procedente, non incutitur propter finem extorquendi matrimonium, sed ab intrinseco quis, & à se ipso, vt euitet tale malum, eligit tunc matrimonium, vnde satis voluntarium est illud.

Sit tertio certum. Metus incussus à causa li- 8
bera, non tamen ob finem extorquendi matrimonium, etiamsi sit grauissimus, non reddit nullum matrimonium. Probatur, quia tunc nō impellitur homo ab alio ad matrimonium, sed tunc libere eligit illud, quamuis occasionem D accipiat ex malitia alterius. Etsi aliquid inuoluntarium inuenitur in eo matrimonio, hoc nō est intentum ab incutiente metum. Vnde quasi in eius odium non debet matrimonium irritari: tum, quia, *vt patet ex c. sicut nobis de regularibus.* Votum factum à morbo laboranti metu mortis valet, ergo & matrimonium valet eodē modo factum. Tum etiā, quia matrimonia hoc metu celebrata nō tam infelices exitus habēt, ac si fierent cum metu ad matrimonium tendēte, quia plus in eis relucet ratio voluntarij, quam in alijs.

9 Hinc infertur. Primò matrimoniũ factũ cũ concubina metu præsentaneæ mortis esse validũ, vel metu gehennæ, vel ferarũ. Ita *Sot. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. vers. hinc 1. colligitur*. Cũ alijs multis. Secundo infertur, matrimonium contractum ab intruso in carcerem, si non sit ob matrimonium intrusus, esse validum. Ita *Gutier. de iuramento 1. p. c. 57. n. 4. & 5.* Tertio infertur, matrimoniũ contractũ ab eo, qui captiuus est inter infideles, dũmodo non detineatur captiuus propter matrimoniũ, esse validũ. Ita *Sanch. lib. 4. t. 1. disp. 12. num. 7.* Quarto valet matrimoniũ ad mortem damnati iuste, dum, vt euadat illã, ducit meretricem. Ita *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6. n. 5.* Aut, cum princeps offert ei indemnitatem, si aliquam fœminã ducat; quia tunc non incutitur metus ob matrimonium, sed iam illo iuste illato datur euadẽdi modus, quod longe diuersum est, & longe diuersum inuoluntarium causat, ac quando incutitur metus ad extorquendũ matrimonium. Ita *Couar. in 4. decretalium 2. p. c. 3. §. 4. n. 15.* Si vero metus ob aliũ finem illatus, iniuste incutiatur, siue iuste, si quis ad euadendũ malum eligit matrimonium, quia alter distinctus ab incutiente offert ei hunc modũ euadendi, valet matrimonium, vnde metus non inijcitur ad extorquendum matrimoniũ, sed iam conceptus, & aliàs tolerãdus aufertur per matrimoniũ, & ita impertineos est, quod metus sit conceptus ex causa iusta, necne, quia enim matrimonium hoc modo non est contrariũ bono communi, ac si ad matrimonium extorquendũ inferretur metus, ideo non est irritatũ à iure. Vnde quinto infertur, valere matrimonium, quando damnato ad mortem propter homicidium condonatur vita, dummodo ducat filiam occisi. Ita *Manuel 2. tom. sum. cap. 8. num. 10.* Sexto infertur, valere matrimonium, si princeps obsessus offerat matrimoniũ obsidenti ad conciliandam amicitiam, dummodo obsessio ad matrimoniũ non sit ordinata. Ita *Petr. de Ledes. de matrimonio, quæst. 47. art. 3. dub. 1. conclus. 4.* Septimo infertur, valere matrimonium eius, quem parentes alicuius puellæ cum eo turpiter inuenerũt, & quem ad vitandam suam infamiam volunt occidere, si ille à nemine obligatus ad matrimonium illud offerat. Ita *Enriq. cum alijs, lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 2.* Octauo infertur, valere matrimonium morbo graui laborantis cũ filia medici, cui medicus non vult mederi, nisi filiam suam ducat. Ita *Sot. loco citato*, quod totum verum est propter rationes supra adductas, & quia his modis non datur occasio extorquendi matrimonium, sicut datur, cum iniuste metu extorquetur matrimonium.

10 Sit cõclusio. Matrimonium celebratũ propter metum cadentem in virum constantem iniuste incussum, ab extrinseco, & ad finẽ extorquendi matrimonium, neque in foro exter-A no, neque interno valet. Ita *Sot. loco citato, versic. refutatur tamen Scot. in 4. distinct. 29. quæst. vnic. §. hic dicitur, Sylvest. matrimonium 8. q. 11. dicto 3. Nauar. in sum. cap. 22. num. 51. ad finem*, & alij multi. Probatur primo, *ex cap. veniens, el segundo de sponsal.* Vbi aperte dicitur, metum cadentem in virum constantem irritare matrimonium, & sermo est de metu iniusto, vt, cum pater volebat occidere inuentum turpiter cũ filia, quod non licet secundum Canones, etiãsi liceat secundum leges. Ita *Hostiens. cap. veniẽs ad finem in prima solutione*, & alij, & idem constat ex cap. significauit, de eo, qui duxit in matrimonium. Et quidem licet in dictis textibus supponatur tale matrimonium esse iam irritũ, & non appareat aliquis textus in quo de noB uo ab Ecclesia id matrimonium annulletur, tamen constans sententia defendit, eam irritationem ab Ecclesia medio scripto, vel traditione dimanare. Secundo probatur, quia Ecclesia semper præsumit pro meliori parte, *cap. estote de regulis iuris*. Ergo in prædictis textibus non sentit, contrahentes mentiri, & non habere cõsensus, sed eos habere, non tamen esse legitimos. Et confirmatur, quia Ecclesia in suo tribunali absoluit à matrimonio eum, qui confitetur se habuisse consensum coactum, ergo nõ valet etiam in foro conscientiæ, quia non fundatur in falsa præsumptione tunc forus externus, quare vterque forus tunc eadem mensura regulandus est. Tertio probatur, quia talis irritatio matrimonij initi metu cadente in virum C constantem fuit necessaria, quia matrimonia vi celebrata prauos exitus habent, facile enim separantur coniuges inter se ob inimicitias, & ita non procuratur proles, neque habita bene educatur. Et facile coniuges concubinatum appetunt, & in alia mala prolabuntur.

Ex his patet ad argumenta opposita. Ad primum respondetur, illam fœminam esse audiendam, vt declaretur nullum fuisse matrimoniũ. 11
Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem de alijs contractibus, & de matrimonio, quia alij contractus semel validi possunt rescindi, at matrimonium, si est consummatũ, nequit rescindi, etsi tantum est ratum, solum potest professione religionis, aut dispensatione Papæ rescindi. Ad secundum responde-D tur, Ecclesiam non posse irritare alia sacramenta consensu suscepta, quia non sunt contractus, at vero matrimonium, quia contractus est, potest irritare.

QVAE-

QVÆST. XXIX.

Utrùm metus cadens in virum constantem iuste illatus ad extorquendum matrimonium irritet illud?

1 PRima sententia asserit, minime valere matrimonium etiam hoc metu iusto initum. Ita docent *Glos. cap. veniens, el secūdo de sponsalibus, Abbas, c. requisiuit, n. 2. de sponsal. ibi. Alex. de Neuo, n. 2.* Et alij multi. Probatur primo, *ex c. quia diuersitatem de concessione præbendæ,* in illis verbis, *si fuerit sua culpa suspēsus,* vbi *glos. verbo suspensus,* sic ait, *licet sua culpa inciderit in excommunicationem, non imputari ei, quod ex sua culpa processit.* Ergo, licet quis sua culpa det causam metui cadenti in virum constantem, propter hoc tamen metus nō desinet annullare matrimonium. Secundo probatur Nullus priuata authoritate potest sua accusatione, quāuis alias iusta, cogere aliquē ad matrimonium, ergo ille metus, quo quis comminatur alicui iustam accusationem, nisi matrimonium ineat, iniustus est, & ita iuxta adducta in præcedenti, quæst. matrimonium annullat. Tertio probatur, quia metus cadens in virum constantem siue iuste, siue iniuste illatus tollit plenam consensus libertatem ad matrimonium requisitam, & parere potest exitus satis infelices, ergo irritat matrimonium semper.

2 Secunda sententia asserit, valere matrimonium metu initum, quando metus incutitur à iudice, & in lege est assignatus ad extorquendum matrimonium, non autem valere, quando metus non est à lege assignatus. Ita tenent *Medina. C. de restitutione, q. 3. causa 2. vers. si fiat remissio, Manuel. 1. tom. sum. in 2. edit. c. 231. num. 5.* Quæ sententia in quantum nititur contra nos probatur rationibus primæ sententiæ.

3 Sit prima cōclusio in hac quæst. Metus etiā cadens in virum constantem, si iuste infertur etiam ad extorquendum matrimonium, minime irritum reddit matrimonium, vt si quis latroni furanti bona sua comminetur accusationem apud iudicem, nisi certam quandam fœminam ducat, etiamsi latro propter metum hunc eam ducat, valet matrimonium. Ita *Conu. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 4. num. 12. Card. cap. veniens, el secundo num. 2. de sponsal. Gofred in sum. tit. de bit, quæ vi, num. 3. in 1. solut.* Et alij multi. Probatur primo *ex l. si mulier 21. in prin. ff. de eo, quod metus causa,* illis verbis, *si mulier contra patronum suum ingrata facta sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc sibi metū ipsa infert.* In quibus vltimis verbis patet, eo ipso, quod quis A delictū cōmisit, concipere à se ipso timorem, sed timor ab intrinseco nō facit irritū matrimonium, ergo neq; iste metus. Secundo probatur, quia idē metus sufficit ad annullandū matrimonium, atque ad annullandā professionē, sed vt cōstat ex *c. de regularibus de simonia.* Monachus ob simoniam detrudendus est in arctius monasteriū, & debet ibi profiteri, vt docet *Sanch. t. 1. lib. 4. de matrim. disp. 13. n. 3.* Qui quidem metus est cadēs in virum constantem, & iustus, ergo idem metus non annullabit matrimonium. Et probatur à priori, quia dum quis iuste infert alicui metum ob aliquod delictum; vt, te accusabo propter furtum, nisi matrimonium contrahas, tunc metus ille magis oritur ex natura delicti, & ab intrinseco, quia intra illud est B iusta causa timendi, quam ab extrinseco, ergo, qui comminatur malum illi, nisi matrimonium ineat, non censetur metum inferre, sed potius metum iam conceptum auferre, offerēdo, tanquam medium ad euadendum malum, matrimonium.

Ex his patet ad argumēta opposita. Ad primum respondetur, quod ex eo talis metus non annullat matrimonium, quia vere non est metus incussus ad illud extorquendū. Sed metus ex delicto conceptus aufertur, exigendo tanquam pretium matrimonium pro iure, quod habet accusandi, quod est pretio æstimabile. Ad secundum respondetur eodem modo. Ad tertium respondetur metū non ideo solū annullare matrimonium, quia tollit libertatem, C sed quia eā tollit iniuste, & iniuriose, & annullari quasi in pœnam metum incutientis. Præterea respondetur, non iā infelices exitus sperari ex isto metu iusto, quia facile quiescit animus ex metu contrahentis matrimonium, dū videt, se causam dedisse metui, & vi. 4

Quæres primo, an matrimonium metu extortū sit irritū iure naturæ, vel solo iure Ecclesiastico? Ad hoc respondetur esse irritum solo iure Ecclesiastico. Ita *Dur. in 4. distinct. 29. q. 2. nu. 6. Sot. ibi, quæst. 1. art. 3. versic. qui ergo hanc opinionem, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 1. & 3. Syluest. matrimonium 8. quæst. 11. dicto. 3.* & alij. Probatur primo, quia, si iure naturæ esset irritum matrimonium metu iniusto extortum, aut hoc esset propter iniuriam illatam D metum patienti, & hoc non, quis etiam in metu leui fit iniuria, & tamen non redditur nullū matrimonium: vel esset propter defectum plenæ libertatis, & hoc non, quia etiam in metu iuste incusso à causa libera, vel naturali deficit hæc libertas. Ergo solo iure Ecclesiastico prædictus metus irritat matrimonium. Secundo probatur, quia voluntas metu graui coacta in suscipiente sufficit ad valorem baptismi, vt patet *ex cap. maiores de baptismo.* Ergo etiam sufficeret, nisi Ecclesia oppositum statuisset, ad valorem matrimonij. 5

6 Pro contraria tamen sententia etiam probabilit obstant aliqua. Primum est, quia Ecclesia, cap cum locum, & cap. veniens, el secundo de sponf. & alibi, vbi loquitur de matrimonio metu contracto, non irritat matrimonia, sed supponit, ea irrita esse iure naturæ. Respond. non inueniri primum decretrum, in quo hoc fit statutum ab Ecclesia, sed ab ea id supponi in dictis textibus, haberi tamen hoc ex traditione Ecclesiæ, ita esse statutum ob bonum cõmune, & vt infelices exitus matrimonij euitentur. Secundum argumentum est, quia non est conueniens bono matrimonij, & bono prolis matrimonium metu celebratũ, ergo iure naturæ irritatur. Ad hoc respondetur non esse ita conueniens, ac oppositum, & ita oportuit, Ecclesiam illud irritasse; non tamen est omnino disconueniens, siquidem est simpliciter voluntariũ. Tertium argumentum est, quia conditio contra bona matrimonij illud irritat iure naturæ, ergo & coactio. Adhoc respond. illam conditionem destruere essentiam, non tamen coactionem. Quia relinquit simpliciter voluntatem liberam.

7 Quæres secundo, an peccet ille, qui ex metu contrahit matrimoniũ. Et respond. quod si profert exterius verba consensus, & illum nõ habet, mentitur, non tamen in re graui, quia non decipit alterum in re graui, cum matrimonium etiam vere consentiendo non possit esse validum, neque facit iniuriam sacramento, quia sacramentum hoc de se est nullum metu confectum. Quod si vere cõsentit, nihil peccat, quia quantum est de se facit matrimoniũ, nisi ab Ecclesia esset irritatum, neque etiam in hoc casu facit iniuriam sacramento, quia verba metu illo prolata non sunt materia, neque forma sacramenti ex statuto Ecclesiæ. Vnde ipse non irritat sacramentum, neque ad irritationem facit aliquid.

QVAEST. XXX.

An ille, qui omnino libere contraxit matrimonium cum altero metum passo, maneat ad aliquid obligatus, quando fuit causa metus alteri illati?

1 QVIDAM dicunt, teneri ad expectandum congruo tempore, an alter metum passus postea constitutus in libertate velit cum illo contrahere, & hoc ratione iniuriæ, quam ei intulit. Ita *Syluest. matrimonium 8. q. 11. dicto 4. Turrecrem. 31. q. 2. in sum.* & alij. Probatur primo, quia ex aparte cogentis consensus est absolutus, & sufficiens ad eum obligandũ, ergo eum obligat altero non obligato. Et cõfirmatur, quia si emptor cogatur aliquid emere, potest petere rescissionẽ contractus, & cã non potest petere venditor cogens, quia manet obligatus ad eum, ergo idem est in nostro casu.

Sit tamen prima conclus. Ille, qui metum intulit in prædicto matrimonio, non tenetur in foro conscientiæ illud perficere matrimoniũ, donec à iudice condemnetur, si illud damnũ non est sequuturum. Ita in alio simili casu, cùm serua contraxit cum libero eum decipiẽdo, & dicendo se esse seruam. Docet *Sot. in 4. dist. 31. q. vn. a. 2. §. postremum dubium est. Bart. à Ledes. dub. 31. de matrim. concl. 3. ad finem.* Probatur primo, quia contractus iste est onerosus, & ex vtraque parte debet esse obligatorius, sed ex parte coacti non manet aliqua obligatio, ergo neque ex parte cogẽtis. Neque valet, quod ratione iniuriæ illatæ coacto non potest à contractu cogens resilire, nam cõtra est, quod si nullum aliud damnũ sequitur in honore, aut alia re iniuria est leuis, & quæ potest, alio modo, quã per matrimoniũ resarciri. Neq; ad hoc tenetur cogens ratione delicti coactionis, quia nullus tenetur, hanc pœnã sibi imponere, sed eam imponere ad iudicẽ attinet. Et confirmatur, quia in hoc matrimonio coacto non habuit animum cogens se obligandi, nisi coactus se etiam obligaret, sed coactus non mansit obligatus, ergo neque cogens.

Secunda conclusio Iudex potest, cogentem cõpellere ad perficiendũ matrimoniũ, si coactus positus in libertate id velit. Probatur, quia ratione delicti adhoc videtur posse obligari. Talẽ tamen coactionẽ iudex prudenter debet tentare, ne prauos exitus sortiatur matrimoniũ. Ad argumẽta respondetur, ad primum in contractibus gratuitis bene posse vnam partẽ obligari altera sine obligatione manente, vt vidimus in materia de sponsal. non vero in cõtractibus onerosis, qualis est hic matrimonij. Ad secundum respondetur, in alijs contractibus, vt in adducto in eo argumẽto, veram esse eam doctrinam, quia contractus valet, at vero matrimonium nõ valet, & ita neque vna pars, neque altera manet obligata.

QVAEST. XXXI.

An matrimonium metu viri constantis initum validum efficiatur per copulam subsequutam animo maritali?

VT hic certa ab incertis separemus. 4
Primo supponendum est, validum effici matrimonium metu graui initum, quando & metum passus, sublato metu, & metus causa, accedit ad priorem fœminam animo mari-

maritali cum conditiona Concilij Tridentini parrochi, & testium, sciendo prius matrimonium non valuisse. Et quando alter, qui libere procedit, in antiquo consensu perseuerat, patet, quia copula, vt supra vidimus, est sufficiẽs signum consensus. Ita tenent communiter Doctores cum *D. Thom. in 4. distinct. 29. quæst. vn. art. 3. quæstiuncula 1. ad secundum.*

2 Secundo supponendum est, etiam ratificari matrimonium metu extortum per cohabitationem mutuam in eadem domo, eorum, qui prius contraxerant. Ad quod primo requiritur, quod prius matrimonium sciatur esse nullum. Secundo quod habitatio sit diuturna, in dubio, an quis potuerit fugere, vel sufficit breuis cohabitatio, quando constat, potuisse fugere, quæ omnia relinquenda sunt prudentis arbitrio. Tertio quod habitatio sit omnino libera, cessatque omnino timoris causa. Similiter ratificatur matrimonium per omnes actus, per quos olim ante Trident. sponsalia in matrimonium transibant. Ita *Sanch. dicto, lib. 4. disp. 18. in prin.*

3 Difficultas vero est, an matrimonium metu graui extortum ratificetur copula eodem metu extorta. In qua difficultate quædam sententia asserit, quod si copulam solus metus efficiat, non valet matrimonium, si autem habeatur ad vitandum peccatum, valet. Ita *Ludoui. Lopez 2. part. Instructorij de matrimonio, cap. 40. fol. 1066.* Secunda sententia ait, valere tale matrimonium. Ita *Palud. in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 4. conclus. 3. num. 25. Sot. ibi. quæst. 1. ar. 3. ad finem versic. in contrarium autem,* & alij. Probatur primo, *ex cap. 2. de eo, qui duxit in matrimonium, accedente glos. verbo, cognouerit, & c. consultationi, de sponsal. accedente etiam Glos. verbo ante.* Vbi denotatur, in matrimonijs violentis copulam ea ratificare. Et probatur secundo, quia metus irritat matrimonium, quando rationabiliter tollit libertatem, & constanter procedit. Sed qui in casu huius metus accederet ad eam copulam non efficiendo matrimonium ob vitandam mortem, peccaret, ergo non procederet rationabiliter, & constanter; quare matrimonium non valeret. Tertio probatur, quia lex irritans matrimonia meticulosa est in fauorem metum patientis; si autem matrimonium in hoc casu non valeret, hæc lex noceret metum passo, quia constringeretur iste ad tolerandam mortem, vel committẽdum peccatum.

4 Sit conclusio. In eo casu matrimonium non valet. Ita *Abb. cap. discretionem, num. 3. in fine de eo, qui cognouit consanguineam. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. ad finem; Enriq. lib. 11. de matrim. ca. 9. num. 7.* & alij. Probatur primo, quia lex irritans matrimonia meticulosa non attendit, an ille, qui metu contrahit, peccet, vel non, sed attendit ad malum comminatum, quod de se graue sit, & sufficiens ad priuandum libertate virum constantem, timoremque illi, inijciendum: si ergo quis metu mortis ineat matrimonium, siue cõsummet cũ peccato, vel sine illo, quia semper tollit libertatẽ, semper annullat matrimonium. Secundo probatur, quia eadem inconuenientia sequuntur ex cõsummatione matrimonij cum metu graui, ac ex celebratione, imo maiora, quia non posset dissolui, ergo lex annullans matrimonium initum metu graui, etiam annullat illud consummatum eodem metu. Vnde potius deberet quis, mortem subire in hac opinione, quam matrimoniũ cõsummare, quia consummatio esset peccatum. Quãuis in hoc conflictu posset secundã sententiã probabilem sequi.

5 Ad argumenta opposita respondetur. Ad primum illos textus esse intelligendos de copula libera, non coacta. Ad secundum patet ex nostra prima ratione. Ad tertium respondetur legem hanc respicere bonum commune, quod maxime consistit in hoc, quod matrimonia libere fiant.

QVÆST. XXXII.

Vtrum matrimonium cõtractum per metum cadentem in virum constantem firmetur iuramento?

1 Contractum aliquem firmari iuramento, vt supra vidimus in materia de sponsal. consistit in eo, quod contractus alias inualidus per iuramentum efficiatur validus, & irreuocabilis, & ideo de matrimonio quærimus, an isto metu graui, & iniusto celebratum non valeat, validum tamen fiat per iuramentum ei additum.

2 Aliqui dicunt, saltim in foro conscientiæ effici in hoc casu matrimonium validum. Probatur primo ex *D. August. cap. inter cætera 22. quæst. 4.* Vbi de eo, qui timore necis iurauit fœminæ, se eam ducturum in matrimoniũ, sic dicitur, *matrimonium sit in Deum fixum, & stabile.* Ergo valet matrimonium metu initum, si iuramento confirmetur. Et confirmatur, quia renuntiatio legitima est inualida, *ex cap. quamuis pactum de pactis in 6.* & tamen valet, si iuramentum ei addatur, ergo matrimonium aliàs inualidum iuramento fit validum.

3 Sit prima conclusio. Matrimonium metu initum non valet etiam addito iuramento. Ita tenent *Glos. c. 2. verbo. tanta de eo, qui duxit in matrimoniũ, Syluest. matrim. 8. q. 11. dicto 8. Turrecrem. 31. q. 2. in sum. n. 12. Conar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 3. Petr. de Ledes. de matrim. q. 47. a. 3. circa 3. argumentũ fol. 216.* & alij. Probatur primo, *ex c. 2. de eo, qui duxit in matrimonium.* Vbi dicitur, eum, qui post matrimonium metu contractum, & iuratum aliam fœminam duxit, debere permanere cum secunda, & prius matrimo-

trimonium non valere. Secundo probatur, A quia, vt vidimus in materia de sponsalibus Contractus prohibitus ob bonum commune non firmatur iuramento; vt, quia renuntiatio fori est prohibita clerico propter bonum cõmune status clericalis, non valet renuntiatio fori etiam iuramento à clerico facta, sed, vt supra vidimus, matrimonium coactum est prohibitum propter bonum commune, ergo nequit iuramento confirmari. Tertio probatur, quia iuramentum sortitur conditiones actus, cui adhæret, *l. fin. C. de non numerata pecunia*, sed matrimonium requirit omnino liberum consensum, ergo & iuramentum eius, vnde non firmabitur iuramento.

4 Secunda conclusio iuramentum hoc metu graui extortum circa matrimonium non obligat, neque valet. Ita tenent Doctores citati, & probatur, *ex cap. allegato*. Vbi libere permittitur, illum, qui iurauerat matrimonium, primæ fœminæ, eum secunda contrahere. Tum etiam probatur alijs rationibus primæ conclusionis, quia hoc iuramentum accedit contractui prohibito ob bonum commune, & requirit omnino liberum consensum, sicut & matrimonium, ergo, quando fit metu, non valet. Vnde, si iuramentum ita fit, Iuro me tecum contrahere matrimonium, non obligat propter dictas rationes, si autem iuramentum fit de non contraueniendo illi matrimonio nouo consensu, sed illo vsurum, in actibus coniugalibus, nõ valet iuramentum, quia est contra bonos mores, scilicet, vtendi non sua, quod si iuramentũ fit de rato habendo matrimonio per nouum consensum, quod habet vim sponsalium, in sequenti disp. res examinanda est.

5 Ad primum argumentum in oppositum respondetur iuramentum illud de contrahendo matrimonio fuisse validum, quod habet vim sponsalium, & non matrimonij, vt significat, *Glos.* ponens casum: dicit enim, *hominem illum consanguineis iurasse, illam ducere.* Ad secundum respondetur illum contractum firmari iuramẽto, vtpote prohibitum propter bonum priuatum tantum.

QVÆST. XXXIII.

An sponsalia metu viri constantis inita valida sint, & iuramento firmentur?

1 QVOAD primum punctum quidã dicunt, sponsalia metu viri constantis, idest graui, inita non valere. Ita *Abb. c. ex literis, de despons. impub. n. 2. Alex. de Neuo, n. 2. Petr. de Ledes. de matri. q. 47. a. 3. circa tertium argumentum, dub. 3. & Sãch. lib. 4. citata disp. 19.* Probatur *ex c. ex literis de despons. impub.* Vbi puella quędã duodecim annorũ nupserat puero nouem, & antequã puer ad 14. ætatis annos matrimonij perueniret, puellæ, quæ aliàs deberet vsq; ad eã ætatẽ expectare puerũ ad matrimoniũ cõtrahendũ, datur facultas alteri viro nubẽdi, ergo signũ est, spõsalia fuisse metu graui inita, & ita inualida iudicata à Papa. Vnde inquit, *Sanch. in hoc tex.* supplendã esse literã tex. & intelligendum, ad fuisse metum.

Sit tamẽ prima cõclus. Spõsalia nõ sunt ipso 2 iure nulla, etiãsi metu graui celebrẽtur, sed annullãda per iudicem. Ita docet *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 9. n. 6.* & alij, & eã putat probabilem *Sanch. n. 3.* Probatur primo, quia cũ diuersa ratio currit in spõsalibus, & matrimonio, annullato B matrimonio nõ cẽsentur annullatã spõsalia, vt supra diximus, valere spõsalia clãdestina, & nõ matrimonia. At in nostro casu currit diuersa ratio, ideo enim Ecclesia annullauit matrimoniũ metu initum, quia, si semel valeret, amplius rescindi nõ posset, & ex eo maxima sequerẽtur dãna, at spõsalia metu inita possunt rescindi, quamuis semel valeant, ergo non sunt inualida. Secundò probatur, quia sponsalia metu, viri constantis inita non sunt, inualida iure naturæ, vt patet, quia iure naturæ voluntas coacta voluntas est, nõ iure positiuo, quia non constat de aliquo textu, nec de *ca. ex literis*, ea annullari, ergo sunt valida.

Ad argumentũ respond. illũ textũ non esse 3 intelligẽdũ de sponsalibus initis cõsensu coacto per metũ, sed, vt constat *ex glos.* ibi, ponẽte C casum, *& verbo desponsata, & Inn. ibi, in prin.* in illis sponsalibus non fuit aliquis consensus.

Secũda concl. Spõsalia metu leui inita vali- 4 da sunt in foro externo, & interno, at vero in cõsciẽtia nõ debẽt seruari. Quod probatur ex supra dictis, vbi docuimus generaliter, neminẽ obligari in conscientia ad seruandum contractum initum metu leui, ne iniuriam inferens reportet commodum ex sua malitia.

Tertia cõclus. Etiãsi sponsalibus metu graui 5 initis adijciatur iuramentũ, nõ tamen propter hoc ita firmãtur iuramẽto, vt efficiãtur irreuocabilia, quin potius potest peti relaxatio iuramẽti ab Episcopo, & ea obtẽta potest quis agere cõtra spõsalia, sicut, & ante iuramẽtũ; quod D fit ratione iniuriæ illatæ ei, qui per grauẽ metum coactus est sponsalia celebrare, & iurare.

Quarta cõclus. (licet alij relati à *Sanch. disp.* 6 *21. n. 3.* quos ipse sequitur sentiãt oppositũ) iuramentũ additũ sponsalibus metu graui initis valet, & obligat. Eã conclusionem sequuntur, *Syluest. verbo sponsalia, quæst. 6. in fine*, & eam reputant probabilem, *Sot. lib. 4. de iust. quæst. 1. art. 7. solut. Ad tertium a. membr. responsionis, Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 6.* Probatur hac vnica ratione, quia iuramentum obseruandum est, quando non est contra bonos mores, nec

nec contra publicam vtilitatem, at hoc iuramentum sponsalium istorum non est contra bonos mores, quia sine peccato potest quis illud obseruare, neque est contra bonum cõmune, quia quando ex illis mali exitus timeantur, facile possunt dirimi, ergo tale iuramentum obseruandum est. Secundò probatur, *ex c. inter cætera 22. quæst. 4.* vbi iuramentum aliquã ducendi validum reputatur, quamuis esset metu mortis emissum.

QVÆST. XXXIIII.

Vtrùm pater possit cogere filium ad matrimonium?

1 PRimo certum est, valere matrimonia a filijs inita, quamuis inuitis parentibus fiant. Ita definitur, *cap. cum virum de regul. & in Trident. sess. 24. cap. 1. de matrimonio, ibi, vos Sancta Synodus Anathemate damnat, qui falsò affirmant, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Et similiter est certum de fide, non satis esse ad matrimonia, vel sponsalia filiorum, si parentes, & non filij consentiant, vt definitur, *c. sufficiat 27. quæst. 2.* & alibi. Vnde cum, *cap. aliter 30. quæst. 5. & ca. fi. 32. quæst. 2.* & alibi, requiritur consensus parentum, hoc solum est de honestate, & conuenientia, non de necessitate; & leges ciuiles decidentes matrimonia hæc sine consensu parentum esse nulla abrogatæ sunt iure Canonico.

2 Secundo certum est cum *Gutier. lib. 1. quæst. can. cap. 20. in fine, Molina, tom. 1. de iust. tit. 2. disp. 176. fol. 1047.* parentes etiam iniuste impedientes matrimonia filiorum non incurrere excommunicationem ipso facto latam, *in Trident. sess. 24. cap. 9. de matrim.* contra impedientes matrimonia, quia, ibi, est fermo tantum de dominis temporalibus, & Magistratibus, & alijs iurisdictionem habentibus in foro externo, quare Episcopus cogens incurrere, vt docet *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6. n. 5. comment. lit. G.* Et ibi, neque Rex, neque Imperator cõprehenduntur, quia istæ personæ, vt in excõmunicatione comprehendantur, debent exprimi.

3 Vnde sit prima conclus. Parẽtes nõ possunt per metum cadentem in virum constantem cogere filios ad matrimonium. Ita tenet communis sententia cum *D. Thom. in 4. dist. 29. quæst. vn. art. 4.* & ratio *D. Thom.* est, quia in matrimonio est quædam seruitus perpetua, ad quã requiritur summa libertas.

4 Secunda conclusio. Peccat parentes sine iusta causa impedientes matrimonia filiorũ: patet, quia in eligendo statu liberi sunt filij.

5 Tertia conclus. Quando adest iusta causa; vt

A quia matrimoniũ est indignũ, nõ peccat Princeps, aut pater suauibus medijs impediẽs matrimoniũ aliquod, quia hoc nõ est impedire matrimoniũ, sed melius suadere, sic *Gut. q. Can. lib. 1. c. 20. n. 27. & Sanch. lib. 4. allegato, disp. 22. n. 7.*

Quarta cõclus. Regulariter, & generaliter loquẽdo nõ tenetur filius semper implere spõsalia, quæ absq; suo consensu pater promisit. Ita *Glos. c. 1. de desponſ. impub. verbo debet Ioan. Andr. n. 8 Sylueſt. verbo præceptũ, q. 4. Scot. in 4. dist. 29. q. 1. in fine,* & alij. Probatur, quia in cõtrahẽdo matrimonio filius est liber, & in contrahendis spõsalibus: ergo regulariter non tenetur filius patri obedire. Vnde, cum in *dicto, cap. 1. de desponſ. impu.* dicitur, debere filiũ implere spõsalia per parentem inita, illud verbum debet 6

B Doctores citati intelligunt de debito honestatis, non præcepti.

Quinta conclus. Quãdo valde necessariũ est patribus aliquod matrimoniũ, vt ad graues inimicitias cõponendas, tenetur filius sub culpa mortali celebrare illud matrimoniũ, quod pater præcipit, aut mater, quia filij tenentur subuenire parentũ necessitati. Ita *D. Thom. in 4. dist. 29. q. vn. a. 4. in corpore; Sot. q. 1. a. 4. conclus. 3. Nauar in sum. c. 14. n. 15.* & alij, Et hæc obligatio oritur, non tã ex præcepto patris, quam ex virtute pietatis, qua quis tenetur patri subuenire. Et in hoc casu teneretur relinquere religionẽ, si eius matrimoniũ esset simpliciter necessariũ ad liberãdos parẽtes à morte, & ad cõponẽdas inimicitias; & in hoc casu posset matrimoniũ iniri, etiãsi esset data fides alteri spõsæ, quia nõ videtur cũ hoc dispẽdio data. Imo si filius vellet assumere statũ religionis, & parentes indigerent ita, vt esset necessariũ, cũ dũcere vxorẽ diuitẽ, quæ offertur ad subleuandã parentum necessitatem, teneretur illã ducere. 7

C

Sexta concl. (licet alij, quos referr, & sequitur *Sanch. lib. 4. t. 1. disp. 23.* oppositũ sentiant) Quãuis pater nullũ matrimoniũ præcipiat in particulari, si tamẽ filius inuitis parẽtibus sine causa legitima cõtrahat matrimonium, peccat mortaliter. Ita *Sot in 4. dist. 28. q. 1. art. 1. in fine, Bellar. lib. 1. de matrim. c. 19. prop. 3. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6 n. 6. Petr. de Ledeſ. q. 47. a. 6. dub. 2.* Dicẽs esse sentẽtiã Theologorũ, & iuris peritorũ. Probatur primo, quia per hoc fit grauis iniuria patribus in re graui, ergo cõmittitur graue peccatũ. Secũdo probatur, quia parẽtes tenẽtur prouidere filijs de matrimonio sub culpa mortali, ergo filij sub eadẽ culpa tenentur nõ inire matrimoniũ inuitis parentibus, quod est argumentũ *D. Paul. ad Hebr. 13.* Probantis subditos esse obligatos ad obediẽdũ Prælatis, quia illi tenentur rationem reddere de subditis. Et probatur ex *cap. honorantur 32 q. 2.* ibi, *non esse virginalis pudoris maritum eligeri, sed iudicium parentum expectare.* Et pro hac parte Scripturæ testimonia adducit *Bellar. loco* 8

D

titato, posset autem filius inuitis parentibus matrimonium inire, si pater iniuste prohibeat matrimonium ei, aut si pater indigno matrimonio velit filium collocare propter maiorem dotem, vel quando vult, filium contrahere matrimonium cum ægra, imprudenti, aut fœmina durioris conditionis, vel, quando aspere vexaretur filius à patribus.

9 Quæres primo in fine huius tractatus, an patres possint exhæredare filios inuitis ipsis contrahentes matrimonium? Ad quod respondetur cum communi sententia parentes posse exhæredare filiam, non aliàs, si inuitis eis contrahant matrimonium, si tamen tria adsint. Primo si parentes eam velint collocare matrimonio iusto, & dotem etiam iustam dare. Secundo vt filia illi matrimonio repugnet, & velit vitam agere luxuriosam, quod cō suetudinē longam male viuendi denotat. Tertio vt sit filia minor 25. annis, & nōdū illos cōpleuerit perfecte, quāuis filius, qui minorē in his infamiā inurit patribus, cum his conditionibus etiā non possit exheredari. Hæc omnia cō stant ex *auth. vt cū de appell. cognos. §. aliud quoque ad finē, & ex l. 5. tit. 7. p. 6. iuncta l. 8.* & per hanc legē partitæ correctæ sunt aliæ leges partitæ, quæ per alias causas dicūt posse exhæredari filias. Hæc omnia late possunt apud *Sāch. videri tota disp. 24.* & vt late refert iste author, *disp. 25.* cū alijs Doctoribus leges istas vtpote sæculares (ad quas nō pertinet nec de matrimonio, nec de eius cōtractu disponere, quia ad Ecclesiam attinent, hęc *ex cap. tuas de ordin. cogn.*) & vt minuentes libertatem matrimonij, quia tollunt hæreditatem, ad quam ius habent filij, & ita inducunt grauissimam pœnam, esse correctas per ius Canonicum, quod in cap. Gemma de sponsal. pœnam sponsal. annullat.

10 *Greg. de Valen. tom 4. disp. 10. quæst. 3. de matrim.* multa argumenta adducit *Erasmi*, & aliorum hæreticorum, ad probandum matrimoniū filiorum sine consensu parentum non valere, sed ea facile soluuntur asserendo, ex illis tantū probari, esse talia matrimonia illicita, non inualida; obijciunt etiam hæretici leges ciuiles, quæ ex iure naturæ talem consensum requirunt, nam *l. 2. ff. de ritu nuptiarum*, dicitur, *nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes*, idest, qui coeunt, & quorum in potestate sunt, *& Institutis de nuptijs, §. iustas dicitur, vt filij familias consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt, nam hoc fieri debere, & ciuilis, & naturalis ratio suadet*. Sed ad hoc respōdetur, eam legem primam, quæ vrgere videtur, esse correctam per Canones Ecclesiasticos, vt patet ex primo certo. Ad secundum respondetur, eam legem non denotare, matrimonia esse inualida sine consensu parentum, sed illicita. Ita *Greg. de Val. loco citato.*

11 Qua autem ratione teneatur pater, dotem instituere filiæ diuiti, vel pauperi digno marito, aut Indigno nubenti, & filio alimenta præstare, cum hoc modo ducit vxorem, quia ad nos non spectant, ideo lectorem remittimus ad *Sanch. tom. 1. lib. 4. de matrim. disp. 26.*

Quæres secūdo, qualiter probādus sit metus 2 cadēs in virū cōstantē ad annullādū matrimoniū? De hac re consulendi sunt *Menoch. lib. 3. præsumpt. tota præsumpt. 4. Mascar. de probat. conf. 1055.* Quo supposito resp. primo cū *Conar. 4. Decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 10. & Sanch. dicto lib. 4. disp. vlt.* Arbitrio iudicis prudentis relinquendum esse pensatis omnibus circunstantijs, quibus magis credendum sit, testibus affirmantibus adfuisse metum, an negantibus. Secundo respond. commune esse axioma *Inn. cap. super hoc de renunciat. num. 2.* asserentis, *magis credi duobus testibus de metu deponentibus, quia loquuntur de re, quæ sensibus potest percipi, quam mille dicentibus fuisse liberam voluntatem, quia hoc latet in anima*; quod tamen intellige. Primo nisi pro his mille adsint præsumptiones, & coniecturæ, vt si matrimonium fieret in præsentia iudicis, quo casu non præsumitur metus. Ita *Decius, cap. filij de appellat. num. 25. & 26.* Secundo intellige, quando dicentes non adesse metum, dicerent negatiuam coarctatam loco, & tempore, tunc enim æque creditur affirmantibus, & negantibus metum. *Sic Decius nu. 28.*

QVAEST. XXV.

Quot sint impedimenta matrimonij, & an conuenienter fiat, eorum diuisio?

SIT in hac quæst. 1. certum. In Ecclesia 1 nostra Catholica reperiuntur aliqua obstacula matrimonij, quæ impedimenta nuncupantur; rem hanc & traditio Ecclesiæ, & vsus, praxisque eius vehementer probant, & varij Canones *Tridentini, sess. 24. de reformatione matrimonij*, eam satis confirmant. Quod etiā certum patet ex ijs, quæ late adduximus in tract. de matrimonij essentia, quæst. 15. vbi differentiam, quo ad hoc inter matrimonium, & alia sacramenta explicuimus.

Sit secundo certum. In Ecclesia sunt dupli- 2 cis generis impedimenta, alia sunt impedientia matrimonium, alia & impedientia, & dirimentia simul; hoc etiam constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ, & ex varijs Pontificum, & Conciliorum Decretis in hoc tractatu adducendis abunde constabit. Impedientia solum sunt ea, quæ non contrariantur essentiæ matrimonij, sed tantum alicui solemnitati, aut alicui ornatui accidentario eius. Vnde, qui cū his impedimentis matrimonium contrahunt, verum,

verum ratumque matrimonium celebrant, licet peccatum graue committant. Impedientia vero simul, & dirimentia ea dicuntur, quæ essentiæ matrimonij contrariantur, & tollunt aliquid essentiale à matrimonio, sine quo eius essentia consistere non potest. Vnde cum eo impedimento matrimonium celebratum non valet, quæ quidem impedimenta non dicũtur dirimentia quasi matrimonium validum prius & verum annullent postea, sed quia matrimonium de facto celebratum inualidum tamen, & quod ignorantibus impedimentum videbatur verum matrimonium, irritũ omninò reddunt. Quæritur ergo his suppositis quot & quæ sint hæc impedimenta.

3 Sit ergo in hac quæstione prima conclusio. Impedimenta solum impedientia sunt duodecim, quinque priora non dimanant ex crimine septem vero posteriora ab eo ortum habent. Priora his verbis continentur: *Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriatum, atque catechismus, sponsalia, iungito votum, impediunt fieri, permittunt facta teneri.* Posteriora his versibus clauduntur: *Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis, vel si pœniteat solemniter, aut monialẽ accipiant,* prohibens hæc coniugium sociandum. Hæc est communis doctrina Doctorum.

4 Secunda conclusio. Impedimenta dirimentia matrimonium sunt 14. quædam iure antiquo considerato, & hæc sunt 12. alia duo iure nouiori attento *Concilij Trident. Session. 24. de Matrimonio, cap. 1. & 6.* quæ omnia his versibus continentur: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, si sis affinis, si forte coire nequibit, si parrochi, & duplicis desit præsentia testis, rapta si sit mulier, nec parti reddita tutæ, hæc socianda vetant, cõnubia facta retractant.* Doctrina harum conclusionum aliqua ex parte traditur à *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic art. 1.* & est communis Theologorum, & Iurisperitorum.

QVAEST. XXXVI.

Quæ personæ possint impedimenta dirimentia matrimonium statuere, & respectu quarum personarum?

1 SIT prima conclusio de fide. Summus Pontif. Christi Vicarius, & Concilia generalia legitime congregata, & à Summo Pontifice probata possunt impedimenta dirimentia matrimonium statuere. Conclusio probatur primò ex vsu Ecclesiæ, & ex *Triden. Sess. 24. vbi can. 4.* sic definitur: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimẽta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* Secundò probatur ratione, quia Ecclesia nequit errare in capite, quod est Summus Pontif. neque in corpore coniuncto capiti, quod est Concilium generale approbatum à Pontifice in rebus fidei, & morum, & in rebus Sacramentorum, hoc enim indicauit Christus quantum ad Pontificem *Lucæ 22.* dũ Petro dixit: *Ego oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et quantum ad Concilium generale *Matth. vltim.* in illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ seculi,* secundũ communem interpretationem Theologorum, sed impedimenta dirimentia matrimoniũ pertineat ad substantiam Sacramenti matrimonij, ergo cum ex multis decretis Pontificum, & Conciliorum pateat Pontifices, & Concilia statuere impedimenta dirimentia matrimonium, sequitur, potestatem ea constituendi ad hæc duo capita pertinere, atque in illis errare minime posse.

Pro intelligentia notandum primo est. Ad hæc impedimenta dirimentia statuenda requiri tam in Pontifice, quam in Concilio generali iustam causam, imo maiorem causam requiri ad hæc impedimenta dirimentia statuenda, quæ grauiosa sunt, quam ad impedimenta solum impedientia, quæ minus grauia sunt, vt notauit *Ruard. Taper. art. 20. Louaniens. paulo post principium.* Aliàs peccatum committeretur, quia potestas Ecclesiæ, cum sit dispensatoria iuxta illud *Pauli, sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non est ad dissipandum, id est ad aliquid discernendum sine causa, sed ad ædificandum, & ad iusta aliqua causa res ordinandas à Christo concessa. 2

Secundò notandum est, *Ostiensem in Summa titulo de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, num. 3. & Sanchez 2. tomo de Matrimonio, lib. 7. disp. 1.* Aperte sensisse, Pontificem, aut Concilium non posse statuere impedimenta dirimentia valida, & quæ revera matrimonium nullum efficiant, nisi ad hoc, iusta causa moueatur. Quod probat *Sanch. n. 6.* ex eo, quod matrimonium est contractus iure naturali, & diuino inuentus, & hominibus omnibus concessus in quolibet etiam consanguinitatis gradu coniunctis (dum modo solum excipias, primum consanguinitatis gradum in recta linea) sed dispensatio concessa à Pontifice sine iusta causa in ijs, quæ sunt de iure naturæ, vel de iure diuino nullum valorem sortitur, ergo neq; constitutio impedimentorum dirimentiũ potest personas inhabiles reddere ad contrahẽdum matrimoniũ iusta causa prorsus exclusa, ea vero vrgente sentit *Sanchez num 8.* posse Pontif. singulares aliquas personas inhabiles reddere ad matrimonium celebrandum, quia homines Christiani sunt partes Reipub. Christianæ, sicut manus est pars corporis naturalis, 3

quemadmodum ergo corrupta manus exigēte id vtilitate totius corporis solet media abscisione inhabilis reddi ad vsus naturales, sic etiam potest aliquis tam prauis imbui moribus, vt conueniens sit, eum inhabilem reddi ad matrimonium propter bonum commune Reipublicæ. Et hæc sit secunda pars sententiæ *Sanchez* in cuius robur addidit, *Vrbanum. V.* propter inobedientiam Ecclesiæ reddidisse inhabiles ad matrimonium quendam dominū Mediolanensem, & liberos eius. Hæc tamen sententia, licet quantum ad secundam partem vera sit, quantum ad primam tamen falsa videtur. Vnde iudico cum *Veracruz, 5. part. speculi. art. 46. §. dubitatur vtrum, Vega 2. tom. summæ cap. 34. casu 128.* Vim habēte impedimentum dirimens constitutum à Pontifice, quamuis sine iusta causa statutum sit (licet in tali constitutione condenda peccaret grauiter Pōtifex, quod nullus dubitat) dummodo tale impedimentum non sit contrarium iuri naturali, aut diuino. Probatur doctrina hæc hoc vnico discursu, quia in his, quæ sunt de iure tātum positiuo, humano Summus Pontifex legitimus est superior, ac dominus, liberaque potitur, atque absoluta potestate, vnde in ijs sine vlla causa valide dispensare potest in antiquis legibus ieiuniorum, verbi gratia, & obseruationis festorum, atque in Ecclesiasticis impedimentis matrimonij, ergo etiam valide potest circa hæc omnia sine vlla causa nouas leges edere, quibus ieiunia noua statuat, nouos dies festos præcipiat, ac impedimenta matrimonij de nouo instituat, quia hæc omnia pertinent ad ius humanum, quod dispositioni Pontificiæ subiectum est. Quare argumento *Sanchez* respondetur, matrimonium esse quidem iure naturali concessum, id est, permissum, non vero præceptum, vt late vidimus *quæst. 15. huius tractatus*, vnde posse Ecclesiam libere circa illud noua impedimenta instituere.

4 Sit secunda conclusio. Archiepiscopi, Episcopi, & alij prælati Summo Pontifici inferiores possent ex vi suæ potestatis apponere impedimēta dirimētia matrimoniū subditorū (licet aliqui recentiores oppositū tueantur.) Probatur, quia Episcopi in suis Diœcesibus sunt principes sacrorum, in eisque nisi ab Ecclesia, prohibeantur, possunt, quid quid potest Summus Pontifex in tota Ecclesia, sed constat ex prima conclusione posse Summum Pont. apponere impedimēta dirimentia toti Ecclesiæ, eadem ergo prædicti prælati suis subditis possent constituere ex vi suæ potestatis, de facto tamen nequeunt prædicta impedimenta instituere, quia ex generali Ecclesiæ consuetudine eam facultatem denegatam inuenimus, quemadmodum propter eandem rationem nequeunt dispensare in votis castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Hanc secundam cōclusionem defendunt cum communi sententia *Armil. verbo matrimonium, num. 54. Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 16.*

Sit tertia conclusio. (Licet alij sentiant oppositum) Summus Pontif. & Concilia generalia tantūmodo possunt impedimēta dirimētia, imò & etiam solū impedientia matrimonium fidelibus imponere, non vero infidelibus. De fidelibus res est aperta ex praxi Ecclesiæ & quæ probatione minime indiget, de infidelibus vero probatur primò *ex Paul. ad Corinth. 5. cap. epist. 1.* Asserente: *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Id est, potestas mea iudicatiua ad infideles, qui sunt extra Ecclesiam, non se extendit. Secundò probatur expresse ex *Innoc. III. in cap. gaudemus, de diuortijs*, vbi etiam prædictum Pauli testimonium in huius veritatis confirmationem adducit, potest vero Sūmus Pontif. infidelibus sibi temporaliter, ac ciuiliter subditis prædicta impedimenta imponere tanquam supremus gubernator temporalis eorum, licet hoc minime ei liceat erga infideles subditos dominis Christianis, quia in ordine ad eos, neque gerit vicem pastoris spiritualis, neque domini temporalis. 5

His ita statutis merito quæret aliquis, quibus verbis cognoscatur, prohibitio Ecclesiæ ita rigorosa, vt matrimonium contra eam celebratum sit prorsus nullum? Huic dubio late respondet *Sanchez, loco citato disp. 2.* vt tamen breuiter respondeamus. 6

Sit quarta conclusio. In ordine ad sponsalia, si Pontif. simpliciter non addendo clausulam irritantem prohibeat alicui sponsalia, & ille ea contrahat, licet grauiter delinquat illa contrahendo, ea tamen vim habent obligandi, dū tamen sponsalium materia non sit prohibita. Probatur primò, quia dum superior præcipit alicui, ne voueat, propter aliquam iustam causam, si tamē materia voti licita est, & eam quis voueat, valet votum, ergo similiter in nostro casu valent sponsalia. Secundò probatur, quia in eo casu promissio matrimonij non est iniusta ex parte obiecti, quia hoc eam efficeret nullam, sed ex parte subiecti, ne scilicet ea imprudēter fiat, quod nullo modo annullat promissionem matrimonij, ea ergo valida est in eo casu, quod si obiectum reddatur illicitum, quia superior alicui prohibet cōtractum matrimonialem etiam sine clausula irritanti, reuera tunc sponsalia essent nulla, quia essent promissio rei illicitæ, quæ nullam habet obligandi vim. 7

Sit quinta conclusio. Si prohibitio matrimonij solum fiat generaliter sine clausula irritante matrimonium, & illud celebretur contra eius tenorem, matrimonium valorem suum sortitur. Ita sentiunt *Syluest. matrim. 7. quæst. 1. dicto 3. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 16. in fine principij,* 8

&

&communis Doctorum sententia. Probatur A
ex *Vulgari regula iuris, odia restringi, & fauores*
conuenit ampliari, quæ regula præsertim vim
habet in rebus magni momẽti, sed sic est, quod
prohibitio matrimonij est odiosa, & in re mag
ni momenti, debet ergo restringi, vt non an-
nullet matrimonium, nisi cum habet clausulã
irritantem. Secundò probatur ex *cap. 2. de ma-*
trimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ in
fine. Vbi cum sit sermo de ijs, quibus ob spon-
salia præterita interdicebatur trãsitus ad alias
nuptias, sic dicitur: *Licet enim contra interdictũ*
Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non
est tamen conueniens, vt ob id solum Sacramentum
coniugij dissoluatur, aliqua tamen pœnitentia de-
bet imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc
fecerunt. Quam pœnam assignat *Sanchez iuxta* B
cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum
Ecclesiæ, loco citato num. 14. imò clausula irritãs
ita specialis deber esse (quia matrimonium est
res magni ponderis) vt dicat matrimoniũ con-
tra ea factum esse nullum.

9 Sit sexta conclusio. Etiamsi prohibitio Ec-
clesiæ circa matrimonium habeat clausulam ir-
ritantem specialiter matrimonium cõtra eam
factum, adhuc tamen non est semper tale ma-
trimonium nullum, nam si Pontifex hoc mo-
do in perpetuum prohibet matrimonium, vel
solum pro aliquo determinato tempore pro-
hibet dum lis aliqua, verbi gratia, de aliquo
impedimento definitur. Si prohibitio sit per-
petua, tunc simpliciter, & semper est matrimo
nium nullum, quia verba sunt aperta, & ita C
hanc vim habent, ne sint superflua. Cum vero
prohibitio est pro determinato tempore, tunc
non est matrimonium nullum simpliciter, &
pro semper, sed in quantum ponat præiudi-
ciũ alicui liti, & irritatio hæc, & prædicta pro-
hibitio intelligũtur ita, vt coniuges contra id
interdictum contrahentes separentur quoad
thorum, & cohabitationem, donec lis definia-
tur. Ita expresse sentit *Sanchez loco citato, num.*
a 2, & hoc modo videntur intelligendi *Panor.*
in cap. ad dissoluendum sine titulo allegatur ab Ar
mil. in summa de matrimonio, num. 54. *& idem*
Armil. ibi, & Syluest. matrimonio septimo, quæst.
1. *dicto* 3. *citans Petrum de Palud.* Dum dicunt D
prohibitionem perpetuam facere nullum ma-
trimonium, non vero temporalem, & ad certũ
tempus solum prohibentem, & hac ratione in-
telligitur irritatio matrimonij facta *in cap. tuæ*
fraternitas, de sponsalibus duorum, & cap. penult.
de desponsat. impub. scilicet, quod separentur cõ-
iuges, dum lis definitur, quia loquũtur de pro
hibitione temporali, cuius tota ratio est, quia
matrimonium, quod tanti ponderis, ac momẽ-
ti esse censetur, non est iudicãdum nullum ex
eo, quod fiat contra prohibitionem irritantem
ad certum tempus matrimonium, sed contra
perpetuam.

QVAEST. XXXVII.

Vtrum principes seculares possint impedimenta dirimentia imponere?

PRO qua quæst. supponimus, quæstio- 1
nem procedere de principe habente su
premum dominium in aliquo territo-
rio, vt de Rege Hispaniæ, Galliæ, &c.

Quidam dicunt, principem secularem Ca- 2
tholicum non posse hæc impedimenta appo-
nere suis subditis fidelibus. Huius sententiæ
sunt *Glossa fin. cap. si quis ingenuus.* 29. *quæst.* 2.
B *Abbat, cap. 1. de spons. num. 9. Felin. num. 10. &*
11. *D. Bonauent. in 4. dist. 42. art. 2. quæst. 2. ad fi-*
nem. Huius sententiæ ratio est, quia matrimo-
nium fidelium est Sacramentum, vnde eius or
dinatio non ad potestatem secularem, sed ad
spiritualem pertinet.

Sit tamen prima conclusio. Princeps secu- 3
laris ex vi, & natura suæ potestatis supremæ
bene potest suis subditis fidelibus impedimẽ-
ta dirimentia matrimonium statuere. Proba-
tur, materia Matrimonij est cõtractus quidam
ciuilis, quo vir, & femina sibi inuicem tradũt,
& accipiunt potestatem corporum, sed prin-
ceps secularis potest alios contractus, quando
id bono communi expediat, annullare, ergo
& istum matrimonij. Et cõfirmatur, quia prin-
C ceps secularis supremus habet potestatem ad
ordinanda ea, quæ ad tranquillitatem Reipub.
suæ necessaria sunt, sed ad hanc sæpe necessum
est, impedimenta dirimentia apponere, ergo
potest ea apponere, & multo melius impedi-
menta impedientia, quæ minoris sunt momen
ti, hæc autem potest princeps secularis Catho
licus in subditos Catholicos, nisi ab Ecclesia
impediatur, vt revera potest impediri, quia su
pra contractum matrimonij fundatur ratio sa-
cramenti; quæ spiritualis, & supernaturalis
est, & ad altiorem iurisdictionem, qualis est
spiritualis Ecclesiæ proprius pertinet, hæc au
tem potestas est modo impedita principi secu
D lari, & reseruata Ecclesiæ; & definitio causarũ
matrimonialium. Ita patet ex *cap. tuam. de ordi-*
ne cognit. cap. multorum, 35. *quæst.* 6. *cap. Euphe-*
mium 2. *quæst.* 3. *vbi D. Gregor. ait, cum matrimo*
nia hodie regantur iure poli, non iure fori. Ita do-
cent *Victoria relect. de matrimonio* 1. *part. secun-*
dæ partis, num. 12. *Enriquez lib.* 12. *de matrimon.*
cap. 1. *num.* 4. *& Petrus de Ledesma de matrimon.*
quæst. 50. *art.* 1. *dub.* 1. *& alij.*

Secunda conclusio. Princeps secularis fide- 4
lis potest suis subditis infidelibus statuere im-
pedimenta dirimẽtia matrimonium. Patet ex
præcedẽti cõclusione, quia este habet de se po
testatem ad hoc, nisi ab Ecclesia reseruetur, &
aufe-

auferatur, at non est reseruata respectu subditorum infidelium, quia isti non sunt subditi Ecclesiæ, etiamsi sint in locis Christianorum, & quia in illorum matrimonio non repetitur ratio sacramenti, quæ coegit Ecclesiam ad reseruãda matrimonia subditorum fidelium, ergo potest iste princeps ea statuere. Ita sentit insignis noster *Abulen. 1. Reg. 8. quæst. 177. in fine*, & istę causæ matrimoniales ad principem secularem pertinebunt. Si vero vnus coniugum est fidelis, sequendus est forus rei, & si ambo sint rei, quia ab extraneo petitur dissolutio matrimonij, iudex Ecclesiasticus est ad eundus ratione fidelis, quod quidem conueniens est in fauorem fidei.

5 Tertia conclusio. Princeps secularis infidelis potest suis subditis infidelibus impedimenta matrimonium dirimentia statuere. Ita docet *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 2. ad tertium, Nauar. in sum. cap. 22. num. 48. D. Anto. 3. part. tit. 1. cap. 6. verſ. tertium punctum est.* Quę conclusio probatur, quia isti principes supremi de se habent facultatem ad impedimēta dirimentia imponenda, & non est eis ablata per Ecclesiam, quæ in prædictis textibus solũ eam abstulit principibus secularibus fidelibus, *Sot. tamen in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 1. solut. ad tertium in fine. Manuel Rodriguez t. tom. sum. 2. edit.* Optime asserunt Iudæos hodie non posse hæc impedimenta statuere, quia neque habent rēp. propriam, neque Principem, & statuta lege Mosaica circa impedimenta introducta *Leuit. 18.* expirarunt cum illa lege in Christi morte, sicuti omnia alia iudicialia præcepta, & ceremonialia, vt optime docent *Vazquez in tom. de legibus, disp. 181. & nouissime Doctor Tenas in suo tom. super epist. ad Hebræos, cap. 8. difficultate 6.*

6 Hinc fit, fideles subditos principibus infidelibus esse obligatos ad seruanda impedimēta apposita ab his principibus, quia respectu eorum non est facta reseruatio ab Ecclesia, sed tantum respectu principum fidelium, vt patet ex dictis textibus. Addo vero ego rectè posse Ecclesiam ab his principibus auferre facultatem imponendi impedimenta dirimentia respectu subditorum fidelium, quia in eis matrimonium habet rationem sacramenti, quod potius est, iurisdictionem exercere infideles subditos, qui sunt intra Ecclesiam, quam in principes infideles: isti tamen fideles debent seruare impedimenta Ecclesiæ, quia leges Ecclesiasticæ vbique fideles obligant, licet non ita obligent extra territorium suorum principum infidelium leges prædictorum principum.

A

QVÆST. XXXVIII.

Vtrùm consuetudo vim habeat inducendi impedimenta dirimentia noua, & abrogandi antiqua?

1 HAEC quæst. duas continet partes. Primam, an consuetudo habeat vim introducendi impedimenta noua dirimentia in matrimonio, quæ non erant iure diuino, naturali, neque humano introducta. Secundam, an consuetudo ita possit vincere ius canonicum, vt quos illud habiles ad matrimo-
B nium declarauerat, hæc inhabiles reddat.

2 Multa hic possent late disputari de consuetudine, sed quia hæc passim apud Auctores reperientur, præsertim apud professores iuris canonici in *Decretalibus toto tit. de consuetud.* & ea omnia ad nos non multum attinent, ideò ea solum breuiter attingemus, quæ nostro instituto vtiliora esse videantur.

3 Generalia tamen quædam principia animaduertenda sunt. Primum sit, consuetudinē reprobatam à iure posse ex noua causa conualescere, vt optime notauit *Abbas cap. cæterum, num. 9. de iuramento calumniæ.* Secundum sit, potuisse à principio actum cōsuetudinis esse prauum, & postea decursu temporis honestũ fieri ratione præscriptæ consuetudinis, vt tenet cō-
C munis sententia cum *Caietan. 1. 2. quæst. 97. art. 3.* Tertium sit, consuetudinem præualere minime posse contra ius diuinum, aut naturale, quia illa iura superiora sunt consuetudine.

4 Primò, ergo supponendum est ex *cap. consuetudo dist. 1.* quod desumptum est ex *Diuo Isidoro, lib. 5. etymolog. cap. 3.* consuetudinem esse ius quoddam moribus institutum, cui cōsonat *lex 4. partita. 1. a. tit.*

5 Secundò supponēdum est, id quod expresse definitur *in cap. fin. de consuet.* ad hoc, vt consuetudo obtineat aliquam vim, debere esse rationabilem, & legitime præscriptam, erit autē rationabilis secundum *Nauar. lib. 3. consiliorum tit. de censibus*, cum non est contraria iuri naturali, aut diuino, vel secundum *Syluest. verbo cō-*
D *suetudo, quæst. 1.* cum de ea re, de qua habetur consuetudo, posset esse lex iusta, & sancta, erit etiam legitime præscripta iuxta *cap. audistis, de præscript.* contra ius canonicum si per 40. annos completos viguerit, vt sentiunt *Rochus de Curte capite vltimo, de consuetudine, & alij, contra Soto lib. 1. de iustitia, quæst. 7. art. 2.* asserentem, hoc esse tempus determinandum arbitrio prudentis viri.

6 Tertiò supponendum est, non esse quæstionem, an consuetudo possit nullum reddere id matrimonium, quod legitime celebratum

est

est ante eam, hoc enim neque lex humana, neque consuetudo vlla efficere potest, vt constat ex *cap. fin. de sponsal. duorum*, vbi dicitur, non esse habendam rationem cõsuetudinis, vt sprero priori matrimonio rato, persistatur in posteriori consummato, vt docent *Abbas cap. super eo de cognat. spirituali, num. vlt. & Sylvest. matrimonio 2. quaest. 3.* sed quaestio est, an consuetudo posit apponere impedimenta matrimonio post eam secuto.

7 Quartò supponendum est tanquam certum cum *Ostiens. cap. fin. num. 1. de spons. duorum, Turrecremata, cap. placuit, dist. 32. art. 2. num. 13.* Et cum communi sententia consuetudinem approbatam expresse à Pontif. posse introducere noua impedimenta dirimentia, & auferre posita iam à iure Canonico. Patet, quia talis consuetudo habet vim legis Pontificiae, lex autem Pontificia vtrunque potest praestare. Solum autem quaerimus, an consuetudo saltim requirat consensum tacitum, & scientiam expressam Pontificis in Repub. Christiana, vel Principis supremi in Repub. infidelium, & hoc tam ad impedimenta dirimentia noua, quam ad impedientia solùm introducenda.

8 In hac quaest. multae numerantur sententiae à *Thoma Sanchez 2. tomo de matrimonio, disp. 4. lib. 7.* sed eae omnes ad quinque capita reduci possunt. Prima sententia est illa, quae asserit, consuetudinem non posse introducere nouum impedimentum dirimens, sed tamen matrimonium illud esse irritum, quod contra consuetudinem mixtam Clericorum, & Laicorum, & iuncto scandalo secuto ex eo celebraretur, quia ius canonicum non permittit, matrimonium fieri cum scandalo. Probatur, quia consuetudo non potest habiles reddere, quos ius canonicum efficit inhabiles ad matrimonium, ergo neque inhabiles efficere eos, qui secundum tale ius non sunt inhabiles. Ita *Couarr. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 18. & alij.*

9 Secunda sententia asserit, consuetudinem posse inhabiles reddere ad matrimonium eos, quibus secundum ius canonicũ illud erat permissum, si scandalum sequatur ex matrimonio contra consuetudinem celebrato. Ita docent *Glossa cap. super eo, verbo consuetudo, de cognat. spirit. Abbas dicto cap. num. 4. & 6. & alij.* Probatur dupliciter primò *ex reg. Euerardi in Topicis, loco à matrimonio spirituali ad carnale*, sed cõsuetudo facit homines inhabiles ad matrimonium spirituale, vt ad beneficium *cap. cum olim iuncta Glossa fin. de cleric. coniugat.* ergo reddere potest inhabiles ad matrimonium carnale. Secundo probatur *ex cap. super eo, de cognat. spirit.* vbi id dicitur de consuetudine, & *cap. 1. eodem tit.* consuetudini scandalum adijcitur, ergo cõsuetudo cum scandalo potest introducere impedimenta dirimentia.

10 Tertia sententia est *Sanchez loco citato, num.* A 13. (quem etiam sequitur quidam Neotericus) asserentis tria. Primum consuetudinem rationabilem, & legitime praescriptam posse statuere impedimentum dirimẽs matrimonium sine scandalo adiuncto, & sine aliquo alio iure. Et hoc probatur primò, quia consuetudo potest circa alia leges statuere, vt circa dies festos, ieiunia, &c. ergo circa matrimonij impedimenta dirimẽtia. Probatur secundò, quia in *c. sup. eo. de cognat. spirit. in 2. p.* dicitur: *Dirimendũ esse matrimonium, quod contra receptam consuetudinem celebratum est*, & non fit mentio scandali, neque alicuius alterius iuris, ergo consuetudo hoc potest. Tertiò probatur, quia in *cap. fin. de consuetud.* solum exigitur ad hoc, vt consuetudo habeat vim legis, vt sit rationabilis, & legi- B time praescripta. Quartò probatur à Neoterico, quia consuetudo habet vim legis vbi lex deficit *ex cap. consuetudo dist. 1. ex l. de quibus 32. ff. de legibus, & ex D. August. epist. 86. ad Casulanum*, cuius haec sunt verba: *Mos populi, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda, & sicut praeuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.* Ergo sola consuetudo potest impedimenta dirimentia introducere, quamuis lege Ecclesiastica introducta non sint. Secundò asserit Sanchez nõ desiderari scientiam Pontificis ad valorẽ cõsuetudinis, imò pro scientia, & tolerantia Pontificis sufficere eam, quae habetur *in cap. fin. de consuetud.* qua Pontifex dicit, consuetudinem rationalem, & praescriptam sufficere ad legem C inducendam. Tertiò asserit *Sanchez ibidem*, talem consuetudinem debere obseruari à laicis, & clericis, vt posit impedimenta matrimonio statuere. Ita *Couar. loco supra citato. Lud. Lopez 2. p. instructorij de matrimonio, cap. 46. col. 5.* Probatur, quia soli laici non possunt inducere legem Ecclesiasticam, neque consuetudinem Ecclesiasticam.

Quarta sententia est, posse consuetudinem impedire matrimonium, non vero illud dirimere. Ita *Archid. cap. placuit. num. 2. dist. 32. Turrecrem. ibi. art. 2. num. 12. & alij.* 11

Certum est, matrimonium semel legitime initum non posse consuetudine dissolui. Ita *Sulas tomo de legibus, quaest. 97. tract. 14. disp. 19. sect. 10.* vbi citat *Glossa cap. 1. de cognat. spirit.* 12
D *verbo, nisi consuetudo, & alios Doctores.* Patet ex *cap. fin. de sponsalibus duorum*, vbi dicitur: *Non esse standum consuetudini, vt spreto priori matrimonio rato persistatur in posteriori consummato.* Et ratio est, quia Papa solus potest in casu rarissimo in matrimonio rato dispensare, ergo non potest lege, vel consuetudine habente vim legis dissolui, illud etiãsi id conueniat ad vitãdũ scandalum, quia ob scandalum ius diuinum nõ relinquitur, vt constat ex *cap. 2. de noui operis nuntiat*, & hoc seperatione tori tollitur.

His tamen non obstantibus multo verior 13
mihi

mihi visa est quinta sententia, quæ asserit, cō- A
suetudinem rationabilem, & legitime præs-
criptam posse inducere impedimenta dirimē-
tia matrimonij, si eam cognoscat Pontifex ex
presse cognoscendo consuetudinem, vel con-
fuse cognoscendo, esse multas consuetudines
circa aliquam materiam, & eas tollerando, etiā
non secuto scandalo, qui quidem Pontifex eo
ipso, quod cognoscit, talem consuetudinem,
& eam non impedit, censetur approbare. Et
hæc sit prima conclusio in hac quæst. defendē-
da, quam expresse docent *Rebuf. alijs Doctori-
bus citatis, tom. 1. constitut. Gal. in proœm. gloss. 5.
num. 146. Vazquez, prima secunda, tom. 2. disp.
177. cap. 2. D. Thom. prima secundæ, quæst. 97. ar.
3. Sylvest. expresse, & late verbo, consuetudo, quæs.
3. num. 5. glossa in cap. fin. de consuetudine, verbo,* B
legitime sit præscripta, & indicat *Glossa in l. iuris-
gentium. ff. de pactis.* Probatur à *Glossa in cap. fi-
nali citato, ex l. de quibus in fine. ff. de legibus*, vbi
insinuatur debere consuetudinem introduci
sciente illo, qui potest ius condere, qui quidē
in Ecclesia, à qua impedimenta ordinantur,
tantum est Summus Pontifex. Secundò pro-
batur *ex l. iurisgentium. ff. de pactis, iuncta glossa*,
cuius meminit *Sylvest loco citato*. Vbi hæc do-
ctrina continetur, scilicet, quod ab eo, à quo
remouetur genus, id est potestas condendi le-
gem, speciem quoque remoueri necesse est,
scilicet potestatem inducendi consuetudinem
habentem vim obligandi, consuetudo enim, si
rectè inspiciatur, nihil aliud est, quam species
quædam iuris, vt patet *ex instituta. de iure natu-* C
rali. §. constat. Sed populus etiamsi coalescat
ex laicis, & clericis absque scientia, & consen-
su Pontificis, nullatenus concedendū est, quod
possit statuere legem circa impedimenta diri-
mentia matrimonium, nequit ergo inducere
consuetudinem vim habentem talia impedi-
menta instituendi, in materia enim tanti mo-
menti nimiam licentiam videremur concede-
re consuetudini, si eam vim ei tribueremus.
Secundo corroboratur conclusio, quia vt aper
te constat ex quæst. 49. huius tractatus, consti-
tutio impedimentorum dirimentium soli Sū-
mo Pontifici, & Concilio generali videtur
tribuenda, populus ergo, qui illis inferior est,
non potest media consuetudine eiusmodi im- D
pedimenta inducere, quibus consequenter ad
dendum erit, consuetudinem carere prorsus
vi imponendi impedimenta solum impedien-
tia matrimonium absque scientia, & consensu
legitimi in hac re superioris, quia vniuersali-
ter verum iudicamus, consuetudines non ha-
bēre vim legum, nisi media scientia principū
aliquod eis robur accedat.

14 Quia verò, vt robur obtineat consuetudo le
gis, satis est consensus expressus, aut præsump
tus principis: ideò vt legitime præsumatur ta-
citus consensus, sine dubio requiritur, longo
tempore consuetudinem fuisse obseruatam,
& in eo sæpius consuetudinem fuisse repetitā
quod si superior conscius consuetudinis ei ex-
presse assentiatur, sufficit, vnicum actum præ-
cessisse, etiāsi breui tempore durauerit.

Ex his, argumentis iu oppositum patet so- 15
lutio. Ad argumentum primæ sententiæ res-
pondetur illud nequaquā militare contra nos,
quia defendimus, solam consuetudinem scien-
tia superioris destitutam non posse opponere
impedimenta.

Ad argumenta secundæ sententiæ respon- 16
detur. Ad primum dicimus, consuetudinem
absque scientia, & patientia superioris neque
reddere homines inhabiles ad beneficium, ne-
que ad matrimonium. Ad secundum argumen
tum desumptum ex textu in *cap. super eo, & in
cap. 1. de cognat. spirituali*, facilis se offert disso-
lutio, nam ibi Pontifex expresse approbauit
illam consuetudinem, vt notat *Glossa in cap. su-
per eo*, quid igitur mirum, si ea consuetudo vi-
res obtinuerit obligandi?

Ad primum argumentum quartæ sententiæ 17
respondetur, nullam consuetudinē etiam cir-
ca alias materias pullulantem posse legem cō-
stituere, nisi scientia superioris, & eius appro-
batio accedant. Secundò argumento patet so-
lutio ex dictis in solutione secundi argumenti
adducti pro secunda sentētia. Ad tertium res-
pondetur, prædictum *cap. fin. de consuetudine*,
dum asserit, consuetudinem rationalem, & le-
gitime præscriptam habēre vim legis, esse in-
telligendum de consuetudine cognita à supe-
riore. Ad quartum eiusdem sententiæ adductū
à recentiore respondetur vbi deest lex, consue
tudinem habēre vim legis, quando est appro-
bata, & cognita à superiore. Ad secundam par
tem quartæ sententiæ respondetur non suffi-
cere ad valorem consuetudinis eam scientiam
confusam, quæ indicatur in *cap. fin. de consuetu-
dine*, sed requiri aliam specialiorem, sicut ibi
notauit glossa. Ad tertiam partem eiusdem sen
tentiæ respondetur non sufficere, quod ea cō-
suetudo sit laicorum, & clericorum, vt patet
ex secunda ratione nostræ conclusionis, & sen
tentiæ.

Antonin. 2. part. tit. 16. cap. vnic. §. 2. obijcit 18
contra nostram resolutionem, difficile esse cō-
suetudines omnes ad principis notitiam veni-
re. Ad hoc respondet *Vazquez loco citato*, es-
se quidem difficile, attamen consuetudinem
ignotam principi non esse habendam pro
lege.

Deinde obijcies contra eandem resolutio- 19
nem, quia leges à principio cum ea conditio-
ne conduntur, vt per longum vsum, & inuete-
ratam consuetudinem contrariam etiam igno-
rante principe robur amittant, ergo eo modo
inuenitur consensus tacitus principis. Huic
tamen obiectioni respondetur cum *Vazquez*

loco citato, nullum principem vsque adhuc isto modo suam mentem nobis patefecisse, imò neque credi, quod si interrogaretur, eam prædicto modo patefaceret. A

20 Circa secundam partem huius quæstionis *Sanchez loco citato num.* 14. sentit consuetudinem rationalem, & legitime præscriptam posse reddere habiles ad matrimoniũ, quos ius canonicum effecerat inhabiles. Probatur vnica ratione, quia *in cap. fin. de consuetud.* expresse dicitur, huiusmodi consuetudinem posse præualere contra ius canonicum, ergo cum ius canonicum apposuisset aliquod impedimẽtum, posset consuetudo tale impedimentum auferre.

21 Secunda conclusio. Nulla consuetudo sine scientia superioris; & tolerantia saltem tacita eius potest auferre impedimenta matrimonij statuta ab Ecclesia. Ita sentiunt cum communi sententia *Glossa cap. quod super allegato, verbo, non obstante, Couarr. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 18. Syluest. matrimonium secundo, quæst. 3. & alij.* Quæ conclusio patet ex fundamentis primæ conclusionis, omnia enim illa hanc cõclusionem à fortiori confirmant, nam si cõsuetudo impotens est ad inducenda impedimenta dirimentia, vel impedientia absque supra dicta scientia, & absque consensu tacito, vel expresso superioris, vt declaratum est in prima conclusione, ergo neque potest habiles reddere ad matrimonium consuetudo, eos, qui per ius canonicum prius erant inhabiles, neq; enim minores vires requiruntur ad secundum quam ad primum. *Ioannes Gutierrez tractatu de matrimonio, cap.* 101. Sentit, consuetudinem nõ posse auferre impedimentum positum à iure canonico, & probat ex textu in *cap. quod super de consanguinitat. & affinitat.* vbi dicitur, matrimonium intra gradus prohibitos, esse nullum non obstante consuetudine, sed textus intelligitur, quia in contrarium nulla erat consuetudo legitime præscripta, & cognita à Papa, quod si esset, non negat Papa, quin ea tolleret impedimentum.

22 Argumento in oppositum respondetur consuetudinem posse vires adquirere contra ius canonicum accedentibus scientia, & approbatione Pontificis, vt late docent *Enriquez, lib. 12. de matrimonio, capit. 1. numero quinto, in commento litera A. & Syluester loco citato in prima conclusione.*

23 Qua vero ratione probari possit, superiorem scire, & tolerare consuetudinẽ, vt ea habeat vim legis, videtur Theologorum metas transilire, & ad Iurisperitorum limites pertinere.

QVAEST. XXXIX.

Vtrùm sit specialis ratio malitiæ constituta in cõtrahendo matrimonio cum aliquo impedimento?

NEMINI in dubium venire potest, peccatum lethale eum committere, 1
qui non obstantibus impedimentis dirimentibus matrimonium audet cõtrahere, quia operatur contra legem iustam illud impedimentum constituentem, & in materia valde graui, quod satis est ad hoc, vt peccatum inde B resultans graue sit.

Deinde probabile est, inire matrimonium 2
his obstantibus impedimentis, esse vnicũ peccatum quatenus violatur præceptum naturæ, vel Ecclesiæ. (Vnde si in eo casu, quo impedimentum esset ab Ecclesia statutum, Ecclesia in eo dispensaret, nullum in tali celebratione matrimonij reperiretur peccatum) neque enim reperitur sacrilegium, vt supra duximus dum loqueremur de eo, qui contrahit matrimonium ductus metu cadente in constantem virum, quia enim contractus matrimonialis constans impedimento aliquo dirimenti est omninò reiectus à ratione materiæ sacramenti per ipsum ius: ideò celebrantes talem contractum non reddunt ipsum sacramentum nullũ C de se, quia quantum est de se valide intendunt contrahere, sed ius naturæ, vel ius Ecclesiasticum talem contractum matrimonialem, & sacramentum in illo nitens annullare cẽsentur. Vnde post talem nullitatem contrahentes nõ faciunt specialem iniuriam sacramento. Hanc partem defendit *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 50. art. 1. difficultate 3. post secundam conclusionem.*

Sed quæres, quale peccatum committet, qui 3
contrahit matrimonium cum impedimento dirimenti, si exponat se periculo consummandi eiusmodi matrimonium? Quidam iudicant, illum nullo modo peccare in huiusmodi contractu, quia non se exponit eo periculo peccandi temere, sed ex aliqua vrgenti causa, sicut D ille, qui non potest alibi commode viuere, potest habitare in domo, in qua est occasio, periculumque peccandi. Ita docuit *Salas tomo de legibus, quæst. 96. tract. 14. disp. 11. sect. 1. num. 9.* Hæc tamen doctrina apud me non bene audit, si loquatur de periculo proximo, quia salus animæ præponenda est commoditati corporali, quãuis sustinenda doctrina sit, si intelligatur de periculo remoto. Vnde cum *Vazquez loco citato*, respondetur in eo casu committi peccatum mortale, qui enim amat periculum, peribit in illo.

Ter-

4 Tertiò probabile est, nullum peccatum cōmitti ab eo, qui contrahit matrimonium cum impedimento aliquo dirimenti coactus metu cadente in virum constantem, dūmodo non habeat animum consummandi matrimoniū, hoc enim intrinsecè malum est, sed tantum habeat animum efficiendi quantum potest, & dummodo omne scandalum prorsus cesset, quia tunc, neque celebratur matrimonium, neque frangitur aliquod præceptum. Hanc partem tuentur *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 5. Sot. in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.*

5 Quartò defendēdum est copulam habitam inter eos, qui habent aliquod impedimentum dirimens, esse speciale peccatum distinctum specie à peccato fornicationis, quando in constituendo tali impedimento considerata fuit aliqua specialis ratio virtutis distincta ab honestate castitatis. Quando vero ius, dum constituit impedimentum, non respexit aliquam specialem virtutem, tunc in prædicta copula non reperitur alia specialis ratio malitiæ distincta à malitia fornicationis. Quod vt omnibus manifestum sit, considerate, copulam inter cognatos carnales, & inter affines, & inter cognatos legales, & sine dubio inuenietis malitiam distinctam specie à fornicatione prouenientem ex speciali irreuerentia, quam istæ personæ sibi exhibere debent. Quæ malitia sine dubio continet incestum. Attendite copulam inter cognatos spirituales, in ea enim reperitur sacrilegium propter reuerentiam debitam illis sacramentis, ex quibus talis cognatio dimanare dignoscitur. Perpendite specialem malitiam in accessu fidelis ad infidelem propter dedecus, quod inde resultat religioni Christianæ, & accessu impotentis, in quo frustratur finis copulæ, & in accessu fornicario eius, qui prius emiserat votum solemne, vel ordinem sacrum susceperat, vel coniugium celebrauerat, quia post votum, & ordinem cōmittitur sacrilegium, post coniugium vero adulterium, in alijs vero impedimentis, si quis accedat ad eam, cum qua habet impedimentum aliquod etiam dirimens, vt verbi gratia, erroris, vel conditionis, vel criminis, vel vis, vel raptus, vel clandestinitatis non reperitur specialis aliqua malitia præter malitiam fornicationis, quia in eis non læditur alia virtus, nisi castitatis, sed de his infra suis locis late agemus.

QVÆSTIO XL.

De aliquibus impedimentis impedientibus, vt Ecclesia prohibitione, sponsalibus, & leuatione proprij filij de sacro fonte, interfectione Sacerdotis, solemni pœnitentia, & coniugio cum moniali?

1 DEINCEPS agendum est de impedimentis in particulari, & prius de impedientibus, & quidem Ecclesia solet ad tempus prohibere matrimonium ob sedandum scandalum, vel ad cognoscendum aliquod impedimentum. Et hæc prohibitio impedit matrimonium, non vero dirimit illud, quam prohibitionem potest præter iudices Ecclesiasticos facere parrochus, quia hoc non est iudicialis indagatio causæ. Ita *D. Antonin. in summa 3. part. tit. 1. cap. 16. Syluest. matrimonio septimo, quæst. 1. dicto 2. cum alijs.*

2 Sponsalia etiam impediunt, matrimonium celebrari cum alia distincta ab sponsa, quia data ei fides per sponsalia debet adimpleri, non vero illud dirimunt.

3 Similiter est impeditus ad ineundum aliud matrimonium mortua vxore, qui animo priuandi vxorem debito coniugali, fit patrinus proprij filij habiti ex ea, sine necessitate. Patet ex cap. de eo, 30. quæst. 1. & idem est, si fiat patrinus confirmationis, quia in his duobus sacramentis tantum contrahitur cognatio spiritualis. Ita *D. Anton. loco citato, cap. 17. §. 4. Caietan. in summa verbo, matrimonium, cap. 1.* Iuste enim matrimonio priuatur iste, qui iura matrimonij violauit, hoc tamen impedimentū non dirimit matrimonium.

4 Etiam est impedimentum impediens, non vero dirimens, interficere Sacerdotem, vt patet ex c. 2. *de pœnitent. & remission.* quia optime priuatur coniugio, qui Sacerdotem occidit, ad quem attinet, interesse matrimonio, iste tamen homicida debet in iudicio contentioso conuinci de homicidio, quod significant illa verba, qui presbyterum occiderit conuictus, vsque ad vltimum vitæ suæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat. Ita sentiunt *Ostiens. super allegatum cap. num. vnic. & Abba. ibidem, num. vnic.*

5 Solemnis pœnitentia modo non est in vsu, olim tamen satis inualuit, imò & impediuit matrimonium, non vero diremit illud, imò solum arcebat homines à matrimonio perseuerante luctu pro peccatis assumpto, iste enim alienus omninò iudicatur à lætitijs nuptiarū, vt patet ex *cap. de his, 33. quæst. 2. ita not. Duran. in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2. num. 6. & alij.*

Qui

6 Qui contrahit matrimoniũ cũ moniali sciẽs & volens, valde impeditus est, ne aliquando possit ducere vxorem, quia tamen hoc impedimentum minime dirimẽs est, factum tenebit, si contrahat matrimonium cum alia fœmina nullo alio impedimento laborante. Constat hæc veritas ex *cap. hi ergo* 27. q. 1. ratio vero prohibitionis ea fuit, vt huiusmodi homo violans matrimonium spirituale sponsæ Christi, puniretur priuatione coniugij carnalis.

7 Præterea impeditur vxorẽ ducere, qui proprium filiũ occidit. Ita indicatur c. 1. *de his, qui filios occiderunt*, atq; ita defendũt multi Doctores, quos refert *Astens. in sum. 2. p. lib. 8. tit. 10. a. 1.* Cuius prohibitionis ea potest assignari ratio, quia per ea, quæ quis peccat, per ea debet puniri, sed huiusmodi homo contra ius matrimonij deliquit, quod docet parentes curã gerere vitæ filiorum, merito ergo debet priuari iure celebrandi matrimonium.

QVAEST. XLI.

Quid prohibeatur tempore feriarum circa matrimonium contrahendum?

1 TEMPVS feriarum appellatur illud, in quo Ecclesia prohibet, matrimonium cum certis conditionibus celebrari, quas postea sigillatim explicabimus.

2 Hoc autẽ tempus feriatum olim longissimũ erat, vt enim constat ex *cap. non oportet el primo. & el segundo, & cap. neque vxorem* 33. q. 4. Olim prohibitio matrimonij per longum tẽpus protrahebatur, vt ab Aduentu, vsq; ad Epiphaniã, à Septuagesima, vsq; ad octauam Paschatis, & à diebus Rogationum, vsque ad octauam Pentecostes, quod tamen tempus in *Concil. Triden. Sess. 24. c. 10. de reformat. matrim.* Ad breuius tẽporis interuallum redactum est. Verba Concilij hæc sunt: *Ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, vsque in octauam Paschatis inclusiue antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter omnibus obseruari, sancta Synodus præcipit. in alijs vero temporibus nuptias solẽniter celebrari permittit.* Ratio huius prohibitionis ea potest excogitari, quia in his celebrioribus anni tẽporibus, in quibus homines sacrã solent suscipere Eucharistiam, & in quibus necessum est, orationibus, & ieiunijs homines esse intentos conueniẽtissimum sane est, eos abstinere à nuptiarũ solemnitatibus, & multis vanæ lætitiæ signis, quæ illis solent adiungi, hæc enim à rebus spiritualibus animum separant, & ad terrena cogitanda deprimunt.

3 Pro cuius prohibitionis intelligentia notã-

A dum est. Primò cum *Sa in sum. v. verb. matrim.* diẽ ipsum Epiphaniæ, & diẽ octauæ Paschatis merito cõputari inter dies feriatos, quia in *Trid. loco citato*, merito additur vtrique diei particula illa inclusiue. Secundò prænotandũ est cum *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 7. n. 2.* tẽpus feriatũ Aduẽtus incipere à primis vesperis Sabbati ante Aduentũ. Tunc enim communiter, & quantum est de se officium aduẽtus solet incipere: tempus vero feriatum Quadragesimę incipere à media nocte diei Cinerum, quia officium Quadragesimæ si in toto rigore perpendatur, tunc sumit exordium, quæ doctrina vera est, nisi alium modum incipiendi consuetudo legitima obtinuerit, tunc enim consuetudini fauẽdum est. Iste autem modus numerandi initium

B temporis feriati conformis videtur rationi, quia numerari debet iuxta leges Ecclesiæ, in qua tempus incipere dicitur ab eo puncto, in quo officium Ecclesiasticum proprium illius temporis incipit.

His ita præiactis, supponendum est, benedictiones nuptiales esse prohibitas prædictis tẽporibus, ita enim docet experientia, & ita intelligunt cum communi sententia Tridentinũ Doctores: imò eiusmodi benedictiones prædictis temporibus suscipientes peccatum committunt mortale, quia in materia graui iustum violant Ecclesiæ præceptum. Quare Sacerdos sponsos benedicens tunc, puniendus est arbitrio iudicis, & sponsi, qui eo tempore recipiũt benedictiones, separandi sunt, vt habetur *cap.* 4

C *non oportet el segundo* 33. *quæst.* 4. & separandi sunt pro eo tempore, quo durat prohibitio Ecclesiæ. Ita docent *Abb. c. capellanus de ferijs, n. 4. & Sylnest. matrim.* 3. q. 2. in qua lege (licet alij oppositũ sentiãt) iure ordinario nequit Episcopus dispensare, quia ea lex nouissime lata est à Trid. quod superius est Episcopis, in lege autem superioris nequit inferior communiter dispensare, quando tamen vrgens valde se offerret necessitas dispensandi, & accessus minime pateret ad Sum. Pont. posset Episcopus in eo dispensare, vt benedictiones nuptiales tẽpore ab Ecclesia prohibito reciperentur, quibus causis occurrentibus etiam potest Episcopus in alijs Concilij decretis dispensare.

D Secundò supponendum est, prædictis temporibus minime prohiberi contrahere sponsalia, aut efficere denunciationes in Ecclesiã. Tum, quia in his nihil inuenitur contrarium sanctitati illi tempori debitæ, tum quia nullus textus hæc prohibet, quin potius consuetudo ea libenter admittit. 5

Licet hæc certa sint, tria tamen insurgunt dubia. Primum, an matrimonium possit licite celebrari eo tempore feriarum. Secundum, an liceant eo tempore traductio vxoris in domum viri, conuiuia, aliaque lætitiæ signa, quæ solẽt matrimoniũ comitari. Tertiũ, an possint 6

quemadmodum ergo corrupta manus exigē- A te id vtilitate totius corporis solet media abscissione inhabilis reddi ad vsus naturales, sic etiam potest aliquis tam prauis imbui moribus, vt conueniens sit, eum inhabilem reddi ad matrimonium propter bonum commune Reipublicæ. Et hæc sit secunda pars sententiæ *Sanchez*, in cuius robur addidit, *Vrbanum. V.* propter inobedientiam Ecclesiæ reddidisse inhabiles ad matrimonium quendam dominũ Mediolanensem, & liberos eius. Hæc tamen sententia, licet quantum ad secundam partem vera sit, quantum ad primam tamen falsa videtur. Vnde iudico cum *Veracruz, 1. part. speculi. art. 46. §. dubitatur vtrum, Vega 2. tom. summæ cap. 34. casu* 128. Vim habēte impedimentum dirimens constitutum à Pontifice, quamuis sine iusta causa statutum sit (licet in tali constitutione condenda peccaret grauiter Pōtifex, quod nullus dubitat) dummodo tale impedimentum non sit contrarium iuri naturali, aut diuino. Probatur doctrina hæc hoc vnico discursu, quia in his, quæ sunt de iure tātum positiuo humano Summus Pontifex legitimus est superior, ac dominus, liberaque potitur, atque absoluta potestate, vnde in ijs sine vlla causa valide dispensare potest in antiquis legibus ieiuniorum, verbi gratia, & obseruationis festorum, atque in Ecclesiasticis impedimentis matrimonij, ergo etiam valide potest circa hæc omnia sine vlla causa nouas leges edere, quibus ieiunia noua statuat, nouos dies festos præcipiat, ac impedimenta matrimonij de nouo instituat, quia hæc omnia pertinent ad ius humanum, quod dispositioni Pontificis subiectum est. Quare argumento *Sanchez* respondetur, matrimonium esse quidem iure naturali concessum, id est, permissum, non vero præceptum, vt late vidimus *quæst. 15. huius tractatus*, vnde posse Ecclesiam libere circa illud noua impedimenta instituere.

4 Sit secunda conclusio. Archiepiscopi, Episcopi, & alij prælati Summo Pontifici inferiores possent ex vi suæ potestatis apponere impedimēta dirimētia matrimoniū subditorū (licet aliqui recentiores oppositū tueantur.) Probatur, quia Episcopi in suis Diœcesibus sunt principes sacrorum, in eisque nisi ab Ecclesia prohibeantur, possunt quid quid potest Summus Pontifex in tota Ecclesia, sed constat ex prima conclusione posse Summum Pont. apponere impedimēta dirimentia toti Ecclesiæ, eadem ergo prædicti prælati suis subditis possent constituere ex vi suæ potestatis, de facto tamen nequeunt prædicta impedimenta instituere, quia ex generali Ecclesiæ consuetudine eam facultatem denegatam inuenimus, quemadmodum propter eandem rationem nequeunt dispensare in votis castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Hanc secundam conclusionem defendunt cum communi sententia *Armil. verbo matrimonium, num. 54. Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 16.*

5 Sit tertia conclusio. (Licet alij sentiant oppositum) Summus Pontif. & Concilia generalia tantūmodo possunt impedimēta dirimētia, imò & etiam solū impedientia matrimonium fidelibus imponere, non vero infidelibus. De fidelibus res est aperta ex praxi Ecclesiæ & quæ probatione minime indiget, de infidelibus vero probatur primò *ex Paul. ad Corinth. 5. cap. epist. 1.* Asserente: *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Id est, potestas mea iudicatiua ad infideles, qui sunt extra Ecclesiam, non se extendit. B Secundò probatur expresse ex *Innoc. III. in cap. gaudemus, de diuortijs*, vbi etiam prædictum Pauli testimonium in huius veritatis confirmationem adducit, potest vero Sūmus Pontif. infidelibus sibi temporaliter, ac ciuiliter subditis prædicta impedimenta imponere tanquam supremus gubernator temporalis eorum, licet hoc minime ei liceat erga infideles subditos dominis Christianis, quia in ordine ad eos, neque gerit vicem pastoris spiritualis, neque domini temporalis.

6 His ita statutis merito quæret aliquis, quibus verbis cognoscatur, prohibitio Ecclesiæ ita rigorosa, vt matrimonium contra eam celebratum sic prorsus nullum? Huic dubio late respondet *Sanchez, loco citato disp. 2.* vt tamen breuiter respondeamus.

C 7 Sit quarta conclusio. In ordine ad sponsalia, si Pontif. simpliciter non addendo clausulam irritantem prohibeat alicui sponsalia, & ille ea contrahat, licet grauiter delinquat illa contrahendo, ea tamen vim habent obligandi, dū tamen sponsalium materia non sit prohibita. Probatur primò, quia dum superior præcipit alicui, ne voueat, propter aliquam iustam causam, si tamē materia voti licita est, & eam quis voueat, valet votum, ergo similiter in nostro casu valent sponsalia. Secundò probatur, quia in eo casu promissio matrimonij non est iniusta ex parte obiecti, quia hoc eam efficeret nullam, sed ex parte subiecti, ne scilicet ea imprudēter fiat, quod nullo modo annullat promissionem matrimonij, ea ergo valida est in eo casu, D quod si obiectum reddatur illicitum, quia superior alicui prohibet cōtractum matrimonialem etiam sine clausula irritanti, cevera tunc sponsalia essent nulla, quia essent promissio rei illicitæ, quæ nullam habet obligandi vim.

8 Sit quinta conclusio. Si prohibitio matrimonij solum fiat generaliter sine clausula irritante matrimonium, & illud celebretur contra eius tenorem, matrimonium valorem suum sortitur. Ita sentiunt *Sylvest. matrim. 7. quæst. 1. dicto 3. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 16. in fine principij,* &

& communis Doctorum sententia. Probatur ex *Vulgari regula iuris, odia restringi, & fauores conuenit ampliari*, quæ regula præsertim vim habet in rebus magni momēti, sed sic est, quod prohibitio matrimonij est odiosa, & in re magni momenti, debet ergo restringi, vt non annullet matrimonium, nisi cum habet clausulā irritantem. Secundò probatur ex *cap. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ in fine*. Vbi cum sit sermo de ijs, quibus ob sponsalia præterita interdicebatur trāsitus ad alias nuptias, sic dicitur: *Licet enim contra interdictū Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conueniens, vt ob id solum Sacramentum coniugij dissoluatur, aliqua tamen pœnitentia debet imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt*. Quam pœnam assignat *Sanchez iuxta cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, loco citato num. 14.* imò clausula irritās ita specialis debet esse (quia matrimonium est res magni ponderis) vt dicat matrimoniū contra ea factum esse nullum.

9 Sit sexta conclusio. Etiamsi prohibitio Ecclesiæ circa matrimonium habeat clausulam irritantem specialiter matrimonium cōtra eam factum, adhuc tamen non est semper tale matrimonium nullum, nam si Pontifex hoc modo in perpetuum prohibet matrimonium, vel solum pro aliquo determinato tempore prohibet dum lis aliqua, verbi gratia, de aliquo impedimento definitur. Si prohibitio sit perpetua, tunc simpliciter, & semper est matrimonium nullum, quia verba sunt aperta, & ita hanc vim habent, ne sint superflua. Cum vero prohibitio est pro determinato tempore, tunc non est matrimonium nullum simpliciter, & pro semper, sed in quantum ponat præiudiciū alicui liti, & irritario hæc, & prædicta prohibitio intelligūtur ita, vt coniuges contra id interdictum contrahentes separentur quoad thorum, & cohabitationem, donec lis definiatur. Ita expresse sentit *Sanchez loco citato, num. 52.* & hoc modo videntur intelligendi *Panor. in cap. ad dissoluendum fine titulo allegatus ab Armil. in summa de matrimonio, num. 54. & idem Armil. ibi, & Syluest. matrimonio septimo, quæst. 1. dicto 3. citans Petrum de Palud.* Dum dicunt prohibitionem perpetuam facere nullum matrimonium, non vero temporalem, & ad certū tempus solum prohibentem, & hac ratione intelligitur irritatio matrimonij facta *in cap. tua fraternitas, de sponsalibus duorum, & cap. penult. ac desponsat. impub.* scilicet, quod separentur cōiuges, dum lis definitur, quia loquūtur de prohibitione temporali, cuius tota ratio est, quia matrimonium, quod tanti ponderis, ac momēti esse censetur, non est iudicādum nullum ex eo, quod fiat contra prohibitionem irritantem ad certum tempus matrimonium, sed contra perpetuam.

QVAEST. XXXVII.

Vtrùm principes seculares possint impedimenta dirimentia imponere?

1 PRO qua quæst. supponimus, quæstionem procedere de principe habente supremum dominium in aliquo territorio, vt de Rege Hispaniæ, Galliæ, &c.

2 Quidam dicunt, principem secularem Catholicum non posse hæc impedimenta apponere suis subditis fidelibus. Huius sententiæ sunt *Glossa fin. cap. si quis ingenuus. 29. quæst. 2. Abbas, cap. 1. de spons. num. 9. Felin. num. 10. & 11. D. Bonauent. in 4. dist. 42. art. 2. quæst. 2. ad finem*. Huius sententiæ ratio est, quia matrimonium fidelium est Sacramentum, vnde eius ordinatio non ad potestatem secularem, sed ad spiritualem pertinet.

3 Sit tamen prima conclusio. Princeps secularis ex vi, & natura suæ potestatis supremæ bene potest suis subditis fidelibus impedimēta dirimentia matrimonium statuere. Probatur, materia Matrimonij est cōtractus quidam ciuilis, quo vir, & femina sibi inuicem tradūt, & accipiunt potestatem corporum, sed princeps secularis potest alios contractus, quando id bono communi expediat, annullare, ergo & istum matrimonij. Et cōfirmatur, quia princeps secularis supremus habet potestatem ad ordinanda ea, quæ ad tranquillitatem Reipub. suæ necessaria sunt, sed ad hanc sæpe necessum est, impedimenta dirimentia apponere, ergo potest ea apponere, & multo melius impedimenta impedientia, quæ minoris sunt momenti, hæc autem potest princeps secularis Catholicus in subditos Catholicos, nisi ab Ecclesia impediatur, vt revera potest impediri, quia supra contractum matrimonij fundatur ratio sacramenti; quæ spiritualis, & supernaturalis est; & ad altiorem iurisdictionem, qualis est spiritualis Ecclesiæ proprius pertinet, hæc autem potestas est modo impedita principi seculari, & reseruata Ecclesiæ; & definitio causarū matrimonialium. Ita patet ex *cap. tuam. de ordine cognit. cap. multorum, 35. quæst. 6. cap. Euphemium 2. quæst. 3. vbi D. Gregor. ait, cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori*. Ita docent *Victoria relect. de matrimonio 1. part. secundæ partis, num. 12. Enriquez lib. 11. de matrimon. cap. 1. num. 4. & Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 50. art. 1. dub. 1. & alij.*

4 Secunda conclusio. Princeps secularis fidelis potest suis subditis infidelibus statuere impedimenta dirimētia matrimonium. Patet ex præcedēti cōclusione, quia esse habet de se potestatem ad hoc, nisi ab Ecclesia reseruetur, & aufe-

auferatur, at non est reseruata respectu subditorum infidelium, quia isti non sunt subditi Ecclesiæ, etiamsi sint in locis Christianorum, & quia in illorum matrimonio non reperitur ratio sacramenti, quæ coegit Ecclesiam ad reseruãda matrimonia subditorum fidelium, ergo potest iste princeps ea statuere. Ita sentit insignis noster *Abulen. 1. Reg. 8. quæst. 177. in fine*, & istæ causæ matrimoniales ad principem secularem pertinebunt. Si vero vnus coniugum est fidelis, sequendus est forus rei, & si ambo sint rei, quia ab extraneo petitur dissolutio matrimonij, iudex Ecclesiasticus est ad eundus ratione fidelis, quod quidem conueniens est in fauorem fidei.

5 Tertia conclusio. Princeps secularis infidelis potest suis subditis infidelibus impedimenta matrimonium dirimentia statuere. Ita docet *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 2. ad tertium, Nauar. in sum. cap. 22. num. 48. D. Anto. 3. part. tit. 1. cap. 6. vers. tertium punctum est.* Quæ conclusio probatur, quia isti principes supremi de se habent facultatem ad impedimẽta dirimentia imponenda, & non est eis ablata per Ecclesiam, quæ in prædictis textibus solũ eam abstulit principibus secularibus fidelibus, *Sot. tamen in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 1. solut. ad tertium in fine. Manuel Rodriguez 1. tom. sum. 2. edit.* Optime asserunt Iudæos hodie non posse hæc impedimenta statuere, quia neque habent rẽp. propriam, neque Principem, & statuta lege Mosaica circa impedimenta introducta *Leuit.* 18. expirarunt cum illa lege in Christi morte, sicuti omnia alia iudicialia præcepta, & ceremonialia, vt optime docent *Vazquez in tom. de legibus, disp. 181. & nouissime Doctor Tenas in suo tom. super epist. ad Hebræos, cap. 8. difficultate 6.*

6 Hinc fit, fideles subditos principibus infidelibus esse obligatos ad seruanda impedimẽta apposita ab his principibus, quia respectu eorum non est facta reseruatio ab Ecclesia, sed tantum respectu principum fidelium, vt patet ex dictis textibus. Addo vero ego rectè posse Ecclesiam ab his principibus auferre facultatem imponendi impedimenta dirimentia respectu subditorum fidelium, quia in eis matrimonium habet rationem sacramenti, quod potius est, iurisdictionem exercere in fideles subditos, qui sunt intra Ecclesiam, quam in principes infideles: isti tamen fideles debent seruare impedimenta Ecclesiæ, quia leges Ecclesiasticæ vbique fideles obligant, licet non ita obligent extra territorium suorum principum infidelium leges prædictorum principum.

QVÆST. XXXVIII.

Utrùm consuetudo vim habeat inducẽdi impedimenta dirimentia noua, vel abrogandi antiqua?

1 HAEC quæst. duas continet partes. Primam, an consuetudo habeat vim introducendi impedimenta noua dirimentia in matrimonio, quæ non erant iure diuino, naturali, neque humano introducta. Secundam, an consuetudo ita posit vincere ius canonicum, vt quos illud habiles ad matrimonium declarauerat, hæc inhabiles reddat.

2 Multa hic possent late disputari de consuetudine, sed quia hæc pasim apud Auctores reperientur, præsertim apud professores iuris canonici in *Decretalibus toto tit. de consuetud.* & ea omnia ad nos non multum attinent, ideò ea solum breuiter attingemus, quæ nostro instituto vtiliora esse videantur,

3 Generalia tamen quædam principia animaduertenda sunt. Primum sit, consuetudinẽ reprobatam à iure posse ex noua causa conualescere, vt optime notauit *Abbas cap. cæterum, num. 9. de iuramento calumniæ.* Secundum sit, potuisse à principio actum cõsuetudinis esse prauum, & postea decursu temporis honestũ fieri ratione præscriptæ consuetudinis, vt tenet cõmunis sententia cum *Caietan. 1. 2. quæst. 97. art.* 3. Tertium sit, consuetudinem præualere minime posse contra ius diuinum, aut naturale, quia illa iura superiora sunt consuetudine.

4 Primò, ergo supponendum est ex *cap. consuetudo dist.* 1. quod desumptum est ex *Diuo Isidoro, lib. 5. etymolog. cap.* 3. consuetudinem esse ius quoddam moribus institutum, cui cõsonat *lex 4. partita. 1. 2. tit.*

5 Secundò supponẽdum est, id quod expresse definitur *in cap. fin. de consuet.* ad hoc, vt consuetudo obtineat aliquam vim, debere esse rationabilem, & legitime præscriptam, erit autẽ rationabilis secundum *Nauar. lib. 3. consiliorum tit. de censibus*, cum non est contraria iuri naturali, aut diuino, vel secundum *Syluest. verbo cõsuetudo, quæst.* 1. cum de ea re, de qua habetur consuetudo, posset esse lex iusta, & sancta, erit etiam legitime præscripta iuxta *cap. audistis, de præscript.* contra ius canonicum si per 40. annos completos viguerit, vt sentiunt *Rochus de Curte capite vltimo, de consuetudine, & alij, contra Soto lib. 1. de iustitia, quæst. 7. art.* 2. asserentem, hoc esse tempus determinandum arbitrio prudentis viri.

6 Tertiò supponendum est, non esse quæstionem, an consuetudo posit nullum reddere id matrimonium, quod legitime celebratum est

eſt ante eam, hoc enim neque lex humana, neque conſuetudo vlla efficere poteſt, vt conſtat *ex cap. fin. de ſponſal. duorum*, vbi dicitur, non eſſe habendam rationem cõſuetudinis, vt ſpreto priori matrimonio rato, perſiſtatur in poſteriori conſummato, vt docent *Abbas cap. ſuper eo de cognat. ſpirituali, num. vlt. & Syluest. ma trimonio 2. quæſt. 3.* ſed quæſtio eſt, an conſuetudo poſsit apponere impedimenta matrimonio poſt eam ſecuto.

7 Quartò ſupponendum eſt tanquam certum cum *Oſtienſ. cap. fin. num. 1. de ſponſ. duorum, Turrecremata, cap. placuit, diſt. 32. art. 2. num. 13.* Et cum communi ſententia conſuetudinem approbatam expreſſe à Pontif. poſſe introducere noua impedimenta dirimentia, & auferre poſita iam à iure Canonico. Patet, quia talis conſuetudo habet vim legis Pontificiæ, lex autem Pontificia vtrunque poteſt præſtare. Solum autem quærimus, an conſuetudo ſaltim requirat conſenſum tacitum, & ſcientiam expreſſam Pontificis in Repub. Chriſtiana, vel Principis ſupremi in Repub. infidelium, & hoc tam ad impedimenta dirimentia noua, quam ad impedientia ſolùm introducenda.

8 In hac quæſt. multæ numerantur ſententiæ à *Thoma Sanchez 2. tomo de matrimonio, diſp. 4. lib. 7.* ſed eæ omnes ad quinque capita reduci poſſunt. Prima ſententia eſt illa, quæ aſſerit, conſuetudinem non poſſe introducere nouum impedimentum dirimens, ſed tamen matrimonium illud eſſe irritum, quod contra conſuetudinem mixtam Clericorum, & Laicorum, & iuncto ſcandalo ſecuto ex eo celebraretur, quia ius canonicum non permittit, matrimonium fieri cum ſcandalo. Probatur, quia conſuetudo non poteſt habiles reddere, quos ius canonicum efficit inhabiles ad matrimonium, ergo neque inhabiles efficere eos, qui ſecundum tale ius non ſunt inhabiles. Ita *Couarr. 4. decretal. 2 part. cap. 6. §. 10. num. 18. & alij.*

9 Secunda ſententia aſſerit, conſuetudinem poſſe inhabiles reddere ad matrimonium eos, quibus ſecundum ius canonicũ illud erat permiſſum, ſi ſcandalum ſequatur ex matrimonio contra conſuetudinem celebrato. Ita docent *Gloſſa cap. ſuper eo, verbo conſuetudo. de cognat. ſpirit. Abbas dicto cap. num. 4. & 6. & alij.* Probatur dupliciter primò *ex reg. Euerardi in Topicis, loco à matrimonio ſpirituali ad carnale*, ſed cõſuetudo facit homines inhabiles ad matrimonium ſpirituale, vt ad beneficium *cap. cum olim iuncta Gloſſa fin. de cleric. coniugat.* ergo reddere poteſt inhabiles ad matrimonium carnale. Secundò probatur *ex cap. ſuper eo, de cognat. ſpirit.* vbi id dicitur de conſuetudine, & *cap. 1. eodem tit.* conſuetudini ſcandalum adijcitur, ergo cõſuetudo cum ſcandalo poteſt introducere impedimenta dirimentia.

10 Tertia ſententia eſt *Sanchez loco citato, num.* A 14. (quem etiam ſequitur quidam Neotericus) aſſerentis tria. Primum conſuetudinem rationabilem, & legitime præſcriptam poſſe ſtatuere impedimentum dirimẽs matrimonium ſine ſcandalo adiuncto, & ſine aliquo alio iure. Et hoc probatur primò, quia conſuetudo poteſt circa alia leges ſtatuere, vt circa dies feſtos, ieiunia, &c. ergo circa matrimonij impedimenta dirimẽtia. Probatur ſecundò, quia in *c. ſup. eo. de cognat. ſpirit.* in 2. p. dicitur: *Dirimendũ eſſe matrimonium, quod contra receptam conſuetudinem celebratum eſt*, & non fit mentio ſcandali, neque alicuius alterius iuris, ergo conſuetudo hoc poteſt. Tertiò probatur, quia in *cap. fin. de conſuetud.* ſolum exigitur ad hoc, vt conſuetudo habeat vim legis, vt ſit rationabilis, & legi-
B time præſcripta. Quartò probatur à Neoterico, quia conſuetudo habet vim legis vbi lex deficit *ex cap. conſuetudo diſt. 1. ex l. de quibus 32. ff. de legibus, & ex D. Auguſt. epiſt. 86. ad Caſulanum*, cuius hæc ſunt verba: *Mos populi, & inſtituta maiorum pro lege ſunt tenenda, & ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coercendi ſunt.* Ergo ſola conſuetudo poteſt impedimenta dirimentia introducere, quamuis lege Eccleſiaſtica introducta non ſint; Secundò aſſerit Sanchez nõ deſiderari ſcientiam Pontificis ad valorẽ cõſuetudinis: imò pro ſcientia, & tolerantia Pontificis ſufficere eam, quæ habetur *in cap. fin. de conſuetud.* qua Pontifex dicit, conſuetudinem rationalem, & præſcriptam ſufficere ad legem
C inducendam. Tertiò aſſerit *Sanchez ibidem*, talem conſuetudinem debere obſeruari à laicis, & clericis, vt poſsit impedimenta matrimonio ſtatuere Ita *Conar. loco ſupra citato. Lud. Lopez 2. p. inſtructorij de matrimonio, cap. 46. col. 5.* Probatur, quia ſoli laici non poſſunt inducere legem Eccleſiaſticam, neque conſuetudinem Eccleſiaſticam.

Quarta ſententia eſt, poſſe conſuetudinem impedire matrimonium, non vero illud dirimere. Ita *Archid. cap. placuit. num. 2. diſt. 32. Turrecrem. ibi. art. 2. num. 12. & alij.* 11

Certum eſt, matrimonium ſemel legitime initum non poſſe conſuetudine diſſolui. Ita *Salas tomo de legibus, quæſt. 97. tract. 14. diſp. 19. ſect. 10.* vbi citat *Gloſſa capit. 1. de cognat. ſpirit.* 12
D *verbo, niſi conſuetudo, & alios Doctores.* Patet ex *cap. fin. de ſponſalibus duorum*, vbi dicitur: *Non eſſe ſtandum conſuetudini, vt ſpreto priori matrimonio rato perſiſtatur in poſteriori conſummato.* Et ratio eſt, quia Papa ſolus poteſt in caſu rariſſimo in matrimonio rato diſpenſare, ergo non poteſt lege, vel conſuetudine habente vim legis diſſolui, illud etiãſi id conueniat ad vitãdũ ſcandalum, quia ob ſcandalum ius diuinum nõ relinquitur, vt conſtat ex *cap. 2. de noui operis nunciat.* & hoc ſeperatione tori tollitur.

His tamen non obſtantibus multo verior 13

mihi

9 Hinc infertur. Primò matrimoniũ factũ cũ concubina metu præsentaneæ mortis esse validũ, vel metu gehennæ, vel ferarũ. Ita *Sot. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. vers. hinc 1. colligitur.* Cũ alijs multis. Secundo infertur, matrimonium contractum ab intruso in carcerem, si non sit ob matrimonium intrusus, esse validum. Ita *Gutier. de iuramento 1. p. c. 57. n. 4. & 5.* Tertio infertur, matrimoniũ contractũ ab eo, qui captiuus est inter infideles, dũmodo non detineatur captiuus propter matrimoniũ, esse validũ. Ita *Sanch. lib. 4. t. 1. disp. 12. num. 7.* Quarto valet matrimoniũ ad mortem damnati iuste, dum, vt euadat illã, ducit meretricem. Ita *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6. n. 5.* Aut, cum princeps offert ei indemnitatem, si aliquam fœminã ducat; quia tunc non incutitur metus ob matrimonium, sed iam illo iuste illato datur euadẽdi modus, quod longe diuersum est, & longe diuersum inuoluntarium causat, ac quando incutitur metus ad extorquendũ matrimonium. Ita *Couar. in 4. decretalium 2. p. c. 3. §. 4. n. 15.* Si vero metus ob aliũ finem illatus, iniuste incutiatur, siue iuste, siquis ad euadendũ malum eligit matrimonium, quia alter distinctus ab incutiente offert ei hunc modũ euadendi, valet matrimonium, vnde metus non injicitur ad extorquendum matrimoniũ, sed iam conceptus, & aliàs tolerãdus aufertur per matrimoniũ, & ita impertinens est, quod metus sit conceptus ex causa iusta, necne, quia enim matrimonium hoc modo non est contrariũ bono communi, ac si ad matrimonium extorquendũ inferretur metus, ideo non est irritatũ à iure. Vnde quinto infertur, valere matrimonium, quando damnato ad mortem propter homicidium condonatur vita, dummodo ducat filiam occisi. Ita *Manuel 2. tom. sum. cap. 8. num. 10.* Sexto infertur, valere matrimonium, si princeps obsessus offerat matrimoniũ obsidenti ad conciliandam amicitiam, dummodo obsessio ad matrimonium non sit ordinata. Ita *Petr. de Ledes. de matrimonio, quæst. 47. art. 3. dub. 1. conclus. 4.* Septimo infertur, valere matrimonium eius, quem parentes alicuius puellæ cum ea turpiter inuenerũt, & quem ad vitandam suam infamiam volunt occidere, si ille à nemine obligatus ad matrimonium illud offerat. Ita *Enriq. cum alijs, lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 2.* Octauo infertur, valere matrimonium morbo graui laborantis cũ filia medici, cui medicus non vult mederi, nisi filiam suam ducat. Ita *Sot. loco citato*, quod totum verum est propter rationes supra adductas, & quia his modis non datur occasio extorquendi matrimonium, sicut datur, cum iniuste metu extorquetur matrimonium.

10 Sit cõclusio. Matrimonium celebratũ propter metum cadentem in virum constantem iniuste incussum, ab extrinseco, & ad finẽ extorquendi matrimonium, neque in foro exter-

A no, neque internò valet. Ita *Sot. loco citato, verse. refutatur tamen Scot. in 4. distinct. 29. quæst. vnic. §. hic dicitur, Sylvest. matrimonium 8. q. 13. dicto 3. Nauar. in sum. cap. 22. num. 51. ad finem*, & alij multi. Probatur primo, *ex cap. veniens, el secundo de sponsal.* Vbi aperte dicitur, metum cadentem in virum constantem irritare matrimonium, & sermo est de metu iniusto, vt, cum pater volebat occidere inuentum turpiter cũ filia, quod non licet secundum Canones, etiãsi liceat secundum leges. Ita *Hostiens. cap. veniës ad finem in prima solutione*, & alij, & idem constat ex cap. significauit, de eo, qui duxit in matrimonium. Et quidem licet in dictis textibus supponatur tale matrimonium esse iam irritũ, & non appareat aliquis textus in quo de nouo ab Ecclesia id matrimonium annulletur, B tamen constans sententia defendit, eam irritationem ab Ecclesia medio scripto, vel traditione dimanare. Secundo probatur, quia Ecclesia semper præsumit pro meliori parte, *cap. estote de regulis iuris.* Ergo in prædictis textibus non sentit, contrahentes mentiri, & non habere cõsensus, sed eos habere, non tamen esse legitimos. Et confirmatur, quia Ecclesia in suo tribunali absoluit à matrimonio eum, qui confitetur se habuisse consensum coactum, ergo nõ valet etiam in foro conscientiæ, quia non fundatur in falsa præsumptione tunc forus exter nus, quare vterque forus tunc eadem mensura regulandus est. Tertio probatur, quia talis irritatio matrimonij initi metu cadente in virum C constantem fuit necessaria, quia matrimonia vi celebrata prauos exitus habent, facile enim separantur coniuges inter se ob inimicitias, & ita non procuratur proles, neque habita bene educatur. Et facile coniuges concubinatum appetunt, & in alia mala prolabuntur.

Ex his patet ad argumenta opposita. Ad primum respondetur, illam fœminam esse audiendam, vt declaretur nullum fuisse matrimoniũ. 11 Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem de alijs contractibus, & de matrimonio, quia alij contractus semel validi possunt rescindi, at matrimonium, si est consummatũ, nequit rescindi, etsi tantum est ratum, solum potest professione religionis, aut dispensatione Papæ rescindi. Ad secundum responde- D tur, Ecclesiam non posse irritare alia sacramenta consensu suscepta, quia non sunt contractus, at vero matrimonium, quia contractus est, potest irritare.

QVÆ-

QVÆST. XXIX.

Vtrùm metus cadens in virum constantem iuste illatus ad extorquendum matrimonium irritet illud?

1 PRima sententia asserit, minime valere matrimonium etiam hoc metu iusto initum. Ita docent *Glos. cap. veniens, el secundo de sponsalibus, Abbas, c. requisiuit, n. 2. de sponsal. ibi. Alex. de Neuo, n. 2.* Et alij multi. Probatur primo, *ex c. quia diuersitatem de concessione prabenda*, in illis verbis, *si fuerit sua culpa suspensus*, vbi glos. verbo *suspensus*, sic ait, *licet sua culpa inciderit in excommunicationem, non imputari ei, quod ex sua culpa processit.* Ergo, licet quis sua culpa det causam metui cadenti in virum constantem, propter hoc tamen metus nõ desinet annullare matrimonium. Secundo probatur Nullus priuata authoritate potest sua accusatione, quãuis alias iusta, cogere aliquẽ ad matrimonium, ergo ille metus, quo quis comminatur alicui iustam accusationem, nisi matrimonium ineat, iniustus est, & ita iuxta adducta in præcedenti, quæst. matrimonium annullat. Tertio probatur, quia metus cadens in virum constantem siue iuste, siue iniuste illatus tollit plenam consensus libertatem ad matrimonium requisitam, & parere potest exitus satis infelices, ergo irritat matrimonium semper.

2 Secunda sententia asserit, valere matrimonium metu initum, quando metus incutitur à iudice, & in lege est assignatus ad extorquendum matrimonium, non autem valere, quando metus non est à lege assignatus. Ita tenent *Medina. C. de restitutione, q. 3. causa 2. vers. si fiat remissio, Manuel. 1. tom. sum. in 2. edit. c. 231. num. 5.* Quæ sententia in quantum nititur contra nos probatur rationibus primæ sententiæ.

3 Sit prima cõclusio in hac quæst. Metus etiã cadens in virum constantem, si iuste infertur etiam ad extorquendum matrimonium, minime irritum reddit matrimonium, vt si quis latroni furanti bona sua comminetur accusationem apud iudicem, nisi certam quandam fœminam ducat, etiamsi latro propter metum hunc eam ducat, valet matrimonium. Ita *Conc. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 4. num. 12. Card. cap. veniens, el secundo num. 2. de sponsal. Gofred in sum. tit. de his, quæ vi, num. 3. in 1. solut.* Et alij multi. Probatur primo ex *l. si mulier 21. in prin. ff. de eo, quod metus causa*, illis verbis, *si mulier contra patronum suum ingrata facta sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc sibi metũ ipsa infert.* In quibus vltimis verbis patet, eo ipso, quod quis

A delictũ cõmisit, concipere à se ipso timorem, sed timor ab intrinseco nõ facit irritũ matrimoniũ, ergo neq; iste metus. Secundo probatur, quia idẽ metus sufficit ad annullandũ matrimoniũ, atque ad annullandã professionẽ, sed vt cõstat ex *c. de regularibus de simonia.* Monachus ob simoniam detrudendus est in arctius monasteriũ, & debet ibi profiteri, vt docet *Sanch. t. 1. lib. 4. de matrim. disp. 13. n. 3.* Qui quidem metus est cadẽs in virum constantem, & iustus, ergo idem metus non annullabit matrimonium. Et probatur à priori, quia dum quis iuste infert alicui metum ob aliquod delictum; vt, te accusabo propter furtum, nisi matrimonium contrahas, tunc metus ille magis oritur ex natura delicti, & ab intrinseco, quia intra illud est B iusta causa timendi, quam ab extrinseco, ergo, qui comminatur malum illi, nisi matrimonium ineat, non censetur metum inferre, sed potius metum iam conceptum auferre, offerẽdo, tanquam medium ad euadendum malum, matrimonium.

Ex his patet ad argumẽta opposita. Ad primum respondetur, quod ex eo talis metus non annullat matrimonium, quia vere non est metus incussus ad illud extorquendũ. Sed metus ex delicto conceptus aufertur, exigendo tanquam pretium matrimonium pro iure, quod habet accusandi, quod est pretio æstimabile. Ad secundum respondetur eodem modo. Ad tertium respondetur metũ non ideo solũ annullare matrimonium, quia tollit libertatem, C sed quia eã tollit iniuste, & iniuriose, & annullari quasi in pœnam metum incutientis. Præterea respondetur, non tã infelices exitus sperari ex isto metu iusto, quia facile quiescit animus ex metu contrahentis matrimonium, dũ videt, se causam dedisse metui, & vi. 4

Quæres primo, an matrimonium metu extortũ sit irritũ iure naturæ, vel solo iure Ecclesiastico? Ad hoc respondetur esse irritum solo iure Ecclesiastico. Ita *Dur. in 4. distinct. 29. q. 2. nu. 6. Sot. ibi, quæst. 1. art. 3. versic. qui ergo hanc opinionem, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 1. & 3. Syluest. matrimonium 8. quæst. 11. dicto. 3.* & alij. Probatur primo, quia, si iure naturæ esset irritum matrimonium metu iniusto extortum, aut hoc esset propter iniuriam illatam D metum patienti, & hoc non, quia etiam in metu leui fit iniuria, & tamen non redditur nullũ matrimonium: vel esset propter defectum plenæ libertatis, & hoc non, quia etiam in metu iuste incusso à causa libera, vel naturali deficit hæc libertas. Ergo solo iure Ecclesiastico prædictus metus irritat matrimonium. Secundo probatur, quia voluntas metu graui coacta in suscipiente sufficit ad valorem baptismi, vt patet ex *cap. maiores de baptismo.* Ergo etiam sufficeret, nisi Ecclesia oppositum statuisset, ad valorem matrimonij. 5

6 Pro contraria tamen sententia etiam probabili obstant aliqua. Primum est, quia Ecclesia, cap. cum locum, & cap. veniens, el segunda de sponſ. & alibi, vbi loquitur de matrimonio metu contracto, non irritat matrimonia, sed supponit, ea irrita esse iure naturæ. Respond. non inueniri primum decretrum, in quo hoc sit statutum ab Ecclesia, sed ab ea id supponi in dictis textibus, haberi tamen hoc ex traditione Ecclesiæ, ita esse statutum ob bonum cōmune, & vt infelices exitus matrimonij euitentur. Secundum argumentum est, quia non est conueniens bono matrimonij, & bono prolis matrimonium metu celebratū, ergo iure naturæ irritatur. Ad hoc respondetur non esse ita conueniens, ac oppositum, & ita oportuit, Ecclesiam illud irritasse; non tamen est omnino disconueniens, siquidem est simpliciter voluntariū. Tertium argumentum est, quia conditio contra bona matrimonij illud irritat iure naturæ, ergo & coactio. Adhoc respond. illam conditionem destruere essentiam, non tamen coactionem. Quia relinquit simpliciter voluntatem liberam.

7 Quæres secundo, an peccet ille, qui ex metu contrahit matrimoniū. Et respond. quod si profert exterius verba consensus, & illum nō habet, mentitur, non tamen in re graui, quia non decipit alterum in re graui, cum matrimonium etiam vere consentiendo non possit esse validum, neque facit iniuriam sacramento, quia sacramentum hoc de se est nullum metu confectum. Quod si vero cōsentit, nihil peccat, quia quantum est de se facit matrimoniū, nisi ab Ecclesia esset irritatum, neque etiam in hoc casu facit iniuriam sacramento, quia verba metu illo prolata non sunt materia, neque forma sacramenti ex statuto Ecclesiæ. Vnde ipse non irritat sacramentum, neque ad irritationem facit aliquid.

QVAEST. XXX.

An ille, qui omnino libere contraxit matrimonium cum altero metum passo, maneat ad aliquid obligatus, quando fuit causa metus alteri illati?

1 QVIDAM dicunt, teneri ad expectandum congruo tempore, an alter metum passus postea constitutus in libertate velit cum illo contrahere, & hoc ratione iniuriæ, quam ei intulit. Ita *Syluest. matrimonium 8. q. 11. dicto 4. Turrecrem. 31. q. 2. in sum.* & alij. Probatur primo, quia ex parte cogentis consensus est absolutus, & sufficiens ad eum obligandū, ergo eum obligat altero non obligato. Et cōfirmatur, quia si metu pator cogatur aliquid emere, potest petere rescissionem contractus, & eā non potest petere venditor cogens, quia manet obligatus ad eam, ergo idem est in nostro casu.

2 Sit tamen prima conclus. Ille, qui metum intulit in prædicto matrimonio, non tenetur in foro conscientiæ illud perficere matrimoniū, donec à iudice condemnetur, si aliud damnū non est sequuturum. Ita in alio simili casu, cum serua contraxit cum libero eum decipiēdo, & dicendo se esse seruam. Docet *Sot. in 4. dist. 31. q. vn. a. 2. §.* postremum dubium est. *Bart. à Ledes. dub. 31. de matrim. concl. 3. ad finem.* Probatur primo, quia contractus iste est onerosus, & ex vtraque parte debet esse obligatorius, sed ex parte coacti non manet aliqua obligatio, ergo neque ex parte cogētis. Neque valet, quod ratione iniuriæ illatæ coacto non potest à contractu cogens resilire, nam cōtra est, quod si nullum aliud damnū sequitur in honore, aut alia re iniuria est leuis, & quæ potest, alio modo, quā per matrimoniū resarciri. Neque ad hoc tenetur cogens ratione delicti coactionis, quia nullus tenetur, hanc pœnā sibi imponere, sed eam imponere ad iudicē attinet. Et confirmatur, quia in hoc matrimonio coacto non habuit animum cogens se obligandi, nisi coactus se etiam obligaret, sed coactus non mansit obligatus, ergo neque cogens.

3 Secunda conclusio Iudex potest, cogentem cōpellere ad perficiendū matrimoniū, si coactus positus in libertate id velit. Probatur, quia ratione delicti adhoc videtur posse obligari. Talē tamen coactionē iudex prudenter debet tentare, ne prauos exitus sortiatur matrimoniū. Ad argumēta respondetur, ad primum in contractibus gratuitis bene posse vnam partē obligari altera sine obligatione manente, vt vidimus in materia de sponsal. non vero in cōtractibus onerosis, qualis est hic matrimonij. Ad secundum respondetur, in alijs contractibus, vt in adducto in eo argumēto, veram esse eam doctrinam, quia contractus valet, at vero matrimonium nō valet, & ita neque vna pars, neque altera manet obligata.

QVAEST. XXXI.

An matrimonium metu viri constantis initum validum efficiatur per copulam subsequutam animo maritali?

VT hic certa ab incertis separemus. Primo supponendum est, validum effici matrimonium metu graui initum, quando & metum passus, sublato metu, & metus causa, accedit ad priorem fœminam animo mari- 4

maritali cum conditione Concilij Tridentini, partochi, & testium, sciendo prius matrimonium non valuisse. Et quando alter, qui libere procedit, in antiquo consensu perseuerat, patet, quia copula, vt supra vidimus, est sufficiens signum consensus. Ita tenent communiter Doctores cum *D. Thom. in 4. distinct. 29. quaest. vn. art. 3. quaestiuncula 1. ad secundum.*

2 Secundo supponendum est, etiam ratificari matrimonium metu extortum per cohabitationem mutuam in eadem domo, eorum, qui prius contraxerant. Ad quod primo requiritur, quod prius matrimonium sciatur esse nullum. Secundo quod habitatio sit diuturna, in dubio, an quis potuerit fugere, vel sufficit breuis cohabitatio, quando constat, potuisse fugere; quae omnia relinquenda sunt prudentis arbitrio. Tertio quod habitatio sit omnino libera, cessatque omnino timoris causa. Similiter ratificatur matrimonium per omnes actus, per quos olim ante Trident. sponsalia in matrimonium transibant. Ita *Sanch. dicto, lib. 4. disp. 18 in prin.*

3 Difficultas vero est, an matrimonium metu graui extortum ratificet copula eodem metu extorta. In qua difficultate quaedam sententia asserit, quod si copulam solus metus efficiat, non valet matrimonium, si autem habeatur ad vitandum peccatum, valet. Ita *Ludoui. Lopez 2. part. Instructorij de matrimonio, cap. 40. fol. 1066.* Secunda sententia ait, valere tale matrimonium. Ita *Palud. in 4. distinct. 29. quaest. 1. art. 4. conclus. 3. num. 25. Sot. ibi. quaest. 1. ar. 3. ad finem versic. in contrarium autem*, & alij. Probatur primo, *ex cap. 2. de eo, qui duxit in matrimonium, accedente glos. verbo, cognouerit, & c. consultationi de sponsal. accedente etiam Glos. verbo ante.* Vbi denotatur, in matrimonijs violentis copulam ea ratificare. Et probatur secundo, quia metus irritat matrimonium, quando rationabiliter tollit libertatem, & constanter proceditur. Sed qui in casu huius metus accederet ad eam copulam non efficiendo matrimonium ob vitandam mortem, peccaret, ergo non procederet rationabiliter, & constanter; quare matrimonium non valeret. Tertio probatur, quia lex irritans matrimonia meticulosa est in fauorem metum patientis; si autem matrimonium in hoc casu non valeret, haec lex noceret metum passo, quia constringeretur iste ad tolerandam mortem, vel committere peccatum.

4 Sit conclusio. In eo casu matrimonium non valet. Ita *Abb. cap. discretionem, num. 3. in fine de eo, qui cognouit consanguineam. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. ad finem, Enriq. lib. 11. de matrim. ca. 9. num. 7.* & alij. Probatur primo, quia lex irritans matrimonia meticulosa non attendit, an ille, qui metu contrahit, peccet, vel non, sed attendit ad malum comminatum, quod de se graue sit, & sufficiens ad priuandum libertate virum constantem, timoremque illi, iniiciendum: si ergo quis metu mortis ineat matrimonium, siue cõsummet cũ peccato, vel sine illo, quia semper tollit libertatẽ, semper annullat matrimonium. Secundo probatur, quia eadem inconuenientia sequuntur ex cõsummatione matrimonij cum metu graui, ac ex celebratione, imo maiora, quia non posset dissolui, ergo lex annullans matrimonium initum metu graui, etiam annullat illud consummatum eodem metu. Vnde potius deberet quis, mortem subire in hac opinione, quam matrimoniũ cõsummare, quia consummatio esset peccatum. Quamuis in hoc conflictu posset secundã sententiã probabilem sequi.

5 Ad argumenta opposita respondetur. Ad primum illos textus esse intelligendos de copula libera, non coacta. Ad secundum patet ex nostra prima ratione. Ad tertium respondetur legem hanc respicere bonum commune, quod maxime consistit in hoc, quod matrimonia libere fiant.

QVAEST. XXXII.

Vtrum matrimonium cõtractum per metum cadentem in virum constantem firmetur iuramento?

1 Contractum aliquem firmari iuramento, vt supra vidimus in materia de sponsal. consistit in eo, quod contractus alias inualidus per iuramentum efficiatur validus, & irreuocabilis, & ideo de matrimonio quaerimus, an isto metu graui, & iniusto celebratum non valeat, validum tamen fiat per iuramentum ei additum.

2 Aliqui dicunt, saltim in foro conscientiae effici in hoc casu matrimonium validum. Probatur primo ex *D. August cap. inter caetera 22. quaest. 4.* Vbi de eo, qui timore necis iurauit foeminae, se eam ducturum in matrimoniũ, sic dicitur, *matrimonium fit in Deum fixum, & stabile.* Ergo valet matrimonium metu initum, si iuramento confirmetur. Et confirmatur, quia renuntiatio legitima est inualida, *ex cap. quamuis pactum de pactis in 6.* & tamen valet, si iuramentum ei addatur, ergo matrimonium aliás inualidum iuramento fit validum.

3 Sit prima conclusio. Matrimonium metu initum non valet etiam addito iuramento. Ita tenent *Glos. c. 2. verbo tanta de eo, qui duxit in matrimoniũ, Sylues. matrim. 8. q. 11. dicto 8. Torrecrem. 31. q. 2. in sum. n. 12, Conar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 3. Petr. de Ledes. de matrim. q. 47. a. 3. circa 3. argumentũ fol. 216.* & alij. Probatur primo, *ex c. 2. de eo, qui duxit in matrimonium.* Vbi dicitur, eum, qui post matrimonium metu contractum, & iuratum aliam foeminam duxit, debere permanere cum secunda, & prius ma-

 trimo-

trimonium non valere. Secundo probatur, quia, vt vidimus in materia de sponsalibus Contractus prohibitus ob bonum commune non firmatur iuramento; vt, quia renuntiatio fori est prohibita clerico propter bonum cõmune status clericalis, non valet renuntiatio fori etiam iuramento à clerico facta, sed, vt supra vidimus, matrimonium coactum est prohibitum propter bonum commune, ergo nequit iuramento confirmari. Tertio probatur, quia iuramentum sortitur conditiones actus, cui adhæret, *l. fin. C. de non numerata pecunia*, sed matrimonium requirit omnino liberum consensum, ergo & iuramentum eius, vnde non firmabitur iuramento.

4 Secunda conclusio iuramentum hoc metu graui extortum circa matrimonium non obligat, neque valet. Ita tenent Doctores citati, & probatur, *ex cap. allegato*. Vbi libere permittitur, illum, qui iurauerat matrimonium, primæ fœminæ, cum secunda contrahere. Tum etiam probatur alijs rationibus primæ conclusionis, quia hoc iuramentum accedit contractui prohibito ob bonum commune, & requirit omnino liberum consensum, sicut & matrimonium, ergo, quando fit metu, non valet. Vnde, si iuramentum ita fit, Iuro me tecum contrahere matrimonium, non obligat propter dictas rationea, si autem iuramentum fit de non contraueniendo illi matrimonio nouo consensu, sed illo vsurum, in actibus coniugalibus, nõ valet iuramentum, quia est contra bonos mores, scilicet, vtendi non sua, quod si iuramentũ fit de rato habendo matrimonio per nouum consensum, quod habet vim sponsalium, in sequenti disp. res examinanda est.

5 Ad primum argumentum in oppositum respondetur iuramentum illud de contrahendo matrimonio fuisse validum, quod habet vim sponsalium, & non matrimonij, vt significat, *Glos.* ponens casum: dicit enim, *hominem illum consanguineis iuraße, illam ducere*. Ad secundum respondetur illum contractum firmari iuramẽto, vtpote prohibitum propter bonum priuatum tantum.

QVÆST. XXXIII.

An sponsalia metu viri constantis inita valida sint, & iuramento firmentur?

1 QVOAD primum punctum quidã dicunt, sponsalia metu viri constantis, idest graui, inita non valere. Ita *Abb. c. ex literis, de despons. impub. n. 2. Alex. de Neuo, n. 2. Petr. de Ledes. de matri. q. 47. a. 3. circa tertium argumentum, dub. 3. & Sãch. lib. 4. citata disp. 19.* Probatur ex c. ex literis de

A *despons. impub.* Vbi puella quędã duodecim annorũ nupserat puero nouem, & antequã puer ad 14. ætatis annos matrimonij perueniret, puellæ, quæ aliàs deberet vsq; ad eã ætatẽ expectare puerũ ad matrimoniũ cõtrahendũ, datur facultas alteri viro nubẽdi, ergo signũ est, spõsalia fuisse metu graui inita, & ita inualida iudicata à Papa. Vnde inquit, *Sanch. in hoc tex.* supplendã esse literã tex. & intelligendum, ad fuisse metum.

2 Sit tamẽ prima cõclus. Spõsalia nõ sunt ipso iure nulla, etiãsi metu graui celebrẽtur, sed annullãda per iudicem. Ita docẽt *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 9. n. 6.* & alij, & eã putat probabilem *Sanch. n. 3.* Probatur primo, quia cũ diuersa ratio currit in spõsalibus, & matrimonio, annullato matrimonio nõ cẽsentur annullatã spõsalia,

B vt supra diximus, valere spõsalia clãdestina, & nõ matrimonia. At in nostro casu currit diuersa ratio, ideo enim Ecclesia annullauit matrimoniũ metu initum, quia, si semel valeret, amplius rescindi nõ posset, & ex eo maxima sequerẽtur dãna, at spõsalia metu inita possunt rescindi, quamuis semel valeant, ergo non sunt inualida. Secundò probatur, quia sponsalia metu, viri constantis inita non sunt, inualida iure naturæ, vt patet, quia iure naturæ voluntas coacta voluntas est, nõ iure positiuo, quia non constat de aliquo textu, nec de *ca. ex literis*, ea annullari, ergo sunt valida.

3 Ad argumentũ respond. illũ textũ non esse intelligẽdũ de sponsalibus initis cõsensu coa-

C cto per metũ, sed, vt constat *ex glos.* ibi, ponẽte casum, *& verbo desponsata, & Inn. ibi, in prin.* in illis sponsalibus non fuit aliquis consensus.

4 Secũda concl. Spõsalia metu leui inita valida sunt in foro externo, & interno, at vero in cõsciẽtia nõ debẽt seruari. Quod probatur ex supra dictis, vbi docuimus generaliter, neminẽ obligari in conscientia ad seruandum contractum initum metu leui, ne iniuriam inferens reportet commodum ex sua malitia.

5 Tertia cõclus. Etiã si sponsalibus metu graui initis adijciatur iuramentũ, nõ tamen propter hoc ita firmãtur iuramẽto, vt efficiãtur irreuocabilia, quin potius potest peti relaxatio iuramẽti ab Episcopo, & ea obtẽta potest quis agere cõtra spõsalia, sicut, & ante iuramẽtũ; quod

D fit ratione iniuriæ illaræ ei, qui per grauẽ metum coactus est sponsalia celebrare, & iurare.

6 Quarta cõclus. (licet alij relati à *Sanch. disp. 21. n. 3.* quos ipse sequitur sentiãt oppositũ) iuramentũ additũ sponsalibus metu graui initia valet, & obligat. Eã conclusionem sequuntur, *Syluest. verbo sponsalia, quæst. 6. in fine*, & eam reputant probabilem, *Sot. lib. 4. de iust. quæst. 1. art. 7. solut. Ad tertium a. membr. responsionis, Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 6.* Probatur hac vnica ratione, quia iuramentum obseruandum est, quando non est contra bonos mores,

nec

nec contrà publicam vtilitatem; at hoc iuramentum sponsalium istorum non est contra bonos mores, quia sine peccato potest quis illud obseruare, neque est contra bonum cōmune, quia quando ex illis mali exitus timeantur, facile possunt dirimi, ergo tale iuramentum obseruandum est. Secundo probatur, *ex c. inter cætera 22. quæst. 4.* vbi iuramentum aliquā ducendi validum reputatur, quamuis esset metu mortis emissum.

QVÆST. XXXIIII.

Vtrùm pater possit cogere filium ad matrimonium?

1 PRimo certum est, valere matrimonia a filijs inita, quamuis inuitis parentibus fiant. Ita definitur, *cap. cum virum de regul. & in Trident. sess. 24. cap. 1. de matrimonio, ibi, eos Sancta Synodus Anathemate damnat, qui falsò affirmant, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Et similiter est certum de fide, non satis esse ad matrimonia, vel sponsalia filiorum, si parentes, & non filij consentiant, vt definitur, *c. sufficiat 27. quæst. 2.* & alibi. Vnde cum, *cap. aliter 30. quæst. 5. & cap. si. 32. quæst. 2.* & alibi, requiritur consensus parentum, hoc solum est de honestate, & conuenientia, non de necessitate; & leges ciuiles decidentes matrimonia hæc sine consensu parentum esse nulla abrogatæ sunt Iure Canonico.

2 Secundo certum est cum *Gutier. lib. 1. quæst. can. cap. 20. in fine, Molina, tom. 1. de iust. tit. 2. disp. 176. fol. 1047.* parentes etiam iniuste impedientes matrimonia filiorum non incurrere excommunicationem ipso facto latam, *in Trident. sess. 24. cap. 9. de matrim.* contra impedientes matrimonia, quia, ibi, est sermo tantum de dominis temporalibus, & Magistratibus, & alijs iurisdictionem habentibus in foro externo, quare Episcopus cogens incurret, vt docet *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6. n. 5. cōment. lit. G.* Et ibi, neque Rex, neque Imperator cōprehenduntur, quia istæ personæ, vt in excōmunicatione comprehendantur, debent exprimi.

3 Vnde sit prima conclus. Parētes nō possunt per metum cadentem in virum constantem cogere filios ad matrimonium. Ita tenet communis sententia cum *D. Thom. in 4. dist. 29. quæst. vn. art. 4.* & ratio *D. Thom.* est, quia in matrimonio est quædam seruitus perpetua, ad quā requiritur summa libertas.

4 Secunda conclusio. Peccāt parentes sine iusta causa impedientes matrimonia filiorū: patet, quia in eligendo statu liberi sunt filij.

5 Tertia conclus. Quando adest iusta causa; vt A quia matrimoniū est indignū, nō peccat Princeps, aut pater suauibus medijs impediēs matrimoniū aliquod, quia hoc nō est impedire matrimoniū, sed melius suadere, sic *Gut. q. Can. lib. 1. c. 20. n. 27. & Sanch. lib. 4. allegato, disp. 22. n. 7.*

Quarta cōclus. Regulariter, & generaliter loquēdo nō tenetur filius semper implere spōsalia, quæ absq; suo consensu pater promisit. Ita *Glos. c. 1. de despons. impub. verbo debet Ioan. Andr. n. 8. Syluest. verbo præceptū, q. 2. Scot. in 4. dist. 29. q. 1. in fine*, & alij. Probatur, quia in cōtrahēdo matrimonio filius est liber, & in contrahendis spōsalibus: ergo regulariter non tenetur filius patri obedire. Vnde, cum in *dicto, cap. 1. de despons. impu.* dicitur, debere filiū implere spōsalia per parentem inita, illud verbum debet B Doctores citati intelligunt de debito honestatis, non præcepti. 6

Quinta conclus. Quādo valde necessariū est patribus aliquod matrimoniū, vt ad graues inimicitias cōponendas, tenetur filius sub culpa mortali celebrare illud matrimoniū, quod pater præcipit, aut mater, quia filij tenentur subuenire parentū necessitati. Ita *D. Thom. in 4. dist. 29. q. vn. a. 4. in corpore, Sot. q. 1. a. 4. conclus. 3. Nauar in sum. c. 14. n. 15.* & alij. Et hæc obligatio oritur, non tā ex præcepto patris, quam ex virtute pietatis, qua quis tenetur patri subuenire. Et in hoc casu teneretur relinquere religionē, si eius matrimoniū esset simpliciter necessariū ad liberādos parētes à morte, & ad cōponēdas inimicitias; & in hoc casu posset C matrimoniū iniri, etiāsi esset data fides alteri spōsæ, quia nō videtur cū hoc dispēdio data. Imo si filius vellet assumere statū religionis, & parentes indigerent ita, vt esset necessariū, eū ducere vxorē diuitē, quæ offertur ad subleuandā parentum necessitatem, teneretur illā ducere. 7

Sexta concl. (licet alij, quos refert, & sequitur *Sanch. lib. 4. c. 1. disp. 23.* oppositū sentiant) Quāuis pater nullū matrimoniū præcipiat in particulari, si tamē filius inuitis parētibus sine causa legitima cōtrahat matrimonium, peccat mortaliter. Ita *Sot in 4. dist. 28. q. 1. art. 1. in fine. Bellar. lib. 1. de matrim. c. 19. prop. 3. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 6 n. 6. Petr. de Ledes. q 47. a. 6. dub. 2.* Dicēs esse sententiā Theologorū, & iuris peritorū. Probatur primo, quia per hoc fit grauis D iniuria patribus in re graui, ergo cōmittitur graue peccatū. Secūdo probatur, quia parētes tenētur prouidere filijs de matrimonio sub culpa mortali, ergo filij sub eadē culpa tenentur nō inire matrimoniū inuitis parentibus, quod est argumentū *D. Paul, ad Hebræos 13.* Probantis subditos esse obligatos ad obediendū Prælatis, quia illi tenentur rationem reddere de subditis. Et probatur ex *cap. honorantur 32 q. 2.* ibi, *non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed iudicium parentum expectare.* Et pro hac parte Scripturæ testimonia adducit *Bellar. loco* 8

citato, posset autem filius inuitis parentibus matrimonium inire, si pater iniuste prohibeat matrimonium ei, aut si pater indigno matrimonio velit filium collocare propter maiorem dotem, vel quando vult, filium contrahere matrimonium cum ægra, imprudenti, aut fœmina durioris conditionis, vel, quando aspere vexaretur filius à patribus.

9 Quæres primo in fine huius tractatus, an patres possint exhæredare filios inuitis ipsis contrahentes matrimonium? Ad quod respondetur cum communi sententia parentes posse exhæredare filiam, non aliàs, si inuitis eis contrahant matrimonium, si tamen tria adsint. Primo si parentes eam velint collocare matrimonio iusto, & dotem etiam iustam dare. Secundo vt filia illi matrimonio repugnet, & velit vitam agere luxuriosam, quod cō suetudinē longam male viuendi denotat. Tertio vt sit filia minor 25. annis, & nōdū illos cōpleuerit perfecte, quāuis filius, qui minorē in his infamiā inutit patribus, cum his conditionibus etiā non possit exheredari. Hæc omnia cōstant ex *auth. vt cū de appell. cognos. §. aliud quoque ad finē, & ex l. 5. tit. 7. p. 6. iuncta l. 8.* & per hanc legē partitæ correctæ sunt aliæ leges partitæ, quæ per alias causas dicūt posse exhæredari filias. Hæc omnia late possunt apud *Sāch. videri tota disp. 24.* & vt late refert iste author, *disp. 25.* cū alijs Doctoribus leges istas vtpote seculares (ad quas nō pertinet nec de matrimonio, nec de eius cōtractu disponere, quia ad Ecclesiam attinent, hęc *ex cap. tuas de ordin. cogn.*) C & vt minuentes libertatem matrimonij, quia tollunt hæreditatem, ad quam ius habent filij, & ita inducunt grauissimam pœnam, esse correctas per ius Canonicum, quod in cap. Gemma de sponsal. pœnam sponsal. annullat.

10 *Greg. de Valen. tom 4. disp. 10. quæst. 3. de matrim.* multa argumenta adducit *Erasmi*, & aliorum hæreticorum, ad probandum matrimoniū filiorum sine consensu parentum non valere, sed ea facile soluuntur asserendo, ex illis tantū probari, esse talia matrimonia illicita, non inualida; obijciunt etiam hæretici leges ciuiles, quæ ex iure naturæ talem consensum requirunt, nam *l. 2. ff. de ritu nuptiarum*, dicitur, *nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes*, idest, qui coeunt, & quorum in potestate sunt, D *& Instituta de nuptijs, §. iustas dicitur, vt filij familias consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt, nam hoc fieri debere, & ciuilis, & naturalis ratio suadet.* Sed ad hoc respōdetur, eam legem primam, quæ vrgere videtur, esse correctam per Canones Ecclesiasticos, vt patet ex primo certo. Ad secundum respondetur, eam legem non denotare, matrimonia esse inualida sine consensu parentum, sed illicita. Ita *Greg. de Val. loco citato.*

11 Qua autem ratione teneatur pater dotem in

A stituere filiæ diuiti, vel pauperi digno marito, aut Indigno nubenti, & filio alimenta præstare, cum hoc modo ducit vxorem, quia ad nos non spectant, ideo lectorem remittimus ad *Sanch. tom. 1. lib. 4. de matrim. disp. 26.*

Quæres secūdo, qualiter probādus sit metus cadēs in virū cōstantē ad annullādū matrimoniū? De hac re consulendi sunt *Menoch. lib. 3. præsumpt. tota præsumpt. 4. Mascar. de probat. conf. 1055.* Quo supposito resp. primo cū *Couar. 4. Decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 10. & Sanch. dicto lib. 4. disp. vlt.* Arbitrio iudicis prudentis relinquendum esse pensatis omnibus circunstantijs, quibus magis credendum sit, testibus affirmantibus adfuisse metum, an negantibus. Secundo respond. commune esse axioma *Inn. cap. super* B *hoc de renuntiat. num. 2.* asserentis, *magis credi duobus testibus de metu deponentibus, quia loquuntur de re, quæ sensibus potest percipi, quam mille dicentibus fuisse liberam voluntatem, quia hoc latet in anima*; quod tamen intellige. Primo nisi pro his mille adsint præsumptiones, & coniecturæ, vt si matrimonium fieret in præsentia iudicis, quo casu non præsumitur metus. Ita *Decius, cap. fili. de appellat. num. 25. & 26.* Secundo intellige, quando dicentes non adesse metum, dicerent negatiuam coarctatam loco, & tempore, tunc enim æque creditur affirmantibus, & negantibus metum. *Sic Decius nu. 28.* 12

QVAEST. XXV.

Quot sint impedimenta matrimonij, & an conuenienter fiat, eorum diuisio?

SIT in hac quæst. 1. certum. In Ecclesia nostra Catholica reperiuntur aliqua obstacula matrimonij, quæ impedimenta nuncupantur; rem hanc & traditio Ecclesiæ, & vsus, praxisque eius vehementer probant, & varij Canones *Tridentini, sess. 24. de reformatione matrimonij*, eam satis confirmant. Quod etiā certum patet ex ijs, quæ late adduximus in tract. de matrimonij essentia, quæst. 15. vbi differentiam, quo ad hoc inter matrimonium, & alia sacramenta explicuimus. 1

Sit secundo certum. In Ecclesia sunt duplicis generis impedimenta, alia sunt impedientia matrimonium, alia & impedientia, & dirimentia simul; hoc etiam constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ, & ex varijs Pontificum, & Conciliorum Decretis in hoc tractatu adducendis abunde constabit. Impedientia solum sunt ea, quæ non contrariantur essentiæ matrimonij, sed tantum alicui solemnitati, aut alicui ornatui accidentario eius. Vnde, qui cū his impedimentis matrimonium contrahunt, 2

verum,

verum ratumque matrimonium celebrant, licet peccatum graue committant. Impedientia vero simul, & dirimentia ea dicuntur, quæ essentiæ matrimonij contrariantur, & tollunt aliquid essentiale à matrimonio, sine quo eius essentia consistere non potest. Vnde cum eo impedimento matrimonium celebratum non valet, quæ quidem impedimenta non dicũtur dirimentia quasi matrimonium validum prius & verum annullent postea, sed quia matrimonium de facto celebratum inualidum tamen, & quod ignorantibus impedimentum videbatur verum matrimonium, irritũ omninò reddunt. Quæritur ergo his suppositis quot & quæ sint hæc impedimenta.

3 Sit ergo in hac quæstione prima conclusio. Impedimenta solum impedientia sunt duodecim, quinque priora non dimanant ex crimine septem vero posteriora ab eo ortum habent. Priora his verbis continentur: *Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriatum; atque catechismus, sponsalia; iungito votum, impediunt fieri, permittunt facta teneri.* Posteriora his versibus claudũtur: *Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis, vel si pœniteat solemniter, aut moniale accipiant*, prohibent hæc coniugium sociandum. Hæc est communis doctrina Doctorum.

4 Secunda conclusio. Impedimenta dirimentia matrimonium sunt 14. quædam iure antiquo considerato, & hæc sunt 12. alia duo iure nouiori attento *Concilij Trident. Session. 24. de Matrimonio, cap. 1. & 6.* quæ omnia his versibus continentur: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, si sis affinis, si forte coire nequibis, si parrochi, & duplicis desit præsentia testis, rapta si sit mulier, nec parti reddita tutæ, hæc socianda vetant, cõnubia facta retractant.* Doctrina harum conclusionum aliqua ex parte traditur à *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 1.* & est communis Theologorum, & Iurisperitorum.

QVAEST. XXXVI.

Quæ personæ possint impedimenta dirimentia matrimonium statuere, & respectu quarum personarum?

1 SIT prima conclusio de fide. Summus Pontif. Christi Vicarius, & Concilia generalia legitime congregata, & à Summo Pontifice probata possunt impedimenta dirimentia matrimonium statuere. Conclusio probatur primò ex vsu Ecclesiæ, & ex *Triden. Sessio. 24. vbi can. 4.* sic definitur: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimẽta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* Secundò probatur ratione, quia Ecclesia nequit errare in capite, quod est Summus Pontif. neque in corpore coniuncto capiti, quod est Concilium generale approbatum à Pontifice in rebus fidei, & morum, & in rebus Sacramentorum, hoc enim indicauit Christus quantum ad Pontificem *Lucæ 22.* dũ Petro dixit: *Ego orabo pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et quantum ad Concilium generale *Matth. vltim.* in illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi*, secundũ communem interpretationem Theologorum, sed impedimenta dirimentia matrimoniũ pertinent ad substantiam Sacramenti matrimonij, ergo cum ex multis decretis Pontificum, & Conciliorum pateat Pontifices, & Concilia statuere impedimenta dirimentia matrimonium, sequitur, potestatem ea constituendi ad hæc duo capita pertinere, atque in illis errare minime posse.

Pro intelligentia notandum primo est. Ad hæc impedimenta dirimentia statuenda requiri tam in Pontifice, quam in Concilio generali iustam causam, imo maiorem causam requiri ad hæc impedimenta dirimentia statuenda, quæ grauiora sunt, quam ad impedimenta solum impedientia, quæ minus grauia sunt, vt notauit *Ruard. Taper. art. 20. Louaniens. paulo post principium.* Aliàs peccatum committeretur, quia potestas Ecclesiæ, cum sit dispensatoria iuxta illud *Pauli, sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non est ad dissipandum, id est ad aliquid discernendum sine causa, sed ad ædificandum, & ad iusta aliqua causa res ordinandas à Christo concessa. 2

Secundò notandum est, *Ostiensem in Summa titulo de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, num. 3. & Sanchez 2. tomo de Matrimonio, lib. 7. disp. 1.* Aperte sensisse, Pontificem, aut Concilium non posse statuere impedimenta dirimentia valida, & quæ revera matrimonium nullum efficiant, nisi ad hoc, iusta causa moueatur. Quod probat *Sanch. n. 6.* ex eo, quod matrimonium est contractus iure naturali, & diuino inuentus, & hominibus omnibus concessus in quolibet etiam consanguinitatis gradu coniunctis (dum modo solum excipias, primum consanguinitatis gradum in recta linea) sed dispensatio concessa à Pontifice sine iusta causa in ijs, quæ sunt de iure naturæ, vel de iure diuino nullum valorem sortitur, ergo neq; constitutio impedimentorum dirimentiũ potest personas inhabiles reddere ad contrahẽdum matrimoniũ iusta causa prorsus exclusa, ea vero vrgente sentit *Sanchez num 8.* posse Pontif. singulares aliquas personas inhabiles reddere ad matrimonium celebrandum, quia homines Christiani sunt partes Reipub. Christianæ, sicut manus est pars corporis naturalis, 3

quemadmodum ergò corruptâ mànus exigē- te id vtilitate totius corporis solet media abscisitione inhabilis reddi ad vsus naturales, sic etiam potest aliquis tam prauis imbui moribus, vt conueniens sit, eum inhabilem reddi ad matrimonium propter bonum commune Reipublicæ. Et hæc sit secunda pars sententiæ *Sanchez* in cuius robur addidit, *Vrbanum. V.* propter inobedientiam Ecclesiæ reddidisse inhabiles ad matrimonium quendam dominū Mediolanensem, & liberos eius. Hæc tamen sententia, licet quantum ad secundam partem vera sit, quantum ad primam tamen falsa videtur. Vnde iudico cum *Veracruz, 1. part. speculi. art. 46. §. dubitatur verum, Vega 2. tom. summa cap. 34. casu 128.* Vim habêre impedimentum dirimens constitutum à Pontifice, quamuis sine iusta causa statutum sit (licet in tali constitutione condenda peccaret grauiter Pōtifex, quod nullus dubitat) dummodo tale impedimentum non sit contrarium iuri naturali, aut diuino. Probatur doctrina hæc hoc vnico discursu, quia in his, quæ sunt de iure tātum positiuo humano Summus Pontifex legitimus est superior, ac dominus, liberaque potitur, atque absoluta potestate, vnde in ijs sine vlla causa valide dispensare potest in antiquis legibus ieiuniorum, verbi gratia, & obseruationis festorum, atque in Ecclesiasticis impedimentis matrimonij, ergo etiam valide potest circa hæc omnia sine vlla causa nouas leges edere, quibus ieiunia noua statuat, nouos dies festos præcipiat, ac impedimenta matrimonij de nouo instituat, quia hæc omnia pertinent ad ius humanum, quod dispositioni Pontificis subiectum est. Quare argumento *Sanchez* respondetur, matrimonium esse quidem iure naturali concessum, id est, permissum, non vero præceptum, vt late vidimus *quæst. 11. huius tractatus*, vnde posse Ecclesiam libere circa illud noua impedimenta instituere.

4 Sit secunda conclusio. Archiepiscopi, Episcopi, & alij prælati Summo Pontifici inferiores possent ex vi suæ potestatis apponere impedimēta dirimētia matrimoniū subditorū (licet aliqui recentiores oppositū tueantur.) Probatur, quia Episcopi in suis Diœcesibus sunt principes sacrorum, in eisque nisi ab Ecclesia prohibeantur, possunt, quid quid potest Summus Pontifex in tota Ecclesia, sed constat ex prima conclusione posse Summum Pont. apponere impedimēta dirimentia toti Ecclesiæ, eadem ergo prædicti prælati suis subditis possent constituere ex vi suæ potestatis, de facto tamen nequeunt prædicta impedimenta instituere, quia ex generali Ecclesiæ consuetudine eam facultatem denegatam inuenimus, quemadmodum propter eandem rationem nequeunt dispensare in votis castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, Ro-

A manæ, & Compostellanæ. Hanc secundam cōclusionem defendunt cum communi sententia *Armil. verbo matrimonium, num. 54. Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 16.*

Sit tertia conclusio. (Licet alij sentiant oppositum) Summus Pontif. & Concilia generalia tantūmodo possunt impedimēta dirimētia, imò & etiam solū impedientia matrimonium fidelibus imponere, non vero infidelibus. De fidelibus res est aperta ex praxi Ecclesiæ & quæ probatione minime indiget, de infidelibus vero probatur primò *ex Paul. ad Corinth. 5. cap. epist. 1.* Asserente: *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Id est, potestas mea iudicatiua ad infideles, qui sunt extra Ecclesiam, non se extendit. Secundò probatur expresse ex *Innoc.* B *III in cap. gaudemus, de diuortijs*, vbi etiam prædictum Pauli testimonium in huius veritatis cōfirmationem adducit, potest vero Sūmus Pontif. infidelibus sibi temporaliter, ac ciuiliter subditis prædicta impedimenta imponere tanquam supremus gubernator temporalis eorum, licet hoc minime ei liceat erga infideles subditos dominis Christianis, quia in ordine ad eos, neque gerit vicem pastoris spiritualis, neque domini temporalis. 5

His ita statutis merito quæret aliquis, quibus verbis cognoscatur, prohibitio Ecclesiæ ita rigorosa, vt matrimonium contra eam celebratum sit prorsus nullum? Huic dubio late respondet *Sanchez loco citato disp. 2.* vt tamen breuiter respondeamus. 6

C Sit quarta conclusio. In ordine ad sponsalia, si Pontif. simpliciter non addendo clausulam irritatem prohibeat alicui sponsalia, & ille ea contrahat, licet grauiter delinquat illa contrahendo, ea tamen vim habent obligandi, dū tamen sponsalium materia non sit prohibita. Probatur primò, quia dum superior præcipit alicui, ne voueat, propter aliquam iustam causam, si tamē materia voti licita est, & eam quis voueat, valet votum, ergo similiter in nostro casu valent sponsalia. Secundò probatur, quia in eo casu promissio matrimonij non est iniusta ex parte obiecti, quia hoc eam efficeret nullam, sed ex parte subiecti, ne scilicet ea imprudēter fiat, quod nullo modo annullat promissionem matrimonij, ea ergo valida est in eo ca- D su, quod si obiectum reddatur illicitum, quia superior alicui prohibet cōtractum matrimonialem etiam sine clausula irritanti, revera tunc sponsalia essent nulla, quia essent promissio rei illicitæ, quæ nullam habet obligandi vim. 7

Sit quinta conclusio. Si prohibitio matrimonij solum fiat generaliter sine clausula irritante matrimonium, & illud celebretur contra eius tenorem, matrimonium valorem suum fortitur. Ita sentiunt *Sylvest. matrim. 7. quæst. 1. dicto 3. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 16. in fine princip.* 8

&

& communis Doctorum sententia. Probatur ex *Vulgari regula iuris, odia restringi, & fauores conuenit ampliari*, quæ regula præsertim vim habet in rebus magni momẽti, sed sic est, quod prohibitio matrimonij est odiosa, & in re magni momenti, debet ergo restringi, vt non annullet matrimonium, nisi cum habet clausulã irritantem. Secundò probatur ex *cap. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ in fine*. Vbi cum sit sermo de ijs, quibus ob sponsalia præterita interdicebatur trãsitus ad alias nuptias, sic dicitur: *Licet enim contra interdictũ Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conueniens, vt ob id solum Sacramentum coniugij dissoluatur, aliqua tamen pœnitentia debet imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt*. Quam pœnam assignat *Sanchez iuxta cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, loco citato num. 14.* imò clausula irritãs ita specialis debet esse (quia matrimonium est res magni ponderis) vt dicat matrimoniũ contra ea factum esse nullum.

9 Sit sexta conclusio. Etiamsi prohibitio Ecclesiæ circa matrimonium habeat clausulam irritantem specialiter matrimonium cõtra eam factum, adhuc tamen non est semper tale matrimonium nullum, nam si Pontifex hoc modo in perpetuum prohibet matrimonium, vel solum pro aliquo determinato tempore prohibet dum lis aliqua, verbi gratia, de aliquo impedimento definitur. Si prohibitio sit perpetua, tunc simpliciter, & semper est matrimonium nullum, quia verba sunt aperta, & ita hanc vim habent, ne sint superflua. Cum vero prohibitio est pro determinato tempore, tunc non est matrimonium nullum simpliciter, & pro semper, sed in quantum ponat præiudiciũ alicui liti, & irritatio hæc, & prædicta prohibitio intelligũtur ita, vt coniuges contra id interdictum contrahentes separentur quoad thorum, & cohabitationem, donec lis definiatur. Ita expresse sentit *Sanchez loco citato, num. 52.* & hoc modo videntur intelligendi *Panor. in cap. ad dissoluendum sine titulo allegatus ab Armil. in summa de matrimonio, num. 54. & idem Armil. ibi, & Syluest. matrimonio septimo, quæst. 1. dicto 3. citans Petrum de Palud.* Dum dicunt prohibitionem perpetuam facere nullum matrimonium, non vero temporalem, & ad certũ tempus solum prohibentem, & hac ratione intelligitur irritatio matrimonij facta *in cap. tua fraternitas, de sponsalibus duorum, & cap. penult. ac de sponsat. impub.* scilicet, quod separentur cõiuges, dum lis definitur, quia loquũtur de prohibitione temporali, cuius tota ratio est, quia matrimonium, quod tanti ponderis, ac momẽti esse censetur, non est iudicãdum nullum ex eo, quod fiat contra prohibitionem irritantem ad certum tempus matrimonium, sed contra perpetuam.

QVAEST. XXXVII.

Vtrum principes seculares possint impedimenta dirimentia imponere?

PRO qua quæst. supponimus, quæstionem procedere de principe habente supremum dominium in aliquo territorio, vt de Rege Hispaniæ, Galliæ, &c. 1

2 Quidam dicunt, principem secularem Catholicum non posse hæc impedimenta apponere suis subditis fidelibus. Huius sententiæ sunt *Glossa fin. cap. si quis ingenuus. 29. quæst. 2. Abbat, cap. 1. de spons. num. 9. Felin. num. 10. & 11. D. Bonauent. in 4. dist. 42. art. 2. quæst. 2. ad finem.* Huius sententiæ ratio est, quia matrimonium fidelium est Sacramentum, vnde eius ordinatio non ad potestatem secularem, sed ad spiritualem pertinet.

3 Sit tamen prima conclusio. Princeps secularis ex vi, & natura suæ potestatis supremæ bene potest suis subditis fidelibus impedimẽta dirimentia matrimonium statuere. Probatur, materia Matrimonij est cõtractus quidam ciuilis, quo vir, & femina sibi inuicem tradũt, & accipiunt potestatem corporum, sed princeps secularis potest alios contractus, quando id bono communi expediat, annullare, ergo & istum matrimonij. Et cõfirmatur, quia princeps secularis supremus habet potestatem ad ordinanda ea, quæ ad tranquillitatem Respub. suæ necessaria sunt, sed ad hanc sæpe necessum est, impedimenta dirimentia apponere, ergo potest ea apponere, & multo melius impedimenta impedientia, quæ minoris sunt momenti, hæc autem potest princeps secularis Catholicus in subditos Catholicos, nisi ab Ecclesia impediatur, vt revera potest impediri, quia supra contractum matrimonij fundatur ratio sacramenti; quæ spiritualis, & supernaturalis est; & ad altiorem iurisdictionem, qualis est spiritualis Ecclesiæ proprius pertinet, hæc autem potestas est modo impedita principi seculari, & reseruata Ecclesiæ; & definitio causarũ matrimonialium. Ita patet ex *cap. tuam. de ordine cognit. cap. multorum, 35. quæst. 6. cap. Euphemium 2. quæst. 3. vbi D. Gregor. ait, cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori.* Ita docent *Victoria relect. de matrimonio 1. part. secundæ partis, num. 12. Enriquez lib. 12. de matrimon. cap. 1. num. 4. & Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 50. art. 1. dub. 1. & alij.*

4 Secunda conclusio. Princeps secularis fidelis potest suis subditis infidelibus statuere impedimenta dirimẽtia matrimonium. Patet ex præcedẽti cõclusione, quia iste habet de se potestatem ad hoc, nisi ab Ecclesia reseruatur, & aufe-

est ante eam, hoc enim neque lex humana, neque consuetudo vlla efficere potest, vt constat *ex cap. fin. de sponsal. duorum*, vbi dicitur, non esse habendam rationem cõsuetudinis, vt spreto priori matrimonio rato, persistatur in posteriori consummato, vt docent *Abbas cap. super eo. de cognat. spirituali, num. vlt. & Syluest. matrimonio 2. quæst. 3.* sed quæstio est, an consuetudo possit apponere impedimenta matrimonio post eam secuto.

7 Quartò supponendum est tanquam certum cum *Ostiens. cap. fin. num. 1. de spons. duorum, Turrecremata, cap. placuit, dist. 32. art. 2. num. 13.* Et cum communi sententia consuetudinem approbatam expresse à Pontif. posse introducere noua impedimenta dirimentia, & auferre posita iam à iure Canonico. Patet, quia talis consuetudo habet vim legis Pontificiæ, lex autem Pontificia vtrunque potest præstare. Solum autem quærimus, an consuetudo saltim requirat consensum tacitum, & scientiam expressam Pontificis in Repub. Christiana, vel Principis supremi in Repub. infidelium, & hoc tam ad impedimenta dirimentia noua, quam ad impedientia solùm introducenda.

8 In hac quæst. multæ numerantur sententiæ à *Thoma Sanchez 2. tomo de matrimonio, disp. 4. lib. 7.* sed eæ omnes ad quinque capita reduci possunt. Prima sententia est illa, quæ asserit, consuetudinem non posse introducere nouum impedimentum dirimens, sed tamen matrimonium illud esse irritum, quod contra consue- C tudinem mixtam Clericorum, & Laicorum, & iuncto scandalo secuto ex eo celebraretur, quia ius canonicum non permittit, matrimonium fieri cum scandalo. Probatur, quia consuetudo non potest habiles reddere, quos ius canonicum efficit inhabiles ad matrimonium, ergo neque inhabiles efficere eos, qui secundum tale ius non sunt inhabiles. Ita *Conarr. 4. decretal. 2 part. cap. 6. §. 10. num. 18, & alij.*

9 Secunda sententia asserit, consuetudinem posse inhabiles reddere ad matrimonium eos, quibus secundum ius canonicũ illud erat permissum, si scandalum sequatur ex matrimonio contra consuetudinem celebrato. Ita docent *Glossa cap. super eo, verbo consuetudo. de cognat. spirit. Abbas dicto cap. num. 4. & 6. & alij.* Proba- D tur dupliciter primò ex reg. *Euerardi in Topicis, loco à matrimonio spirituali ad carnale*, sed cõsuetudo facit homines inhabiles ad matrimonium spirituale, vt ad beneficium *cap. cum olim iuncta Glossa fin. de cleric. coniugat.* ergo reddere potest inhabiles ad matrimonium carnale. Secundo probatur *ex cap. super eo, de cognat. spirit.* vbi id dicitur de consuetudine, & *cap. 1. eodem tit.* consuetudini scandalum adijcitur, ergo cõsuetudo cum scandalo potest introducere impedimenta dirimentia.

10 Tertia sententia est *Sanchez, loco citato, num.*

A 11. (quem etiam sequitur quidam Neotericus) asserentis tria. Primum consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam posse statuere impedimentum dirimẽs matrimonium sine scandalo adiuncto, & sine aliquo alio iure. Et hoc probatur primò, quia consuetudo potest circa alia leges statuere, vt circa dies festos, ieiunia, &c. ergo circa matrimonij impedimenta dirimẽtia. Probatur secundò, quia in *c. sup. eo. de cognat. spirit. in 2. p.* dicitur: *Dirimendũ esse matrimonium, quod contra receptam consuetudinem celebratum est*, & non fit mentio scandali, neque alicuius alterius iuris, ergo consuetudo hoc potest. Tertiò probatur, quia in *cap. fin. de consuetud.* solum exigitur ad hoc, vt consuetudo habeat vim legis, vt sit rationabilis, & legi- B time præscripta. Quartò probatur à Neoterico, quia consuetudo habet vim legis vbi lex deficit *ex cap. consuetudo dist. 1. ex l. de quibus 32. ff. de legibus, & ex D. August. epist. 86. ad Casulanum*, cuius hæc sunt verba: *Mos populi, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda, & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.* Ergo sola consuetudo potest impedimenta dirimentia introducere, quamuis lege Ecclesiastica introducta non sint. Secundò asserit Sanchez nõ desiderari scientiam Pontificis ad valorẽ cõsuetudinis: imò pro scientia, & tolerantia Pontificis sufficere eam, quæ habetur *in cap. fin. de consuetud.* qua Pontifex dicit, consuetudinem rationalem, & præscriptam sufficere ad legem C inducendam. Tertiò asserit *Sanchez ibidem*, talem consuetudinem debere obseruari à laicis, & clericis, vt possit impedimenta matrimonio statuere Ita *Conar. loco supra citato. Lud. Lopez 2. p. instructorij de matrimonio, cap. 46. col. 5.* Probatur, quia soli laici non possunt inducere legem Ecclesiasticam, neque consuetudinem Ecclesiasticam.

Quarta sententia est, posse consuetudinem impedire matrimonium, non vero illud dirimere. Ita *Archid. cap. placuit. num. 2. dist. 32. Turrecrem. ibi. art. 2. num. 12. & alij.* 11

Certum est, matrimonium semel legitime initum non posse consuetudine dissolui. Ita *Salas tomo de legibus, quæst. 97. tract. 14. disp. 19. sect. 10.* vbi citat *Glossa capit. 1. de cognat. spirit.* 12 D *verbo, nisi consuetudo, & alios Doctores.* Patet ex *cap. fin. de sponsalibus duorum*, vbi dicitur: *Non esse standum consuetudini, vt spreto priori matrimonio rato persistatur in posteriori consummato.* Et ratio est, quia Papa solus potest in casu rarissimo in matrimonio rato dispensare, ergo non potest lege, vel consuetudine habente vim legis dissolui. illud etiãsi id conueniat ad vitãdũ scandalum, quia ob scandalum ius diuinum nõ relinquitur, vt constat ex *cap. 2. de noui operis nunciat.* & hoc seperatione tori tollitur.

His tamen non obstantibus multo verior 13 mihi

mihi visa est quinta sententia, quæ asserit, cōsuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam posse inducere impedimenta dirimētia matrimonij, si eam cognoscat Pontifex ex presse cognoscendo consuetudinem, vel confuse cognoscendo, esse multas consuetudines circa aliquam materiam, & eas tollerando, etiā non secuto scandalo, qui quidem Pontifex eo ipso, quod cognoscit, talem consuetudinem, & eam non impedit, censetur approbare. Et hæc sit prima conclusio in hac quæst. defendēda, quam expresse docent *Rebuf. alijs Doctoribus citatis, tom. 1. constitut. Gol. in proœm. gloss. 5. num. 146. Vazquez, prima secundæ, tom. 2. disp. 177. cap. 2. D. Thom. prima secundæ, quæst. 97. art. 3. Syluest. express. & late verbo, consuetudo, quæst. 3. num. 5. glossa in cap. fin. de consuetudine, verbo, legitime sit præscripta*, & indicat *Glossa in l. iurisgentium. ff. de pactis*. Probatur à *Glossa in cap. finali citato, ex l. de quibus in fine. ff. de legibus*, vbi insinuatur debere consuetudinem introduci sciente illo, qui potest ius condere, qui quidē in Ecclesia, à qua impedimenta ordinantur, tantum est Summus Pontifex. Secundò probatur *ex l. iurisgentium. ff. de pactis, iuncta glossa*, cuius meminit *Syluest loco citato*. Vbi hæc doctrina continetur, scilicet, quod ab eo, à quo remouetur genus, id est potestas condendi legem, speciem quoque remoueri necesse est, scilicet potestatem inducendi consuetudinem habentem vim obligandi, consuetudo enim, si rectè inspiciatur, nihil aliud est, quam species quædam iuris, vt patet *ex instituto. de iure naturali. §. constat*. Sed populus etiamsi coalescat ex laicis, & clericis absque scientia, & consensu Pontificis, nullatenus concedendū est, quod posiit statuere legem circa impedimenta dirimentia matrimonium, nequit ergo inducere consuetudinem vim habentem talia impedimenta instituendi, in materia enim tanti momenti nimiam licentiam videremur concedere consuetudini, si eam vim ei tribueremus. Secundo corroboratur conclusio, quia vt aperte constat ex quæst. 49. huius tractatus, constitutio impedimentorum dirimentium soli Sūmo Pontifici, & Concilio generali videtur tribuenda, populus ergo, qui illis inferior est, non potest media consuetudine eiusmodi impedimenta inducere, quibus consequenter ad dendum erit, consuetudinem carere prorsus vi imponendi impedimenta solum impedientia matrimonium absque scientia, & consensu legitimi in hac re superioris, quia vniuersaliter verum iudicamus, consuetudines non habêre vim legum, nisi media scientia principū aliquod eis robur accedat.

14 Quia verò, vt robur obtineat consuetudo legis, satis est consensus expressus, aut præsumptus principis: ideò vt legitime præsumatur tacitus consensus, sine dubio requiritur, longo tempore consuetudinem fuisse obseruatam, & in eo sæpius consuetudinem fuisse repetitā quod si superior conscius consuetudinis ei expresse assentiatur, sufficit, vnicum actum præcessisse, etiāsi breui tempore durauerit.

Ex his, argumentis in oppositum patet solutio. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur illud nequaquā militare contra nos, quia defendimus, solam consuetudinem scientia superioris destitutam non posse opponere impedimenta. 15

Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus, consuetudinem absque scientia, & patientia superioris neque reddere homines inhabiles ad beneficium, neque ad matrimonium. Ad secundum argumentum desumptum ex textu in *cap. super eo, & in cap. 1. de cognat. spirituali*, facilis se offert dissolutio, nam ibi Pontifex expresse approbauit illam consuetudinem, vt notat *Glossa in cap. super eo*, quid igitur mirum, si ea consuetudo vires obtinuerit obligandi? 16

Ad primum argumentum quartæ sententiæ respondetur, nullam consuetudinē etiam circa alias materias pullulantem posse legem cōstituere, nisi scientia superioris, & eius approbatio accedant. Secundò argumento patet solutio ex dictis in solutione secundi argumenti adducti pro secunda sentētia. Ad tertium respondetur, prædictum *cap. fin. de consuetudine*, dum asserit, consuetudinem rationalem, & legitime præscriptam habêre vim legis, esse intelligendum de consuetudine cognita à superiore. Ad quartum eiusdem sententiæ adductū à recentiore respondetur vbi deest lex, consuetudinem habêre vim legis, quando est approbata, & cognita à superiore. Ad secundam partem quartæ sententiæ respondetur non sufficere ad valorem consuetudinis eam scientiam confusam, quæ indicatur in *cap. fin. de consuetudine*, sed requiri aliam specialiorem, sicut ibi notauit glossa. Ad tertiam partem eiusdem sententiæ respondetur non sufficere, quod ea cōsuetudo sit laicorum, & clericorum, vt patet ex secunda ratione nostræ conclusionis, & sententiæ. 17

Antonin. 2. part. tit. 16. cap. vnic. §. 2. obijcit contra nostram resolutionem, difficile esse cōsuetudines omnes ad principis notitiam venire. Ad hoc respondet *Vazquez loco citato*, esse quidem difficile, at tamen consuetudinem ignotam principi non esse habendam pro lege. 18

Deinde obijcies contra eandem resolutionem, quia leges à principio cum ea conditione conduntur, vt per longum vsum, & inueteratam consuetudinem contrariam etiam ignorante principe robur amittant, ergo eo modo inuenitur consensus tacitus principis. Huic tamen obiectioni respondetur cum *Vazquez* 19

loco citato, nullum principem vsque adhuc istomodo suam mentem nobis patefecisse, imò neque credi, quod si interrogaretur, eam prædicto modo patefaceret. A

20 Circa secundam partem huius quæstionis Sanchez loco citato num. 14. sentit consuetudinem rationalem, & legitime præscriptam posse reddere habiles ad matrimoniũ, quos ius canonicum effecerat inhabiles. Probatur vnica ratione, quia in cap. fin. de consuetud. expresse dicitur, huiusmodi consuetudinem posse prævalere contra ius canonicum, ergo cum ius canonicum apposuisset aliquod impedimẽtum, posset consuetudo tale impedimentum auferre.

21 Secunda conclusio. Nulla consuetudo sine scientia superioris; & tolerantia saltem tacita, eius potest auferre impedimenta matrimonij statuta ab Ecclesia. Ita sentiunt cum communi sententia Glossa cap. quod super allegato, verba, non obstante, Couarr. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 18. Syluest. matrimonium secundo, quæst. 3. & alij. Quæ conclusio patet ex fundamentis primæ conclusionis, omnia enim illa hanc cõclusionem à fortiori confirmant, nam si cõsuetudo impotens est ad inducenda impedimenta dirimentia, vel impedientia absque supra dicta scientia, & absque consensu tacito, vel expresso superioris, vt declaratum est in prima conclusione, ergo neque potest habiles reddere ad matrimonium consuetudo, eos, qui per ius canonicum prius erant inhabiles, neq; enim minores vires requiruntur ad secundum quam ad primum. Ioannes Gutierrez tractatu de matrimonio, cap. 101. Sentit, consuetudinem nõ posse auferre impedimentum positum à iure canonico, & probat ex textu in cap. quod super de consanguinitat. & affinitat. vbi dicitur, matrimonium intra gradus prohibitos, esse nullum non obstante consuetudine, sed textus intelligitur, quia in contrarium nulla erat consuetudo legitime præscripta, & cognita à Papa, quod si esset, non negat Papa, quin ea tolleret impedimentum.

22 Argumento in oppositum respondetur consuetudinem posse vires adquirere contra ius canonicum accedentibus scientia, & approbatione Pontificis, vt late docent Enriquez, lib. 12. de matrimonio, capit. 1. numero quinto, in commento litera A. & Syluester loco citato in prima conclusione.

23 Qua vero ratione probari possit, superiorem scire, & tolerare consuetudinẽ, vt ea habeat vim legis, videtur Theologorum metas transilire, & ad Iurisperitorum limites pertinere.

QVAEST. XXXIX.

Vtrum sit specialis ratio malitiæ constituta in cõtrahendo matrimonio cum aliquo impedimento?

NEMINI in dubium venire potest, peccatum lethale eum committere, qui non obstantibus impedimentis dirimentibus matrimonium audet cõtrahere, quia operatur contra legem iustam illud impedimentum constituentem, & in materia valde graui, quod satis est ad hoc, vt peccatum inde resultans graue sit. 1

B Deinde probabile est, inire matrimonium his obstantibus impedimentis, esse vnicũ peccatum quatenus violatur præceptum naturæ, vel Ecclesiæ. (Vnde si in eo casu, quo impedimentum esset ab Ecclesia statutum, Ecclesia in eo dispensaret, nullum in tali celebratione matrimonij reperiretur peccatum) neque enim reperitur sacrilegium, vt supra docuimus dum loquemur de eo, qui contrahit matrimonium ductus metu cadente in constantem virum, quia cum contractus matrimonialis constans impedimento aliquo dirimenti est omninò reiectus à ratione materiæ sacramenti per ipsum ius: ideò celebrantes talem contractum non reddunt ipsum sacramentum nullũ de se, quia quantum est de se valide intendunt contrahere, sed ius naturæ, vel ius Ecclesiasticum talem contractum matrimonialem, & sacramentum in illo nitens annullare cẽsentur. Vnde post talem nullitatem contrahentes nõ faciunt specialem iniuriam sacramento. Hanc partem defendit Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 50. art. 1. difficultate 3. post secundam conclusionem. 2 C

Sed quæres, quale peccatum committet, qui contrahit matrimonium cum impedimento dirimenti, si exponat se periculo consummandi eiusmodi matrimonium? Quidam iudicant, illum nullo modo peccare in huiusmodi contractu, quia non se exponit eo periculo peccandi temere, sed ex aliqua vrgenti causa, sicut ille, qui non potest alibi commode viuere, potest habitare in domo, in qua est occasio, periculumque peccandi. Ita docuit Salas tomo de legibus, quæst. 96. tract. 14. disp. 11. sect. 1. num. 9. Hæc tamen doctrina apud me non bene audit, si loquatur de periculo proximo, quia salus animæ præponenda est commoditati corporali, quãuis sustinenda doctrina sit, si intelligatur de periculo remoto. Vnde cum Vazquez loco citato, respondetur in eo casu committi peccatum mortale, qui enim amat periculum, peribit in illo. 3 D

Tet-

6 Qui contrahit mattimoniū cū moniali sciēs
& volens, valde impeditus est, ne aliquando
possit ducere vxorem, quia tamen hoc impedi
mentum minime dirimēs est, factum tenebit, si
contrahat matrimonium cum alia fœmina nul
lo alio impedimento laborante. Constat hæc
veritas *ex cap. hi ergo 27. q. 1.* ratio vero prohi-
bitionis ea fuit, vt huiusmodi homo violans
matrimonium spirituale sponsæ Christi, puni
retur priuatione coniugij carnalis.

7 Præterea impeditur vxorē ducere, qui pro-
prium filiū occidit. Ita indicatur *c. 1. de his, qui
filios occiderunt*, atq; ita defendūt multi Docto
res, quos refert *Astens. in sum. 2. p. lib. 8. tit. 10.
a. 1.* Cuius prohibitionis ea potest assignari ra
tio, quia per ea, quæ quis peccat, per ea debet
puniri, sed huiusmodi homo contra ius matri-
monij deliquit, quod docet parentes curā ge-
rere vitæ filiorum, merito ergo debet priuari
iure celebrandi matrimonium.

QVAEST. XLI.

Quid prohibeatur tempore feriarum circa matrimonium contrahendum?

1 TEMPVS feriarum appellatur illud, in
quo Ecclesia prohibet, matrimonium
cum certis conditionibus celebrari,
quas postea sigillatim explicabimus.

2 Hoc autē tempus feriatum olim longissimū
erat, vt enim constat *ex cap. non oportet el prime.
& el segundo, & cap. neque vxorem 33. q. 4.* Olim
prohibitio matrimonij per longum tēpus pro
trahebatur, vt ab Aduentu, vsq; ad Epiphaniā,
à Septuagesima, vsq; ad octauam Paschatis, &
à diebus Rogationum, vsque ad octauam Pen-
tecostes, quod tamen tempus in *Concil. Triden.
Sess. 24. c. 10. de reformat. matrim.* Ad breuius tē
poris interuallum redactum est. Verba Conci
lij hæc sunt: *Ab Aduētu Domini nostri Iesu Chri
sti, vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cine
rum, vsque in octauam Paschatis inclusiue antiquas
solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter om-
nibus obseruari, sancta Synodus præcipit. in alijs ve
ro temporibus nuptias solēniter celebrari permittit.*
Ratio huius prohibitionis ea potest excogita
ri, quia in his celebrioribus anni tēporibus, in
quibus homines sacrā soleant suscipere Euchari
stiam, & in quibus necessum est, orationibus,
& ieiunijs homines esse intentos conuenientis-
simum sane est, eos abstinere à nuptiarū solem
nitatibus, & multis vanæ lætitiæ signis, quæ il
lis solent adiungi, hæc enim à rebus spirituali
bus animum separant, & ad terrena cogitanda
deprimunt.

3 Pro cuius prohibitionis intelligentia notā
A dum est. Primò cum *Sa in sum. v. …b, matrim.* diē
ipsum Epiphaniæ, & diē octauæ Paschatis me
rito cōputari inter dies feriatos, quia in *Trid.
loco citato*, merito additur vtrique diei particu-
la illa inclusiue. Secundò prænotandū est cum
Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 7. n. 2. tēpus feriatū
Aduētus incipere à primis vesperis Sabbati an
te Aduentū. Tunc enim communiter, & quan
tùm est de se officium aduētus solet incipere:
tempus vero feriatum Quadrāgesimę incipe-
re à media nocte diei Cinerum, quia officium
Quadragesimæ si in toto rigore perpendatur,
tunc sumit exordium, quæ doctrina vera est,
nisi alium modum incipiendi consuetudo legi
tima obtinuerit, tunc enim consuetudini fauē
dum est. Iste autem modus numerandi initium
B temporis feriati conformis videtur rationi,
8 quia numerari debet iuxta leges Ecclesiæ, in
quā tempus incipere dicitur ab eo puncto, in
quo officium Ecclesiasticum proprium illius
temporis incipit.

His ita præiactis, supponendum est, benedi 4
ctiones nuptiales esse prohibitas prædictis tē
poribus, ita enim docet experientia, & ita in-
telligunt cum communi sententia Tridenti-
nū Doctores: imò eiusmodi benedictione prę
dictis temporibus suscipientes peccatum com
mittunt mortale, quia in materia graui iustum
violant Ecclesiæ præceptum. Quare Sacerdos
sponsos benedicens tunc, puniendus est arbi-
trio iudicis, & sponsi, qui eo tempore recipiūt
benedictiones, separandi sunt, vt habetur *cap.
C non oportet el segundo 33. quæst. 4.* & separandi
sunt pro eo tempore, quo durat prohibitio Ec
clesiæ. Ita docent *Abb. c. capellanus de ferijs, n. 4.
& Sylnest. matrim. 3. q. 2.* in qua lege (licet a-
lij oppositū sentiāt) iure ordinario nequit E-
piscopus dispensare, quia ea lex nouissime la-
ta est à Trid. quod superius est Episcopis, in le
ge autem superioris nequit inferior communi
ter dispensare, quando tamen vrgens valde se
offerret necessitas dispensandi, & accessus mi
nime pateret ad Sum. Pont. posset Episcopus
in eo dispensare, vt benedictiones nuptiales tē
pore ab Ecclesia prohibito reciperentur, qui-
bus causis occurrentibus etiam potest Episco-
pus in alijs Concilij decretis dispensare.

Secundò supponendum est, prædictis tem- 5
D poribus minime prohiberi contrahere spon-
salia, aut efficere denunciationes in Ecclesia.
Tum, quia in his nihil inuenitur contrarium
sanctitati illi tempori debitæ, tum quia nul-
lus textus hæc prohibet, quin potius consuetu
do ea libenter admittit.

Licet hæc certa sint, tria tamen insurgunt 6
dubia. Primum, an matrimonium possit lici-
te celebrari eo tempore feriarum. Secundum,
an liceant eo tempore traductio vxoris in do-
mum viri, conuiuia, aliaque lætitiæ signa, quæ
solēt matrimoniū comitari. Tertiū, an possint

illi qui prius matrimonium celebrarunt, eo tēpore feriarum matrimonium consummare.

7 Circa primum punctum quidam, vt refert *Gloss. cap. vir cum propria* 33.q.4. dicūt tempore feriato non posse matrimonium celebrari, alias futurum inualidū. At vero *Ostiens. in sum. tit. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ num.* 3. *Cenedo collectaneis iuris collect.* 22. *num.* 2. *& alij sentiunt*, esse interdictum tēpore feriarum, matrimoniū inire. Probatur ex *c. nec vxorem* 33.q.4. vbi dicitur, eo tempore non licere, vxorem ducere, & *c. non oportet, el primero eadem causa, &* q. dicitur, non licere, eo tempore nuptias celebrare, sed dicēdum est, licitum esse tempore feriarum matrimoniū celebrare. Ita *Glos. in cap. capellanus de ferijs, Abb. ibi. n.* 4. *Sylnest. matrim.* 7. q. 2. *dicto* 5. & idem videtur B sentire *D. Tho. in* 4. *dist.* 32. *q. vni. art.* 5. *quæstiūc.* 4. *ad primum*, dum dicit: *Tempore feriarum esse prohibitum matrimonium propter lætitiam carnalem.* In quo non videtur reprobare matrimonium, sed alia signa lætitiæ ei adiuncta. Probatur expressè *ex cap. capellanus de ferijs*, vbi dicitur, esse consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, omni tempore matrimonium celebrare. Secundò probatur, quia alias daretur occasio committēdi multa carnis peccati. Et pro nostra resolutione facit quædā declaratio Card. vnde respōdetur ad argumenta opposita. Ad primum dicimus cum *Abb. & Syln. locis citatis, caput nec vxorem*, debere intelligi, non licere tempore feriarum vxorē traducere cum signis lætitiæ. C Ad secundum dicimus in his textibus prohiberi nuptias non secundùm se, sed tantum benedictionis nuptiales, & alia signa lætitiæ, quę nuptias ipsas comitantur.

8 Circa secundū punctū de traductione spōsæ in domum sponsi, quidā absolutè negant, eam licitam esse tēpore feriarum, cuius placiti Doctores refert *Sanch. loco citato, n.* 15. *cum Bellar. tamen, lib. de matrim. c.* 35. *ad fin. Nauar. c.* 22. *n.* 71. *& alijs.* Placet defendere, licitam esse eo tēpore traductionem sponsæ in domum sponsi, dummodo ea contingat absque solēnitate, cōuiuio, & alijs signis lætitiæ, quia hæc nullo modo congruūt illius tēporis sanctitati. Quod vero traductio cū prædictis conditionibus licitā D sit, patet ex cōsuetudine Ecclesiæ, & ex tolerātia Episcoporū, qui eam vidēt, nullo tamē modo prohibent. De huiusmodi autem signis lętitiæ *Sanch. loco cita. n.* 18. ita loquitur, vt ea excuset à culpa, si moderate fiāt *Caiet. vero in sum. verbo, nuptiarum peccata, & Armil. verbo, nuptiarum. vnic.* Longe aliter sentientes asserunt, in prædictis signis lætitiæ reperiri peccatū mortale. Verumtamen verisimilius mihi apparet id, quod defendit *Veracruz.* 1. *p. speculi, art.* 14. *conclus.* 3. scilicet, in his solemnitatibus etiamsi moderatæ sint, committi peccatum veniale, quia aliquo modo dedecēt illud tempus feriarum, peccatum vero mortale committeretur, si immoderatæ essent, & nimiæ, quia maximā præseferent incongruentiā, & maxime contradicerent præcepto Ecclesiæ.

9 Circa tertium punctum quidam existimant, minime licere tempore feriato matrimonium consummare, quia *c. non oportet, el segundo,* 33. q.4. dicitur esse separandos celebrātes nuptias diebus feriatis, quod propter vitādā copulam videtur decretū. Huius sententiæ fuerunt multi Doctores, verumtamen sequenda nobis est doctrina *D. Tho. loco cita. in solut. ad secūdum, & Petri de Soto. lect.* 14. *de matrim. §. huic proximū est.* Et aliorum asseuerantium, licitum esse tēpore feriarum matrimoniū consummare. Probatur, quia si ob aliquam rationem prohibita esset matrimonij consummatio illis tēporibus, vel hoc esset propter temporum reuerētiam, vel propterea quod talia tempora essent apta orationi, & meditationi, quibus potius vacādum sit, quam copulæ, non propter primā rationem, quia si propter reuerentiam debitam illi tēpori prohiberetur tunc cōsummatio matrimonij, tunc etiā prohiberetur qualibet alia copula coniugalis, quia non magis contrariatur sanctitati temporis illius vna copula, quam alia, sed alia copula coniugalis nō prohibetur, quia parum obstat sanctitati temporis, & quia nimis durum esset, obligare coniugatos ad sic abstinendum, ergo neque prohibetur tunc prima copula, per quam consummatur matrimonium. Tùm etiam non prohibetur talis cōsummatio tempore feriato, quia illud aptū sit orationi, quia alias qualibet copula coniugatis procul mandanda esset ex præcepto, quod admittendum non est, ex nullo ergo cap. talis cōsummatio redditur illicita. Ad textum adductum in contrarium respond. in eo merito decerni, separandos esse coniuges, qui tempore feriarum nuptias celebrarunt, propter benedictiones nuptiales, & alia signa lætitiæ.

QVÆSTIO XLII.

An tempore interdicti, & excommunicationis licite possit celebrari matrimonium?

ERGA primum quod in hac quæst. quęritur, not. eam esse veram diffinitionem 1 interdicti, quam tradunt *Conar. ca. alma mater,* 2. *p. §.* 1. *n.* 2. *& Suar.* 5. *to. de censuris, tract. de interdicto*, scilicet esse suspensionem à diuinorum officiorum, sacramentorumq; actiua, & passiua celebratione respectu alicuius loci, aut personarū facta, Ecclesiasticā etiam prohibens sepulturam, quatenus hæc omnia sunt vsus rerum sacrarum. Quod interdictū aliud est

locale,

locale, vt quādo hæc omnia prohibentur in aliquo loco fieri, & extra illum locum possunt homines ea omnia licite peragere, aliud vero est personale taliter afficiens personas, quod illis vbiq; prædicta omnia sint prohibita. Præterea interdictum aliud est generale omnia locacomprehendens, & ad omnes personas se extendens, aliud vero est particulare, quod rātum aliquibus personis, & aliquibus locis affixum est.

2 Vt certa ab incertis separemus, certum est, sponsalia tēpore interdicti posse licite celebrari. Hoc aperte cōstat ex dictis, quia interdictū tantum prohibet diuina officia, sacramenta Ecclesiæ, & Ecclesiasticam sepulturam, sed spōsalia, neque sunt sacramentū, neque diuinum aliquod officium, neque ad sepulturam pertinēt, B Ecclesiasticam, vt manifestum est, ergo tempore interdicti licita sunt. Secundò certum est, matrimoniū tempore interdicti celebratū valorem suum fortiri, dūmodo reliqua omnia requisita reperiantur, quia tunc nihil substātiale deficit matrimonio, neque Ecclesia simpliciter prohibens eo tēpore matrimoniū, vllo modo annullauit illud, si forte contigerit.

3 Quidam iudicarunt, tempore interdicti licitam esse celebrationem matrimonij. Hanc sententiam sequuntur *Innoc. c. non est in fine. de spōsalib. Abb. ibidem num. 8. Sanch. lib. 7. de matrimonia. disp. 8.* Imò addit Sanchez, posse matrimonium celebrari licite tempore cessationis à diuinis, etiamsi ipsi contrahentes sint specialiter interdicti. Probatur hæc doctrina primò, C ex *cap. capellanus de ferijs*, vbi dicitur matrimonium quo vis tempore celebrari. Secundò probatur ex eo, quod matrimonium non est tantū sacramentum, sed etiam est contractus naturalis, & interdictum tantum videtur auferre ea sacramenta, quæ solum sunt sacramenta, non vero ea, quæ etiam habent adiunctam rationē contractus, sicut tempore interdicti non prohibentur alij contractus.

4 Verumtamen sit prima conclusio. Cum *Hugolin. tract. de censuris. tabula 5. ca. 7. §. 3. num. 14 & Suar. loco citato. disp. 33. sect. 2.* Non esse licitum contrahere matrimonium tēpore interdicti localis, aut personalis, generalis, vel specialis. Probatur, quia interdictum, vt patet ex D definitione, & multis iuribus, prohibet vsum omniū sacramentorū, sed matrimoniū est sacramentum, & non excipitur in aliquo iure, sicut excipiuntur pœnitentia, baptismus, confirmatio, & Eucharistia, *cap. alma mater. de sentent. excommunic. in sexto, cap. non est de sponsalibus, & cap. quod in te. de pœnit. & remission.* ergo prohibetur.

5 Ad primum argumentum in contrariū respond. in *cap. capellanus*, solum dici, & tempore feriarum, & alio posse matrimoniū licite contrahi, quia de eo fuerat quæstio, & non de tem

A pore interdicti. Ad secundū respondetur, matrimonium principalius esse sacramentum, & ideò sequi naturam sacramentorum.

Sit conclusio secunda. Benedictiones nuptiales, quia sunt diuinum officiū ratione missæ, & orationum Ecclesiæ, posse tempore interdicti localis generalis suscipi ab ijs, qui habēt licentiam assistendi illis tēporibus diuinis officijs. Probatur hoc quia ex *cap. alma mater*, possunt eo tempore diuina officia celebrari campanis non pulsatis, summissa voce, clausis ianuis, excommunicatis, aut interdictis exclusis. In alijs vero generibus interdicti, aut in cessatione à diuinis nequaquā possunt suscipi benedictiones nuptiales, quia ex inter diuina officia computantur, & nulla dispensatio, aut priuilegium in ijs cōtigerunt. Ita *Conat. & Suar. locis citatis.* 6

Vt ad secundum quæst. punctum gradū faciamus, an scilicet possit matrimonium cōtrahi tempore excōmunicationis, præ oculis habendum est, aliam esse excommunicationem maiorem, aliam minorem. Excōmunicatio maior est censura Ecclesiastica priuans hominem omni communicatione fidelium: excommunicatio vero minor est censura priuans receptione sacramentorum. Rursus excommunicatus duplex est, alius toleratus, seu non vitandus, alius non toleratus ab Ecclesia, & vitandus. Primò modo dicitur excōmunicatus ille, qui non est publice, & nominatim denunciatus, neque est notorius clerici percussor: & iste nō potest se intromittere prohibito suo ad communicationem fidelium, potest tamen ab alio inuitatus in fauorem eius, & ad libitum eius communicare. Secundò modo dicitur excommunicatus, qui est publice, & nominatim denunciatus ab Ecclesia, vel est notorius clerici percussor, quique non potest se ingerere ad cōmunicandum cum altero, neque potest ab alio inuitari ad communicationem, quæ doctrina conformis satis est, *Extrauag. ad euitanda scandala sub Martino V. edita in Concilio Constantiensi.* 7

His ita suppositis sit prima conclusio. Sponsalia sunt valida contracta tempore excommunicationis. Probatur, quia vt postea videbimus matrimonium contractum eo tēpore quo quis est affectus sententia excōmunicationis valorem suum sortitur, ergo etiam sponsalia. Patet consequentia, quia sponsalia minoris momenti sunt, quam matrimonium. Quæ conclusio etiam est vera loquendo de excommunicatione maiori denunciata. Si quis autem excommunicatus quantumuis denunciatus prædicta cōtrahat sponsalia, tātum peccat venialiter, quia solum est communicatio leuis, & in rebus humanis, & ita solum potest producere peccatū veniale. 8

Secunda conclusio. Excōmunicatus qua vis excōmunicatione maiori nequit recipere bene- 9

dictiones nuptiales, alias lethaliter delinquet. Patet, quia si eas benedictiones reciperet, assisteret missæ sacrificio, & orationibus Ecclesiæ: ergo communicaret in diuinis, quod est ei prohibitum sub peccato mortali.

10 Tertia conclusio. Matrimonium à quocunque excommunicato contractum sine dubio sortitur effectum. Ita docent *Glossa in sap. alma mater de sentent. excommunicat. in 6. Bald. in l. 1. num. 11. C. de iuris & facti ignorantia. D. Thom. 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 1. ad quintū, & alij quos refert, & sequitur Sanchez lib. 7. disp. 9.* Probatur primò *ex cap. significasti de eo, qui duxit in matrimonium, &c.* vbi matrimonium cuiusdam excōmunicati validum censetur; quis ergo audeat dicere tale matrimonium esse inualidum? Secundò probatur ex communi doctrina Canonistarum in *cap. si vere de sententia excommunicationis*, secundum quam contractus alij ab excōmunicato celebrati validi sunt; ergo etiam est validus contractus matrimonialis, cum ei nihil obstet. Tertiò probatur, quia tempore excommunicationis adsunt omnia essentialiter requisita ad valorem matrimonij, & nihil aliud obstat, nisi sola prohibitio Ecclesiæ communicationem media excōmunicatione impediens & nullo modo annullans contractum matrimonij contra eam celebratum, ergo ad matrimonij valorem tunc nihil substātiale desideratur.

11 Quarta conclusio. Excommunicatus quacūque excommunicatione maiori grauiter peccat, si perseuerante excommunicatione matrimonium contrahat. Ita sentiunt cum cōmuni sententia *D. Ant. 3. p. tit. 24. c. 76. vers. 14. Caiet. in sum. verbo, matrim. cap. 1. Pet. de Ledes. de matrim. quæst. 59 art. 1. §. penult.* Probatur conclusio, quia excōmunicatio maior priuat sub peccato mortali receptione, & administratione sacramentorū, cōtrahens autem matrimoniū ministrat, ac recipit Sacramentū matrimonij, ergo qui irretitus est excōmunicatione maiori, impeditus est sub mortali, ne matrimoniū contrahat. Quæ conclusio ita temperanda est, vt excōmunicatus excōmunicatione maiori minime toleratus ab Ecclesia, neque possit aliū inuitare ad matrimoniū contrahendū, neq; ipse ab alio inuitatus possit matrimoniū acceptare absque peccato mortali, quando verò toleratus est ab Ecclesia, grauiter delinquit; dum se ingerit ad matrimonium contrahēdum, motus tamen alterius precibus, atque in eius fauorem potest licite matrimonium celebrare, vt patet ex Extrauaganti supra allegata.

12 Amplior huius rei cognitio, scilicet quotuplex possit intercedere peccatum in celebratione matrimonij hominis excommunicati, & quot modis possit hæc communicatio contingere, ad nostrum institutum non pertinet, videantur circa eam *Suar. tom. 5. de censuris, & Sanchez loco citato.*

QVÆSTIO XLIII.

De impedimento catechismi, & voti simplicis.

CATECHISMVS secundum *Syluest. in sum. verb. catechismus*, est illa instructio fidei, quæ cōtingit circa baptizandum ante fores Ecclesiæ: in qua patrinus nomine paruuli respondet, se credere quidquid Ecclesia Catholica docet.

Sit prima conclusio. Catechismus est impedimentum impediens matrimonium: Ita definitur in *c. 2. contracto. de cognat. spirit.* & expressius *in cap. de cognat. spirit. in 6.* in quo decisio Pontificis est clara, & consequentia optima, quidquid dicat dubius in hac re *Sot. in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 2. colum. 4.* & ratio huius est ex *D. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. a. 2. ad tertium.* Quia catechismus est initium baptismi, sicut sponsalia matrimonij, sed per sponsalia contrahitur propinquitas, ergo & per catechismum cognatio spiritualis imperfecta, ad quam requiritur primo, quod quis teneat puerum dum catechizatur, & non sufficit durante exorcismo, & quod respondeat pro illo in rebus fidei.

Circa quam conclus. not. hāc cognationem oriri ex catechismo, siue ante baptismum, siue postea fiat, & siue sequatur baptismus, siue nō & vt bene docet *Sanch. li. 7. d. 10. imo iuxta Nauar. in sum. c. 22. Maiolum lib. 3. de irregularitate, cap. 25. num. 14. §. catechismus*, ista cognatio spiritualis, vt annexa baptismo, extendenda est, sicut extenditur cognatio spiritualis perfecta nata ex baptismo, & restringenda est, sicut illa ad easdem omninò personas.

Sed quæres, an hæc cognatio tollatur per *Trid. Sess. 24 c. 2. vbi agit de cognat. spirit.* nata ex baptismo, & confirmatione? Quidam respondent affirmatiue, vt *Enriq. lib. 12. de matri. ca. 2. n. 1. & Sanch. loco citato, n. 12.* Hoc probant primo ex *Trid. loco citato*, vbi in principio capitis videtur velle tollere omne impedimentū cognationis spiritualis dicens: *A cognationis spiritualis impedimento incipiēs*, & postea quam disposuerat hoc impedimentū cognationis spiritualis baptismi, & confirmationis tantum remanere inter baptizātem, verbi gratia, & baptizatum, & patres baptizati, & inter patrinos, & baptizatum, ac eius parentes, & similiter in confirmatione, in fine sic concludit: *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Ergo aufert Concilium cognationē spiritualem natam ex catechismo baptismi. Et confirmant quia *Pius V. motu proprio anni 1566. quarto kalēd. Decembris.* Declarans hoc decretum Tridentini ait, non

esse

esse recedendū à præcisis illis verbis, sed ibi non ponitur in Trident. cognatio catechismi, ergo hæc non est admitrenda.

5 Sed respond. tale impedimentum non esse ablatum per Trident. sed restrictum ad prædictas personas. Ita *Matien. lib. 5. recopil. tit. 1. rubr. Gloss. 1. n. 148. Bart. à Ledes. de matrim. dub. 46. in 1. edit.* Probatur primò, quia decretum Trident. est restrictiuum iuris cōmunis, vnde rigorose est intelligendum ita, vt non auferat cognationem catechismi, quia de illa non meminit. Secundò probatur, quia Conciliū, vt patet ex principio illius cap. mouetur ad restringendam omnem cognationem spiritualē, cum qua matrimonia inualide fiant, vt patet ex illis verbis, in quibus, vel non sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur, sed cognatio nata ex catechismo non facit inualidum matrimonium, ergo de ea non loquitur Concilium.

6 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum respondetur, Cōcilium in principio illius capitis agere de impedimento cognationis spiritualis indeterminate, postea vero specialius loquendo agere de impedimēto nato ex baptismo, & confirmatione. Vnde in fine capitis solum excludit impedimēta inter alias personas, præter eas, quæ ibi enumerantur. Ad decretum Pij V. respondi illud esse intelligendum, ita vt vltra personas numeratas in prædicta determinatione Concilij, nullum inueniatur impedimentum cognationis spiritualis.

7 Sed contra prædictam resolutionē obijcit *D. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. a. 2.* in hunc modum: *Inter sacramentalia baptismi sunt multa alia præter catechismum, quare ergo ex his non nascitur cognatio spiritualis, præterea oratio, & prædicatio nō sunt minus efficaces ad instruendum, & monendū homines ad bona opera, quam catechismus, sicut ergo ex catechismo oritur cognatio spiritualis, potest oriri ex oratione, & prædicatione.* Huic argumento respondet *D. Thom. loco citato*, talem instructionem fidei non fieri in alijs sacramētalibus, vel oratione, vel prædicatione eodem modo, atque in catechismo, vnde noluit Ecclesia ex his resultare impedimentum matrimonij eodem modo, atque ex catechismo.

8 Vt impedimentum voti simplicis explicemus, nor. votum simplex dici ad differentiam voti solemnis, de quo infra futura nobis est disputatio, natura autem simplicia voti in eo sita est, vt sit quædam promissio deliberata facta Deo de meliori bono, cum animo obligandi se, simpliciter facta, & sine solemnitate, quæ reperitur in voto religionis approbatæ solemni, & in susceptione ordinis sacri.

9 Aliquis posset existimare, votum simplex dirimere matrimonium. Primo, quia vt patet *ex cap. rursus*, qui clerici, vel vouentes, votum A simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, sed votum solemne dirimit matrimonium, ergo etiam simplex. Secundò probatur, quia votum simplex inducit obligationem apud Deum, ergo fortius est matrimonio, quod inducit obligationem apud homines, quare necessarium est, illud dirimere.

Sit conclusio certissima. Votū simplex castitatis impedit matrimonium licitè celebrari non tamen dirimit illud, etiamsi postea celebretur. Hanc conclusionem communiter tuentur Auctores. Probatur expresse ex *cap. consuluit. & cap. rursus, qui clerici, vel vouentes*, in quibus textibus, hæc veritas decernitur à Pontifice. Præterea eadem definitur à *Bonif. VIII. c. vnico de voto, & voti redemp. in sexto*, vbi post B sermonem institutum de voto solemni, de votis simplicibus hæc verba pronunciat Pontifex: *Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* Secundò probatur conclusio, quia votum simplex non includit rei promissæ traditionem, sed solam promissionem eius, vnde verum dominiū rei adhuc perseuerat apud vouētem, vt illud possit transferre in alterum. Licet ergo grauiter peccet, qui post votum emissum castitatis, quo Deo promisit suum corpus, tradit illud homini per matrimonium traditio tamen valida est, quia fit à vero domino adhuc retinente corporis sui dominium. 10

Sed quæres, quid respondendum sit in eo C casu, quo ligatos voto simplici quærit, an possit valere matrimonium contractum ab eo, qui emisit votū simplex castitatis, quando id quæritur ad matrimonium contrahendum? Varij Auctores varijs modis dicunt esse respondendum. Placet tamen asserere cum cōmuni resolutione Doctorum, prius diuertendum esse, si possibile est, interrogantem, asserēdo grauissimum sacrilegium in huiusmodi cōiugio perpetrari. Et ex eo infelices exitus, & grauia Dei supplicia imminere, quod si rursus interrogās vrgeat, sine vlla prorsus culpa respōderi posse validum esse in eo casu matrimoniū, sed quod sic respondens excusetur à culpa, patet tum, quia mentiri, nefas est, tum, quia ex taciturnitate interrogās colliget veritatem, tum etiam, D quia tacere in eo casu nemo tenetur, quia alias inurbanus iudicabitur, aut scrupulosi notam incurret. 11

Argumentis in oppositū facilis occurrit solutio. Primo vtrunque votū æque obligare, si tātū sit sermo de culpa, id est, sub peccato mortali licet grauius obliget votū solemne, quam simplex. Secundo argumento patet solutio ex *D. Thom. in 4 dist. 38. quæst. 1. ar. 3. quæstiūc. 3. ad secundum.* Procedentii in alio simili casū, scilicet votū ex parte eius, cui fit, scilicet Dei, fortius esse vinculū, quā matrimoniū, per votū 12

enim fit promissio Deo, & per matrimonium fit contractus cum homine, at ex parte modi obligandi fortius vinculum continere matrimonium, quam votum simplex, quia matrimonium verè est traditio dominij supra corpus contrahentis illud, & votum simplex tantum est promissio dominij, omnis autem traditio præualet promissioni.

QVÆSTIO XLIIII.

De raptu solum impediente matrimonium, & de raptu impediente, & dirimente illud?

1 VT eleganter notauit *Glossa in cap. fin. de raptoribus*, secundum antiquos canones, & secũdum leges ciuiles nunquã valuit matrimoniũ raptoris cum rapta, vt aperte nos docẽt plures textus, *Primus in c. de puellis. 36. q. 2. secundus in c. si autem. tertius in c. placuit. ibidem. quartus in C. de raptu virginũ. l. vn. §. fin autẽ* Postea autem, siue rapta constituta esset in sua libertate, siue nõ, valorem consecutũ est matrimoniũ eius cum raptore celebratũ, vt ostenditur *in cap. fin. de raptorib. vbi Innoc. III.* absolutè pronũtiat validũ esse matrimonium huiusmodi, si vtriusq; contrahentis accedat cõsensus. Quare cum nulla restrictio in prædicto textu contineatur, intelligẽdus ille est, siue de illo tẽpore, in quo fœmina rapta constituta est in sua libertate, siue de eo, quo nondũ fuerat libertatẽ assecuta. Quã doctrinã alijs Doctoribus renuẽtibus pro viribus defendũt *Abulens.* mei Collegij D. Bartholomæo sacri, ac toto terrarũ orbe celeberrimi felix, faustaq; proles *sup. c. 5. Matth. q. 203. ad tertiũ, Couar. 4. decre. 2. p. c. 3. §. 9. n. 1. & Sanch. li. 7. de matrim. disp. 12. n. 42.* Apud quem auctorẽ ea disp. poterit videri, quæ cõditiones requirãtur ad incurrẽdas pœnas antiqui iuris, quæ ve illæ pœnæ sint, & quod raptus præter speciẽ fornicationis, dicat aliquam circunstantiam mutantem speciem, quæ consistit in violentia illata puellæ raptæ ad explendam libidinem.

2 His suppositis, dicamus prius de rapta impediente solum matrimoniũ, de quo certum est, raptum alienæ spõsæ impedire hodie, quod licite contrahatur matrimoniũ cum rapta, & cũ quavis alia, non tamen dirimit. Patet ex *c. statutum. 27. q. 2.* cuius hæc sunt verba: *Statutũ est à sacro conuentu, vt si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe coniugij maneat.* Qui raptus solũ impedit secundum *Caiet. 2. 2. q. 154. a. 7. ad finem*, quando est raptus alienæ sponsæ, nõ vero alterius fœminæ, & vt patet ex ipso textu, si ipsa non consentiat raptui, potest alteri nubere.

3 Iste autem raptus impedit matrimonium A secũdũ *Glos. dicto ca. statutum*, siue sponsa sit de præsenti, siue de futuro, quia vtraque rectè intelligitur nomine sponsæ, & quia est valde hoc fauorabile matrimonio, & impedimenta eius sunt odiosa: ideò hoc impedimentum ita limitandum est, vt raptor debeat raptam traducere de loco vno ad alium, & cum ea habeat copulam, quod si vterq; sponsus consentiat raptui, nec verè est raptus, sicut neque cum fit ignorantibus sponsis, aut deceptis, quia raptus indicat violentiam. Neque incurritur impedimẽtum, quod tamen incurritur, quid quid dicat *Sanch. lib. 7. disp. 12. n. 47.* sponso solo, vel sponsa sola contradicente raptui, quia his modis irrogatur per vim iniuria matrimonio. Ratio autem huius impedimenti optime tangitur à *So-* B *to in 4. dist. 37. q. vni. a. 1. vers. de raptore*, scilicet, quia qui alienum matrimonium violat, merito priuatur proprio matrimonio contrahendo.

Ad quod impedimẽtum contrahendũ sufficit parentes contradicere, vel tutores, vel spõsum, quia tunc fit violentia matrimonio, nõ enim his contradicentibus præsumitur, totaliter fuisse liberam fœminam. Quod patet *ex c. statutum*, vbi indicatur, fœminam consentientẽ raptui nuptijs priuari, quod propter repugnãtiam malorum, vel sponsi ita creditur fuisse decretum, quod si mulier rapiat alienum spõsum, non incurrit hoc impedimentum *ex c. statutum allegato*, quod de viro loquitur: Cuius rapiendi vitium ex eo punit ius in viro, quia frequẽtius est in eo, quam in fœmina, & ex eo maior C resultat fœminæ raptæ ignominia, quam viro rapto, propter maiorem honestatem in fœmina requisitam. 4

Circa secundum punctum de raptu, qui est impedimentum dirimens nouo iure introductum. Audiamus *Trid. sess. 24. ca. 6.* in hæc verba loquens: *Decreuit sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimoniũ, quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero cõstituta illum in virũ habere consenserit, eam raptor in vxorẽ habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consiliũ, auxiliũ, & fauorem præbentes sint ipso iure excõmunicati, ac perpetuo infames, omniũque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de* D *proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam vxorem duxerit, siue non, decenter arbitrio iudicis dotare.* 5

Hoc crimẽ raptus ita graue iudicatur in Ecclesia, vt in omni dispensatione à Pontifice cõcessa circa aliquod impedimentũ matrimonij, subijciatur hæc clausula, *dummodo rapta non fuerit.* Ita docet *Enriq. in sum. lib. 12. de matrim. ca. 14.* & ita est dispensatio subreptitia, si mulier fuit rapta, quamuis postea sit in loco tuto constituta, & sic consentiat matrimonio, si tamen præcedens raptus nõ est patefactus Pontifici, ita habet quædam declaratio Cardinalium. 6

Pro

7 Pro cuius decreti intelligentia notandũ est primo matrimoniũ inter raptorem, & raptam dum fęmina non est separata à potestate raptoris, & in loco libero cõstituta, esse omninò nullum, vnde raptus merito inter impedimẽta dirimentia cõputatur, constat hoc ex *Triden. loco preallegato*, qua ratione intelligũnt decretum Tridentini cõmuniter Doctores, sed specialiter *Nauar. in sum. cap. 22. num. 74. Enriq. loco citato, num. 4. Tolet. lib. 7. sum. c. 13. & alij.*

8 Secundò notandũ est, prædictam excõmunicationem esse latæ sententiæ, & incurri ante omnem sententiam iudicis, constat ex illis verbis citatis *Tridentini, sint ipso iure excommunicati*, illa tamen excommunicatio auferri potest per quemlibet confessarium, quia non remanet vlli superiori reseruata.

B

9 Tertiò notandũ, fęminam raptam constitutã in sua libertate posse eligere matrimoniũ cum raptore, & illud repudiare, at vero virũ rapiẽtem teneri in pęnam delicti raptam ducere in vxorem, si ipsa velit cum illo contrahere matrimonium, vt hac ratione honori fœminæ satisfaciat, quẽ vehementer læserat, quod colligitur, ex illis verbis Concilij, *eam in vxorem habeat.*

10 Quartò notandũ ex vi huius decreti nõ manere obligatũ virum rapientẽ ad assignandam dotem raptæ ante sententiam iudicis, quod patet ex vltimis verbis Concilij, *decenter arbitrio iudicis dotare.* Quod tamen intelligendũ est, nisi eam violauerit, si enim eam violet, ipsa dissentiente, in foro conscientiæ adstringitur raptor competentem ei dotem constituere ante omnem iudicis sententiam. Ita docuit *Enriq. loco citato num. 5.*

C

11 Quintò not. illam pœnam assignatã in dicto decreto Trid. contra clericos, *vt de proprio gradu decidant*, quæ quidẽ verba significant, pœnã degradationis requirere sententiã iudicis, vt ostendunt illa verba futurum tempus respiciẽtia, *de proprio gradu decidant.* Pœnæ autem perpetuæ infamiæ, & incapacitatis beneficiorum, quia sunt ipso iure impositę, vt patet ex modo loquendi *Concilij loco citato*, sint ipso iure excõmunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatũ incapaces (quamuis oppositam immerito defendat *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 13.*) ipso facto incurruntur.

D

12 Sextò notandum ad hunc raptũ desiderari traductionem fœminæ de vno loco ad alium. Patet, quia alias nõ dicitur raptus, etiamsi vir in vno cubiculo domus paternæ eam cum satellitibus seruet. Secundo probatur, *ex c. lex illa, 36. q. 1.* his verbis: *Raptum dixit commissum esse, vbi puellá, de cuius nuptijs nihil antea actum fuerat, videatur abducta.* Tertiò probatur, quia Ecclesia punit id, quod communiter cõtingit, communiter autem contingit raptus per traductionem fœminæ de vno loco ad aliũ, vt de propria domo in alienam. Hunc ergo raptum

A

punit Ecclesia, constituendo prædictũ impedimentum, & nõ alium raptum extraordinariũ.

Septimò notandum, hunc raptum nõ requirere copulam raptoris cum rapta, quia hic nõ punitur raptus propter libidinẽ secutam, sed propterea, quod ex illo maxime impeditur libertas matrimonij finibus valde necessaria. 13

Octauò notandum est, ad hunc raptum non sufficere solas preces importunas, neq; deceptionem, aut ignorantiam mulieris, vel parentũ sed requiri aliquid quod redoleat violentiam, prædicta autem violentiam non redolent, sicut neque ipsa consentiente raptui, etiamsi parentes contradicant, verè nominatur raptus saltem respectu eius, & saltem vt sit impedimẽtum dirimens. 14

B Nonò notandum est, incurrere raptorẽ has pœnas, siue rapta sit virgo, siue non, siue honeste, siue turpiter viuat. Quia Concilium contendit fouere dum has pœnas cõstituit, libertati ad matrimonium requisitę. Quodlibet autem matrimonium cum qualibet fœmina celebratum summam libertatem requirit, conueniẽs ergo fuit, raptum cuiuslibet fœminæ libertatẽ matrimonij impedientem prędictis pœnis puniri, vt bene tamen considerauit *Eman. Rodr. 1. tom. sum in 2. edit. c. 232.* raptor eas pęnas cõstitutas in Trid. non incurrit, dum rapta aliquo impedimento dirimenti laborat, ratione cuius non potest, matrimonium cõtrahere cum raptore, quia Trid. contendit, ne matrimonia coacte, & violenter celebrentur. In prædicto autẽ casu C impossibile est, matrimoniũ celebrari, non fuit ergo necessarium, Triden. illi casui remedium adhibere media constitutione pœnarum. Vnde non probatur doctrina *Thom. Sanch. loco citato, num. 14.* oppositum asseuerantis. 15

Decimo notãdum prædictis pœnis minime subiacere fœminam rapientẽ virũ, quia Trid. de solo viro loquitur, dum pœnas assignat, & non militat eadem ratio in viro, ac in fœmina, quia hanc violentiam non solent inferre fœminæ, sed viri, ius autem id præcauet, quod cõmuniter contingit, licet autem hoc verum sit, attamen, si fęmina rapiat virum, ac in propria potestate retineat, matrimonium contractum à viro sic detento nullum prorsus est, quia tunc currit eadem ratio, ac in fęmina rapta, D scilicet defectus libertatis maxime nocinus matrimonio, cui remedium voluit adhibere Concilium. 16

Vndecimo notandum in his locis, vbi sciẽte, & patiente Papa non est Tridentinum receptus, valere matrimonium inter raptorem, & raptam, dum ipsa est in potestate raptoris, si verè consentiat sine alia vi, quia iste consensus de iure naturæ sufficit, & de iure antiquo canonico, & solum est ablatus per Tridentinum, vbi ergo Tridentinum non est receptum, valet tale matrimonium. 17

Duodecimo notādū (licet aliqui sentiāt oppositum, vt *Nauar. lib. 4. consiliorum, consil. 3. Petrus de Ledesma in summa de Sacramento Matrimonij, cap. 56.* ducti, quia in sponsalibus, quæ sunt dispositio ad matrimonium, requiritur magna libertas, sicut in matrimonio, sicut ergo Concilium annullauit prædictum matrimonium propter fauorem libertatis matrimonij, censetur annullasse sponsalia propter fauorem libertatis sponsalium) valida esse spōsalia inter raptorem, & raptam etiam, dum ipsa existit in potestate raptoris. Probo hāc partem, quia non est eadem ratio quantum ad hoc punctum sponsalium, & matrimonij, quia spōsalia facile possunt dissolui, matrimonium vero non item. Vnde minori libertate contenta sunt, quam matrimonium, ergo, licet matrimonium inter raptorem, & raptam annullatum sit in fauorem libertatis matrimonij, at necesse non fuit sponsalia inter eas personas celebrata irrita reddi. Secundò probo, quia in alijs impedimentis dirimentibus constitutis ab Ecclesia non pari passu currūt matrimonium, & sponsalia, nam vt vidimus *in tractatu de sponsalibus, quæst. 7.* sponsalia clandestina valida sunt, licet matrimonium clandestinum minime valeat. Et vt patet ex *quæst. 33. huius tractatus,* sponsalia celebrata per metum cadentem in virum constantem sunt valida, quamuis matrimonium eo modo celebratum prorsus valore careat, ergo etiam, licet matrimonium inter raptorem, & raptam valorem non sortiatur, attamen sponsalia non eo ipso inualida iudicanda sunt. Vltimò probo hanc partem, quia sponsalia inter raptorem, & raptam inita, non sunt inualida iure naturæ, vt constat, quia alias nunquam fuissent valida, cum tamen aliquando, id est ante Tridentinum valuerint. Neque etiam sunt inualida iure positiuo, quia non cōstat ex aliquo textu hæc nullitas, nam Tridentinum tantum annullauit matrimonium inter raptorem, & raptam, & non meminit sponsalium. Neque propter diuersitatem rationis allatæ necesse fuit eorum Cōcilium meminisse, ergo ex nullo capite constat nullitas hæc sponsalium. Ex qua doctrina facile satisfit argumēto pro contraria sententia allato.

18 Decimotertio notandum est, non posse virum suam sponsam de futuro rapere, & cum ea posita in eius potestate contrahere, quia nō potest cogere per vim iniustam ad fidem seruandam.

19 Quæret tamen aliquis, an pœnis appositis in dicto decreto liberetur raptor ducens raptam positam in loco tuto? *Sanchez loco citato, num. 1.* aperte sentit, non liberari. Probat ex verbis Tridentini adductis, vbi postquam dixit, posse inter raptorem, & raptam in loco tuto constitutam, & consentiētem matrimonio, consistere matrimonium, subdit, *& nihilominus raptor ipse, at omnes illi consilium, &c.* vbi non obstante matrimonio videtur apponi prædictas pœnas. Ad hoc tamen respondetur, eas in hoc casu non incurri, non loquor de excommunicatione, quia hanc ipso facto incurrit raptor, eo ipso, quod fœminam rapiat, antequam detur locus matrimonio contrahendo. Sed de infamia, dignitatum incapacitate, & degradatione. Ita *Enriq. dicto ca. 14. nu. 4.* sentit de infamia, & incapacitate dignitatū, *& Pet. de Led. in Summa de matrimonio, cap. 26. in fine.* Idem sentit de infamia, & de pœnis omnibus iuria, & ratio est, quia rapta infamis manet apud populum, & non ita bene nubet, ac antea alteri viro, cogitur ergo ad honorem resarciendum nubere raptori. Si autem raptor adhuc nubens maneret infamis cogeretur nubere infami, quod non est credendum de pia matre Ecclesia, & quod esset contra libertatem matrimonij. Vnde ad argumentū in oppositum respondetur, Concilium in illis verbis, *nihilominus, &c.* solum denotare præter pœnam appositam raptori de nullitate sui matrimonij, incurri etiam alias, quæ sequuntur in illo cap. 6.

Secundò quæret aliquis, an ille, qui rapit puellam tantum ob causam libidinis explendæ, comprehendatur hoc decreto Tridentini, sicut & ille, qui eam rapit ad matrimonium cū ea contrahendum? Ad hoc respondet *Sanchez disp. citata num. 4.* negatiue alios referens. Sed longe mihi probabilius videtur id, quod expresse tenet *Sa in Summa verbo, matrimonium in princ. nu. 9.* vbi dicit, sic declarasse congregationem Cardinal. & reputat probabile *Sanchez num. 3.* scilicet, raptorem comprehendi in hoc decreto, siue rapiat fœminam animo matrimonij, siue libidinis explendæ, siue quouis alio. Probatur, quia finis Tridentini in prædicto decreto, est fauere libertati matrimonij, sed non plene fauet huic libertati, nisi puniat eum, qui quouis animo rapit puellam, ita vt cum ea, donec constituatur in loco tuto, non possit inire matrimonium, postea mutato proposito, quia quamuis non fuerit rapta animo matrimonij, adhuc non est omnino libera, nec apta ad matrimoniū, donec in loco tuto constituatur. Neque obstat, quod in illis capitibus Tridentini solum agitur de reformatione matrimonij. Ad hoc enim dicimus, punitionem huius raptus esse necessariam ad bonum matrimonij propter rationem adductam. 20

Tertiò quæret aliquis, an vir rapiens fœminam consentientem renitentibus tamen parentibus subiaceat pœnis *Tridentini dicto loco?* Quidam respondent, subiacere quidem. Ita *Nauar. prima editione, lib. 4. consiliorum, tit. de sponsalibus, consil. 32. num. vltimo, tit. de sponsalibus in postrema, lib. 5. tit. de raptoribus, consil. 2. num. vnic. Vega 2. tom. summa, cap. 34. casu 157. notabili 1. & alij.* Respondeo tamē cum *Sanch.* 21

dicto

dicto loco, *num.* 13. non subiacere. Probatur, quia *Tridentin. dicto cap.* 6. solum contendit fauere libertati fœminæ, cum qua celebrandum est matrimonium, non libertati parentum. Cuius signum est, quod in toto cap. solum meminit raptæ, & solum requirit eius plenam libertatem, non vero meminit parentum. Vnde quando *D. Thom. secunda secundæ. quæst.* 154. *art.* 7. sentit, ad rationem raptus sufficere repugnantiam solam parentum, hoc debet intelligi de raptu antiquitus prohibito, *cap. de puellis. cap. placuit.* 36. *quæst.* 2. vt denotatur, *cap. si autem eadem causa, & quæst.* quia *D. Thom.* ante Tridentinum scripsit.

QVÆSTIO XLV.

De incestu.

1 INCESTVS est quædam copula illicita habita inter eos, qui per affinitatem, vel consanguinitatem coniuncti fuerant.

2 Pro qua quæst. notandum primò, in ea esse sermonem de incestu, quatenus est quoddam impedimentum impediens matrimonium.

3 Secundò notandum ad hoc, vt ex incestu oriatur aliqua affinitas, siue aliquod impedimentum matrimonij, necessariò requiri copulam aliquam consummatam per emissionem seminis virilis intra vas fœminæ, tunc enim perfectè fiunt vir, & fœmina vna caro, quod requiritur ad affinitatem. Huius sententiæ fuit *Bart. à Ledesm. de matrim. dub.* 50.

4 His suppositis fit conclusio cum communi sententia Doctorum. Si vir cognoscat consanguineam suæ vxoris copula consummata, non potest licitè mortua vxore cum aliqua fœmina contrahere matrimonium, valide tamen potest. Ita tenent *D. Thom. in* 4. *dist.* 34. *quæst. vni. art.* 5. *in solut. ad argumentum. Ricard. ibidem, art.* 4. *quæst.* 2. *ad primũ, patet ex cap.* 1. *& c. transmissæ. de eo, qui cognouit consanguineam, in cap. enim transmissæ*, cum sit sermo de eo, qui cognouerat filiam suæ vxoris, & postea aliam duxerat mortua priore vxore, sic dicitur: *Postmodum, si superuixeris ei, perpetuo sine spe coniugij maneat.* Ad quod statuendum, vt sentit *Caietan. secunda secundæ, quæst.* 154. *art.* 9. *colum.* 2. illud fuit Ecclesiæ fundamentum, quod cum vir per incestum contra matrimonium deliquerit contrahendo affinitatem, à qua impeditur, ne debitũ exigat à sua vxore, merito debet matrimonij iure priuari. Et huius conclusionis doctrina secundum *Syluest. verbo, luxuria, quæst.* 4. *dicto* 5. nera est, etiamsi tantum loquamur de incestu commisso cum consanguineis sponsæ de præsenti non dum matrimonio consummato. Patet ex *cap. discretionem. tit. citato*, vbi de huiusmodi sponsa violenter cognita pronunciatur,

A non contrahere propter hanc copulam violẽtam habitam cum consanguineo sui sponsi hoc impedimentum impediens matrimonium, cõtraheret ergo illud, si copula fuisset voluntaria. In hoc autem casu eadem ratio militat in incestu fœminæ, ac in incestu viri, vnde vterque incestus eadem pœna punitur, vt patet expresse *ex cap. si quis viduam.* 32. *quæst.* 7. & propter eandem etiam rationem consanguinei coniugum, qui prædictum incestum committunt cum his coniugibus, in eandem pœnã incidunt. Aperte constat *ex cap.* 1. *supra allegato*, ibi, si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec filiastra, nec ille vllo vnquam tempore alij se poterunt matrimonio copulare, quod impedimentum, vt optime notat *Pe-*
B *trus de Ledesma in summa de matrimonio, cap.* 22. contrahitur ante vllam sententiam iudicis, sicut & alia impedimenta. Hoc autem impedimentum incestus non solum prouenit ex copula habita cum consanguineis sponsæ, sed etiam cum affinibus eius, siue affinitas proueniat ex copula licita, siue ex illicita, vt patet ex *cap.* 1. *&* 2. *& cap. transmissæ*, de eo, qui cognouit consanguin. vxoris suæ, & incestus tantum impedit matrimonium cum est intra secundum gradum, vt optime considerarunt *Pater Sa in summa verbo, matrimonium, de impedimentis, tantum impedientibus, num.* 7. *& Pater Sanchez, lib.* 7 *de matrimonio, disp.* 15. *num.* 5. Affinitas enim ex copula illicita ortum habens, licet olim vsque ad quartum gradum extende-
C retur, vt docet *Gutierrez lib.* 1. *quæstionum canonicar. cap.* 23. *num.* 5. Modo restricta est vsque ad secundum gradum propter magna pericula, & frequentia committẽdi peccata luxuriæ, quæ homines experiuntur. Ita constat ex *Trident. Session.* 24. *cap.* 4. ad cuius rei confirmationem accedit *Gregor. XIII.* qui ex sententia congregationis Cardinalium asseruit, in decreto Tridentino citato, impedimentum superueniens affinitatis ex copula illicita post contractum matrimonium, vltra secundum gradum sublatum esse, quia si impedimentum dirimẽs sublatum est vltra secundum gradum, quod maius est, ergo & illud, quod minus est. Quod solum impedit, ne is, per quem contracta est affinitas, licite possit exigere debitum ab vxo-
D re, vbi consequenter videtur declaratum, impedimentum incestus, quod impedit solum matrimonium, esse restrictum vsque ad secundum gradum quia hoc etiam est minus.

Quæres primò, an prædictum impedimentum oriatur ex copula habita cum consanguinea sponsæ de futuro? Ad hoc respondetur copulam huiusmodi inducere impedimentũm impediens. Probatur *ex cap.* 2. *de eo, qui cognouit consanguineam*, vbi expresse asseritur, eum, qui matrem sponsæ suæ cognouerat, ex dispensatione Episcopi posse aliam ducere, in quo 5

responso duo ponderanda sunt ad nostrum propositum. Primum illam sponsam nõ fuisse sponsam de præsenti, sed de futuro. Nam si esset de præsenti, non posset ea relicta sponsus aliam ducere etiam ex dispensatione Episcopi. Secundo ponderandum est, prædicto viro tantum concedi facultatem contrahendi matrimonium cum alia ex dispensatione Episcopi, ergo prohibitum illi erat, matrimoniũ contrahere propter talem incestum, atque ita intelligunt prædictum *textum glos. ibidem Inn. ibidem nu. vn.* in quo casu impedimentum est tantum temporale, dum alter, qui socius fuit delicti, vixerit, vt *patet, ex c. duo pueri de despons. impub.* cuius ratio ea potuit esse, ne tantum delictum remaneat impunitum.

6 Quæres secundo, an incestus alicuius soluti habiti cũ duabus fœminis, quæ sunt inter se cõsanguineæ, inducat hoc impedimentũ, Sanch. disp. citata, sentit, solũ hunc incestũ cũ matre, & filia inducere hoc impedimentũ nunquam nubendi, *iuxta textum, c. siquis cum matre* 24. q. 2. Sed respond. hoc impedimentũ esse quoad secundũ gradũ extendendũ, quia indistincte de hoc incestu causare impedimentum, dicunt *Palud. in 4. dist. 34 q. 1. a. 2. n. 13. Rebuf. praxi benef. regul. de dispens. in grad. prohib. glos. 5. n. 26.* Et quod non solus incestus cum matre, & filia hoc impedimentũ inducat, patet, ex *c. siquis viduam* 32. q. 7. vbi in prin. dicitur. *si cum filiastra sua fornicatus fuerit, siue cum duabus sororibus.* Et in fine subditur. *Vlterius nunquam coniugio copulari præcipimus.* Cuius ratio est, vt tantum delictum non maneat impunitum.

7 Incestus autẽ cũ cognata spirituali inducit hoc impedimentũ, vt patet ex quadã Cardin. declarat. quam ego vidi, & eam declarationẽ adducit Pater *Marcilla inter eas, quas noniter Cõcilio Trid. adiunxit lib. 3. tit. de consanguinit. c. 4.* Et hanc copulã esse incestuosam docet *Petr. de Ledes. in sum. tract. 27. de abstin. c. 13.* copula autem habita cum cognata legali non ita proprie est incestus, vnde nec matrimoniũ impediet, licet largo modo ita possit appellari.

8 Quæres tertio, an incestus cõmissus cũ consanguineis vxoris defunctæ inducat hoc impedimentũ. Et respond, (licet contradicat *Sot. in 4. dist. 37. q. vn. a. 1.*) inducere quidem. Probatur, expresse ex c. transmissæ. Huius ratio videtur esse, ob puniendũ tantum scelus, & quia non seruauit recte iura præteriti matrimonij ille incestuosus. Imo propter has rationes, & supra allatas, etiamsi huiusmodi incestus delicta occulta sint, puniuntur hoc impedimento. vt notauit, *Gutier. lib. 1. qq. canon. c. 23. num. 8.* quia culpa ipsa punitur.

9 Quarto quæret aliquis, an incestus perpetratus à viro cum suis cõsanguineis, qui non inducit affinitatem cum vxore, inducat etiã hoc impedimentum. *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 16. §. 4. Caiet.*

A *in sum. verbo, matrimonium, c. 1. & Sanch.* multos allegans, *n.* 16. Respondent, hunc incestũ minime impedire matrimonium. Probatur primo, quia nullus textus id probat. Secũdo quia iste non delinquit cõtra matrimoniũ. Sed respond. ex hoc incestu nasci impedimentũ nunquam cõtrahẽdi matrimonij, siue incestus durãte aliquo matrimonio fiat, vel nõ. Ita habet declaratio Cardin. allegata proxime. Quã allegat *Pat. Marcil. in declarat. Cardin. quas de nouo iniunxit Concilio, lib. 3. tit. de consanguin. & affi. sess. 24. Cõcilij, c. 4. Sot in 4. dist. 37. q. vn. a. 1. paulo post primam conclus. glos. fin. c. de incestis 35. q. 3. Angel. verbo, incestus, n. 5. in fine, Pet. de Ledes. in sum. de matrim. c. 22.* Probatur ex *c. siquis viduam* 32. q. 7. vbi id satis clare dicitur. Secũdo probatur,

B quia iste est stylus Curiæ, vt cùm dispensatur cum consanguineis, qui inter se incestũ commiserunt, vt contrahant matrimoniũ, dicatur, vt altero mortuo superstes non contrahat rursus, quid clarius? Ex his respond. ad opposita. Ad primũ patet ex dicto textu à nobis allegato. Ad secũdũ respond. etiã non delinquere cõtra matrimoniũ eũ, qui cognoscit consanguineam sponsæ de futuro. Et tamen *Sanch. dicit, n. 5.* hoc peccatũ puniri medio impedimento, ne delicta maneant impunita. Idẽ ergo in nostro casu dicere possumus, fas esse, medio hoc impedimento punire prædictum incestum, ne tale crimen absque vindicta remaneat.

Vltimo quæres. An iste incestus cõmissus cũ proprijs consanguineis coniugis fornicantis 10

C impediat petitionẽ debiti ab altero coniuge, quando ille est matrimonio coniunctus? Huic interrogationi facile respond. ex eo incestu tale impedimentũ minime resultare, quia non extat aliquod ius, quod illud cõstituat. Ita respondent cõmuniter Theologi, de qua re consulatur *Sot. in 4. distinct. 37. quæst. vn. art. 2.*

QVAEST. XLVI.

De vxoricidio.

IN hac quæst. restat disputare de alio impedimento matrimonij, quod consistit in occisione propriæ vxoris; non quidem eo animo, vt aliam fœminam ducat, quia hoc pertinet ad impedimentum criminis, de quo postea futurus est nobis sermo, sed quæst. præsens procedit de occisione vxoris perpetrata in vindictam alicuius delicti, vel ob aliam causam. 1

D

2 In quo casu cõcors omniũ sentẽtia defendit, virũ incurrere impedimẽtũ quoddã impediẽs, matrimoniũ licite fieri, nõ vero illud dirimẽs. Probatur *ex textu in cap. interfectores 33. q. 2. & ex cap. admonere eodem tit.* Vbi postquam grauiter

niter Pontifex reprehendit Astulfum propter exectandum facinus interficiendi vxorem, inter alias pœnas, quas ei imposuit in vindictā criminis, hanc assignauit his verbis. *Vxorem nunquam ducere audeas.* A

3 Hoc vero vxoricidium tunc tantum intelligitur matrimonium impedire, cum iniuste perpetratur. Si enim vir vxorem in adulterio cōprehensam authoritate publica interficiat, nō incurrit prædictum impedimentum, teste *Enriq. lib. 12. de matrim.*

4 Vir authoritate priuata occidens vxorem etiam in adulterio deprehensam huiusmodi impedimentum non euitat, quamuis enim in eo casu leges ciuiles, quæ vehementis doloris mariti vim perpendunt, eum tunc minime puniant, Canones vero, qui culpam contra Deū commissam attendunt, illum merito puniunt medio hoc impedimento. Ita sentiunt *D. Tho. in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2. in corpore, & D. Bonauent. ibidem, art. 2. quæst. 3. Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 1. ad finem.*

5 An vero vxor virum suum interficiens prædicti impedimenti pœna afficiatur, sub iudice lis est. Quidam pronunciarunt eam tali pœna non affici. Ita *Armil. in sum. verbo, matrimonium num. 58. Ledes. 2. p. 4. quæst. 62. art. 2. paulo post prin.* Et alij, quos sequitur *Sanch. lib. 7. disp. 16. num. 6.* Probant suam sententiam, quia prædicti textus, imo *lex Regia* 14. *tit. 2. partita 4.* medio hoc impedimento puniunt id, quod frequentius est, & id, ad quod homines procliuiores sunt. Sed frequentius est viros occidere vxores, illique ad id facinus audaciores sunt; rarissimum enim est, vxores virorum suorum mortem parare, & ad id sunt valde timidæ; licet ergo viris hoc impedimentum fuerit conueniens, vt eo tanquā freno coercerantur, vxoribus tamen non fuit necessarium. Secūdo probant, quia pœna non est extēdenda extra proprium casum. Vt *patet ex ca. pœnæ de pœnit. dist. 1.* Sed hoc impedimentum pœna quædam est imposita viris, nequit ergo ad vxores extendi.

6 Mihi tamen verius videtur, etiam vxores occidentes viros suos incurrere hoc impedimentum. Ita sentiunt *Sot. in 4. dist. 37. q. vn. art. 1. versic. simplex item Nauar. sum. cap. 22. num. 74. Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 2.* Probatur hac vnica ratione, quia, vbi militat eadem ratio, imo, & fortior, militat idem ius, imo, & fortius. Sed militat eadem ratio legis, imo, & vrgentior ad puniendum viricidium, ac ad puniendum vxoricidium medio hoc impedimēto, ergo de facto punitur. Minor probatur, quia lex Regia allegata grauitatē delicti vxoricidij dicit esse causam imponendi hoc impedimentum, & non meminit frequentiæ delicti. Præterea caput admonere allegatū ad pœnam imponendam ponderat solam grauitatē delicti, huiusmodi verbis, *occidisti vxorem tuā, partem corporis legitimo matrimonio tibi sociatā;* hæc autem grauitas maior reperitur in viricidio, quia maiorem reuerentiam debet vxor viro, quam è contra, ergo vxor occidens virum nequit aliud matrimonium vnquam inire.

Ex his respondetur ad argumenta opposita. 7
Ad primum patet ex nostra ratione, ad textum ex cap. pœnæ. Respond. cum *Nauar. loco citatō.* Illam regulam fallere in correlatiuis, vbi militat eadem ratio, vt in vxoricidio, & viricidio vidimus.

QVAEST. XLVII.

B *Quo iure impedimenta impedientia inducta sint, & qualis culpa sit, cū his impedimentis contrahere, & quis dispenset?*

IVs triplex est, aliud diuinum, quod Deo 1
authore institutum est, vt lex fidei, & charitatis, aliud naturale, quod ipsa natura rationalis sine magisterio aliquo docet, & cuius naturam homo sine vllo discursu, vel cum paruo cognoscit, vt suum ius vnicuique tribuere, neminē lædere, & præcepta Decalogi. Aliud est ius humanum, quod authoritate hominum C introductum est, & deductum saltem remote ex iure naturali, vel diuino, cuiusmodi est ius Canonicum, & Cæsareum.

Sit prima conclusio, sponsalia, quæ sunt pro- 2
missio matrimonij futuri homini facto, & votum, quod est promissio Deo facta obligant de iure diuino, & naturali. Patet, quia his iuribus astringimur fidē seruare Deo, & hominibus, reliqua vero impedimenta impedientia sunt inuenta iure positiuo. Ita *Sentiunt Caiet. in sum. verbo, matrimonium, cap. 1. §. secundum vero caput. Veracruz 1. p. Specul. art. 27. paulo post principium.* Quæ conclusio non indiget probatione, quia vnicuique discurrenti per prædicta impedimenta facile constabit eius veritas.

Circa secundum quod in hac quæst. quæri- 3
tur, sit secunda conclusio. Si quis contrahat ma- D trimonium contra interdictum Ecclesiæ habēris graue aliquod motiuum in constituendo interdicto, vel contra votū castitatis, aut aliud votum, aut contra sponsalia, quibus promisit matrimonium alteri fœminæ, sine dubio committit peccatum mortale. Ita sentiunt cum cōmuni doctrina *Caiet. in sum. verbo, matrimonij ca. 1. §. & tertia. & Sanch. lib. 7. disp. 17.* Probatur conclusio, quia in huius matrimonij contractu violatur præceptum vel humanum, vel naturale in re magni momenti, ergo culpa mortalis in eo reperitur.

Sic

4 Sit tertia conclus. In alijs impedimentis solum impedientibus hæc regula seruanda est, quod vbi non est legitima consuetudo in contrarium auferens hæc impedimenta, & non requirens dispensationem superioris, sed iura constituentia illa sunt in viridi obseruantia, sine dubio peccat lethaliter, qui aliquo ex prædictis impedimentis irretitus matrimonium audet celebrare. Ita docent *D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 16. §. 4. Sylu. matrimonium 7. quæst. 6. dicto 2. Sotus in 4. dist. 37. q. vn. art. 1. col. vlt. vers. tandem ad peccandas*, & alij. Conclusio euidens est quantum ad hanc partem, quia iura statuentia prædicta impedimenta continent præcepta magni momenti, eorum ergo violatio non potest excusari à culpa mortali, in his vero locis, vbi reperitur legitima consuetudo præualens contra illa impedimenta, sine vllo peccato contrahitur matrimonium ab eo, qui aliquo impedimento laborat. Ita docent *D. Ant. & Syluest. locis præallegatis*. Clarior est hæc pars, quam, vt probatione indigeat, si enim, vt vidimus, q. 38. huius tractatus, consuetudo potest obtinere vires auferendi impedimenta matrimonij, quando legitima esse comprobatur, cur in præsenti casu eas illi denegabimus?

5 Quas vero vires circa hæc impedimenta communiter obtineat consuetudo, non omnes eodem modo explicant. *Rebel. 2. p. de obligat. iust. lib. 3.* non iudicat, communiter istam consuetudinem vigere, & idem insinuat *Tolet. in sum. lib. 7. cap. 19.* Vnde aperte sentit Rebelus, esse in his impedimentis necessario Episcopi dispensationem expectandam.

6 Sit tamen quarta conclus. Omnia impedimenta impedientia exceptis voti, sponsalium incestus, & Interdicti Ecclesiæ impedimentis, communiter non sunt in vsu, vnde ijs non obstantibus absque vlla prorsus dispensatione, licite potest contrahi matrimonium. Hanc conclusionem tuentur *Nauar. in sum. c. 22. num. 75. & 85. & Tho. Sanch. lib. 7. disp. 17. n. 4.* Et quidē in hac diœcesi Salmantina, vt ego audiui, hæc impedimenta, generaliter de illis loquendo, non sunt in vsu, neque in illis petitur dispensatio tanquam necessaria, in impedimento tamen incestus necessariam esse credo vbique terrarum dispensationem, quia ita continetur in quadam declaratione Cardinalium, quam adducemus in tractatu de dispensationibus.

7 Circa tertiū quod in quæst. proposuimus, sit quinta conclusio. In impedimento sponsalium nequit Episcopus dispensare. Ita sentit *Caiet. in summa verbo, matrimonium.* Cuius ratio est, quia ex sponsalibus adquisitum est ius tertiæ personæ, quod non potest Episcopus auferre. In impedimento vero voti castitatis, & voti religionis, quando absoluta sunt, etiamsi simpliciter tantū emittantur, nequit Episcopus dispēsare, quia huiusmodi vota sunt sedi

A Apostolicæ reseruata. In impedimento autem interdicti Ecclesiæ, si illud sit constitutū à superiore, nō potest Episcopus dispensare, quia inferior nequit dispēsare in lege superioris saltē pro suo libito, & absq; vrgente causa. Quando vero interdictū statutū est ab Episcopo, vel ab eius inferiore, nemini dubium esse debet, quin in eo possit Episcopus dispensare. In sua enim lege quilibet est moderator, & arbiter in alijs vero impedimentis impedientibus potest Episcopus dispensare. Ita sentiunt *Palud. in 4. dist. 28. q. 2. & D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 16. §. 4. Nauar. in Man. c. 22. n. 85. & Petr. de Ledes. in sum. de matrim. c. 27.* Probatur duplici ratione adducta à *Nauar. loco citato.* Prima sit, quia, cum in *c. 2. de eo, qui cognouit consanguineam*, cōstet, B posse Episcopum dispensare in incestu commisso cum consanguineis sponsæ defunctæ, ex quadam æquitate, & similitudine rationis hāc facultatē dispensandi videtur esse extendendā ad alia impedimenta. Secundo probatur, quia Episcopi ratione legitimæ consuetudinis hāc sibi potestatē vendicant, & has dispēsationes, quas concedere possunt Episcopi, possunt etiā concedere legati à latere. Papæ in Prouincijs suæ legationis. Archiepiscopi vero nequeūt in his impedimentis dispensare cū subditis Episcoporū suffraganeorū, vt optime notauit *Petr. de Ledes. in sum. de matrim. c. 27.* nisi in duobus tantū casibus. Primo in gradu appellationis. Secundo dū diœceses suffraganeorū visitant. C An vero possint Vicarij Episcoporū in his impedimentis dispēsare, late disputat *Sanch. lib. 2. disp. 40. per totam.* In hac tamen re placet sententia *Pet. de Led. loco citat.* asserentis, in cōmissione generali concessa ab Episcopis nō conceditur hāc potestatē dispēsandi, nisi in duobus casibus. Primus sit, cū Episcopus discēdit ab Episcopatu, & Vicario generali cōmisionē concedit circa omnia negotia. Secundus sit, cū ex cōmissione generali clare constat, dari facultatē ad huiusmodi dispensationes, quia in ea commissione datur facultas ad casus grauiores, quā sit dispensatio impedimentorum, & in his impedimentis possunt etiam illi dispensare, qui iurisdictione vtūtur Episcopali ordinaria.

Quæret tamen aliquis pro perfectā intelligentia horum impedimentorum. An prædi- 8 D cta impedimēta impediant petitionem debiti cōiugalis? Hoc punctū attigit *Enriq. lib. 12. de matrim. c. 2. n. 3.* cū cuius doctrina respondēdū est, votū castitatis, & alia similia vota quæ opponuntur vsui matrimonij, impedire petitionē debiti, quia petitio debiti est vsus matrimonij, cōtra quē pugnāt prædicta vota. Incestus præterea impedit eandē petitionē debiti. Ita enim stabilitum *est in c. 1. de eo, qui cognouit consanguineam.* Reliqua vero impedimenta non tollunt petitionem debiti coniugalis, quia non reperitur textus aliquis, neque aliqua ratio, quæ id com-

conuincant, sine sufficienti autem fundamento talis prohibitio adstruenda minime est.

QVÆST. XLVIII.

An errores personæ, & qualitatis dirimant matrimoniũ, & an aliquando error qualitatis redundet in errorem personæ?

1 IVxta doctrinã **Magist. Sentent. in 4. dist. 30. c. 1.** Error, qui reperiri potest in matrimonij cõtractu, alius est circa personã, vt cum quis cõtrahit matrimoniũ cũ Maria, existimãs esse Ioanã, alius vero est circa qualitatẽ, vt cũ quis cõtrahit cũ fœmina ignobili, existimans esse nobilẽ, vel cũ paupere existimans, eã esse diuitem; & hoc est primo notandũ in hac q.

2 Secũdo notandũ est, duplicẽ esse errorẽ in matrimonio, aliũ antecedentẽ, vt cũ quis per errorẽ ducit Ioannã vxorẽ, existimãs esse Mariã, quo tamẽ errore ablato, etsi cognosceret, esse Ioannã, eã non duceret, qui quidem error annullat matrimoniũ, quia attestante *D. Tho. 1. 2. q. 6. a. 8.* causat inuoluntariũ. Aliũ vero esse errorẽ concomitantẽ, cũ quis ducit Ioanã, existimans esse Mariã, ducturus Ioanã, si eam cognosceret, qui error, cũ causet non voluntariũ, quia priuat cognitione, cum in isto casu sit circa substantialia matrimonij, impedit matrimonij valorem.

3 Sit prima conclusio. Error personæ dirimit matrimoniũ iure naturæ. Probatur hac vnica ratione. Cõsensus circa substãtialia matrimonij iure naturæ requiritur ad matrimoniũ, sed error circa persona tollit cõsensum circa substãtialia matrimonij, nẽpe circa corpora tradita, ergo iure naturæ irritat matrimoniũ. Ita sentiũt *Palud. in 4. dist. 36. q. 1. a. 1. n. 8. D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 2. §. 1. Sylvest. matrimoniũ 6. q. 1.* Et alij, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 18.

4 Cõtra hæc tamẽ sunt aliqua argumẽta. Primum est, quia Isaac benedixit Iacob filio suo existimãs esse Esau, *Genes. 27.* & tamẽ valuit benedictio, dicẽte Isaac, benedixiq; ei, & erit benedictus, ergo simili modo valet matrimoniũ. Secũdũ est, quia, si quis baptizet, aut cõfirmet Petrũ, putãs esse Ioanẽ, valẽt sacramẽta, si habeat animũ baptizãdi hũc præsentẽ, ergo etiã matrimoniũ valet cũ errore personæ omnino. Tertiũ est, quia in alijs cõtractibus error circa personã nõ annullat illos, vt si rẽ vẽdo Petro, putãs esse Ioanẽ, valet vẽditio, ergo etiam iste error nõ annullat matrimoniũ. Quartũ fit, quia in alijs cõtractibus error circa rẽ non annullat cõtractũ, dummodo reddatur æquiualens.

5 Ad primũ argumẽtũ dico cũ cõmuni sententia sumpta ex *Abulens. ibi. q. 7.* Isaac dixisse benedictionẽ ad filiũ præsentẽ, quicunq; ille A esset. Ad secũdũ respond. primo in alijs sacramẽtis debere ministrũ habere intentionẽ ministrãdi sacramẽta personæ præsenti, quæcunq; illa sit, at cõtrahẽtes matrimoniũ non tenentur sic procedere, quare alia sacramẽta in dictis casibus valida sunt, sacramẽtũ vero matrimonij minime valet. Sed possunt habere limitatã intẽtionẽ cõtrahendi cũ ea, quã esse existimant, quia indiuiduæ, & particulares cõditiones personæ cõducũt ad indiuiduã vitæ cõsuetudinẽ retinendã, in qua cõsistit essentia matrimonij. Respõdetur etiã huic secũdo argumento cum *Vasq. q. 2. 1. in 3. p. disp. 138. c. vlt.* Quod cũ hæc persona sit substantialis cõtractui matrimonij circũstãtia, error illius facit nõ voluntariũ contractũ, quare & nullũ; at vero hæc, vel illa persona B nõ est substãtialis baptismo, vel alteri sacramẽto, quia baptismus solũ requirit essentialiter hominẽ nõ baptizatũ, & alia sacramenta baptizatũ. Ad tertiũ respond. in alijs cõtractibus solũ pertinere ad essentiã æqualitatem rei vẽditæ, & pretij, & ita nihil impedire errorẽ personæ: at vero in matrimonio esse essentialẽ personã. Ad quartũ respondetur, esse diuersam rationẽ, quia in alijs rebus contractus est circa res ratione pretij, & æstimationis, in matrimonio vero cõtractus est circa personã in singulari. Vnde in alijs contractibus error circa qualitatẽ facit eos inualidos iure naturæ, quia qualitas cõducit ad pretium, vt cum equus est vitiosus, qui integer putatur, at error circa qualitatem non ita in matrimonio se habet.

C Secũda cõclusio, etiã iure Ecclesiastico error personæ dirimit matrimonium, **patet ex c. vn. 29. quæst. 1.** 6

Sit tertia conclus. Error qualitatis, qui fuit causa, vt aliquis cõtraheret matrimoniũ cũ Maria, qua errore detecto tale matrimoniũ minime cõtraheretur, nõ reddit nullũ matrimoniũ (dũmodo matrimoniũ nõ cõtrahatur cũ conditione, si adsit illa qualitas, sed absolute, cũ errore tamẽ) ita defendit cõmunis sententia iurisperitorũ, & Theologorũ, quos refert, & sequitur **Sanch. loco citato, nu. 18.** Probatur, quia iste error qualitatis absolute, & generaliter cõsideratus nõ cõtingit circa aliquid substantiale matrimonij, sed circa ea, quæ accidẽtalia sunt matrimonio, nõ ergo reddit matrimoniũ inuo- 7
D luntariũ simpliciter, & quoad substãtiã, sed secũdũ quid, & quoad accidẽtia; valet ergo matrimoniũ in eo casu, quia perseuerãtibus ijs, quæ essentialia, & substãtialia sunt in aliqua re, ipsam quoq; rẽ perseuerare necesse est, licet eius accidẽtia deficiãt: quemadmodũ manente corpore simul cum anima rationali manet homo, quia hic essentialiter coalescit ex illis, etiamsi accidentia hominis perierint, vt albedo, quantitas, &c.

Sit quarta cõclus. tã in foro interno, quam externo nullũ omnino resultat matrimoniũ, si adsit 8

adsit error qualitatis, qui præbeat causam contractui, taliter, vt consensus contrahentis feratur in personam, prout vestitam illa qualitate, & sub conditione, si talia qualitas adsit, & non aliter. Ita sentiunt antiqui, & recētiores Doctores *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 2. D. Bonauen. in 4. dist. 30. in expositione litteræ, n. 4. Petr. de Ledes. in sum. de matrim. fol. 62. Basil. de Leon, lib. de impedim. dirim. c. 29. q. 1. Præpositus, c. vlt. de coniugio leprosorum, Molina de restitut. q. 33. paulo post principiū.* Probatur, quia iste consensus vere est cōditionatus habēs qualitatem pro cōditione, ergo nō subsistente conditione nō valet matrimoniū. Et cōfirmatur, quia illa qualitas, sub qua iste vult cōtrahere cū Maria, pertinet ad rationē obiecti substantialis consensus, ergo ea deficiente destruitur verus consensus, destructo autem consensu matrimonium quoque perire necessum est. A

9 Circa vltimū vero, quod quæritur in hac q. an error qualitatis in matrimonio redūdet aliquādo in errorē personæ, sit quinta conclus. Si qualitas, in qua erratur, nō designat aliquā personā determinatā, & particularē, sed vagā, & indeterminatā, vt si fœmina nubat ei, qui dicit, se esse filiū Regis, nō explicās cuius Regis sit filius, tūc valet matrimoniū, etiāsi non sit talis. Ita sentiunt *D. Bonauen. in 4. dist. 30. a. vn. q. 1. Ostiens. in sum. tit. de matrimonijs, §. qualiter impediatur, n. 26. Syluest. matrimoniū 8. q. 1. dicto 5. & Naua. in sum. c. 22. n. 32.* Probatur hac vnica ratione, quia persona ex *D. Tho. 1. p. q. 29. a. 1. in corpore.* Est quædā substātia realis indiuidua & particularissima, sed iste error nō cōtingit circa personā eo modo, sed circa filiū Regis vagē, ergo nō est error personæ, sed qualitatis, cū quo valet matrimoniū iure naturali, & Ecclesiastico; quare in hoc casu mulier intēdit nubere homini sibi præsenti, nisi ea qualitas sit obiectū iuxta dicta in quarta cōclusione. B

10 Sexta cōclusio. Si qualitas, in qua erratur designet indiuiduā personā, vt eū fœmina nubit ei, qui dicit, se esse Regē Hispaniæ, cum tamen nullo modo sit, matrimoniū non valet, si per eā qualitatē fœmina ducitur in personā. Hāc conclusionē tuētur authores citati in quinta conclus. Et probatur hoc vnico fundamento, quia in eo casu, cū persona cognoscatur per illam qualitatē, quemadmodū possit cognosci proprio nomine, aut alijs signis, error qualitatis redūdat in errorē personæ; & in rei veritate error tūc versatur circa personā, cū illo ergo errore nullatenus potest subsistere matrimoniū. C

11 Ex dictis infertur. Primo huius, q. doctrinā eodē modo obseruandā esse in sponsalibus, ac in matrimonio, cū enim spōsalia viā præparēt ad matrimoniū, sæpe subiacent eisdē legibus, ac matrimoniū. Est tamē inter hæc quædā differētia, nā matrimoniū, vt patet ex tertia conclus. propter errorē qualitatis nō annullatur, D

Imo neque annullari potest, sponsalia vero annullari possunt, vt vidimus in tractatu de spōsalibus, propter errorem circa qualitatem notabilem contingentem.

Secūdo infertur cū Sanch. loco citato, apud quē punctū hoc latius examinatū videri potest, validū esse matrimoniū in eo casu, quo aliqua fœmina nubat viro affirmāti, se esse vnigenitū, v. g. Comitis Stabilis Nauarræ, quamuis iste mentiatur in hoc, quia alios fratres habet. Cuius resolutionis tota ratio est, quia huiusmodi error nō est error circa personā, sed circa qualitatē, scilicet, quod ille vir sit filius vnigenitus, vel nō sit: pari modo matrimoniū valorē sortitur, si dū fœmina illud celebrat cum filio maiori natu prædicti Comitis, in nomine tamen decipitur. *Patet ex l. in venditionibus, 9. ff. de contrahenda empt. ibi, nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat, Ita Ant. c. tua, nu. 14. de sponsal.* similiter teste *Conin. t. de sacramentis, disp. 31. dub. 1.* Valet matrimoniū in eo casu, quo quis petijt ab aliquo in vxorē ipsius filiā, secūdo genitā valde pulchrā, ille vero ei promisit primogenitā ei ignotā, quā ipse petijt ostendi cuidā suo amico, cui amico pater pro primogenita deformi ostendit, secundo genitā pulchrā. Petrus vero audita eius pulchritudine, eū ea per procuratorē contraxit, scilicet, cū primogenita. Quod verū fuisse matrimoniū, ex eo cōstat, quia intentio Petri semper ferebatur in primogenitā sibi promissam, quam falso credebat, amico fuisse ostensam, imo, & esse pulchrā, in eo enim casu error solū pertinebat ad qualitatē pulchritudinis, non vero ad substātiā personæ, nisi intentio Petri directe ferretur ad contrahendū matrimoniū tantum cū ea fœmina, quæ ostensa est amico suo, quia tunc error contingeret circa personam. 12

QVAEST. XLIX.

Vtrum error conditionis seruilis dirimat matrimonium?

INter impedimenta dirimentia suū locū obtinet conditio, idest, error ille conditionis seruilis, quo quis contrahit cū aliqua, quæ vere ancilla est, quā tamē liberā reputauerat. 1

Vt autē dicendis aliqua iaciamus fundamenta, primo not. per peccatū primi parentis totū genus humanū corruptū esse, ita vt omnes descēdentes ab Adā per seminalē propagationē obnoxij fuerint peccato originali (imo & omnes illud cōtraxerūt, vna tantū immaculata Virgine Maria ab huius peccati labe ex speciali Dei priuilegio præseruata.) Ex qua naturæ nostræ prauitate innumerabiles pullularūt calamitates, ac miseriæ, inter quas non infimū locū obtinuerūt quotidianæ pugnæ, & frequētia bella. Cū autē homines iure naturæ, dū in bello 2

bello iusto victores euaderent, hostes suos, à quibus multa passi sunt detrimẽta, puniri possent priuatione vitæ, vt mitiores, & benigniores se hostibus exhiberẽt, iure gentiũ remediũ seruitutis inueneruut, ita vt victi tanquam serui victoribus emancipati acerbæ mortis fugerent supplicium.

3 Secũdo notãdum est. Seruos esse in triplicĩ differẽtia. Alij enim sũt proprie serui, qui taliter subijciũtur dominis quoad omnẽ suã industriã, artes, ac operas, vt ab ipsis possint pro libito vẽdi, sicut hæreditates, aut pecudes. Alij vero sunt adscriptitij, & hi sunt, qui perpetuo deputantur ad prædiũ aliquod colendũ, & cõsequẽter manent obligati ad nunquã recedendũ à tali prædio, & ad reddẽdos dominis prædiorũ omnes annuos redditus, præter sumptus victũ, ac vestitũ. Vltimo alij sunt serui originarij, & huiusmodi sunt illi, qui nati sunt ex seruis adscriptitijs: isti autẽ adscriptitij, & originarij vere sunt liberi, quia nõ possunt vendi, solũ tamẽ ad certas operas tenẽtur. Primæ seruitutis fit mẽtio *institutis de iure perso. §. seruitus.* Aliarũ vero seruitutũ fit mentio *in l. si vnus ex socijs, ff. de seruit. rustic. & prima*, quidẽ dicitur personalis, aliæ vero reales, vel prædialea. Quarũ omniũ seruitutum eleganter meminerunt *Abb. c. a. de Iudæis, n. vn. & Syluest. in sum. verbo. seruitus.*

4 His ita stabilitis sit prima cõclusio. Error cõditionis seruilis irritũ prorsus reddit matrimoniũ. Cõclusio est cõmunis inter Doctores, eaque sufficiẽter definitur, *in c. 2. & 3. & c. fin. de cõiugio seruorũ.* Vbi prædicta matrimonia tanquã nulla prohibentur. cuius prohibitionis eã elegantẽ assignarunt rationẽ *D. Th. in 4. d. 36. q. vn. ar. 1. in corpore, & D. Bonauent. art. 1. q. 2.* Quia seruitus maxime cõtraria est matrimonij bonis. Primo enim pugnat cũ perpetua cohabitatione cõiugũ, cũ enim seruus vẽdi possit, & in remotas regiones mitti, nimis molesta, ac difficilis redditur cohabitatio coniugũ. Secundo pugnat cũ bono fidei, quia nequit multoties seruus reddere debitũ coniugale suo consorti negotijs domini sui sæpius occupatus. Pugnat tandẽ prædictũ matrimoniũ cũ bono prolis, quia nequit seruus, cũ prorsus expoliatus sit bonis, ex proprijs bonis filios suos alere, neq; eius educationi debitã diligentiã adhibere, dũ præsens iussis dominis obtemperat, & absens à proprijs liminibus procul amãdatur. Quã cõclusionẽ merito limitauit *Caiet. in sum. verbo matrimoniũ* dirimẽtia, ad eũ casum, quoliber taliter errore ductus contrahit cum serua, quod seruitute detecta nullatenus cõtraheret, alias enim matrimoniũ valet, quia liber cedit iuri suo. Cui voluerũt prædicta iura suffragari. Et quia respectu alieni facti nõ præsumitur sciẽtia, neq; in alienis rebus, vt patet ex *regula, præsumitur ignorantia, de regulis iur. in 6.* Ideo, si

A liber cõtrahat matrimoniũ cũ serua inscius seruitutis, & postea veritate detecta petat dissolutionẽ matrimonij, quia conditionẽ ignorauit, in eius fauorẽ præsumitur, verã ad fuisse ignorantiã. Vnde ancillæ incumbit probare, liberũ habuisse notitiam seruitutis.

Vt tamẽ bene expendunt recentiores, validũ est matrimoniũ cũ ea fœmina celebratum, 5 quæ solũ potitur libertate pro limitato tẽpore, quãuis vir existimauerit libertatẽ esse perpetuã. Huius resolutionis illud est fundamentum, quia libertas semel concessa reuocari nequit iuxta textũ elegantẽ *in l. etsi sine dolo. 8. §. quod Papini. ff. de minoribus*, in qua lege cauetur, minorẽ impetrantẽ beneficiũ restitutionis B in hæreditate à se repudiata aduersus seruum in ea substitutũ, auferre quidẽ hæreditatẽ, seruum vero liberũ manere in perpetuũ. Pari ratione valet matrimoniũ à libero initũ cũ ancilla, quã existimauerat liberã, quæ tamen paulo post, vt infra sex menses potietur libertate, vt notauit *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 19. num. 3.* Quod si tẽpus seruitutis longius sit, minime valet prædictũ matrimoniũ, quia illa fœmina vere est serua, & tẽpus vltra sex mẽses longum iudicatur, & matrimonij finibus, ac bonis obstare.

Valet etiã matrimoniũ à fortiori, si cũ ea celebretur, quæ modo est libera, & paulo ante 6 fuit ancilla, quæ proprio nomine libertina nũcupatur. Quãuis præteritæ seruitutis ignarus sit spõsus. Ita sentiũt *Sot. in 4. dist. 35. q. vn. a. 2. C col. 4. Conar. in 4. decretal. 2. p. c. 3. §. 7. n. 1.* Patet, quia in prædictis textibus tantũ perpendiuntur præsens seruitus, quæ bona matrimonij futuri impedire potest, nullo vero modo curatur de seruitute præterita, quæ obesse non potest.

Secũda conclus. validũ est matrimoniũ celebratũ inter liberũ, & seruã, cũ liber recte co- 7 gnouit alterius seruitutem. Conclusio probatur primo, quia matrimoniũ hoc in primis sistendo in iure naturæ valet, quia, licet bonis matrimonij aliquo modo obsit, tamẽ neque est contra substantiam matrimonij, neque bonis eius omnino nocet, quia non omnino nocet cohabitationi coniugũ; hæc enim non debet esse continua, quin sæpius multo tẽpore interrũpitur D propter negotiationes, & lucra tẽporalia. Neque nocet omnino bonõ fidei, quia, sicut multis temporibus possunt isti cohabitare, sæpius etiã serua poterit reddere debitũ, quia nõ semper vacare debet domini negotijs. Neq; etiã omnino nocet bono prolis, quia ista recte potest à libero & sustentari, & educari. Deinde, si progrediamur, & consulamus ius Ecclesiasticũ prædictũ matrimoniũ valorẽ consequitur. Vt patet *ex c. 2. de coniugio seruorũ.* Ex nullo ergo cap. affirmare possumus, tale matrimoniũ valore destitui. Secundo probatur, quia in iuribus allegatis in prima cõclusione matrimonii

liberi

liberi cū ſerua videtur, annullatū in fauorē liberi, quia ex eo matrimonio eius cōditio deterior redditur, eo ergo ſciēte ſeruitutē alterius, & cōſentiente illi matrimonio, aſſeuerare non poſſumus, inualide cōtrahere. Quamuis in iſto caſu peccaret liber, niſi ei maxime expediret tale matrimoniū, cum ſcilicet, eam deflorauit ſub ſpe matrimonij, vel alia ratione, quia in eo contractu prodigus eſſet proprij honoris, cum fieret vilis, & infamis.

7 Tertia cōcluſio. Validū eſt matrimoniū liberi cū ſerua adſcripritia, & originaria. Concluſionē defendūt cū cōmuni ſententia *Abb.* r. a. *de coniug. ſernorū, n.* 5. *Duran. in* 4. *diſt.* 30. *q.* 1. *n.* 8. Probatur primo, quia huiuſmodi ſerui liberi ſunt in perſonis, vt vidimus, libereq; poſſunt petere, ac reddere debitū coniugale, & matrimonij iuribus, ac bonis ſatisfacere. Ergo nihil obſtat valori matrimonij eorū. Secundo probatur, quia, vt patet ex textibus adductis in prima cōcluſ. dū matrimoniū liberorū cū ſeruis annullatur, tantum eſt ſermo de proprijs ſeruis; iſti autem proprie non ſunt ſerui.

8 Quæres tamē primo, an error cōditionis ſeruilis dirimat matrimoniū iure naturæ, an vero ſolo iure Eccleſiaſtico? Quidā ſentiūt probabiliter, hoc impedimentū à iure naturæ dimanare. Ita ſentiunt *Gloſ. in* r. *fin. de coniugio ſeruarū, Magiſt. in* 4. *diſt.* 30. r. 1. *Sylueſt. matrimoniū* 6. *q.* 1. Probatur hæc pars primo, quia duo pertinēt ad matrimonij ſubſtantiā nēpe perſonæ, & mutua corporis traditio, ſed error perſonæ irritat matrimoniū iure naturæ, ergo etiā error cōditionis ſeruilis, quod impedit traditionē corporū. Secundo probatur, quia error conditionis valde aduerſatur bonis matrimonij, vt fidei, & proli, vt in principio quæſtionis vidimus. Ergo iure naturæ dirimit matrimonium Tertio, quia nō cōſtat, quādo hoc Impedimentū fuerit ſtatutū à iure Eccleſiaſtico. Quarto, quia inualide cōtraheret, qui cōtraheret cū hac cōditione; vt nō teneatur reddere debitū, donec tertio placeat, & hoc iure naturæ, ſed eodē modo cōtrahit, qui cū ſerua cōtrahit, quia illa nō poteſt reddere debitū, donec domino placeat, ergo tale matrimoniū validū iure naturæ non eſt.

9 Reſpōdetur tamē cum multorum ſententia hūc errorē ſolo iure Eccleſiaſtico dirimere matrimoniū. Ita *Angel verbo matrimoniū* 3. *impedimento, n.* 14. *D. Tho. in* 4. *diſt.* 36. *q. vn. a.* 1. *ad* 3. & ibi Thomiſtæ. Probatur primo, quia ſeruitus nō impedit abſolute, & ſimpliciter liberū vſum actuū cōiugaliū, ſed tantū certis tēporibus, & quādo nō ſubſit iuſta occupatio domini, ſufficiēs enim tēpus reſtat ad actus coniugales, ergo natura ſua nō dirimit matrimoniū, ſed ſolo Eccleſiaſtico iure. Et confirmatur, quia, ſi ſeruitus ex natura rei dirimeret matrimoniū, quia nō ſinit omnino libere, & perfecte tradi corpora, ergo neq; valeret matrimoniū liberi

A cū ſeruá, cognita ſeruitute, quia tūc etiā ſeruitus aliqua ratione obſtat vſui matrimonij, cui, ſi eſſentialis eſt matrimonio, nequit vir renūtiare. Cōſequēs eſt falſum, vt patet *ex r.* 2. *de cōiug. ſeruarū.* Vnde reſpōdetur ad primū argumentū oppoſitū, hunc errorē aduerſari aliquo modo traditioni corporis omnino liberæ, non vero ei, quæ ſufficit ad matrimoniū; Ad ſecundū reſpondetur, aliquo modo aduerſari bonis matrimonij, nō tamē ita vt ſubſtantiā matrimonij deſtruat. Ad tertiū reſpond. cōſtare ex traditione. Ad quartū reſp. hanc conditionē efficere inualidū matrimoniū, quia ſic poſſet obligari ad nūquā reddendū debitū, ſi alteri nunquā id placeret; at vero nō ſic ſe habet illa conditio ſeruilis, quia domin⁹ tenetur cōcedere tē-
B pus ſeruo cōiugato, vt vtatur copula cōiugali.

Secūdo quæres. An ignorātia craſsiſsima, & 10
fatua cōditionis ſeruilis irritet matrimoniū, vt cū quis eā diligentiā omittit ad cognoſcendū ſtatū fœminæ, quā nemo, niſi fatuus omitteret. Quidā reſpondent negatiue. Reſpond. tamen cū *Sanch. loco citato, n.* 20. Etiā hanc ignorantiā reddere nullū matrimoniū. Probatur, quia ius irritans matrimoniū liberi cū ancilla cōſiderauit dolū re ipſa euenientē, & dāna ex eo matrimonio ſecuta, in quæ liber, niſi ſciens non cenſetur cōſentire; at quādo iſta ignorantia contingit, reperitur dolus, & dāna etiā ſequuntur, in quæ nō conſentit ignorās, ergo tale matrimoniū eſt nullū. Detecta tamē ſeruiture tenetur ſeruus de nouo contrahere, ſi liber velit, ratio
C ne iniuriæ, niſi bona fide antea contraxiſſet, nam tunc non tenetur.

Tertio quæret aliquis. An cū ſeruus contra- 11
hit cū libera, quā putabat eſſe ſeruā; aut cū ſerua, quā putabat eſſe liberā, talis error dirimat matrimoniū? Reſpond cū cōmuni ſententia iuris peritorū, & Theologorū, quā refert *Sanch. loco citato, n.* 23. Talē errorē non dirimere matrimoniū, niſi det cauſam cōtractui modo antea dicto. Patet ex textibus allegatis in prima concluſ. in quibus Eccleſia ſolū annullat matrimoniū liberi cū ſerua, quā putabat eſſe liberā, ratio differentiæ eſt, quia in iſto caſu matrimonij celebrati à libero cū ſerua ignorata eius ſeruitute, liber fit deterioris cōditionis, & infamis, & magna ei irrogatur iniuria. Quod gra-
D ue eſſet Eccleſiā tolerare ſine eius conſenſu. In alijs vero caſibus id tolerat, quia ſeruo conſentienti nulla fit iniuria, & quia tunc vir non fit deterioris conditionis.

Quarto quæres. An, cū quis cōtrahit cū an- 12
cilla putans eſſe liberā, ad quā, poſtquā donata eſt libertate, accedit liber animo cōiugali, neſciēs libertatē eius, validū efficiatur matrimoniū? Et an ſimiliter valeat matrimoniū, cū quis, poſtquā cognouit ſeruitutē alterius, accedit ad eā animo cōiugali? Ad vtrūq; caſum patet ſolutio ex dictis in iſto tractatu: In primo enim ca

ſu

su nō valet matrimoniū, quia nō reperitur cō- A
sensus sufficiēs natus ex cognitione libertatis. Sed prior cōsensus cōtinuatur cū errore conditionis. In secundo vero casu, si seruitus posit probari testibus, etiā si prius celebratū sit matrimoniū cū errore seruitutis corā parrocho, & testibus, necessarius est nouus cōsensus explicatus per copulā cōiugalē, vel per alia signa cum noua præsentia parrochi, & testium, quia aliàs Ecclesiæ nō cōstabit de valore matrimonij. Quod si seruitus probari nō posset, quia occulta fuisset detracta seruitute sufficeret copula habita animo cōiugali, nō vero requireretur noua præsentia parrochi, & testiū, quia prima sufficit, vt contrahentes non posint celare antiquum matrimonium, & alia noua cum alijs personis inire.

13 Quæres quinto, an seruus tuendus sit in possessione libertatis? Ad hoc respōdetur cū *Sot. in 4. d. 35. q. vnic. ar. 2. in fine.* Hominē quousque cōprobetur, seruū esse, defendendū esse in possessione libertatis, in qua est. Imo libertas per decenniū præscribitur, quare, si seruus in cōiugio per decenniū durauerit in possessione libertatis, nō potest à domino repeti tanquam seruus, dūmodo adsint omnia necessaria ad legitimam præscriptionem.

14 Quæres sexto an valeat matrimonium celebratū à libero cū serua, dū ignorat ipse conditionē seruilē, si tamen dominus eius videat, illud matrimonium cum eo errore celebrari, & taceat, cum facile posit contradicere?

15 Vt huic quæsito respondeamus, aliqua præmeditanda sunt. Primo præmeditandū est, domino collocante seruā suā in matrimoniū, sine vllo dolo, ac fallacia, vel illo fraudulenter pro cedēte, ac vidente, eā contrahere matrimoniū cū homine libero, qui in vtroque casu prorsus ignorat seruitutē, si talis dominus silētio tegat seruitutem, tunc ancillam illam liberā ipso facto remanere. Quod non ita euenit, cū vterque cōiux vere seruus est, aut, cū ille, qui liber est, alterius cognoscit seruitutē. Ita definitur in *authent. ad hoc. C. de Latina libertate.* In illis verbis. *Qui suā ancillā credenti tradidit in matrimo-* D
niū tanquā liberā siue concesserit dotale instrumentū, siue non. Aut sciens eā duci, tacuit ex studio, dominiū eius amittit, & eā ad ingenuitatē rapitur. Idē prorsus dicitur de seruo; cuius duplex potest asignari ratio. Prima sit illa, quæ traditur in *authent. de nuptijs, collat. 4. §. si vero decreuū, vers. hoc autē decernimus.* Scilicet, nō esse iustū, tale non cōstare matrimoniū, quare in fauorē matrimonij talē decisionē editā fuisse. Secunda ratio sit. Quia iustū est, dominū in primo casu priuari serua, cū eā collocet in matrimoniū, quod non potest esse validum propter ignorātiam coniugis liberi, nisi ancilla libertate donetur. In secūdo vero casu, cum dominus fraudulenter procedit, æquū est, vt in pœnā suæ fraudis amittat ius, quod in ancillam habebat.

Secundum notandum est, domino collocante in matrimonio ancillam cum homine libero conscio seruitutis eius, si dotis instrumentum in fauorem ancillæ conficiat, eam censeri, liberā remanere, patet ex *l. vnica. §. sed & siquis homini, C. de Latina libertate,* Vbi licet nō explicetur, an sit sermo de libero ignorāte seruitutē fœminæ, vel an eā cognosceret, manifestum tamen est, ibi esse sermonē de libero cognoscente seruitutē fœminæ, cū qua contrahit, quia vel aliquid speciale, & distinctū ab authentica, ad hoc allegata, quæ in dicta lege inseritur, in ea lege cōtineatur, sine dubio in prędicto casu loquitur ea lex, ratio autē decisionis, in qua fundatur ea lex, in hoc cōsistit, quod dos nō asig- B
natur, nisi libero, & eadē videtur ratio, si dotis cōstitutio solo verbo efficiatur, & hāc doctrinā defendūt *Molin. t. 1. de iust. tract. 2. disp. 39. §. septimus est. & Abb. c. illud. n. 11. de præsump.* Ancilla vero nō censetur manumissa, siquis præsente domino ancillæ, & nō cōtradicēte, dotalia instrumēta cōficiat ancillæ, nā, vt bene pōderauit *Sanch. li. 7. disp. 20.* cōtra recētiores, prædicta *lex vnic. §. sed & siquis.* Solū decernit, ancillam manere liberā, quādo ipse dominus cōficit instrumētū dotale. Ergo hoc nō est extendendū ad eū casum, in quo dominus permittit, vt alius cōficiat instrumētum dotale. Verba legis sunt hæc. *Siquis homini libero suā ancillam in matrimoniū collocauerit, & dotē pro ea conscripserit.* (Quod solitū est in liberis personis solū procedere) C
ancilla nō Latina, sed ciuis efficitur Romana.

Tertio notandū est. De iure cōmuni nō effici liberā ancillā eā, quā ducit eius dominus, licet fit libera iure Hispaniæ, vt cōstat *ex l. 1. s. 13. partit. 4 in fine.* Quā sententiā defendit *Sanch. cū alijs, DD. li. 7. de matrim. disp. 20.* In quo casu nō approbo sententiā *Vazq. 3. p. d. 81. c. 8. n. 41. & Basil. de Leon li. de impedimētis dirimentibus c. 29. q. 2. §. 3.* Asserentiū in hoc contractu matrimoniali iure naturæ effici liberā eā, quæ erat serua, propter vim naturalē, quā ponderat in matrimonio lex partitæ allegata; licet enim hoc valde sit conforme naturæ matrimonij, & æqualitati illi conuenięti, quod tantum creditur voluisse lex partitæ allegata, non tamen hoc ita præcise dimanat, ac immediate ex iure naturali, vt seruitus per tale matrimonium dissoluatur iure naturali, quod satis apte constat in eo, qui sciens, & volens contrahit matrimonium cum ancilla alterius, & ob hoc illa nō fit libera, si enim natura matrimonij hanc libertatem exigeret, sine dubio eam semper exigeret, & sine ea matrimonij natura constare non posset.

His ita suppositis, huic quinto quæsito facile respōdetur cū *Soto in 4. d. 35. q. vnic. ar. 2. col. 3. & Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 10. nu. 4.* Validum in eo casu consistere matrimonium.

Rr Ita

Ita habetur *in authentica de nuptijs*. §. Si vero decreuim, imo tale matrimonium ab Ecclesia approbatur, vt validum, quia & si prius natura celebretur matrimonium, quam consequatur libertas, quia tamen in eodē momento nec duo coniūgūtur, scilicet, & matrimoniū, & libertas, ideo seruitus illa nullius est cōsiderationis, atq; ita propter eā matrimoniū nō reprobatur, tū quia ex eo matrimonio nō sequuntur eaincōmoda, quę sane sequerētur ex matrimonio inito cū ea, quæ in posterū futura esset serua, quæ supra pōderauimus; quod *si lex Regia 1. tit. siue tit. 5. partita 4.* oppositū huius resolutionis aperte docet, nō habet vim legis, nullitas enim matrimonij, vt ex supra dictis constat, non à lege ciuili imponi potest, sed ab Ecclesia statuenda est.

19 Quæres secundo, an possit seruus inuito domino matrimoniū inire valide, & licite? Huic difficultati facile respōdetur cū *D. Th. 4. d. 36. q. vnica, ar. 2.* in corpore posse quidē valide, & licite inire matrimoniū. Probatur primo, quia seruitus, & matrimonij officia diuersa, & non cōtraria respiciūt, vt de se cōstat, ergo nō obstāte seruitute potest seruus inire matrimonium, quia ob hoc nō impeditur vtilitas domini. Secūdo probatur, quia matrimoniū celebrare est de iure naturæ, sicut hominū comedere, & vestitū esse, & seruit⁹ est de iure gentiū, ergo nō impeditur matrimoniū seruorū per seruitutē, ius enim gentiū, quod infirmius est, non derogat, imo neque derogare potest iuri naturali, quod fortius quidē est. (His tamē nō obstantibus, si seruus agit de matrimonio cōtrahendo, dūmodo tamē nō spopōderit illud, posset dominus respiciens ad vtilitatē suā, libere vendere seruum in partes remotas mittendum, patet quia in hoc vtitur iure suo) & nostrū respōsum patet ex c. 1. *de coniugio seruorū.* Vbi Pōtifex id probat ex *Paul. ad Galat. 3.* dicente, *Quicumq; enim in Christo baptizati estis, Christū induistis, non est Iudæus, neq; Græcus.* Non seruus, neq; liber, id est, vt explicat *Lyra ibi*, omnes vos vnū estis, id est incorporati Christo per fidē, atque ita æqualiter omnes estis capaces sacramentorū à Christo institutorum, atque adeo, & sacramenti matrimonij, quod inter septem sacramēta locum obtinet.

20 Cōtra hanc tamen resolutionē obstant aliqua argumenta, primū est *caput finale. 29. q. 2.* Vbi dicitur, cōiugia illa soluenda nō esse, quæ cū voluntate domini contrahuntur, ergo cum contrahuntur sine voluntate domini, dissolui possunt. Huic argumento facile respondetur cum doctrina *Gloss. in capite*, prædictum caput ita esse intelligendum, vt asserat coniugia inita à seruis non esse soluenda, & ea præcipue, quæ dominis annuentibus inita sunt.

21 Secundo obijcies, quarto canonem, *D. Basilij*, in quo denotatur, tale matrimoniū non valere, Respondetur *D. Basilium* Id sensisse, quādo res non erat ita clara, sicut modo est.

Tertio obijciēs, quia seruus sine domini licentia nō potest religionē profiteri, aut ordines Ecclesiasticos suscipere, ergo nequit etiā sine ea licētia matrimoniū celebrare. Sed respōdetur. Disparē esse rationē in vno, atq; in altero casu, quia per susceptionē ordinū, vel status religiosi totū tēpus cōsecratur Deo. Vnde nullū tēpus relinquitur, in quo possit seruus domini sui vtilitatibus incūbere. In matrimonio vero nō datur totū tēpus vxori, sed tantum cōgrua quædam tempora ad petitionem, & redditionē debiti coniugalis reseruantur, in reliquis vero potest seruus domino suo inseruire. 22

Quod si dominus eodē tēpore indigeat ope ris serui, & vxor petat debitū cōiugale, tūc cū *D. Th in 4. dist. 36. q. vnica ar. 2. ad 3.* Et cū communi sententia Doctorū, ita distinguendū est, vt cōsideranda sit necessitas plus vrgens, & ei primū succurrendū sit, in pari vero necessitate, si dominus cōsensum præbuit matrimonio sui serui, & cessit iuri suo, prius reddendū est debitū vxori, quā domino subueniendū, quia in eo casu ius vxoris potiorē locū habet, quam ius domini. Sed si dominus nō consensit tali matrimonio, in ea pari necessitate non est obediendū domino, sed debitū reddendū est vxori, quia ius vxoris natura sua, & ex prima eius institutione antiquius est, & fortius iure domini: ius enim, quod vnus cōiux habet tradēdi alteri sui corporis potestatē supra quod fundatur ius alterius petēdi debitū, à natura ipsa in est. Propter quā rationē, quāuis dominus possit pro libito, & sine eo, quod operetur contra iustitiā, seruū suū vēdere post coniugiū ab eo celebratū, etiā si ex venditione sequatur, illū deportandū esse in remotas regiones. At si cōmode potest dominus, tenetur saltē ex charitate, seruū vēdere taliter, vt nō impediatur vsus matrimonij, aut difficilis ille reddatur. Et hoc siue domino annuente matrimonio, siue renuente factū sit cōiugiū. Vt docuit *D. Th. in additionibus ad 3. p. q. 52. ar. 2.* Quod quidē intelligitur, nisi seruus liberā duxerit, tunc possit illum facile sequi, si autem seruus cōtrahit matrimoniū cū ancilla dissita à se loco, ita vt ambo non possint ad cōmercia cōiugalia cōiungi, tūc vel vnus eorū dominorū debet seruū alterius emere, vel alter eius oppidi, in quo aliquis ex illis seruis cōmoratur, vel seruū distantem emat Ecclesia, & cōstituat in eo loco, in quo alter commoratur, & hoc vltimum docet *ca. fraternitatis 54. dist.* 23

Ex dictis sequitur primo, teneri dominum, etiam si aliquam iacturam patiatur in operis sibi debitis à seruis coniungere matrimonio seruos incontinenter viuentes inter se, vel ita separare eos, vt caste viuere possint, ratio enim naturalis aperte dictat, bonū spirituale 24

seruorum

ſeruorũ in eo caſu præferendum eſſe bono tẽporali domini. Hanc doctrinam docuit *Rebellus in libris de impedimentis.*

25 Secũdo ſequitur, in eo caſu, quo liber prius ignorauit ſeruitutẽ, & poſtea ea non obſtante vult cõtrahere matrimoniũ cũ ancilla, teneri tandẽ ancillã cõſentire tali matrimonio, & ab Eccleſia ad id cõpellendã eſſe, modo per iniuriã deceperit liberũ; & hoc quidem prouenire ex iniuria illata libero ab ancilla, quod ſi ancilla nullã intulit iniuriã, aut quia bona fide ſe liberã putabat, aut, quia exiſtimabat, alterũ cõſciũ eius ſeruitutis. (Doctrina eſt *Rebells li. 3. de impedimentis*) eã non eſſe compellendam ad matrimonium.

26 Tertio ſequitur, dominũ graui oppreſſum neceſsitate, cui aliter occurrere nequit, recte poſſe ſeruũ vendere in locũ remotũ deportandũ, etiã ſi ſit matrimonio ſeruus coniũctus, & etiam ſi matrimonio conſenſerit dominus tenetur tamẽ ea neceſsitate ceſſante dare operã dominus, vt cum vxore coniongatur ſeruus.

27 Quomodo autẽ poſsit vir ſe vẽdere contra volũtatẽ vxoris in alijs regionibus, licet in Hiſpania nõ poſsit, ſaluo iure reddẽdi debitum, & qua ratione vxor nõ poſsit ſe vẽdere renuẽte viro, videri poteſt apud *Sanch. late huius doctrinæ campum percurrentem lib. 7. de matrim. diſp. 22. & 23. & 24.*

QVAESTIO. L.

An impedimentum voti ſolemnis in religione emiſsi dirimat matrimonium, & quo iure?

1 PRIMO notandũ eſt, ſolẽnitatẽ voti (licet multi oppoſitũ aſſerẽtes ſentiãt, eſſe de iure naturali diuino) eſſe de iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Ita ſentiunt expreſſe *gloſ. in c. vnic. de voto in 6. noſter inſignis Abulẽſ. c. 30. Numerorũ q. 46. & 50 Caiet. 2. 2. q. 88. a. 7. §. eſt igitur 3. opini. Sanch. li. 7. de matrim. diſp. 25. Vazq. 1. 2. t. 2. diſp. 165.* Defendẽs hãc ſententiã eſſe *D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 7.* (licet reuera D. Tho. contrariũ doceat *in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. quæſtiuncula 3.* nec mirũ, quia in libris ſententiarũ nõ ita mature res examinabat, ac in ſumma. Probatur primo hæc doctrina ex *c. vnico. de voto in 6.* Vbi ſic dicit *Bonifac. VIII. Nos igitur attendentes, quod ſolẽnitas voti ex ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt inuenta.* Vbi loquitur de ſolẽnitate eſſentiali, ex qua prouenit voto annullare matrimoniũ. De cui' annullatione agit Põtifex in eo textu. Secũdo probatur ex *Greg. XIII. in extrauag. quæ incipit, aſcendente Domino.* Edita anno 1584. Vbi multa decernẽs in fauorẽ Societatis Ieſu, definiẽs tanquã Chriſti Vicarius rei veritatẽ, ſic inquit. *Nõ cõſiderantes voti ſolẽnitatẽ ſola, Eccleſiæ conſtitutione inuentã eſſe.* Vbi, cũ Põtifex loquatur cõtra Theologos, qui bene nouerãt, ceremonias adhibitas ab Eccleſia in ſolẽni voto religionis ſaltim accidẽtaliter requiſitas eſſe, ſine dubio loquitur de ſolẽnitate ſubſtãtiali, per quã votũ religionis dirimit matrimoniũ. Tertio probatur, quia ſolẽnitas, quã dicũt authores oppoſitæ ſententiæ eſſe de iure naturali, ſine dubio cõſiſtit in traditione vouẽtis, hoc autẽ eſt impoſsibile, quia reperiũtur aliqua vota ſimplicia, quæ cõtinẽt verã traditionẽ, & tamẽ nõ ſunt ſolẽnia, ergo ſolẽnitas voti nõ cõſiſtit in traditione vouẽtis, vt defendũt authores cõtrarij. Minor huius diſcurſus cõſtat ex *Greg. XIII loco citato* definiẽte, in votis Societatis Ieſu emiſsis poſt biennium reperiri veram traditionem. Conſtat autem, ea vota ſimplicia eſſe, & non ſolemnia.

Secũdo notãdũ eſt, votũ ſimplex, & ſolẽne intrinſece, & eſſentialiter eſſe eiuſdẽ naturæ, in quãtũ ſunt actus volũtatis aliquid Deo promittentis, vt patet ex diffinitione *D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1.* Ex vtroq; enim voto, ſi nudã naturã voti ſpectemus, tantũ naſcitur quædã obligatio, cũ vota ſunt caſtitatis, ſeruãdi continẽtiam ex virtute religionis, differunt tamẽ votũ ſimplex, & ſolemne extrinſece, & accidentaliter ratione eorũ, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ annexa ſunt voto ſolẽni, & quæ illud ſolẽne cõſtituũt, quæ nullum locum habent in voto ſimplici.

3 Tertio notatur, votũ ſimplex, & ſolẽne non includere in ſe ipſis traditionẽ ex natura ſua, ſed tãtũ ex ſtatuto Eccleſiæ. Quæ rationem traditionis ſemper conſtituit in voto ſolemni religionis. At in ſimplici non ſemper eam conſtituit, ſed aliquando, vt contingit in votis ſimplicibus Societatis poſt biennium emiſsis.

4 Quarto notat. cũ *P. Vazq. loco citato c. 8. n. 83.* Solẽnitatẽ voti in eo cõſiſtere, vt fiat ſub certa regula approbata iuxta ritũ, & ceremonias in eadẽ regula cõtentas, & publice, ac cum traditione perpetua ex vtraq; parte, ſcilicet religioſi vouẽtis, & religionis acceptãtis. Quæ ſolẽnitas, nemo ambigere poteſt, quin inuẽta ſit ab Eccleſia, quia religioſæ regulæ approbatio, & forma profeſsionis cũ his cõditionib', quę modo reperiũtur, iure Eccleſiaſtico inuẽtæ ſunt.

5 Sit prima cõcluſio de fide. Votũ ſolẽne caſtitatis emiſſũ in religione approbata à ſede Apoſtolica dirimit matrimoniũ taliter, vt matrimoniũ poſt illud votũ celebratũ omni valore deſtituatur. Hãc doctrinã amplexati ſunt antiqui noſtræ Eccleſiæ patres. *D. Cypr. li. 1. epiſt. 11. ad Põpon. D. Ambr. li. ad virginẽ lapſam, c. 5. D. Hieron. li. 1. in Iouinian.* Hæc veritas definita eſt *ab Alexand. III. vt habetur in c. meminimus, qui Clerici, vel vouentes, à Bonifac. VIII. & refertur. c. vnico de voto in 6.* Et tandem definita eſt à *Trid. ſeſſ. 24. de matrim. c. 9.* Huius autẽ definitionis duplex poteſt aſsignari ratio. Prima ſit, quia non decet eos, qui prius in perfectiori ſtatu

 ri ſtatu

ri statu matrimonij relicto cũ magna delibera tione corã omni populo spectante ad altiorem gradũ religionis media voti solẽnitate transfie rur, postea ad imperfectiorẽ matrimonij statũ cũ aliorũ scãdalo nato ex violatione fidei Deo datæ redire. Secũda ratio fit, quia sicut statutũ Cartusianorũ de nõ vescendis carnibus, etiã si ad vitã tuendã illæ sine vllo dubio necessariæ iudicẽtur, cõuenientissimũ fuit ad ornatũ nostræ religionis Christianæ, ita etiam statutũ annullans matrimoniũ religiosorũ professorũ maxime ad splẽdorẽ nostræ religionis attinet.

6 Sed obijcies cõtra hoc, quia iuramentũ maius robur addit voto simplici. Quã addit solemnitas voti, sed votũ simplex etiã iuratum non dirimit matrimoniũ, ergo nec solẽne. Ad hoc respondet *D. Th. in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. quæstiuncula 1. ad* 3. Quod iuramentũ plus obligat ex parte eius, cui fit obligatio, quam votũ: sed votũ solẽne plus obligat quantũ ad modũ obligandi.

7 Circa secundũ punctũ quæstionis, scilicet, quo iure votũ solemne religionis dirimat matrimoniũ, quidã dicunt, hoc contingere iure diuino naturali. Ita *D Bonauent in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. Durand q. 1. in fine. ibid. Sotus lib. 7. de iustitia cũ multis alijs relatis à Sanch. li. 7 disp. 26. n. 4.* Hãc etiã sententiã sequitur *Sayro in claui regia.* Probatur primo *ex c. si quis seruum §. velatæ. 27. q. 1. vbi Syric. Põtifex ait cõtrahentes post votũ solemne separandos esse verbo domini, & authoritate canonica*, ergo votũ solẽne non solũ iure Ecclesiastico irritat matrimoniũ, sed etiã iure diuino. Secũdo probatur *ex Trid. sess. 24. de matrim. can 9.* cuius hæc sunt verba, *si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares solemniter professos castitatẽ, posse matrimoniũ contrahẽre, contractumq; validũ esse, non obstante lege Ecclesiastica, & voto, anathema sit.* Vbi Conciliũ legem Ecclesiasticam ad ordines videtur referre, votũ vero ad professionẽ, & videtur insinuare in modo loquendi, & in modo distinguendi votũ à lege Ecclesiastica, votũ ex natura rei dirimere matrimoniũ cũ solẽne est. Tertio probatur, quia res vni tradita iure naturæ docẽte nequit alteri tradi: Sed religiosus per votũ solẽne castitatis transfert in Deũ dominiũ sui corporis, ergo iure naturæ prohibetur, tale dominiũ in vxoris potestate collocare. Vltimo probatur ex *D. Basil. epist. 1. ad Amphilochiũ, can. 6* in hæc verba prorumpente. *Canonicorũ fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorũ contubernio omnino diuellatur.* Vbi per canonicos intelligit religiosos. Quod, cũ fuerit ante legẽ Ecclesiæ circa inualiditatem matrimonij, loquitur de iure naturali diuino.

8 Quibus suppositis fit secũda conclusio. Votũ solẽne religionis nõ irritat matrimoniũ iure naturali diuino, sed solo Ecclesiastico, & humano. Hanc cõclusionẽ defendunt *Gloss. c. 1. verbo sub testimonio ad finẽ 27. q. 1. Ostiensis c. rursus qui*

A *Clerici, vel vouentes nu. 2. Scotus 4. d. 38. q. vnica ad finem, Caietan. 2. 2. q. 88 ar. 7. dubio 1. §. quantum vero ad 2. Vazquez disp. citata, & multi alij.* Probatur conclusio primo, quia olim valebat matrimoniũ religiosi professi, ergo votũ solẽne, quod emittitur in professione religionis, nõ irritat matrimonium iure naturæ, sed iure positiuo, quod decursu tẽporis latũ est; nam si iure naturali fuisset irritũ, semper fuisset irritũ in quocunque tẽpore, quia hoc ius semper eodẽ modo se habet, sicut naturæ rerũ semper eodẽ modo inuariatæ manent. Antecedẽs probatur scilicet olim validũ fuisse matrimonium à religioso professo celebratũ ex *Innocentio I.*

B *epist. 2. decretali, c. 12.* Vbi sic loquitur, *item quæ Christo spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel nupserint publice, vel occulte corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendã pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant de hac vita decesserit*, Vbi per virgines velatas moniales professæ debẽt intelligi, quia istæ, dũ profitentur, velamẽ suscipiũt, vbi insinuatur sane matrimoniũ esse validũ, dũ ab his virginibus contrahitur, propterea enim pœnitentia talis virginis differtur vsq; ad mortẽ viri, ne cum iniuria matrimonij, & cũ damno alterius coniugis virgo illa sacra separaretur ab vsu matrimonij propter agendã pœnitentiã. Secũdo probatur, olim validũ fuisse matrimoniũ religiosi professi ex *Leone I. epist. 93. ad Rusticum Narbonensem Epis*

C *copum c. 12.* Vbi hæc verba profert leo Loquẽs de monacho professo, qui relicta singularitatis professione, ad militiã, vel ad nuptias deuolutus est, *publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est.* Vbi cũ Põtifex nõ separet religiosum professum à cõiugio, sed ei tantũ pœnitentiã imponat, sequitur, Põtificẽ in ea fuisse sententia, vt existimaret, validũ fuisse prædictum matrimoniũ, alias religiosum à suo illo cõiugio separaret. Hoc idẽ punctũ probat *Vazque. loco citato c. 7. ex Conc. Arelatensi 1. c. 33. & ex Toletano 1. c. 16.* Secũdo probatur conclusio, quia votũ solẽne irritat matrimoniũ, non quia votũ est, alias etiã simplex irritaret matrimonium, sed quia solẽne est: sed solẽnitas voti est de iure Ecclesiastico, vt patet ex primo notabili, ergo votũ solẽne solo iure Ecclesiastico irritat matri-

D monium. Tertio probatur, quia si votum solemne irritat matrimonium iure diuino naturali, hoc prouenit, vt defendunt propugnatores oppositæ sententiæ, quia continet veram emancipationem, & traditionem corporis factam in fauorem religionis, quæ iure naturæ pugnare videtur cum traditione eiusdem corporis facta vxori, sed hoc suppositum falsum est, quia vota simplicia Societatis Iesu post biennium emissa, in quibus continetur votum castitatis, continent veram traditionem corporis, & tamen neque sunt solẽnia, neque continent hanc rationem impedimenti dirimentis, ergo vo-

tum

tum solemne non irritat matrimonium iure naturæ. Quod vero prædicta vota contineant corporis traditionem, patet ex extrauagante ascendente Domino citata in illis verbis, quip pe qui per ea ipsa se societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in eâ mancipant, quo quid quæso clarius pro nostra sententia diei potuit?

Ex his facilis est responsio argumentis in oppositum. Primo desumpto ex capite si quis sacro respondemus, ibi per eam particulam, quam perpendit opposita sententia, scilicet, verbo Domini non intelligi esse de iure diuino nullitatem matrimonij à religioso professo initi, sed eam esse côuenientem verbis, & præceptis Dei, qui vult mittentes manum ad aratrum non debere retro respicere: & secûdo eidem argumento potest responderi cum recentiotibus, in eo loco denotari eos coniuges separandos esse quoad torum tantum in pœnam delicti. Ad secundum argumentum desumptû ex Concilio Tridentino respondetur primo, per votum intelligi votum solemne, secundo illas duas particulas lege Ecclesiastica, & voto ex eo constitui in eo loco Tridentini, ad denotandum aliquando ipsum votû solemne dirimere matrimonium, vt contingit in his, qui religionem approbatam profitentur, & in his qui dum suscipiunt ordines sacros volunt se obligare voto continentiæ. Aliquando vero solam legem Ecclesiasticam dirimere matrimonium, vt cum ille, qui sacris initiatur, non vult se obligare ad continentiam seruandam, iste enim non tenetur ad eam seruandam ex voto, quia illud non emisit, sed ex statuto Ecclesiæ, cum ad id obligautis, vnde nô est inhabilis ad matrimonium ex voto, sed ex statuto Ecclesiæ. Ad tertium argumentum respondetur cû *Vaquez loco citato*, traditiones eiusdem rationis, & generis in eadem re repugnare ex iure naturæ, vt duo dominia vtilia eiusdem rei in solidum, & duo matrimonia. At, cum sunt diuersæ rationis, esse compatibilia, vt idem homo potest esse seruus Petti, & maritus Mariç. Vnde, quia traditio facta per votum solemne est in ordine ad Dei seruitium, & cultû, & traditio facta vxori in ordine ad actus coniugales copulæ, ex natura rei non repugnant in eadê persona, imo simul reperiuntur, nam ex omnium sententia siquis post contractum, & consummatum matrimonium de licentia coniugis profiteatur religionem, est valida professio, & non dissoluitur matrimonium, ergo iure naturæ hæc non repugnant, sed tantum iure Ecclesiastico fit, vt matrimonium post solemne votum non valeat. Ad vltimum Basilij respond. eum non iudicare esse nullum matrimonium illud, sed tantû esse coniuges separandos quo adthorum, propter sacrilegium commissum contra votum, quod appellat fornicationem.

QVÆSTIO LI.

Vtrùm ordo sacer dirimat matrimoniû subsequens, & quo iure?

NOTA primo, certum esse, & absque controuersia, modo nô esse prohibitû, matrimoniû contrahere Clericis in minoribus constitutis, & ab eis contracta vera esse matrimonia, licet ostiarijs, & exorcistis, *in canone Apost. 27. aliàs 25.* Id esset prohibitû. Hoc tuetur *Couar. 2. p. de matrim. c. 6. §. 3. n. 4.* Si vero cû vidua, vel corrupta côtrahât, valide côtrahût sed in ordine ministrare non sinûtur, *iuxta canonem seriatim 32. dist.* modo tamen finguntur in ministerijs, in quibus laici ministrare possunt. Neque graue peccatû est, hos cû vidua côtrahere, & ita perpetuâ suspêsionê côtrahere in ministerijs ita paruis. Ita *Vazq. 3. t. in 3. p. disp. 249. c. 4.* Esset tamen hoc veniale.

Nota secundo quod contra Clericos, & religiosos contrahentes matrimoniû primo statuitur in iure irregularitas *c. quisquis & c. monacho 27. q. 1.* Secûdo imponitur excômunicatio. *Clementina vnica de consanguinitate*. Vbi non clauditur sponsalia côtrahens, nec cû quis profitetur religionem non approbatâ, vel non habet 16. annos perfectos, vel non transijt annus nouitiatus, quia, vt patet *ex Trident. sess. 25. c. 15.* tunc professio non valet.

Tertio notandû est de fide, continentiam esse annexam ordini sacro. Ita definitur *in c. cursus, qui Clerici, vel vouentes, & in Trid. sess. 24. can. 9.* Quæ côtinentia obligat ad abstinendû à propria vxore ante ordines habita, & à nonis nuptijs, & ab omni actu venereo, quia hæc decet Dei ministros, patet etiam ex *c. 1. & c. diaconi 28. dist.* & sæpe alibi. Quæ continentia, licet sit conformis voluntati Dei, & iuri naturæ, tamen (licet alij dicant oppositum) est solû de iure Ecclesiastico ordini sacro annexa. Ita sentiunt *D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. in fine corporis.* Et tenêt côminiter Thomistæ. Probatur primo quia Græcis in sacris côstitutis vsus matrimonij ante ordines initi, licitus est, *c. cum olim. de Cleric. coniug.* Secûdo probatur, quia, si iure naturæ ordo sacer repugnaret matrimonio, ergo dirimeret matrimoniû ratû non côsummatum. Quod est contra *extrauagantem, antiquæ, Ioan. 22. de voto.* Quod declaratur. *dist. 27. c. presbyter.* Probat consequentiam *Vazquez 3. t. in 3. p. disp. 249. c. 2.* Nâ si iure diuino indecorû esset, sacros viros postea côtrahere, & vti cillu gio, talis vsus matrimonij semper indecês esset ac proinde nullû ius ex matrimonio ad vsum illius habere posset. Hac enim ratione matrimoniû cum filia nullum est, iure naturæ, nec per matrimonium hic vsus licitus reddi potest. Quæ etiam continentia Episcopis solum conuenit iure Ecclesiastico ratione ordinis

ſacri, non ratione ſtatus Epiſcopalis, quem ante ordines poſſet habere, cum electus eſſet, & confirmatus tantum.

4 Quarto notandum, continentiam eſſe annexam ordini ſacro ex voto, quod Eccleſia adiũxit illi ordini. Et quidem, *D. Tho. in 4. d. 37. q. 1. art. 1. in corpore*, *& Sot. ibidem* dicunt, inter Græcos ordinẽ ſacrũ dirimere matrimoniũ tãtũ ex vi ordinis, & inter Latinos ex vi ordinis, & voti. Vnde ait *Rebell. 2. p. de obligat. iuſt. lib.* 3. obligari Clericos Græcos ad caſtitatem non ex voto, ſed ex præcepto Eccleſiæ. Sed credo, omnes ex voto obligari. Et Eccleſia cogit eos, qui ſacris initiãtur, ad tale votũ tacite, & ipſo facto emittendũ. Ita defendunt *D. Tho. in 4. d. 37. q. 1. art. 1. in corpore*. Et cõmunis ſententia. Probatur primo, quod Eccleſia adiunxerit ordini ſacro votum, *ex c. 1. diſt.* 28. vbi *D. Gregor.* ſic dicit, *nullum facere diaconum, præſumunt Epiſcopi, niſi, qui ſe victurum caſte promiſerit.* Et cõfirmatur, quia in rei ſuæ traditione quilibet poteſt legẽ apponere *l. in traditionibus ff. de pactis.* ergo, quamuis Eccleſia neminẽ poſsit abſolute cogere ad continentiã, *ca. integritat* 32. *q.* 1. at in ordine ſacro, quẽ confert, poteſt leges iuſtas ſtatui conuenientes apponere, & ad eas conſtringere, ſcilicet, votũ continentiæ, & caſtitatis, ob quod manebit obligatus, qui ordines ſacros recipit, quamuis votũ ignoret annexũ, ſicut, & ad recitandũ, ſicut per delationem habitus profeſſorũ, & exercitium actuum, qui conueniunt ſolis profeſsis in religione approbata, inducitur tacita ſolẽnis profeſsio, vt patet *ex c. vidua de regularibus*. In quo voto reperitur aliqualis volũtas, ſicut in eo, qui ſumit officiũ prætoris, manifeſte apparet. Nam, licet ignoret onera annexa ei officio, tamẽ eo ipſo, quo illud aſſumit, tacite, & virtualiter aſſentitur honoribus, & oneribus ſuæ dignitatis. Circa hoc vero punctũ an initiatus ſacris habeat annexũ votũ caſtitatis, videatur *Paul. Comitol. lib. 1. reſponſ. moral q.* 55.

5 Tertio notandũ eſt, votũ caſtitatis annexũ ordini ſacro per ſe, & ſimpliciter eſſe ſolemne ex cõſtitutione Eccleſiæ, vt patet *ex c. vnico de voto in* 6. De quo voto eodẽ modo loquendum eſt, quantũ ad ea, quæ præſentẽ quæſt. attingunt, quo locuti ſumus de voto ſolẽni religionis in præterita quæſt. quæ omnia latius à nobis examinãtur quantũ ad ordinem ſacrum *in tract. de ordine q. 10. &* 11. Quædã tamen eſt differentia notanda inter votũ ſolemne religionis, ac votum ſolemne annexum ordini ſacro, quod per votũ ſolẽne religionis profeſsi quantũ ad ſeculũ ſe habent veluti mortui, & ad aliã ſe transferentes vitam, & verã efficiunt ſui traditionem, at vero per votum ordinibus annexum nemo moritur ſeculo, neque ſui traditionem efficit, aut alienationem.

6 His ſuppoſitis ſit prima cõcluſio, per ordinẽ ſacrum dirimitur matrimoniũ poſtea celebratũ. Ita definitur *in c. 1. & 2. qui Clerici, vel vouentes, & in c. vnico de voto, in 6. & in Trident. ſeſſ. 24. de matrim. can.* 9. Quæ cõcluſio nõ ſolũ vera eſt quantũ ad Eccleſiam Latinã, ſed etiam quantũ ad Eccleſiam Græcam. Ita ſentiunt *Palud. in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. Syluest. verbo matrimonium 8 q. 12. dicto* 6. Et quidem Eccleſia diſcurſu tẽporis conſtituit ordinẽ ſacrũ, & votũ ſolẽne religionis, vt impedimẽta dirimentia matrimoniũ, quia experientia didicit, non ſatis coerceri homines ſacratos à coniugijs celebrandis pœnis antea impoſitis contra eorũ matrimonia *in diuerſis canonibus* 27. *q.* 1.

Contra hanc vero concluſionem inſurgunt quædã minime contemnenda argumenta. 7
Primũ ſit *ex canone 6.* Apoſtolorum his verbis cõtento, Epiſcopus, aut presbyter vxorem propriã nequaquã obtẽtu religionis abijciat Quæ verba videntur eſſe intelligẽda de vxore poſt ordines ſacros ſuſcepta. Huic tamen argumẽto reſpondetur. Illũ canonem intelligi potius debere de vxore ante ordines ſuſcepta, cũ qua licet non ſit carnale commercium exercendum, at tamẽ nõ eſt illa taliter abijcienda, vt nullam curam vir habeat de eius victu, atque veſtitu.

Secundũ argumentum ſit *ex Concilio Gangrenſi can.* 4. & ex illis verbis, *Quicunque diſcernit à presbytero, qui vxorem habuit, quod non oportebat, eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit.* In quibus verbis coniugia ſacrorũ hominũ, & valida, & licita eſſe apparet. Reſpõdetur tamen. Re vera Cõcilium tãtũ dãnare eos, qui aſſerũt, vxoratos non poſſe ordines recipere. 8

Tertiũ argumentum ſit deſumptum *ex ca. aliter, diſt.* 31. vbi dicitur, *in Orientali Eccleſia Clericos matrimonio copulari.* Ad hoc tamen reſpondetur cũ *Couar 4 decretal. 2. p c. 6. §. 3. n.* 1. ibi per copulari intelligi hoc, quod eſt vti matrimonio cõtracto, quia Græcis ad Eccleſiam oriẽtalẽ pertinẽtibus licitus eſt acceſſus ad eas vxores, quas ante ordines ſacros ſuſceperant. 9

Quartum argumẽtum ſubminiſtrant nobis verba *Leonis Papæ I. epiſt. 87. alias* 85. Quæ ſic ſe habent, *dicunt enim Apoſtolo inter alias electionis regulas, is Epiſcopus ordinetur, quẽ vnius vxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit. Tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, vt etiã de muliere Sacerdotis eligenda eadem intelligatur ſeruanda conditio.* Si ergo vxor Epiſcopi eſt eligẽda, ergo Sacerdos poteſt matrimonium contrahere. Sed huic argumẽto reſpondent *Bellarm. li. 1. de Clericis, & Vazquez 3. t. in 3. p. diſp.* 249. Mendũ eſſe in illis verbis. Muliere Sacerdotis eligenda, & legendum eſſe de muliere Sacerdotis eligendi, quod colligunt *ex Leone epiſt.* 36. *alias* 84. Vbi dicit, Epiſcopum non debere, vxorem habere. Quæ ſolutio placet mihi, cum ex verbis eiuſdem Pontificis optime deducatur. 10

Quintum

11 Quintum argumentum sit collectum ex *cap. vnico 35. q. 1.* Vbi dicitur, *Ecclesia post apostolica instituta quædam consilia perfectionis addit, vt pote de continentia ministrorum.* Ad hoc respondetur primo cum *Sanchez lib. 7. disp. 28.* illa verba esse solius Gratiani. Respondetur secundo esse ita intelligenda, quod continentia, quæ tantū erat à Christo posita sub consilio, est sub præcepto per Ecclesiam constituta quantum ad ministros altaris Ecclesiæ Latinæ prohibēs illis, vti vxoribus ante ordinē sacrum susceptis.

12 Sextū argumentum est ex *c. Diaconi 28. d.* Vbi de Diaconis dicitur. *Quod si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio.* Respondetur cum *Azor, lib. 13. instit. moral. c. 12. q. 2. & 4.* Ibi esse sermonem de more Ecclesiæ Græcæ, vt de vxoribus ante ordines habitis. Quod si vltimo obijcias *Canonem 13. sextæ Synodi Constantin.* Qui est vnus canon ex ijs, qui Trullani dicuntur. Vbi reprobatur mos Ecclesiæ Romanæ interdicentis Clericis in sacris matrimonium. Respōdetur, eos canones Trullanos, qui dicuntur sextæ Synodi generalis, non esse autenticos, sed fuisse reprobatos à *Sergio Papa*, teste *Beda lib. de sex ætatibus, in Iustiniano, & si in c. 6. Synodum, dist. 16.* Probat Adrianus Pōtifex eos canones. Respondetur cum additione noui decreti Gregoriani, ibi Adrianum tantum referre ea verba approbationis ex Epistola à *Tharasio* ad se missa, vel saltem non sunt omnes canones autentici, sed hi, qui postea ab Ecclesia probati sunt.

13 Sed quæres, an aliquando licuerit matrimonium ordinatis in sacris? Et respōdetur, hoc esse prohibitum omnibus Latinis, & Græcis à principio nascentis Ecclesiæ, patet ex *can. 27. Apostolorum*, ibi, *qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed lectores, & cantores tantummodo*, & de Græcis *c. si quis eorum, dist. 32.* sic dicitur. *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerint nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem Subdiaconatus fiat*, Latinæ autem Ecclesiæ hoc prohibetur, *c. sunt quidam, c. presbyteris 28. d.* Et alibi, differentia autem inter Græcos, & Latinos in eo sita est, vt Græci post matrimonium viuente vxore possent ad sacros ordines accedere, & matrimonio D vti antiquo, præterquā in diebus, in quibus altari seruiunt, & hoc licite, vt patet ex *c. quæsitum, de pænit. & remiss.* vbi *Clemens III. ait, Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet vti, &* ex *c. vt Clericorum, de vita, & honestate Clericorum*, Vbi de Græcis in sacris dicitur, *si lapsi fuerint, grauius puniantur, cū legitimo matrimonio vti possint.* Quāuis, & Græci nō possunt, validū inire matrimoniū post ordinem sacrū, vt docet *Azor. lib. 13. instit. mor. c. 14. q. 7.* Hæc autem sunt Latinis interdicta. Ita defendunt *Azor lib. 13. instit. mor. c. 12. q. 3. & c. 13. q. 1.* Et nouissime *Doctor Tena, in suo com. super epist.*

A *ad Hebræos.* Et ordo sacer, sicut, & votū solēne irritauit matrimoniū à tēpore *Innocent. II. c. vt lex 27. q. 1.* Cuius hæc sunt verba, *Huiusmodi namq, copulationē, quā contra Ecclesiasticā regulā esse constat contractā, matrimoniū non esse censemus.* Per verba, Ecclesiasticā regulā, cōstat, antea fuisse tale matrimoniū prohibitū, nullū tamē nō cōstat antea fuisse, vnde nō inuenimus, licet forte sit aliud ius isto antiquius, ius in quo annulletur matrimonium sacrorum hominū.

Secūda cōclusio. Ordo sacer dirimit matrimoniū subsequēs solo iure Ecclesiastico. Ita defendūt authores præcedētis quæstionis sentiētes hoc de voto solēni religionis, & nouissime B *Vazq. 3. to. in 3. p. d. 249. c. 2.* Et præterea expresse *D. Th. in 4. d. 37. q. 1. ar. 1. in corpore D. Bonauent. ar. 1. q. 2. in corpore, & alij* multi, & ratio est, quia ordo sacer dirimit matrimoniū, in quātū habet in se votū solēne castitatis. At hæc solēnitas est de iure positiuo vt vidimus in hac q. ergo, & dirimi matrimoniū ab ordine, prouenit ab eodē iure. Probatur secūdo, quia in Ecclesia Latina Subdiaconis multis seculis licuit, impune cōtrahere matrimoniū: patet ex *c. ante triēniū, d. 31. & ex c. à multis de ætate, & qualitate, & ordine perficiendorū*, & modo eorū matrimoniū est annullatū ab Ecclesia, ergo ex iure Ecclesiastico dirimunt ordines matrimonium? 14

Quæres primo, an valeat ordo per vim susceptus, & consequenter an tunc maneat ordi- 15 C natus ad castitatē obligatus? Ad quod respōdetur, non valere, quia nullus tunc reperitur cōsensus, qui requiritur in adultis: Ita constat ex *cap. maiores, de baptismo*, & consequenter, neque manet obligatus ad votū, quod est ordini accessoriū ex *reg. accessoriū 42. de reg. iur. in 6.*

Quæres secūdo, an maneat obligatus ad castitatē ille, qui ordinatur ordine sacro per metū 16 grauē. Quidā dicūt probabiliter, manere obligatū, vt refert *Sanchez li. 7. d. 29.* Sed in primis respōdeo, talē ordinē per eū metū assumptū valere, ex *ca. maiores de baptismo.* Secūdo dico istū hoc modo ordinatū minime manere obligatū ad seruandā castitatē, cū iniuste met⁹ incutitur ad extorquēdū votū, vel ordinē sacrū, cui annexū est tale votū. Sed posse valide, & licite matrimoniū contrahere (vt bene tamē docuit *Enriq. li. 11. de matrim. c. 9.*) iste suspēdendus esset ab vsu ordinū propter indecētiā, quā præseferret, vxoratū ministrare in officijs proprijs ordinis sacri) nostrā resolutionē defendūt *Nauar. in sum. Latina, c. 22. n. 52. Enriq. li. 10. de sacramento ordinis Azor lib. 13. institut. mor. c. 14. q. 8. & alij.* Probatur secūdo, quia iste ordinatus nō tenetur ad castitatē seruādā ratione voti taciti, vel expressi, hoc enim, etiā si in prædicto casu reperiatur, inualidū prorsus est. Si ob metū cadētē in virū cōstantē emittatur, vt cōstat ex *c. perlatū, d. his quæ vi, met.* Erit secūdo obligatur ad eandē castitatē ratione præcepti Ecclesiæ

quo Ecclesia constringat constitotos in sacris, caste viuere, quia Ecclesia tantum ad hoc obligat eum, qui sponte sua ordines suscipit, quia tunc videtur saltem in causa, id est, in susceptione ordinum, volitam esse castitatem ei annexam, vel, licet castitas non sit volita in ea causa, quia expresse aliquis suscipiens ordines de testaretur castitatem, tunc si Ecclesia obligaret illum suo præcepto ad seruandam castitatem, id tantum contingeret in eo casu, quo ille ordines spontaneè susciperet. Reluctantem enim ad castitatem obligare, prauos posset exitus parere. Ergo nullo modo tenetur ad castitatem seruandam, qui propter metum cadentem in virum constantem sacris initiatur. Ex quibus prædictis fundamentis aperte constat, matrimonium tunc validum celebrari posse, nisi post susceptos ordines, & ante celebrationem matrimonij sponte, ac sine vllo errore votum ratificetur verbo, vel facto, vtendo ordine sacro per metum suscepto, & à fortiori idem omnino, & propter eandem rationem pronuntiandum est de eo, qui ante rationis vsum sacris initiatur, quia eo tempore nullius est capax voti, neque præcepti, obligatio autem, quæ tunc nulla est, tractu temporis non conualescit. Hanc vltimam partem de infante ordinato docuere, *Sotus lib. 7. de iustitia, quæst. 2. art. 5. ad vltimum Enriquez, lib. 10 de sacramento ordinis, c. 14. nu. 3.*

17 Probabile satis est id, quod nuper defendimus, inualidum esse votum emissum pee metū cadentem in virum constantem iniustum illatum ab extrinseco, & ad extorquendum votum. Sed illud intelligitur de iure Ecclesiastico, non de naturali, quia respiciendo solū ius naturæ non est inualidum prædictum votum, vt sentiunt *Sylueſt. verbo, metus, q. 8. Enriq. de matrimonio, lib. 5. c. 9. n. 1. & Suarez. 2. tom. de religione, lib. 5. de essentia voti c. 7. nu. 12.* Ad quod probandum sufficiens est fundamentum Suarez, quod scilicet nulla sit ratio naturalis ostendens hoc votum esse nullum. Et quidem licet, *Suar. ibidem, c. 8.* Probabiliter sentiat, quod libet votum propter hunc metum emissum etiā iure Ecclesiastico validum esse, dummodo simplex sit. Tamen probabilius sentio, vt notaui in materia de voto *Cum Angelo, & Rosella citatis à Sylueſt. verbo, votum 2. q. 12. & verbo, metus q. 8. & Azor, tom. 1. suæ summæ, lib. 11. c. 16. & Leſ. lib. 2. de iustitia, c. 40. de voto, dubit. 4.* Etiam votum simplex eo modo emissum inualidum esse, quod communiter colligunt Doctores ex *cap. perlatum de his, quæ vi.* Sed de his alibi, quia hic propriam sedem non habent.

18 Quæres tertio, an ille, qui pollens rationis vsu, sed ante adeptam pubertatem, vt ante 14. annum expletum, sacris initiatur, adstrictus maneat castitatis voto, & incapax matrimonij celebrandi. *Sanchez cum alijs, lib. 7. de matrim. disp. 30. nu. 8.* Parti negatiuæ adhæret, nisi iste post adeptam pubertatem votum ratum habeat. Quod probat iste author, quia nisi hoc modo votum solemne religionis non obligat, vt patet *ex cap. 1. 2. q. 1.* Ergo neque etiam obligat, nisi eo modo votum solemne annexum ordini sacro. Sed respondetur huiusmodi hominem manere obligatum ad castitatem seruandam ratione voti annexi ordini sacro, quē supponimus suscepisse. Probatur primo, quia quodlibet votum ante pubertatem emissum, dummodo emissum sit cum sufficienti rationis vsu, naturali iure loquendo, validum est, ac diuino, sed nullo iure positiuo humano annullatum est, nam ius humanum tantum annullauit votū solemne religionis, & nō aliquod aliud, ergo, hoc votum solemne ordinis sacri ex nullo iure iudicandum est inualidum. Secundo probatur, quia in eo homine libera omnino fuit assumptio ordinis sacri, cui annexa est obligatio voti, ergo, & libera est assumptio obligationis voti, quare matrimonium omnino inualidum censendum est. Quia cum eo voto nequit consistere matrimonium, cum solemne sit. Ita sentiunt, *Gloſſ. cap. vnico, verbo discretionis de Clerico per saltum promoto, Cardinalis ibi dem nu. 2. q. 1. Vega 2. tomo sum. c. 57. casu 7.* Ad argumentum Sanchez respondetur, diuersam omnino esse rationem voti solemnis in religione emissi, ac eius quod emittitur in susceptione ordinis sacri, nam primum quia constituit vitam arctiorē, & perfectiorem requirit maturum iudicium rationis, quod ante ætatem pubertatis minime reperitur, & ideo ante eā, dispositum fuit à iure humano, tale votum nullum robur obtinere, secundum vero votum solemne castitatis non constituit vitam ita perfectam, neque ita arctam, quare minus iudicij ad suum valorem prærequirit.

Quæres tertio, an prima tonsura, & ordines minores impediant matrimoniū? Cui interrogationi facile respōdetur, minime quidē quia expresse conceditur facultas contrahendi matrimonium his, qui prædictis ordinibus sunt initiati, *c. si quis eorum, & c. si qui vero, dist. 32.* Cuius ratio in promptu se offert, quia ordo tantum dirimit matrimonium ratione voti castitati ei annexi, sed hoc votum non adiungit Ecclesia ordinibus minoribus, quia nullum decretum de hac re nobis constat, ergo minores ordines non dirimunt matrimonium, licet enim de acolytis, & ostiarijs controuerti possit, an valide matrimonium celebrent, propter rationem dubitandi desumptam ex *canone 27. Apostolorum.* Er ex illis verbis, *qui ad Clerum pronectis sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxorē accipiant, sed lectores, & cantores tantum modo.* Et fundamento desumpto *ex nouella constitutione Iustiniani collat. 4. tit. de nuptijs §. sed, & si quis.* Vbi idem pronuntiatur. Respondetur tamen ad vtrunque textum cum *Bellarm. in controuer. li. 1. de* 19

1. de Cleric. x. 19. colum. 5. § Probatur tertiò, ibi in nominibus *Cantorum, & lectorum* comprehendi ostiarios, & acolytos, quia quantum ad hoc punctum contrahendi matrimonium similes sunt, vt explicuit *Iulian. antecessor Institiani. nouel. 22. num. 27.* Quod si quis ordines minores susciperet existimans, eis esse annexum votū castitatis, maneret quidem adstrictus voto simplici castitatis, vt sentit *Ioan. Andr. cap. Ioannes de Clericis coniugatis num. 17. & alij Doctores.* Non esset tamen illud votum solemne, quia hoc tantum constitutum est ab Ecclesia in professione religionis approbatæ, & in susceptione ordinis sacri. Extra hos vero casus non est in nostra potestate solemnitatem voti constituere, quod placuit in præsenti addere, vt ea, quæ in primo notabili præmeditata sunt, amplius illustrentur.

20 Aliqui hic disputare solent de pœnis in iure statutis contra eos, qui, cum in sacris constituti sunt, vel, cum professionem in religione emiserint, postea matrimonium contrahunt. Sed nostra non interest, in his immorari. Quod si quis eorum cognitionem desideret, legat *Sanchez 2. to. de matrimonio, lib. 7. & Paul. Comitol. lib. 1. responsionum moralium, quæst. 56.*

QVÆSTIO LII.

Qua ratione vnus coniux possit professionem emittere in religione, altero superstite?

1 EGIMVS in præcedentibus de voto solemni religionis, & de voto solemni sacri ordinis, qua ratione dirimant subsequens matrimonium. Modo autem restat, disputare, qua ratione huiusmodi vota possint emitti post initum matrimonium.

2 Sit prima conclusio apud omnes certa, vt vnus coniux post matrimonium consummatū licite possit religionem profiteri, non satis est licentia alterius coniugis, sed præterea requiritur, vt si præbens licentiam sit senex, & absque suspicione incontinentiæ, votum castitatis emittat, si autem iuuenis sit, vel senex cui immineat periculum incontinentiæ, necessarium est, vt etiam religionem profiteatur, patet ex *cap. vxoratus, & cap. cum sis, de conuersione coniugat.* In quo ca. vltimo sic affirmatur. *Probibemus, ne virum, vel vxorem, nisi vterque ad religionem migrauerit, transire permittas: verum, si ita vxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, vt ea in seculo remanente, & castitatem promittente ad religionem transeat vir eiusdem.*

3 In quo casu non est necessaria licentia Episcopi ad valorem professionis, vt constat ex ca.

A *1. de conuersione coniugatorum, in fine.* Requiritur tamen ex præcepto talis licentia, vt docet *c. si vir, & vxor. 27. q. 2.* In illis verbis, *si vir, & vxor diuertere, pro sola religiosa inter se consenserint, vita, nullatenus sine Episcopi licentia fiat.* Et prædictus cōjux cū iuuenis est, debet religionē profiteri. Quāuis honestę sit vitę, propter periculum ætatis iuuenilis, vt constat ex *cap. cum sis de conuersione coniug.* Vbi absolute, & sine restrictione inhonestæ vitæ pronuntiantur illa verba. Nisi vterque ad religionem migrauerit, Imo, si senex relictus in seculo adhuc post emissum votum continentiæ comprehendatur esse in periculo violandi castitatem, deberet religionem profiteri. Ita sentiunt *Victoria in summa vbi de matrimonio, nu. 253. & Sanchez* B *alios referens, lib. 7. de matrimonio, disp. 32.* Cuius ea potest assignari ratio, quia alias non recte coniugis incommodis spiritualibus consuleretur, si relinqueretur in seculo cum periculo suæ salutis. Imo, vt optime considerauit Sanchez loco citato, quamuis senex nullum haberet periculum incontinentiæ, si tamen in periculo esset labendi in alia peccata altero consorte ad religionem conuolāte, vt in peccata vsurarum, aut simoniæ, necessaria ei esset religionis professio, quia sine ea salus eius spiritualis facile detrimentum pateretur. Quod si ingrediens religionem ante professionem egrediatur, poterit redire ad propriam vxorem, quæ si dependenter à viri professione emisit votum, poterit petere, & reddere debitum, quia C tunc votum illud conditionatum, vt pote conditione deficiente nullū adquisiuit robur obligandi. Si autem vxor in seculo relicta absolute, & sine dependentia à viri professione emisit votum castitatis, priuauit quidem se iure petendi debitum, iure reddendi illæso prorsus manente.

Quæres primo, quo tempore dicatur quisque senex, ad hoc, vt possit in seculo cum solo castitatis voto remanere? Huic puncto communiter respondent Doctores cum *Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. Colum. 52. § præterea contra eandem primam conclus.* Tam virum, quam fœminam esse senes, cum ad annum sexagesimum peruenerunt, quia tunc vere, & proprie iuxta breuitatem nostræ vitæ dicūtur, & sunt senes. D Imo in hac ætate possunt homines etiam si Clerici sint, tempore quadragesimæ lacticinia comedere. Quamuis doctrina *Sanchez loco citato num. 16.* huic nostræ resolutioni aliquo modo contradicere videatur. Dum insinuat, fœminā quinquagenariam senem esse, quia calor naturalis in fœminis multo debilior est, quam in viris, & ita citius consumitur in eis, quam in viris. Sed doctrina Soti placet mihi, tum quia cōmunis inter Doctores est, tum etiam, quia conformis est vsui Ecclesiæ. Secundum quem vide mus fœminas, donec sexagenarium annum cō- 4

pleant, solutas non iudicari à lege ieiunij.

5 Quæres secundo, an valeat professio vnius coniugis emissa cum licentia alterius permanentis in seculo, etiam si ille alter non voueat castitatem? Aliqui Doctores respondent, talem professionem inualidam esse. Respondetur tamen, eam professionem valorem suum sortiri. Ita docent gloss. cap. vxoratus, de conuersione coniugat. *Syluest. matrimonium 8. q. 12. dicto 4. Durand. in 4. dist. 32. q. 2. nu. 6. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 15. n. 9.* Et alij plurimi. Probatur primo quia, licet *textus in cap. vxoratus, & in c. cum sis, de conuersione coniugatorum*, Ad professionē ab vno coniuge emittendam requirant, votum castitatis emitti ab eo, qui in seculo manet, nō tamen ita præcise hoc requirunt, vt alias factam professionem inualidam reddant. Secundo probatur *ex c. Agathosa. 27. q. 2.* vbi sola licentia vxoris sine vllo emisso voto sufficiens iudicatur ad valorem professionis viri.

6 Quæres, tertio an professus possit reuocari à religione, & restitui vxori, quando illa in iuuentute existens votum emisit castitatis, & in seculo mansit? Quidam respondent, esse tūc reuocandum virum à religione, & reddēdum vxori, ne illa luxuriæ inquinamenta patiatur? Respondetur tamen, eum professum non esse reuocandum à religione. Ita docent *Abb. c. 1. de conuersione coniugatorum, Syluest. matrimonium 8. q. 12. dicto 4. & Syluest.* idem prorsus asserit, quamuis manens in seculo vxor ignara esset eius obligationis, quæ sibi in hoc casu à iure fuit imposita, *in capit. cum sis de conuers. coniugat.* Sed in eo casu mulier hæc non cogetur, vt bene notauit *Sanchez loco citato nu. 17.* Religionem profiteri, quia durum esset, tantum onus ei inuitæ imponere, Erit tamen in monasterio recludenda ad seruandam castitatem, in cuius amittendæ periculo ratione iuuenilis ætatis cōstituta esse videtur, & quam ipsa promisit per suum votum, cuius exemplum non dissimile facile inueniemus in monialibus, quæ, licet à principio non fuerint clausuram professæ, quia tamen castitatem professæ sunt, ad cuius obseruantiam necessaria est clausura, ideo secundum communem sententiam Doctorum, & varia decreta Summorum Pontificum licite constringuntur ad perpetuā clausuram seruandam). Probatur primo ex *c. 1. de conuers. cōiugat.* Vbi sic pronūtiatur: *dicimus, quod, nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuā castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari.* Ex quo, cap. ad nostrū propositum constat primo in nostro casu, quo vxor iuuenis castitatem vouit perpetuam (de hoc enim casu loquimur) non esse ei reddendum suum virum. Secundo constat *ex eodem, cap.* in eo casu, quo votum vxoris de seruanda continentia esset temporale, virum professum reuocandum esse à religione. Quod quidem verum est, cum vxor esset ignara obligationis sibi impositæ à iure: nam si esset eius obligationis conscia, tunc in dubio, si licentiam dedit, videtur, se voluisse perpetuæ castitatis voto astringere. Quod si certo constat, tantum se adstrinxisse castitati temporali, posset ad emittendum votum perpetuum obligari, & amplius ad perpetuam clausuram in monasterio, si iuuenis esset. Imo si talis vxor nullum fecit votum, dedit tamen licentiam conscia iuris capitis, cum sis, de conuers. coniugat. non est reuocandus vir professus, sed illa cogetur ad vouendum si senex, & ad religionis clausuram cū voto simplici, si iuuenis sit, quia facto suo se ad id voluit obligare: quod si esset huius iuris ignara, daretur reuocatio viri etiam data licentia ab vxore, si periculum esset incontinētiæ, ita *Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. solum. penult. & alij.* Qui vir, cum per professionem non sit sui iuris, non posset sua authoritate exire à monasterio, neque reuocatur propter ius vxoris in eo casu, quo huic cessit, dando ei licentiam, sed ex officio iudicis, vt eius in cōtinētiæ cōsulatur. *Sylue. matrimoniū 8. q. 12. dicto. 4. Azor li. 12. institut. moral. c. 2. q. 6. § si quæras.* In foro autē externo ignorantia iuris excusat fœminam, non virum, *Greg. Lopez l. 2. versi. de guardar tit. 10. partit. 4.* In foro externo non excusat ignorātia iuris communiter, sed tantum fœminas, minores, & milites, *Syluest. matrimonium 8. q. 12. dicto 4.* Sed in foro interno, & iuris, & facti ignorantia excusat. Et potest Episcopus contra religiosos detinentes huiusmodi professum procedere, sed quibus remedijs debeat vti, videatur apud *Sanchez lib. 7. de impedimentis, disp. 33. à n. 21.*

Quarto quæres, an valeat professio vnius coniugis facta altero ignorante, vel sciente, & contradicente? Ad quod respond. primo non valere, quia ille coniux non habuit dominiū sui corporis: vnde non potuit illud in religionem transferre. Quod patet *ex cap. quidam, de conuersione coniugat.* Vbi, cum sit sermo de nostro casu, sic dicitur. *Respondemus, quod votum non tenuit, vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Vlterius vero non poterit vxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo, quoad hoc, votum tenuit.* Ex quo etiam cap. constat, illud votum valere in ratione simplicis voti castitatis, quia, cum tale votum dissimiles habeat obligationes, scilicet, non nubendi, non vtendi actu coniugali, nec venereo, vxoratus constante matrimonio, solū debet abstinere à petitione debiti, & ab actibus venereis, & hoc ab ipso pūcto voti: nō vero à redditione debiti. Quod intelligitur, quando sic professus habuit animum obligandi se, quantum potuit. Secundo respondetur, licet alij relati à *Sanchez, lib. 7. disp. 34.* Sentiant oppositum, in hoc casu non 7

manere

manere professum obligatũ alicui voto etiam simplici religionis, ita *Sotus in 4 d.27.q 1.ar.4. col.penult.vers.casus aut&, & D.Bonauent.ibi.* Et alij. Patet ex nostro textu, vbi textus loquens de voto religionis ait, *Votũ non tenuit, vnde ratione voti ad monasteriũ non tenetur redire.* Quod si dicas, iste potuit se obligare ad religionem profitẽdã post mortẽ vxoris, ergo ad id se obligauit, quia fecit, quantũ potuit. Respondetur potuisse quidẽ ex alia distincta intẽtione, non ex ea, quã tunc habuit profitẽdi de præsenti, quia, vt bene, & acute notauit *Sanchez dicto loco n.10.* Obligatio, quæ de præsenti ex professione nascitur, est indiuisibilis, & ad vnicũ actum scilicet, permanẽdi ex tũc in perpetuũ in religione, quã, quia noster professus nõ contrahit sine licentia vxoris, nullã aliam contrahit in fauorẽ religionis. At votũ simplex castitatis ex tunc valuit, quia ex tũc mansit obligatus ad nõ petendũ debitũ, quæ obligatio est distincta ab alijs contẽtis in hoc voto, veluti; cũ cõiugatus init secũdum matrimoniũ durãte priore. Neq; manet obligatus ad contrahendũ cum secunda inposterũ, neq; modo valet tale matrimoniũ, quia voluit obligare se de præsenti, & ad perpetuam vitam cum illa, & quia tunc est ad id inhabilis, nullam habet vim cõtractus ille, etiã inposterum obligandi.

8 Iste autẽ sic professus tenetur exire de religione, vt statim se restituat vxori, quãuis ipsa nihil petat, ita *Innoc.c.quidã de cõuersione coniugatorũ n.3. Sotus in 4.d.27.q.1.ar. 4 col.penult. vers.casus aut&.* Imo etiã si manẽs in seculo, qui antea restitit, postea professioni factæ consentiat, potest alter tuta cõscientia exire, & ratio est, quia professio nõ tunc manet in pendenti, neque fit sub conditione de futuro, sed statim, vt fit, habet suum effectum, sed hæc professio à principio fuit inualida, ergo, nisi ratificetur, tractu temporis non conualescit.

9 Quæres quinto, an coniux sine alterius licẽtia professus, neq; ab eo in vita reuocatus possit eo defuncto egredi? Ad quod respõdetur primo, quod si cõiux alter neq; expresse, neq; tacite aliquãdo cõsensit nullo modo valet professio, neq; aliquod votũ religionis, vt supra vidim⁹. Vnde potest tuta cõsciẽtia cessãte scãdalo egredi cõiux. Quidquid alij dicãt relati à *Sãch. nobiscũ sentiente li.7.disp.* 34. Secundo respõd. in eo casu, quo cõiux professus ignarus mortis alterius, aliquãdo permãserit in religione, in qua sine licẽtia professus est, posse etiã exire à religione, si post scientiã adquisitam non ratificat prius factã professionem, quod patet ex ratione supra adducta, ita *Ioan. Andr.c. consuluit, in fine, Cardin. & Ant.ibidẽ.* Tertio respõdeo, in eo casu, quo cõiux professus sine licẽtia alterius, cognouit mortẽ alterius, & perstitit in religione, aut alter cõsenserat, esse quidẽ professum verũ, si ille denuo profiteatur tacite, vel

A expresse, & superior de nouo acceptet professionem. Quarto respondemus in his casibus, in quibus inualida est professio vnius coniugis, non posse alterum profiteri sine eius licentia. Patet, quia prima professio non valuit, & delictum primi coniugis profitentis sine licentia nullum dat ius alteri ingrediendi religionem. Ita *Innoc.c.quidam, de conuers. coniugat. n. 2. Anton. ibi.* Quinto respondemus in eo casu, quo ambo coniuges profiteantur nulla sibi cõcessa licentia, siue conscij sint mutuæ professionis, siue ignari, professionem valere. Ita *Inno. dicto loco. Astensis in sum.2.p.lib.8.tit.11. art.2. q.14* Et patet, quia isti mutuo profitẽdo facto ipso dederunt sibi mutuam licentiam, ergo vtriusque professio valet, quamuis contradicat

B *Sanchez dicto loco nu.* 54.

Quæres sexto, an valeat professio vnius cõiugis, quando alter solum dissimulat, & permittit illam professionem non contradicendo illi, neque eam approbando, vel tantum ei assentitur ductus metu aliquo, vel dolo. Huic interrogationi respondemus primo cum *Gregor. Lopez lib.2. verbo gelo otorgasse, tit.10. partita 4. Azor lib.12. institut. moral.ca.1.q.6.* Et cũ communi sententia Doctorum. Solam dissimulationem non esse sufficientem licentiam ad hoc, vt professio valorem sortiatur. Probatur, quia, vt supra vidimus explicantes illam regulam. *Qui tacet, consentire videtur.* Silentium hoc, seu hæc non repugnantia in rebus magni præ-

C iudicij non indicat consensum: sed negotium, in quo versamur, magnum præiudicium parere potest tacenti, eius ergo silentium non sufficienter indicat interiorem animi consensum. Secundo respondemus, licentiam extortã per metum cadentem in virum constantem non esse sufficientem ad valorem professionis. Ita sentiunt *Ioan. Andr. c. ex parte el.1. de conuersione coniugat. vers.4. quarto casu. Cardin. ibidem nu. vnico.* Probatur ex textu *in c. accedens, de conuers coniugat.* Vbi vir professus de licentia vxoris metu extorta extrahitur à religione propter defectum professionis viri, & propter insufficientiam licentiæ vxoris. Qua ratione il-

D lum textum intellexit Abb. Neque huic resolutioni deficit suum fundamentum, quia ad hoc, vt professio vnius coniugis valida sit, debet alter condonare ius, quod habet in corpus sui coniugis, hæc autem condonatio non censetur valide fieri, per voluntatem vehementer coactam. Tertio respondetur cum eisdem Doctoribus, & cum *Petro de Ledesme de matrimonio q.64. art.4. dubio 1. conclusione vltima.* Eam licentiam, quæ graui dolo extorta est, insufficiẽtem esse ad valorem professionis fundandum. Probatur primo *ex c. veniens de conuers. coniugat.* Secundo probatur ex ratione proxime adducta in secunda responsione. Ad quid vero iste inualide professus teneatur, ex dictis in hac

hac quæstione satis aperte liquet.

11 *Ex cap. verò veniens, de conuers. coniugat.* Constat, professum media licentia graui metu, vel dolo extorta, non posse, licet professio fuerit innalida, eo inuito, inuitaque religione à monasterio reuocari, imo neq; debere restitui vxori, cum ipse innocens est in materia adulterij, & vxor commisit in eum adulterij crimen, patet, quia vxor per illud adulterium amisit totũ ius, quod habebat, reuocandi virũ suum. Imo tunc etiam poterit vir inualide professus exire à religione, cum adulterium contigit post illam professionem emissam, quia adulteriũ subsequens non tribuit vim professioni præcedẽti. Quod si adulterium professionem viri præcedat, quidquid sit de licentia vxoris, sine dubio professio vires induet, & minime concedetur viro egrediendi locus. Ita iudicauit, & benè *Sanchez, lib. 7. de matrimonio, disp. 36.*

12 Cum verò coniux ad ordines sacros promouetur sine vera licentia suæ vxoris, & postea decursu temporis contingat, vxorem debitam ei matrimonij fidem non seruare, non est ei restituendus vir suus: tum, quia ille per validum ordinem, quem suscepit, amisit ius petendi debitum, tum, quia, licet post ordines ille deberet debitum reddere, tamẽ, vxor adulterio suo se priuauit iure petendi, & ita vir non tenetur reddere debitũ. Quæ doctrina satis aperta est non indigens probationibus.

QVAEST. LIII.

Vtrùm vir possit ad ordines promoueri vxore viuente?

1 IN hac quæstione non est sermo principalis, quid iuris sit seruandum, cum vxor per adulterium, vel aliam culpam eius sufficiẽtem dedit causam diuortio: nam tunc aliqui Iurisperiti, vt *Innocent. IIII. Ostiens. & Ioan. Andreas. in cap. veniens, de conuers. coniug.* Dixerunt, post diuortium culpa vxoris factum non posse maritum sacros ordines suscipere, licet possit religionem profiteri. Quod probant, quia eo ipso, quod vir ordines suscipit, debet statim vxor votum continentiæ emittere. Ad quod non tenetur, quando vir nõ ingreditur. Religionem, ad illud verò votum compellere vxorem non conuenit. Secundo probatur *ex c. constitutus, de conuers. coniugat.* Vbi dicitur, virũ illum, qui propter adulterium vxoris ordines susceperat, conscientiæ scrupulis agitatum religionem ingressum fuisse. Quod non alia de causa contigit, nisi, quia post ordines susceptos deprehendit, se non posse in seculo permanere. Probabilius tamen longe iudico, posse maritum in eo casu renuente vxore ordines sacros suscipere. Ita sentiunt ex Iurisperitis *Panormit. in dicto c. constitutus, Syluest. verbo, diuortium, q. 17. dicto 1. Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. sub finem.* Probatur resolutio hæc sufficienter *ex canone Agatosa 27. q. 2. qui est Gregorij, lib. 9. Epistolarum, epist. 44.* Vbi dicitur, licitum esse post diuortium sic factum, (sermo autem est de diuortio quoad thorum in matrimonio consummato) viro innocenti ingredi religionem. Sed eadem est ratio de susceptione ordinis, ac de ingressu religionis, quia in vtroque casu separatur coniux à consortio coniugali, ergo potest vir ordines sacros suscipere inuita vxore in eo casu. Et confirmatur quia vir post tale diuortiũ quoad vsum cõiugalem liber manet, ita vt neque teneatur petere, neque reddere debitũ, ergo potest sine consensu vxoris priuare se vsu sui corporis per votũ continẽtiæ sacris ordinibus annexũ nullo expectato cõsensu vxoris. Ad primũ argumẽtũ in oppositum respõdetur, in nostro casu minime requiri, vxorem emittere votũ castitatis, neque etiã in eo, quo vir propter adulteriũ vxoris ingreditur religionẽ, quia in his euentibus non præcipitur in iure vxoris votũ, sed in eo tantũ, quo ipsa consentit, virũ sacris initiari, aut religionem profiteri. At in nostro casu ipsa dissentit statui mariti. Quare neque formaliter, neque virtualiter cõsentit voto, neq; ad illud vllo modo cogenda est. Tum quia ex illa coactione praui exitus in obseruantia voti timeri possent. Ad secundũ argumentũ respondetur, illum scrupulũ in eo viro natũ fuisse ex eius ignorantia.

Sit prima conclusio. Vir potest ad sacros ordines, & ad minores promoueri, siue ante consũmatũ matrimoniũ, siue postea, cũ vxoris tamen licentia, & alijs conditionibus requisitis. Quod possit vir ad sacros ordines promoueri, siue ante cõsummatũ matrimoniũ, siue postea, docet *expressus textus, in c. coniugatus, de conuersione coniugatorum, & in extrauaganti antiquæ Ioan. 22. de voto* his verbis, *districtius inhibem⁹, ut quisquam durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris canonibus nouerit conuenire.* In quo textu, verbo nouerit, ait gloss. sæpe petita licentia vxoris voto castitatis ab ea emisso. Quod si quis aliter ordinaretur, maneret per eandẽ extrauagantẽ irregularis. Et ibidẽ præcipitur, vt aliter ordinatus ingrediatur religionẽ, vel per censurã cogatur, matrimoniũ consummare, & licite sacris initiatus cũ licentia vxoris antequã matrimonium fuerit consummatũ non potest petere debitũ propter votũ castitatis ordinibus annexũ, neque reddere, quia vxor dans ei licentiam priuauit se iure petendi, & tamen prædictum matrimonium non dissoluitur. De viro verò, qui vult minores ordines suscipere, idem constat *ex c. fin. de temporibus ordinationum in 6.* Vbi statuitur, neminem esse prima tonsura initiandũ nisi prout est sacris canonibus definitũ. Quod ita ex-

ita explicauit gloss ibi. id est, cum licentia, &
voto castitatis vxoris, quod si hæc requirūtur
ad hoc, vt vir promoueatur ad primā tonsurā,
eadē etiam requirentur ad hoc, vt promouea-
tur ad minores ordines. Ita sentiunt *Azor lib.
13. instit. moral c. 13. q. 7. & Sanch. lib. 7. de ma
trim. disp.* 38. Ab eo autem, qui prima tonsura
vult initiari, exigendū est continentiæ votū,
quando matrimoniū contraxerat, ne ad vxo-
rem suam facile reuertatur, sed aliqua spes cō
cipiatur ad alios ordines promotionis, & perse
uerantiæ in statu Clericali.

3 Secūda conclusio. Quando vir ad sacros or-
dines promotus est cōtradicēte sibi vxore, de-
bet ei restitui ad actus coniugales. Ita stabilitū
est in extrauaganti antiquæ allegata. Et idē di
cendū est, cum licentia fuit graui metu extor-
ta, aut graui dolo, quia in his casibus non amit-
tit vxor ius, quod habet in corpus viri, quod
longe antiquius esse potest susceptione ordi-
nis. Ita sentiunt *Ioan. Andr. c. constitutus, in fine,
de conuers. coniug. Abb. ibi. in fine, & alij.* Imo
etiā si vxor rē cognoscens dissimulet, neq; ex
presse renuendo, neq; annuendo ordinationi
viri, restituendus est ei vir, quia, vt supra nota
uimus in simili casu de eo, qui post matrimo-
niū contractū ad religionem migrauit, hæc li
centia in re tātum præiudiciū afferente insuf
ficiens iudicatur. Ita notarunt *Syluest. verbo, di
uortium q. 17. dicto 4. Armilla n. 13.* in prædictis
vero euentibus huius conclusionis peccat mor
taliter vir, si ad sacros ordines promoueatur:
quemadmodū supra vidimus, virum in his casi
bus sine licentia vxoris professum posse se re-
stituere vxori, imo, & debere in eius consor-
tiū redire. Ita etiam de viro ad ordines promo
to sine dubio iudicandum est propter rationes
adductas in quæstione præcedenti, etiā si pug-
net contra nos *Sanch. loco citato n. 16.*

4 Quæres tamen primo, quibus legibus adstri
ctus sit vir ille, qui sacros ordines suscepit abs-
que legitima licentia vxoris? Huic interroga-
tioni respondetur cū gloss. in extrauagante an
tiquæ prælegata. *Petro de Ledes. de matrim. q.
53. art 4. dubio 2. conclus. vnica* (. Licet alij pro-
babiliter sentiant oppositū) hunc virū etiam,
si nondum matrimonium consummauerit, mi
nime obligandum esse ad profitendam religio
nem. Probatur primo ex *dicta extrauaganti.* In
illis verbis. *Ad ingressum huiusmodi sic ordina-
tum, si matrimonium consummatum non fuerit, per
diœcesanum instanter monere præcipimus.* Vbi cū
eum, qui absque sufficienti licentia vxoris sa-
cros ordines suscepit ante consummationē ma
trimonij, dicatur, monendum esse, vt religio-
nem ingrediatur, quæ verba consilium deno-
tant, & non præceptum, aperte sequitur, eū ad
talem ingressum compellendum minime fore.
Secundo confirmatur, quia status religionis rē
continet arduam, & difficilem, sed iste vir eam

A non vouit, ergo ad eam cogendus minime est,
ne praui sequantur exitus, quod si ille nollet
ad religionem migrare, deberet, vxori debitū
reddere, quia per susceptionē ordinum, cui il-
la dissensit, non est ablatum ab ea ius petendi
debitum. Ille tamen non potest petere debitū.
Hoc enim iure priuauit se propter sacrorū or-
dinum votum. Quod si iste adhuc post ordines
eo modo susceptos debitū coniugale petat, qui
dam dicunt, quorum sententiā sequor, nō tene
ri vxorē debitū reddere, sicut neq; tenetur
reddere viro religionē valide professo, etiam
dū restituitur vxori officio iudicis ad eius in-
continentiā vitandā, quia huiusmodi viri, cum
non solū votū emiserint, sed etiā statum suum
notabiliter mutauerint, videntur sibi abstulis-
B se ius petendi debitū, vbi per ius intelligimus
ius proximū petendi debitū, non remotū nitēs
vinculo ipso matrimoniali, quod vero sufficiat
amisisse ius proximū vt vxor nō teneatur de-
bitū reddere, inde constat, quia dū vir cōmittit
adulteriū, etiā si permaneat vinculū matrimo-
niale, & ius remotū petēdi debitū vxor non te
netur illud reddere, quia vir se priuauit per de
lictū iure proximo petēdi debitū. pari ergo ra
tione in nostro casu vir ordines sacros susci-
piēs, vel professus religionem priuauit se iure
proximo petēdi debitū, quare vxor minime te
netur illud reddere. Quod non teneatur tunc
vxor debitū reddere, elegāter docuerunt *D.
Tho. in 4. d. 37. q. 1. ar. 2. ad 1. Enriq. li 12. de ma-
trim. c. 5. Petrus de Ledes. de matrim. q. 53. ar. 4. in
C fine.* Qui loquūtur sane de matrimonio cōsum-
mato, sed eadē est ratio, imo multò vrgentior,
de matrimonio nōdū consummato, in quo ius
viri minores iecit radices. Contrariū tamē hu-
ius doctrinæ *D. Tho.* quidā probabiliter defen
dunt. Secundo respōdemus eidē interrogatio-
ni, omnia prædicta in isto §. eodē modo affirmā
da esse de eo viro, qui post cōsummatū matri-
moniū ordines sacros suscepit. Et maiori cum
fundamento, quia per copulam coniugalē ius
vxoris magis perficitur, ac confirmatur.

Quæres secundo, quæ conditiones requiran 5
tur, vt vir coniugatus licite ad ordines promo
D ueatur præter eam vxoris licentiam, cuius su-
pra meminimus. Varij Doctores varijs huic in
terrogationi respōdent modis, vt refert *Sanch.
loco citato disp.* 39. Breuiter tamen respōdemus
tanquā consequentiā doctrinæ diligentis, idē
omnino requiri ad hoc, vt vir sacros ordines
suscipiat licite, quod in præcedenti quæstione
prænotauimus, requiri ad hoc, vt ille licite pro
fiteatur religionis statū. Ita sentiunt *Ostiens. c.
2. n. 1. de Clericis coniugatis D. Th in 4. d. 37 q. 1.
ar. 2. ad 2.* Et eidem videtur adhæsisse senten-
tiæ *Sotus. in 4. d. 27. q. 1. ar. 4. col. 12. vers præte-
rea contra eandem primam conclus.* Cum alijs mul
tis Doctoribus, inter quos nouissime cum ho-
nore numerandus est pater *Gabriel Vazq. 3. t. in
3. p. disp.*

3.7.*dist.*247.*c.*10.*n* 138. Probatur cõclusio primo ex *c. Episcopus d.* 77. in his verbis, *Sane, si cõiugati iuuenes cõsenserint ordinari, etiã vxorũ voluntas ita requirẽda est, vt sequestrato mãsionis cubiculo, religione promissa, postea quã pariter cõuersi fuerint, ordinẽtur.* Secũdo probatur ex *c. cõiugatus. de cõuersione cõiugatorũ, vbi Alexand. III.* hæc pronũtiat, *Nullus cõiugatorũ est ad sacros ordines promouẽdus, nisi ab vxore cõtinẽtiã profitente fuerit absolutus.* Quod si coniuges, inter quos alter est ordinibus initiatus, & inter quos ex aliqua causa, vt propter senectutẽ vxoris, permissa est in seculo cõmoratio, suspecti sint de incõtinẽtia decursu tẽporis, nullo modo debẽt simul habitare, neq; eis cõcedenda est dispẽsatio, sicut facile posset cõcedi cõiugibus suspectis, quãdo solũ simpliciter castitatẽ vouissent, si autẽ suspecti nõ sunt, possunt in eadẽ domo, nõ in eodẽ cubiculo habitare, ad exẽplũ Apostolorum, qui secum adducebant vxores, vt sibi ministrarent, vt patet ex *c. omnino d.* 21.

6 Quæres tertio, an, sicut iure permittitur, vt quis post matrimoniũ ratũ, nõ cõsummatũ ingrediatur religionẽ inuita vxore, ita etiã ordines sacros eo modo recipere possit? Respõd. cũ *Vazq. loco citato,* minime etiã animo postea ingrediẽdi religionẽ, & in ea profitẽdi cõtra volũtatẽ vxoris. Et Episcopus ordinãs grauiter peccaret, tum quia nullo iure permittitur, & quia post ordines susceptos accidere possit, vt nolit, aut nequeat religionẽ ingredi, atq; ita ipse versetur in incõtinẽtiæ periculo, & alteri cõiugi reddat onerosum matrimoniũ, dum nequit ab eo debitum exigere. Et qui vellet hoc modo ordinari non detegens hoc matrimonium, sine dubio furtim ordinaretur, & pœnas positas contra furtim ordinatos incurreret.

7 Quæres quarto, ad quid obliganda sit vxor dãs licentiã marito, vt ad ordines promoueatur? Respond. *Cũ Angelo matrim.* 4. *n.* 9. *gloss. c. seriatim d.* 32. *& alijs,* quod si vxor cõscia iuris obligãtis eã ad votũ, si sit senex, & ad religionẽ, si iuuenis sit, dat licẽtiã suo viro, tenetur, si iuuenis est, ad religionẽ, si autẽ senex, ad votũ, quia libere se ad huc voluit obligare, quod si erat huius iuris ignara, nõ tenetur ad hæc, sed ex officio iudicis, vt eius incõtinentiæ cõsulatur, restituẽdus est vxori vir, cui ille tenebitur reddere, & nõ poterit petere debitũ, sed cũ probabile sit, vxori eius, qui ordines suscipit, etiã si libere ei cõcesserit licentiã, satis esse votum simplex castitatis emittere siue sit senex, siue iuuenis, vt refert *Sanch. li.* 7. *disp.* 39. *n.* 2. Ad hoc tantum emittendum votũ obliganda est vxor iuxta illam sententiam.

8 Tertia cõclusio. Vxor eius, qui ad sacros ordines promotus est, si dedit expressã licentiã ex libero, ac spõtaneo animi motu, defuncto suo viro secũdas nuptias nõ potest valide celebrare propter legẽ Ecclesiasticã hoc sibi specialiter prohibentẽ. Ita docẽt *Ostiens. c. ad Apostolicã n.* 1. *de cõuersione cõiugatorũ. Azor li.* 13. *instit. moral, c.* 24. *q.* 11. *D. Ant.* 3. *p. t.* 1. *c.* 8. *in fine.* Et alij multi. Probatur ex *c. quia sunt d.* 28. *& c. si sacerdos eadẽ dist.* Vbi mulierẽ, quæ prius nupserat ei, qui initiatus est sacris, præcipitur à secũdo cõiugio separari, & hoc siue emiserit votũ castitatis, siue nõ. Vt docet *Sanch. dicto loco disp.* 40. Et siue cognouerit hãc legẽ Ecclesiæ, siue nõ, cõmune enim est impedimẽtis dirimentibus, vt ea etiã ignorata cõtrahantur. Ita *D. Bonauent. in* 4. *d.* 37. *in expositione literæ. Turrecrem. c. seriatim ar.* 4. *n.* 7. *d.* 32. Et ratio huius impedimẽti est, quia Ecclesia id instituit in reuerẽtiã ordinis sacri assumpti à viro. Ita *Sentis. gloss. c. seriatim, verbo, post mortem, dist.* 32.

9 Quarta cõclusio (licet aliqui idẽ petant in vxore eius, qui ad Episcopatũ, & eius, qui ad alios sacros ordines trãsit) at dicendũ est, semper requiri in vxore eius, qui ad Epicopatũ assumitur, professio in religione approbata, siue sit senex, siue nõ. Ita *Inn. c. cũ sis. de conuers. coniugat. Ioan. Andr. c. coniugatus eodẽ tit. Syluest. verbo, diuortiũ q.* 17. *dicto* 2. *Armilla, ibi. n.* 11. *& alij* Probatur primo ex *c. sane de conuers. coniugat, ibi. prohibemus, ne vxoratũ præsumatis in Episcopũ ordinare, nisi vxor prius professa continẽtiã, sacrũ sibi velamen imponat.* Quæ verba professionẽ in religione continent. Secundo probatur, quia ita decens fuit in reuerentiam tantæ dignitatis, qualis est Episcopatus.

10 Sed quæres, an eadem professio religionis requiratur in ea vxore, cuius vir ad Cardinalatũ assumitur, *Sanch. disp.* 41. *n.* 4. Id negat, quia non est textus aut ratio id suadens. Sed respondetur cũ *Maiolo li.* 1. *de irregularit. c.* 34. *n.* 2. *in ea vxore,* Requiri etiã professionem siue sit iuuenis, siue senex, & ratio est, quia Cardinalatus magna quædã dignitas est in Ecclesia, tũ quia Cardinales sunt principes Ecclesiæ, tum quia quasi vnũ corpus cũ Põtifice cõstituunt, ergo cõueniens est, eo assumpto de licentia vxoris ad tã supremũ gradũ, vxorẽ eius in sæculo minime remanere, sed religionis statũ profiteri.

11 In fine huius quæstionis notandum est cum *D. Th.* 4. *d.* 37. *q.* 1. *ar.* 2. *ad* 3. Prædictam in hac quæstione doctrinam non esse tãtummodo veram de Clericis Ecclesiæ Latinæ, sed etiam de Clericis Ecclesiæ Græcæ, ita vt nullus eorum possit ad sacros ordines promoueri absque cõsensu vxorũ, quia etiam vxores Sacerdotum Græcorum ijs diebus, quibus earum viri in Ecclesia ministrant, priuantur redditione debiti, qua sine earum consensu non est conueniens priuari; & generaliter loquendo, qui ordinem sacrum suscipit contradicente vxore, caret ordinis executione, si autem ea consentiente, vel defuncta eos ordines suscipiat sine dubio veram retinet ordinis executionem.

QVAEST. LIIII.

Qua ratione consanguinitatis gradus numerandi sint secundum ius canonicũ.

2 PRo quæstionis huius, quæ grauissima est, vera cõprehẽsione, quædã ante oculos proponẽda sunt. Primũ cognatos eos appellati, in toto rigore loquẽdo, qui per paternã lineã cõiuncti sunt, agnatos vero eos, qui per maternã lineã sanguine sunt coniũcti, quamuis & hæc nomina vsus aliquando confundat, & modo eosdem consanguineos vno appellet nomine, modo alio.

3 Secũdo ante oculos proponendũ est, homines dici cõsanguineos, & nõ concarneos, quia sanguis humanus proxime cõuertitur in semẽ, ex quo resultat hominis generatio, & nõ resultat ex carne, ex eo autẽ quod plures ab eodem principio fuerint proxime, vel remote generati, dicũtur proprie cõsanguinei. Hæc autẽ est differẽtia inter plurima animalia bruta ab eodẽ principio originẽ ducentia, ac inter plures homines ab eodẽ originis fonte profluentes, quod animalia bruta nequaquã dicũtur cõsanguinea, quia nõ coniũguntur ad amicitiæ vnitatẽ, etiam si multa propagari cõtingat ex vno parente, at vero homines recte dicuntur cõsanguinei, quia descendunt ab eodem patre, vt amicitiæ vinculis inter se copulentur.

4 Tertio ante oculos nobis proponendũ est in præsenti quæstione nobis institutũ esse sermonẽ de diuisione graduũ secundũ ius canonicum, nõ secũdũ ius ciuile, quia in hac materia ius ciuile à canonico maxime distat, ius enim ciuile loquitur de gradibus in ordine ad hæreditates adquirẽdas, ius vero canonicũ in ordine ad matrimoniũ, ita sentiũt, *D. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 14. §. 2. *conclusione* 3. *Armilla verb. matrim. n.* 22. *Angelus verbo matrim.* 3. *impedimento* 6. *in initio.*

5 Quarto ante oculos proponendũ est cũ *D. Th.* 4. *d.* 40. *q. vnica ar.* 1. Cõsanguinitatẽ sic posse diffiniri, est vinculũ personarũ ab eodẽ stipite descendentiũ carnali propagatione contractũ. In qua definitione vinculũ cõstituitur loco generis, & aliæ particulæ loco differentiæ, vbi sermo est de stipite proximo nõ de remoto, vt de Adamo, qui stipitis locũ obtinet respectu omniũ hominũ, quia vt notatur *in c. consanguinitas* 35. *q.* 4. Ex proximo stipite, & non ex remoto deriuatur quædã virtus in successores, quæ reddit illos similes in facie, cõplexione naturali, & in moribus; notanter dicitur in eadẽ definitione, ab eodẽ stipite descendentiũ, quia cõmuniter consanguinei ab eodem cõmuni principio deriuantur, quãuis Abel, & Adamus eius pater fuerint consanguinei, & ab eodẽ principio cõmuni ortũ non habuerint; at linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentiũ, gradus vero est mẽsura quædã, qua cognoscitur distantia vnius personæ ab alia, vt patet *ex l. iuris consultus versiculo gradus ff. de gradibus*, linea vero duplex est alia recta, alia trãsuersalis. Recta est collectio personarũ, quarũ vna ab altera ducit originẽ, vt pater, & filius constituuntur in linea recta, quia filius à parte procedit, linea vero transuersalis est collectio personarũ, quarũ vna ab altera nõ procedit, vt ex duobus fratribus componitur linea transuersalis. Rursus recta linea alia cõponitur ex ascẽdentibus, vt ex patre, auo proauo, &c. alia ex descendẽtibus, vt ex filio, nepote, pronepote, &c. Rursus in linea transuersali, alij sunt cõsanguinei, qui æqualiter distant à communi stipite, v. g. fratres, alij, qui inæqualiter distant à stipite, vt patruus, amita, &c. Et filij ex fratribus eorũ, stipitis vero locũ habet persona illa, à qua aliæ ducunt originẽ, quibus explicatis terminis facile est, arborem consanguinitatis construere, quam optime depingit *Sylnest. verbo, matrimonium* 8.

Sit prima conclusio cum *D. Tho. in* 4. *diss.* 4. *q. vnica ar.* 2. *& tum gloss. tit. de consanguinitate, & affinitate, in fine.* Ad cognoscendos consanguinitatis gradus in linea recta iste ordo seruandus est, vt si inter aliquas personas illius lineæ nulla mediet, illæ sint in primo gradu, vt pater & fili' cõsanguinei sunt in primo gradu, quod si aliæ personæ mediẽt, tunc omnes personæ, scilicet mediæ, & extremæ sunt numerãdæ, & vna excipi debet. Qua excepta tot erunt gradus, quot remanẽt personæ, vt auus, & nepos sunt consanguinei in secũdo gradu, quia licet tres personæ tũc considerentur in linea recta, scilicet auus, filius, & nepos, vna tamẽ dempta manẽt duæ tantũ personæ, & totidẽ manẽt gradus, cuius ea ratio est, quia auus secundũ se solus nõ cõstituit gradũ, sed in ordine ad suũ filiũ constituit vnũ gradũ, & eius filius in ordine ad eius nepotẽ constituit alterũ gradũ. Bene video, hanc regulã reprehẽdi *à Beza* quodã notissimo hæretico, vt refert *Bellarm. t.* 2. *lib. de matrim. c.* 22. *Bellarmin.* tamẽ optime respondet, gradũ esse distantiã, & primã personam, à qua incipit origo, esse auferẽdã, & minime numerãdã, quia neq; distat à se, neq; ab alia superiore persona. Sed se habet sicut punctũ, à quo omnes lineæ, ducũtur, ipsum tamẽ nõ ducitur ab alio, quia est principium aliorum. 6

Secũda cõclusio. Vt lineæ transuersæ gradus recte cõputẽtur, istæ regulæ obseruandæ sunt, prima sit, quãdo personæ, quarũ gradus quærimus, æqualiter cõstituũtur in linea transuersa, tũc eodẽ gradu eas interse distare, necesse est, quo distat à communi stipite, v. g. duo fratres sunt in primo gradu, quia in illo gradu cõiũcti sunt cũ patre. Ita traditur *in c. ad sedem.* 35 *q.* 5. Secũda regula sit. Quando personæ inæqualiter distãt à communi stipite. Eo gradu distant inter 7

intet se, quo persona magis remota à cōmuni stipite distat ab eodē stipite. Vt patruus, & filius ex fratre eius distāt ab auo inæqualiter, patruus enim distat in primo gradu, quia est filius eius, & filius ex fratre distat ab auo in secūdo gradu, quia est eius nepos, vnde patruus, & filius ex fratre erūt cōsanguinei in secūdo gradu. Regulā istā secundā didicimus ex c. fin. de cōsanguinitate: & eundē modū cōputādi gradus inter affinitate coniūctos optime deducit *Sayrus, in claui Regia, li. 8. c. 4. ex eodem c. fin. de consanguinit. & ex Alexand. de Ales. in sum. p. 2. q. 150. membro 4.* Neq; enim dispar apparebit ratio considerantī consanguinitatē, & eā conferēti cū affinitate. Huius autē secundæ regulæ ea se mihi obtulit ratio, quod Ecclesia in fauorē matrimonij, vt minora illi obessent impedimenta, tantū voluit perpendere remotiorē gradū, nō propinquiorē, in Ecclesiæ enim potestate sitū fuit, gradus vno, aut altero modo numerare, cū hoc ex mero iure positiuo dependeat sicut, & consanguinitatē vltra primū gradum matrimonium dirimere. Quod probe considerauit *Syluest. matrim. 8. n. 6. cum Bellarm. loco citato.* ait enim *Syluest.* in eo casu, quo consuetudo patriæ obtinuisset, cōputare gradus ab ea persona, quæ propinquior esset stipiti, illam absque dubio seruandam esse.

QVÆSTIO LV.

Qui gradus consanguinitatis dirimant matrimonium, & quo iure?

SIT prima conclusio. Matrimoniū cōtractū inter consanguineos in linea recta, & in primo gradu coniūctos nullū est iure naturæ, vt cū filia nubit parenti suo. Ita tenet communis sententia Doctorum, quos superuacaneum esset, in re aperta testes adducere. Probatur primo, quia omnes gētes bene instituræ hoc matrimoniū nullū reputant, neq; illud inire audent solo lumine naturali ducti. Secūdo probatur, quia in matrimonio illi, qui antea erant duo, fiunt vnum, vt patet ex illis verbis *Genes.* 2. & erunt duo in carne vna. Sed pater, & filia ante matrimonium sunt vna res, quia filia reputatur, quasi pars patris, ergo nō fiunt vnum per matrimonium: quare illod matrimonium substantiæ ipsius matrimonij quodammodo est contrarium. Tertio probatur ratione *D. Tho. in 4. dist. 40. q. vnic. art. 3. in corpore.* Quia in matrimonio coniuges efficiuntur socij, & pares in ordine ad actus coniugalēs. Hoc autem repetiri non potest in filijs respectu parentum, quia filij natura sua impares sunt, ac subiecti suis parentibus, tale ergo matrimonium prorsus nullum est iure naturæ. Quarto confirmatur eadem conclusio, quia filia natura sua debet reuerentiam præstare patri. Huic autem reuerentiæ ex diametro repugnat deformitas, quæ reperitur in actu coniugali. Quinto confirmatur ratione *D. Tho. loco citato.* Quia prædicta coniunctio filiæ cum parente aperte pugnat cum fine secundario matrimonij, qui in eo cōsistit, vt defrænatæ nostræ concupiscentiæ aliquale remedium adhibeatur. Si enim inter parentem, & filiam natura nostra permitteret matrimonium, cum ex matrimonio naturaliter oriatur magnus amor inter coniuges: & cum ex alia parte inter parentes, & filios vehemens intercedat amoris impulsus, ex inde resultaret vehementissimus quidam, & effrænatus amor, quo homines in dies prolaberentur in grauia, & inaudita luxuriæ crimina. Sed, quia vt optime perpendit *Caiet. 2. 2. q. 154. art. 9. circa solutionem ad 3. cum alijs Doctoribus*, Matrimonium hoc inter parentem, & filiam non est omnino contrarium generationi prolis, cum eo subsistente possibilis esset prolis generatio. Et quia tale matrimonium non est ita intrinsece malum, sicut est mentiri, recte posset honestari ex aliqua occurrenti temporis circunstantia, vt si in hoc mundo tantum relinquerentur pater, & filia reliquis è vita discedentibus. In quo casu licitum indicarunt coniugium hoc *Sotus in 4. dist. 40. q. vnica ar. 3. col. 15. vers. igitur* (quidquid *Enriq. lib. 12. de matrim. c. 9. n. 3.* sentiat) in cuius rei confirmationem *D. Chrysostom. homil. 44. in Genes.* Excusat à culpa filias Lot, dum copulam habuerunt cum suo parente, existimabant enim, se solas cum patre relictas esse in hoc mundo. Quare ne omnino genus humanum periret, licitam sibi reputarunt copulam. Veruntamen huius exempli veritatem examinare, nostri instituti metas transilit.

Contra prædicta duo insurgunt argumenta. Primum sit, quia pater, & filia minime obstante naturali subiectione possent inter se celebrare aliquem contractum societatis in aliqua quantitate pecuniæ, in quo contractu, si parem industriam cum æquali pecunia adhiberent, æquales in lucris distribuendis considerandi essent, ergo etiam minime obstante ea subiectione posset pater celebrare cum filia contractum matrimonialem. Secundum argumentum sit, quia filius potest esse patre superior, si Episcopi dignitatem, aut prætoria officium sit adeptus. Ergo similiter potest esse æqualis in matrimonio cum matre sua, etiam si ei natura sua sit subiectus. Sed primo argumento respondetur, illum contractum esse parui momenti, & ita facile posse dissolui, imo æqualitatem ex eo contractu dimanantem nullius esse ponde-

pōderis. At eā æqualitas, quæ matrimonij propria est, magni ponderis iudicanda est, & ita magnopere pugnat cum ea subiectione, quam debent filij parentibus. Secundo argumento satisfacimus asserentes, filium ad Episcopatū promotum superiorem esse in gubernatione politica, nō in domestica. In eo vero casu, quo filius cum matre matrimoniū celebraret, esset quidem in gubernatione domestica simul, & eodem tempore ratione matrimonij superior quia vir iuxta *Diuum Paulum* est caput mulieris, & natura sua esset inferior in gubernatione domestica respectu eiusdem matris, vt filius quod vt notauit *D. Thom. loco citato,* maximam præsefert rationis repugnantiam.

3 Quæres tamen primo, an quilibet gradus lineæ rectæ in infinitum protractus dirimat matrimonium iure naturæ, ita vt si Adamus modo resurgeret, cum nulla posset matrimonium cōtrahere. Quidam Doctores, quos late refert *Sanch. li. 7. d. 51.* respōdent in præsenti, quemlibet gradum lineæ rectæ etiam remotissimū sufficientem esse ad dirimendum matrimoniū iure naturæ. Probatur primo, quia iure ciuili ita definitum est *Institutis de nuptijs. §. ergo non omnes.* Secundo probatur, quia omnes ascendētes considerantur vt principium, & tanquam superiores, ergo non possunt inter se contrahere matrimonium natura ipsa id prohibente. Tertiò probatur, quia reuerentia parentibus debita iure naturæ dirimit matrimonium inter parentes, & filios contractum. Sed hanc reuerentiam, imò & maiorem debent descendentes suis ascendentibus eo ipso, quod longius ab illis distant, ergo multo minus poterūt cum illis matrimonium celebrare etiam in quocunque gradu remotissimo. Alij vero diuersos gradus assignant, in quibus iure naturæ inualidum est matrimonium inter ascendentes, & descendentes initum, & nouissime *Reginaldus 2. tom. lib. 31. cap. 16.* sentit esse iure naturæ illicitum matrimonium celebrare cum consanguinea in secundo gradu, quemadmodum iure naturę illicitum est, hominem occidere. Respōdetur tamen cum *D. Thom. in 4. dist. 40. quæst. vnic. art. 3. in corpore, Armilla verbo, dispensare, num. 9. Roff. cus. de matrimonio Regis Angliæ, fol. 3. & alijs.* Tantum esse iure naturæ irritum matrimonium, cum celebratur ab ijs, qui in primo gradu lineæ rectæ consanguinitate coniuncti sunt, non vero cum in alijs gradibus celebratur. Probatur, quia tunc inter istos consanguineos est impossibile matrimonium, quando inter eos reperitur naturalis reuerentia debita per se ab vno contrahente respectu alterius. At hæc reuerentia non debetur à filijs per se omnibus ascendentibus, sed tantum parētibus quia isti tantum sunt principium per se filiorū, alij vero per accidens, auos vero solum vt primos gubernatores domus reuerentur. Sed in-tra quartū gradum scienter contrahentes sunt excommunicati, *ex Clementina 1. de consanguinitate, & affinitate;* & excommunicatio est latę sententiæ, sed Episcopalis. Ita *Tolet. in Summa lib. 7. cap. 9.*

4 Vnde ad primum in oppositum respōdetur in matrimonij impedimentis non esse seruandas leges ciuiles, nisi tum sunt approbatæ iure canonico, at illa lex ciuilis potius est reprobata *cap. non debet de consanguinitate, & affinitate,* ad secundum, & tertium argumentum constat solutio ex ratione proxime facta.

5 Quæres secundo, an omnes gradus prohibiti *Leuitic. 18.* dirimant matrimonium iure naturæ? Ad quod respondetur primo in eo loco duplicem gradum prohiberi consanguinitatis in linea recta, scilicet parentum cum filijs, auorum cum neptibus, & auiarum cum nepotibus, in linea transuersali primum gradum, vt fratrum cum sororibus, & partim. Secundū in linea inæquali, vt nepotis cum amita, id est, *de sobrino, con tia, hermana de padre, o madre,* non tamen prohiberi coniugium cum patruo, vel auunculo, id est, *con tio de parte de madre, o padre,* vt cum alijs docet *Bellarmin. lib. 1. de matrimonio, capit. 24. columna antepenultima, §. & quidem,* affinitatis etiam prohiberi alios gradus, vt primum lineæ rectæ ascendentium, vt soceri cum nuru, vitrici cum priuigna, & è contra priuigni cum nouerca, socrus cum genero, & alium secundum, vt vitrici cum filia priuignæ. In linea etiam transuersa etiam fuit prohibitum matrimonium in alio duplici gradu, vt cum vxore fratris, & cum sorore vxoris viuente vxore, & cum vxore patrui. Secundo respondeo, licet alij sentiant oppositum, non omnes illos gradus reddere irritum matrimonium iure naturæ. Ita sentiunt *Scotus in 4. dist. 40. quæst. vnica, artic. 2. Caietanus capite 18. Leuitici ad finem.* Probatur primò *ex Concilio Tridentino Sessione 24. de matrimonio, canone tertio,* vbi dicitur: *Hæreticum esse asserere non posse Pontificem dispensare in aliquibus gradibus ex his, qui Leuitici 18. prohibentur.* Ergo non omnes illi gradus erant prohibiti iure naturæ, alias si essent prohibiti iure naturæ hæreticus appellandus non esset, qui negaret Pontifici in his facultatem dispensandi. Secundò probatur, quia in eo loco Leuitici prohibetur matrimonium nepotis cum amita, & tamen non prohibetur matrimonium neptis cum patruo, cum sint in eodem gradu, & etiam prohibetur ibi matrimonium cum vxore fratris defuncti, & non prohibetur cum sorore vxoris defunctæ, cum tamen vtraque in eodem affinitatis gradu, nempe in primo constituatur, ergo hæc prohibitio non pertinebat ad legē naturalē, quæ hæc omnia, quæ sunt in eodem gradu eodē modo prohibet, sed pertinebat ad speciales ceremonias illius legis

veteris. Hoc tamen necessario fateri debemus, matrimonium celebratum intra hos gradus *Leuitici* 18. Prohibitos includere in se quandā indecētiam naturalem, & ita aliquo modo pugnare cum iure naturali, sed tamen, quia hæc repugnantia grauia non est, ideo in lege Euāgelica non est matrimonium prohibitum in his omnibus gradibus, quare vt bene notauit *Rebellus 2. part. de obligationibus iustitiæ libro* 3. Nullus consanguinitatis gradus hodie prohibetur iure diuino, nisi simul etiam iure naturali interdicatur.

6 Secunda conclusio. In solo gradu primo lineæ transuersalis est matrimonium irritum iure naturæ, vt inter fratres, & sorores. Ita sentiunt *Sotus 4. dist. 41. quæst. vnica artic. 3. columna penultima, versiculo faciamus, Toletus lib. 7. summa capit. 7. numero 2. Petrus de Ledesma de matrimonio quæst. 54. artic. 3. difficultate 3. conclusione prima, & alij multi.* Ita etiam sentit *Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei, & Philosophus 2. politicorum capit. 2.* Probatur primo, ex *capit. gaudemus de diuortijs*, vbi decernitur, *infideles ad fidem conuersos non esse separandos, si antea in infidelitate constituti in 2. gradu, & alijs vlterioribus contraxerant.* Quia non sunt subditi Ecclesiæ, ergo primus gradus est prohibitus iure naturæ, alias non separarentur, si tantum esset ille gradus iure humano ab Ecclesia prohibitus, cum illi legibus Ecclesiæ non subiacerent infidelitatis errores professi, neque enim reperitur in hoc gradu lex diuina positiua, quæ illum prohibeat, sed tantum lex diuina naturalis. Secundo probatur quia rationes primæ conclusionis etiam in hac parte vehementer militare videntur aliquo modo, vt quod crescat concupiscentia ex tali matrimonio celebrato simul cum amore naturali, & communicatione quotidiana, & quod sit inter fratres naturalis quidam pudor, & reuerentia cum coniugali copula ex diametro pugnans, quæ omnia, quia in alijs gradibus non ita bene reperiuntur, licet aliqua ratione reperiantur, ideo in illis gradibus ius naturæ non introduxit aliquod impedimentum irritans matrimonium, vt aperte constat *ex dicto capite gaudemus.*

7 Pro contraria tamen sententia probabili asserente matrimonium inter fratres, & sorores esse iure naturæ validum, quam late refert *Sanchez loco citato disp. 52. num.* 10. Et contra nostram resolutionem pugnant aliqua argumenta. Primū sit, quia Abraham duxit Saram, quæ soror eius erat, ipso teste *Genes. 20. vere soror mea est.* Secundum argumentum est, quia olim *Assyrijs teste Luciano lib. de sacrificijs, & Romanis teste, D. Gregorio responsione sexta ad Augustinum Angliæ Episcopum*, Licebat coniugium inter sorores, & fratres: Sed ad primum respondetur, eam non fuisse sororem Abrahæ, quia esset filia patris eius, sed quia erat neptis Thare patris eius, & filia Aram fratris Abrahæ, vt ait *Augustin. lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 12. & 19.* olim autem consanguineæ valde propinquæ dicebantur sorores. Ad secundum respondetur *Tertullianum in Apologetico, c. 9. & Theodorum, lib. de legibus, illas leges, vt barbarus damnare.*

Contra secundam conclusionem obijcit, *Basil. de Leon lib. de impediment. dirim. fol.* 559. 8 *Agath. Concilium, capit.* 61. Vbi prohibentur in futurum matrimonia hæc, non antea facta, & enumeratur ibi matrimonium sororis cum fratre. Respondetur esse argumentum à contrario sensu, vnde non esse efficax. Sed argumentum ad probandum, Saram non fuisse filiam Aram, fratris Abraham, sed sororem Abraham, est in hunc modum, Abraham erat maior natu Aram, & vt patet *Genesis* 17. Erat decennio maior, quam Sara. Ergo, cum Aram esset 3. natu ab Abraham, Aram 7. vel 8. anno genuisset Saram, quod est impossibile. Respondet *Bellarmin. 2. tom. lib. de matrimonio, capit.* 14. Aram fuisse maiorem natu Abraham. Vnde 27. vel 37. annorum fuisse, cum Saram genuit. Quod late ipse ex scriptura probat.

Contra secundam conclusionem obijcit 9 *Armil. in summa verbo, dispensatio, num. 10. Archidiaconum Florent. asserentem Martinum Quintum*, dispensasse cum quodam, qui cum sua germana contraxerat, & consummauerat habito prius peritorum Concilio propter scandala, & alia mala vitanda. Sed ad hoc respondetur eum de facto ipso dubitando, tum asserendo, Papam tunc acquieuisse sententiæ probabili, non rem definisse.

Tertia conclusio. Licet olim nullum esset 10 matrimonium consanguineorum intra 7. gradum ex vi statuti Ecclesiastici. Vt patet ex *capit. ad sedem 35. quæst. 5. & ex capit. nullum 35. quæst. 3. & alibi postea in Concilio Lateranens. & refertur, capit. non debet, de consanguinitate.* Decretum est, vt solum intra quartum gradum consanguinitatis esset nullum matrimonium, quod tam verum est de linea recta, quam transuersa, & sine vlla exceptione. Huius prohibitionis conuenientes rationes sumantur ex secunda conclusione. Præterea probatur alia ratione, hanc prohibitionem esse conuenientem, quia cum consanguinei satis sint inter se amicitiæ vinculo concatenati, conueniens fuit, inter ipsos impediri matrimonium, vt hac ratione iniretur inter extraneos, & ita amicitia ad alios extenderetur. Ita sentit *D. August. lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 16.* olim autem magis extendebatur hæc prohibitio, quam modo, quia homines tunc erant plures, lōgioris vitæ, & maioris virtutis generatiuæ.

Contra

51 Contra hæc tamen oblatrantes consurgunt hæretici primo, quia Pontifex debet prædicare, non vero condere leges politicas ad matrimonium pertinentes. Secundo quia Deus, *Leuit.* 18. Ex posuit eos gradus, in quibus conueniens erat, matrimonium prohibitum esse, non ergo fuit conueniens, Ecclesiam alios assignare gradus. Tertio quia noua est institutio Ecclesiæ circa gradus consanguinitatis, antiquitus enim non ita contingebat. Quarto quia *i cap. non debet de consanguinitate.* Leuis prorsus ratio assignatur ad restringendos gradus consanguinitatis vsque ad quartum gradum, nimirum, quia corpus humanum quatuor humoribus constat. Quid enim, quæso, inter est, corpus humanum ex quatuor humoribus componi, ad hoc vt gradus consanguinitatis tantum quatuor constituantur? His tamen argumentis operosum non erit, satisfacere. Ad primum enim respondetur, matrimonium duas habere partes, vnam, per quam constituitur in genere contractus naturalis, aliam, per quam eleuatur ad rationem sacramenti, & ratione huius secundæ partis Pontifici merito conuenire, debitas leges circa illud condere. Secundo argumento respondemus: Deum optimum maximum, Hebræis, qui pauci erant numero, & procliues ad repudium, paucos gradus assignasse, in quibus matrimonium eorum inualidum esset, reliquisse tamen in potestate Ecclesiæ pro temporum opportunitate varios gradus assignare, inter quos matrimonij vinculum nullatenus consisteret. Tertio argumento dicimus, prohibitionem matrimonij intra gradus consanguinitatis antiquissimam esse, vt constat *ex cap. ad Sedem.* 35. *quæst.* 5. Quod quidem editum fuit *ab Alexand. Secundo.* Qui sedit anno 1060. Quarto argumento responde tur fundamentum, quo Ecclesia nititur in dicto cap. non debet, ad reddendum nullum matrimonium intra quatuor gradus consanguinitatis contractum, valde efficax esse, scilicet, quia sanguis, quem filius accipit a patre, qui constat ex quatuor elementis, Primo deperdit vim igneam cum miscetur cum alio extraneo sanguine in ipsa generatione. Secundo deperdit vim aeream. Tertio aqueam. Quarto terrestrem, quare vltra quartam generationem tota illa vis sanguinis omnino extincta videtur. Et quamuis, vt verum fatear, ratio ista non fuit in Ecclesia præcipuum fundamentum prædictæ constitutionis, fuit tamen congruentia quædam optima.

QVÆSTIO. LVI.

De cognatione spirituali.

1 COGNATIO spiritualis est quædam propinquitas personarum ex statuto Ecclesiæ proueniens propter collationem baptismi, vel confirmationis, vel propter susceptionem recipientis ista sacramenta, ab Ecclesia inuenta. Ita sentiunt communiter Doctores.

Deinde hæc cognatio spiritualis statuta est ab Ecclesia, *cap. de eo, & capit. si quis filiastrum* 30. *quæst.* 1. *& cap.* 1. *& capit. veniens, de cognat. spirit. in sexto.* Quæ cognatio est ad modum cognationis carnalis, quia sicut in generatione carnali efficiuntur propinquæ personæ ex eo, quod vna præbet alteri esse corporeum per generationem corporalem; ita etiam in spiritualibus fiunt propinquæ personæ, quando vna communicat alteri esse spirituale per modum cuiusdam generationis spiritualis. Hoc autem modo solum communicatur esse spirituale primum in baptismo, & in confirmatione: in baptismo quidem, quia in eo suscipit infans esse gratiæ taliter, vt indigeat, protegi ab Ecclesia, tanquam tenerrimus in suo vtero ad eum modum, quo quis recenter genitus indiget materno vtero, in quo conseruetur. In confirmatione vero accipit homo esse spirituale validum, ac robustum, per quod vir fortis constituitur in mediam lucem prosiliens, ac in arenam descendens contra spirituales hostes acritee dimicaturus. Quemadmodum ille, qui ex vtero materno nascitur huius vitæ periculis exponitur. In alijs vero sacramentis, licet concedatnt esse spirituale animis (omnia enim sacramenta operantur gratiam non ponentibus obicem) non tamen per modum generationis, sed per modum alimenti, vt in Eucharistia, vel alijs varijs modis, qui discurrenti per singula sacramenta occurrere facile poterunt.

3 Sit conclusio responsiua quæstioni. Cognatio spiritualis est impedimentum quoddam dirimens matrimonium: Ita decernitur *in cap.* 1. *& cap. veniens, de cognatione spirituali in sexto.* Ad hoc autem impedimentum constituendum adducta fuit Ecclesia fere eisdem rationibus, quibus in præcedenti quæstione, diximus, eā adductam esse ad constituendum impedimentum dirimens consanguinitatis, isti enim filij spirituales subiectionem quādam induunt respectu suorum parentum, & magnam quandam reuerentiam erga illos comparant. Et ex his sacramentis magnus inter parentes, & filios conciliatur amor, ratione quorum conueniens fuit, hoc impedimentum ab Ecclesia statui. Quod impedimentum perpetuum est etiā mortuo verbi gratia baptizato respectu baptizantis ex vna parte, & respectu matris baptizati ex altera. Et vim habet dissoluendi sponsalia præterita, sicut, & affinitas, teste Ostiense, capit. veniens de cognatione spirituali. Reddit autem rationem *D. Thom. in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. Cur constituitur cognatio

cognatio spiritualis inter baptizantem, & suscipientem ex vna parte, & baptizatum ex alia: quia quemadmodum in generatione carnali inueniuntur pater, & mater strictam cognationem carnalem cum filijs contrahentes: ita in generatione spirituali Deus est pater, cuius vicem gerit baptizans, & Ecclesia mater, cuius vicem gerit suscipiens. Quare istæ personæ merito contrahunt cognationem spiritualem cum baptizato, qui filius est spiritualis, & cum parentibus eorum, qui cum eo coniunctissimi sunt.

4 Quæres primo, inter quas personas contrahatur hęc cognatio spiritualis? Huic interrogationi respondet *Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2.* post quam dixit, *Ad summum duas scilicet virum, & fœminam posse esse susceptores, seu patrinos.* Respondet inquam, his verbis. *Inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahitur.* Et idem docet de confirmatione. Vnde non contrahetur inter patrinos, ita *Nauar. in summa cap. 22. numero 39. Suarez 3. part. quæst. 67. artic. 8. colum. 3.* Quæ cognatio non deriuatur à viro in vxorem, & non solum intelligitur in eo decreto restringi cognationem spiritualem inposterum contrahendam, sed etiam ante Concilium contractam. Quod vtrunque explicuit *Pius Quintus in quodam motu proprio incipiente. Cum illius vicem, edito anno 1566.* Secundum quem motum proprium, & secundum declarationem Cardinalium, qui ante Concilium contraxit matrimonium cum cognatione olim prohibita, non indiget dispensatione, & hoc decretum intelligitur de patribus carnalibus siue legitimis, siue illegitimis, quia istos olim tangebat cognatio hæc, quæ non est mutata per *Tridentinum dicta sess. 24. capit. 2.* Et vt Cardinales declararunt, hæc cognatio non dirimit matrimonium antea contractum, sed postea contrahendum.

5 Quæres secundo, quid requiratur, vt aliquis sit verus susceptor? Huic quæstioni facile respondetur, ad hoc requiri, vt susceptor teneat baptizandum, dum baptizatur, vbi consuetudo obtinuit, vt Sacerdos tantum infundat aquam, vel necessarium esse, suscipientem immediate recipere baptizatum de manibus baptizantis, vbi mos est, Sacerdotem tenere baptizandum, & eum in aquis demergere, ita docuit *Tridentinum loco citato*, in illis verbis, *Baptizatum de baptismo suscipiant*, & in illis, *Baptizatum tetigerint.* Et vt patet ex ijs verbis Concilij, in quibus tantum exigit susceptionem, vel contactum, non requiritur ad officium patrini suscipientis responsio pro baptizando in rebus fidei, ita *Sotus in 4. dist. 4. q. vnica artic. 5. colum. penultima D. Anton. 3. part. tit. 4. cap. 15. §. 3.* Debet autem puerum vere te-

A nere, vel adultum tangere, quia, vt tener in fide consideratur, & non sufficit, quod extremo digito per momentum tangatur puer tenendus, ita *Sanchez dicto lib. disp. 56.* Sufficit autem medijs vestibus tenere, & tangere, vt docent *Angelus verbo, matrimonium tertio impedimento 7. num. 13. Syluest. matrimonium 8. quæst. 7. dicto 13.* Quia tunc est vera tentio, & verus contactus à Concilio requisitus.

Quæres tertio, quot possint esse susceptores, & quomodo debeant designari? Cui quæsito. Respondetur secundum ius antiquum *in c. fin. de cognat. spirit. in 6.* vnum tantum siue virum, siue fœminam potuisse esse susceptorem licite. Si tamen plures tangebant confirmatũ, vel baptizatum, omnes contrahebant cognationem spiritualem, *Cōcilium tamen loco citato.* 6
B Vtrunque correxit, nam primo decreuit, posse esse duos susceptores, virum scilicet, & fœminam ad imitationem, & similitudinem generationis carnalis, vbi vir, & fœmina coniunguntur. Vt patet ex illis verbis. *Ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant.* Quod præceptum, siquis violet plures constituendo susceptores, & ipse grauiter delinquet, & ipsi eiusdem reatus laqueo implicabuntur. Quia præceptum Ecclesiæ transgrediuntur in materia graui, & ex qua multa sequuntur incommoda. Vt optime notarunt *Emanuel Rodriguez 1. tom. summæ in 2. edit. cap. 226. num. 1. & Vega 1. tomo sum. cap. 33. casu 39.* In quo casu Episcopus, tanquam in lege Concilij generalis
C nequit dispensare, quia non se offerret aliqua vrgens necessitas talem dispensationem efflagitans. Atque ita declarauit *Congregatio Cardin.* Vir antè, & vxor respectu alienæ sobolis possunt esse susceptores, quia huic nihil obstat: neque enim Conciliũ loco citato inter ipsos susceptores vllum constituit impedimentum. Secundo Concilium correxit ius antiquum, tam quod attinet ad susceptores confirmationis, quam quod attinet ad susceptores baptismi (vtrique enim sacramento eadem quantum ad hoc doctrina applicanda est vt patet ex principio, & fine capitis citati Concilij Tridentini) his verbis. *Parrochus antequam ad baptismum conferendum accedat diligenter ab his, ad quos spectabit, sciscitetur, quē, vel quos elegerint, vt baptizatum de sa-*
D *cro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illũ suscipiendum admittat, quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

Circa quæ verba (licet alij sentiant oppositum, vt *Suarez 3. p. q. 67. ar. 8 in fine, & Emanuel Rodriguez loco citato*) aduertendum tamen est 7
primo in eo casu, quo nulli susceptores designantur, & tamen plures contingunt baptizatum, omnes esse susceptores. Ita declaratum est in sacra Cardinalium congregatione, vt refert *Rebellus post librum quartum de sponsa-*

sponsalibus sectione 4. cap. 2. num. 95. Cuius resolutionis ea potest assignari ratio, quia cum iste casus sit omissus à Concilio, regulandus est secundũ ius antiquũ, iuxta hoc autem ius omnes contingentes baptizatum, vel confirmatum contrahebant cognationem spiritualem, vt constat ex *capit. finali de cognatione spirituali in 6.*

8 Secundo aduertendum est (*licet Suarez loco citato* sentiat oppositum) in eo casu quo plures viri, & plures fœminæ ad suscipiendum designentur à parentibus, & à parrocho admittantur, ac paruulum suscipiant, omnes eos contrahere cognationem spiritualem. Probatur primum, quia isti habent omnes conditiones à Concilio requisitas ad contrahendam cognationem spiritualem, ergo eam sine dubio contrahunt. Secundo probatur, quia licet Concilium prohibeat, susceptores esse plures quam duos, propter hoc tamen si plures reperiantur, eos non reddit inhabiles ad contrahendã cognationem spiritualem, sicut inhabiles reddit eos, qui non sunt ad id muneris à parrocho, vel à parentibus designati, in quo euentu si aliqui prius, quam alij puerum contingant, illi tantum contrahent cognationem spiritualem, vt decernitur in quadam declaratione Cardinalium relata à *Petro de Ledesma in summa de matrimonio cap. 17.* Nobis suffragantur *Nauar. in summa cap. 22 num. 39. & Emanuel Rodriguez loco citato.* Et ita vbi mos obtinuit, patrinum primo, & immediate suscipere puerum de manu baptizantis, verbi gratia, & postea illum tradere matrinæ, matrina non contrahit cognationem spiritualem. Ita declararunt Cardinales vt refert *Pater Marcilla in declarationibus Cardinalium de nouo additis Tridentino lib. 3. de cognatione spirituali titulo 16.* Et cum dicitur, susceptores debere simul baptizatum de manu baptizantis suscipere, intelligitur de simultate morali, quæ maxima esse debet, non de simultate physica.

9 Tertio aduertendum est (quidquid sentiant *Sanchez loco citato num. 16 & Reginaldus 2. tom. lib. 31. cap. 20.*) Quod si parentes designent aliquos ad suscipiendi officium, & eos non admittat parrochus iuste, vel iniuste, eos non cõtrahere cognationem spiritualem. Probatur ex *Concilio loco citato*, vbi eodem tenore verborum asserit, & debere esse designatos ab his, ad quos puer pertinet, & debere à parrocho admitti, sed primum est necessarium ad contrahendam cognationem spiritualem, ergo etiam secũdum. Illæ vero particulæ, *Quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant*, Hac ratione possunt intelligi, ita quod si alij vltra prædictos, scilicet, vltra designatos, & admissos, de quibus locutus fuerat, tetigerint, non contrahant hanc cognationem.

A Quarto aduertendum est in eo casu, quo parentes, aut alij neminẽ designent ad suscipiendum, parrochi officium esse, aliquem ad id muneris designare, quia ad eum pertinet magnam diligentiam adhibere, vt sacramenta debite celebrentur, vnde hisce temporibus Episcopi designant aliquem tanquam susceptorem multorum in sacramento confirmationis. 10

Quinto aduertendum est, eos, qui ante Tridentinum paruulos susceperunt, cum à nullo essent ad id muneris designati, aut admissi ipsi, sed alij, modo post Concilium nullam contrahere cognationem spiritualem, quia ea cognatio restricta est à *Concilio Tridentino*, vt vidimus in quæsito tertio, & à Pio B V. hæc veritas ita declarata est. 11

Quæres quarto, an requiratur aliqua specialis intentio in suscipiente ad contrahendam cognationem spiritualem? In hac quidem re varia fuerunt Doctorum placita, teste *Sanchez lib. 7. disp.* 58. Diuersis tamen relictis sententijs, respondetur primo, requiri intentionem faciendi, quod faciunt patrini, vel aliam similem, & non sufficere, si ioco, aut alia materiali via suscipiant puerum. Patet, quia baptizans, si non habeat intentionem faciendi, quod per illum intendit facere Ecclesia, vel aliam similem, non contrahit cognationem, ergo neque patrinus eam contrahit, nisi habeat intentionem faciendi, quod per eum facere intendit Ecclesia. Secundo responde- C tur, non requiri intentionem contrahendi cognationem spiritualem, licet sufficiat, quia hæc cognatio accessoria est ad actum suscipiendi, sicut ad actum verbi gratia baptizandi. Sicut supra diximus, esse votum castitatis annexum ordini sacro, ergo sufficit, velle, officium patrini exercere, sicut intendit Ecclesia, ad contrahendam eam cognationem, ita *Angel. verbo, matrimonium, tertio impedimento 7. num. 16. Syluest. matrimonium 8. quæst. 7. dicto 13.* imo, vt bene *Nauar.* Contrahitur hæc cognatio, etiam si patrinus velit, non fieri compater, ita *in summa Hispana, capit. 22. num.* 38. Imo si intendat suscipere filium Petri, & non suscipiat, nisi filium Pauli, non contrahit hanc cognationem cum D filio Pauli, quia non tenetur habere intentionem hunc præsentem suscipiendi, sicut, & hunc baptizandi. Probatur *ex cap. 1. 2. de cognatione spirituali.* Vbi hoc clare deciditur, dum dicitur, *Coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti, non arceri à debiti petitione.* Ex textu colligit *Abbas ibi. num.* 4. requiri scientiam, & intentionem ad contrahendam cognationem hanc, *ex dicto, cap. 2.* *contendit Conin. tomo de sacramentis, disp. 32. dub.* 2. Non colligit illam doctrinam. Sed ea bene colligitur, vt patet ex *gloss. ibi.*

13 Quæres quinto, an quis possit medio procuratore exercere officium patrini in baptismo, & confirmatione, ita vt cognationem spiritualem contrahat? Quidam respondent negatiue. *Baldus l. siquis, ad finem, C. de nuptijs. Bartol. l. Gallus. §. forsitan, in fine ff. de lib. & posthu. D. Anton 3. part. tomo 1. ti. 15. §. 3. Sotus in quarto, distinct. 24. quæst. 1. art. 2. columna 6. versic. consueuit autem.* Et alij quã plurimi, quos refert, & sequitur *Sanch. dicto lib. septimo, disput. 59. num. 4.* Probatur primo, quia Canones inducentes hanc cognationem, & explicantes actum patrini, per quem contrahitur, explicant illum per actum personalem, qui nequit exerceri per procuratorem, vt suscipere, tenere, leuare. Et secundo, quia *cap. de his 30. quæst. 1.* dicitur de patrinis, quod filios suos spirituales supra se sustinent, *& cap. ad limina,* dicitur, quod proprijs manibus retinent. Tertio probatur, quia non est inducendum impedimentum dirimens sine textu expresso: hic autem in hoc casu non reperitur, quarto, quia nemo potest alium baptizare medio procuratore, ita vt contrahat cognationem spiritualem, ergo neque illum suscipere.

14 His tamen minime obstantibus, huic quintæ interrogationi respondetur, posse aliquem medio procuratore exercere officium susceptoris, & contrahere cognationem spiritualem. Ita sentiunt *Abbas, cap. veniens. de cognat. spirit. nu. 4. & ibi Cardinal. nu. 2. Felin. cap. licet ex quadam num. 1. colum. 3. versic. Et ratio prædictarum est de testibus. Emanuel Sa. verbo, matrimonium. de impedimentis dirimentibus, num. 5. vers. cũ quis per procuratorem. Supplementum Gabrielis in 4. d. 42. quæst. 1. art. 3. dub. 5.* Probatur primo *ex l. 1. ff. de procuratoribus* Vbi dicitur, *procuratorem ad omnia negotia constitui posse.* Sed, quod in nostro casu constitui possit procurator, nõ est aliquo textu denegatum, potest ergo constitui. Secũdo probatur, quia matrimoniũ, quod est sacramentum, potest medio procuratore celebrari, vt supra vidimus, ergo, & officium susceptoris, quod minoris momenti est, potest per procuratorem celebrari. Tertio probatur, quia iure antiquo vxor contrahebat istam cognationem spiritualem medio suo marito. Vt constat *ex cap. Martinus de cognat. spirit.* Ergo, & modo eadem cognatio optime potest cõtrahi per procuratorem. Quarto confirmatur hæc pars, quia vt etiam opposita sententia fatetur, consuetudine introductum est, vt magnates medijs suis procuratoribus infantes leuent de sacro fonte. In quo casu non contrahit, vt statim patebit, cognationem spiritualem procurator, neque ille remanet obligatus ad instruendum puerum in fide. Si ergo ille, qui talem procuratorem constituit, non contraheret cognationem spiritualem, neque etiam teneretur instruere puerum in fide, quia cognatio annexa videtur obligationi instruendi in fide, atque ita puer ille baptizatus destitutus esset pædagogo spirituali. Quod maximum esset inconueniens. Vltimo corroboratur hæc doctrina ex eo, quod eam amplexa est *Sacra congregatio Cardinal. super caput 2. sess. 24. Concilij Tridentin.* Vt ego vidi in quibusdam declarationibus manu scriptis, quas ego fidedignas esse existimo. Imo vidi in eisdem manu scriptis testimonium secretarij congregationis Cardinalium. Qui refert, hanc rem agitatam prius *in congregatione rituum coram Cardinali sanctæ Seuerinæ* delatam esse ad *Gregorium Decimũ tertiũ.* Et eius sanctitatem respondisse, consuetudinem, quæ in huiusmodi susceptionibus seruatur, relinquendam esse in eo statu, in quo reperitur.

Imo huiusmodi procurator non contrahit sibi hanc cognationem spiritualem, sed ei, à quo constituitur procurator. Probatur primo ex declaratione Cardinalium proxime allegata. Secundo probatur, quia vt in hac quæstione vidimus, hæc cognatio spiritualis non contrahitur, nisi ab eo, qui habet animum exercendi officium susceptoris. Ergo neque etiam contrahitur, nisi ab eo, qui habet intentionem exercendi tale officium nomine proprio. Vnde, cum procurator non habeat eam intentionem, non contrahit cognationem spiritualem. 15

Argumentis in oppositum satisfaciamus, si placet. Primo quidem, recte posse patrinum medio procuratore suscipere, tenere, & leuare puerum. Secundo argumento satisfacimus asserentes *in capit. de his, & capit. ad limina.* supra allegatis, sermonem institui de his, qui per se ipsos paruulos suscipiunt, in his tamen textibus minime negari, quin talis susceptio possit per procuratorem exerceri. Ad tertium argumentum dicimus, hoc impedimentum habere fundamentum in his textibus, qui constituunt officium susceptoris in susceptione, tentione, & leuatione pueri de sacro fonte, omnia enim hæc non exigunt necessario actiones personales, sed possunt procuratoribus committi. Quarto argumento respondemus, cognationem spiritualem baptizantis tantum contrahi actione ipsa personali baptizandi, at vero cognationem ortam ex officio suscipientis optime posse contrahi actione aliena procuratoris. Cuius discriminis ea ratio assignari potest, quia baptizans valde proprie loquendo se habet tanquam generans filium baptizatum, cum vero generatio sit actio personalis, ita etiam cognatio spiritualis annexa huic generationi spirituali præcise requirit actionem personalem eius, qui eam contrahit: susceptor vero iuxta doctrinam *D. August. c. vos ante omnia. de consecrat. d. 4.* Habet 16

se tanquam fideiussor pro paruulo promittens Fidem Catholicam coram Deo, & Ecclesia. Sed fideiussio potest per procuratorem fieri, vt docet experientia, ergo & potest quis suscipere paruulum medio procuratore.

17 Hanc cognationem spiritualem possunt singuli alicuius communitatis, vt capituli, vel collegij optime contrahere, si tota communitas ad suscipiendum puerum procuratorem deputaret. Ita defendit *Abb. in cap. veniens, num. 5. de cognat. spirit.* Quia dispositio concepta in aliqua vniuersitate personarum, si actus non cadit in eam quatenus vniuersitas est, resoluitur in singulos, *ex cap. si sententia, & ex capit. nouerit. de sententia excommunicationis.*

18 Quæres sexto. An cum quis in domo fuit vere baptizatus, & deinde defertur ad Ecclesiam, vt suppleantur solemnitates ab Ecclesia præceptæ, hanc cognationem spiritualem contrahat ille, qui domi suscepit baptizatum, an vero ille, qui in Ecclesia prædictis solemnitatibus adest? Respondetur in eo casu nullo modo contrahere cognationem spiritualem eum, qui adfuit solemnitatibus Ecclesiasticis. Probatur primo, *ex declaratione sacræ congregationis Cardinalium*, quam ego vidi in prædictis manu scriptis è Roma delatis per Authorem fidedignum. Secundo probatur, quia, cum supplentur solemnitates Ecclesiasticæ non confertur baptismus, & ita tunc non exercetur officium susceptoris. Et hanc partem late defendit *Nauar. in sum. cap. 22. num. 40.*

19 Quæres septimo, an patrinus debeat esse doctus in diuinis, vt puerum ea doceat. *Illustrissimus Borromeus, in suo Concilio Prouinciali Mediolanensi.* Dixit, debere esse doctum patrinum propter rationem dictam. Quod videntur secuti patres in *Romano Catechismo, fol. 117.* Hoc autem visum est Congregationi Cardinalium limitandum esse; ita vt, vbi periculum non vrget fidei, indoctus possit esse patrinus, quia modo inter fideles plures sunt, qui docere possint rudimenta fidei. Ita notauit *Turrecremata in cap. de Catechismo de consecrat. distinct. 4.* Imo modo post Tridentinum res hæc dubitationem nullam patitur, quia fœmina in Tridentino admittitur ad suscipiendum baptizatum, quæ tamen communiter indocta est.

20 Contra hæc tamen obstant aliqua argumenta. Primum fit contra id, quod diximus, procuratorem non contrahere sibi cognationem spiritualem, quod desumitur *ex lege si is, qui ff. commo.* Vbi denotatur, quod etiam extenditur, quod agitur, nascitur obligatio. Sed ad hoc respondetur cum *Syluest. verbo, matrimonium 7.* Hoc esse verum, quando quis habebat animum obligandi se, licet esset in

A materia; in isto autem procuratore non est talis animus, quia tantum habet animum obligandi ad instructionem fidei circa paruulum eum, qui constituit illum procuratorem, non vero seipsum. Ideo alium obligat, & non se.

21 Alterum se offert argumentum oppugnans id, quod proxime defendimus, communitatem posse contrahere cognationem spiritualem. Argumentum autem desumitur *ex cap. Romana, §. in vniuersitatem, & ex textu in cap. si sententia, de sententia excommunicationis, lib. sexto.* Nam in primo textu, dicitur, communitatem non posse excommunicari, quia aliàs sæpe innocentes punirentur. In

B secundo verò textu dicitur, interdictum generale personale non comprehendere communitatem, quia hæc non recipit sacramenta, vt communitas est, sed comprehendere singulos illius communitatis. Ab hoc tamen argumento facile nos expedire possumus. Ad primum enim textum dicimus, eum contra nos nullam vim habere, quia, licet excommunicatio non possit ferri in communitatem, quia pœna grauis est, at cognatio spiritualis potest contrahi ab ipsa communitate, quia nullam continet pœnam. Secundo textui respondetur, illum potius nobis fauere, qui dicimus, hanc cognationem non contrahi à communitate, vt communitas est, sed vt singulas personas continet.

C

QVAEST. LVII.

Quæ personæ sint capaces huius cognationis spiritualis?

SIT prima conclusio in patrino non requiritur aliqua certa ætas, sed tantum vsus rationis, vt sciat habere intentionē faciendi, quod facit Ecclesia per patrinos. Probatur, quod non requiratur aliqua ætas ex *D. Thom. in quarto, distinct. 42. quæst. 2. ar. 1. ad quintum, Enriq. lib. 12. de matrimonio, cap. 11. num. 2.* Probatur ratione *D. Thom. ibidem*, quia hæc

D est differentia inter patrem spiritualem, & legalem, quod spiritualis non debet esse maior natu suo filio, at legalis debet esse maior; & ratio est, quia paternitas spiritualis est quædam regeneratio in Christo. In quo nō differt masculus à fœmina, iuuenis à sene, &c. Et ideo in qualibet ætate potest quis esse pater spiritualis; paternitas vero legalis tendit ad hæreditatis successionem, & quandam subiectionem adoptati circa adoptantem, & decet autem antiquiorem subdi iuueni in cura rei familiaris.

2 Secunda conclusio. Hæreticus suscipiendo aliquem in Baptismo, vel in Confirmatione contrahit cognationem spiritualem. Patet, quia est intra Ecclesiam ratione characteris baptismalis, vnde est subiectus legibus Ecclesiæ, quæ hoc impedimentum statuunt, ita sentit cōmunis doctrina.

3 Tertia conclusio. Infidelis non baptizatus non potest contrahere cognationem spiritualem, etiamsi aliquem baptizet, vel suscipiat. Ita defendunt cum cōmuni sententia *D. Tho. in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad tertium. Diuus Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 3. colum. 3. Sotus 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. colum. 3. & alij relati à Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 60.* Probatur primò, quia hæc cognatio statuta est per leges Ecclesiæ, vt supra ostendimus, his autem legibus infidelis non est subiectus, ergo infidelis non contrahit cognationem spiritualem. Secundò probatur, quia sicut nemo potest esse cognatus secundum carnem, qui non sit natus secūdum carnem, ita nemo potest esse cognatus spiritualis, qui non sit natus spiritualiter secundum baptismum.

B

4 Cum hæc cognatio sit reciproca sicut & carnalis, fidelis baptizans filium infidelis non cōtrahit hanc cognationem spiritualem cum parente infideli, quia nemo potest mihi esse cognatus, quin ego etiam sim illi cognatus; & quidem licet multi Doctores, vt *Duran. 4. dist. 42. q. 1. art. 1. & Sotus ibidem ar. 3. §. postrema ex bis;* sentiant Petrum baptizantem filium Paulæ, etiamsi Paula, quæ infidelis est, postea conuertatur ad fidem, non contrahere postea cum ea cognationem spiritualem. Optime tamen iure defendere possumus cum *Syluest. matrimonio, 8. quæst. 7. dicto 12.* & cum alijs, in eo casu contrahi cognationem spiritualem, & eam subori ri de nouo, sicut antea oriebatur *in cap. 1. de cognatione spirituali,* cognatio spiritualis inter baptizatum ex vna parte, ac suscipientem in baptismo ex alia, & filios tunc natos tempore baptismi ipsi suscipienti, quamuis hi tunc non essent baptizati, quando pater exercebat officiū patrini, sed postea baptizarentur.

C

5 Sed tamen contra tertiam conclusionem obijcies primò, quia infidelis valide baptizat, ergo contrahit cognationem spiritualem. Secūdo obijcies, quia per catechismum vera cognatio spiritualis contrahitur à non baptizato, ergo infidelis potest etiam eam contrahere in ipsa susceptione baptismi. Ad primum respondetur infidelem valide baptizare, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans, non tamen posse cōtrahere hanc cognationem, quia est expers spiritualis vitæ, in qua homo primo per baptismum nascitur quantum ad vitā spiritualem. Ad secundum respondetur ex catechismo, qui est dispositio ad baptismum nasci quandam cognationē spiritualem imperfectam,

D

A ctam, quæ est dispositio ad perfectam baptismi, vnde non bene inferri ex ea cognatione spirituali imperfecta à catechumeno cōtracta, etiam cognationem spiritualem perfectā posse ab infideli contrahi.

Hinc fit, neque catechumenum propter rationes tertiæ conclusionis cōtrahere hanc cognationem, etiamsi baptizet infantem, vel teneat eum in cōfirmatione: imò si baptizetur ipse, postea contrahet cognationem spiritualem prouenientem ex susceptione ante suum baptismum facta vt vidimus proxime in hac quæstione in alio simili casu Petri baptizantis filium Paulæ, quæ erat infidelis, & postea baptizatur. 6

Quarta conclusio (licet alij sentiant oppositum, & probabiliter) si non confirmatus tenet aliquem in confirmatione, non contrahet cum eo cognationem. Ita indicant *Angelus verbo, matrimonium tertio, impedimento 7. Suarez 3. p. quæst. 72. art. 10. in fine & alij.* Probatur, quia dum suscipitur confirmatus, ex eo contrahitur hæc cognatio, quia suscipiens vt robustus in fide alium nempe eum, qui confirmatur, vt infirmum in fide imbecillem tenet, sed non confirmatus censetur etiam imbecillis, ergo non potest esse alterius susceptor, ipse enim potius alio, à quo sustentetur, & suscipiatur, eget, quare neque potest contrahere cognationem. 7

Pœnitentes publici nō possunt esse susceptores, nisi peracta pœnitentia reconcilientur. Ita habetur in *Concilio Parisiensi cap. 54.* tamen sine dubio si de facto susciperent aliquem, cōtraherent cum eo cognationem. 8

Quod si necessitas cogat, possunt esse iidem susceptores in baptismo, & in confirmatione, de more tamē Ecclesiæ Romanæ distincti sunt susceptores in vno sacramento ac in alio. 9

Contra hæc tamen obijcies primo, Episcopus non confirmatus si aliquem confirmet, cōtrahit cum eo cognationem spiritualem, ergo etiam patrinus non confirmatus contrahit eādem cognationem spiritualem. Ad hoc respondetur ex doctrina *Sanchez loco citato,* Episcopum in eo casu contrahere eam cognationem, quia ratione consecrationis vere robustus in fide consideratur, & valide confert sacramentum Confirmationis, quod sufficit ad cognationem spiritualem contrahendam, at vero nō confirmatus tenens aliquem in confirmatione, infirmus est in fide, vnde non habet sufficiens fundamentum ad contrahendum cognationem spiritualem. 10

Secundò obijcies, religiosis esse prohibitū, esse susceptores in baptismo, & confirmatione modo confirmandus non sit religiosus *cap. placuit. 16. quæst. 1. & alibi,* & tamen, si suscipiant, contrahunt cognationem, ergo etiam non confirmati, licet eis sit prohibitum *hoc ca. in baptismate de consecrat. dist. 4.* sed respōdetur, 11

rur, religiosis nihil substantiale deesse ad officium patrinorum in Baptismo, & Confirmatione exercendum. Vnde eos contrahere cognationem spiritualem in vtroque sacramento, ex eo autem hoc officium potuit eis prohiberi, quia cum omni tempore emancipati sint obsequio religionis, non possunt, filios spirituales in fide instruere, at vero eis, qui confirmati non sunt, deest aliquod fundamentum substantiale ad hoc vt non possint alios suscipere in confirmatione, vt vidimus in quarta conclusione.

12 Sit quinta conclusio. Laicus, qui aliquē constitutum in articulo mortis baptizat, contrahit cognationem spiritualem. Ita docent *Ostiens. in summa tit. de cognat. spirit. §. & an aliquis num. 8. Archidiac. cap. omnis, num. 2. 30. quæst. ex D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 3. Sotus in 42 dist. 4. quæst. vnic. art. 5. ad finem, & alij plurimi.* Probatur, quia cognatio spiritualis, vt patet ex textibus allegatis in præcedenti quæstione, contrahitur ex eo, quod quis baptizet in vero baptismo, & tantum excipitur *in cap. ad limina, 30. quæst. 1.* vir coniugatus, qui filium quem genuerat ex sua vxore, iam iam animā agentem baptizat, iste enim potest petere, & reddere debitum, vt postea apparebit, ergo reliqui baptizantes eos, qui constituti sunt in articulo mortis, contrahunt sine dubio cognationem spiritualem. Et quidem, qui baptizat proprium filium, siue in casu necessitatis, siue extra illum; etiamsi in primo casu cognationem non contrahat, & etiāsi eam in secundo casu cōtrahat, propter hoc tamen nunquam dirimitur matrimonium antea contractum à parente baptizati cum propria vxore.

13 Contra hanc resolutionem, in qua dicimus matrimonium non dirimi per eam cognationem spiritualem. Obstat difficilis textus in *epistola decretali*, quæ nuper excusa extitit inter decretales, quæ prodierunt ex *Bibliothecis Vaticanis*, vbi cum sermo sit de fœminis, quæ in Sabbato Paschæ ob magnum populi concursum filios suos susceperant in baptismo, sic pronunciatur: *Mulieres vero cum separatæ fuerint pro hac illicita re à proprijs viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum recipiant alium virum, similiter, & vir vxorem.* In quibus verbis videtur sermonem institui de veris cōiugatis, sed ibi significatur, tale coniugiū dissolui per cognationem spiritualem superuenientem, ergo nostra resolutio falso nititur fundamento. Huic tamen difficili textui cum recentioribus respondetur, eum esse intelligendum de his fœminis, seu viris, qui ex illicito concubitu genuerunt filios, & eos in prædicto casu susceperunt, dum baptizarentur illi, & postea bona fide ignorantes impedimentum cognationis spiritualis inter se matrimonium contraxerunt. His enim vnius anni pœnitentia imponitur propter peccatum, & præterea tale matrimonium nullum fuisse declaratur propter cognationem spiritualem, quam ante matrimonium inter se contraxerant. Bene video, huic expositioni aliquo modo obstare illa verba prædicta *proprijs viris*, quæ verum coniugiū præcessisse denotant ante contractam cognationem spiritualem. His tamen non obstantibus recte defendere possumus hanc expositionem, fatendo, ibi proprios viros appellari eos, quos fœminæ illæ bona fide nubētes proprios esse existimabant.

An vero contrahatur cognatio spiritualis impediens petitionem debiti in eo casu, quo quis ex ignorantia, vel in fraudem directā matrimonij, vt liberetur à debito reddendo, suscipit in baptismo, vel in confirmatione filium communem sibi, & suæ coniugi videatur tractatu 4. huius materiæ, quæst. 4. 14

Pro contraria sententia quintæ conclusioni defendente tantummodo Sacerdotem baptizantem puerum in necessitate constitutum hanc cognationem spiritualem contrahere, duo pugnant argumenta. Primum sit desumptum ex *cap. vltim. de cognatione spirituali*, vbi Sacerdos baptizans contrahere dicitur hanc cognationē, & de nullo alio simile quid affirmatur. Secundum argumentum sit, quia pater baptizans in necessitate articuli mortis positum filium non contrahit cognationem spiritualem. Vnde neque propterea impeditur à redditione, aut petitione debiti coniugalis, ergo neq; alius quilibet laicus eo modo baptizans talem cognationem contrahit. Ad primum argumētum facile respondemus, in eo textu constitui exemplum doctrinæ in Sacerdote, quia iste sine dubio in necessitate baptizans contrahit cognationem spiritualem, non quia ille tantū in eo casu cōtrahat cognationem spiritualem. Ad secundum argumentum dicimus, patrem baptizantem filium suum, quem ex concubina susceperat, vrgente necessitate, contrahere cum ea cognationem spiritualem, ita vt non possit eam ducere, vt proxime vidimus, qui vero baptizat filium, quem suscepit ex propria vxore, recte potest ab ea petere debitum, sicut & illud reddere, quia cum ante talē baptismum habeat ius ad debitum coniugale, si illo priuaretur ratione à se collati baptismi, graui pœna punitetur propter actum, quem exercuit necessarium, & præceptum, hoc autem admittendum nequaquam est, quia vt patet ex *cap. ad limina, 30. quæst. 1.* nulla pœna contrahitur ex actu necessario, & præcepto. Laicus vero, qui non est coniugatus, cum nullum habeat ius ad petendum debitum, non priuatur per cognationem spiritualem ortam ex baptismo collato tempore necessitatis, quominus possit contrahere matrimonium cum matre bap- 15

tizati per modum pœnæ alicuius, sed propter magnam cognationem spiritualem, quam contraxit cum baptizato, qui tanquam vnicares reputatur cum suo parente.

56 Quæres tamen primo, an cum quis baptizatur in dubio, an antea fuerit baptizatus, vel nõ & sub conditione contrahatur ista cognatio spiritualis? Huic interrogationi respondetur cum *Sanchez dicto lib. 7. disp. 62.* tunc ab Ecclesia præsumi cognationem spiritualem, quia præsumitur secundum tantum baptismum valere, in rei tamen veritate si prior baptismus valeat, secundus valore destituitur, & cognationem spiritualem non habet annexam. Quãdo vero sunt ex vtraque parte probabiles opiniones, vna affirmante baptismum in aliquo casu validum esse, altera negante eius valorem: probabile erit, in eo casu contrahi cognationem spiritualem, & probabile erit, eam non contrahi.

QVÆSTIO LVIII.

De impedimento cognationis legalis?

1 PRO quæstionis intelligentia quædam notanda sunt, Primum est, cognationẽ legalem sic communiter definiri, est propinquitas ex adoptione proueniens.

2 Secundò notandum est, adoptionem causam hanc cognationem communiter à *D. Tho. in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 1.* & cõmuniter à Theologis sic definiri: *Est extraneæ personæ in filium, aut nepotem, vel deinceps legitima assumptio.* Ponitur in hac diffinitione illud verbum *extraneæ personæ*, ad denotandum personam adoptatam non debere esse in potestate adoptantis, siue sit consanguinea, siue non, ponitur prætera illud verbum, *filium*, vel *nepotem*, quia nemo potest adoptari in fratrem, vel patrem, *l. neque apud C. de hæredibus instituendis.* Adoptio autem duplex est alia perfecta, quæ dicitur arrogatio, perquam adoptatus transit in potestatem adoptantis, alia imperfecta, quæ communiter appellatur adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis: *constat ex §. adoptio, institut. de adoptionibus.*

3 Tertiò notandum est inter adoptionem, & adrogationem esse quinque differentias. Prima est, quod adoptatus per adoptionem non transit in potestatem adoptantis, neque est hæres eius necessarius ex testamento, bene tamẽ ab intestato, at adrogatus transit in potestatem adrogantis, & est hæres eius ab intestato, & in quarta parte bonorum, *institut. de adoptionibus, §. sed hodie.* Secunda differentia est, quod arrogati non potest, qui non est sui iuris, quia alias nequit, se tradere alterius potestati, & adoptari potest, qui non est sui iuris, quia non ita traditur, patet ex *l. 2. §. vltimo. ff. de adopt.* Tertia differentia est, quod adoptio fit auctoritate iudicis habentis merum, & mixtum imperium, at arrogatio sola principis auctoritate, *l. 1. C. de adopt.* Quarta differentia est, quod arrogator tenetur satisdare de restituendis bonis arrogati eis, ad quos essent peruentura alias. *l. neque ri. §. fin. ff. de adopt.* Quinta, quia in adoptione non requiritur expressum verbum, quo adoptatus exprimat, velle se esse filium, neq; quo adoptans dicat, velle se esse patrem; quæ tamẽ in arrogatione necessaria sunt, vt constat ex *l. 2. ff. de adoptionibus.*

4 Quartò notandum est, aliquas conditiones requiri, vt quis possit adoptare, vel arrogare, Primam, vt adoptans sit sui iuris, & maior 25. annis, quia alias non habet administrationem suorum bonorum, vnde non potest alios gubernare. Secundam vt sit vir, non vero fœmina, quæ non habet in sua potestate proprios filios, & ita non potest alienos adoptare, quæ tamen fœmina auctoritate principis potest adoptare, vel arrogare. Tertiam, vt non sit natura impotens ad gerandum, dixi natura, quia si ex accidenti contingat, potest adoptare, vt gladio castratus potest adoptare. Quartam, vt adoptans sit maior natu adoptato, & excedat eum 18. annis. Arrogare vero nequit minor 40. annis; hæc videantur in *Sylvest. verbo, adoptio, quæst. 5. & apud Sanchez lib. 7. disp. 63. & constat ex institut. de adoptionibus.*

5 Quintò notandum est, triplicem esse speciẽ cognationis legalis, alia enim consideratur in linea recta, vt inter adoptantem, & adoptatũ, & eius descendentes. Patet *ex institut. de nuptijs §. ergo non omnes*, alia vero consideratur in linea transuersali, vt inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Patet *ex institut. de nuptijs §. inter alias.* Alia consideratur ad modum affinitatis, vt inter adoptatum, & vxorem adoptantis, & inter adoptantem, & vxorem adoptati. Constat ex *l. adoptiuus. 14. ff. de ritu nuptiarum.*

6 Sit prima conclusio. Conuenienter ordinatum est ab Ecclesia, vt cognatio huius legalis dirimat matrimonium. Prima ratio huius conuenientiæ est quædam ratio reuerentiæ orta ex adoptione, persona enim adoptata eo ipso, quod recipit beneficium adoptionis, induit quandam peculiarem reuerentiam erga adoptantem, tanquam erga parentem suum. Secunda ratio conuenientiæ est, quia ex adoptione vt ex stricto quodam vinculo oritur magna quædam amicitia inter adoptantem, & adoptatum, quam quia bonum commune exigit ad alios extraneos extendi medio matrimonio, vt inter eos diuersi animi concilientur, ideo necessarium fuit inter adoptantem, & adoptatum

tatum matrimonium irritum reddi. Tertia ratio est *D. Thom. loco citato, art. 2. in corpore*, quia cognati legales habitare solent in eadem domo, & ex hac cohabitatione maximum oriretur luxuriæ periculum; nisi tanquam freno quodam coercerentur prohibitione Ecclesiastica irritante matrimonium; propter quam tertiam rationem dicendum iudico, cum *Innocentio cap. vnico, num. vnico de cognatione legali, & Syluestro verbo, matrimonium, 8. quæst. 8. dicto 4.* & cum alijs (licet multi sentiant oppositum) eam tantum cognationem legalem inducere hoc impedimentum, quæ oritur ex adoptione perfecta, quia in hac adoptione, & non in alia requiritur, quod adoptatus sit in domo adoptati: imò ex adoptione imperfecta iuxta dictos Doctores non nascitur impedimentum B impediens tantum matrimonium.

6 Secunda conclusio. Omnes tres species cognationis legalis dirimunt matrimonium. Probatur conclusio primò, quia Ecclesia hoc impedimentum ita probauit suo inueterato vsu, vt docent *D. Tho. loco citato, D. Bonau. ibidem, art. 2. quæst. 2.* Prima species cognationis legalis, quæ reperitur inter adoptantem, & adoptatum, & eius descendentes approbata est ab Ecclesia *in c. ita diligere. 30. q. 3.* Seconda vero species cognationis huius, quæ inuenitur inter filium adoptatum, & filios naturales adoptantis probata fuit ab Ecclesia, *cap. vnico de cognatione legali, & cap. per adoptionem, 30. quæst. 3.* Tertia vero adoptionis cognatio, quæ est inter C adoptantem, & inter vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis, probatur ex diuturna Ecclesiæ consuetudine; secundum quam vidimus Ecclesiam non admittere matrimonia inter prædictas personas inita; quæ cognationis legalis triplex species impedit, & dirimit sponsalia præcedentia, quia si personas inhabiles reddit ad contrahendum matrimonium, non possunt eorum sponsalia, quia illicita redduntur, executioni mandari; quod si hæc cognatio superaddatur matrimonio iam contracto, non impedit petitionem debiti, quia non reperitur textus id statuens, & dum non apparet talis textus, impedimentum dirimens matrimonium, rei superadditũ cũ nõ D impedit petitionem debiti, quia res hæc odiosa est, & sine textu constitui non debet, vt pulchre docuit *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 57. art. 2. ad finem.*

7 Tertia conclusio: Prima, & tertia species cognationis legalis semper dirimũt matrimonium etiam legitime soluta adoptione. De prima probatur ex *l. quin etiam 55. ff. de ritu nuptiarum*, de tertia probatur *ex l. adoptiuus 14. cod. tit.* Secunda vero species tantum dirimit matrimonium, quandiu filius adoptiuus, & naturalis sunt in potestate parentis, nam si aliquis eorum separetur à potestate, paterna poterit A inter eos verum consistere matrimonium. Ita cauetur *cap. vnico de cognatione legali*, solet autem adoptio dissolui morte ciuili, vel naturali, vel emancipatione; vel si adoptatus contrahat incestuosas nuptias; vel si fiat patritius, vel Episcopus, huius autem discriminis ea ratio assignari debet, quia cognatio legalis ad primam, & tertiam speciem pertinens nascitur ex magna quadam reuerentia, quam adoptatus, & eius vxor debent adoptanti, & eius vxori, quæ reuerentia toto vitæ tempore perseuerat, at vero ea cognatio, quæ est inter filios adoptiuos & naturales, tãtum nascitur ex quadam interpretatiua confraternitate, quæ tantum eo tempore durat, quo omnes isti filij naturales, & adoptiui existunt sub potestate B parentis sui, doctrinam hanc merito suspicere, & suscipere debemus, quia collecta est ex *D. Thom. loco citato, art. 3.*

Quarta cõclusio sit. Cognationes legales ad secundã, & tertiam speciem pertinentes tantum se extendunt ad personas supra enumeratas 8 quod ex communi omnium sententia, & de se patet. Primam tamen (licet in hoc puncto sint diuersæ sententiæ, quas late refert *Sanchez. loco citato*) probabilius videtur, etiam extendi ad alias personas; & non extendi, nisi ad qoartum gradum inclusiue, vnde adoptatus non potest cum adoptata, neque cum eis, qui ab illa originem ducunt vsque ad quartum gradum matrimonium contrahere, etiamsi tales descendentes non sint in potestate parentis adoptantis. C Ita sentiunt *Sotus 4. dist. 42. quæst. 2. art. 2. conclusione 2. Nauar. in summa, cap. 22. num. 45. Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 57. art. 3. paulo post principium, & alij.* Probatur, quia cõsanguinitas est fortius impedimentum, quam cognatio legalis, quæ eam imitatur, sed ea restricta est in *cap. non debet. de consanguinitate*, vsque ad quartum gradum, ergo & cognatio legalis, quæ est ratio *Gregorij XIII* in alio casu allata supra; tum etiam, quia vsque ad eum gradum durat quædam reuerentia inter adoptatum, & eius successores respectu adoptantis.

9 Obijcies tamen aliqua contra hæc. Primum est, quia in *Trident. Sessio. 24. cap. 4.* restricta est affinitas orta ex fornicatione vsque ad secunD dum gradum, ergo & hæc cognatio legalis. Secundum est, quia adoptato aliquo, inquit *Sanchez dicto loco num. 34.* censentur adoptati omnes ab eo descendentes vsque in infinitum, qui erant in potestate adoptati tempore adoptionis, vt probat *textus l. si paterfamilias, 15. in princ. ff. de adopt.* Tertiũ est, *quia institutu de nuptijs, § ergo non omnes, vers. & hæc adeo postquã*, dicitur: *In linea consanguinitatis ascendentiũ, & descendentiũ prohiberi matrimoniũ in infinitũ.* Et idẽ subditur de eadem linea in adoptione. Ad primum enim respondetur, cognationem legalẽ nullam habere similitudinem cum affinitate

ex

ex fornicatione, & ideò limitatâ hac affinitate non eēset limitatam cognationem. Ad alia duo argumenta respondetur, eos textus esse correctos per ius canonicum in eo *cap. non debet*, quod seruandum est.

10 Hinc fit, vt inter adoptantem, & filiorum adoptiuorum parentes posse consistere matrimoniū, quia nullo iure prohibetur, & ratio *D. Thom. in 4. dist. 42 quæst. 1. art. 3. ad primum*, est, quia per adoptionem perfectam extrahitur adoptatus a potestate suorum parentum naturalium. Vnde legaliter non manet eius filius; at vero, quia baptizatus manet sub potestate patris naturalis, ideo baptizans, & parentes carnales baptizati contrahunt cognationem spiritualem. Et inter adoptatum, & matrem adoptantis propter eandem rationem, scilicet quia nullo iure id prohibetur, potest validum celebrari matrimonium, & similiter potest cōsistere matrimonium inter filios filij naturalis, & filias filij adoptiui, quia hoc impedimentū, cum materiam respiciat odiosam, minime cōstituēdum est, nisi ex aliquo textu deducatur, in hoc autem puncto nullum inuenimus prohibentem textum.

11 Sequitur secūdo, inter diuersos filios adoptatos ab eodem parente non posse verum consistere matrimoniū (licet aliqui contradicāt.) Hanc resolutionem tuentur *Angelus verbo, matrimonium 3. impedimento. 8. in fine. Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 57. art. 3. in fine.* Probatur, quia huiusmodi filij in eadem domo commorantur, & ex hac cohabitatione ita vehementer crescit inter eos amicitiæ vinculum vt nisi eis prohiberetur matrimonium, non mediocris præberetur occasio in diuersa peccata dilabendi.

12 Tertio sequitur, inter filios carnales illegitimos, & inter filios adoptatos regulariter loquendo verum posse subsistere matrimonium, quia communiter filij illegitimi non commorantur in domo parentum, & ita non erit communiter, inter eos, & adoptatos periculū violandi castitatem. Ita docent *Innoc. & Ostiens. cap. vnico de cognatione legali Toletus in summa. lib. 7. cap. 8.* bene video, *Abbatem cap. vnico in fine de cognatione legali, Angel. verbo, matrimonium, 3. impedimento 8. num 4 in fine.* Iudicasse, inter huiusmodi filios matrimonium irritum prorsus esse, quia sæpe habitant in eadem domo, & quia in *cap. ita diligere 30. quæst. 3.* decernitur, inter filium naturalem, & adoptatū nō posse esse matrimonium. Eam tamen sententiam tunc temporis veram esse iudico, quando illi filij illegitimi, & filij adoptiui in eadē domo parentis commorantur, si enim separentur, certum est, posse eos matrimonio coniungi, sicut supra diximus de filijs carnalibus legitimis, & adoptiuis, & *textus in cap. ita diligere*, hac ratione videtur intelligendus, inter

A adoptantem, & filios illegitimos adoptati verum intercedit matrimonium, quia isti filij nō possunt esse in adoptati potestate, *vt ex §. vlt. inst. de nuptijs*, constat, & vt docent *Syluest. verbo matrim. 8. quæst. 8. dicto 5. & Rosela verbo, impedimentum 7. nu. 5.* valet matrimonium inter patrem adoptantē, & filiam filiæ adoptiuæ, quia cum mulier neminem habeat in sua potestate ex *§. fœmina instit. de adopt.* filia mulieris adoptatæ transire nequit in potestatem adoptantis, matrem, & ita non censetur adoptata, quando vero vir adoptatur, omnes eius filiæ, quia sunt in eius potestate, adoptantur, & ita cum illis non potest adoptans contrahere matrimonium.

B
QVÆSTIO LIX.

Quid sit affinitas, & quid ad eam contrahendam requiratur?

CIRCA primum punctum quæstionis affinitas sic definitur à *D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. vnica art. 1. quæstiuncula 3. argumento a.* & à Theologis, & Iuristis, *Est propinquitas personarum ex carnali copula proueniens omni carens parentela.* Quæ definitio clara est, illa autem particula *omni carens parentela*, sic est intelligenda, quod per accidens fit ad rationem affinitatis, quod personæ affines sint alias consanguineæ, dicitur etiam ex carnali C copula prouenire, id est, ex copula tam licita, quàm fornicaria. 1

Circa quod notandum est. Primo gradus affinitatis esse regulandos iuxta gradus consanguinitatis, ita vt in eo gradu sit quis affinis mariti, in quo est consanguineus vxoris, & è contra, vt sorores vxoris sunt affines mariti in primo gradu, quia sunt consanguineæ vxoris in primo gradu. Secundo notandum coniuges non esse inter se affines, esse tamen media sua copula semel habita stipitem, seu principium totius affinitatis. 2

Circa secundum punctum quæstionis quidam dicunt, non requiri ad hanc affinitatem contrahendam emissionem seminis intra vas fœmineum, sed sufficere penetrationem illius. 3
D Probatur primò *ex cap. iuuenis de sponsalibus*, vbi habetur, iuuenem ducentem puellam non dum septennem, qui forsan tentauit consummare, & non potuit, non posse permanere in matrimonio postea cum consobrina eius contracto. Secundò probatur, quia ex effusione seminis extra vas est probabile, concedi diuortium, ergo & nasci affinitatem.

Sed verius est, necessariam esse seminationem intra vas naturale fœminæ, seu copulam consummatam. Ita sentiunt *D. Thom. in 4 dist. 41. quæst. vnica, art. 1, quæstiuncula 3. in corpore, Durand.* 4

Durand. ibidem, quæst. 1. num. 7. D. Antonin. 3. part. tom. 1. cap. 15. in principio, paulo ante notabile secundum. Nauar. in summa, cap. 22. num. 42. & alij plurimi. Probatur primò ex *cap. lex diuinæ 27. quæst. 2.* vbi ait Pontifex: *Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem.* Vbi denotatur, affinitatẽ nasci solum ex sanguinis cõmixtione, sed hæc commixtio non fit, nisi per effusionem seminis intra vas, vt supra vidimus in tractatu de essentia matrimonij, ergo hæc sententia vera est. Secundo probatur, quia ea copula requiritur ad hanc affinitatem, quæ sufficit ad generationem, sed ad hanc non sufficit vasis penetratio, nisi intra illud semen mittatur, ergo hoc requiritur, vnde sufficit copula, siue libera, siue coacta, siue cum vigilante, siue cum dormiente. Ita *Rebellus loquens de affinitate.*

5 Ad primum oppositum respondetur cum *Soto in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2. colum. 3.* Matrimonium illud fuisse nullum propter impedimentum publicæ honestatis natum ex sponsalibus cum puella septenni, quæ quia habebat vsum rationis capax erat sponsalium. Dicitur autem ibi, quod res erat dubia, & ita non valere matrimonium cum consobrina, quia vel post septem annos non consensit, vel non constabat de cõsensu, præsumitur tamen, quod malitia suppleret ætatem, vt ait *Glossa ibidem.* Ad secundum respondetur, ad diuortium sufficere illum accessum coniugis ad non suam, etiamsi semen non mittatur intra vas, hoc tamen non sufficere ad affinitatem.

6 Hinc fit primo copulam spadonũ, qui sunt illi, qui vel non habent testes, vel eos attritos habent, & non aptos ad effundendum verum semen, mittentium semen intra vas nõ sufficere ad hanc affinitatem, quia non est verum semen, neque ea oritur ex copula Sodomitica, quia ex hac non nasci potest proles. Ita *Sylue. verbo, matrimonium 8. quæst. 15. dicto 1. & alij,* sufficit autem ad hanc affinitatem copula extra vas, modo semen aliqua arte, etiam dæmonis intra vas naturale mittatur. Ita *Palud. in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 3. conclus. 2. num. 19. Syluest. loco citato. dicto 2. & indicat Armil. verbo, matrim. num. 26.* quia hoc sufficit ad generationẽ, ex quo non nascuntur scrupuli, quos suspicatur *Basil. de Leon. lib. de impedimentis dirim. folio 563.* scilicet, an semen vnius sit ad aliquam delatum, quia non est de hoc curandum, nisi cum aliquid peculiare fundamẽtum habeamus. Iste autem auctor, vt credo, non bene defendit, nõ contrahi affinitatem in eo casu, quo vterus fœminæ ad se traheret semen viri cum ea ludentis, & non penetrantis eius vas, tunc enim, & fierẽt vna caro, & daretur causa generationis. Vnde sine dubio ex eo casu resultaret affinitas: imò sufficit copula habita cùm inuita *cap. ad discretionẽ de eo, qui cognouit.* & cum dormiente, &c. Ita *Couar. 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 7. num. 2. cum alijs Doctoribus* (& licet *Sanchez dicto loco num. 21. cum alijs,* sentiat oppositum) tamen dicendum est, ad hanc affinitatem contrahendam requiri fœminam intra suum vas semen etiam emittere cum viro. Probatur primò *ex cap. lex diuinæ citato,* vbi requiritur sanguinis, id est, seminis commixtio. Secundò probatur, quia secundum communem sententiam medicorum, & *D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. vnica, art. 1. quæstiuncula 3. in corpore,* vtriusque coniugis semen ad generationem requiritur.

Hinc fit secundo (licet *Sotus in 4. dist. 41. q. vnic. art. 2. ad finem, & alij sentiant oppositum*) 7 ex matrimonio rato non consummato non oriri affinitatem. Ita *Glos. cap. si quis desponsauerit, in fine, 27. quæst. 2. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 2. num. 1. & alij.* Patet, quia affinitas non oritur, nisi ex copula apta ad generationem: in matrimonio vero rato nondum intercedit copula, ex matrimonio autem rato oritur publicæ honestatis impedimentum, vt patet *ex cap. fin. 35. quæst. 3.* & ita nouissimè refert *Basil. de Leon, in tom. de impedim. matrim. fol. 220. declarasse Pium Quintum in quodam breui, quod incipit ad Romanum, & Cardinalium congregationẽ:* vnde cum *D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2.* ait esse affinitatem, potest intelligi de affinitate inchoata, vt *ibidem Sotus.*

QVAEST. LX.

Vtrùm affinitas ita sit vinculum naturale, vt aliquando iure naturæ matrimonium dirimat; vel iure Ecclesiastico?

PRIMÒ notandum est, quod secundum *D. Thom. in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 1.* § *quæstiuncul. 1. in corpore, Sot. ibi, art. 1. colum. 2. & alios affinitas est quoddam vinculum naturale contractum inter consanguineos coniugum cum ipsis coniugibus.* Probatur, quia secundum illud *Genes. 2. Erunt duo in carne vna,* coniuges quodam modo efficiuntur vna caro naturaliter, imo ita vt naturaliter consurgat quoddam vinculum amicitiæ, & reuerentiæ inter consanguineos vnius coniugis, & alterum coniugem, quam ob causam cum *Nauar. lib. 4. consiliorum 1. editione, tom. de sponsalibus consil. 7. nu. 3. in 2. tom. de consanguinitate, consil. 12. num. 3. & Victoria in summa de matrim. num. 196.* ex copula fornicaria dicendum est, non nasci affinitatem naturalem, quia ex ea non nascitur amicitia, sed odia potius, & inimicitiæ pullulant, quod si *D. Gregor. vt refertur, cap. nec eam, 35. quæst. 3.* ait huiusmodi copulam habitam

cum

cum consanguinea eius, quæ prius fuerat cognita extra matrimonium esse incestuosam coram Deo, & hominibus, vbi denotatur, hanc affinitatem esse quoddam vinculum naturale. Respondetur, ibi per homines, vt ipse explicat, intelligi bonos, & Christianos, quia apud hos nascitur affinitas hæc ex statuto Ecclesiæ, non quia naturaliter oriatur apud omnes nationes, ex statuto autem Ecclesiæ oritur affinitas quædam ex copula fornicaria, vt patet *ex cap. discretionem de eo, qui cognouit consanguineam.*

2 Secundò notandum est, ab Ecclesia statutũ esse, affinitatem ex copula coniugali irritare matrimonium propter illud naturale vinculũ amicitiæ, & reuerentiæ, quod inde nascitur inter consanguineos vnius coniugis, & alterum coniugem. Deinde Ecclesia statuit, affinitatem ex copula illicita natam irritare etiam matrimonium propter quandam coniunctionem nõ naturalem, sed quam Ecclesia considerat, & vult esse inter consanguineos hominis habentis copulam, & mulierem ab eo cognitam, ex eo, quod illi habentes copulam quodammodo fiunt vna caro, secundum illud, *1. ad Corinth. 9. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea.*

3 Ex his deducitur, infidelem contrahentem matrimonium cum alia infideli validum, conuersum ad fidem non posse cum cõsanguineis alterius, vsque ad quartum gradum valide cõtrahere mortua vxore. Patet, quia cum hæc affinitas sit vinculum naturale, adhuc post baptismum perseuerat, & quia in baptizatis Ecclesia dirimit hoc matrimonium, vsq; ad quartum gradum, etiam in hoc conuerso illud dirimit, quæ tamen cognatio oritur cum omnes illæ personæ ad fidem conuertuntur, vt patet ex dicendis in hoc §. & quia affinitas ex copula illicita naturali iure non consurgit: ideò ante baptismum, nisi speciali lege gentilium statuta sit in re ipsa non habet fundamentum, ex quo prouenit, conuersum ad fidem optime posse contrahere matrimonium cum cognata eius, quam cognouit media copula fornicaria, dum infidelis esset, quia ex *regula non præstat, de regul. iuris in sexto,* non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, quauis, si fidelis habeat copulam cum fœmina fideli, vel cum infideli, si illa habeat sororem infidelem, & postea conuertatur ad fidem, non posset fidelis cum sorore hac conuersa contrahere matrimonium ratione affinitatis. Ita enim obseruat nostræ Ecclesiæ consuetudo, videmus enim, fidelem accedentem ad fœminam fidelem contrahere affinitatem cum sorore eius, quæ post multum temporis nascitur. Quæ quidem affinitas non pullulat statim, ac exit in lucem soror illa, nec antequam illa Sacramentum Baptismi suscipiat, si enim multo tempore baptismus ille differretur, nulla esset affinitas post baptismum susceptum, ex hoc ergo casu nostræ resolutionis ratio non immeritò colligitur. Quæ quidem affinitas diuerso modo statuitur ab Ecclesia, atque cognatio spiritualis, de qua supra in simili casu locuti sumus: imò quia similis videtur forma, ac simile exemplum, ideò sentiendum iudico, quicquid negret *Sanchez lib. 7. disp. 65. ad finem,* infidelem habentem copulam cum fideli, si ad fidem cõuertatur, contrahere affinitatem quandam ex copula præcedente fornicaria dimanantem cũ consanguineis eius fœminæ, quam cognouit, etiamsi consanguineæ fideles non essent tẽpore habitæ copulæ, quod ex dictis satis patet.

4 His suppositis difficultas huius quæstionis in eo versatur, an affinitas proueniens ex copula coniugali, quam supra affirmauimus esse vinculum quoddam naturale, dirimat matrimonium iure naturæ, an vero iure positiuo in primo gradu lineæ rectæ considerato inter ascendentes, & descendentes, vt verbi gratia, an ius naturæ nullum reddat matrimonium inter socerum, & nurum, quidam existimarunt, hoc matrimonium iure naturæ reddi nullum. Ita sentiunt *D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 1. Syluest. verbo, matrim. 8. quæst. 15. dicto 6. Sot. in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 3. colum. antepenultima, & alij plures Doctores.* Probatur hæc pars primò, quia eodemmodo abstinendum est ab affinibus, atque à consanguineis, vt patet *ex cap. 1. de consanguinitate,* sed sic est, quod in primo gradu lineæ rectæ constituti consanguinei nullum matrimonium possunt celebrare, cuius vires non auferat ius naturæ, vt supra vidimus, ergo idem prorsus iudicandum est de his, qui primo affinitatis gradu cõiuncti sunt. Secundò probatur, quia nurus per matrimoniũ facta est vna caro cũ suo viro, qui est filius sui soceri, ergo debet socero eandẽ reuerentiã, ac filius. Tertiò probatur, quia iste gradus proxime accedit ad primũ consanguinitatis in linea recta. Vnde primo ponitur ante gradum consanguinitatis lineæ transuersæ, qui dirimit matrimonium, & simul cum primo gradu consanguinitatis in linea transuersa, quod totum apparet *Leuit. 18.* ergo dirimit matrimonium, sicut & illi gradus consanguinitatis. Quartò, quia hoc peccatum in scriptura, vt prohibitum iure naturæ, grauissimum iudicatur, vnde *Paul. ait 1. ad Corinth. 5. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat, & Genes. 49. Maledictus Ruben, eo quod cum vxore patris dormierit.* Quod peccatum, quia tunc non erat lex scripta illud prohibens, vt prohibitum iure naturali refertur, & *Amos 2.* vt nefandum crimen, & vt scandalizans gentes refertur, quod pater, & filius cum eadem puella concubuerint.

Sit

5 **Sit prima conclusio. Istum primum gradum** affinitatis non irritare iure naturæ matrimonium. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 9. Caiet. ibidem, Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 1. num. 2. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez disp. 66. lib 7. & Ferdinand. Rebel. 2. part. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 15. num.* 10. Probatur primò, quia aliqui iure naturæ ducti non reputarunt hoc matrimonium nullum, vt Seleucus tradidit filio suo in matrimonium suam vxorem *teste Valer. Maxim. lib. 5. cap. 7. & 3. Regum* 1. Adonias filius Dauid petijt Abisach in vxorẽ, quæ erat vxor Dauid. Secundò probatur, quia coniuges per copulam omninò perfecte, propriè, & integre non fiunt vna caro, sed quodam modo, & imperfectè, ergo licet iure naturæ irritum sit matrimonium celebratum inter consanguineos in linea recta constitutos, non tamen iure naturæ est irritum, si contrahatur inter affines lineæ rectæ, quia affines non ita perfecte coniunguntur inter se, neque cum altero coniuge atque consanguinei inter se coniunguntur, & cum eo, à quo ducunt originem. Tertiò probatur, quia inter nurum, & socerum non est tanta naturalis amicitia, vt ex ea crescat vehementer ardor libidinis, neque nurus habet, ita strictam naturalem reuerentiam, & subiectionem socero, vt inter eos implicet copula coniugalis, propter quas rationes supra diximus, inter patrem, & filium non posse esse matrimoniũ. Hoc etiam probatur ex *Concilio Aurelianensi,* 3. *cap.* 10. vbi matrimonium cum nouerca inter infideles contractum non dissoluitur, cum conuertuntur ad fidem.

6 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum eos textus esse intelligendos ita, vt lege Ecclesiastica æqualiter prohibeatur, & annulletur matrimonium inter affines, & consanguineos. Ad secundum patet ex nostra secunda ratione proxime allata. Ad tertium respondetur, affinitatem illam poni ante gradum primum consanguinitatis in linea transuersa, & simul cum gradu primo lineę rectæ consanguinitatis propter similitudinem, quam cum hoc gradu lineæ rectæ habet. Ad quartum respondetur cum *Caietan.* ibi, esse sermonem de habita vxore patris viuente patre. Ad illud Ruben respondetur illud peccatum fuisse adulterium, sicut & peccatum relatum *Amos* 2.

7 Neque obstat *Concilium Arbernense sub Vigilio Papa cap.* 11. vbi dum prohibetur matrimonium cum priuigna sic dicitur: *Qui secus ausu sacrilego auctoritatem diuinæ legis, & iura naturæ prærumpere.* Vbi denotatur, hoc coniugium esse nullum iure naturæ, respondetur enim solum denotari, esse illicitum, nisi iusta causa excusetur iure naturæ, non vero esse nullum, ibi enim idem dicitur de matrimonio cum relicta fratris, quod non est nullum, vt statim videbimus.

A Sit secunda conclusio (licet alij sentiant oppositum) non est iure naturæ irritum matrimonium, cum celebratur inter affines in primo gradu lineæ transuersæ constitutos, vt inter Petrum, & vxorem fratris sui iam mortui (etiamsi hoc matrimoniũ, sicut & illud, quod celebratur inter affines in primo gradu lineæ rectæ constitutos naturalem quandam præseferat indecentiam, nisi honesta causa licitum reddatur) ita sentiunt *Caietanus opusculorum.* 3. *tomo tractatu* 13. *Victoria in relectione de matrimonio 2. part. partis 2. n. sexta, Couarru. 4. decretalium, 2. part. cap. 6. §. 10. num. 7. & alij.* Probatur primò conclusio rationibus primæ conclusionis, quæ etiam vehementer probant hãc partem. Secundò probatur ex *Innocentio III.* B *cap. finali de diuortijs,* qui dispensauit in hoc casu, & *Alexander VI.* dispẽsauit in eodem gradu cum Rege Lusitaniæ, & *Iulius II.* in hoc eodem gradu cum Enrico VIII. & Catherina Angliæ Regibus dispensauit, & tandem *Clemens VII.* consultis totius orbis vniuersitatibus hanc dispensationem approbauit. 8

Sed contra hanc secundam conclusionem obijcies primo, quia Ioannes Baptista grauiter increpauit Herodem, quia vxorem fratris sui duxerat, & tamen Herodes erat Gentilis, cui solum iure diuino, & naturali, non vero positiuo poterat prohiberi matrimonium, ergo iure naturali ac diuino redditum est nullum matrimonium inter affines in primo gradu lineæ transuersæ constitutos. Secundò obijcies, C quia in *cap. gaudemus de diuortijs,* decernitur infideles coniunctos in secundo gradu non esse separandos, ergo cum in primo coniunguntur separandi sunt. Ad primum tamen argumentum respondetur ex doctrina *Bedæ super caput sextum D. Marci,* Herodem contraxisse matrimonium cum vxore fratris sui eo viuẽte, quod constat esse naturali iure prohibitum, ac nullum, vt postea videbimus. Ad secundum respõdetur in eo cap. sermonem institui de gradibus consanguinitatis, non de gradibus affinitatis, ex ante dictis vero aperte liquet primũ gradum consanguinitatis nullum reddere ipso iure naturali dictante matrimonium. 9

D Circa id quod in secunda nostræ quæstionis parte quæritur, an affinitas saltem iure Ecclesiastico dirimat matrimonium, notandum hisce nostris temporibus affinitatem tam ex copula licita, quàm ex illicita prouenientem tantum modo dirimere matrimonium, quod celebretur inter consanguineos vnius coniugis, & alterum coniugem, & è contra, ad alias vero personas extra has minime extendi hoc impedimentum, constat doctrina hæc ex *cap. non debet de consanguinitate, & affinitate.* 10

Sit tertia conclusio. Licet olim affinitas ex copula coniugali proueniens vsque ad septimum gradum extenderetur, vt patet ex *capite* 11

nullum

nullam 35. quæst. 3. attamen postea restricta est, vsque ad quartum gradum *in cap. non debet de consanguinitate, & affinitate.* Ita sentiunt *Nauar. in summa cap. 22. num. 43. Maiolus lib. 3. de irregularitate, cap. 25. num. 13. Palatius in 4. sententiarum, dist. 41. disp. vnica volum. 33. fol. 930. & alij.* Quæ restrictio ordinata est ab Ecclesia eisdem omnino nitente fundamẽtis, quibus, in *quæst. 68.* diximus restrictos esse eo eodem cap. consanguinitatis gradus, si enim hos, qui strictiori vinculo astringunt homines, conueniens fuit, restringi, etiam alios affinitatis, qui multo minus vinculum constituunt, restringi necesse fuit, hæc autem affinitas ex copula licita proueniens non fuit ad pauciores gradus redacta per *Tridentinum Sessione 24. cap. 4.* quãdo, vt proxime videbimus, restrinxit affinitatem ex copula illicita prouenientem, quia prima affinitas vinculum quoddam constituit aliquo modo naturale, & fortius, quam affinitas secunda, vnde hac secunda restricta, non eo ipso censetur prima restricta, quamuis è contra si prima restringeretur, etiam secunda restricta maneret, sed tamen quod affinitas ex copula licita dimanans dirimat matrimonium, & vsque ad quartum gradum declarauit *Pius V. in Extrauaganti ad Romanum relata à Paulo Comitolo, lib. 1. responsionum moralium q. 130.*

12 Quarta conclusio. Affinitas ex copula illicita proueniens, quæ olim ad quartum vsque gradum extendebatur secundum communem sensum Doctorum, ita interpretantium *caput non debet de affinitate, & consanguinitate,* nostris temporibus restricta est per *Tridentinum Sess. 24. cap. 4.* ad secundum gradum inclusiue, ita vt vir non posit mortua vxore cum sorore vxoris, quæ est in primo gradu affinitatis ei adiuncta, nec cum filia fratris vxoris, quæ est affinis in secundo gradu inire matrimonium: in alijs tamen posit. Verba Tridentini, quæ aperta sunt, audiamus: *Sancta Synodus impedimentũ, quod propter affinitatem ex fornicatione contractũ inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur restringit, in vlterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

13 Circa quod decretum primo notandum est, affinitatem hanc contractam ante hoc decretum post illud non se extendere nisi ad secundum gradum, si post Tridentinum matrimonium contrahatur. Ita declarauit *Pius V. in quodam motu proprio relato à Veracruz appendice ad speculum, vbi de impedimento affinitatis in fine, & Gregorius XIII.* Secundum autem declarationem Cardinalium personæ, quæ matrimoniũ contraxerunt ante confirmationem Concilij in gradu, verbi gratia, tertiò per Concilium permisso, non possunt manere in matrimonio sine dispensatione, iuxta tradita per *Gloss. cap. non debet. de consanguinitate, & affinitate,* cum quo non videtur cohærere alia declaratio Cardinal. adducta à *Patre Marcil.* inter eas, quas Concilio Tridentino addidit nouiter, quæ sic habet: *Primum, & secundum gradum affinitas ex causa fornicationis proueniens non excedit, quod procedit etiam in illis matrimonijs, quæ ante Concilium fuerunt contracta per Bullam Pij V. declarantem.* Sed in prima declaratione videtur insinuari id, quod de iure requiritur, in hac secunda quod de facto sufficit post dispensationem factam à Pio V. potest enim Papa auferre illud impedimentum iuxta ea, quæ dicta sunt in tractatu de dispensat. quæst. 2.

Secundò notandum est, istam affinitatem vltra secundum gradum non impedire matrimonium. Ita declarauit *Pius V. anno 1566. quarto kalend. Decembris,* in illis verbis: *Declaramus, & auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quo minus in vlterioribus gradibus huiusmodi libere, & licite matrimonium contrahi possit.* Cuius ea potest reddi ratio, quia affinitas ex copula illicita proueniens quatenus dirimebat matrimonium vltra secundum gradum, sublata est, quod maius quid est, ergo quatenus etiam impediebat matrimonium vltra illos duos gradus nullam retinuit vim, quod minus quid est. Tùm etiam probatur, quia huiusmodi affinitatem sua potestate abstulit Ecclesia, ergo illa non potest amplius impedire, quod enim in rerum natura non extat, non potest rem aliquam impedire. Ita sentiunt *Petrus de Ledesma de matrimonio quæst. 55. art. 3. dubio vltim. Manuel Rodriguez 1. tom. summæ in 2. editione, cap. 228. num. 4. & alij Doctores.* Cui doctrinæ addendum iudico cum *Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 67. & cum alijs Doctoribus,* copulam inter istos affines vltra secundũ gradum contingentem nullo modo mutare speciem luxuriæ, neque incestum constituere. Cuius duplicem rationem reperiemus. Primam, quia prohibitio copulæ est accessoria ad prohibitionem matrimonij, & ita ablata prohibitione matrimonij vltra secundum gradum affinitatis, auferri quoq; necessum fuit prohibitionem copulæ. Secundam, quia Concilium Tridentinum hanc affinitatem omninò deleuit, ergo illa non potest esse circunstantia incestum pariens. 14

Tertiò notandum est, hanc affinitatem à Concilio restrictam, esse omnem illam, quæ nascitur ex quouis illicito concubitu contingente, vt ex adulterio, sacrilegio, &c. quia Concilium eo loci, fornicationem latius vsurpauit, prout se extendit ad omnem copulam illicitam. Tùm præterea, quia conueniens erat bono communi, omnem affinitatem istam restringi propter crebra, & ingentia damna, quæ ex antiqua extensione dimanare possent. Hanc doctrinam defendunt *Onandus in 4. dist.* 15

quæst. vnica proposit. 6. in fine, Gutier. lib. 1. quæ stionum canonic. cap. 23. num. 3. A

16 Ex his sequitur primò, nullam affinitatem prouenientem ex copula illicita iure naturæ irritare matrimonium. Probatur hæc conclusio primo rationibus, primæ, & secundæ conclusionis huius quæst. Cum enim ex illis constet, affinitatem ex copula licita prouenientē in nullo gradu dirimere matrimonium iure naturæ, à fortiori sequitur, affinitatem ex copula fornicaria prouenientem, nunquam dirimere matrimonium iure naturæ, quia hæc longe minus vinculum constituit, quam illa. Secūdò probatur, quia si hæc affinitas iure naturæ dirimeret matrimonium, maxime in primo gradu, vt cum quis vellet contrahere matrimonium cum sorore eius, quam violauit copula fornicaria, at hoc defendi non potest; quia alias hoc impedimentum esset indispensabile per Pontificem, quod affirmari nequaquam potest, quia vt refert *Cardinal. Faquinetus in suis manuscriptis*, cum res hæc ad Summum Pontificem aliquando deferretur, respondit, esse casum dispensabilem, sed noluit in eo dispensare, & licet in eisdem manuscriptis referatur *Congregatio Cardinalium*, oppositum sentiens, tamen congregatio eadem censuit tandem, in hac re consulendum esse Pontificem, & in isto casu primi gradus dispensauit *Alexand. III. vt refertur 3. tom. Conciliorū, fol. 729.* B

17 Secundò sequitur, affinitatem sponsalibus de futuro superadditam eorum vires prorsus eneruare, quia cum matrimonium non possit perfici propter impedimentum dirimens affinitatis, sponsalia, quæ sunt promissio illius matrimonij, omninò inualida redduntur, promissio enim rei impossibilis obligare vlla ratione nequit. Cum tamen in dicto decreto Concilij decernitur, affinitatem ex copula illicita non dirimere matrimonium vltra secundum gradum, etiam consequenter decernitur, non dirimere sponsalia vltra eum gradum, quia cum ablata ea affinitate nihil obsit matrimonio cōtrahendo, promissio talis matrimonij, verum valorem sortitur. Ita sensit *Sacra congregatio Cardinalium.* C

18 Tertiò sequitur, posse post prædictum decretum Tridentini optimo iure cōtrahere matrimonium eos, qui coniuncti sunt in secundo simul, & tertio gradu affinitatis ex copula illicita prouenientis. Tùm, quia remotioris gradus tantū habenda est ratio, sicut etiam in gradibus consanguinitatis gradus tantum remotioris diximus habendam esse rationem supra, dum de impedimento consanguinitatis disseruimus, tum etiam, quia ita declarauit *sacra Congregatio Cardinalium.* D

QVÆSTIO LXI.

Vtrùm adulterium simul cum machinatione mortis dirimat matrimonium?

SIT prima conclusio apud omnes certa. Si qua mulier nupta adulterium cōmittat cum aliquo siue soluto, siue coniugato, & simul durante matrimonio machinetur mortem viri sui, nullo modo potest licite cum aliquo viro contrahere matrimonium, validū tamen erit, tale matrimonium. Ita sentit expresse *D. Thom. in 4. dist. 37. quæst. 1. art. 2. in corpore*, cuius verba hæc sunt, dum loquitur in nostro casu: *Sed ex hoc non efficitur persona simpliciter illegitima respectu aliarum mulierum, vnde si cum alia contraxerit, quamuis peccet contra statutum Ecclesiæ faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.* 1

Secunda conclusio. In casu primæ conclusionis, si viri homicidium perpetretur in ordine ad matrimonium contrahendum cum adultero, minime valet matrimonium cum eo contractum, etiam si absit omnis promissio futuri matrimonij, aut contractus matrimonij de præsenti. Constat conclusio hæc ex *cap. 1. & cap. significasti de eo, qui duxit in matrimonium & cap. super hoc eodem titulo*, in illis verbis: *Si adultero est aliquid in mortem vxoris machinata, siue fidem dedit, siue non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundum canones ab eius consortio prohibetur.* Quod verbum, *prohibetur*, communiter intelligitur à Doctoribus, ita vt per illud nullum reddatur tale matrimonium. Cuius, verbi significatio aperte colligitur ex *cap. significasti allegato.* Tota ratio huius impedimenti constituendi ea est, ne propter spem contrahendi huiusmodi matrimonium præbeatur occasio aliqua captandæ mortis. Quod impedimentum contrahitur, siue vir, siue fœmina machinentur mortem sui coniugis. Ita explicant hoc impedimentum *Sotus in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 4. column. 3. Bellarminus, lib. 1. de matrimonio, cap. 22. casu 1. Abb. cap. 3. de eo, qui duxit, num. 3. Syluest. verbo, matrimonio 7. quæst. 6. dicto 1. & alij multi.* Constat declaratio hæc quantum ad virum, & vxorem, *ex cap. si quis viuente. 31. quæst. 1.* de vxore cōstat *ex capite super hoc allegato.* Quod etiam impedimentum incurrit baptizatus, si cum non baptizata adulterium committat, & vt eius nuptialibus amplexibus perfruatur, mortem suæ vxoris perpetret: nō enim mortua vxore, & adultera baptizata poterit cū ea matrimoniū valide celebrare. Patet ex *cap. 1. de conuersione infidelium*: Imò sufficit, vt ex eiusdem capitis doctrina liquet, adulterum mortem mariti ma- 2

Tt chinati

chinari adulteræ consilio, vel mandato, nõ sufficit autem ratihabitio vxoris, quæ occiso viro, etiamsi nomine suo homicidium sit perpetratum, ratum habet homicidium, quia hæc ratihabitio non constituit adulteram machinantem. Hoc vltimum punctum docent *Scotus in 4. dist. 35. quæst. vnica, columna penultima, Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 14. num. 2. in commentato littera q.*

3 Sit tertia conclusio. Hoc impedimentum tantum statutum est à iure Ecclesiastico. Ita sentiunt omnes communiter Doctores, & res est satis aperta, quia huiusmodi matrimonij contractus non repugnat alicui iuri diuino positiuo, quia de eo minime nobis constat. Neque repugnat iuri naturali, quia ius naturale nullum in hac re inuenit impedimẽtum, quia nihil ratione huius adulterij, & machinationis aufertur à matrimonio ad eius substantiam pertinens, totum ergo hoc impedimentum ex iure Ecclesiastico originem ducit.

4 Aliquæ tamen conditiones requiruntur ad hoc impedimentum cognoscendum. Prima sit, vt machinatio mortis sortiatur effectum. Patet ex *capit. si quis viuente 31. quæst. 1.* illis verbis: *occidisse noscitur*, qua ratione alij textus machinationem petentes intelligendi sunt. Ita *D. Thom. in 4. dist. 35. quæst. vnica in fine in expositione literæ.*

5 Secunda conditio sit, vt semper cum machinatione mortis interueniat adulterium, siue ambo adulteri, qui volunt contrahere, siue alter tantum mortem machinetur. Ita *Monald. in summa tractatu de matrimonio, vbi de impedim. crimin. columna 3. Ioann. de Triburgo in summa confession. lib. 4. tomo 9. quæst. 2. & hoc dicit esse probabilis, Basolis in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 2.* Ratio huius est meo videri, quia lex statuens hoc impedimentum criminis voluit præcauere id, quod communiter accidit, non id, quod rarissimum est, communiter autem adolteri machinantur mortem alterius coniugis, vt libere fruantur amplexibus suis rapti cæco veneris amore, alij vero non adulteri rarissime hoc faciunt, non enim sunt ita cæci. Scio communem sententiam, quam late refert, & sequitur *Sanchez lib. 7. disp. 78. numero 9.* potius defendere, non esse necessarium adulterium, cum duo volentes contrahere matrimonium machinantur mortem, sed huius nullam ostendunt rationem, solum ostendunt textum *in cap. 1. de conuersione infidel.* vbi dicitur: *Infideles quosdam consilio vxorum fidelium viros earum occidisse.* Et non fit mentio adulterij, sed credendum est, ibi interuenisse adulterium, vt indicat *Gloss. ibi*, quæ dicit, hoc decretum esse *Concilij Treburiensis*, quod habetur 31. *quæst. 1.* vbi sane fit mentio de adulterio, & *D. Thom. in 4. dist. 35. quæst. vnica in fine, & dist. 37. quæst. 2. art. 2. in corpore.* Ad hoc impedimẽtum semper requirit adulterium, & machinationem mortis, adulterium autem, satis est, siue præcedat, siue sequatur machinationem, dum antecerat mortem ipsam. Requiritur autem ad verum adulterium effusio seminis intra vas naturale fœminæ. Ita ex sententia *D. Thom.* exponunt *Syluest. verbo, matrim. 8. q. 9. & Paulus Comitol. lib. 1. respons. moral. quæst. 130.*

6 Tertia conditio est, vt ambo volentes contrahere sciant, se committere adulterium contra eum, quem volunt occidere. Ita *Sa in sum. verbo, matrim. vbi de impedim. dirim. nu. 7.* Quia cum vterque puniatur, in vtroque requiritur culpa adulterij. Vnde requiritur matrimoniũ initum cum eo, quem volunt occidere, fuisse verum, & validum. Patet, quia textus secundæ conclusionis adulterium requirunt, quod de vero debet intelligi, & non de præsumpto, quod adulterium erit, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum, vel contigerit diuortium, tunc enim verè contingit alicui tori violatio, in quo consistit adulterium. Quarta conditio est, vt illa coniugis interfectio fiat ab adultero, vel adultera animo celebrandi verum matrimonium. Patet *ex cap. 1. de conuers. infidel. ibi. si malitiose fuerint machinati.* Ita *D. Th. in 4. dist. 37. q. 2. art. 2. in corpore*, vbi loquens de isto crimine sic ait: *Quoque etiam dirimit contractum, vt quando aliquis interficit vxorem suam, vt ducat eam, cum qua mæchatur, tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendũ cum illa.* Et ita tenent multi Doctores, quod à *Sanchez loco citato* non bene probatur ex *cap. si quis viuente, 31. quæst. 1.* Et ratio huius conditionis est, quia hoc impedimentum statutum est, ne ob spem matrimonij detur locus machinationi mortis, hæc enim machinatio communiter euenit, quando aliqui volunt inire matrimoniũ, cui omninò obstat prius matrimoniũ, non quando finem habent libidinis, vel alium quem possunt exequi non obstante matrimonio. Et casus istius quæstionis intelligẽdi sunt secundum Summistas, siue adulterium præcedat machinationem, aut matrimoniũ, aut promissionem matrimonij, siue sequatur.

QVAEST. LXII.

Vtrum adulterium simul cum matrimonio de præsenti, vel cum fide de eo data matrimonium annullet?

SIT prima conclusio. Adulterium (quod debet esse cum copula consummata) si coniungatur cum matrimonio inito de præsenti cum adultera viuente coniuge, vel cum fide data eo etiam viuente de matrimonio ineundo mortuo coniuge reddit nul-

nullum matrimonium, siue adulterium sit prius his pactis, siue non, dum modo vtrunque ante mortem coniugis fiat. Probatur ex *cap. relatum 31. quæst. 1. & ex cap. fili. de eo, qui duxit*, ibi: *Si quis, vxore vinente fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post legitima eius superstite cognouit eandem, non est matrimonium, quod cum ea contraxit, post vxoris obitum dirimendum: Cæterũ tolerari non debet, si prius, vel postea, dum vixerit vxor ipsius, illã adulterio polluisset.* Fundamẽtum huius conclusionis est, ne propter spem futuri matrimonij detur causa captandæ mortis. Et vt optime notat *Gutierrez tractatu de matrimonio, cap. 105. textus in cap. ii. & cap. illud vero. 30. quæst. 1.* Generaliter statuentes, nulli licere, ducere in vxorem eam, quam prius polluit per adulterium. Et alij ab eo relati intelligendi sunt, quando cum adulterio concurrit, vel machinatio mortis, vel contractus matrimonij, alias valet matrimonium cum illa ex *cap. 40. 30. quæst. 1.*

2 Sed quæres, an fides data, & adulterium debeant contingere constante vno, & eodem matrimonio? Ad quod respondetur primo in eo casu, quo quis primo matrimonio constante dedit alicui fœminæ fidem de matrimonio cum ea mortua vxore contrahendo sine vllo interueniente adulterio, & postea mortua vxore aliam duxit, & adulterium commisit cum ea, cui fidem dederat, tunc non incurri hoc impedimentum criminis. Ita *Sotus in 4. dist. 37. quæstione vnica, artic. quarto, columna penultima, Vega secundo tomo Summæ, cap. 34. casu 76.* Et ratio est, quia per secundum matrimonium extincta est fides illa, & ita sicut perijt omnis spes matrimonij, ita nulla datur causa captandæ mortis, si vero adulterium durante primo matrimonio contigisset, & fides data esset adulteræ de contrahendo matrimonio, mortua vxore cum ea, tempore secundi matrimonij, quia tunc vere concipitur spes futuri matrimonij, & magna datur causa captandæ mortis vxori propriæ; ideo conueniens valde est in tali casu hoc impedimentũ criminis constituere, vt tam mala diligentius præcaueantur, in quo nostra sententia valde distat à sententia Sanchez contrarium prorsus sentiente. Ex qua doctrina aperte videtur colligi in eo casu, quo promissio matrimonij reuocetur ante adulterium, vel ante mortem coniugis, etiamsi fides data, & adulterium præcesserint reuocationem, nullum oriri impedimentum, quia cum tunc nulla adsit spes futuri matrimonij, non datur occasio captandæ mortis vxoris, quam voluit vitare nostra Ecclesia.

3 Secundo quæres, qualis debeat esse promissio futuri matrimonij? Ad quod respondetur primo, promissionem debere fieri per A ea verba, per quæ supra diximus in tractatu de sponsalibus contrahi vera sponsalia, id est, per ea, quæ denotant veram promissionem. Secundò respondetur ex ficta promissione, cum fictio non est nota alteri parti, sed potius ea existimat veram esse, & ex animo vero natam esse promissionem, verum oriri impedimentum criminis, cuius ratio est, quia ex ea ille alter concipit spem matrimonij, quæ dat causam captandæ mortis, quod voluit auferre Ecclesia. Ita *Bartol. à Ledesma de matrimonio, dubio 58. conclusione 5. Alexand. de Neuo, cap. significasti. de eo, qui duxit, num. 9.* Imò sufficit promissio conditionalis ad hoc impedimentũ, etiamsi alter coniux innocens moriatur antè impletionem conditionis, quia ex tali promissione concipitur spes matrimonij. B Tertio respondetur cum *Sanchez disp. 79.* (quidquid alij contra dicant) quos refert *num. 19.* sufficere promissionem vnius coniugis ab altero adultero signo externo acceptatam circa futurũ matrimonium ad hoc impedimentum. (Neque enim sufficit taciturnitas in hoc cõtractu oneroso, quamuis in promissione liberali sufficeret) & non requiri alterius repromissionem. Probatur, quia in hac promissione concipitur spes futuri matrimonij, & vterq; peccat, vnus promittendo, & alter acceptando matrimoniũ: & ita vterque merito punitur per hoc impedimentum.

4 Quartò respondetur, ad hoc impedimẽtum contrahendum sufficere nudam promissionẽ C sine vllo iuramento. Ita *Paludan. in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. num. 17. Syluest. matrimonium, 8. quæst. 9. dicto 4. Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 14. num. 3. & alij.* Qui ita communiter intelligunt textus supra allegatos, licet aliqui in casu iuramenti loquantur, & consuetudo ita hanc rem interpretatur. Et confirmatur, quia ex tali nuda promissione satis concipitur spes futuri matrimonij, quam voluit hoc impedimento auferre Ecclesia.

5 Tertiò quæres, an requiratur ad hoc impedimentum incurrendum verum adulterium? Ad quod respondetur primò, requiri verũ adulterium, vt supra vidimus, & matrimoniũ, contra quod peccatur, fuisse verum. Ita communis sententia cum *D. Thom. in 4. dist. 35. q. vnic. in fine*, D & textus adulterium petunt. Præterea respondetur secundò requiri matrimonium illud contra quod peccator, esse notum vtriq; adulteranti. Patet ex *D. Tho. loco citato, & patet ex cap. 1. de eo, qui duxit.* Hoc enim impedimentũ imponitur propter iniuriam, quæ adulterando & dando fidem alteri coniugi irrogatur. Tertio respondetur cum *Abb. c. 1. de eo, qui duxit, n. 3. Ang. verbo, matrim. 3. impedimento, 9. n. 1 Enriq. l. fili. n. 5. de eo, qui duxit.* Non sufficere ad hoc impedimentũ incurrendũ copulam habitã ante notitiã cõiugij, cõtra quod peccatur;

excusat enim ab adulterio, ignorare omninò, alterum cum quo soluta habet copulam, esse coniugatum. Patet ex *cap. in lectum. 34. quæst. 2. & ex l. vltima, ff. de adulter.* quia in eo casu non reperitur adulterium formale, sed materiale, sufficit tamen, si post eam notitiam adquisitam contingat copula, quia est verum adulterium tunc, quamuis matrimonium de præsenti, vel fides ante notitiam istam præcedant, quia isti contractus censentur per subsequens adulterium confirmari. Quod si durante eodem matrimonio aliquis coniugatus alteri promisit matrimonium mortua sua vxore, & postea soluitur fides, etiamsi sequatur inter eos copula, nullum tamen inde nascitur impedimentum. Patet, quia cum tunc nulla adsit fides, nulla remanet obligatio impellens ad procurãdam mortem vxoris. Ita notauit *Reginal. 2. tom. suæ praxis, lib. 31. cap. 19.*

6 Quartò quæres, an hoc impedimentum cõtrahatur, cum quis dubitat, an ille, cui promittitur futurum matrimonium, & cum quo habetur copula, sit coniugatus? Cui interrogationi respondemus. Primo si eo tempore, quo dubitatur, an alter coniux viuat, reuera viuat, & tunc contingat copula, & fides futuri matrimonij, contrahi sane prædictum impedimentum, quia verum committitur adulteriũ. Quod si forte dubitetur, an fides data sit ei, cum quo perpetratur adulterium, vel in dubium veniat, an peccatum luxuriæ cõmissum sit adulterium, vel non, quilibet poterit deposita dubitandi ratione liberum se reputare à tali impedimento, quia in pari causa, & delicto melior est conditio possidentis suam libertatem, tunc autem habetur scientia prioris coniugij, quando adest certitudo, vel probabilis opinio eius. Ita *Sotus in 4. dist. 37. quæst. vnic. art. 4. columm. penult.* & colligitur ex doctrina *cap. inquisitione, de sententia excommun.* Secundò respondemus, ignorantiam inculpabilem adulterij, vt cum quis ignorat, eum cum quo carnaliter coniungitur, coniugatum esse, excusare ab hoc impedimento, vt proxime diximus, quia hoc impedimentum statutum videtur in pœnam veri adulterij culpabiliter contingentis, tunc autem nullum reperitur huiusmodi adulteriũ. Cum vero ignorantia adulterij culpabilis est, & vincibilis, quia potest quis facile rei veritatem cognoscere, & tamen ex sua negligentia veritatem non cognoscit, non excusat ab hoc impedimento contrahendo, quia tunc inuenitur vera culpa adulterij, accedente ergo promissione futuri matrimonij, vel matrimonio de præsenti, quamuis hoc matrimonium inualidum sit, vt patet, impedimentum hoc vitari non potest. Hanc resolutionem cum communi Doctorum sententia pro viribus tuentur *D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 5. in fine, Sylnest. verbo, matrimonio 8. quæst. 9. dicto 9.* neque video, qua ratione *Sanchez loco citato, num. 38.* oppositum possit defendere.

Quintò quæres, quæ regula seruanda sit, quãdo alter ex his, qui fidem sibi dederunt, & cõmiserunt adulterium, fidelis erat, alter vero infidelis. Respondetur, tunc fidelem incurrere hoc impedimentum, quare nõ posse matrimonium celebrare cum infideli, etiamsi ad fidem conuertatur, quemadmodũ in simili casu quæstionis præteritæ respondimus in fine secũdæ conclusionis, iuxta *caput primum, de conuersione infidelium,* quam doctrinam docuit *Veracruz 1. p. speculi art. 34. post 9. concl. dubio 3.* 7

Sextò quæres, an ad hoc impedimentum incurrendum sufficiat, alterum horum, scilicet fidem datam, vel adulterium contingere tempore infidelitatis, quando ambo erant infideles, etiamsi aliud baptismum sequatur. *Thomas Sanchez loco citato num. 43.* Sentit, tunc non incurri hoc impedimentum, quia Ecclesia medio isto impedimento punit vtrunque delictum, simul, scilicet, & adulterium commissum, & fidem datam circa matrimonium futurum. Sed vnum delictum eorum commissum fuit extra Ecclesiam, quando vterque adulter infidelis erat, ergo non debet puniri ab Ecclesia, etiamsi postea ad fidem conuertatur, alij vero iudicarunt, absolutè hoc impedimentum cõtrahi, vt *Veracruz loco citato, dubio 4. Vega 2. tom. summæ, cap. 34. casu 23.* Quod probant à simili, quia sicut satis est, promissionem matrimonij præcedere cognitionem coniugij, cõtra quod peccatur, dum modo post eam cognitionem sequatur adulterium ad hoc, vt hoc impedimentum incurratur, ita satis est, fidem ante baptismum dari, & postea sequi adulterium, vt hoc impedimentum superueniat. Mihi tamen videtur, sub distinctione, respondendum, nam si fides data est ante baptismum, & post illum sequitur adulterium, incurritur hoc impedimentum. Patet, quia fides ante baptismum data, & post illud non retractata censetur perseuerare, imò & ratificari per adulteriũ, ergo cum fides & adulterium contingant tempore baptismi incurritur hoc impedimentum, si autem adulterium ante baptismum cõtingat, etiamsi eum sequatur fides data, non contrahitur hoc impedimẽtum, quia adulterium nullo modo manet etiam virtualiter, vt requiritur tempore baptismi. Ad argumentum *Sanchez*, patet ex nostra prima parte, ad argumentum aliorum respondetur, diuersam esse rationem de fide præcedenti, & de adulterio, vt patet ex nostra resolutione. 8

Septimò quæres, an cum Maria vxorata cõmisit adulterium cum Petro soluto sub hac fide sibi data à Petro, quod mortuo suo viro Petrus contrahet matrimonium cũm ea, quã Ioãna designauerit, si mortuo viro designet Mariã, possint Petrus, & Maria contrahere? Respon- 9

ponderatur cum *Soto in 4. dist. 37. q. vnic. art. 4. §. postremus casus*, posse contrahi matrimonium, si Maria hoc fecit sine fraude credēs generaliter Ioannam pro sua prudentia designaturam in vxorem Petri aliquam fœminā nobilem, v. g. quod si Maria id fecisset fraudulenter credēs, se esse designandam, non valeret matrimoniū, quia idem esset, ac sibi directè fidem esse datā de matrimonio. Si tamen Petrus fraudem nosset, quia tunc satis aperte fides ei data est, & occasio captandæ mortis viri, alias non, quia non daretur ea occasio.

30 Secunda conclusio. Hoc impedimentum est de solo Ecclesiastico iure inductum. Patet, quia non apparet aliquod ius diuinum, vel naturale hoc impedimentum statuens.

31 Sed quæres, quale peccatum sit, superstite vno coniuge alterum dare fidem extraneo de matrimonio post obitum coniugis celebrādo? Et respondetur, esse peccatum mortale. Ita patet ex *cap. fili. de eo, qui duxit*. Tùm, quia datur ansa captandæ mortis, tùm, quia in re graui frangitur præceptum superioris, quod intelligitur, quamuis nullum impedimentum matrimonij inde proueniret. Ita *Sanchez loco dicto, num. 40.*

32 Sed obijcies decretum *Leonis I. capit. nullus 31. quæst. 1. & cap. illud vero ibid.* Vbi generaliter dicitur, eum qui fornicatus est cum vxore alterius, mortuo eius viro, non posse cum ea matrimonium inire. Respondetur iuxta *Gloss. cap nullus*, istos textus esse intelligendos, quādo simul cum adulterio interuenit, vel machinatio mortis, vel fides ei data de matrimonio, vel matrimonium. Ita respondet *Sotus in 4. d. 37. quæst. vnic. art. 4. §. obijcies quis*.

QVÆSTIO LXIII.

Vtrùm valeat matrimonium fidelis cū infideli, & etiam cum hæretico, & catechumeno?

1 INFIDELEM vocamus eum, qui sacrō baptismi charactere insignitus nō est, & qui caret fide diuina, fidelem vero vocamus hominem baptizatum, & credētem. Per catechumenum vero eum intelligimus, qui sufficienter instructus est in fide, sed nondum recepit baptismi sacramentum, hæreticum vero eum dicimus, qui cum baptismum receperit, fidem tamen dereliquit.

2 Sit prima conclusio. Matrimonium fidelis cum infideli illicitum est, & iure diuino, & naturali, quantum ad ius diuinum constat cōclusio ex *D. Paulo 2. Corint. 6.* in his verbis: *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis* A *ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?* Quem locum *D. Hieronym. lib. 1. ad Iouinian.* intelligit de coniugio fidelis cum infideli, & etiam constat conclusio ex eodem *Paulo 1. ad Corinth. 7. Ibi, mulier, si dormierit vir eius, liberata est, cui autem vult nubat, tantum in Domino*. Quæ verba tantum in Domino. Ita *D. Thom. & D. Ambr.* intelligunt, scilicet debere matrimonium celebrari inter fideles, quod tale etiam coniugium iure naturali sit irritum. Patet, quia ius naturale docet periculum peccandi fugiendum esse, maximum autem periculū imminet fideli incidendi in infidelitatē, per hoc quod celebret matrimoniū cum infideli, vt de se patet, ergo tale matrimonium est illicitum iure naturali.

B Secunda conclusio. Matrimonium fidelis cū infideli non est irritum iure naturali, neque diuino positiuo. De iure naturali, patet primo, quia in lege naturę sæpe contraxerunt fideles cum infidelibus sine vlla Dei dispensatione, vt *Iacob* matrimonium celebrauit cum filiabus *Laban Genes. 29.* quæ infideles erant, *Ioseph cū muliere Ægyptia Genes. 41. Esther cum Assuero, Esther 2.* imo *D. Hieron. refert loco citato*, Tempore gratiæ hæc matrimonia etiam fuisse in vsu, quæ tamen irrita non reputabantur. Secundò probatur, quia hoc matrimonium nō omninò pugnat cum procreatione filiorum, quia ex eo rectè possunt filij generari, neque etiā omnino pugnat cū mutua cohabitatione, quia non est impossibile iure naturæ hos ita distinctos in religione sub eodem tecto habitare, in eodē C lecto dormire, & mutua sibi obsequia præstare, neque etiam tale matrimonium est nullum propter periculum spirituale, quod ex tali cō sortio imminere videtur fideli, quia etiam imminet hoc periculū ex matrimonio quod contrahit catholicus cum hæretica; & tamen hoc matrimonium secundum omnes Doctores validum est, ergo nō obstante eo periculo impedienti ex matrimonio fidelis cum infideli potest suum debitum valorem sortiri. Sed quod etiam tale matrimonium nōn sit irritum iure diuino positiuo, patet, quia nōn est aliquis locus sacræ Scripturæ, qui hæc matrimonia nostris temporibus irritet. Nam licet *Esdræ. 1. c. 9.* separentur Hebræi à coniugibus infidelibus, illud tamen præceptum fuit iudiciale, & positiuum, & impositum tantum populo Hebræorum, eique interdicens matrimonia cum infidelibus terræ Chanaam, nam si esset naturale ad omnes infideles se extenderet, quare tale præceptum non obligat post mortem Christi. D

Tertia conclusio. Iure Ecclesiastico est nullum matrimoniū fidelis cum infideli in nostra lege Euangelica. Ita sentiunt *Sotus in 4. dist. 39 quæst. vnic. art. 2. D. Bonauent. ibid. art. 1. q. 1. & aliquos refert & sequitur Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 71. num. 7.* Probatur primò ex traditione Ecclesiæ. Secundò probatur ex *Conc. Nic. 1. ca* 4

nono 67. in illis verbis; *Et quacunque mulier fideli viro infideli nupserit ipsa quoque ex Ecclesia eijciatur, quæ si pœnitentiam egerit malefitij, & eum virum quem habere non poterat, id est, infidelem dimiserit, non est recipienda nisi eo modo, quo recipitur, qui postquam fidē negauit ad fidē reuertitur, debetq́ ipsa infidelem relinquere.* Vnde patet, posse Pontificem in tali matrimonio dispensare offerente se vrgentissima causa viri prudentis arbitrio iudicanda, quod totum ordinatum sanctissime est ab Ecclesia ad vitandum periculum peruersionis fidelis, & ne proles ipsa prauis moribus imbuatur, ad prolem enim in Dei cultu educandam Sacramentum matrimonij institutū est à Deo iuxta *D. Tho. 4 dist. 39. quæst. vnic. art. 1.* huius veritatis elegantes rationes videantur apud *Bellarminum tom. 2. lib. de matrimonio cap. 23.*

5 Sed contra tertiam conclusionem istam obstat non contemnendum argumentum, quia matrimonium iure diuino est sacramentū, sed fidelis cum infideli non potest recipere sacramentum, ergo neque cum eo celebrare matrimonij contractum, & hoc iure diuino docēte, & præcipiēte, sed respondetur, taliter Christum voluisse matrimonium esse sacramētum, vt Ecclesiæ auctoritate posit aliquis contractus matrimonialis celebrari, qui non sit sacramentum.

6 Quæres tamen, an prædictum matrimoniū fidelis cum infideli eo casu, quo initur ex dispensatione Pontificis, sacramentum esset? *Basilius de Leon in libro de impedimentis dirimentibus*, respondet, esse quidem tale matrimoniū verum sacramentum ex parte fidelis consideratum, si infidelis habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non vero rationem sacramenti sortiri ex parte infidelis consideratum, hoc tamen sustineri non potest, quia matrimonium claudicare nequit, sed non est sacramentum ex parte infidelis, ergo neque ex parte fidelis, quare melius respondetur in eo casu sacramentum nō reperiri ex parte infidelis, neque ex parte fidelis, neque enim ex absoluta potestate Ecclesiæ vllum inconueniens reputamus id contingere.

7 Quarta conclusio. Matrimonium fidelis cū catechumeno est etiam nullum iure Ecclesiastico tantum. Ita *D. Tho. in 4. dist. 39. q. vnic. art. 1. ad quintum, D. Bonauent. ibi, in expositione literæ, & alij multi, quos refert Sanchez dicto loco n. 2. patet ex cap. caue. 28. quæst. 1. ibi. si Christiana fit, non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis.* Quod probatur etiam Ecclesiæ traditione, quæ fundatur, nō in periculo spirituali, quia hic nullum est, sed in eo, quod catechumenus non est baptizatus, & ita non est capax matrimonij, quod sacramentum est, quia baptismus est ianua reliquorum Sacramentorum.

8 Quinta conclusio. Matrimonium fidelis cū hæretica validum est iure naturali, quia vt patet ex præcedenti quæstione; & ex dictis de matrimonio fidelis cum infideli, quod difficilius est, non repugnat naturæ matrimonij, vel boni eius. Validum etiam est iure diuino positiuo, quia nullibi annullatur, validum etiam est iure Ecclesiastico, quod & supponitur *cap. decreuit. de hæreticis in sexto.* Et probatur ex perpetuo vsu Ecclesiæ. Ita *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 1. ad quintum, Durand. in 4. quæst. 1. art. 2. D. Bonauent. eadem dist. art. 1. quæst. 1. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 11. num. 4. & alij quam plurimi.* Inter hos autem ideò validū est matrimonium, quia cum hæreticus baptizatus sit subiectus Ecclesiæ, & ab ea posit corrigi, minus est de se periculum subuersionis in tali matrimonio, quam in matrimonio fidelis cum infideli, quia iste nequit ab Ecclesia corrigi cū sit extra Ecclesiam. Secundò probatur, quia si ambo sint baptizati, ambo sunt capaces sacramenti, & ita non fuit necessarium, eos incapaces reddere ad contractum matrimonialem celebrandum.

Sexta conclusio. Iure diuino naturali est illicitum, & peccatum mortale, fidelem contrahere matrimonium cum hæretica cum probabili periculo, & proximo perfidiæ, vel alterius peccati mortalis, vel vitæ corporalis. Hoc de se patet. Et probatur ex *Concil. Generali Calced. canon. 13.* Ita defendunt *Sotus in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 2. ad vltim. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 59. art. 1. ad finem, & nouissime Azor, lib. 5. institut. moral. cap. 2. fol. 530.* Quando vero non est ita proximum, & probabile periculum in his nuptijs, sed solum prohibentur, vt consortium hæreticorum vitemus, quod fit iure canonico, potest Pontifex dispensare in his nuptijs. Ita *Azor dicto loco*, & addit non expedire, talem dispensationem concedere, nisi primarijs viris, & ob pacis bonum, & hæretico fidem dante suæ ad fidem Catholicam conuersionis. Ita habetur *in Concil. Calced. actio. 15.* vnde nō placet, quod generaliter asserit *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 72. nu. 5.* in Gallia, Germania, & Polonia ex consuetudine Ecclesiæ licere, hæc matrimonia celebrare fidelibus cū hæreticis, dum in fide libere permanere permittantur fideles, & dum hæretici non sint nominatim denunciati, neq; notorij clerici percussores. Hæc enim consuetudo admitti non debet, vbi fideli immineret probabile, & proximum periculum alicuius lapsus spiritualis, cū autem periculum iuxta prudentis arbitrium tantum esset remotum, quia fidelis constantissimus est in fide, & valde honestæ vitæ, & hæreticus bonæ indolis esset, tunc ob Reip. tranquillitatem sciente Papa, & consentiente talia cōiugia, vt probabiliter credi potest, eorū cognitionem saltim in communi eum habêre, tūc prædicta consuetudo sustinenda foret.

Septi-

9 Septima conclusio. Non valent sponsalia inter infideles, & hæreticos celebrata. Ita sentit *Nauar. lib. 4. consil. titulo de sponsalibus, in prima editione, consil. 38. num. 6. in secunda vero editione, consil. 5. num. 6.* Probatur, quia tunc sponsalia continent promissionem rei illicitæ, ergo nullum valorem sortiuntur. Quæ conclusio limitanda est iuxta doctrinam prædictæ sextæ conclusionis, ita vt locum habeat in eo casu, quo quis promitteret matrimonium hæreticæ cum proximo periculo ruinæ spiritualis propriæ, nam si periculum tantum esset remotum, & in his prouincijs, in quibus ex scientia & patientia Pontificis matrimonia licita sunt propter tranquillitatem communem, sponsalia valida etiam esse existimamus. Valent autem sponsalia à fideli cum infideli inita, ea apposita conditione, si infidelis ad fidem conuertatur. Ita defendit communis sententia cum *Syluest. matrimon. 8. num. 10.*

10 Sed contra prædicta obstant aliqua argumenta. Primum sit ex textu *in canone 72. sextæ Synodi generalis*, in illis verbis: *Non licere orthodoxum cum hæretica coniungi, nec orthodoxam cum hæretico, sed etsi quid huiusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari.* Ad hoc tamen argumentum facile respondetur, istos canones *sextæ Synodi generalis*, quæ alio nomine Trullana nuncupantur, nullius prorsus auctoritatis esse, vt supra late ostendimus.

11 Secundò obijcies *Concilium Generale Calcedonen. cap. 14.* vbi insinuatur, permitti in sacramento coniugij Christianis, coniungi Iudæis, vel Paganis, si spoponderint suam conuersionem ad fidem. Respondetur tamen, in eo *capite esse sermonem de sponsalibus*, quæ possunt celebrari à fidelibus cum infidelibus sub ea conditione, si ipsi ad fidem conuertantur, non tamen ibi agi de matrimonio de præsenti, cum hoc nullum omninò sit, vt ex præcedentibus constat si absolutè, & seclusa quauis conditione illud contrahi contingeret. Ita notarunt *Diuus Thomas in quarto dist. 39. quæstione vnica, articulo primo ad tertium, Sotus in quarto dist. 39. quæstione vnica, articulo secundo, §. vnde verbum.* At vero matrimonium posset fidelis contrahere cum infideli sub ea conditione, si infidelis ad fidem conuertatur, quia neque hoc est prohibitum ab Ecclesia, neque aliquid inuoluit damni, aut periculi; quemadmodum valide contrahit quis matrimonium cum consanguinea in secundo gradu sub ea conditione, si Pontifex dispensauerit, vt supra docuimus.

(.?.)

QVÆSTIO LXIIII.

An cum matrimonium in infidelitate contractum est, & contingit, vnum coniugem ad fidem conuerti, possit conuersus alterum infidelem deserere?

IN hac quæstione duo tanquam certa supponenda esse censemus. Primum sit, inter infideles verum coalescere matrimonium, quod quidem secundum fidem, certum est, & constat primo ex eo, quia alias, si tale matrimonium inualidum esset, nequaquam *D. Paul. 1. ad Corinth. 7.* consuleret fideli ad fidem conuerso, vt cum suo coniuge infideli remaneret copulam exercens coniugalem. Atqui consulit Paulus perseuerantiam in antiquo coniugio, in illis verbis: *Ego dico, non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo antiquum coniugium validum fuit, in quibus verbis Pauli consilium, non vero præceptum contineri, docent *Diuus Hieronymus, & Glossa Interlinealis, atque ordinaria super eum locum.* Secundo constat hæc veritas *ex cap. quanto, & cap. gaudemus de diuortijs.* Hoc tamen matrimonium infidelium, neque sacramenti rationem induit, neque gratiæ confert beneficium; validum inquam est matrimonium infidelium, dummodo non sit contrarium iuri naturali, aut legibus ab infidelibus latis, quæ iustæ sint, & matrimonium irritum reddant, nam Ecclesiæ legibus licet contrarium sit etiam irritantibus, non tamen propterea valore destituetur quia tale matrimonium legibus Ecclesiæ non subijcitur.

Secundo supponendum est, tanquam de fide certum, non dissolui matrimonium eo ipso, quod alter infidelis coniux ad fidem conuertatur, & alter non conuertatur. Patet ex prædictis verbis *Diui Pauli*, vbi cõsilium præbet ad fidem conuerso, vt cum infideli cohabitationem amet, cuius rei eam reddidit rationẽ, *Innocentius Tertius, in cap. gaudemus de diuortijs. quia per sacramentum baptismi non soluuntur coniugia, sed crimina dimittuntur.*

Sit prima conclusio. Quando infidelis est ita obstinatus in sua infidelitate, vt nulla sit spes correctionis, etiamsi velit viuere sine contumelia creatoris, & pertractione fidelis ad peccatum, tunc coniux fidelis tenetur vitare cohabitationem eius, & semper, & in omni tempore eam debuit vitare. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 3. Enriq. lib. 11. de matrimonio, cap. 15. nu. 12.* Probatur, quia, vt bene docuit *Syluester verbo, matrimonium,*

monium, 8. *quæst.* 10. adulterium, & infidelitas in materia matrimonij pari passu currunt. Sed coniux innocens, quando nulla expectatur correctio adulteræ, tenetur eam deserere, ne protector criminis videatur, & ita scandalum generet videntibus, ergo idem præstare debet fidelis, cum nullam expectat conuersionẽ coniugis infidelis. Secundo probatur, quia in isto casu fideli imminet aliquod periculum peruersionis ex cohabitatione, & nullus infidelis expectatur fructus spiritualis, sunt ergo isti coniuges separandi abinuicem, imò ad hoc compelli potest fidelis à iudice Ecclesiastico.

Secunda conclusio. Etiamsi aliqua spes cõ-
4 cepta sit de conuersione infidelis, & etiamsi ille velit cohabitare cum fideli coniuge sine cõtumelia Creatoris, & absque pertractione ad peccatum, distinctione tamen vtendum est circa eius cum fideli cohabitatione, nam tempore Apostolorum, & sexcentis postea annis, quando Iudæi, & alij infideles frequenter ad meliorem se fidei nostræ frugem conuertebãt, & erat spes communiter conuersionis, permittebatur ad fidem conuerso cum infideli cohabitare, iuxta consilium *Pauli* 1. *ad Corinth.* 7. quia tunc nouiter conuersi habebant magnam fidei constantiam, & feruorem, & infideles nõ erant nimis obstinati, consilium enim Pauli pro illo tantum tempore procedebat. Postea alio subsecuto seculo, quo rarissimi Iudæi conuertebantur, erantque in sua perfidia obstinati, & erat spes conuersionis rara, & cæpit apparere periculum cohabitationis cum illis, decretum est in *Concilio Toletano* 4. *cap.* 62. *relato in cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. recepto ab Ecclesia, ne vxores fideles Iudæorum infidelium cum illis cohabitarent, & de alijs infidelibus nihil prohibetur. Tandem, tertio nostro seculo, cum experientia docuerit frigescente charitate, & feruore fidei, multa sequi damna ex cohabitatione eius, qui ad fidem conuertitur cum suo coniuge infideli, tenetur conuersus sub præcepto coniugis infidelis consortium subterfugere. Tum etiam, quia his seculis communiter minor est spes conuersionis infidelis, & licet in aliquo casu aliqua esset particularis spes conuersionis, semper tamen prædictum consortium fugiendum esset propter commune periculum eius, qui ad fidem conuersus est, quod consortium fugiendum est ex præcepto Ecclesiæ à traditione Ecclesiæ ortum habẽte. Ita sentiunt *D. Thom. in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 3. *ad secundum*, *D. Bonauent. ibidem, in expositione literæ*, *Syluest. verbo, matrimon.* 8. *quæst.* 10. *dicto* 5. Quæ doctrina vera est, quamuis cõuersus ad fidem post suam conuersionem cum vxore infideli copulam habuerit, neque enim per copulam renuntiare potest iuri, quod habet ad separationem thori, quia hoc ius introductum est in fauorem fidei, & propter bonũ
A commune, cui non potest priuatus homo renuntiare, quemadmodum non potest clericus renuntiare priuilegio sui fori Ecclesiastici, quia illud cõcessum est in fauorem communis status clericalis. Quamuis coniugatus accedens ad suam coniugem, post quam cognouit adulterium ab ea perpetratum, renuntiare videatur iuri, quod habet ad separationem quoad thorum, quia hoc ius introductum est in fauorem priuatum coniugum.

Prædictum tamen præceptum non obligat 5
in eo casu, quo cito speratur conuersio infidelis, vt quia iam catechizatur, tunc enim spes emendæ, & breuitas temporis excusant, vt notat *Enriquez lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *num.* 12. alios Doctores citans *in Commento. litera X.*
B Neque cum vitæ periculo, quia si aliquis ad fidem conuerteretur, & ne proderetur cum vitæ periculo, permaneret cum coniuge infideli, tunc si non esset probabile periculum subuersionis propriæ, sine culpa cohabitaret. Ita cum alijs *Petrus de Ledesma de matrimon. quæst.* 59. *art.* 3. *in fine, & Sotus in* 4. *dist.* 39. *quæst. vni. art.* 3. §. *sed alia.* Hinc posset Episcopus dispensare in hoc præcepto in insulis, vbi est crebra conuersio ad fidem, vt aliquo tempore cõuersus cum infideli cohabitaret cum spe conuersionis alterius, & sine periculo fidelis.

Tertia conclusio. Quando alter tantum pa- 6
rentum est conuersus ad fidem, tunc siue filius vel filia habita sit in infidelitate, siue postea, si est rationis capax, non est ad fidem cogendus,
C vt patet ex *cap. de Iudæis* 45. *dist.* si autem non est capax rationis, sequi debet conditionem parentis fidelis, siue sit minor triennio, siue non, & iste compelli debet, vt talem filiũ baptizet. Patet ex *cap. Iudæi*, 28. *quæst.* 1. & cum dubitatur, an habeat vsum rationis, vel non in fauorem fidei iudicandum est, vt baptizetur tanquam infans, cuius ratio est, quia tunc prouidetur filio id, quod melius est, & id, quod tenetur ipse vsum rationis nactus sequi.

Sit quarta conclusio de fide. Matrimonium 7
infidelium quantumuis consummatum potest dissolui, si alter ad fidem conuertatur, alter autem in infidelitate perseuerans, aut nolit habitare cum infideli, vel nolit habitare sine cõtumelia creatoris, vel sine eo, quod coniugem
D fidelem ad peccatum pertrahat mortale. Quæ conclusio probatur ex *Paulo* 1. *ad Corinth.* 7. *Ibi, quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Quem locum in sensu nostræ conclusionis intelligunt *D. Ambros.* super eum locum, & fere omnes expositores: imò & quod maius est, *Innocent. III. cap. quanto de diuortijs*, his verbis: *Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam cõuertatur altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur*

tur ad secunda si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus vbi supra: *quod si infidelis discedit, discedat, frater enim, vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi*. Ex testimonio autem Pauli merito Ecclesia colligit, posse conuersum secundas nuptias inire, altero nolente cohabitare sine contumelia creatoris, vel pertractione ad peccatum. Quia si in isto casu conuersus non posset aliam vxorem ducere, cum alias non posset ex licentia Pontifici, se etiam cum prima vxore habitare, quia hoc est prohibitum iure naturæ in isto casu, vt patet ex sexta conclusione quæstionis præcedentis, sequeretur conuersum esse serui tuti subiectum, & alligatum perpetuæ continentiæ, ad quam neminem sine sua voluntate, & sine culpa cogit Ecclesia. Secundo optime id collegit Ecclesia, quia cum ambo teneantur lege diuina fidem amplecti, si fidelis eam amplectitur, & infidelis eam renuit, iam fidelis dicitur relictus, & infidelis dicitur discedere, & alterum relinquere; vt optime *Abbas in eo cap. quanto, num. 6. Præpositus nu. 2. Alexand. de Neuo num. 5.* Explicatur. Quæ quidem facultas fidelis non est concessa ab Ecclesia, sed à Christo Domino nostro in fauorem fidei, & ne deterrerentur homines à conuersione timore continentiæ perpetuæ, & est explicata per *Paulum loco citato*, vt senserunt *Abulens. 1. Regum 8. quæst. 32. D. Bonauent. in 4. dist. 39. quæst. 2. art. 1. & alij*. Ex discessu autem infidelis, potest ad fidem conuersus ansam sumere ad ineundum aliud matrimonium, vt bene notauit cum *Abulens. 1. Regum 8. quæst. 55. Sanchez lib. 7. disp. 74.* Nisi ratione adulterij à fideli commissi ante baptismum, vel postea infidelis ab eo discedat vtens iure suo, tunc enim non potest conuersus ad secundas nuptias transire, nisi ab alio condonetur iniuria, vel etiam adulterium committatur. Probatur, quia priuilegium Christi concessum est in fauorem fidei, ne conuersus propter conuersionem teneretur perpetuam castitatem seruare, non ergo ei fauet priuilegium, quia iste alias, etiamsi non conuerteretur, propter crimen adulterij perpetuo manebat alterius coniugis consortio priuatus.

8 Sed quæres, quid sit, habitare cum contumelia creatoris, vel cum pertractione ad peccatum? Ad primum respondetur, habitare cum contumelia creatoris, consistere in eo, quod infidelis coram fideli conuitia iactet in Christum, & fidem, etiamsi non nitatur alterum ad infidelitatem trahere, quia hoc est contrarium Christo, & quia ex hoc solo fideli sequitur magnum periculum. Ita *Sot. in 4. dist. 39 quæst. vnic. art. 3. in fine, Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 59. art. 5. dubio vnico, concl. 2.* Ad secundũ respondetur, ad pertractionem ad peccatum eam suasionem verbis, vel factis sufficere, quæ attenta fidelis fragilitate periculum lapsus spiritualis fideli offert in peccatum mortale.

Sed contra quartam conclusionem obstat primo *Paulus ad Romanos 7.* vbi matrimonium consummatum sola morte dicit posse dissolui. Secundò obstat *cap. primum 28 quæst. 2.* vbi loquens de viro conuerso, & de vxore non conuersa, ait: *Si quis habuerit vxorem virginem ante baptismum, viuente illa post baptismum, alteram habere non potest, crimina enim in baptismo soluuntur, non coniugia*. Ad primum enim respondetur, illum locum intelligendum esse de matrimonio tantum fidelium, non vero de matrimonio infidelium, cum proxime explicuerimus iuxta doctrinam *Diui Pauli 1. ad Corinth. 7.* qua ratione matrimonium contractum in infidelitate possit dissolui. Ad secundum respondetur caput allegatum in eo tãtum casu procedere, quo vxor infidelis cohabitare vult cum viro ad fidem conuerso sine contumelia creatoris, & sine pertractione ad peccatum, vel quando illa etiam sui viri exemplo commota conuertitur ad fidem, vt in eo textu notauit *Glossa verbo, viuente*, vbi licet sit sermo de virgine, cum qua contractum est matrimonium in infidelitate, eadem tamen est ratio de coniuge, cũ qua consummatum est matrimonium, vt ibi aduertit *Glossa verbo, virginem*, fit tamen mentio de virgine, quia casus propositus ad virginem pertinebat.

Secundò quæres, an cum infidelis coniux non vult conuerti ad fidem, vult tamen habitare cum coniuge ad fidem conuerso sine contumelia creatoris, vel sine pertractione ad peccatum mortale (qua ratione de huiusmodi pertractione loquimur) possit conuersus ad fidem eam vxorem infidelem deserere, & ad secundum migrare matrimonium, *Sanchez loco citato, num. 9. referens Sotum in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 4. colum. 3. vers. est tamen hic, & Palatios in 4. eadem dist. disp. vnic. colum. penult*, & alios Doctores, pro viribus defendit, posse conuersum aliam vxorẽ ducere istis nostris temporibus, quando non licet illi cohabitare cum infideli etiam pacifico, & minime pertrahente ad malum. Probat iste Auctor suam sententiam duplici fundamento. Primum est, quia iuxta *D. Paulum 1. ad Corinth. 7.* conuersus potest secundam vxorem ducere, quoties prima ab eo discedit, & iuxta textus & Auctores allegatos in quarta conclusione, tunc dicitur discedere infidelis, quoties cum eo non licet fideli cohabitare. Sed in isto casu, vt vidimus in secunda conclusione, non licet nostris temporibus fideli commorari cum infideli, dummodo ad fidẽ non conuertatur, & quamuis sine vllo præiudicio fidei, vel morum fidelis consortium diligat, ergo licitum est conuerso ad fidem secundum celebrare coniugium. Secundò probat, quia rationes eius priuilegij, quod concessum

est à Christo his, qui ab infidelitate ad fidelitatem conuertuntur, quarum meminimus in quarta conclusione etiam militare videntur in præsenti casu, scilicet conuenientem esse dissolutionem primi matrimonij, ne conuersus ad fidem sine vlla propria culpa cogatur perpetuam castitatem seruare, & ne timore huius perpetuæ continentiæ deterreantur homines à conuersione ad fidem cum magno fidei detrimento.

11 His tamen minime obstantibus fit quinta conclusio. In isto casu non potest conuersus aliam ducere vxorem, nec potest cum prima cohabitare propter generale periculum peruersionis. Secunda pars huius conclusionis constat ex dictis in secunda conclusione huius quæstionis. Prima vero pars sufficienter probatur ex eo, quia priuilegium Christi, quod conuersus possit aliam vxorem ducere, & dissoluere matrimonium cum prima solum intelligitur, vt patet ex Paulo, & ex explicatione Ecclesiæ, in *cap. quanto de diuortijs*, vt vidimus in quarta conclusione, quando infidelis non vult cohabitare cum fideli, vel non vult sine contumelia creatoris, & pertractione ad peccatum, ergo cum infidelis vult cohabitare pacifice, non potest dissolui matrimonium, quia ad hoc, neque sancti Patres, neque Ecclesia, neque aliqua ratio extendit hoc priuilegium. Hæc est communis sententia, quam defendunt *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. artic. 5. in corpore, Paludan. ibi art. 2. num. 10. Toledo, lib. 7. summa cap. 7. num. 3. Valentia 4. part. disp. 10. quæst. 1. puncto 7. colum. 3. & alij multi Theologi, & Iurisperiti.*

12 Ex dictis primo sequitur, non desiderari sententiam iudicis ad hoc, vt conuersus ineat valide secundum matrimonium in his casibus, in quibus potest illud inire, quia hoc priuilegium est Christi, non Ecclesiæ, vt autem recte ineatur, & sine scandalo, requiritur talis sententia, quando ex tali matrimonio posset scandalum sequi.

13 Secundò sequitur, præcise necessarium esse monere infidelem coniugem siue ab altero cõiuge fideli, siue ab Ecclesia, an velit cohabitare sine contumelia creatoris, & absque pertractione ad peccatum, lex enim charitatis, & lex coniugij ad hæc sine dubio videntur obligare, ne infidelis inconsultus grauem ex ea desertione iacturam patiatur. Ita sentiunt *Angelicus, & præclarissimus Doctor Diuus Thomas, loco proxime citato ad quartum, Gabriel ibidem, quæst. vnica, art. 2. conclusione 5. & alij quam plures.* Et quia in re ita graui qui cito credit leuis est corde, præfigendus est aliquis terminus infideli, vt re matura deliberatione perpensa, quid sibi placeat, libere ostendat, vt docuit *Gregor. XIII. infra allegandus*, qui terminus iuxta prudentis arbitrium designandus esset, non esset autem necessaria admonitio, quoties verbis, vel signis, vel facto aliquo, vel vno teste fidedigno, & certo id affirmante (quando alij non possent adhiberi) sufficienter perspiceretur, eum nolle cohabitare cum conuerso, vel cohabitationem renuere sine contumelia creatoris, aut pertractione ad peccatum. Infidelis autem admonendus est, quamuis ad secundas nuptias ex eo transierit, quia à priori coniuge libelli repudium susceperit, qui modo ad fidem conuertitur, quia fortassis secundum celebrauit coniugium credens, primas nuptias esse per repudij libellum dissolutas, non vero nolens cohabitationem cum conuerso coniuge inire, quod si conuersus dubius est de voluntate alterius infidelis, an velit conuerti vel non, necessarium est infidelem admonere, alias non poterit conuersus secundas nuptias celebrare.

Thomas Sanchez loco citato num. 14. sentit in eo casu, quo infidelis adeò distet, vt commode requiri nequeat, aut requisitio sit impossibilis moraliter, necessariam non esse prædictam monitionem, quia si res eo modo considerentur, quo nunc se habent, moraliter est certum in tali euentu, infidelem neque velle conuerti, neque suos relinquere velle, vt cum fideli commoretur, vbi Sanchez ad hanc monitionem omittendam non requirit vllam dispensationem Pontificis. Verumtamen iste doctissimus vir decipitur sane, in isto casu non requirens dispensationem Pontificis, hæc enim sine dubio est necessaria, vt optime considerarunt *Azor 2. part. lib. 5. Institutionum moralium, cap. 2. & Basilius de Leon, tomo de impedimentis dirimentibus*, dum disputat de cultus disparitate. Probatur ex *Pio V. & Gregor. XIII.* qui in isto euentu dispensationes suas, vt necessarias indicarunt, interpretantes ad hoc propositum diuinum ius declaratum per *Diuum Paulum 1. Corinth. 7.* Verba Gregorij hæc sunt: *Quoniam sæpe contingit multos vtriusque sexus infideles post contracta Gentili ritu matrimonia ex Angola, Æthiopia, Brasilia, & alijs Indicis Regionibus ab hostibus captos à proprijs finibus, & proprijs coniugibus in remotissimas Regiones exterminari, adeò vt ipsi captiui, & qui in patria remanent, si postea ad fidem conuertantur coniuges infideles tam longo interuallo disiunctos, an sine contumelia creatoris secum habitare velint, vt par est, monere nequeant vel quia interdum ad hostiles, & barbaras prouincias ne nuntijs quidem accessus patet, vel quia ignorant prorsus in quas Regiones fuerant translati, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem*, & postea subdit. *Concedimus facultatem dispensandi cum quibuscunque vtriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum Regionum, & seruis ad fidem conuersis, qui ante baptismum matrimonia contraxerunt, vt eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli, & eius consensu minime* requi-

regnisico, responso non expectato matrimonia cum quouis fideli alias tamen rite contrahere, & infra subdit, *quæ quidem matrimonia, etiam si postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatē iustè impeditos declarare non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonij conuersos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida, & firma esse* Quod authoritate Dei videtur decretum, & in fauorem fidei.

15 Ad argumenta Sanchez respondeamus, si placet. Ad primum dicimus, Ecclesiam, vel sanctos Patres nunquam declarasse, priuilegiū Christi de dissoluendo priori coniugio esse ad eum casum extendendum, in quo non conuersus vult habitare cum conuerso coniuge sine contumelia creatoris, vel tractione ad peccatum. Ad secundum respondetur, rationes priuilegij à Christo concessi non militare in eo casu, tum, quia Pontifex facile potest in eo dispensare, cum nō esset probabile periculum subuersionis, & solum sit ab Ecclesia prohibitum. Vnde non teneretur conuersus cælibem vitam perpetuo seruare. Cum vero non conuersus nollet habitare sine contumelia creatoris, non posset Pontifex dispensare in cohabitatione diuino iure prohibita. Tum, quia in hoc casu propter dispensationem possibilem non retardarentur infideles à conuersione. Denique quia in eo casu, de quo loquimur, habetur magna spes conuersionis ad fidem eius, qui in infidelitate perseuerat. In alio vero casu magis desperatur conuersio.

QVAEST. LXV.

An sicut dissoluitur primum matrimonium fidelis conuersi per posterius, posset etiam per aliquod votum dissolui, & quid tunc possit alter coniux infidelis præstare.

1 CIRCA id, quod in hac quæstione supponitur, licet diuersæ pugnent inter se sententiæ, nostra tamen in hoc consistit. Prima conclusio prius matrimonium in infidelitate contractum non dissoluitur per hoc, quod infidelis nolit habitare cum conuerso aut quia nolit habitare sine contumelia creatoris; sed per secundum matrimonium, quod cōuersus celebrauit post susceptum baptismum. Ad hanc conclusionem defendendam sufficit nobis authoritas *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 5. ad secundum* Cuius hæc sunt verba. *Ad secundum dicendum, quod crimen vxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris, absoluit virum à seruitute, qua tenebatur vxori, vt non posset ea viuente aliam ducere. Sed nondum soluit* A *matrimonium, quia si blasphema illa conuerteretur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus, sed soluitur per matrimonium sequens.* Quam doctrinam sequuntur *D. Anton. 3. part. tit. 1. ca. 6. ad finem Syluest. verbo, matrimonium 8. quæst. 10. dicto 6. Nauar. in sum. cap. 22. num. 49. & alij.* Probatur conclusio primo, *ex cap. gaudemus de diuortijs. in fine.* Vbi loquens Pontifex de eo, qui ad fidem conuersus est, & ante suam conuersionem matrimonium contraxerat, hæc verba subijcit. *Quod si conuersum ad fidem, & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur.* Si ergo conuersus compellitur ante secundas nuptias peiorem vxorem ducere, & nō post eas, sequitur, prius B coniugium tantum dissolui per posterius.

2 Hinc sequitur, prius matrimonium in infidelitate contractum nō dissolui per hoc, quod infidelis contrahat matrimonium secundum ante quam conuersus post baptismum celebret nouum coniugium, quia priuilegium dissoluendi matrimonium prius, non est concessum iure diuino infideli, sed tantum fideli, vt habetur *expresse in cap. quanto, de diuortijs. ita sensit Veratruz. 2. part. speculi art. 33. conclus. 4. cum alijs Doctoribus.*

3 Contra istam conclusionem obijciet aliquis, quia posterius matrimonium celebrari non potest, donec dissoluatur prius, ergo prius dissolui debet non per posterius, sed alia via. Huic argumento respondemus, primum ma- C trimonium prius dissolui in genere causæ materialis, quam alterum secundum recipiatur, at vero in genere causæ efficientis prius esse introductionem secundi matrimonij, quam expulsionem primi, quod quidem aperte ostenditur in productione caloris, & corruptione frigoris. Si enim consideremus ordinem causæ materialis, inueniemus, prius corpus liberari à frigore, quam recipiat calorem, quod si oculos conuertamus ad ordinem causæ efficientis, videbimus, prius produci calorem, quam expellatur frigus. Vbi per prius, & posterius intelligimus prioritatē, & posterioritatē naturæ. Sed hoc punctum in alium locum reseruare debemus. Nostram respōsionem confirmat D *Paul. Comitol. lib. 1. responsionum moral. q. 126. n. 3.* Exemplo matrimonij rati fidelium, quod professione religionis approbatæ dissoluitur, vt vidimus in quæst. 5. huius tract.

4 In eo vero puncto principali huius quæstionis supponendum est cum *Angelo verbo, matrimon. 3. impedim. 10. nu. 6. Syluest. verbo, matrim. 8. quæst. 10. dicto 8.* Et cum alijs Doctoribus, licitum esse coniugi conuerso ab infidelitate ad fidem post factam eam sufficientem monitionem, cuius meminimus in quæstione præcedenti religionem ingredi, vel ordines suscipere, vel votum simplex castitatis emittere, quando alter

do alter non vult conuerti ad fidem, siue velit habitare cum conuerso cum contumelia creatoris, siue absque illa, & siue sit spes conuersionis, siue non. Probatur, quia tunc conuerso licitum est efficere diuortium, sicut, & coniugi innocenti licitum est, petere diuortium, quando alter coniux adulterium perpetrauit: sicut ergo coniux innocens stante alterius adulterio potest statum religionis, ordinis, vel voti simplicis suscipere. Ita etiam poterit, prædictum statum suscipere, qui ratione infidelitatis alterius coniugis diuortium petijt. Quod si antequam fidelis transeat ad secundum matrimonium, vel ad statum religionis, ordinis, aut voti simplicis, infidelis coniux conuertatur ad fidem, non potest fidelis eum deserere, sed tenetur eius matrimonio vti. Tunc enim absque sufficienti causa pateretur detrimentum coniux iam ad fidem conuersus, si posset sui consortis solatio frui. Imo si contrarium contingeret, redderetur odiosa fides nostra, & conuersio difficilis, quod si vir prius conuersus, ac religionem ingressus non est illam professus, restituendus est vxori postea ad fidem conuersæ, si vero professus fuerat religionem ante cõuersionem alterius, non est ei restituendus, licet postea ad meliorem se fidei frugem conuertat, *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnica. art. 5. ad quartum*. Asserit, conuersum ad fidem posse mutare statum, quando non datur spes conuersionis alterius coniugis, non vero quando spes aliqua concepta est. Intelligendus tamen est, ita vt necessarium sit, ad hoc, vt fidelis mutet statum, coniugem infidelem admoneri, an velit conuerti, & consortio alterius frui: quod natura coniugij videtur exposcere. Si vero facta monitione non conuertitur, etiam si sit aliqua spes conuersionis, licitum est, vt iam vidimus, coniugi conuerso, alium statum suscipere, neq; hoc credo D. Thomã negasse. Quod si conuersus tantum emiserat votum simplex castitatis, & alter post votum conuertatur, tunc non posset prior conuersus petere debitum, at teneretur reddere.

Hæc quidem ita se habent. Difficultas vero nõ modica in eo versatur: an matrimonium cõ
5 tractum in infidelitate, possit dissolui per aliquod votum emissum à coniuge, qui conuertitur, altero conuersionem repellente. Et quidẽ certum est cum *Ludouico Lopez 2. part. instructorij, vbi de matrim. cap. 53. column. antepenultima, Vega 2. tomo summæ, cap. 34. casu 144.* Per susceptionem ordinis sacri non dirimi tale matrimonium, neque etiam per votum simplex castitatis, quod minorem in se continet virtutẽ. Tum, quia nullum ad hoc reperiemus fundamentum, tum etiam, quia huiusmodi matrimonium, vt constat ex quæstione 5. huius tractatus, comparatur matrimonio rato fidelium, sed matrimonium ratum fidelium non dissolui

A tur ordine sacro, aut voto simplici castitatis, ergo neque tale matrimonium in infidelitate contractum. Vnde totius difficultatis cardo in eo vertitur, an prædictum coniugium dissolui possit per votum solemne religionis. In qua quæstione quidam dicunt, in eo casu, quo infidelis velit cohabitare cum conuerso ad fidem sine vllo damno spirituali eius, non dirimi antiquum matrimonium, alij vero in omni casu tale matrimonium dissolui negant, siue infidelis velit cohabitare, cum contumelia tamen creatoris, siue absque illa. Probant istam doctrinã, quia priuilegium Christi concessum fideli ad dissoluendum matrimonium prius per aliud posterius post baptismum celebratum eo tendit, ne cogatur fidelis, vitam celibem perpe-
B tuo ducere. Quod magnum potest præ se ferre inconueniens, sed hoc inconueniens solum præcauetur per celebrationem secundi matrimonij, & non per susceptionẽ alterius status, ergo tantum dissoluitur prius matrimonium per aliud posterius, non vero per professionem religionis.

Sit tamen secunda conclusio. Siue infidelis
6 coniux velit cohabitare cum contumelia tamen creatoris, vel pertractione ad peccatum cum conuerso, siue absque his spiritualibus detrimentis, siue nolit habitare cum illo, semper tamen matrimonium in infidelitate contractum, dissoluitur per professionem religionis approbatæ emissam à coniuge conuerso. Ita defendunt *Enriquez lib. 11. de matrimonio, ca. 8.*
C *num. 5. & Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 76. n. 9.* Probatur ratione insinuata *ab Enriquez loco citato*. Quia hoc matrimonium, quamuis consummatũ fuerit, imperfectum est, tum quia nõ est sacramẽtũ, tum, quia minime repræsentat perfecte coniũctionem Christi cum Ecclesia. Imo multo est imperfectius, quam matrimonium ratum fidelium, sed hoc dissoluitur, vt vidimus in quæst. 5. huius tractatus professione religionis, ergo, & illud.

Argumento in oppositum respondetur, ex 7
eo, quod priuilegio Christi dissoluatur primũ matrimonium contractum in infidelitate per secundum matrimonium contractum post baptismum, in his casibus, qui expressi sunt quæstione præcedenti, sufficienter colligi, etiam
D posse dissolui per professionem religionis approbatæ, quæ maiorem vim habet. Ex eo autẽ deducitur, professionem maiorem vim habere, quam matrimonium, quia matrimonium ratum fidelium non dissoluitur per aliud matrimonium, & tamen per professionem religionis, vt vidimus in ea quæstione 5. sufficienter dissoluitur.

Quæres vero primo, an possit prædictum 8
matrimonium in infidelitate consummatum ab Ecclesia dissolui. Huic puncto virtualiter satisfactũ est in secunda conclusione ibi enim

adductæ.

adductæ rationes etiam confirmant matrimonium illud consummatũ posse à Pontif. dissolui. Respondetur tamen expresse, id esse possibile. Ita respondet *Paul. Comitol. lib. 1. responsionum moral. quæst. 124. num. 7. cum Magistro Sententiarum in 4. dist. 39. cap. vltimo de matrimonio.* Quia nõ est ratũ. Probatur ex *Innocent. III. cap. quanto. de diuortijs, ibi. nam, & si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen ratum*, matrimonium autem non ratum potest sine dubio à Pontifice dissolui, quia, & de rato id quæstione quinta pronuntiauimus.

9 Quæres vltimo in hac quæstione, an possit infidelis, qui noluit conuerti, secundum matrimonium inire, postquam alter conuersus aliã vxorem duxit, aut in religione professus est. In quo certum est cum, *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnica art. 5. ad tertium.* Posse infidelem aliud matrimonium valide inire, patet, ratione *D. Thom. ibi. quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed dissolutum est quantum ad fidelem*, Ergo, & quantum ad infidelem. Infidelis verò postea conuersus potest religionem etiam intrare. Maior difficultas est, an hoc sit licitum infideli, quidam dicunt, esse ante conuersionem illicitum, sed post eam licitum, alij dicunt, esse illicitum, cum est subiectus principi Christiano, qui id præcipit lege ciuili. Tertia sententia est *Sanchez lib. 7. disp. 77. nu. 6.* licere infideli hoc. Probatur primo quia nulla est lex humana, neque naturalis diuina, quæ obliget ad non nubendum infidelem post quã fidelis ad secundum matrimonium transiuit. Et confirmatur, quia dissoluto primo matrimonio per mortem coniugis conuersi potest non conuersus, secundum inire matrimonium, ergo etiam dissoluto per secundum matrimoniũ conuersi. Et confirmatur, quia si inter fideles vnus sine causa nollit sequi alium fidelem, peccat contra legem matrimonij, & tamen dissoluto matrimonio per ingressum religionis alterius, vel eius morte, potest secundum inire cõiugium, ergo etiam potest infidelis in nostro casu, quia minus videtur delinquere, quam fidelis.

10 Sit tertia conclusio. Etiam dissoluto matrimonio à conuerso non potest coniux antiquus non conuersus licite inire secundum matrimonium, ita docet *D. Thom. in 4. dist. 39. q. vnica art. 5. ad 3. Sot. ibidem art. 4. versic. contra hoc tamen gloss. cap. quanto, de diuortijs. Innocent. num. vnic. ad medium, & alij Theologi, & Iurisperiti, & nouissime Comitol. loco citato. Imo ait D. Thom.* etiam post conuersionem non posse illum infidelè licite inire secundum matrimonium sine dispensatione. *Verba D. Tho. ibidem sunt, vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere magis, quam ex virtute matrimonij præcedentis, sed si postea conuertatur potest ei concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius aliam vxorem duxit*, Quod quidẽ præceptum hoc prohibens est partim diuinũ, & partim naturale, & media traditione Ecclesiæ nobis innotescit. Probatur conclusio primo ex *cap. finali 28 quæst. 2.* quod est, *D. Ambrosij.* Secundo probatur quia ille infidelis eo ipso, quod non vult ad fidem conuerti eo tempore, quo alter fidem amplectitur, contra Deum delinquit, eius legem deserendo, contra fidem non recipiendo sacramentum fidei, quod est baptismus, & contra sacramentum matrimonij, non sequens vestigia fidei alterius coniugis, iuste ergò punitur in his, in quibus peccat, per hoc quod non possit alterum matrimonium inire, nisi grauiter delinquat.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum quidem patet solutio ex nostra conclusione. Ad secundum dicimus nunquam posse infidelem secundum matrimonium celebrare, etiam mortuo fideli coniuge, vt patet ex supra dictis de homicidio vxoris, & presbyteri quæ prohibent matrimonium ei, qui causa fuit homicidij, quod satis nobis significauit, D. Thom. dum absolute locutus est in hoc puncto loco citato.

QVÆSTIO. LXVI.

De impedimento ligaminis.

PRo huius quæstionis intelligentiã quædam ante oculos proponenda sunt. Primum sit rationem ligaminis, & polygamiæ, seu secundarum nuptiarum in eo præcise consistere, quod quis perseuerante priori matrimonio aliud secundum celebret.

Secundo ante oculos proponendum est, polygamiam licitam fuisse antiquis Patribus veteris testamenti, ita docent *D. Thom. 4. dist. 33. quæst. 1. art. 2. in corpore, D. Bonauentura art. 1. quæst. 3. Capreolus quæst. 1. art. 3. Cardinalis Bellar min. cap. 11. de matrimonio propositione 3. & 4.* Et alij, quod quidem licuit ex diuina dispensatione eis à Deo concessa, & per reuelationem communicata ad hoc, vt populus Israel specialiter à Deo dilectus in dies augeretur, quæ sane dispensatio etiam fuit à Deo collata pro toto populo Israel, & ex reuelatione eius dispẽsationis sanctis Patribus communicata deuenit illa per continuam traditionem ad notitiã totius populi Israel. Hæc autẽ polygamia nũquam licuit alteri populo, vt docuit *Sotus 4. d. 33. quæst. 1. ar. 2.* Quia, vt statim apparebit, hæc ex lege diuina fuit prohibita omni populo, & nunquam in ea lege constat Dominum dispensasse, nisi tantum cum suo populo Israel; sed quod sanctis Patribus legis veteris fuerit concessum secundas posse celebrare nuptias, constat ex veteri testamento, in quo apparet, aliquos

quos eorum eas celebrasse, in quo tamen facto non reprehenduntur, sed laudantur, quodque ipsi omnino fugerent, si aliquam in eo vmbrã peccati agnoscerent. *Ex Genes. enim ca. 16.* constat Abraham plures duxisse vxores aliam Sarai, aliam Agar. *Ex Genes. 32.* patet Iacob cum pluribus contraxisse matrimonium, vt cum Rachel, & Bala, ita vt hi patres perseuerante, primo matrimonio aliud secundum celebrauerint, & vt optime considerauit *Greg. de Valentia tomo 4. disp. 10. quaest. 1. puncto 3.* Ab orbis primordijs lex diuina extitit prohibens polygamiã. Quod probatur primo *ex Genes. 2.* Vbi Deus per os Adam hanc mundo toti futuro pronunciauit legem, *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhaerebit vxori suae, & erunt duo in carne vna.* Secundo probatur, *ex Matthaei 19. cap.* Christo sic asseuerante, *non legistis, quia qui fecit ab initio hominem masculum, & foeminam, &c.* Haec autem lex cordibus hominum erat impressa, nõ vero scripta, aut promulgata per Moysen, & hoc tantum voluerũt nobis indicare *Augustinus lib. de bono coniugij cap. 15. & D. Thom. 3. part. quaest. 6., art. 2.* Dum negant istam legem antiquam: non enim negant, eam extitisse, sed eam scriptam fuisse, cõstat doctrina haec *ex cap. gaudemus de diuortijs.*

Tertio ante oculos proponendum est, in lege veteri eas, quae concubinae dicebantur, fuisse veras vxores, eas tamen appellatas fuisse cõcubinas, quia domi non imperabant, nec cum solemnitate in vxores ducebantur, nec earum filij vocabantur ad haereditatem, de qua re legite *Enriquez in summa lib. 12. de matrimonio cap. 5. num. 2.*

3 Quia tamen aliqui in populo Israel post datum libellũ repudij, secundas celebrabãt nuptias, quas posset aliquis existimare validas omnino fuisse, ac primas nuptias per talem libellum annullatas fuisse, quod duplex coniugium aliquo modo pertinere videtur ad hanc quaestionem.

4 Quarto animaduertẽdum est, Olim libellũ repudij vsitatum in populo Iudaico non fuisse licitum, neque per illum dissolui antiqua matrimonia, sed tantum ob duritiam illius populi, & ad vitanda maiora peccata homicidiorum illum libellum à Deo fuisse permissum (qui libellus repudij qua ratione daretur, postea explicabimus *ex Deuteronomij capit. 24.* Erat enim quaedam permisio à Deo concessa qua homo relicta priori vxore aliam ducebat) resolutionem nostram defendunt *Enriq. loco proxime citato, & D. Thom. in 4. dist. 33. quaest. 2. Gregor. de Valentia tomo 4. disp. 12. quaest. 1. de matrim.* Qui asserit, in lege veteri homines per libellum repudij non fuisse excusatos à culpa, sed à poena, & *Magist. in 4. dist. 33.* & multi ibidem. Quod multis argumentis confirmat *Canar. in epitome lib. 4. cap. 7.* Antequam hanc re-

A solutionem probemus, aduertendum est, in eo casu, quo vir vellet vxorem repudiare, debuisse ex praecepto scribere, & dare libellum repudij. Causa autem repudij his verbis continetur, *Deuteron. 24. si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Vbi nomine foeditatis intelligitur tantum adulterium, vt erudite animaduertunt *Paulus Burgensis in prima addit. eiusdem cap. 24. Deuteron. & in 2. additione cap. 19. Matth. & Ribera super Malachiae secundum cap. nu. 37.* Quod cõstat *ex Matth. 19.* Vbi cum interrogassent Christũ Pharisaei, *Si licet homini dimittere vxorem quacunque ex causa?* Id est, quacumque ratione eam oderit? Respondit Dominus. *Dico* B *autem vobis, quia, quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur, & qui dimissã duxerit, moechatur.* Pharisaei de causa à lege permissa ad concedendum repudium quaerunt, & Dominus eandem causam iuxta legem assignat, scilicet tantum eam esse adulterium.

Sed, quod libellus repudij non fuerit apud Iudaeos licitus, sed peccatum mortale, probatur primo ex verbis Christi *Matth. 19. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suã, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur, & qui dimissam duxerit, moechatur.* Quo loco, vt bene notat *Gregor. de Valentia loco citato,* Christus explicuit suam sententiam circa antiquũ C morem Iudaeorum dimittendi vxores, quia Iudaei, vt patet ex illis verbis, *Matth. 19. si licet homini, dimittere vxorem suam quacunque ex causa,* duo interrogauerunt, primum an esset licitum repudium, secundum, an quacunque ex causa esset licitum. Ad vtrunque autem credendum est, Christum directe respondisse explicando matrimonij indissolubilitatẽ, in qua non ostendit Christus, aliquando fuisse dispensatum, & per quam sufficienter respondit, ex nulla causa licitum esse repudium, his verbis, *nõ legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & foeminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhaerebit vxori suae, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sunt duo, sed* D *vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Cum ergo post haec verba subiecit Christus illa. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem, &c.* Etiam indicauit, repudium tantũ fuisse permissum ob fornicationem, nunquam tamen ex ista causa, vel ex alia honestum, reddi. Secundo probatur ex alijs verbis Christi, *loco citato, ibi. quoniam Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis, dimittere vxores vestras.* vbi Verbum, *permittere,* Denotat peccatum cõmitti in dimissione vxoris. Quidam sentiũt, licitum fuisse repudium, *vt Palud. Scotus, Durand. in 4. dist. 33. insignis Abulens. q. 49. in c. 19. Matth.*

Matth. & Conin. tomo de sacramentis, disp. 24. dubio 1. Pro qua parte pugnat argumentum desumptum ex his verbis *Deuteron. 24. cumque egressa alterum maritum duxerit.* (. Loquitur autem de vxore à priori marito repudiata) *& ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam sibi vxorem.* Ergo dissolutum fuit prius matrimonium, alias posset eam recipere. Sed respondetur, in his verbis appositam esse pœnam priori marito propter concessum libellum repudij. Vt ex pœna imposita colligerent Iudæi, se peccare in dimittendis vxoribus, pœna enim semper præsupponit culpam. Alia plura extant argumenta hæreticorum, quibus probant, licitum fuisse innocenti coniugi secundum matrimonium inire, quæ simul cum solutionibus videri possunt apud *Gregor. de Valentia tomo 4. disp. 10. quæst. 5. de matrim.*

6 Quinto animaduertendum est, certum esse de fide, in lege Euangelica non esse licitum, habere simul eundem virum plures vxores. Hæc veritas probatur primo, ex illis verbis Christi allegatis. *Matth. 19. quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo non est licitum aliquando pluribus vti vxoribus, quia, si in aliquo casu id liceret, maxime, quando prior dimissa esset propter perpetratum adulterium. Secundo probatur, quia hæc veritas definita est *in cap. gaudemus, de diuortijs, & in Trident. sess. 24. de matrim. can. 2. & ex cap. licet, & cap. fin. de sponsa. duorum, & cap. an non 24. quæst. 3.*

7 Vltimo notandum est, certum esse iure naturali, nullum reddi matrimonium vnius fœminæ cum pluribus viris celebratum. Ita sentiũt cum communi sententia, *D. Thom. in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 7. & D. August. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 12.* Probatur, quia talia matrimonia sunt contraria primo fini, ad quem ordinatum est matrimonium, qui consistit in prolis generatione: hæc enim aperte destruitur multitudine virorum. Tum etiam contraria sunt secundo fini, qui situs est in eo, quod vir, & vxor tranquillam domi vitam agant. Multi enim viri in eadem domo, cum multa sint capita, in multas prorumpent sententias, & multas domi excitabunt discordias, & vxoris cõmercium intolerabile efficient. De qua re audi *Lactantium, lib. 3. diuinarum, instit. cap. 12.* Sic loquentem, *vt ad eandem mulierem multi viri tanquam canes confluant, & is vtique obtineat, qui viribus vicerit, aut si sapientes sunt expectent, vt vicibus tanquam lupanar habeant.* Et paulo post addit *Lactantius, quæ ista confusio generis humani est? Quomodo seruari potest charitas, vbi nihil est certum, quod ametur?* An vero Deus posit dispensare, vt eadẽ mulier plures habeat viros simul, non est certum inter Doctores, sed circa id sunt diuersæ sententiæ, quas refert *Sanchez, li. 7. de matrim. disp. 80. num. 15.*

8 Tota difficultas in eo versatur, an, quod vnus vir habeat plures vxores, sit prohibitum iure naturali. Quidam sentiunt, hoc non esse prohibitum iure naturali, neque diuino præcepto positiuo antiquo. Ita sentiunt *Durand. in 4. dist. 33. quæst. 1. num. 9. Caiet. ca. 16. in Genesim. paulo post princ.* & alij. Probatur primo quia vxorum pluralitas non obest tranquillæ cohabitationi domesticæ per se, & directe, cũ ipsæ non sint capita familiarum, sed tantum obest per accidens ratione malitiæ, & propter deprauatos mores vxorum. Secundo probatur, quia finis primarius matrimonij est procreatio liberorum, sed iste exigit vxorum pluralitatem, quia plures idem vir generabit liberos ex multis vxoribus, quam ex vna tantum, ergo matrimonium vnius viri cũ pluribus vxoribus non est prohibitum iure naturali. Tertio probatur ex *c. obijciuntur 32. q. 4.* Vbi Patriarcha Iacob, qui cum 4. vxoribus matrimonium contraxit, excusatur à culpa, quæ posset reperiri in tot matrimonijs celebrandis propter cõsuetudinem, si ergo consuetudo potest plura coniugia licita reddere, ergo nõ erant lege naturali, vel diuina prohibita, quia contra hæc iura cõsuetudo nullas vires assumit. Quarto probatur quia *Greg. III. epist. 4. ad Bonif. & habetur ca. quod proposuisti 32. q. 7.* dedit facultatẽ cuidã viro ducendi secundam vxorem ob ægritudinem primæ vxoris, Quinto, & vltimo probatur hæc sententia, quia, vt refert, *Menoch. de arbitrarijs, lib. 2. Centuria 5. casu 420.* Plures nationes permittebant vxorum pluralitatem, ergo illa pluralitas non fuit lege naturali prohibita, aliàs lege naturali ductæ illam vitarent.

9 Alij defendũt, polygamiã esse repugnantẽ iuri naturali matrimonij, & eius essentiæ, ita *Aureolus relatus à Capreolo in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. Victoria in relect. de matrim. priori parte partis 1. n. 3.* Et alij. Probatur primo, quia matrimoniũ esse non potest sine mutua corporũ traditione, at corpus vnius viri traditũ vni vxori nequit tradi alteri. Secũdo probatur, quia matrimoniũ est cõtractus ex vtraque parte æqualis, sicut ergo repugnat matrimonio, quod mulier non se tradat in solidum vni viro, ita &, quod vir non se tradat in solidum vni vxori. Tertio quia si essent plures vxores, & simul peterent debitum, non posset vir æque vtrique satisfacere, Quarto quia in prima institutione matrimonij tantum sicuit vxoris vnitas, ergo illa videtur requisita de iure naturæ.

10 Sit prima cõclusio. Polygamia nõ est omnino cõtra ius naturale, idest prima præcepta naturæ: sicut furari, & adulteriũ cõmittere, & sicut fractio præceptorum Decalogi. Probatur ex authoribus in secũda cõclusione numerandis. Et probatur, ratione, quia non cõtrariatur,

primo

primo matrimonij fini, qui est prolis procreatio, sed illū potius adiuuat, quia vnus vir potest ex multis fœminis filios procreare, & educare, Secūdo probatur, quia aliàs Deus non potuisset olim in vxorum pluralitate cum sanctis dispensare.

11 Secūda cōclusio. Hæc polygamia est aliquo modo cōtra ius naturale, & cōtra præcepta secūda naturæ, quia aduersatur alicui fini matrimonij secūdo: vnde nullū est iure naturæ matrimoniū cū secūda vxore viuēte priori. Probatur, quia hoc repugnat secūdo matrimonij fini, qui est pacifica domus cohabitatio, nam per se, & natura sua cū pluralitate vxorū, quæ domi sunt dominæ, nequit esse pax, sed rixæ, & inuidiæ, vt patet de Sara, & Agar vxoribus Abrahæ. Quælibet enim vult præ alia amari à viro, & dominari. Secūdo probatur, quia, si sola lege Euāgelica esset prohibita vxorū pluralitas, ergo non esset illa illicita apud infideles, qui hac lege nō cōstringūtur. At hoc est illicitū, & inualidū apud infideles, vt patet *ex c. gaudemus de diuortijs.* Vbi dicitur, infideles, qui ante baptismū habuerūt plures vxores, post baptismū cū sola prima debere manere, ergo hoc, quod est habere plures vxores, lege naturali est prohibitū. Ita sentiunt *D. Tho. in 4. d. 33. q. 1. ar. 1. in corpore. Palud. q. 1. ar. 1. Sot. q. 1. art. 1. Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 11. propositione 2. Enriq. lib 12. de matrim. c. 6. n. 1. præterea, vt benè docet D. Tho. loco cita. & Soto in 4. d. 33. q. 1. ar. 1. cōclus. 3.* Matrimoniū vnius viri cū duabus vxoribus contrariatur alteri fini matrimonij, qui est sacramētalis significatio, nō enim repræsentat perfecte coniūctionē Christi cū Ecclesia, & cū nostra carne. nā Ecclesia fuit vna, & caro vna.

12 Hinc fit cū cōmuni sentētia relata à *Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 81. n. 9.* Nō posse Papā dispēsare in hoc, quod vnus vir habeat plures vxores, quia est cōtra ius naturale aliquo modo, sed quia nō est contra essentiā, aut primū finē matrimonij, potest Deus in hac re dispēsare in lege Euāgelica, sicut in veteri dispēsauit, vt populus circuncisionis, qui exiguus erat, augeretur.

13 Ad argumēta opposita respondetur. Ad primū primæ sententiæ dicimus, rixas oriri per se ex pluralitate vxorū, vt vidimus. Ad secundū, quod, cū hæc pluralitas sit cōtra finē secundū, necessaria est dispēsatio Dei. Ad tertiū respondetur, consuetudinē illā esse sufficientē ad excusandū à culpa, quia orta est ex dispēsatione Dei. Ad quartū respōdetur cum *Bellarm. loco citato in fine.* In eo cap. dari facultatē ad ineundū secūdum matrimoniū, quia primū fuit nullū ob impedimētū perpetuū primæ fœminæ, quia, vt notat glos. erat arcta, & si dicitur, quod non est ab ea auferēdum debitum, intelligitur de dote ei restituenda. Ita gloss. ibidē, quia cessant onera matrimonij, ob quę datur dos. Ad vltimum respondetur, eas nationes in eo errasse.

Ad primū argumētū secundæ sententiæ respōdetur, nō esse necessariū ad essentiam matrimonij, quod vir in solidum vni fœminæ tradat corporis sui potestatē, sed quod tradat, quæ sufficit ad liberorū procreationē. Ad secundū modo ita cōtingere, sed Deo dispēsante posset esse inæqualitas, quia virorū pluralitas magis repugnat matrimonio, quā vxorū. Ad tertiū respōdetur, in eo casu, quo Deo dispēsante cum duabus cōtraheret vir, & duæ peterent debitū simul, ei esse occurrendū, in qua esset maius periculum incontinentiæ. In æquali periculo prius esset occurrendum primæ, cuius ius antiquius est. Ad quartum respondetur, Deum naturæ à principio non solū dedisse ea, sine quibus primus finis matrimonij obtineri non posset, sed etiam ea, quæ ad secundum finem facile obtinendum sunt conuenientia. 14

Multa alia de secundis nuptijs, & earū pœnis poterāt disputari, quæ ad forū exterius, & ad alia instituta pertinent, ad nostrum vero minime: late videantur apud *Sanchez 2. tom. de matrim. à fol. 291. vsque ad fol. 361.* 15

QVAEST. LXVII.

Vtrùm secundæ nuptiæ licitæ sint, & quando sint benedicendæ?

SIT Conclusio de fide. Secūdæ, & vlteriores nuptiæ honestæ, & licitæ sunt. Probatur primo ex vniuersali more Ecclesiæ eas approbātis. Secūdo probatur *ex Paul. 1. Corint. 7.* dicente. *Si dormierit vir eius, liberata est, cui vult, nubat, & ex Paulo 1. ad Timoth. 5.* Vbi de viduis nō adstrictis voto castitatis ait, *volo iuniores nubere.* Quæ veritas etiam probatur *ex D. August. lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 34. ex D. Hieron. in Apologetico contra Iouinianū.* Et probatur ratione. Primo quia in secundis nuptijs reperiūtur omnia, quæ sunt necessaria ad rationem sacramenti, & contractus, & nō est aliqua ratio eas deturpans, ergo sunt licitæ. Secundo probatur, quia secūdæ nuptiæ possunt celebrari ob bonū prolis, & ob sedandam concupiscētiam, ergo sunt licitæ. 1

Cōtra hoc tamē obstāt aliqua argumēta. Primū est, quia *D. Ambros. 1. Corinth. 7.* secūdas nuptias affirmat, minime esse bonas, *& c. hac ratione 31. q. 1.* illæ nuptiæ fornicatio appellantur, quare *in c. de his 31. q. 1.* imponitur pœnitētia ineuntibus secundū matrimoniū. Secundū argumentū est, quia, vt patet ex tit. de bigamis, irregularis est, qui secundas init nuptias, quia nō perfecte repræsentat coniunctionem Christi cū Ecclesia. Tertium argumentum est, quia multæ pœnæ imponūtur in legibus ciuilibus contra secundas nuptias, vt patet *ex l. si qui prioris § in illo l. hac edictali, in princ. authen. ex testa-* 2

ex testamento C. de secundis nuptijs. Sed ad primū respōdetur secūdas nuptias nō dānari vt illicitas ratione sui, sed ob nimiā intemperantiā, à qua nascuntur. Ad secundum respondetur. Irregularitatem bigamiæ nō contrahi ibi propter delictū, sed ob defectū significationis, quia nō perfectè significant secundæ nuptiæ coniunctionem Christi cū Ecclesia, quæ vnica est. Ad tertium respondetur, omnes eas pœnas esse per ius canonicum correctas; vt bono communi, & matrimonij libertati contrarias.

3 Quartū argumētū est collectū ex aliquibus canonibus, quæ habētur 31. *q. 1. & sumpti sunt ex Concil. Neocæsariens.* In quibus propter secūdas nuptias imponitur pœnitētia. Sed *Greg. de Valent. ait t. 4. disp. 10. q. 6. de peccatis in vsu matrimonij.* Istos canones, & alios Concilij Laodiceni. Intelligendos esse de secundis nuptijs viuente priori coniuge.

4 Secūda cōclusio, Benedictiones nuptiales, & ritus in eas reperti cōuenientes sunt. Ita definit *Tridēnt. sess. 24 de matrim. can. 1.* quæ quidē benedictiones, & ad act⁹ cōiugales recte peragēdos, & ad sacramēti matrimonij dignitatē, & reuerentiam ordinatæ sunt ab Ecclesia. Ritus tamē in benedictionibus reperti late videantur apud *Bellarmin. lib. de matrimonio in fine.*

5 Tertia cōclusio. Benedictiones istę à proprio contrahentiū parrocho sunt impendēdæ, & à nullo alio, nisi de licentia ordinarij, vel parrochi nō obstāte quacunq; cōsuetudine etiā immemorabili, vel priuilegio. Quod si alius benedixerit, siue regularis, siue secularis manet tā diu suspēsus (Cardinales declararūt, tolli tunc excomunicationē *Clementinæ 1. de priuilegijs.*) quādiu ab ordinario eios parrochi, à quo erat benedictio suscipiēda, absoluatur. Ita habetur *in Trid. dicto loco.* Cōgregatio tamē cēsuit, ab ordinario, vbi fuerūt parrochiani cōiuncti matrimonio, quādo ibi fuit cōmissum delictum, esse dandā absolutionē, quando parrochos in diuersis diœcesibus habet parrochianos. Has autem benedictiones impertiri, quidā dicunt, ad parrochū vtriusuis cōtrahentis pertinere, vt *Sanchez. li. 7. disp. 82.* Sed alij dicunt, pertinere ad parrochū mulieris, ita *Zauallos in suis practicis, q. 604 n. 148.* & refert *Paulū Fuscū, de visitatione lib. 2. c. 3. n. 21. & Caluacan. 2. p. decisione 12. à n. 21.* Dicentes, sic esse decisum à cōgregatione Cardinaliū, quæ resolutio intelligitur, quādo viri accedūt ad domos vxorū, vel terras ad contrahendū, & ibi diu remanent antequā cohabiteut, quod patet ex interrogatione facta cōgregationi, quā refert *Rebellus in suo tomo de obligat. iustit.* Inter alias declarationes, & huiusmodi benedictiones omittens grauiter delinquit, quia materia grauis est, & imposita sub præcepto.

6 An autē hāc pœnā suspēsionis ille, qui præbet licētiā benedicēdi alienos parrochianos cō-

A trahat, & qualis ignorātia excuset à tali suspēsione, & vtrū per istā pœnā sublata sit excōmunicatio lata *in Clemētina 1. de priuil.* cōtra regulares absq; parrochi licentia nuptias benedicentes, late docet *Sanch. li. 3. de matrim. disp. 48. & 49.* Apud quem authorem hæc omnia poterunt examinari.

7 Quis etiā dicatur proprius parrochus, vel ordinarius, quātū ad benedictiones nuptiales, & vtrū bullæ priuilegiū aliquod circa hoc operetur, & vtrū licētia ordinarij, vel parrochi debeat esse specialis, & expressa, & qualis parrochus eā cōcedere valeat, supra late explicauimus in isto tract. dū de matrim. cladest. locuti B sumus. Id enim, quod ibi diximus de assistētia necessaria matrimonio, dicendū est de facultate requisita ad benedicendas nuptias. An vero benedictiones suscipi debeāt ante cōsummationē matrimonij, supra in hoc tract. disseruimus q. 18. & vtrū liceat suscipere huiusmodi benedictiones tēpore interdicti, & cessationis à diuinis, & quibus anni temporibus sint recipiendæ istæ benedictiones, supra in hoc eodē tractatu disputauimus, q. 54. & q. 55.

8 Sit Quarta conclusio. Secundū ius antiquum quādo vterq; coniux, vel alter eorū, siue vir, siue fœmina in primis nuptijs benedictionē acceperat, nō erat secūdis nuptijs benedictio cōferēda (licet de hac re diuersæ extent sentētiæ relatæ à *Sanch. li. 7. de matrim. disp. 82.*) Istā con-C clusionē defendūt *Ioan. Andreas in c. vir. de secundis nuptijs. Abbas ibi. n. 3. Nauar. in sum. cap. 22. n. 83. & alij.* Probatur expresse ex *dicto, ca. vir. de secundis nuptijs.* Fundamētum huius resolutionis sumitur *ex codē t. scilicet.* Ne benedictio, quæ semper manet in persona semel benedicta, reiteretur, & ita vili pendatur. Quam rationē adducit *Rosela. verbo, nuptiæ. n. 1. Bellar. lib. de matrim. c. 9. col. 2.* Neque huic textui cōtrariū est *Trid. sess. 24. c. 1.* Vbi simpliciter dicitur, esse nuptias benedicendas. Intelligitur enim secundū *Menoch. de arbitrar. li. 2. centur. 5. casu 417. de primis nuptijs.*

9 Quinta conclusio. Secundū ius nouum *in extrauaganti. concertationi. Ioan. 22. nondum typis mandata,* Relata tamen à *Perez lib. 5. ordina-*D *menti, t. 1. l. 5. colum. 4.* Quoties fœmina, vel vir, secundas celebrans nuptias non est benedictus, est danda benedictio, in qua per se non benedictus benedicatur, & per accidens benedictus. Verba textus sunt. *Præsenti declaramus edicto, quod, licet vir, vel mulier ad secundas nuptias transiens benedici non debeat, cum aliàs sit benedictus, contrahens tamen secum, benedici debet.* Et vbi contraria consuetudo non viget, hoc ius seruandum est. Quæ extrauagans non eo rigore inducta est, vt obligationem pariat sic benedicendi, sed, quod possit quis cum ea contra ius antiquum conformari. *Ita Enriquez lib. 11. de matrimonio, ca. 16. num. 2.* Vnus

Vv tamen

tamen coniux nō est absque alio benedicēdus, quæ cōclusio intelligēda est, vbi oppositū nō est in vsu in aliqua diœcesi, vt patet ex dicta extrauagāti. At vt bene *Ioan Gutier tract. de ma trimonio c. 106. n. 14.* In omnibus Ecclesijs suffraganeis Ecclesiæ Cōpostellanæ iuxta suum manuale propriū nō datur benedictio in secū dis nuptijs, quoties fœmina erat antea benedicta, etiā si vir nō esset benedictus, quia ita decē ditur *in manuali nouo typis excuso Salmanticæ an no 1585. titulo de secundis nuptijs.*

10 Sexta cōclusio. Etiā si primum matrimoniū, in quo benedictiones receperunt sposi, fuerit nullū, nō est danda eis alia benedictio in secūdis: patet, quia benedictio afficit personas, & licet matrimoniū esset nullū, fuerunt tamē vere benedictæ, & in eis ad huc manet benedictio, non est ergo de nouo illis conferenda. *Ita Sanchez dicto loco num. 26.*

11 Septima conclusio. Sacerdos benedicēs in casu nō permisso incurrit pœnā contentam *in c. 1. de secundis nuptijs*, his verbis, *capellanū, quem benedictionem cū secunda constiteris celebrasse, ab officio, beneficioq; suspensum cū literarum testimonio ad sedē Apostolicā nullatenus destinare postpo nas.* Quæ suspensio est ferenda, nō lata ipso iure, ita *Syluest. verbo nuptiæ, q. 1. Petrus de Ledes. de matrimon. q. 63. ar. 2.* Et reseruatio huius suspensionis ad Papā ablata est *in extrauaganti. Concertationi, allegata, ita Petrus de Ledes. dicto lo co.* Et hæc est pœna ordinaria, *Vt Syluest. & Petrus de Ledes. locis citatis.* Dicunt, quamuis *Sanchez loco citato nu. vltimo*, dicat, illam suspensionem esse positam in illo casu speciali, & non constitutam in ius ad alios casus.

QVAEST. LXVIII.

De impedimento publicæ honestatis.

1 OMnes Doctores nostri in hanc vnam sententiam conspirarunt, impedimentum publicæ honestatis solo iure Ecclesiastico statutū esse tanquā dirimens. Patet resolutio hæc, quia in primis hoc impedimentum constitutū fuit ab Ecclesia *in capite literas de desponsatione impuberum, & ca. vnico de sponsa libus in 6.* Deinde ius naturale, aut diuinum nihil circa hoc decreuerunt, vt de se patet, ergo solo iure Ecclesiastico illud constat.

2 Sit prima conclusio. Hoc impedimentū ita desiniendū est, vt definitur a *D. Thoa ab omnibus recepto 4. d. 41. q. vnica ar. 1. quæstiuncula 4. in cor pore. Est propinquitas ex sponsalibus proueniens robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter honesta tem eius.* In qua definitione illa particula eius referenda est ad Ecclesiam, quia consonum est honestati Ecclesiæ, vt propter sponsalia, quæ initium quoddā sunt matrimonij, prohibeatur

A consanguineis vnius sponsi matrimonium cōtrahere cum altero sponso, quod tamen minime prohibetur affinibus, vt notarunt quidam graues Doctores, & hoc impedimentum honestatis contrahitur etiam cum consanguineis illegitimis sponsi, quemadmodum, & impedimentum consanguinitatis. Ita docuit *Couarru uias 4. decretalium 2. p. c. 6. §. 2. n. 1.* Quod quidē impedimentum olim, ex sponsalibus cum per sona certa celebratis (nam cum incerta nullam vim habebāt), & absolutis, & etiam irritis oriebatur, dū modo non essent ex consensus defectu irrita, ita continetur *in c. vnico de sponsalibus in 6.* Vt ea ratione homines retardarentur à cōtrahendo matrimonio cōtra impedimenta à iure imposita; imo hoc etiam impedimentū contrahebatur ab eo, qui illud ignorabat, quia textus præallegatus absolute loquitur, & ita in eo etiā casu eius dispositionem intelligere debemus, quo prorsus operantē latet impedimentū, tandem addo antiquitus hoc impedimentū ad quartum gradū consanguinitatis extendi solitum fuisse. Ita docent, *D. Tho. in 4. d. 41. q. vnica ar. 1. quæstiuncula 4. in corpore, & Caietanus in summa verbo, matrimonium ca. 1. impedimē to 10. & alij*, quod verum est, siue sponsalia essent valida, siue non, vt sentit *Armilla verbo ma trimonium nu. 46.*

Secunda conclusio. Hoc impedimentū alio modo cōstituitur à *Conc. Tri. ses. 24. de matrim. c. 3.* in hęc verba. *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, vbi autem valida fuerint primū gradum non excedant.* Quod decretum Concilij vt satis comprehendatur, aliqua à nobis notanda sunt. 3

Primō sit. In his rebus, quæ hic non limitan tur in decreto Concilij, aut notantur circa impedimentum publicæ honestatis ius antiquum illæsum omnino, & intactum manere. 4

Secūdo notadū est in eo casu, quo impedimentū dirimens matrimoniū tale sit, vt nō possit illud per experiētiā cognosci, sponsalia valida censeri, vt si puerulus, qui vt postea decor su tēporis apparet, erat frigidus, in ætate septē annorū spōsalia init, quādo eius frigiditas, aut impotētia Ecclesiæ iudicio nō potest cōstare, tūc spōsalia valida ab Ecclesia iudicātur in dubio in fauorē matrimonij, cuius causa in iure satis fauorabilis est, quia illud impedimētū tūc discerni non potest, ita notauit, *D. Tho. 4. d. 41. q. vnica ar. 1. quæstiuncula 4. ad 3.* 5

Tertio notandū est, hoc decretū Concilij Trid. retrotrahi ad tempora antecedētia Concilium, ita vt qui ante Conciliū contraxerant impedimentum hoc iuxta regulas iuris antiqui in secundo gradu, possint postea publicato Concilio, & recepto libere celebrare matrimonium in eo secundo gradu. Ita declarauit *Greger. XIII. vt referunt graues Doctores.* 6

Thomas

7 *Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 78. num. 14. Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 10. num. 2. & Emanuel Rodriguez 1. tomo summæ 2. editione cap. 234. conclusione 3. num. 3.* Aperte defendunt, hoc impedimentū oriri ex sponsalibus nullis ex defectu consensus interni, quando ille defectus exterius nullo modo patefit. Probatur, quia tūc oriretur scandalū, si quis cū cōsanguineis suæ spōsæ cōtraheret matrimoniū, quādo spōsalia publice sunt contracta, & omnes latet ille defectus: sed notandū est quarto *Cum doctissimo Nauar. in summa Latina, c. 22. n. 57. & Petro de Ledes. de matrimonio, q. 55. ar. 4. dubio 1. circa solutionē ad 3.* Ex his sponsalibus nullū oriri impedimētū Probatur, quia ea spōsalia in rei veritate sunt nulla, sed ex sponsalibus, quacunque ratione nulla sint, nō nascitur aliquod impedimentū, vt cōstat ex verbis Cōcilij Tridentini supra allatis. Ergo huiusmodi spōsalia nullū producunt impedimentū. Rationi tamen in cōtrariū satisfit ex eo, quod, licet ex illo matrimonio sequatur quidē scandalū propter rationē supra allegatam, impedimentū tamen, quod inde posset oriri dirimens matrimoniū, prorsus sublatū est, res enim intolerabilis foret, ex sponsalibus nullis aliquod pullulare impedimentū, quare ex sponsalibus, vel matrimonio rato, celebratis cum patre, matre, fratribus, sororibus, vel filijs sponsæ nullū resultat impedimentū circa prima sponsalia cum ea sponsa cōtracta. Quare vir, qui cū fœminis coniūctis in primo gradu cōsanguinitatis cum sua sponsa secunda tentaret contrahere sponsalia, nullo modo impediretur, quin libere posset cū prima spōsa matrimoniū cōtrahere. Iuxta ea, quæ notant *Nauar. loco citato, & Angelus verbo, matrimonium tertio impedimento 14. n. 10.* quia secunda sponsalia ratione priorum sunt omnino inualida, vt patet *ex c. vnico de sponsalibus in 6.* Imo doctrina hæc locū habet in eo euentu, quo prima sponsalia tantū fuissent cōditionata, & sponsus ante aduentū cōditionis secunda voluisset celebrare sponsalia. Probatur hęc doctrina, quia supposita, prima promissione matrimonij conditionali tenetur sponsus euentū conditionis expectare ex iustitia, ergo si antè talem euentū alteri promittat matrimonium, promissio est iniusta, & inualida, quare sponsalia prorsus ruunt. Ex sponsalibus autem sub conditione celebratis nullū oritur impedimentū huiusmodi *secundū declarationē sacræ congregationis Cardinaliū.* Vnde, si ante aduentum conditionis, qui promisit matrimoniū vni sub conditione, cū alia secūda de facto contraheret consanguinea primæ, sponsæ in primo gradu matrimoniū valorē suū sortiretur.

8 Quinto notandū est, constantē esse omniū Doctorū sententiā, ex matrimonio rato nōdū consummato oriri impedimētū publicæ honestatis dirimens matrimoniū, Hoc autem impedimentum, vt optime notauit *Sanchez lib. 7. d. 70. num. 1.* Ex nullo textu colligitur expresse, neque colligitur, (licet alij sentiant oppositū) ex *c. si quis desponsauerit, 27. q. 2.* & ex illis verbis, *Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrauerit, & sine præueniente die mortis,* Siue occurrētibus alijs causis minime eam cognouerit, neq; eius superstes frater, neque vllus de cōsanguinitate eius eandem sibi tollat in vxorem, nam, Vt ibi aduertit glossa, in eo textu sermo est de spōsalibus nō de matrimonio. Quod quidē impedimentū est solo iure Ecclesiastico inductū, & ita infideles nō obligat; nullū enim inuenimus fundamentum ad asserendum, hoc impedimentum iure diuino, vel naturali vires suas sumpsisse. Quod autem ex matrimonio rato non consummato oriatur impedimentū publicæ honestatis, aperte constat ex declaratione Pij V. quam statim adducemus.

9 Sexto animaduertendū est, decretum prædictū *Concil. Trid. sess. 24. c. 3.* auferens impedimētū publicæ honestatis ex spōsalibus nullis proueniēs, restringensq; illud ad primū tantū gradū, nō habere vim in impedimēto publicæ honestatis dimanāte ex matrimonio rato nō consūmato. Ita declaratū fuit à *Sacra congregatione Cardinaliū, die 27. Aprilis anno 1568.* Et ordinatione Papæ asseritur, interfuisse cōgregationi omnes priores ordinū, & tres reuerēdissimos Patres, atq; ita decreuit *Pius V. Kalendis Iunij anno 1568.* Verba huius vigilantissimi Pōtificis hæc sunt, *Authoritate Apostolica declaramus tenore præsentiū, & definimus, decretū Concilij huiusmodi intelligendū esse omnino, & procedere in sponsalibus de futuro dūtaxat, non antē in matrimonio, sicut præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentū in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictū decretū Concilij introductū erat, licet 14. c. 5. sess. 24. loquatur Cōsilium de matrimonio, ita Conar. sentit. p. 1. c. 4. n. 4.* Et licet sponsalia sint in duplici genere, semper tamē, siue quoad mētem, & verba, siue quoad interpretationem sunt de futuro. Ita cōsiderauit *Decius. Consilio 368. per totum, in 3. volumine, & Rota decis. 450. in nouis.* Vnde modo post Tridentinum ex matrimonio rato irrito quacunque ex causa, modo non sit ex defectu consensus, nascitur impedimentum publicæ honestatis. Ita docent *Enriquez lib. 12. de matrimonio c. 10. n. 2. Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 70.* patet, quia olim ex spōsalib⁹ ita irritis oriebatur hoc impedimentum, vt patet ex *cap. vnico de sponsalibus in 6.* Et ita ex matrimonio rato, quod fortius vinculum est, à fortiori debet nasci idem impedimentum publicæ honestatis: quia hoc non est sublatum per Tridentinum, neque per aliud ius nouum, ergo matrimonium ratum, sicut sublatum est per Tridentinum ergà sponsalia, siue ratio illa, ob quam matrimonium est nullum, sit

publica, siue occulta: vt quia cõtrahentes sunt religiosi, vel consanguinei, &c. imo addimus, hoc impedimentum publicæ honestatis etiam oriri ex matrimonio rato, & prorsus valore destituto, quia omissa fuit in eo forma Tridentini, scilicet præsentia parrochi, & testium. Quod ita declararunt Cardinales quantum ad hunc defectum parrochi, & testium. Quam declarationem fortasse non vidit *Sanchez loco citato*, quãdo oppositum sensit. Ex eo autem nõ restrinxit Concilium impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato proueniẽs, quamuis restrixerit tale impedimentum proueniens ex spõsalibus, quia matrimonia non ita facile celebrantur, atque sponsalia, & quia matrimonium maius vinculum inducit quam sponsalia, vnde amplius extendi debuit, quam sponsalium vinculum.

10 Vnde, si duo contrahant matrimonium ante legitimam ætatem malitia ætatem supplente, de quo postea disputabimus, si matrimonium ex alio cap. esset irritũ, ex eo orietur impedimentum publicæ honestatis, quod si malitia non suppleuit ætatem in eo matrimonio, ex eo contracto nullum procedit tale impedimentum. Ita declarauit *Sacra declaratio Cardinalium*. Cuius ea potest assignari ratio, quia primus contractus de se, & ratione ætatis constituebat matrimonium, quod quamuis nullũ sit, impedimentũ producit, & secũdus contractus constituebat sponsalia, quæ, quando inualida sunt, nullũ operantur impedimẽtum. Quod si matrimonium ratum nullum sit ex defectu cõsensus interni tali defectu prorsus latente, vel si nullum sit ex defectu legitimi cõsensus inde proueniente, quod quis cum vna ex pluribus filiabus Petri vagè cõtraxit matrimoniũ, reuera tunc nullum consurgit impedimentũ publicæ honestatis, quia neque etiam olim ex sponsalibus cum isto consensu initis vago, aut ficto oriebatur aliquod impedimentum. Quãdo autem ex matrimonio rato nascitur tale impedimentum, extenditur quidem ad quartum gradum non affinitatis, sed consanguinitatis, sicut olim extendebatur, quia non fuit per Concilium Tridentinum limitatum, vt cõstat ex verbis Pij V. supra allegatis. Ita aduertunt *Grego. de Valentia 4. p. disp. 10. q. 5. puncto 3. Bartholom. à Ledesma fol. 1480.* Imo, & hoc impedimentũ perpetuum est, neque morte alterius contrahentis extinguitur, quod etiam in impedimento ex spõsalibus proueniente videre licet. Cuius eam possumus assignare rationem, quia defunctus censetur obijsse in eadẽ voluntate spõsalium, vel matrimonij. Vnde ratione eius conueniens fuit hoc impedimentum in perpetuũ protrahi.

11 Septimo notãdũ est, quod optime perpẽdit *Enriquez in summa lib. 12. de matrim. c. 10. nu. 2.* Ex matrimonio rato conditionali ante aduentũ appositæ cõditionis nõ nasci huiusmodi impedimẽtum. Probatur primo quia *in c. vnic. de sponsalibus in 6.* Aperte negatur, hoc impedimẽtũ oriri ex sponsalibus conditionatis, ergo idẽ negandũ est in matrimonio rato sub conditione celebrato, propter rationẽ, quã infra subijciemus. Secundo probatur, quia ita declarauit *Sacra congregatio Cardinalium*. Tertio confirmatur hæc doctrina, quia in eo euẽtu cõsensus nõ est perfectus, neq; cõtractus est cõsummat⁹, ergo non fuit necessariũ, ex huiusmodi matrimonio impedimentũ oriri perfectũ, & cõsũmatũ.

12 Octauo animaduertendum est, ex illis sponsalibus de futuro, quæ mutuo contrahentiũ dissensu dissoluuntur, nullũ hisce temporibus resultarẽ impedimẽtum. Probatur, quia hæc spõsalia omnino redduntur nulla, ex sponsalibus autem nullis vt vidimus ex *Tridentino loco citato*. Nullum resultat impedimentum publicæ honestatis. Ita continetur *in declaratione Cardinalium 275.* Quæ habetur inter eas, quæ communiter referuntur.

13 Nonò animaduertendũ est. In impedimẽto publicæ honestatatis tãtũ habendam esse rationẽ remotioris gradus. Ita declararũt Cardinales Romani. Vnde, si spõsus contrahat cũ filia ex fratre suæ spõsæ, matrimoniũ validũ est, neque obstant spõsalia præterita, quia illa cõiux erat cõsanguinea spõsæ in secũdo gradu iũcto cũ primo, sed tantũ attendendus est gradus secundus, qui remotior est, nõ primus, vt supra etiã in simili diximus disputãtes de impedimẽto cõsanguinitatis, & alias secũdus gradus modo post Tridentinũ nullũ causat impedimentũ, sequitur ergo, in hoc casu non reperiri impedimentum publicæ honestatis.

14 Contra doctrinam tamen huius quæstionis, in qua diximus, modo post Tridentinum sponsalia valida producere impedimentũ dirimẽs matrimoniũ cum cõsanguineis sponsorum in primo gradu, obstat difficilis responsio *Benedicti Papæ Gandensi Patriarchæ relata 3. tomo Conciliorum, folio 645.* Vbi, cum quæsitum esset à Pontifice, an quædam puella posset nubere cuidam Stephano, qui fuerat desponsatus cum sorore puellæ; Respondet Põtifex his verbis, *Censura Apostolica mandamus, hoc absque criminis vitio posse fieri.* Ergo publica honestas orta ex sponsalibus iuxta responsionem Benedicti Papæ non dirimit matrimoniũ etiam in primo gradu. Veruntamen respondetur, istum textum, qui refertur *in c. lex diuina 27. q. 2.* Esse intelligendum *iuxta glossam ibidem.* De promissione à parẽte facta de sorore eius tradenda in matrimoniũ Stephano, cui tamen promissioni illa non consenserat: quia enim tũc nõ præcesserunt sponsalia, sed simplex quædã promissio patris, ideo cũ altera puella validũ est matrimoniũ, vt optime probat Põtifex ex eo, quod id neq; Sacra Scriptura, neque humanæ leges prohibeant,

hibeant. Quam solutionem colligit *Glossa* ex illis verbis dictis à Pontifice loquente de sorore eius puellæ in ordine ad virum Stephanũ, scilicet, *cui primam iam decreuerat desponsare*. In quibus verbis denotatur, eam nondum fuisse desponsatam. Quod si ibi vocatur illa fœmina desponsata, ibi verbum, *desponsata*, late sumitur pro ea, quæ tantum erat promissa à patre. Quod si in eo textu mentio fit de copula, hoc ex eo est, vt denotetur, in eo casu nullam obesse affinitatem ad contrahendum illud matrimonium cum puella, quia ad eius sororem nullus contigerat accessus fornicarius.

QVÆSTIO. LXIX.

Quæ impotentia dirimat matrimoniũ.

1 IMPOTENTIA est vitium quoddam naturale, vel accidentale impediens coitum, & hæc alia pronenit ex causa intrinseca, vt ex frigiditate, alia extrinseca, vt ex castratione: rursus alia est perpetua, alia tẽporalis, alia ad copulã, alia ad generationẽ. Et impotentia perpetua alia est absoluta, & respectu omniũ fœminarũ, alia est respectiua, vt respectu hui' vel illius fœminæ tantũ. Quæstio ergo nostra procedit tantũ in eo casu, quo impotẽtia est absoluta, & antecedit matrimonium, nam ea quæ subsequitur non annullat matrimoniũ. Quod hæc impotentia subsequens nõ annullet matrimonium, de se est res clara, probatur tamen duppliciter. Primo *ex canone si vxorẽ 33. quæst. 5.* Secundo probatur, quia tunc personæ manent obligatæ ad copulam, si forte aliquando miraculose tollatur impotentia, ergo verum vinculum coniugale perseuerat, in quo fundatur obligatio, & ius ad copulam.

2 Sit prima cõclusio. Impotentia perpetua ad copulã dirimit matrimoniũ. Probatur conclusio primo *ex toto tit. de frigidis, & maleficiatis*, vbi hæc doctrina late continetur. Secũdo probatur ratione *D. Tho. in 4. d. 34. q. vnica ar. 2. in corpore*, quia de essentia matrimonij est obligatio radicalis ad copulam, & traditio dominij corporis in ordine ad eam, sed isti impotẽti impossibilis est copula, ergo impossibile est, eum obligari ad eam habendam, vnde consequenter neque ad celebrandum matrimoniũ, hæc autem impotentia vocatur frigiditas, quia cõmuniter causatur à frigiditate, licet aliquando à calore prouenias.

3 Secunda cõclusio. Impotẽtia tẽporalis, quæ tantum pro aliquo determinato tempore perseuerat, non annullat matrimoniũ. Probatur primo *ex ca. fraternitatis. de frigidis, & maleficiatis*. Secundo probatur, quia nõ annullat matrimoniũ ex iure positiuo, quia de eo nullo modo nobis constat, nõ ex iure diuino quia illud non apparet, non de iure naturali, quia huiusmodi impotentia non tollit omnino vsum matrimonij, sed tantũ pro determinato tẽpore, & ita non reddit impossibilem obligationẽ ad copulã coniugalem, & hæc cõclusio vera est siue ab altero coniuge ignoretur talis impotentia siue sciatur. Ita sentiũt cõmuniter Theologi, & Iurisperiti, cuius tota ratio est, quia hæc potentia temporalis ad copulam non est essentialis, sed accidentalis matrimonio, ergo eius ignorantia non vitiat contractum, quamuis mortale peccatum esset celare hoc vitium illi fœminæ, in qua esset periculũ incõtinentiæ, quia datur ei occasio magna delinquendi. Imo communiter celare hoc vitium, dũ contrahitur matrimonium, graue peccatum continet, quia durum est quamuis fœminam obligare pro notabili tempore ad hoc, vt à copula abstineat, licet in ea non appareat aliquod peculiare periculum incontinentiæ.

4 Vt optime aduertit *Reginal. tomo 2. lib. 31. c. 3.* Iure naturali nulla certa ætas est præfixa matrimonio contrahendo, dummodo contrahentes vsu rationis præditi sint, iure tamen Ecclesiastico vir inter Christianos est inhabilis ad matrimonium contrahendum ante annum 14. expletum, & fœmina ante 12. quamuis tantũ ratione ætatis impotẽtia sit temporalis, patet, *ex cap. quod sedem de frigidis cap. à nobis de desponsatione impuberum*. Et tales anni debent esse cõpleti, vt constat *ex c. ex literis de desponsatione impuberum*, ad quam annorum completionem vt optime aduertit *D. Tho. 4. d. 37. q. vnica ar. 5. in corpore* sufficit vltimam diem anni esse inceptam, ante eam vero ætatem non possunt reddere debitum, & ita non possunt contrahere matrimonium ex cõstitutione Ecclesiæ. Possunt autem ante ætatem contrahere matrimonium si malitia suppleat ætatem, suppletur autem cum ante dictam ætatem, & adest potentia ad copulam, & prudentia ad cognoscendam vim matrimonij. Patet hæc doctrina *ex cap finali de desponsatione impuberum, & ex D. Tho. 4. d. 36. q. vnica ar. 5. & ex Sanchez, lib. 7. de matrimonio d. 104.* In impubere autem licet quidam sentiant potentiam solum ex copula colligi, at vero cũ *Couar. 4. decretalium 2. p. c. 5.* & alijs defendendum est, ex alijs signis posse satis colligi huiusmodi impotentiam, patet *ex cap. de illis el 2. de desponsatione impub.* Vbi ad matrimoniũ impuberũ tantũ ponderatur potẽtia coeundi, quod si ad hoc esset copula necessaria, ea sane pōderaretur. Signa vero in impuberibus sunt membrorum optima dispositio, & bona valetudo, & si puer aptus est ad seminis effusionem, aptus prorsus ad matrimonium iudicatur, imo, & fœmina impubes patiens menstrũ apta est ad matrimonium, quia apta est ad copulam, & quando ob impubertatem de potentia dubitatur, nõ sunt verẽda inspicienda propter honestatem Christianam, sed aliunde colligenda est

da est impotentia. Præter hanc tamen potentiam requiritur ante pubertatem ætas proxima pubertati, quia in ætate remota non reperitur revera potentia generatiua, quo autem vitæ tempore reperiatur ætas proxima pubertati iudicis arbitrio relinquitur: de qua re latius videatur *Sanchez lib. 7. disp. 104.*

5 Tertia conclusio. Ad valorē matrimonij requiritur in viro potentia emittendi semen totale, vel partiale intra vas fœmineum, licet emittatur cum magna difficultate, vt cum periculo ægritudinis. Hoc secundum patet *ex cap. 2. de coniugio leprosorum.* Primum vero patet, quia ad valorem matrimonij requiritur, vt vir, & fœmina fiant vna caro, vt patet *ex ca. laudabilem, de frigidis, & maleficiatis.* Non sunt autem vna caro, nisi vir seminet intra vas, vt supra vidimus, ita docent *D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 12. §. 1. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 10. nu. vltimo Gutierrez lib. 1. quæstionum canonicarum, cap. 16. nu. 18. & alij multi,* in fœmina autem, vt possit contrahere validum matrimonium, requiritur, quod possit recipere semen virile, licet non possit illud retinere. Et prætcrea requiritur, ipsam etiam posse semē emittere, quia eius semen ad generationem esse necessarium existimo, quamuis contradicat *Sanchez loco citato nu. 9.* Vnde quacunque ex causa extrinseca, vel intrinseca, naturali, vel accidētali vir, & fœmina impotētes sint ad emittēdum semen via naturali, ac potentia naturali, non sunt capaces matrimonij. Quod eleganter docuerunt *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnica, art. 2. & alij eius vestigia sectantes.*

6 Ex his deducitur primo eunuchos vtroque testiculo carentes non esse capaces validi matrimonij. Hæc res modo omnino certa est, nullamque patitur difficultatem (licet olim opinionum varietati subiaceret) hanc veritatem nobis declarauit *Sixtus Quintus in quodam motu proprio anno 1587.* Quem late refert *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 58. art. 1. dubio 3. quod mouet circa solutionem ad tertium principale.* Verba ad nostrum propositū hæc sunt. *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoscumque eunuchos, & spadones vtroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum siue ignorantibus, siue scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, & tam locorū ordinarijs, ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam etiam, qui sic de facto contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & inualida esse decernas.* Cuius ea ratio reddi potest, quia nō possunt eunuchi verum semen emittere, sed humorem quendam aquosum. Quare non possunt satisfacere primo fini generationis, qui est prolis generatio. Quod si taurus recenter castratus vaccam aliquando prægnantem reddidit, id contigit ratione seminis ante castrationem in membrū decisi: quod sufficiens fuit ad veram generationem. Neque etiam obstat nostræ resolutioni, serpentes sine testiculis generare, hoc enim verum est, posse fieri in animalibus imperfectis, quæ secta viuunt, & quorum animæ diuisibiles sunt, sicut, & materiæ primæ, vt apparet in serpentibus, minime vero talis generatio reperiri potest in animalibus perfectis.

7 Neque etiā obstat tertio *lex. si serua. ff. de iure dotium.* In qua continetur, spadonem posse nubere, castratum vero minime, vbi per spadonem ille videtur intelligi, qui vtroque teste caret. Respondetur enim cum *Accursio super dictā legem,* ibi per spadonem intelligi orbatum altero tantum teste, vt patet *ex lege Pomponio, de adilitio edicto.* Neq; tandē obstat, Putipharē fuisse eunuchum Pharaonis, *Genesis 37.* & tamen genuisse filiam, quam duxit vxorem Ioseph Patriarcha, *Genes. 41.* facile enim satisfacimus ei difficultati defendentes, in sacris literis eunuchos appellari quosdam Regis ministros, & alijs præfectos.

8 Eunuchorum vero matrimonium, & aliorum impotentiæ vitio laborantium valore omnino destituitur, etiam si fœmina cognoscat illam impotentiam, & cedat iuri suo, quia ea impotentia repugnat essentiæ matrimonij, cui nō possunt coniuges renuntiare. In eius enim potestate minime constitutum est, matrimonij essentiam mutare. Cuius puncti discussionem latius prosequitur *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 97. num. 2.*

9 Secundo deducitur ex dictis, senes in quauis ætate longeua posse matrimonium celebrare, quia saltem aliqua arte, & aliqua via naturali possunt semen emittere, vt docent *D. Thom. & alij, in 4. d. 34. q. vnic. art. 2. ad 3.* Quod si aliquando cōtingat ex aliqua superueniente causa, non posse senes emittere semen in reliquo vitæ suæ tempore, eos matrimonij capaces esse omnino negamus. Ita sentiunt *Ostiens. cap. 2. in fine, de frigidis, & maleficiatis. Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, in solutione ad secundum.* Et alij plures.

10 Tertio deducitur, steriles illos, qui possunt habere copulam, non tamen possunt generare filios, esse matrimonij capaces. Constat manifeste ex vsu Ecclesiæ, quæ, & admittit ad matrimonium contrahendum senes generationis incapaces. Et propter sterilitatem etiam perpetuam nunquam dissoluitur matrimonium. Est enim duplex matrimonij finis, alius principalis, qui consistit in generatione prolis, alius minus principalis, qui consistit in remedio concupiscentiæ, & sedando appetitu carnali media copula. Ad valorem autem matrimonij sufficit possibilem esse finem minus principalem, licet magis

magis principalis finis impossibilis iudicetur. Neque nobis obest primo c. 1. *de frigid. & malef.* vbi videtur definiri necessariam esse potentiam ad generandum, nam ibi dicitur, matrimonium esse dissoluẽdum, si mulier proclamauerit dicẽs: *Volo esse mater, volo filios procreare.* Ad hoc enim respõdetur eum *D. Tho. in 4. dist. 34. in expositione literæ Magist. Sentent.* illa verba: *volo esse mater*, esse ita intelligenda, id est; volo habêre copulam coniugalem, hoc tamen explicatum esse per alia verba, quia magis honesta sunt. Neque etiam obest secundo, *cap. solet. 32. q. 2.* vbi significatur, non esse matrimonium sine spe filiorum. Respondetur nanq; istum textum ita esse intelligendũ, scilicet vt nullo modo vim habeat matrimonium, cum in eo contrahendo deducitur in pactum, vt proles euitetur. Hæc enim conditio vt contraria bonis matrimonij eius essentiam destruit, vt vidimus supra, dum de conditionibus matrimonij disseruimus.

11 At vero hi, qui cum impotentiã ignorarent matrimoniũ tamen optima fide contraxerunt, detecto postea impotẽtiæ vitio, aut matrimonij nullitate perspecta, dũ non possunt cohabitare vt coniuges, possint saltẽ cohabitare, vt fratres nonnihil habet difficultatis. Respõdetur tamẽ huiusmodi cohabitationẽ possibilem esse. Ita habetur c. *consulta. de frigidis*, atque ita continetur in *motu proprio Sixti V. supra allegato*, qui tamen à iudice separãdi sunt, si incõtinenter viuant, vel in eodem lecto dormiant, vt patet ex *motu proprio præallegato*, & vt notauit *Nauar. li. 4. consilior. tit. de frigidis, in 1. edit. consil. 3. n. 14.* Si hi, de quibus loquimur, essent adeò iuuenes vel adeò ad res venereas procliues, vt merito timeatur incontinentia, meritò separãdi sunt ad inuicẽ, quia ex tali matrimonio prorsus nullo, sicut nullũ fuit adquisitum ius ad copulã coniugalem, ita neque ad cohabitationẽ. Quòd si ab initio alter eorũ, vel ambo cognouerunt impotentiã propriam, & tamen cõtraxerunt matrimonium, non tenentur cohabitare etiam vt fratres, sed tantũ eis permittitur cohabitatio, Quod patet ex *c. consultat. allegat.* in quo nõ cõtinetur præceptũ, sed permissio cohabitationis. Ita sentit *Nauar. in sum. c. 22. n. 60.* & hac ratione optime intelligitur *cap. requisisti, 33. q. 1.* quare cum prædictus cõtractus matrimonialis valorẽ non fuerit sortitus, non obligatur vir siue cognouerit impotentiã, siue eam ignorauerit, ad eam fœminã alendam. Quòd si detecta impotentia ambo velint celebrare cõtractum non quidẽ matrimonij, sed societatis, ita vt fœmina seruiat viro & vir eam alat, tunc si nõ adsit periculũ incontinentiæ, possunt cohabitare in eadem domo, licet non in eodem lecto dormire. Et tunc remanebunt ad prædicta officia præstanda adstricti: imò etiamsi concedamus, virũ præditum esse potentia generandi sola fœmina impotentiæ vitio laborante, quamuis vir contrahat matrimoniũ cum alia secunda fœmina, priorẽ tamen, cum qua iniuit cõtractum societatis, tenetur alere, quia in hoc nulla reperitur repugnantia respectu matrimonij celebrati. Ita docuit *Petrus de Soto, lect. 5. de matrimonio, fol. 3. & alij*, quando vero *Gregor. Pontif. in dicto cap. requisisti. 33. q. 1.* de viro impotente & sua vxore hæc verba pronuntiat: *Quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant vterique innupti*, optime respondet *Dominicus Sotus in 4. dist. 34. q. vnic. art. 2. conclus. 3.* Verba illa non esse eodẽ modo intelligenda de viro, atque de vxore, nã respectu viri cõtinent præceptũ non nubẽdi, respectu fœminæ tantũ cõsiliũ. Quod quidem ex ipso textu videtur colligi; nã ibi late prosequitur Pontifex, virum respectu cuiuslibet fœminæ esse impotentẽ eo ipso, quod ad vnam in particulari impotens iudicetur, quod tamen non præstat de fœmina, sentit ergo Pontifex, viro necessarium esse, abstinere à coniugio; fœminæ vero liberum hoc esse.

Quartò deducitur, validum esse matrimonium viri cum ea fœmina contractũ, cum qua potest copulam habêre, licet illa nequeat parere sine vitæ periculo. Ita sentiunt *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 7. num. 8. & Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 92. num. 28.* Et probatur, quia ad essentiam matrimonij requiritur potentia ad copulam, quod vero sequatur generatio, per accidens est, vt manifeste apparet in viro sterili, cuius matrimonium validum esse iudicauimus. Ergo, cum in isto casu sit possibilis copula coniugalis, matrimonium valorem sortiri, necessium est; quamuis, vt optime considerauit *Rebellus 2. part. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 16.* Peccatum graue committeret, qui tale matrimonium contraheret, quia vitæ discrimen magni faciendum est: Validum etiam foret matrimonium, si possibilis esset copula, quamuis filij mortui nascerentur: Ita sentit *Ostiens. in summa tit. de frigidis, & maleficiatis, §. quæ impotentia num. 6.* 12

Quintò deducitur, nõ valere matrimonium cum ea contractum, cum qua quis nequit habêre copulam, licet possit habêre cum alia. Patet; quia bene datur impotentia naturalis cum vna, & non cum alia. Ita sentiunt *Syluest. verbo, matrimonium 8. quæst. 16. dicto. 3. Turrecrem 33. quæst. 1. in sum. art. 3. num. 15. conclus. 3. Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. column. penultima*; neque contrarium docet *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 2. ad quintum.* Quando enim dicit, non dari impedimentum naturale respectu vnius fœminæ, & non respectu alterius, intelligit, si arte medicinæ possit adhiberi remediũ ad impedimẽtũ auferendum. Eius verba sunt: *Ad quintum dicendũ, quod nõ potest esse perpetuũ impedimentum naturale in viro respectu vnius per-* 13

sona, & non respectu alterius, sed si non poßit implere carnalem actum cum virgine, & poßit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumẽto posset claustra pudoris frangere. Probatur primò ex *cap. fraternitatis. de frigidis, & maleficiatis*, vbi cum esset separatum matrimonium eo, quod vir mulierem arctam cognoscere non posset, atque illa alteri nupsisset, qui ipsam corrupit, non definitur absolutè, fœminam esse restituẽdam priori viro, sed quando prior vir similis erat posteriori, in illis verbis: *Cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur.* Ergo supponit textus in casu, quo prior vir esset dissimilis posteriori, non esse ei restituendam fœminam, quia poterat respectu fœminæ vnus esse potens, alius impotens. Vnde, quia est præsumptio iuris, vni aptam esse alteri aptam ad hoc, vt fœmina non reddatur priori viro, probanda est notabilis dissimilitudo inter virũ priorem, & posteriorem. Sed in hac re, vt ait *Paulus Comitolus*, esset Pontifex consulendus. Ita ait *lib. 1 quæst. 18. in fine*. Secundo probatur, quia potest dari fœmina ita arcta, & vir ita pinguis, vt non possit coire cum illa via naturali, possit tamen vas aliud latum penetrare, vt patet, ergo potest dari impotẽtia naturalis respectu vnius, & perpetua, & non respectu alterius. Et confirmatur, quia potest dari vir impotens ad virginem, & non ad corruptam, vt docent *Sylvest. verbo, matrimonium. 8. quæst. 16. dicto 6. & D. Antonin. 3. part. tom. 1. cap. 12.* Sed in dubio non censetur hæc impotentia, quia est rara. In quo casu iudicio medici, & manu chirurgi, vt fiat sine periculo, aperiatur virgo, non alio modo, vt bene *Sanchez disp. 93. num. 29.* & sic validum erit tale matrimonium. Auctores tamen oppositæ sententiæ non pauci defendentes non dari potentiam naturalem perpetuam respectu vnius, & non respectu alterius obijciunt contra nos, primo *caput 2. 33. quæst. 1. ibi.* nam si huic non potest concordare naturaliter, quo modo alteri conueniet, & *caput laudabilem, de frigidis, & maleficiatis*, vbi dicitur, virum separatum à muliere eo, quod iurarit, se non potuisse cum ea consummare matrimonium, per triennium cogendum esse, ad eam redire, si aliam fœminã cognoscat, sed ad hos textus respondetur, eos esse intelligendos de impotentia ex frigiditate naturali proueniente, hæc enim si est respectu vnius, etiam est respectu alterius fœminæ. Secundò contra nos obijcies, quia si vas fœmineum aperitur ab alio viro, poterit aperiri ferro, vel ligno, vnde impotentia non erit perpetua. Sed ad hoc respondetur, vas fœmineum aperiri membro virili connaturaliter, sine graui periculo, at ferro, vel ligno violenter, vnde cum periculo, quod si id posset sine graui periculo ferro, vel ligno aperiri, non crederem, esse impedimentum perpetuum.

Sed quæres, quando dicatur impotentia perpetua? Ad hoc respondetur *ex cap. fraternitatis. de frigidis, & maleficiatis*, ibi: *Nos tamen perspicacius attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo poterat remoueri.* Vnde colligitur cum vniuersis Doctoribus, quoties non potest tolli impotẽtia via naturali, & humana absque periculo corporis, & sine peccato, id enim possumus, quod iure possumus, esse impotentiam perpetuam. Imo etiam colligitur cum *Diuo Antonino 3. part. tit. 1. cap. 12. §. 1. Soto, in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 2. column. 6. & alijs.* valere matrimonium, & esse impotentiam tantum temporalem, si ea potest auferri medicamento naturali sine vllo periculo, etiamsi fœmina nolit pati medicamentum, & è contra, si post celebratum matrimonium fœmina voluit, se exponere vitæ periculo, & incolumis mansit per miraculum, prius matrimonium fuisse inualidum, quia impotentia erat perpetua eo ipso, quod via naturali auferri non poterat, & ita sufficiẽs erat ad annullandum matrimonium. Ita *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 7. num. 6. & alij.*

15 Quæres secundò, quid intelligatur per corporale periculum in hac quæstione? Huic puncto varij Doctores varijs resolutionibus respondent, ea tamen præ alijs nobis placet, quæ placuit etiam *Angelo verbo, matrimonium 3. impedimento. 16. num. 2. & Bartolom. à Ledesma de matrimonio dubio 48. conclus. 2. & alijs.* Scilicet per corporale periculum hic intelligi mortis periculum, constat *ex cap. fraternitatis, vers. per hæc autem*, in illis verbis: *Si fuerit tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur.* Imò sub nomine etiam corporalis periculi comprehenditur periculum incidendi in aliquem morbum grauem, & periculosum, quia iste æquiparatur morti, & ad mortem tendit.

16 Quæres tertiò, quam incisionem teneatur pati mulier virgo, & quælibet alia, quæ natura sua arcta est, postquam matrimonium contraxit, vt apta reddatur viro suo ad copulam coniugalem? In responsione huius dubij non est concors omnium Doctorum sententia, probabiliorem tamen sectantes dicimus, in vtroque casu debere fœminam libenter pati sui incisionem, etiamsi cum molestia, & graui dolore, imò & cauterio illa estirienda sit. Quantum ad virginem hanc sententiam sequuntur *Vega 2. tomo summæ, cap. 34. casu 109. Cañedo in summa Sacramentorum*, vbi de matrimonio, *cap. 5. num. 38.* quantum ad arctam idem defendunt *Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 7. num. 8. Manuel Rodriguez 1. tom. summæ in 2. editione cap. 235. num. 1. & alij.* Probatur primò, quia ius, quod habet vir in corpus fœminæ, & in ordine ad copulam cõiugalem, hoc videtur natura

sua

sua exigere, vt fœmina patiatur notabile detrimentum, vt hac ratione se reddat aptam copulæ. Secundò probatur, quia hoc necessarium est ad vitandam incontinentiam, & pollutionem in coniugibus, qui cum simul habitare debeant, si non possint habêre copulam, difficile possent hæc damna præcauere. In his vero casibus non tenetur vxor ex vi matrimonij celebrati periculo se mortis, aut periculosi morbi exponere, quia intolerabile esset hoc onus imponere coniugibus, quando matrimonio copulantur, quare in his casibus matrimonium minime valêret.

17 Quæres quartò, quid præsumendum sit in eo insurgente dubio, an impotentia naturalis præcesserit matrimoniũ, vel potius illud fuerit subsecuta. Respondetur, in eo casu præsumendum esse, antecessisse talem impotẽtiam, & matrimonium omni valore destitutum fuisse, licet in alijs dubijs circa matrimonij materiam sese offerentibus præsumat Ecclesia, matrimonium validum esse. Cuius discriminis eam rationem reddere possumus, quia in alijs dubijs possibile est consequi aliquem finem ex his, ad quos matrimonium est ordinatum. Et ita fauorabile est matrimonio, illud validũ iudicare, at vero in nostro dubio fauorabile est matrimonio, illud inualidum reputare, quia neque ex eo matrimonio posset sequi primarius finis matrimonij, qui est prolis generatio, neque secundarius, qui consistit in remedio cõcupiscentiæ. Ita respondent *Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 8. allegans Panormitanum in cap. licet de testibus, & Couarruuiam, 2. part. cap. 1. in princip. num.* 5. Et ad doctrinam contentam in *cap. licet ex quadam, in fine de testibus*, scilicet in dubio iudicandum esse in fauorem matrimonij ita quod illud vim habeat, respondetur cum *Syluest. verbo, matrimonium 8. in fine*, eam esse veram in eo casu, quo matrimonium potest consequi aliquem effectum proprium, scilicet vel bonum prolis, vel remedium concupiscentiæ, vt si dubitaretur, an coniuges laborarent impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, quod satis indicat textus ipse, in nostro vero casu ea doctrina locum habêre minime potest. Cuius resolutionis contrarium sensisse videtur *Thomas Sanchez lib. 7. disp.* 103. dum asserit, in eo dubio, an matrimonium semel contractum consummatum sit in triennio, vel non sit consummatum ratione impotentiæ, iudicandum esse matrimonium validum, quia in hoc dubio possesio stat pro matrimonio, cum cõstet, illud esse semel contractum. Supra enim satis hanc doctrinam refutauimus, dum defendimus, in dubio impotentiæ iudicandum esse, matrimonium semel contractum valorem non sortiri, & tale iudicium fauorabile etiam esse matrimonio.

18 Quarta conclusio, Omnis impotentia siue à natura proueniat, de qua in hac quæstione disputauimus, siue à maleficio, de qua in sequenti quæstione erit sermo, iure naturæ irritat matrimonium (quare & inter infideles eandem vim habebit.) Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 34. q. vnic. art. 2. ad primum, & D. Bonauent. art. 2. q. 1. ad primum, & alij plures*. Probatur ratione, quia huiusmodi impotentia repugnat naturæ matrimonij, quæ postulat traditionem corporis in ordine ad copulam coniugalem, & obligationem eam habendi, sed hæc omnia natura sua sunt impossibilia impotenti, ergo impotentia iure naturæ dirimit matrimonium.

Contra hanc tamen conclusionem aliqua insurgunt argumenta. Primum sit desumptum *ex cap. 2. de frigidis*, in quo continetur, puerum qui nequit reddere debitum, esse ineptum ad matrimonium, sicut & impotentem, sed puer, vt supra vidimus, tantum est ineptus ad matrimonium iure Ecclesiastico, ergo & impotens eodem tantum iure ineptus erit. Sed ad hoc argumentum facile respondetur, istos duos viros in eo tantum conuenire in ordine ad matrimonium, quod vtriusque matrimonium inualidum sit, & id tantum voluisse prædictum textum. Differunt tamen, quia pueri matrimoniũ est inualidum iure Ecclesiastico, at vero impotentis matrimonium est inualidum iure naturali. 19

Secundum argumentum sit ex doctrina *D. Thom. 3. part. quæst. 53. art. 1. ad quartum*, vbi ait: *Impotentiam non dirimere matrimonium, si præcognita, & electa sit*. Huic tamen argumento optime satisfacit *Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 2. §. postremum*, denique dum asserit, doctrinam *D. Thom.* intelligendam esse de impotentia, quæ tolli potest arte medicinæ, quæ tantum est impotentia temporalis natura sua, licet per accidens sit perpetua, quia nolunt coniuges eam auferre. 20

QVÆSTIO LXX.

Vtrum impotentia ex maleficio proueniens dirimat subsequens matrimonium, & quomodo possit auferri?

MERITO loquimur de matrimonio subsequenti impotentiam, non vero de antecedenti illam, quia si matrimonium semel contractum est, nullo existẽte impedimento tempore contractus, non annullatur per aliquod impedimentum subsequens; vt ratio ipsa naturalis aperte docet, quemadmodum à contrario sensu contingit, quod si matrimonium semel fuit inualidum propter aliquod impedimentum dirimens, postea tractu temporis non conualescit, etiãsi impedimentum auferatur. 1

2 Pro resolutione quæstionis aduertendum est, primum manifesta experientia constare, dari in viris, & fœminis impotentiam in ordine ad copulam prouenientē ex maleficijs dæmonis arte productis. Sex autem modis solet maleficium à dæmone causari, qui videri possunt apud *Martinum Delrium, lib. 3. disquisitionum magicarum, part. 1. quæstiuncula 4. sect. 8. per totam*, & vt optime obseruat *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. ad quartum*, huiusmodi impotentia contingere solet, vel in ordine ad omnes fœminas, vel in ordine ad vnam tantum.

3 Secundò aduertendum est, frigiditatem operantem impotētiam in viro ex aliquibus posse signis cognosci. Primo ex eo, quod membrum eius valde paruum sit corrugatum, & nō habens debitum colorē. Secundò ex eo, quod tale membrum nunquam erigatur, etiam remedijs adhibitis. Tertiò cum vir venerea non appetit, neque stimulos carnis patitur.

4 Tertio aduertendum est, maleficium causans impotentiam etiam deduci ex aliquibus signis. Primum fit, quando vir copulam appetit, & ad eam modo est aptus, modo ineptus, rursusq; iterum aptus, & rursus proxime ineptus, hoc enim via naturali non contingit. Secundum signum fit, cum vir ad copulam paratus, nulloque sibi obstante impedimento ex parte fœminæ non potest semen intra vas effundere. Tertium signum fit, cum vir potest habêre copulam cum alijs fœminis, & cum vna tantum eam non potest habêre, cum tamen nihil, vel ex sua parte, vel ex parte fœminæ repugnet copulæ. Quartum cum coniuges appetentes copulam, & tentātes accedere ad illam exhorrescunt, nec accedere audent. Ita *Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. paulo post principiū in prima conclusione.*

5 Ideò vero iuxta *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. ad tertium*, maleficij potestas permittitur Diabolo à Deo in actu generationis magis, quam in alijs, quia corruptio prima peccati, per quam homo factus est seruus Diaboli, in nos per actum generantem deuenit.

6 Sit prima conclusio. Impotentia perpetua ex maleficio proueniens dirimit matrimoniū. Probatur primò ex *cap. finali de frigidis, & maleficiatis*, quod omnes intelligunt de impedimento maleficij. Probatur secundò, quia in isto casu est impossibilis obligatio ad copulam quæ est de essentia matrimonij, ergo est impossibile matrimonium. Ita defendunt *Glossa in cap. fraternitatis, de frigidis, & malef. Turrecre. 33. quæst. 1. cap. fin. art. 2. num. 2. D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. in corpore. D. Bonauent. art. 2. quæst. 2. & alij quos refert, & sequitur Sanchez dicto lib. 6. disp. 94. num. 8.*

7 *Innocentius cap. laudabilem, num. vnico, verbo, triennium eodem tit. sensit oppositum*. Probatur primò ex *cap. ex literis, de frigidis*, ibi: *Si vitium* A *illud mulier à natura contraxit, nec opere medicorum potuerit adiuuari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ergo à contrario sensu, vbi impedimentum est ex maleficio, vir non potest aliam ducere. Secundo, quia nullum maleficium est perpetuum, sed potest licite tolli per eius Auctorem. Tertiò, quia alias dæmon posset de non matrimonio facere matrimonium, & è contra. Sed ad primum respondetur hic non valere argumentum à contrario sensu, quia quantum ad maleficium hęc res definita est *in cap finali allegato*. Ad secundum argumentum respondetur, dari quidem maleficium perpetuum, vt in eo casu quo dæmon virilia abscinderet, vt aliquando abscidit, quod damnum nulla arte dæmon potest reparare, B vel in eo casu, quo Auctor maleficij è vita discedat, & maleficij dissolutionem nemo alius cognoscat. Ad tertium argumentum respondemus, dæmonēm non posse de non matrimonio matrimonium efficere, vel è contra, posse tamē eos, qui inhabiles sunt ad matrimonium ratione impotentiæ à se causatæ, habiles reddere ablata impotentia ad matrimonium contrahendum.

Impedimentum vero ex maleficio proueniens, tunc censendum est, esse omninò perpetuum, cum maleficiūm auferri minime potest sine miraculo, vel sine alio maleficio, tunc autem iudicandum est temporale, vt bene notat *Sanchez loco citato, num. 10. & 15.* Si per exorcismos Ecclesiæ tollatur, vel per alia remedia C ordinaria, nempe per contritionem, & humiliationem spiritus, & confessionem sacramentalem, & cætera Ecclesiæ spiritualia remedia, vt constat ex *canone si per sortiarias 33. quæst. 1.* Quia ista sunt media communia, & ordinaria Ecclesiæ inuenta ad hunc finem auferendi maleficia, & ideò, quando hac ratione maleficia tolluntur, non tolluntur miraculose, quia hoc non contingit raro, sed sæpius, ad rationem autem miraculi exigitur aliquid raro contingere. Tandem pronuntiandum est, maleficium esse temporale, si à malefico via licita, & humana possit auferri, quia tunc per opus humanum auferri potest, quæ veritas constat ex *cap fraternitatis de frigidis.* 8

His ita suppositis quæret aliquis, an licitū 9
D sit petere dissolutionem maleficij ab ipso malefico? Huic puncto vt respondeamus supponendum est, omne illud, quod efficitur, aut dicitur ad impetrandum aliquod bonum, vel vitandum aliquod malum, quod nullam virtutē habet naturalem, vel supernaturalem ad id causandum, vt cum rebus sacris admiscentur vt conuitiones necessariæ aliquæ res vanæ, vt quod dicatur pater noster ad aures equi, vel mane, aut meridie, illud quidē superstitiosum esse, & credendum esse, ibi inesse occultam quandam dæmonis operationem, quia rebus

ies

ita vanis, & omni destitutis fundamento nec Deus, nec Angeli, sed soli delectantur dæmones. Ita sentiunt *D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 2. Caietanus in summa verbo, incantatio.*

10 Hoc supposito respondemus primò, à malefico non parato ad dissoluendum maleficium malo medio, quem credo prauo vsurum medio, vt maleficium dissoluat, si forte ad id excitetur, non posse me petere dissolutionẽ eius, quamuis ille possit medio vti licito. Patet quia induco illum ad malũ, quod nulla ratione mihi licet. Secundò respondemus, in eo casu, quo maleficus nesciat medium licitum ad dissoluẽdum maleficium, non posse licite ab eo peti dissolutionem eius, neque precibus, neque vi, quia tunc petitur id, quod non potest licite fieri. Ita *Caietanus in summa, verbo, maleficium, Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 15. columna 7. Syluest. verbo, maleficium, quæst. 8. & alij.* Tertiò respondetur cum *Petro de Ledesma, de matrimonio, quæst. 58. art. 2. dubio, 4.* in eo casu, quo maleficus, & sciat media licita, & illicita quibus possit dissoluere maleficium, & paratus sit ad illud dissoluendum medio illicito, fas mihi esse in necessitate constituto ab eo petere absolutè, non determinando medium licitum, aut illicitum, vt maleficium à se perpetratum dissoluat. Patet, quia eodem modo conceduut omnes licitum mihi esse indigenti petere pecuniam mutuam ab vsurario parato, quamuis sciam eum non mutuaturum, nisi sub vsuris, ergo etiam in nostro casu idem affirmãdum est, deberem tamen maleficum admonere, esse aliquod bonũ medium, quo possit vti, dum modo tamen spes esset alicuius fructus, non tamen possem vti aliqua medicina illicita mihi ab eo applicata ad tollẽdum maleficium, cum hoc sit natura sua, & intrinsecè malum, à malefico autem communiter illicitum est petere dissolutionem maleficij, quia cõmuniter, & regulariter nesciunt isti deprauati homines laquéis diaboli irretiti vnum maleficium dissoluere, nisi medio alio maleficio, & in dubio an maleficus notitiam habeat alicuius medij liciti ad dissoluendum maleficium, credendum est, eum ignarum esse talis medij, quia frequẽtius illud ignorãt, & quia in eo dubio exponit se quis periculo peccandi, quod nulla ratione defendendum est. Ita docuit *Martinus Delrius lib. 6. disquisitionum magicarum, cap. 2. sectione 1. quæst. 1.* imò vt optime considerauit *Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. column. 4. versic. quod si quis susceptus*, non licet hanc dissolutionem petere à dæmone, cum quo nobis amicitia est prohibita, nisi medijs exorcismis Ecclesiæ.

11 Maleficus autem licite potest ad obtinendã alicui sanitatem destruere signa maleficij, & ligaturas medio pacto cum dæmone factas, si eo animo, & fine ducatur, vt destruat pactum cum dæmone initum, in ea enim actione nulla

A culpa reperitur, nam tunc destruitur amicitia cum dæmone, & solum ab eo expectatur cessatio à vexatione alicuius corporis, non vero positiua aliqua actio. Credibile enim est dæmonem, destructo eo signo, medio quo pactum cũ dæmone conseruabatur nocendi corporibus maleficio affectis, non amplius vexaturum ea corpora, vt hac ratione miseros, & ignorantes homines decipiat, suadendo illis se esse firmum, & constantem in seruandis pactis, ita vt corpora vexet constante signo inter eos appusito ad amicitiam conseruandam, & cesset à vexatione destructo tali signo, in quo casu circunstantes rei euentum expectantes admonẽdi forent, ne scandalum paterentur, existimantes prædictum signum dissolui per aliquod maleficium. Hanc doctrinam nobis reliquerunt

B *Caietanus in summa verbo, maleficium, Nauar. in summa cap. 11. num. 29.* nec huic resolutioni obstat, quod *D. Hilarion*, vt refert *Diuus Hieronymus*, non est passus in casu cuiusdam malefícij signa à dæmone, & malefico constituta amoueri, quibus amotis dæmon fassus est, se a puella exiturum, id enim præstitit, vt ad maiorem Dei gloriam dæmon miraculose expelleretur. Quando maleficium potest dissolui à solo eius auctore modo licito, non est tunc impedimentum perpetuum, sed temporale, vt patet ex dictis. Ita resoluunt *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 45. & Ioann. Gutierrez, tractatu de matrimonio, cap. 114.* Et in dubio, quando constare nequit, an sit maleficium perpetuum, quando

C coniuges dederunt operam copulæ per triennium, nec eam perfecerunt, præsumitur esse perpetuum, vt communiter docent Doctores.

QVÆSTIO LXXI.

Vtrùm matrimonium dissolutum ob alicuius impotentiam, vel maleficium, restaurandum sit, quando impotens, vel maleficio affectus, secundum matrimonium contraxit, vel fornicatus est?

D In hac quæstione maxime aduertẽdum est *ex cap. 1. & 2. 33. quæst. 1. & ex cap. 1. & cap. laudabilem, de frigidis, & maleficiatis.* Liquido constare, matrimonium dissolutum ob alterius coniugis frigiditatem restaurandum esse, si postea ille frigidus ad secundas nuptias transeat, & constet eas consummatas fuisse, quia ex eo euentu aperte constat prius matrimonium validum fuisse, & hominem non fuisse frigidum. Ita notarunt *Ioannes Andreas, capite laudabilem de frigidis, num. 3. Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, colum. penultim. versic. aliter autem,* &

& alij Doctores. Propter quam etiam rationem affirmare debemus cum *Ioanne Andrea, & alijs Doctoribus loco cita.* restaurandū esse illud prius matrimonium ratione frigiditatis dissolutum, si contingat virum illum frigidum reputatum copulam habuisse cum aliquā fornicariam.

a Sit prima conclusio. Ad restaurādum prius matrimonium ob reputatam frigiditatem dissolutum in foro externo post celebrationem alterius primi matrimonij aperte sufficit vtrumque coniugem ad secundum matrimoniū pertinentem confiteri copulam inter eos habitam, & fœminam, quæ prius erat virgo, corruptam reperiri, vel si fœmina concepit, & membrum viri nullum signum frigiditatis habeat. Patet hæc conclusio, quia his vijs sufficiēter cognoscitur virum non esse frigidum, & ita prius matrimonium validum fuisse, imò in eo casu copula fornicaria satis probabitur, si diuersæ fœminæ affirment, secum eam contigisse, in hac enim re natura sua occulta testes sufficiunt singulares. Ita notat *Sanchez lib. 7. disp. 99. num. 13.* dissoluto tamen matrimonio primo ob frigiditatem viri, si ipse ad alias nuptias transeat, hæ secundæ sunt statim dissoluendæ, quia si verè fuit frigidus, nullum matrimonium valuit, sin minus, primum valuit, & non secundum, quod si eo tempore, quo frigidus ad secundas nuptias transit, vxor obierat, separandus est à secunda vxore, donec probet, se potentē esse, quod si prior vxor viuat, quando vir ad secundas nuptias transit, vel alij nupserat, vel non, si nupserat, fauet ei possessio secundi matrimonij contra primum vt nullum declaratū, & sententia lata cōtra primū, vt possit petere, & reddere debitū. Quod si nō nupserat, non debet nubere, ne se exponat periculo adulterij, donec appareat, an maritus consummarit matrimonium secūdum, nec ne, quod si de facto nubat, orta lite contra frigidū, separanda est, donec lis finiatur, non enim fauet ei possessio, quæ ob litem perturbata est, quod si matrimonium fuit dissolutum ex eo, quod mulier esset respectu omnium hominum arcta, eodem modo de hoc matrimonio, ac de eo, quod propter frigiditatem dissolutum est, loquendum est, si vero tantum erat arcta respectu primi viri, non est prohibenda alteri nubere, nec etiamsi nubat secundo viro, est restituēda primo donec similes in complexione naturali vici iudicentur, & ita intelligitur, *cap. fraternitatis, de frigidis, & malef.*

3 Sit secunda conclusio. Si prius matrimoniū fuit dissolutum ob maleficium viri perpetuū, & generale respectu omnium fœminarū, tunc si vir secundum ineat, & illud consummet, restaurandum est primum, & in hoc eodem modo loquendum est, ac in præcedenti conclusione de frigido locuti sumus, si autem erat maleficium particulare respectu vnius tantum, vt communiter contingit, tunc potest quilibet coniux ad secundas nuptias transire, quia quāuis frigidus respectu vnius, respectu omnium frigidus censeatur, at maleficio affectus respectu vnius non censetur respectu omnium maleficio affectos, loquendo communiter. Ita habetur hoc vltimum *cap. fin. 33. quæst. 1.* quod licet sit Archiepiscopi *Remensis Himmari*, at est pro canone à tota Ecclesia receptus) ibi: *Quod si forte sanari non potuerint, separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus, quibus iuncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concūbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibūt.* Ita docet expresse *D. Thom. in 4. dist. 34. in fine, D. Bonauent. ibi. & alij.* Vnde cum in dicto textu dicitur, quod est reddita potentia primis coniugibus, intelligitur, quod illam per experientiam cognouerunt respectu aliorum, non respectu sui, quam omninò ablatam esse credebant. Quod si postquàm separati sunt, habuerunt interse copulam, restituendi sunt primo matrimonio, & credendum est, illud maleficium non fuisse perpetuum. Ita *Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, art. 3. ad finem.*

Quod si fœmina viro obijciat impotētiā in genere, iudex debet discutere, an talis sit, vt sit absoluta, & sic debet omninò viro matrimoniū interdicere, si vero sit respectiua, minime, & quacunque ex causa iudex dissoluat primum matrimonium, & postea restauret, debent coniuges triennio cohabitare, & exercere actus cōiugales, & si tunc non habeatur copula, credendum est, maleficium intercedere, vel impotentiam respectiuam. 4

Quæres tamen primo, quid sentiendum sit in eo casu, quo præcipitur restaurari primum matrimonium, & alter coniux, ob cuius impotentiam erat illud matrimonium dissolutum, fuit professus religionem approbatam? Huic difficultati respondetur, talem professionem validam esse, si matrimonium neque sit cōsummatum per copulam, neque per delationem seminis in vas fœmineum aliqua alia via (quamuis hoc vltimum obesse neget aperte *Sanchez lib. 7. disp. 99. num. 37.*) huic enim nihilobstat, prædicta impedimenta ablata esse, vt eius professio valorem sortiatur, vt constat ex *cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiatis*, quod si ille professus ante professionem non solum celebrauit illud matrimonium, quod ab Ecclesia iudicatum est inualidum, sed etiam aliud secundum celebrauit, existimans suam impotētiam respectiuam esse, & illud consummauit, tunc expectaudū est triennium, & in eo copula exercenda, vel procuranda cum prima coniuge, cui per nouam sententiam restituitur, vt hac ratione perspiciatur, an prius matrimoniū valuerit, vel secundum: nam si primum vim habuit, quia copula per triennium contigit cum priore 5

priore coniuge, & apparuit, non adfuisse in principio veram impotentiam, tunc si quidem non fuit consummatum ante ingressum religionis, ideò dissolutum fuit per professionem illius coniugis. Quod si vero experientia doceat, primum matrimonium minime fuisse validum, secundum vero vim habuisse, istud secundum minime potest dissolui illa professione, quia vt supponitur, fuit consummatum ante ingressum religionis, hanc autem resolutionem nemo putet inanem, cum alia via minime potest cognosci impotentia, tum quia non restat alia via vincēdi has difficultates, tùm quia hoc præstat Ecclesia ex speciali Dei dispensatione.

6 Quæres secundò, quid iuris, si vir erat sacris initiatus, cum præcipitur restaurari illud matrimonium, quod tanquam inualidum fuerat declaratum? Cui quæstioni respondetur cum *Syluestro verbo, diuortium, quæst. 21. num. 24. Rosella num. 6. eodem verbo, & alijs.* Petente vxore ob nouas allegatas causas eius viri restitutionem, talem virum esse ei reddendum, quia per sacros ordioes non est dissolutum matrimonium præcedens, siue matrimonium fuerit cōsummatum, siue tantum ratum. Et in eo casu restitutus vir tenetur vxori reddere debitum, quia quantum ad hoc non potuit aliquod præiudicium causare medio suo voto, minime tamen poterit petere debitum, neque vxori nolenti restitui, quia his iuribus se priuauit per votum ordinibus sacris annexum.

7 Quæres vltimò, an sententia separationis matrimonij prius lata ab vno iudice, & postea bis confirmata ab alijs iudicibus, vel saltim transacto decennio, in quo potest ad iudicem superiorem appellari, transeat in rem iudicatam, ita vt non sit audiendus ille, qui vult allegare, illam sententiam falso oixam esse fundamento, ac prius matrimooium validum fuisse. Pro huius dubij resolutione cum communi Doctorum sententia defendimus primo, in causa matrimoniali sententiam dissoluentem matrimonium nunquam transire in rem iudicatam. Constat aperte *ex cap. lator. de sententia, & re iudicata, cap. consanguinei, & cap. tenor. eodem titulo.* In quibus absolute pronuntiatur, audiēdum esse eum, qui matrimonium prius dissolutum contendit, validum esse, vnde contra sententiam dissoluentem matrimonium debet quis audiri, quoties iudex cognouerit, verisimilem allegari rationem. Secundo defendimus, in his casibus propositis audiendum esse coniugem non per modum appellationis, sed per modum querelæ. Vnde non potest in his casibus Archiepiscopus recipere querelas suffraganeorum, neque de ejs iudicium ferre, quia hic solum potest procedere in gradu appellationis, vt constat ex *cap. 1. de officio legati.* Tertiò defendimus, iudicem comperta rei veritate, vel cognita verisimili ratione dubitandi, semper debere ex officio procedere contra eam sententiam, in qua pronuntiata est separatio matrimonij, vt constat ex *cap. porra de diuortijs*, verba Pontificis hæc sunt: *Tui affi.ij interest, matrimonia illa adhibita grauitate dissoluere, quæ illicite contracta noscuntur.* Ergo etiam eiusdem officij iudicis proprium est, ea matrimonia reparare, quæ constat, dissoluta fuisse inualide.

Quando autem sententia matrimonij transeat in rem iudicatam, vide apud *Sanchez 2. tomo de matrimonio, lib. 7. disp. 100. num. 11. & sequentibus.* Quia hæc potius ad forum externū, quam ad internum, quem nos enucleamus, pertinent. 8

QVAEST. LXXII.

Vtrùm dissoluto matrimonio ratione impotentiæ alterius coniugis, & comperta falsitate impotentiæ ex eo, quod impotens postea habuit copulam, possit potens propter eam copulam petere diuortium, vbi alia dubia resoluuntur?

DVPLICITER potest contingere, cōiugem illum, ob cuius impotentiam matrimooium iudicatum est inualidū ab Ecclesia, habere copulam, postquam ipse suis fundamentis probauit suam impotentiam. Primò modo de facto contrahendo secundum matrimonium, & illud consummando. Secundo vero modo fornicarie se commiscēdo alteri fœminæ. 1

Sit prima conclusio. Coniux præditus potentia generatiua, qui separatus quidem est ab aliquo coniugio quoad vinculum propter alterius coniugis impotentiam testibus comprobatam, si dum bona fide repdtat, prius matrimonium minime valuisse, per carnalem copulam alicui coniungatur, vel medio secundo matrimonio celebrato, vel extra illud, non præbet sufficientem ansam alteri coniugi petendi à iudice diuortium ob prædictam copulam, quamuis postea contingat, reparari primum matrimonium ex eo, quod Ecclesiæ decursu temporis constet, alterum coniugem revera non fuisse impotentem. Patet veritas hæc primo *ex cap. gaudemus de diuortijs*, verba Pontificis hæc sunt: *Ad nostrum propositum, quamuis quoque secundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimissam mœchatur, non tamen dimissar poterit obijcere fornicationē dimissæ præ ea, quod nupsit alij post repudium, nisi alias fuerit fornicata.* Secundo patet, quia diuortium non conceditur, nisi 2

nisi ob adulterium verum, & formale, & quod continet veram adulterij culpam, ille autem coniux potentia generatiua præditus, qui credidit merito, primum matrimonium non valuisse, non commisit formale adulterium, ergo non debet puniri pœna diuortij, alias puniretur sine culpa.

3 Secunda conclusio. Si impotens ille, de quo procedit prima conclusio, post dissolutionem primi matrimonij ob suam falso comprobatã impotentiam habuerit copulam consummatam cum alio, siue medio nouo matrimonio celebrato, siue extra illud, quantumuis prius matrimonium reparetur quoad vinculum, at vero quoad thorum potest separari ab altero cõiuge innocente, & ad instantiam eius postulãtis diuortium. Ita docent *Antonin. cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis, num. 27. & Alexand. de Neuo. §. quamuis, num. 20.* Qui quidem Auctores optima nituntur ratione, scilicet, quia eo ipso, quod coniux impotens reputatus copulam prædictam habuit, verum commisit adulterium, quia constat ei, prius matrimonium validum fuisse. Secundò probatur conclusio ex *cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis,* vbi separatam à suo viro ob arctitudinem falso comprobatam detecta falsitate, præcipitur viro restitui quoad vinculum, & quoad thorum, nisi se fornicario modo alteri viro miscuerit, vt primus vir prætextu fornicationis eius consortium velit declinare. Quod adulterium, vt patet ex his, quæ diximus circa impedimentum criminis, debet esse per copulam consummatam, neque enim tẽtare tantum copulam, verum constituit adulterium.

4 Sed contra primam conclusionem obstat primo *cap. gaudemus de diuortijs,* vbi denotatur mulieri dimissæ ob libellum repudij, propter quod credebatur, primum matrimonium non valuisse, posse obijci fornicationem. Ad hoc tamen optime meo iudicio respondit *Sanch. lib. 7. de matrimonio, disp. 101.* eum textum in illis verbis, quæ quantum ad hoc videntur continere difficultatem, scilicet, *nisi alias fuerit fornicata*, esse intelligendum de fornicatione admissa ante libellum repudij, non de ea, quæ post talẽ repudium, quo prius matrimonium dissolutũ putabatur, contigit, tunc enim ea copula quẽadmodum coram Deo non constituit adulterium, ita etiam coram hominibus non præbet occasionem diuortij.

5 Secundo obstat contra secundam cõclusionem textus in *cap. fraternitatis de frigidis.* Vbi videtur decidi mulieri arctæ separatæ à suo marito, & postea ei restitutæ, quia compertum est arctitudinem fuisse falsam, non posse obijci diuortium ex eo, quod alteri viro nupserit, verba textus sunt: *Si postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato G. quandiu articulus iste dubitabilis —t, præsumi non debet, quod fornicaretur cum illo,*

A Sed ad hoc optime respondet *Sanchez dicto loco,* ibi esse sermonem de fœmina ob arctitudinem à viro separata, quæ postea votũ simplex castitatis emisit, & alteri nupsit, & non constat de consummatione matrimonij cum eo, cũ enim ex solo matrimonio non colligatur copula, & illa mulier arcta reputetur, non est credendum illam habuisse copulam cum secundo viro, vnde neque statim restaurandũ est prius matrimonium, neque ob hoc præcise, quod illa contraxit matrimonium cum secundo viro, potest ei vir prior restaurato primo matrimonio adulterium obijcere ad celebrandum diuortium.

Quæret tamen aliquis, an impotentia superueniens matrimonio rato non consummato dirimat illud? Respondetur cum communi sententia, matrimoniũ nullo modo dirimi per hãc impotentiam. Probatur primò *ex capit. hi qui 32. quæst. 7.* vbi generaliter decernitur, ob nullam impotentiam superuenientem matrimonium cassari. Secũdò probatur, quia ad valorẽ matrimonij solum consideratur potentia existens tempore contractus matrimonialis, quia tunc traditur dominium corporum, ergo quãuis ea potentia decursu temporis tollatur, non tamen ob hoc tollitur vinculum matrimoniale, quia licet matrimonij vinculum dependeat in fieri à potentia generatiua, non tamen in conseruari, quod si matrimonium ratum non dissoluitur per impotentiam, neque etiam dissoluitur matrimonium cõsummatum, quod fortius, & perfectius est. 6

B

C

Secundò quæres, an superueniente impotẽtia licitus sit actus aliquis copulæ ipsis coniugibus? Respondetur, impotentia consistente in eo, quod vir possit vas fœminæ penetrare, non tamen possit verum semen emittere, quia ab eo auulsi sunt testes, tunc posse virum petere, & reddere debitum, quia licet in eo casu cesset primarius finis matrimonij, qui est prolis generatio; non tamen cessat secundarius, qui est remedium concupiscentiæ, si vero impotentia sita sit in eo, quod fœmina nequeat parere fœtum viuum, respondet *Sanchez loco citato,* quibusdam viris doctis de hac re consultis visum fuisse, posse in eo euentu, & peti, & reddi debitum, quia cum tanto damno, qualẽ est perpetuo carere vsu matrimonij, nõ tenentur cõiuges bono prolis prospicere. Verumtamen responsio hæc nõ mihi placet, quin imo respondeo, in eo casu potius debere coniuges copulam vitare, quam permittere prolẽ mortuam nasci, & eam in perpetuum damnari, cum sine baptismo decedat, quare iudico remedium concupiscentiæ non esse cum tanto dispendio quærendum, sed alijs vitæ Christianæ remedijs. Quod si impotẽtia ex eo proueniat, quod nequeat vxor parere sine graui periculo vitæ, tunc dicendum arbitror cum *Petro de* 7

D

Le-

Ledesma de matrimonio, quaest. 58. & Manuel s. tomo summae 2. editione, cap. 235. Peccatum committi mortale in eo casu in petendo, & reddendo debito; quia haec foemina non est vitae suae domina, vnde nequit eam periculo exponere. A

8 Tertiò quaeres, an ille qui dubius est de sua potentia possit matrimonium inire? Respondetur minime quidem, quia exponitur periculo irritum matrimoniū contrahendi, nec triennium ad experiendam impotentiam ei licite conceditur, sed ei tantum qui iam contraxit matrimonium, licet cum mala fide contraxerit, quia nullo alio modo potest, haec impotentia cognosci, nisi medio actu coniugali. Quod etiam obseruandum est, quando pubes decimo quarto anno completo contraxit matrimoniū, sed non potest copulam habere, & dubitatur, B an hoc prouenjat ex debilitate aetatis. Ita docet *Couarru. 4. decretalium. 2. part. cap. 5. num. 2.* Patet, quia *cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis*, triennium concedit omnibus hominibus ad impotentiam cognoscendam.

9 Quarto quaeres, an matrimonium contractum in articulo mortis, quando non est possibilis copula, quia infirmus prorsus est viribus destitutus, aliquam vim habeat, & an filij ante tale matrimonium suscepti tempore cōcubinatus per illud matrimonium reddantur legitimi. Ad quod respondetur primo tale matrimonium validum esse. Ita sentiunt *Abbas in cap. commissum de sponsalibus, num. 3. Couarru. in 4. decretalium, 2. part. cap. 8. & alij quam plurimi.* Probatur primo ex vsu Ecclesiae, secundum C quem huiusmodi matrimonia quotidie fiunt, & ab Ecclesiae pastoribus approbantur. Secundò probatur, quia in eo homine manet potentia generatiua, licet vi morbi impedita sit, vt nō possit prorumpere in actum, ergo hoc sufficit ad hoc, vt matrimonium consistere possit. Ad secundum punctum huius difficultatis respondemus, tale matrimonium habere vim legitimam efficiendi prolem. Patet *ex cap. tanta qui filij sint legitimi*, vbi generaliter cuilibet vero matrimonio, quale est istud, de quo loquimur, virtus haec legitimandi prolem antea susceptam conceditur, de qua re late videatur *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 105.*

QVAEST. LXXIII.

Vtrùm hermaphroditus possit matrimonium valide celebrare?

1 Hermaphroditi nomine eum intelligere debemus, qui habet sexum virilem, & sexum foemineū, qui quidem tunc iudicandus est vir, quando in eo praeualet sexus virilis, tunc vero foemina iudica- A tur, quando sexus foemineus potiorem locum habet. Ita habetur *in leg. quaeritur. 10. ff. de statu hominum*, quando vero vterque sexus aequalis est, datur hermaphrodito optio, vt quem malit, sexum sequendum eligat. Veritatem hanc nos docuerunt *Syluestro verbo, hermaphroditus in fine, Armilla eodem verbo, in fine*, & vt nobis significauit textus *in cap. diuersis. de clericis coniugatis.* Semel electo vno sexu ab hermaphrodito, necesse est, eum medio iuramento promittere, se minimè vsurum alio sexu, quia cōtra ordinem naturae videtur, modo exercere eandem personam officium patris, & postea matris officium praestare. Quod si dubium sit, quis sexus praeualeat, medici circa tale dubium consulendi sunt, & ipse etiā hermaphro- B ditus optime poterit explicare, quem sexum in se sentiat praeualere. Quod si post longam rei discussionem nihil certi colligatur, neque pro vno, neque pro altero sexu, sed pro vtraque parte aequaliter probabiles consistent rationes, vterque sexus iudicandus est aequalis.

Sit prima cōclusio. Si alter sexus praeualeat, 2 secundum illum potest hermaphroditus contrahere matrimonium, quia secundum illum adest vera potentia generatiua, non vero secundum alium sexum: imò tantum secundum illum sexum praeualentem validum est matrimonium, si ius naturae perfectè consideremus.

Secunda conclusio. Quando vterque sexus 3 est aequalis, valorem sortitur matrimonium secūdum quemlibet sexum eorum, quia in quo- C libet sexu constituta est potentia generatiua. Quod si semel hermaphroditus secundum vnum sexum aequalem contraxit matrimoniū, defuncto eo coniuge valide poterit secundū celebrare coniugium iuxta alium sexum sine eo, quod ius naturale, vel ius diuinum, aut humanum aliquod matrimonium eorum inualidum ceputet.

Peccat quidem mortaliter ille, qui in casu 4 secundae conclusionis semel vno sexu electo, & secundum illum celebrato semel matrimonio, postea etiam mortuo priore coniuge iuxta alium sexum, secundum contrahit matrimonium, tum propter indecentiam quandam naturalem, quam huiusmodi mutatio sexus praefesert, tum etiam propter iuramentum, quod D praestitit hermaphroditus, se vno tantum sexu vsurum, & parrochus non potest adesse matrimonio huius hermaphroditae, de quo locuti sumus in secunda conclusione, nisi prius coram iudice Ecclesiastico alterum sexum eligat.

Quaest.

QVÆST. LXXIIII.

Vtrùm ad cognoscendam impotentiam necessarium sit, triennium expectare?

SIT prima conclusio. Quando signa impotẽtiæ sunt omninò certa, nõ est necessarium expectare triennium experientiæ coniugalis ad cognoscendam eam impotentiam. Patet, quia tunc matrimonium euidẽter est nullum, statim ergo dissoluendum est sine alia diligentia, quia tunc copula sine dubio esset fornicaria. Neq; in eo etiam casu exigitur aliquod iuramentum, quia in rebus apertis, sicut non est opus coniecturis, ita neque iuramentis. Primum autem manifestum signum impotentiæ consistit in eo, quod vir nõ habeat virilia. Secũdũ, quod non habeat testes. Tertium, quod virilia omninò sint arida. Quartum quod mulier sit omninò arcta, ita vt non possit ab aliquo viro cognosci. Quintum quãdo coniux à primo matrimonio separatur ratione omnimodæ frigiditatis, quæ doctrina si signa impotentiæ naturalis appareant vera est, quia impotentia est perpetua, nam si impotentia sit ex maleficio, cum hæc sit accidentalis, & non à natura temporalis est sæpius, & ad eam vincendã requiritur experientia triennalis. Quod si signa impotentiæ non sint signa euidentia, sed tãtum verisimiliter euidentia, tunc requiritur iuramentum coniugum, & septimæ manus propinquorum, id est, quatuor decim testium, quorum septem sint consanguinei vnius coniugis, & alij septem alterius. Coniuges enim debẽt iurare, se non potuisse coire, & consanguinei debẽt iurare, se credere, eos vera dicere, quod iuramentum propinquorum exigitur *in capit. laudabilem in fine, de frigidis, & malef.* & in hoc casu, atque istis præstitis iuramentis nõ requiritur experientia triennalis copulæ. Atque ita obseruarunt *Anton. cap. laudabilem de frigidis, num. 14. & Alexand. de Neuo ibid. num. 17.*

Secunda conclusio. Quando signa impoten-
2 tię, neque sunt omninò euidentia, neque verisimiliter euidentia, sed dubia, tũc etiamsi vterque coniux fateatur impotentiam, requiritur tamen iuramentum septimæ manus propinquorum, vel eis deficientibus vicinorum, vel si non adsint tot personę, arbitrio iudicis adhibentur pauciores personæ, vel alię personę bonæ famæ, & omni exceptione maiores, vt istæ affirment, se certo credere, coniuges vera affirmare, dum propriam impotentiam profitentur, vt hac ratione omnis collusio ex parte cõiugum excludatur. Et præterea requiritur triennale tempus, quo coniuges dent operam actibus coniugalibus (licet aliqui tunc non requirant istud tempus ducti *cap. 1. de frigidis, &*

A *maleficiatis*, vbi tale tempus non videtur requiri) sed quod triennium requiratur ad illam impotentiam explorandam, docet *D. Thom. in 4. dist. 34. in fine, in expositione literę, D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 12. §. 3. & Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 108. cum alijs.* Probatur, quia vbi impotentia incerta est, & dubia, requiritur triennalis experientia ex *cap. laudabilem. de frigidis*, in illis verbis: *Nos vero in præsenti consultatione sentimus, vt à tempore celebrati coniugij, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.* Sed in nostro casu, licet coniuges iurent impotentiam, in quibus potest esse collusio, vel error, & licet iurent impotentiam consanguinei, qui facile possunt decipi, res est dubia, ergo tunc requiritur triennalis experientia.

B Vnde triennium requisitum in dicto *cap. laudabilem*, requiritur ad duos casus ibi cõtentos, vnum quando cum dubitatur de impotentia, alius eam affirmat, alius negat. Alterum, quando vterque affirmat impotentiam, sed quando vterque affirmat, non est necessarius aspectus matronarum, quia hoc non exigitur in dicto capite, sicut exigitur in eo casu, quo vnus coniux neget impotentiam, & alter affirmet. Sed quando impedimentum creditur absolutum, & respectu omnium fœminarum, vt frigiditas, iuramentum debet tendere ad probandam impotentiam respectu omnium fœminarum, quia vel impotens expertus est illam impotentiam cum alijs fœminis, vel quia non sentit stimulos carnis. Quod si *in cap. 1. de frigidis*,

C quod pugnare videtur cum *cap. laudabilem, eodem titulo*, denotatur, non esse expectandum triennium ad dissoluendum matrimonium eius impotentis, cuius impotentiæ signa dubia sunt, cuius contrarium proxime probauimus *ex cap. laudabilem*. Respondemus in eo *capite s.* satis denotari, expectandum esse triennium, quod significatur illo verbo. Si probetur impotentia per verũ iudicium, ratio enim veri iudicij in isto casu postulare videtur triennalem experientiam.

Tertia conclusio. Alio modo loquẽdum est, 3
quando fœmina fatetur impotentiam, & vir negat, nam si tunc sint signa euidentia impotentiæ, siue fœmina statim reclamet, scilicet, infra duos menses, siue sero, id est, post duos

D menses (qua ratione istæ particulæ, sero, & statim intelligũtur in *cap. 1. de frigidis, vers. si autem*) tunc fœmina statim est audienda, & statim separandum matrimonium. Ita sentiunt *Innocentius in illo cap. 1. allegato, num. vltimo, Abbas num. 5. & alij.* Non est autem sufficiens signum impotentię, si ante triennium elapsum fœmina probet, se esse virginem, potest enim hoc prouenire ex impotentia temporali, quæ per triennalem experientiam vinci potest. Ita optime notarunt *Innocent. loco citato, num. fin. Præpositus, num. 8. vers. vltimo quæro.* Vnde

in

in isto casu, si fœmina appareat virgo, obseruanda est illa regula generalis desumpta ex *cap. laudabilem, de frigidis*, scilicet, quod nõ dissoluatur matrimonium, donec elapsa sit triennalis experientia; vt cum alijs docet *Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 109.* quod si post triennalem experientiam fœmina probet, se esse virginem per aspectum matronarum, tunc dissoluendum est matrimonium secundum doctrinam *in cap. laudabilem*, contentam, & in hoc casu, cum fœmina fatetur impedimentum, si vir illud neget, tantum debent iuramentũ præstare septem consanguinei fœminæ, se credere, eam verum dicere, nam consanguinei viri non sunt cogendi, vt contra illum suum testimonium proferant, vt aduertunt *Innocent. & Ioann. Andr. super cap. laudabilem. allegatum.*

4 Quod si non sint euidentia signa impotentiæ, sed res adhuc sit sub dubio constituta, fœmina testante impotentiam, viro eam negãte, licet potius sit credendum viro, quia caput est fœminæ, & quia fœminam supponatur sero reclamasse, at non separandi sunt coniuges adinuicem. Neque audienda est vxor petens dissolutionem matrimonij, donec triennalis experientia contingat. Et hac ratione intelligendũ est *cap. 1. de frigidis*, negans audiendam esse fœminam sero reclamantem, non enim audienda est ad hoc, vt matrimonium dissoluatur, sed cogenda est ad triennalem experientiam tolerandam. *Cum vero cap. ut. fraternitatis. de frigidis, & malef.* concedit audientiam fœminæ reclamanti post multos annos, & sero intelligendũ est, modo triennium experientiæ elapsum sit. Ita sentiunt *Ostiens. cap. fin. de frigidis, verbo, 8. annos, Abbas ibidem, num. 2. & alij.* Cuius resolutionis ea est potissima ratio, quia matrimoniũ irritum tractu temporis non confirmatur.

5 In causa tamen matrimonij, quia fauorabilis est, magis creditur paruo numero testium dicentium matrimonium valere, quam magno negantium. Et probationes impotẽtiæ potius debent esse superfluæ, quam in aliquo diminutæ, vt veritas in re tanti momenti detegatur.

6 Quarta conclusio. Quando mulier erat corrupta tempore contractus matrimonialis, neq; initio reclamauit impotentiam, neq; per aspectum virilium cognosci potest, an vir sit frigidus, necne, ita vt sit impotens ad copulam etiã post triennalem experientiam credendum est viro affirmanti se cõsummasse matrimonium, & non fœminæ neganti talem consummationem. Ita sentiunt *Ricardus in 4. dist. 34. art. 2. quæst. 1. Turrecremata 33. quæst. 1. in summa art. 1. num. 9. & alij.* Quæ conclusio duplici potest niti fundamento, quorum primum sit, quia testimonium viri est in fauorẽ matrimonij, quia ex eo resultat matrimonium validum esse, & vt proxime diximus in materia matrimonij, quæ in iure valde fauorabilis est, plus creden- A dum est cæteris paribus, testibus affirmantibus matrimonium valere, quàm negantibus. Secundum fundamentum sit, quia vir est caput mulieris, vnde maior fides adhibenda est viro, quam fœminæ, & vt aduertunt plures Doctores, non possunt separari in eo casu coniuges quoad torum ex eo, quod vir non probet suam potentiam: nam pro illo iudicandum est in eo casu propter rationes supra tactas.

Quinta conclusio. Si mulier, quæ tempore 7 contracti matrimonij virgo erat, statim post celebratum matrimonium reclamat, & allegat viri impotentiam, etiamsi vir pro toris suis viribus eam neget, tunc audienda illa est, & per rectum, ac exactum iudicium dissoluetur matrimonium ante triennium, quando medicis B inspicientibus virum, & matronis inspicientibus fœminam, & reperitur fœminam esse virginem, & in viro apparent aliqua signa, licet dubia suæ impotentiæ, & quando septima manus propinquorum fœminæ iuramento confirmat, se credere fœminam vera nuntiare. Probatur, quia in isto casu, si fœmina statim reclamat, minor est contra illam præsumptio deceptionis, vnde audienda est in iudicio. In casu vero tertiæ conclusionis, quia maior præsumitur collusio ex parte fœminę, ex eo quod sero reclamauit, hinc est, minus eam esse audiẽdam in iudicio, quod si fœmina statim post initum matrimonium reclamet impotentiam, & dicat se fuisse tempore matrimonij corruptã, & non ostenderit sufficientia signa impotentiæ, C audienda quidem est in iudicio, attamen non propterea dissoluẽdum est matrimoniũ, sed ea obliganda est ad experiẽdum per triennium, an habeat impotentiam suus vir, vel nõ, tunc enim non est aliqua sufficiens ratio, ob quam matrimonium dissoluatur, sed tantum vt rei experimentum per triennium deducatur, quod verum est, quando vir negat impotẽtiam, & quando fœmina non ostendit per certam probationem, frigidum esse virum. Ita docet *Gregorius Lopez, in lege Regia, 6. titulo 8 partita 4. verbo, è darla plazo;* non est autem vt bene notat *Sanchez, lib. 7. de matrimonio, disp. 109.* fides adhibenda fœminæ asserenti se tempore matrimonij corruptam fuisse, sed id probare debet. Tùm quia allegat suam turpitudinem, D & allegans suam turpitudinem non est audiẽdus, vt constat ex *cap. cum super de cõcessione præbendæ, & ex lege transactione, Codice de transactione.* Tùm etiam, quia qualibet fœmina virgo præsumitur, cum ea sit qualitas naturæ, tùm quia præcipuum fœminæ illius fundamẽtum est asserere se corruptam fuisse ante matrimonium, ergo ei non est facile credendum ei.

Aduertendum tamen est, ea quæ dicta sunt 8 in hoc puncto de muliere allegante impotentiam viri, & ob id petenti matrimonij dissolutionem, eodem modo intelligenda esse, quãdo

vir proclamat contra matrimonium, allegando impotentiam fœminæ, & petendo dissolui tale matrimonium. Quamuis enim textus in *cap. 1. de frigidis*, de sola fœmina procedat, at eadem est ratio de viro, & ibi sermo est de fœmina, quia de ea tantum fuerat propositus casus Papæ, tum quia cum vir, & vxor correlatiua sint, dispositum in vno censetur in altero disponi, vt patet *ex lege finali Codice de in dicta viduit.* A

9 Quæres primò, à quo tempore numerandū sit triennium? Respondetur non esse numerandum à tēpore contractus matrimonialis, quando statim non intercessit copula, quia coniuges voluerunt frui duobus mensibus à iure designatis, vt in illis de meliori statu deliberarent, sed sentimus numerandum esse trienniū à tempore intentatæ copulæ, vnde cum in *c. laudabilem de frigidis*, pronuntiatur esse numerandum trienniū à tēpore celebrati cōiugij, intelligendū est, si copula fuit subsecuta, vt præclare indicant *Glossa in isto cap. & Innoc. ibidem*, neque existimo necessarium esse expectare triennium à iudice designandum, quæ doctrina vera est, siue impedimentum sit à natura proueniens, siue ab aliquo maleficio, quod si matrimonium à principio dissolutum ob impotentiam postea restauretur, quia falsum fuit adfuisse impotentiam, & quia falsis testibus probata fuit impotentia, cum tamen copula non fuerit aliquando tentata, vel quia mulier arcta per scissuram aptata est, à die nouæ copulæ post instaurationem, vel scissuram numerari debet triennium, cuius totius doctrinæ ea ratio assignanda est, quia tempus tantum copulæ aptum est ad experiendam potentiam, generatiuam, & non aliud.

10 Secundò quæres, an triennium debeat esse continuum? Cui dubio respondetur primò, tale triennium debere esse continuum, iuxta *cap. final. de frigidis*, alias si interruptio admitteretur, ea posset esse tanta, vt vix tempus aliquod relinqueretur ad experiendam impotentiam. Respondetur secundò talem continuationem debere esse moralem, & possibili modo, moraliter autem est continua, quamuis aut ægritudine, aut alijs peregrinationibus ad domus gubernationem necessarijs interrūpatur triennium copulæ coniugalis. Ita *Ioan. Andr. cap. final. de frigidis, num. 9. Syluester verbo, diuortium, quæst. 20. num. 23. & alij*. Tertiò respondetur, cum hoc triennium continuum morali modo sit intelligendum quando absentia vnius coniugis ab alio fit per sex menses simul, eam esse supplendam, quia notabilis tunc censetur absentia. Non est autem supplenda, cum interpollaretur copula etiam per sex menses discontinuos, quando simul, & pro eodem tempore interpellatio non excederet tempus trium mensium, quia tunc notabilis censeretur interruptio copulæ, non vero alias, & hac ratione, cum minores essent interruptiones, quamuis plures essent, moraliter esset triennium continuum, & completum, quæ res definienda potius est iudicio prudentis viri, quam certis regulis describenda.

Quæres tertiò, an cum ante, vel post triēnium prædictum elapsum coniux propria auctoritate recedat ob alterius impotentiam, sit statim coniux spoliatus restituendus, etiamsi matrimonium non sit consummatū hæc quæstio plus ad Iurisperitos, quam ad nos pertinet, de qua videri potest *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 112.* Vnde breuiter respondemus Primo, ante matrimonij consummationem non esse locum totali restitutioni faciendæ quoad habitationem, & copulam, bene tamen quoad habitationem, & alia ministeria coniugum excepta copula. Constat doctrina hæc à contrario sensu *ex capit. ex parte de restitutione spoliatorum, nisi alter coniux spolians religionem intret professurus eam*. Secundò respondetur, si nondum lapsum sit triennium, licet matrimonium nondum sit consummatum, si tamen non constat impotentia, & nullum aliud impedimentum allegetur, nisi impotentia, restituēdum esse spoliatum suo matrimonio quoad habitationem, & quoad copulam, quia impotentia illa, de qua adhuc dubitatur, tantum comprobari potest per triennalem experientiam, iuxta *cap. laudabilem, de frigidis*, quod si post triennium vnus coniux fugit, & alterum deferit propter eius impotentiam sine eo, quod Ecclesia cadere iudicium suum protulerit, tunc restituendus est ille fugitiuus alteri coniugi quoad habitationem, ante quam aliqua exceptio in contrarium admittatur. Ita habetur *in cap. literas, de restitutione spoliatorum, vers. postea mihus*. Quoad thorum vero vt in eodem textu præfinitur, non est tunc efficienda restitutio propter periculum incontinentiæ, quod in ea reperitur, nam si non sint veri coniuges, commixtio esset fornicaria, in eo vero, quod restitutio fiat quoad mutuam habitationem, nullum periculum imminet. 11 B C

Quæres quartò, quales debeant esse, & cuius conditionis matronæ illæ, quarum industria eligitur ad virginitatem sponsæ explorandam, quando dubium se se offert circa impotentiam viri? Et quibus prius adhibitis diligentijs debeant declarare suam sententiam? Et an possint publicatis attestationibus recusari? Et an sufficiat duæ matronæ, vel plures requirantur? Et an debeant iuramento confirmare suas sententias? Et tandem, quid possit iudex præstare in causa matrimoniali ex suo proprio officio? Sed respōdetur, hæc potius ad forū cōtentiosum, cuius naturā nos minime indagamus, quam ad forū conscientiæ, cuius conditiones explicare, instituti nostri ratio expostulas 12 D

stulat, sane pertinere, quare desiderantem earum rerum cognitionem rogamus, vt legat *Sanchez libro septimo de matrimonio, disp.* 113. *per totam.*

13 Quæres vltimò, an impotens post celebratum matrimonium posſit reclamare, & petere diſſolutionem eius. Huic difficultati respondemus primo cum *Ioann. Andrea capit.* 1. *de frigidis, num.* 3. *Abbate ibidem, num.* 1. *Diuo Antonino tertia parte, titulo* 1. *cap.* 12. §. 1. *virum, vt constat ex cap.* 1. *de frigidis.* optime posse suam allegare impotentiam, vt liberetur ab oneribus matrimonij, quæ grauiſsima sunt; non vero, vt aliud contrahat matrimonium, quia si vere eſt impotens, impoſsibile eſt ei, aliquod celebrare coniugium. Quæ doctrina in eo casu intelligenda eſt, quo frigiditas, vel impotentia perpetua eſt, non temporalis. Prædicta autem licentia conceditur viro, cum tempore contractus matrimonialis prorsus ignorauit suam impotentiam, vt notauit *Sylvester verbo, matrimonium octauo, quæstione* 16. *dicto quinto.* Alias non id ei permittitur, cum propriam impotentiam à principio cognouit, ne dolus, & fraus ei patrocinetur, & ne ea ratione cum communi Reipublicæ detrimento fœminæ decipiantur. Vnde in eo casu cognitæ impotentiæ tenetur vir, eam fœminam, cum qua eo modo contraxit, habêre vt sororem, si quidem eam non poteſt habêre loco vxoris, excipiendus tamen ille casus eſt, in quo periculum incontinentiæ ex cohabitatione immineret, tunc enim à Iudice Ecclesiastico propter salutem eorum spiritualem separandi essent à mutua cohabitatione. Secundò dicimus, etiam fœminam posse in iudicio allegare suam impotentiam prouenientem ex arctitudine, vel ex alio capite, vt docet *Sylvester loco citato,* quod sub eisdem conditionibus defendendum eſt, sub quibus proxime defendimus, licitam esse reclamationem viro: neque mirum eſt, hanc facultatem concedi fœminæ, quia maxime sua intereſt, ab eo viro separari, cum quo non contraxit vinculum matrimoniale, & ei non subijci tanquã capiti, ac superiori, maxime etiam intereſt, restitui sibi dotem, in qua suam exerceat liberam dispositionem.

QVÆST. LXXV.

Vtrùm furia sit impedimentũ dirimens matrimonium?

DE hac re ex professo disputarunt *D. Thom. in quarto dist.* 34. *quæst. vnica, art.* 4. *Sotus ibidem, artic.* 4. *Sylvester matrimonium,* 5. *num.* 21.

1. Nomine furiæ in præsenti intelligimus dementiam quandam, qua homo priuatur recto vsu rationis, ita vt neque considerare valeat rei alicuius honeſtatem, neque eius contrariam turpitudinem. Sit prima conclusio communis inter omnes Doctores. Si furia superueniat matrimonio siue consummato, siue tantum rato, non dirimit illud vlla ratione. Probatur primò *ex can. hi, qui* 32. *quæstione septima,* cuius hæc sunt verba: *Hi qui matrimonium sane contraxerant, & vni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem, & causam coniugia talium solui non possunt.* Secundò probatur, quia matrimonij vinculum ita eſt natura sua indiſſolubile, vt si consummatum sit, propter nullam causam diſſolui poſsit, si autem tantum sit ratum, in duobus tantum casibus patiatur diſsolutionem. Primò, quando aliquis coniugum religionem approbatam profitetur. Secundo, quando accedit Pontificis legitima diſpensatio, furia ergo nullam tribuit sufficientem causam diſſoluendi matrimonium.

2. Secunda conclusio. Si furia antecedat matrimonium, & sit perpetua, dirimit matrimonium, imò etiam dirimit illud, quando lucida patitur interualla, si tempore vrgentis furiæ matrimonium contrahatur. Ita defendunt *D. Thom. & Sotus locis citatis.* Probatur primò ratione horum Doctorum, quia furia plus destruit vsum rationis, quam error, sed error personæ, vt vidimus, *quæſt.* 61. dirimit matrimonium, ergo multo melius furia dirimet illud. Secundò probatur, quia matrimonium eſt contractus vltro citroque obligatorius, at nullus huiusmodi contractus poteſt à furioso celebrari, quia iſte, vt conſtat, nequit alteri obligari, neque poteſt alterius obligationem sibi factam vllatenus acceptare, ergo prædicta furia matrimonium dirimit.

3. Ex hoc sequitur primo, matrimonium eius furiosi, qui lucida patitur interualla, validum esse, si eo tempore, quo rationis vsu potitur, matrimonium celebret. Conſtat hæc veritas, quia tũc furiosus capax eſt consensus, & obligationis ad matrimonium requisitæ, ergo ex nullo cap. illud matrimoniũ poteſt esse inualidum. Credo tamen in eo casu, quo furio-

2 Pro resolutione quæstionis aduertendum est, primum manifesta experientia constare, dari in viris, & fœminis impotentiam in ordine ad copulam prouenientē ex maleficijs dæmonis arte productis. Sex autem modis solet maleficium à dæmone causari, qui videri possunt apud *Martinum Delrium, lib. 3. disquisitionum magicarum, part. 1. quæstiuncula 4. sect. 8. per totam*, & vt optime obseruat *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. ad quartum*, huiusmodi impotentia contingere solet, vel in ordine ad omnes fœminas, vel in ordine ad vnam tantum.

3 Secundò aduertendum est, frigiditatem operantem impotētiam in viro ex aliquibus posse signis cognosci. Primo ex eo, quod membrum eius valde paruum sit corrugatum, & nō habens debitum colorē. Secundò ex eo, quod tale membrum nunquam erigatur, etiam remedijs adhibitis. Tertio cum vir venerea non appetit, neque stimulos carnis patitur.

4 Tertio aduertendum est, maleficium causans impotentiam etiam deduci ex aliquibus signis. Primum sit, quando vir copulam appetit, & ad eam modo est aptus, modo ineptus, rursusq; iterum aptus, & rursus proxime ineptus, hoc enim via naturali non contingit. Secundum signum sit, cum vir ad copulam paratus, nulloque sibi obstante impedimento ex parte fœminæ non potest semen intra vas effundere. Tertium signum sit, cum vir potest habêre copulam cum alijs fœminis, & cum vna tantum eam non potest habêre, cum tamen nihil, vel ex sua parte, vel ex parte fœminæ repugnet copulæ. Quartum cum coniuges appetentes copulam, & tentātes accedere ad illam exhorrescunt, nec accedere audent. Ita *Scotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. paulo post principiū in prima conclusione.*

5 Ideò vero iuxta *D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. ad tertium*, maleficij potestas permittitur Diabolo à Deo in actu generationis magis, quam in alijs, quia corruptio prima peccati, per quam homo factus est seruus Diaboli, in nos per actum generantem deuenit.

6 Sit prima conclusio. Impotentia perpetua ex maleficio prouenièns dirimit matrimoniū. Probatur primò ex *cap. finali de frigidis, & maleficiatis*, quod omnes intelligunt de impedimento maleficij. Probatur secundò, quia in isto casu est impossibilis obligatio ad copulam quæ est de essentia matrimonij, ergo est impossibile matrimonium. Ita defendunt *Glossa in cap. fraternitatis, de frigidis, & malef. Turrecre. 33. quæst. 1. cap. fin. art. 2. num. 2. D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. in corpore. D. Bonauent. art. 2. quæst. 2. & alij quos refert, & sequitur Sanchez dicto lib. 6. disp. 94. num. 8.*

7 *Innocentius cap. laudabilem, num. vnico, verbo, triennium eodem tit. sentit oppositum*. Probatur primò ex *cap. ex literis, de frigidis*, ibi: *Si vitium* A *illud mulier à natura contraxit, nec opere medicorum potuerit adiuuari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ergo à contrario sensu, vbi impedimentum est ex maleficio, vir non potest aliam ducere. Secundo, quia nullum maleficium est perpetuum, sed potest licite tolli per eius Auctorem. Tertiò, quia alias dæmon posset de non matrimonio facere matrimonium, & è contra. Sed ad primum respondetur hic non valere argumentum à contrario sensu, quia quantum ad maleficium hęc res definita est *in cap. finali allegato*. Ad secundum argumentum respondetur, dari quidem maleficium perpetuum, vt in eo casu quo dæmon virilia abscinderet, vt aliquando abscidit, quod damnum nulla arte dæmon potest reparare, vel in eo casu, quo Auctor maleficij è vita discedat, & maleficij dissolutionem nemo alius cognoscat. Ad tertium argumentum respondemus, dæmonèm non posse de non matrimonio matrimonium efficere, vel è contra, posse tamē eos, qui inhabiles sunt ad matrimonium ratione impotentiæ à se causatæ, habiles reddere ablata impotentia ad matrimonium contrahendum.

8 Impedimentum vero ex maleficio prouenìens, tunc censendum est, esse omninò perpetuum, cum maleficiūm auferri minime potest sine miraculo, vel sine alio maleficio, tunc autem iudicandum est temporale, vt bene notat *Sanchez loco citato, num. 10. & 11.* Si per exorcismos Ecclesiæ tollatur, vel per alia remedia ordinaria, nempe per contritionem, & humiliationem spiritus, & confessionem sacramentalem, & cætera Ecclesiæ spiritualia remedia, vt constat *ex canone si per sortiarias 33. quæst. 1.* Quia ista sunt media communia, & ordinaria Ecclesiæ inuenta ad hunc finem auferendi maleficia, & ideò quando hac ratione maleficia tolluntur, non tolluntur miraculose, quia hoc non contingit raro, sed sæpius, ad rationem autem miraculi exigitur aliquid raro contingere. Tandem pronuntiandum est, maleficium esse temporale, si à malefico via licita, & humana possit auferri, quia tunc per opus humanum auferri potest, quæ veritas constat ex *cap. fraternitatis de frigidis.*

9 His ita suppositis quæret aliquis, an licitū sit petere dissolutionem maleficij ab ipso malefico? Huic puncto vt respondeamus supponendum est, omne illud, quod efficitur, aut dicitur ad impetrandum aliquod bonum, vel vitandum aliquod malum, quod nullam virtutē habet naturalem, vel supernaturalem ad id causandum, vt cum rebus sacris admiscentur vt conditiones necessariæ aliquæ res vanæ, vt quod dicatur pater noster ad aures equi, vel mane, aut meridie, illud quidē superstitiosum esse, & credendum esse, ibi inesse occultam quandam dæmonis operationem, quia rebus

in

ita vanis, & omni destitutis fundamento nec Deus, nec Angeli, sed soli delectantur dæmones. Ita sentiunt *D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 2. Caietanus in summa verbo, incantatio.*

10 Hoc supposito respondemus primò, à malefico non parato ad dissoluendum maleficium malo medio, quem credo prauo vsurum medio, vt maleficium dissoluat, si forte ad id excitetur, non posse me petere dissolutionē eius, quamuis ille possit medio vti licito. Patet quia induco illum ad malū, quod nulla ratione mihi licet. Secundò respondemus, in eo casu, quo maleficus nesciat medium licitum ad dissoluēdum maleficium, non posse licite ab eo peti dissolutionem eius, neque precibus, neque vi, quia tunc petitur id, quod non potest licite fieri. Ita *Caietanus in summa, verbo, maleficium, Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 15. columna 7. Syluest. verbo, maleficium, quæst. 8. & alij.* Tertiò respondetur cum *Petro de Ledesma, de matrimonio, quæst. 58. art. 2. dubio, 2.* in eo casu, quo maleficus, & sciat media licita, & illicita quibus possit dissoluere maleficium, & paratus sit ad illud dissoluendum medio illicito, fas mihi esse in necessitate constituto ab eo petere absolutè, non determinando medium licitum, aut illicitum, vt maleficium à se perpetratum dissoluat. Patet, quia eodem modo concedunt omnes licitum mihi esse indigenti petere pecuniam mutuam ab vsurario parato, quamuis sciam eum non mutuaturum, nisi sub vsuris, ergo etiam in nostro casu idem affirmādum est, deberem tamen maleficum admonere, esse aliquod bonū medium, quo possit vti, dum modo tamen spes esset alicuius fructus, non tamen possem vti aliqua medicina illicita mihi ab eo applicata ad tollēdum maleficium, cum hoc sit natura sua, & intrinsecè malum, à malefico autem communiter illicitum est petere dissolutionem maleficij, quia cōmuniter, & regulariter nesciunt isti deprauati homines laqueis diaboli irretiti vnum maleficium dissoluere, nisi medio alio maleficio, & in dubio an maleficus notitiam habeat alicuius medij liciti ad dissoluendum maleficium, credendum est, eum ignarum esse talis medij, quia frequētius illud ignorāt, & quia in eo dubio exponit se quis periculo peccandi, quod nulla ratione defendendum est. Ita docuit *Martinus Delrius lib. 6. disquisitionum magicarum, cap. 2. sectione 1. quæst. 1.* imò vt optime considerauit *Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. column. 4. versic. quod si quis sciscitetur,* non licet hanc dissolutionem petere à dæmone, cum quo nobis amicitia est prohibita, nisi medijs exorcismis Ecclesiæ.

11 Maleficus autem licite potest ad obtinendā alicui sanitatem destruere signa maleficij, & ligaturas medio pacto cum dæmone factas, si eo animo, & fine ducatur, vt destruat pactum cum dæmone initum, in ea enim actione nulla A culpa reperitur, nam tunc destruitur amicitia cum dæmone, & solum ab eo expectatur cessatio à vexatione alicuius corporis, non vero positiua aliqua actio. Credibile enim est dæmonem, destructo eo signo, medio quo pactum cū dæmone conseruabatur nocendi corporibus maleficio affectis, non amplius vexaturum ea corpora, vt hac ratione miseros, & ignorantes homines decipiat, suadendo illis se esse firmum, & constantem in seruandis pactis, ita vt corpora vexet constante signo inter eos apposito ad amicitiam conseruandam, & cesset à vexatione destructo tali signo, in quo casu eius constantes rei euentum expectantes admonēdi forent, ne scandalum paterentur, existimantes prædictum signum dissolui per aliquod ma- B leficium. Hanc doctrinam nobis reliquerunt *Caietanus in summa verbo, maleficium, Nauar. in summa cap. 11. num. 29.* nec huic resolutioni obstat, quod *D. Hilarion*, vt refert *Diuus Hieronymus*, non est passus in casu cuiusdam maleficij signa à dæmone, & malefico constituta amoueri, quibus amoris dæmon fassus est, se a puella exiturum, id enim præstitit, vt ad maiorem Dei gloriam dæmon miraculose expelleretur. Quando maleficium potest dissolui à solo eius auctore modo licito, non est tunc impedimentum perpetuum, sed temporale, vt patet ex dictis. Ita resoluunt *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 45. & Ioann. Gutierrez tractatu de matrimonio, cap. 114* Et in dubio, quando constare nequit, an sit maleficium perpetuum, quando C coniuges dederunt operam copulæ per triennium, nec eam perfecerunt, præsumitur esse perpetuum, vt communiter docent Doctores.

QVÆSTIO LXXI.

Utrùm matrimonium dissolutum ob alicuius impotentiam, vel maleficium, restaurandum sit, quando impotens, vel maleficio affectus, secundum matrimonium contraxit, vel fornicatus est?

D IN hac quæstione maxime aduertēdum est *ex cap. 1. & 2. 33. quæst. 1. & ex cap. 1. & cap. laudabilem. de frigidis, & maleficiatis.* Liquido constare, matrimonium dissolutum ob alterius coniugis frigiditatem restaurandum esse, 1 si postea ille frigidus ad secundas nuptias transeat, & constet eas consummatas fuisse, quia ex eo euentu aperte constat prius matrimonium validum fuisse, & hominem non fuisse frigidum. Ita notarunt *Ioannes Andreas, capite laudabilem de frigidis, num. 3. Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, colum. penultim. versic. aliter autem,* &

& alij Doctores. Propter quam etiam rationem affirmare debemus cum *Ioanne Andrea, & alijs Doctoribus loco cita.* restaurandū esse illud prius matrimonium ratione frigiditatis dissolutum, si contingat virum illum frigidum reputatum copulam habuisse cum aliqua fornicariam.

2 Sit prima conclusio. Ad restaurādum prius matrimonium ob reputatam frigiditatem dissolutum in foro externo post celebrationem alterius primi matrimonij aperte sufficit vtrumque coniugem ad secundum matrimoniū pertinentem confiteri copulam inter eos habitam, & fœminam, quæ prius erat virgo, corruptam reperiri, vel si fœmina concepit, & membrum viri nullum signum frigiditatis habeat. Patet hæc conclusio, quia his vijs sufficiēter cognoscitur virum non esse frigidum, & ita prius matrimonium validum fuisse, imò in eo casu copula fornicaria satis probabitur, si diuersæ fœminæ affirment, secum eam contigisse, in hac enim re natura sua occulta testes sufficiunt singulares. Ita notat *Sanchez lib. 7. disp. 99. num.* 13. dissoluto tamen matrimonio primo ob frigiditatem viri, si ipse ad alias nuptias transeat, hæ secundæ sunt statim dissoluendæ, quia si verè fuit frigidus, nullum matrimonium valuit, siu minus, primum valuit, & non secundum, quod si eo tempore, quo frigidus ad secundas nuptias transit, vxor obierat, separandus est à secundā vxore, donec probet, se potentē esse, quod si prior vxor viuat, quando vir ad secundas nuptias transit, vel alij nupserat, vel non, si nupserat, fauet ei possessio secundi matrimonij contra primum vt nullum declaratū, & sentētia lata cōtra primū, vt posset petere, & reddere debitū. Quod si nō nupserat, non debet nubere, ne se exponat periculo adulterij, donec appareat, an maritus consummarit matrimonium secūdum, nec ne, quod si de facto nubat, orta lite contra frigidū, separanda est, donec lis finiatur, non enim fauet ei possessio, quæ ob litem perturbata est, quod si matrimonium fuit dissolutum ex eo, quod mulier esset respectu omnium hominum arcta, eodem modo de hoc matrimonio, ac de eo, quod propter frigiditatem dissolutum est, loquendum est, si vero tantum erat arcta respectu primi viri, non est prohibenda alteri nubere, nec etiamsi nubat secundo viro, est restituēda primo donec similes in complexione naturali viri iudicentur, & ita intelligitur, *cap. fraternitatis, de frigidis, & malef.*

3 Sit secunda conclusio. Si prius matrimoniū fuit dissolutum ob maleficium viri perpetuū, & generale respectu omnium fœminarū, tunc si vir secundum ineat, & illud consummet, restaurandum est primum, & in hoc eodem modo loquendum est, ac in præcedenti conclusione de frigido locuti sumus, si autem erat maleficium particulare respectu vnius tantum, vt communiter contingit, tunc potest quilibet coniux ad secundas nuptias transire, quia quauis frigidus respectu vnius, respectu omnium frigidus censeatur, at maleficio affectus respectu vnius non censetur respectu omnium maleficio affectus, loquendo communiter. Ita habetur hoc vltimum *cap. fin. 33. quæst.* 1. (quod licet sit Archiepiscopi *Remensis Himmari*, at est pro canone à tota Ecclesia receptus) ibi: *Quod si forte sanari non potuerint, separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus, quibus iuncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concūbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibūt.* Ita docet expresse *D. Thom. in 4. dist. 34. in fine, D. Bonauent. ibi. & alij.* Vnde cum in dicto textu dicitur, quod est reddita potentia primis coniugibus, intelligitur, quod illam per experientiam cognouerunt respectu aliorum, non respectu sui, quam omninò ablatam esse credebant. Quod si postquàm separati sunt, habuerunt interse copulam, restituendi sunt primo matrimonio, & credendum est, illud maleficium non fuisse perpetuum. Ita *Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnica, art. 3. ad finem.*

Quod si fœmina viro obijciat impotētiā in genere, iudex debet discutere, an talis sit, vt sit absoluta, & sic debet omninò viro matrimoniū interdicere, si vero sit respectiua, minime, & quacunque ex causa iudex dissoluat primum matrimonium, & postea restauret, debent coniuges triennio cohabitare, & exercere actus cōiugales, & si tunc non habeatur copula, credendum est, maleficium intercedere, vel impotentiam respectiuam. 4

Quæres tamen primo, quid sentiendum sit in eo casu, quo præcipitur restaurari primum matrimonium, & alter coniux, ob cuius impotentiam erat illud matrimonium dissolutum, fuit professus religionem approbatam? Huic difficultati respondetur, talem professionem validam esse, si matrimonium neque sit cōsummatum per copulam, neque per delationem seminis in vas fœmineum aliqua alia via (quamuis hoc vltimum obesse neget aperte *Sanchez lib. 7. disp. 99. num. 37.*) huic enim nihil obstat, prædicta impedimenta ablata esse, vt eius professio valorem sortiatur, vt constat ex *cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiatis*, quod si iste professus ante professionem non solum celebrauit illud matrimonium, quod ab Ecclesia iudicatum est inualidum, sed etiam aliud secundum celebrauit, existimans suam impotētiam respectiuam esse, & illud consummauit, tunc expectandū est triennium, & in eo copula exercenda, vel procuranda cum prima coniuge, cui per nouam sententiam restituitur, vt hac ratione perspiciatur, an prius matrimoniū valuerit, vel secundum: nam si primum vim habuit, quia copula per triennium contigit cum priore 5

priore coniuge, & apparuit, non adfuisse in principio veram impotentiam, tunc si quidem non fuit consummatum ante ingressum religionis, ideò dissolutum fuit per professionem illius coniugis. Quod si vero experientia doceat, primum matrimonium minime fuisse validum, secundum vero vim habuisse, istud secundum minime potest dissolui illa professione, quia vt supponitur, fuit consummatum ante ingressum religionis, hanc autem resolutionem nemo putet inanem, cum alia via minime potest cognosci impotentia, tum quia non restat alia via vincendi has difficultates, tum quia hoc præstat Ecclesia ex speciali Dei dispensatione.

6 Quæres secundò, quid iuris, si vir erat sacris initiatus, cum præcipitur restaurari illud matrimonium, quod tanquam inualidum fuerat declaratum? Cui quæstioni respondetur cum *Syluestro verbo, diuortium, quæst. 21. num. 24. Rosella num. 6. eodem verbo, & alijs.* Petente vxore ob nouas allegatas causas eius viri restitutionem, talem virum esse ei reddendum, quia per sacros ordines non est dissolutum matrimonium præcedens, siue matrimonium fuerit cõsummatum, siue tantum ratum. Et in eo casu restitutus vir tenetur vxori reddere debitum, quia quantum ad hoc non potuit aliquod præiudicium causare medio suo voto, minime tamen poterit petere debitum, neque vxori nolenti restitui, quia his iuribus se priuauit per votum ordinibus sacris annexum.

7 Quæres vltimò, an sententia separationis matrimonij prius lata ab vno indice, & postea bis confirmata ab alijs iudicibus, vel saltim transacto decennio, in quo potest ad iudicem superiorem appellari, transeat in rem iudicatam, ita vt non sit audiendus ille, qui vult allegare, illam sententiam falso nixam esse fundamento, ac prius matrimonium validum fuisse. Pro huius dubij resolutione cum communi Doctorum sententia defendimus primo, in causa matrimoniali sententiam dissoluentem matrimonium nunquam transire in rem iudicatam. Constat aperte ex *cap. lator. de sententia, & re iudicata, cap. consanguinei, & cap. tenor. eodem titulo.* In quibus absolute pronuntiatur, audiẽdum esse eum, qui matrimonium prius dissolutum contendit, validum esse, vnde contra sententiam dissoluentem matrimonium debet quis audiri, quoties iudex cognouerit, verisimilem allegari rationem. Secundo defendimus, in his casibus propositis audiendum esse coniugem non per modum appellationis, sed per modum querelæ. Vnde non potest in his casibus Archiepiscopus recipere querelas suffraganeorum, neque de ejs iudicium ferre, quia hic solum potest procedere in gradu appellationis, vt constat ex *cap. 1. de officio legati.* Tertiò defendimus, iudicem comperta rei veritate, vel cognita verisimili ratione dubitandi, semper debere ex officio procedere contra eam sententiam, in qua pronuntiata est separatio matrimonij, vt constat ex *cap. porro de diuortijs,* verba Pontificis hæc sunt: *Tui offi. ij interest, matrimonia illa adhibita grauitate dissoluere, quæ illicite contracta noscuntur.* Ergo etiam eiusdem officij iudicis proprium est, ea matrimonia reparare, quæ constat, dissoluta fuisse inualide.

8 Quando autem sententia matrimonij transeat in rem iudicatam, vide apud *Sanchez, 2. tomo de matrimonio, lib. 7. disp. 100. num. 11. & sequentibus.* Quia hæc potius ad forum externũ, quam ad internum, quem nos enucleamus, pertinent.

QVAEST. LXXII.

Vtrum dissoluto matrimonio ratione impotentiæ alterius coniugis, & comperta falsitate impotentiæ ex eo, quod impotens postea habuit copulam, possit potens propter eam copulam petere diuortium, vbi alia dubia resoluuntur?

1 DVPLICITER potest contingere, cõiugem illum, ob cuius impotentiam matrimonium iudicatum est inualidũ ab Ecclesia, habere copulam, postquam ipse suis fundamentis probauit suam impotentiam. Primo modo de facto contrahendo secundum matrimonium, & illud consummando. Secundo vero modo fornicarie se commiscẽdo alteri fœminæ.

2 Sit prima conclusio. Coniux præditus potentia generatiua, qui separatus quidem est ab aliquo coniugio quoad vinculum propter alterius coniugis impotentiam testibus comprobatam, si dum bona fide reputat, prius matrimonium minime valuisse, per carnalem copulam alicui coniungatur, vel medio secundo matrimonio celebrato, vel extra illud, non præbet sufficientem ansam alteri coniugi petendi à iudice diuortium ob prædictam copulam, quamuis postea contingat, reparari primum matrimonium ex eo, quod Ecclesiæ decursu temporis constet, alterum coniugem reuera non fuisse impotentem. Patet veritas hæc primo ex *cap. gaudemus de diuortijs,* verba Pontificis hæc sunt: *Ad nostrum propositum, quamuis quoque secundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimissam mœchatur, non tamen dimissor poterit obijcere fornicationẽ dimissæ pro eo, quod nupsit alij post repudium, nisi alias fuerit fornicata.* Secundo patet, quia diuortium non conceditur, nisi

nisi ob adulterium verum, & formale, & quod continet veram adulterij culpam, ille autem coniux porentia generatiua prædirus, qui cre didir merito, primum matrimonium non valuisse, non commisit formale adulterium, ergo non debet puniri pœna diuortij, alias puniretur sine culpa.

3 Secunda conrlusio. Si impotens ille, de quo procedit prima conclusio, post dissolutionem primi matrimonij ob suam falso comprobatã impotentiam habuerit copulam consummatam cum alio, siue medio nouo matrimonio celebraro, siue extra illud, quantumuis prius matrimonium reparetur quoad vinculum, at vero quoad thorum potest separari ab altero cõiuge innocente, & ad instantiam eius postulãtis diuortium. Ita docent *Antonin. cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis, num. 27. & Alexand. de Neuo. §. quamuis, num. 20.* Qui quidem Auctores optima nituntur ratione, scilicet, quia eo ipso, quod coniux impotens reputatus copulam prædictam habuit, verum commisit adulterium, quia constar ei, prius matrimonium validum fuisse. Secundò probatur conclusio *ex cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis,* vbi separatam à suo viro ob arctitudinem falso comprobatam detecta falsitate, præcipitur viro restitui quoad vinculum, & quoad thorum, nisi se fornicario modo alteri viro miscuerit, vt primus vir prætextu fornicationis eius consortium velit declinare. Quod adulterium, vt patet ex his, quæ diximus circa impedimentum criminis, debet esse per copulam consummatam, neque enim tentare tantum copulam, verum constituit adulterium.

4 Sed contra primam conclusionem obstat primo *cap. gaudemus de diuortijs,* vbi denotatur mulieri dimissæ ob libellum repudij, propter quod credebatur, primum matrimonium non valuisse, posse obijci fornicationem. Ad hoc tamen optime meo iudicio respondit *Sanch. lib. 7. de matrimonio, disp. 101.* eum textum in illis verbis, quæ quantum ad hoc videntur continere difficultatem, scilicet, *nisi alias fuerit fornicata,* esse intelligendum de fornicatione admissa ante libellum repudij, non de ea, quæ post talẽ repudium, quo prius matrimonium dissolutũ putabatur, contigit, tunc enim ea copula quẽadmodum coram Deo non constituit adulterium, ita etiam coram hominibus non præbet occasionem diuortij.

5 Secundo obstat contra secundam cõclusionem textus *in cap. fraternitatis de frigidis.* Vbi videtur decidi mulieri arctæ separatæ à suo marito, & postea ei restitutæ, quia compertum est arctitudinem fuisse falsam, non posse obijci diuortium ex eo, quod alteri viro nupserit, verba textus sunt: *Si postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato G. quandiu articulus iste dubitabilis erat, præsumi non debet, quod fornicaretur cum illo.* Sed ad hoc optime respondet *Sanchez dicto loco,* ibi esse sermonem de fœmina ob arctitudinem à viro separata, quæ postea votũ simplex castitatis emisit, & alteri nupsit, & non constat de consummatione matrimonij cum eo, cũ enim ex solo matrimonio non colligatur copula, & illa mulier arcta reputetur, non est credendum illam habuisse copulam cum secundo viro, vnde neque statim restaurandũ est prius matrimonium, neque ob hoc præcise, quod illa contraxit matrimonium cum secundo viro, potest ei vir prior restaurato primo matrimonio adulterium obijcere ad celebrandum diuortium.

6 Quæret tamen aliquis, an impotentia superueniens matrimonio rato non consummato dirimat illud? Respondetur cum communi sententia, matrimoniũ nullo modo dirimi per hãc imporentiam. Probatur primò *ex capit. hi qui 32. quæst. 7.* vbi generaliter decernitur, ob nullam impotentiam superuenientem matrimonium cassari. Secũdò probatur, quia ad valorẽ matrimonij solum consideratur potentia existens tempore contractus matrimonialis, quia tunc traditur dominium corporum, ergo quãuis ea potentia decursu temporis tollatur, non tamen ob hoc tollitur vinculum matrimoniale, quia licet matrimonij vinculum dependeat in fieri à potentia generatiua, non tamen in conseruari, quod si matrimonium ratum non dissoluitur per imporentiam, neque etiam dissoluitur matrimonium cõsummatum, quod fortius, & perfectius est.

7 Secundo quæres, an superueniẽte impotẽtia licitus sit actus aliquis copulæ ipsis coniugibus? Respondetur, impotentia consistente in eo, quod vir possit vas fœminæ penetrare, non tamen possit verum semen emittere, quia ab eo auulsi sunt testes, tunc posse virum petere, & reddere debitum, quia licet in eo casu cesset primarius finis matrimonij, qui est prolis generatio, non tamen cessat secundarius, qui est remedium concupiscentiæ, si vero impotentia sita sit in eo, quod fœmina nequeat parere fetum viuum, respondet *Sanchez loco citato,* quibusdam viris doctis de hac re consultis visum fuisse, posse in eo euentu, & peti, & reddi debitum, quia cum tanto damno, quale est perpetuo carere vsu matrimonij, nõ tenentur cõiuges bono prolis prospicere. Verumtamen responsio hæc nõ mihi placet, quinimo respondeo, in eo casu potius debere coniuges copulam vitare, quam permittere prolẽ mortuam nasci, & eam in perpetuum damnari, cum sine baptismo decedat, quare indico remedium concupiscentiæ non esse cum tanto dispendio quærendum, sed alijs vitæ Christianæ remedijs. Quod si impotẽtia ex eo proueniat, quod nequeat vxor parere sine graui periculo vitæ, tunc dicendum arbitror cum *Petro de*

Le-

Ledesma de matrimonio, quaest. 58. & Manuel 1. tomo summae 2. editione, cap. 235. Peccatum committi mortale in eo casu in petendo, & reddendo debito; quia haec foemina non est vitae suae domina, vnde nequit eam periculo exponere.

8 Tertiò quaeres, an ille qui dubius est de sua potentia possit matrimonium inire? Respondetur minime quidem, quia exponitur periculo irritum matrimonium contrahendi, nec triennium ad experiendam impotentiam ei licitè conceditur, sed, eis tantum qui iam contraxit matrimonium, licet cum mala fide contraxerit, quia nullo alio modo potest, haec impotentia cognosci, nisi medio actu coniugali. Quod etiam obseruandum est, quando pubes decimo quarto anno completo contraxit matrimoniū, sed non potest copulam habere, & dubitatur, an hoc proueniat ex debilitate aetatis. Ita docet *Couarru. 4. decretalium, 2. part. cap. 5. num. 2.* Patet, quia *caput laudabilis, de frigidis, & maleficiatis*, triennium concedit omnibus hominibus ad impotentiam cognoscendam.

9 Quarto quaeres, an matrimonium contractum in articulo mortis, quando non est possibilis copula, quia infirmus prorsus est viribus destitutus, aliquam vim habeat, & an filij aote tale matrimonium suscepti tempore cōcubinatus per illud matrimonium reddantur legitimi. Ad quod respondetur primo tale matrimonium validum esse. Ita sentiunt *Abbas in cap. commissum de sponsalibus, num. 3. Couarru. in 4. decretalium, 2. part. cap. 8. & alij quam plurimi.* Probatur primò ex vsu Ecclesiae, secundum quem huiusmodi matrimonia quotidie fiunt, & ab Ecclesiae pastoribus approbantur. Secundò probatur, quia in eo homine manet potentia generatiua, licet vi morbi impedita sit, vt nō possit prorumpere in actum, ergo hoc sufficit ad hoc, vt matrimonium consistere possit. Ad secundum punctum huius difficultatis respondemus, tale matrimonium habere vim legitimam efficiendi prolem. Patet *ex cap. tanta qui filij sint legitimi*, vbi generaliter cuilibet vero matrimonio, quale est istud, de quo loquimur, virtus haec legitimandi prolem antea susceptam conceditur, de qua relate videatur *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 105.*

QVAEST. LXXIII.

Vtrùm hermaphroditus possit matrimonium valide celebrare?

1 Hermaphroditi nomine eum intelligere debemus, qui habet sexum virilem, & sexum foemineū, qui quidem tunc iudicandus est vir, quando in eo praeualet sexus virilis, tunc vero foemina iudica- A tur, quando sexus foemineus potiorem locum habet. Ita habetur *in leg. quaeritur. 10. ff. de statu hominum*, quando vero vterque sexus aequalis est, datur hermaphrodito optio, vt quem malit, sexum sequendum eligat. Veritatem hanc nos docuerunt *Sylvestro verbo, hermaphroditus in fine, Armilla eodem verbo, in fine*, & vt nobis significauit textus *in cap. diuersis. de clericis coniugatis.* Semel electo vno sexu ab hermaphrodito, necesse est, eum medio iuramento promittere, se minimè vsurum alio sexu, quia cōtra ordinem naturae videtur, modo exercere eandem personam officium patris, & postea matris officium praestare. Quod si dubium sit, quis sexus praeualeat, medici circa tale dubium consulendi sunt, & ipse etiā hermaphroditus optime poterit explicare, quem sexum B in se sentiat praeualere. Quod si post longam rei discussionem nihil certi colligatur, neque pro vno, neque pro altero sexu, sed pro vtraque parte aequaliter probabiles constent rationes, vterque sexus iudicandus est aequalis.

Sit prima cōclusio. Si alter sexus praeualeat, secundum illum potest hermaphroditus contrahere matrimonium, quia secundum illum adest vera potentia generatiua, non vero secundum alium sexum: imò tantum secundum illum sexum praeualentem validum est matrimonium, si ius naturae perfectè consideremus. 2

Secunda conclusio. Quando vterque sexus est aequalis, valorem sortitur matrimonium secūdum quemlibet sexum eorum, quia in quolibet sexu constituta est potentia generatiua. Quod si semel hermaphroditus secundum vnum sexum aequalem contraxit matrimoniū, defuncto eo coniuge validè poterit secundū celebrare coniugium iuxta alium sexum sine eo, quod ius naturale, vel ius diuinum, aut humanum aliquod matrimonium eorum inualidum reputet. C 3

Peccat quidem mortaliter ille, qui in casu secundae conclusionis semel vno sexu electo, & secundum illum celebrato semel matrimonio, postea etiam mortuo priore coniuge iuxta alium sexum, secundum contrahit matrimonium, tum propter indecentiam quandam naturalem, quam huiusmodi mutatio sexus praefeferet, tum etiam propter iuramentum, quod D praestitit hermaphroditus, se vno tantum sexu vsurum, & parrochus non potest adesse matrimonio huius hermaphroditae, de quo locuti sumus in secunda conclusione, nisi prius coram iudice Ecclesiastico alterum sexum eligat. 4

Quaest.

QVÆST. LXXIIII.

Utrùm ad cognoſcendam impotentiam neceſſarium ſit, triennium expectare?

SIt prima concluſio. Quando ſigna impotētiæ ſunt omninò certa, nō eſt neceſſarium expectare triennium experientiæ coniugalis ad cognoſcendam eam impotentiam. Patet, quia tunc matrimonium euidēter eſt nullum, ſtatim ergo diſſoluendum eſt ſine alia diligentia, quia tunc copula ſine dubio eſſet fornicaria. Neq; in eo etiam caſu exigitur aliquod iuramentum, quia in rebus apertis, ſicut non eſt opus coniecturis, ita neque iuramentis. Primum autem manifeſtum ſignum impotentiæ conſiſtit in eo, quod vir nō habeat virilia. Secundū, quod non habeat teſtes. Tertium, quod virilia omninò ſint arida. Quartum quod mulier ſit omninò arcta, ita vt non poſſit ab aliquo viro cognoſci. Quintum quādo coniux à primo matrimonio ſeparatur ratione omnimodæ frigiditatis, quæ doctrina ſi ſigna impotentiæ naturalis appareant vera eſt, quia impotentia eſt perpetua, nam ſi impotentia ſit ex maleficio, cum hæc ſit accidentalis, & non à natura temporalis eſt ſæpius, & ad eam vincendā requiritur experientia triennalis. Quod ſi ſigna impotentiæ non ſint ſigna euidentia, ſed tātum veriſimiliter euidentia, tunc requiritur iuramentum coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum, id eſt, quatuor decim teſtium, quorum ſeptem ſint conſanguinei vnius coniugis, & alij ſeptem alterius. Coniuges enim debēt iurare, ſe non potuiſſe coire, & conſanguinei debēt iurare, ſe credere, eos vera dicere, quod iuramentum propinquorum exigitur *in capit. laudabilem in fine, de frigidis, & malef.* & in hoc caſu, atque iſtis præſtitis iuramentis nō requiritur experientia triennalis copulæ. Atque ita obſeruarunt *Anton. cap. laudabilem de frigidis, num. 14. & Alexand. de Neuo ibid. num. 17.*

Secunda concluſio. Quando ſigna impotentiæ, neque ſunt omninò euidentia, neque veriſimiliter euidentia, ſed dubia, tūc etiamſi vterque coniux fateatur impotentiam, requiritur tamen iuramentum ſeptimæ manus propinquorum, vel eis deficientibus vicinorum, vel ſi non adſint tot perſonę, arbitrio iudicis adhibentur pauciores perſonæ, vel aliæ perſonę bonæ famæ, & omni exceptione maiores, vt iſtæ affirment, ſe certo credere, coniuges vera affirmare, dum propriam impotentiam profitentur, vt hac ratione omnis colluſio ex parte cōiugum excludatur. Et præterea requiritur triennale tempus, quo coniuges dent operam actibus coniugalibus (licet aliqui tunc non requirant iſtud tempus ducti *cap. 1. de frigidis, &* A *maleficiatis*, vbi tale tempus non videtur requiri) ſed quod triennium requiratur ad illam impotentiam explorandam, docet *D. Thom. in 4. diſt. 34. in fine, in expoſitione litteræ, D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 12. §. 3. & Sanchez lib. 7. de matrimonio, diſp. 108. cum alijs.* Probatur, quia vbi impotentia incerta eſt, & dubia, requiritur triennalis experientia *ex cap. laudabilem. de frigidis,* in illis verbis: *Nos vero in præſenti conſultatione ſentimus, vt à tempore celebrati coniugij, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium.* Sed in noſtro caſu, licet coniuges iurent impotentiam, in quibus poteſt eſſe colluſio, vel error, & licet iurent impotentiam conſanguinei, qui facile poſſunt decipi, res eſt dubia, ergo tunc requiritur triennalis experientia.

B Vnde triennium requiſitum in dicto *cap. laudabilem*, requiritur ad duos caſus ibi cōtentos, vnum quando cum dubitatur de impotentia, alius eam affirmat, alius negat. Alterum, quando vterque affirmat impotentiam, ſed quando vterque affirmat, non eſt neceſſarius aſpectus matronarum, quia hoc non exigitur in dicto capite, ſicut exigitur in eo caſu, quo vnus coniux neget impotentiam, & alter affirmet. Sed quando impedimentum creditur abſolutum, & reſpectu omnium fœminarum, vt frigiditas, iuramentum debet tendere ad probandam impotentiam reſpectu omnium fœminarum, quia vel impotens expertus eſt illam impotentiam cum alijs fœminis, vel quia non ſentit ſtimulos carnis. Quod ſi *in cap. 1. de frigidis,* C quod pugnare videtur cum *cap. laudabilem. eodem titulo*, denotatur, non eſſe expectandum triennium ad diſſoluendum matrimonium eius impotentis, cuius impotentiæ ſigna dubia ſunt, cuius contrarium proxime probauimus *ex cap. laudabilem.* Reſpondemus in eo *capite 1.* ſatis denotari, expectandum eſſe triennium, quod ſignificatur illo verbo. Si probetur impotentia per verū iudicium, ratio enim veri iudicij in iſto caſu poſtulare videtur triennalem experientiam.

3 Tertia concluſio. Alio modo loquēdum eſt, quando fœmina fatetur impotentiam, & vir negat, nam ſi tunc ſint ſigna euidentia impotentiæ, ſiue fœmina ſtatim reclamet, ſcilicet, intra duos menſes, ſiue ſero, id eſt, poſt duos D menſes (qua ratione iſtæ particulæ, ſero, & ſtatim intelligūtur in *cap. 1. de frigidis, verſ. ſi autem*) tunc fœmina ſtatim eſt audienda, & ſtatim ſeparandum matrimonium. Ita ſentiunt *Innocentius in illo cap. 1. allegato, num. vltimo, Abbas num. 5. & alij.* Non eſt autem ſufficiens ſignum impotentiæ, ſi ante triennium elapſum fœmina probet, ſe eſſe virginem, poteſt enim hoc prouenire ex impotentia temporali, quæ per triennalem experientiam vinci poteſt. Ita optime notarunt *Innocent. loco citato, num. fin. Præpoſitus, num. 8. verſ. vltimo quæro.* Vnde in

in isto casu, si fœmina appareat virgo, obseruanda est illa regula generalis desumpta ex *cap. laudabilem. de frigidis*, scilicet, quod nō dissoluatur matrimonium, donec elapsa sit triennalis experientia; vt cum alijs docet *Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp.* 109. quod si post triennalem experientiam fœmina probet, se esse virginem per aspectum matronarum, tunc dissoluendum est matrimonium secundum doctrinam in *cap. laudabilem*, contentam, & in hoc casu, cum fœmina fatetur impedimentum, si vir illud neget, tantum debent iuramentū præstare septem consanguinei fœminæ, se credere, eam verum dicere, nam consanguinei viri non sunt cogendi, vt contra illum suum testimonium proferant, vt aduertunt *Innocent. & Ioann. Andr. super cap. laudabilem. allegatum.*

4 Quod si non sint euidentia signa impotentiæ, sed res adhuc sit sub dubio constituta, fœmina testante impotentiam, viro eam negāte, licet potius sit credendum viro, quia caput est fœminæ, & quia fœminam supponatur sero reclamasse, at non separandi sunt coniuges adinuicem. Neque audienda est vxor petens dissolutionem matrimonij, donec triennalis experientia contingat. Et hac ratione intelligendū est *cap. 1. de frigidis*, negans audiendam esse fœminam sero reclamantem, non enim audienda est ad hoc, vt matrimonium dissoluatur, sed cogenda est ad triennalem experientiam tolerandam: *Cum vero capit. fraternitatis. de frigidis, & alijs.* concedit audientiam fœminæ reclamanti post multos annos, & sero intelligendū est, modo triennium experientiæ elapsum sit. Ita sentiunt *Ostiens. cap. fin. de frigidis, verbo,* 8. *annos; Abbas ibidem, num.* 2. *& alij.* Cuius resolutionis ea est potissima ratio, quia matrimoniū irritum tractu temporis non confirmatur.

5 In causa tamen matrimonij, quæ fauorabilis est, magis creditur paruo numero testium dicentium matrimonium valere, quàm magno negantium. Et probationes impotētiæ potius debent esse superfluæ, quam in aliquo diminutæ, vt veritas in re tanti momenti detegatur.

6 Quarta conclusio. Quando mulier erat corrupta tempore contractus matrimonialis, neq; initio reclamauit impotentiam, neq; per aspectum virilium cognosci potest, an vir sit frigidus, nec ne, ita vt sit impotens ad copulam etiā post triennalem experientiam, credendum est viro affirmanti se cōsummasse matrimonium, & non fœminæ neganti talem consummationem. Ita sentiunt *Ricardus in 4. dist. 34. art. 2. quæst. 1. Turrecremata 33. quæst. 1. in summa art. 1. Mancin. & alij.* Quæ conclusio duplici potest niti fundamento, quorum primum sit, quia testimonium viri est in fauorē matrimonij, quia ex eo resultat matrimonium validum esse, & vt proxime diximus in materia matrimonij, quæ in iure valde fauorabilis est, plus creden-

A dum est ceteris paribus, testibus affirmantibus matrimonium valere, quàm negantibus. Secundum fundamentum sit, quia vir est caput mulieris, vnde maior fides adhibenda est viro, quàm fœminæ, & vt aduertunt plures Doctores, non possunt separari in eo casu cōiuges quoad torum ex eo, quod vir non probet suam potentiam: nam pro illo iudicandum est in eo casu propter rationes supra tactas.

Quinta conclusio. Si mulier, quæ tempore contracti matrimonij virgo erat, statim post celebratum matrimonium reclamat, & allegat viri impotentiam, etiamsi vir pro totis suis viribus eam neget, tunc audienda illa est, & per rectum, ac exactum iudicium dissoluetur matrimonium ante triennium, quando medicis 7
B inspicientibus virum, & matronis inspicientibus fœminam, & repetitur fœminam esse virginem, & in viro apparent aliqua signa, licet dubia suæ impotentiæ, & quando septima manus propinquorum fœminæ iuramento conformat, se credere fœminam vera nunciare. Probatur, quia in isto casu, si fœmina statim reclamat, minor est contra illam præsumptio deceptionis, vnde audienda est in iudicio. In casu vero tertiæ conclusionis, quia maior præsumitur collusio ex parte fœminæ, ex eo quod sero reclamauit, hinc est, minus eam esse audiēdam in iudicio, quod si fœmina statim post initum matrimonium reclamet impotentiam, & dicat se fuisse tempore matrimonij corruptā, & non ostenderit sufficientia signa impoten-
C tiæ, audienda quidem est in iudicio, attamen non propterea dissoluēdum est matrimoniū, sed ea obliganda est ad experiēdum per triennium, an habeat impotentiam suus vir, vel nō, tunc enim non est aliqua sufficiens ratio, ob quam matrimonium dissoluatur, sed tantum vt rei experimentum per triennium deducatur, quod verum est, quando vir negat impotētiam, & quando fœmina nō ostendit per certam probationem, frigidum esse virum. Ita docet *Gregorius Lopez, in lege Regia, 6. titulo 8 partita 4. verbo, è darla plaza*, non est autem vt bene notat *Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp.* 109. fides adhibenda fœminæ asserenti se tempore matrimonij corruptam fuisse, sed id probare debet. Tum quia allegat suam turpitudinem,
D & allegans suam turpitudinem non est audiēdus, vt constat *ex cap. cum super de cōcessione præbendæ, & ex lege transactione, Codice de transactione.* Tum etiam, quia qualibet fœmina virgo præsumitur, cum ea sit qualitas naturæ, tum quia præcipuum fœminæ illius fundamētum est asserere se corruptam fuisse ante matrimonium, ergo in eo non est facile credendum ei.

Aduertendum tamen est, ea quæ dicta sunt in hoc puncto de muliere allegante impotentiam viri, & ob id petenti matrimonij dissolutionem, eodem modo intelligenda esse, quādo 8

ftulat, sane pertinere, quare desiderantem earum rerum cognitionem rogamus, vt legat A *Sanchez libro septimo de matrimonio, disp.* 113. *per totam.*

Quæres vltimò, an impotens post celebra-
13 tum matrimonium posſit reclamare, & petere diſſolutionem eius. Huic difficultati respondemus primo cum *Ioann. Andrea capit.* 1. *de frigidis, num.* 3. *Abbate ibidem, num.* 1. *Diuo Antonino tertia parte, titulo* 1. *cap.* 12. §. 1. *virum, vt constat ex cap.* 1. *de frigidis.* optime posſe suam allegare impotentiam, vt liberetur ab oneribus matrimonij, quæ grauiſsima sunt; non vero, vt aliud contrahat matrimonium, quia si vere eſt impotens, impoſsibile eſt ei, aliquod celebrare coniugium. Quæ doctrina in eo casu intelligenda eſt, quo frigiditas, vel B impotentia perpetua eſt, non temporalis. Prædicta autem licentia conceditur viro, cum tempore contractus matrimonialis prorsus ignorauit suam impotentiam, vt notauit *Sylueſter verbo, matrimonium octauo, quæſtione* 16. *dicto quinto.* Alias non id ei permittitur, cum propriam impotentiam à principio cognouit, ne dolus, & fraus ei patrocinetur, & ne ea ratione cum communi Reipublicæ detrimento fœminæ decipiantur. Vnde in eo casu cognitæ impotentiæ tenetur vir, eam fœminam; cum qua eo modo contraxit, habere vt sororem, si quidem eam non poteſt habere loco vxoris, excipiendus tamen ille casus eſt, in quo periculum incontinentiæ ex cohabitatione immineret, tunc enim à Iudice Eccle- C siaſtico propter salutem eorum spiritualem separandi eſſent à mutua cohabitatione. Secundò dicimus, etiam fœminam poſſe in iudicio allegare suam impotentiam prouenientem ex arctitudine, vel ex alio capite, vt docet *Syluester loco citato*, quod sub eisdem conditionibus defendendum eſt, sub quibus proxime defendimus, licitam eſſe reclamationem viro: neque mirum eſt, hanc facultatem concedi fœminæ, quia maxime sua intereſt, ab eo viro separari, cum quo non contraxit vinculum matrimoniale, & ei non subijci tanquã capiti, ac superiori, maxime etiam intereſt, reſtitui sibi dotem, in qua suam exerceat liberam dispositionem.

QVÆST. LXXV.

Vtrùm furia sit impedimentũ dirimens matrimonium?

De hac re ex professo disputarunt *D. Thom. in quarta dist.* 34. *quæſt. vnica, art.* 4. *Sotus ibidem, artic.* 4. *Syluester matrimonium,* 5. *num.* 2.

1. Nomine furiæ in præsenti intelligimus dementiam quandam, qua homo priuatur recto vsu rationis, ita vt neque considerare valeat rei alicuius honeſtatem, neque eius con- 1
B trariam turpitudinem. Sit prima conclusio communis inter omnes Doctores. Si furia superueniat matrimonio siue consummato, siue tantum rato, non dirimit illud vlla ratione. Probatur primò *ex can. hi, qui* 32. *quæstione septima*, cuius hæc sunt verba: *Hi qui matrimonium sane contraxerunt, & vni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, ob hanc infirmitatem, & causam coniugia talium solui non poſſunt.* Secundò probatur, quia matrimonij vinculum ita eſt natura sua indiſſolubile, vt si consummatum sit, propter nullam causam diſſolui posſit, si autem tantum sit ratum, in duobus tantum casibus patiatur diſsolutionem. Primo, quando aliquis coniugum religionem approbatam profitetur. Se-
C cundo, quando accedit Pontificis legitima dispensatio, furia ergo nullam tribuit sufficientem causam diſſoluendi matrimonium.

2. Secunda conclusio. Si furia antecedat ma- 2
trimonium, & sit perpetua, dirimit matrimonium, imò etiam dirimit illud; quando lucida patitur interualla, si tempore vrgentis furiæ matrimonium contrahatur. Ita defendunt *D. Thom. & Sotus locis citatis.* Probatur primò ratione horum Doctorum, quia furia plus destruit vsum rationis, quam error, sed error personæ, vt vidimus, *quæſt.* 61. dirimit matrimonium, ergo multo melius furia dirimet illud. Secundò probatur, quia matrimonium eſt contractus vltro citroque obligatorius, at nullus huiusmodi contractus poteſt à furioso ce-
D lebrari, quia iste, vt conſtat, nequit alteri obligari, neque poteſt alterius obligationem sibi factam vllatenus acceptare, ergo prædicta furia matrimonium dirimit.

Ex hoc sequitur primo, matrimonium eius 3
furiosi, qui lucida patitur interualla, validum eſſe, si eo tempore, quo rationis vsu potitur, matrimonium celebret. Conſtat hæc veritas, quia tũc furiosus capax eſt consensus, & obligationis ad matrimonium requisitæ, ergo ex nullo cap. illud matrimoniũ poteſt eſſe inualidum. Credo tamen in eo casu, quo furio-

sui frequenti dementia laboraret, & contraheret matrimonium cum alio simili morbo laboranti, eum committere graue peccatum, etiam si eo tempore, quo esset mentis compos, matrimonium celebraret, quando nullus adesset, qui eorum educandis filijs sufficientem curam adhiberet, sed illi spirituali iacturæ essent expositi. Huic enim rei tam graui maxime in matrimonijs ineundis prouidendum est, sicut neque posset tuta conscientia matrimonium inire iste furiosus, si tempore amentiæ gladium soleret arripere, & quoscunque repertos occi-
3 dere. Huic parti adhæret *Sotus loco citato*, quod tamen peccatum non esset, si iste amens non furiosus fœminæ rationis compoti per matrimonium adhæreret, quia illa posset educationi filiorum operam dare, vel si daretur auus, vel pater, aut alia persona, quæ posset, & vellet educationem filiorum procurare.

4 Sequitur secundò, idem dicendum esse de ebrio, quod diximus de furioso patiente ista lucida interualla, & propter eandem rationem.

5 Quæres tamen primò, an fœmina rationis compos possit post matrimonium celebratum cum amente patiente lucida interualla habêre cum eo copulam eo petente eam, vel non petente tempore amentiæ. Ad quod respondetur primo, quod per se ratione petitionis non tenetur habêre cum eo copulam, quia illa petitio non est humana, neque libera, sed cuiusdam quasi bruti, tenetur tamen per accidens, si in amente sit probabile periculum pollutionis, vel accedendi ad mulierem extraneã, ius enim illud radicale, quod amens habet ad corpus fœminæ, ad hoc videtur in his casibus fœminam obligare, sicut si ego debeam pecuniam homini in amentiam delapso, & videam illum petentem eam à me tempore dementiæ, & cum fame laborat, teneor eam soluere, quod si amẽs qui in amentiam perpetuam lapsus est post cõtractum matrimonium, non versatur in periculo pollutionis, potest tamen eius vxor rationis compos ad eum accedere animo habendi filios, vel auferendi à se concupiscentiam, dum in viro periculum pollutionis extra vas euitet, quia non tenetur tota vita carere cum suo tam graui detrimento copula coniugali, quod si vir habeat lucida interualla, non credo posse fœminam, nisi in casu, quo timeat periculum suæ incontinentiæ, vel alterius ad virum accedere, quia contra rationem videtur esse, illum actum sine vlla ratione exercere more belluarum cum eo tunc quando, qui rationis vsu caret.

Secundò quæres, an liceat duos perpetuos amentes copulare, licet non vero matrimonio quia illius capacea non sunt, saltem ad eum finem, vt illi copulam habeant, ac filios procreare possint? Respondetur cum *Soto loco citato*, minime id licere, tùm quia natura rationalis detestatur sane, vt homines belluarum more coniungantur, tum etiam quia filij in eo casu nascerentur amentes, quod in maximum humanæ naturæ vergit detrimentum. 6

Obijcies tamen primò, quia baptismus est quoddam matrimonium spirituale, & tamen potest suscipi ab amente, ergo simili modo dicendum est de matrimonio carnali. Secundò, quia amentes possunt habêre copulam, ergo sunt capaces matrimonij, quia matrimonium ad copulam ordinatur. Sed ad primum argumentum respondetur, baptismum non requirere consensum vt in paruulis, quia fit per modum generationis, generatio autem non requirit consensum eius, qui generatur, at vero matrimonium semper requirit consensum, quia fit per modum cuiusdam contractus, cõtractus autem sine consensu coalescere nequaquam potest. Ad secundum respondemus, amentes non esse incapaces matrimonij, quia impotentes sint ad generandum, sed quia non possunt celebrare matrimonium ob defectum consensus, qui defectus magis substantialis est, quam defectus potentiæ generatiuæ, & ideò maiorem vim habet annullandi matrimonium. 7

(∴)



TRACTA-

TRACTATVS

QVARTVS DE DISPENSATIONIBVS MATRIMONII.

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit dispensatio, & an quilibet possit secum dispensare?

1 

NOTANDVM est primo, multa circa legem contingere, ex quibus constat, hominem esse lege solutum, videlicet, irritationem, abrogationem, interpretationē, & dispensationem, irritare est impedire ne aliqua lex in suo principio habeat aliquam vim obligādi, abrogare vero est legi semel receptę, & quæ iam cæpit obligare, vires adimere, ne vlterius obliget, interpretari vero legem, nihil aliud est, quam declarare, legem illam in aliquo euentu minime obligare, dispensatio vero in lege in eo consistit, quod aliquis à lege eximatur in eo casu, quo ad eam obseruandam erat adstrictus, quam differentiam optime constituit *Sanchez tomo 3. de matrimonio, disp. 1.* Est autem latum discrimen inter hæc: nam irritatio, & abrogatio, & dispēsatio requirunt sine dubio iurisdictionem in eo, qui tales actus circa leges exercet, at vero interpretatio, neque supponit aliquam obligationem esse in ea lege, quam interpretamur, neque requirit aliquam iurisdictionem, nam homines docti auctoritate sua priuata passim videmus declarare, aliquas leges non obligare. Cuius discriminis ea ratio est, quia in alijs actibus dispensandi, &c. supponitur legem habêre aliquam vim, & vt eā tollatur requiritur sine dubio iurisdictio, at vero, cum interpretamur legem, supponimus, eam minime obligare, vnde non est necessaria iurisdictio, quam doctrinam optime aduertit *Suarez lib. 6. de voto cap. 9.*

2 Secundo notandum est, dispensationem dici magnam, maiorem, & maximam, magna est, quando cum irregulari ad sacros ordines promoto dispensatur ad ministerium minorum

A ordinum, maior, si dispensetur, vt in sacris receptis ministret, maxima, vt promoueri possit ad omnes ordines. Rursus dispensatio alia est prohibita, quæ conceditur sine iusta causa, alia est debita; alia est permissa, vt sunt illæ, quæ habent iustam causam. Hanc diuisionem assignant *Glossa capite exiguus in princ. 1. quæst. 7. Panormitanus cap. consilium, num. 4. de conseruatione ieiunij.*

His suppositis sit prima conclusio. Dispensatio est iuris relaxatio facta ab habente potestatem relaxandi. Ita definitur à *Glossa cap. requisistis. §. nisi rigor. Innocent. cap. dilectus, num. 4. de temporibus ordination. Abbas num. 5. in fine, Cardinal. num. 2. quæst. 2. Manuel Rodrig. quæstionum Regular. tom. 1. quæst. 46. art. 1.* 3

B Hæc autem dispensatio est stricte interpretanda, ita vt si aliquid in aliquo casu operetur, extendenda non sit. Habetur expresse in *cap. 1. de filijs presbyterorum in 6. §. ille vero*, vnde cum *cap. olim, de verborum significatione*, dicitur, *Beneficium Principis latissime interpretandum esse*, debet intelligi, quando est supra ius, non contra ius. Hæc tamen aliquibus modis limitatur restrictio dispensationis, quos late refert *Sanchez loco allegato*, ita autem stricte intelligēda est dispēsatio, vt etiam in materia matrimonij, quæ natura sua fauorabilis est, odiosa intelligatur, & stricti iuris. Ita eam appellant in materia matrimonij *Ostiens. cap. quia circa num.* 4

C *2. de consanguinitate; Cardinal. num. 7. vic. opposit. 1. & Rota in nouis. tomo 3. li. 1. decis. 127. num. 3.* & communiter non valet in dispensationibus (licet oppositum sit probabile) argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, vt cum communi sententia defendunt *Cardinal. cap. per venerabilem, num. 9. q. 6. Molina tom. 3. de iustit. disp. 591. num. 2. & alij plurimi.* Quod intelligitur, quādo materia est odiosa, & in præiudi-

iudicium tertij, non cum est fauorabilis religioni, v.g. & nulli odiosa, vt legitimatio ad ordines. Secundò intelligitur, quando dispensatio est facta ab homine, non à iure. Tertiò intelligitur, quando maius, & minus sunt in diuersis generibus, non in eodem. Quartò intelligitur, quando minus non est inclusum in maiori tanquam pars eius, non vero, quando includitur, vt ordines alij in sacerdotio includũtur. Quintò intelligitur, quando illud, in quo dispensatur, rationem expressam non continet confessionis, non vero cum eam continet, in hoc enim casu valet argumentum id, vbi reperitur eadem ratio in minori, &c. & in dubio, an dispensatio extendatur ad aliquem casum, iudicandum est, eam non extendi, cum ea de se sit stricti iuris.

5 Secunda conclusio. Licet prędicta ita se habeant, at potestas dispensandi alicui concessa late est intelligenda. Ita sentiunt *Ioann. Andr. cap. fin. num. 3. in fine. de simonia, Enriquez lib. 7. de indulgentijs, cap. 3. in fine, & alij multi.* Huius duplex est ratio, prima est, quia hæc facultas nulli affert præiudicium, nisi soli concedenti. Secunda est, quia primum intentum concedẽtis istam facultatem non est, vulnerare ius commune, sed beneficio afficere aliquam personã, & ita vt beneficium principis, late hæc potestas est intelligenda. Hoc tamen intelligitur, nisi sit in præiudicium tertij, & cum personæ, cum quibus est dispensandum, non exprimuntur in cõcessione potestatis, secus quando exprimuntur.

6 Tertia conclusio. (Licet aliqui probabiliter sentiant oppositum) Summus Pontifex potest secum directè dispensare in his omnibus, in quibus cum alijs potest. Ita sentiunt *D. Tho. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 4. ad tertium. Sylvest. verbo, lex quæst. 14. in fine, Caietan. 2. 2. quæst. 96. art. 5. col. 3. & Lessius lib. 2. de voto, cap. 40. dubitat. 17. & probabile putat Suar. lib. 6. de voto, cap. 18.* Probatur primò, quia potest Summus Pontif. sibi concedere indulgentias absoluendo se à vinculo pœnæ immediate, & directè, vt præclare nobis significarunt *D. Th. in 4. dist. 20. q. vnic. art. 5. versus finem, & alij graues Doctores.* ergo & potest secum directè dispensare. Secundò probatur, quia potest secum dispensare in votis à se emissis, ergo in alijs rebus. Antecedẽs probatur, quia dispẽsatio voti nihil est aliud, quam quędam condonatio facta nomine Dei alicui homini per prælatũ Ecclesiæ, qui in terris gerit vicem Dei, vt optime docuerunt *Suar. lib. 6. de voto, c. 9. & Less. loco citat.* Sed condonatio non postulat distinctionẽ personarum, nam qui habet à Rege facultatem cõdonandi omnibus debita, potest etiam sibi cõdonare pecuniam debitam Regi, ergo Summus Pontifex potest secum dispensare in votis. Tertiò, quia duplex est iurisdictio, alia contentiosa requirens partis citationem, & probationem testium, siue coactiua, & punitiua, vt iurisdictio ad excommunicationem ferẽdam, alia solum iurisdictio est directiua, & voluntaria, vt dispensandi potestas. Prima quidem videtur requirere necessariò distinctionẽm personarum, at secunda minimè, vnde secundam potest quis in se exercere. Quartò probatur, quia in omni opinione potest Pontifex, & alius superior, cum dispensat cum tota aliqua communitate, in qua ipse est, frui tali dispensatione, in quo casu indirectè secum, & consequenter dispensat, & vtitur iurisdictione, ergo etiam potest secum directè, & seorsum dispensare; nulla enim inter hæc duo considerabilis differentia apparet. Quintò probatur, quia alias peioris esset conditionis, & sortis Summus Pontifex quantum ad hoc, quam alij subditi, quia alij habent hominem, qui possit circa eos directè dispensare, & Pontifex minime: imò propter has rationes idem tribuit *Sanchez suma 3. disp. 3.* Episcopis, principibus secularibus, & prælatis etiam regularibus, quia isti habent in suos subditos religiosos potestatem quasi Episcopalem. Iuxta *Nauar. in summa cap. 12 num. 75.* & etiam idem tribuit habentibus potestatem vniuersalem delegatam in aliquam communitatem, cuius ipsi partes sunt.

Constans autem est omnium sententia, posse prælatos ordinarios dare facultatem suo cõfessario, vt cum ipsis dispenset in his, in quibus ipsi possunt cum suis subditis dispensare. 7
Probatur, quia potest hoc modo prælatus dare confessario facultatem, vt ipsum absoluat à peccatis, quod difficilius est, ergo vt circa ipsum dispenset. Ad hoc autem non est necesse, vt prælatus ille illi confessori confiteatur, aut confiteri intendat, sed sat est, vt det ei licentiam absoluendi prælatum, vel quod ille alias habeat ad hoc iurisdictionem, vel quod eum eligat ad hanc solam dispensationem faciendam.

Quarta conclusio. Quoties supremus Princeps aliquem impeditum iure humano sciens, & volens admittit ad actum, ad quem erat impeditus, etiam non cognita causa, quæ se offert ad dispensandum, sine dubio dispensat cum eo. Hoc probatur ex auctoribus quintæ conclusionis, & ratione, nam dispensatio secundum communem sententiam non requirit verba; sed factis tantum contenta est, & in hoc casu reperitur potestas dispensandi in lege humana, & prætereà reperitur sine dubio voluntas dispensandi in eadem lege, non enim præsumendum est Principem velle in eo casu aliũ grauiter peccare, cum possit ipse tale peccatum facile euitare sua dispensatione, & multo minus præsumendum est velle ipsum peccare, cum tamen reuera peccaret admittendo aliquem 8

quem ad eum actũ, in ordine ad quem erat impeditus, si cum illo non dispensaret, ergo revera dispensat saltem, cum non potest alterum facile remouere ab illo actu, imò & propter eandem rationem etiam creditur, Summum Pontificem dispensare in impedimẽtis matrimonij, quando admittit aliquos ad matrimonium contrahendum, quos scit aliquo impedimento laborare, vt cum aliquem obligatum voto simplici castitatis inuitat ad matrimonium contrahendum, vel permittit eum cum tali voto matrimonium celebrare, cum illud facile possit prohibere, non tamen censendum est, Papã dispensare in matrimonio contracto cum aliquo impedimento dirimenti, quamuis ex aliqua iusta causa sciens, & volens permittat, coniuges in eo matrimonio perseuerare, quando non potest eos separare sine scandalo, vel alijs grauissimis detrimentis. Neque dispensatio eis coniugatis prodesset, nisi eis pateficeret, & ipsi consensus renouarent, cum priores cõsensus ratione impedimenti dirimentis omninò fuerint irriti. Quod autem dispensatio eo modo debeat esse nota, & quod consensus ea ratione renouandi sint, docet *Salas titulo de legibus, quæst. 97. tract. 14. disp. 20. sect. 9. num. 87.*

9 Imò & propter rationem proximè allatam in eo casu, in quo Summus Pontifex censetur dispensare cum eo subdito, quem admittit ad actum sibi lege prohibitum, censentur etiam dispensare prælati inferiores cum suis subditis, cum eos admittunt ad actus prohibitos per illas leges, in quibus ipsi possunt dispensare libere, quam resolutionem aperte defendunt *Nauar. in summa cap. 25. num. 74. Suar. de censuris, disp. 41. sect. 3. ad finem, & alij quamplurimi.* Etiamsi huiusmodi prælati inferiores nõ cognoscant eo tempore causam legitimam dispensandi, dum tamen illa revera adsit, sed quod requiratur, adesse legitimam causam ad hoc vt inferior prælatus valide dispenset in lege à superiore prælato statuta, constat, quia nullus inferior potest dispensare in lege superioris sine causa legitima, cum enim ipse legem non condiderit, neque aliquis sibi æqualis, non potest in ea pro libito dispensare tanquam Dominus eius, quamuis superior prælatus legem illam constituens, sicut pro libito eam condidit, ita pro libito potest in ea dispensare sine vlla causa valide, quamuis vterque scilicet tam superior, quàm inferior peccent in dispensatione concessa sine causa, quia peruertunt rectum ordinem procedendi in Republica, & multorum detrimentorum causam præbent, quam doctrinam defendit *Sanchez tom. 3. de matrimonio, disp. 4.* Addens veram esse tam in foro externo, quàm interno, dum tamen in foro externo post factam dispensationem sufficienter probetur veram adfuisse causam dispensandi eo tempore, quo cõcessa est dispensatio, in foro tamen interno sufficere, quomodocunque cõstare de tali sufficiẽti causa. Quam doctrinam in eo casu eam recipiendam esse iudico, quo prælatus superior, vel inferior cognoscant, licet non explicite, confuse tamen adesse aliquam causam sufficientem ad dispensandum, vel saltem habeãt intentionem conditionatam dispensandi in eo casu, quo adsit aliqua vera causa. Nam si saltim his modis non cognoscant causam dispensandi, & contingat, eos dispensare; etiamsi in rei veritate existat vera causa, non tamen existimo, validam fore dispensationem, quia hæc dispensatio committitur superioribus, vt circa ea morali, & humano modo procedant, qui modus non verificatur, cum nulla adest cognitio causæ.

Quæret vero aliquis, an cum lex superioris dicit impersonaliter, se permittere, vt dispensetur, debeat intelligi, posse Episcopum in ea dispensare. Cui difficultati respõdetur primo in lege superioris non posse Episcopum dispẽsare secundum legem communem, & ordinariam, quia est inferior lege. Vnde impares circa eam vires habet, quare tantum in casu necessitatis propter bonum commune concessa est potestas dispensandi Episcopis in legibus Pontificijs. Secundò respondetur, in predicto casu, quo lex pronuntiet, se permittere, vt dispensetur in ea, posse Episcopum in ea dispensare. Ita sentiunt *multi Iurisperiti, & Enriquez lib. 14. de irregularitate cap. 19. num. 1.* Probatur primò hac ratione, quia potestas dispensandi, vt patet ex secunda cõclusione huius quæstionis, late est interpretanda, & extendenda quãtum possit, sed hoc modo sine vlla legis iniuria extendi potest, est ergo extendenda. Secundò probatur, quia cum lex dat licentiam dispensandi, verba continentia hanc licentiã aliquid debent operari, non quod superior possit dispensare, quia hoc certum est, & non erat necesse, illud in lege exprimere, ergo quod aliquis alius possit dispensare, qui necessariò erit Episcopus, cum superior erat Papa. 10

QVAESTIO II.

Vtrum solus Papa possit in impedimentis matrimonij iure diuino, & naturali dirimentibus dispensare?

Hæc quæstio huius tractatus proprijssima est, quia cõtendit inuestigare, an sit in Ecclesia Catholica aliqua potestas ad hoc, vt circa ea impedimẽta, de quibus supra diximus in tractatu de impedimẽtis matrimonij, matrimoniũ irritare, vel impedire iure diuino naturali, aliqua contingere possit dispensatio. 1

Notandum est, ex præcedentibus late constare, impedimenta matrimonij ad duas species reduci, nempe ad speciem impedimentorum impedientium tantum, & ad speciem impedimentorum impedientium, & dirimentiũ matrimonium simul, & quidem inter impedimenta impedientia solum matrimonium tantum duo reperiemus impedimenta, quæ iure diuino naturali impediunt matrimonium. Primum quod dicitur spõsalia, quæ eo ipso quod cum vna contracta sint prohibent matrimoniũ cum alia inire. Secundum, quod nuncupatur votũ castitatis, nam eo ipso, quod aliquis promisit Deo castitatem, eo ipso impeditus est ne matrimonium celebrare possit. Inter impedimenta vero dirimentia quatuor aperte sunt, quæ iure naturali diuino dirimunt matrimonium. Nempe error personæ in eo consistens, quod quis contrahat matrimonium cum Maria, quam putabat esse Ioannam, & cognatio carnalis in primo gradu lineæ rectæ, & lineæ transuersalis, quod in eo situm est impedimentum, quod quis nullo modo possit matrimonium celebrare cum matre sua, neque cum sorore sua, ligamen quod exigit posse matrimonium cum vna vxore celebratum non posse cum alia ea viuente aliud matrimonium celebrari. Tandem quartum impedimentum iure diuino naturali dirimens matrimoniũ est impotentia, quæ in eo cõsistit quod vir non possit verum semen intra vas fœminæ emittere, de his ergo omnibus impedimentis iure diuino naturali, aut impedientibus, aut dirimentibus matrimonium, quærimus, an possit Pontifex in eis dispensare.

3 Secundò notandum est, in communi opinione *D. Thom. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 1. in corpore.* Pontificem posse dispensare in iure diuino naturali à voluntate hominum originem habente, vt in voto eo modo, quo explicuimus in quæstione præcedenti, nõ quidem auferendo obligationem seruandi votum eo manente in sua vi, quia hoc est impossibile, sed auferendo debitum erga Deum contractũ, quod est totum fundamentũ obligationis seruandi votũ, quod quidem ita explicuit *Vazquez tomo 1. de legibus, disp. 178. num. 13. & nos in quæst. præcedenti.* Significauimus, scilicet in eo consistere quod Pontifex, vel Episcopus nomine Dei, cuius vices gerunt in terris, id quod Deo promissum erat ab homine, remittunt homini ob rationem aliquam, ob quam existimãt sibi à Deo commissam esse potestatẽ remittendi vota, etiamsi alias censerentur obligare, in eo vero iure diuino naturali posse Sũmum Pontificem dispensare, optime probatur ratione *Suarez 2. tomo de religione, lib. 6. cap. 9.* In eo consistẽte, quia omnis humana lex eget interdum dispensatione, vel propter maius bonum, vel propter aliquod malum vitãdum, vt constat ex *cap. dispensationem, 1. quæst. 7.* sed votum est lex priuata humana, ergo aliquando in eo necessaria est dispensatio, vnde cum Christus in necessarijs non defuerit hanc potestatẽ ad pastoris officium necessariam promisit, *Matth. 16. cap.* in illis verbis: *Quodcunque solueris super terram erit solutum & in Cælis,* quæ prædicta dispensatio non dicitur talis lato modo, sed proprie & in rigore.

Variæ vero sunt, ac inter se oppositæ, & probabiles sententiæ circa illud celebre punctum, an possit Pontifex dispensare in iure diuino naturali originem habente ex arbitrio Dei, & non ex hominum arbitrio, vt in residẽtia Episcoporum in suis Diœcesibus, &c. quas sententias late refert *Thomas Sanchez. tomo 3. de matrimonio, disp. 6.* Quas latius examinare nostri instituti ratio non postulat, verius tamen mihi est, Pontificem non posse in eo casu dispensare, si nomine dispensationis comprehendamus eam, quæ verè & proprie, & in toto iuris rigore dispensatio est, non vero eam, quæ improprie dicitur talis, & in rigore tantum est declaratio iuris, hac enim ratione sine dubio Pontifex potest dispensare, id est ius naturale diuinum declarare, sed quod proprie non possit Pontifex in his dispensare, patet, quia non apparet aliqua ratio, ob quam sicut in voto dispẽsat, ita etiam in his possit dispensare. 4

His ita præiactis fundamentis, fit prima conclusio responsiua quæstioni. Nequit Pontifex in his impedimentis dispensare etiam improprie, quæ iure diuino naturali irritant matrimonium, hanc conclusionem pro viribus defendunt *Syluest. verbo Papa. quæst. 17. Nauar. in summa cap. 22. num. 84. Diuus Antoninus, 3. p. tit. 1. cap. 11. §. 1. Petrus de Ledesma de matrimo. quæst. 55. art. 6. circa primum statum affinitatis.* Ratio huius conclusionis colligitur ex *Victoria de potestate Papæ, n. 9. propositione 9.* quia quamuis in his impedimentis possit esse aliquando conueniens dispensatio, Deus tamen ad talem dispensationem concedendã nullam reliquit potestatẽ suæ Ecclesiæ, ne semel aperto ostio in his rebus dispensationi concedendæ, passim fieret dispensatio cum magno ipsius Ecclesiæ dispendio, tunc autem magnum sequeretur dispendiũ si inter fratres, & sorores fieret dispensatio, quia quotidianæ fornicationes inter fratres reperirentur sub spe postea matrimonij celebrandi concessa dispensatione, inter fratres tamen, & sorores credendum est de Dei liberalitate, licitam fore dispensationem, cum soli fratres, & sorores in toto orbe remanerent. Vnde liquet iuxta ea, quæ supra tractãtes de impedimẽtis definiuimus, non posse Papam dispensare in his impedimentis matrimonij, scilicet in errore personæ, in impotentiã, in consanguinitate in primo gradu lineæ rectæ, vt inter patrem, & filiam, & in primo 5

grado

gradu lineæ transuersalis, vt inter fratrem, & sororem, & tandem neque in ligamine, scilicet vt quis habeat plures vxores simul.

6 Secunda conclusio. In alijs impedimentis dirimentibus solo iure Pontificio non possunt inferiores Papa dispensare ordinaria lege. Ita docent *Paludan. in 4. dist. 40. quæst. vnic. art. 3. num. 20. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 3. ad finem, & alij.* Probatur, quia ordinaria lege loquendo, nequit inferior in lege superioris dispensare, vt patet ex *cap. inferior. dist. 21. Clementina, ne Romani. de electione.* Vnde declararunt Cardinales, Episcopum auctoritate ordinaria non posse in gradibus affinitatis, aut consanguinitatis dispensare.

7 Tertia conclusio. Episcopus potest in impedimentis iure Pontificio dirimentibus matrimonium dispensare in casu magnæ necessitatis. Quod latissime contra alios probat *Sanchez lib. 2. disp. 40. per totam.* Hoc intelligitur, post contractum matrimonium bona fide, si nō patet aditus ad Papam, vel propter paupertatem est quis impeditus Romam ire, vel mittere. Ita *Sotus lib. 1. de iustitia, quæst. 7. art. 3.* & communiter additur, impedimentum debere esse occultum, & ex separatione timenda esse scandala, vel ex coniunctione incontinentiæ pericula. Ita *Sylvest. verbo, dispensatio, quæst. 9. num. 15. Nauar. cap. 22. num. 85. Rebel. lib. 3. de impedimentis matrimonij, quæst. 5. sect. 4.* Et ratio est, quia non creditur, Papam sibi reseruare dispensationem cum tanto animarum periculo. Ante contractum vero matrimonium non item, quia ante contractum non sequentur incommoda, quæ post contractum sequuntur, si non concedatur dispensatio *Vazquez tamen, 2. tomo, prima secunda, disp. 175. num. 16.* ait paupertatem dictam non esse sufficientem causam, quia eam potest Episcopus supplere, & ita patet aditus ad Papam. Sed rigorosa videtur *Vazquez* sententia, nec credendum est, velle Papam hoc onus Episcopis imponere. At cum hæc potestas in tacita commissione superioris principis fundetur, caute, & in re graui vsurpari debet. Et cum dubitatur, an Pontifex esset dispensaturus, non valet Episcopus dispensare, vt si dispensaret cum ijs, quos dicitur in *Trident. Sessione 24. cap. 5. de reformatione*, carere debere spe dispensationis, tūc communiter inualide dispensaret, nisi valde graues occurrant circumstantiæ. Ita *Rebel. loco citato, num. 20.* Neque potest Episcopus dispensare, vt aliqui in aliquo casu sine parrocho, & testibus contrahant, tum, quia non potest dari casus ad hoc obligans, nam quando casus secretum exigit, potest de Episcopi licentia confessarius, seu alius Sacerdos adesse matrimonio cum testibus amicissimis contrahentium. Ita *Zenedo, lib. variarum. quæst. 30. num. 6.*

8 Quarta conclusio. Commissarius Bullæ Cruciatæ potest dispensare pro solo conscientiæ foro in affinitate consurgente ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu lineæ rectæ, & transuersæ, & prolem susceptam, vel suscipiendam legitimare, si quatuor adsint cōditiones. Prima est, vt matrimonium sit iam cō tractum secundum formam *Tridentini Sessione 24. cap. 1.* Secunda vt impedimentum sit occultum. Tertia vt adsit bona fides saltim ex parte alterius contrahentis. Quarta est, vt coniux, qui ignorabat impedimētū, certior fiat, prius matrimonium non valuisse, quod patet ex tenore Bullæ Cruciatæ Latinæ.

Quinta conclusio. Tanta est Papæ potestas circa impedimenta solo iure Pontificio dirimentia matrimonium, vt postquam aliquod matrimonium initum est cum impedimento dirimenti, ac proinde inualidum, posit illud impedimentum Pontifex reuocare, ita vt nullo modo irritarit matrimonium prius, sed con sideretur matrimonium, ac si nunquam tale impedimentum ad fuisset. Ita late defendit *Sanchez 3. tom. de matrimonio, disp. 7.* & ita docent expresse *Glossa clementina vnica, de immunitate Ecclesiæ, & Abbas, cap. non debet. in fine de consanguinitate, & affinitate, & alij.* Probatur etiā conclusio exemplo *dictæ Clementinæ*, vbi *Clemens Quintus*, reuocat quasdam constitutiones prædecessorum suorum quoad effectus antea productos in his verbis: *Quidquid ex eis secutū est, vel obeat, penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis.* Ergo etiam Pontifex potest reuocare constitutiones Pontificias imponentes aliquod impedimentum, ita vt non noceat etiam matrimonio ante reuocationem contracto. Quod tamen ita intelligendum puto, dum contrahentes matrimonium illud à principio cognouerint impedimentum, & cognoscentes voluerint, quantum de se possent in ordine ad absolutam Pontificis potentiam, contrahere, quia tunc verum habuerunt consensum, quia si cognoscentes impedimentum habuerunt cū consensum, qui esset possibilis secundum ius, tunc postea etiamsi reuocaretur impedimentum, matrimonium esset nullum ex defectu veri consensus. Et consensus, qui à principio fuit inualidus, tractu temporis nequit conualescere. Confirmatur, quia lex potest se extendere ad præterita non præcipiendo, vel prohibendo, vel obligando, quia ad præteritum non datur potentia, sed puniendo, vel irritando actum præteritum, quam punitionem, vel irritationē in legę ipsa requiritur esse expressam. Ita *Salas tit. de legibus, disp. 21. sect. 7. & citat Sylvest. verbo, lex, quæst. 23. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 13.* quod non potest fieri per legem declaratoriam, sed necesse est, vt consensus adsit, & eo præstito reualidetur. 9

Sexta conclusio. In voto castitatis absoluto, & perpetuo, etiamsi iure diuino, & naturali impe- 10

impediat matrimonium, optime potest Pontifex dispensare. Patet, quia generaliter promisit Christus potestatem absoluendi ab omnibus peccatis, & etiam à vinculo cuiuslibet voti suo successori Petro, & alijs ei succedentibus in Sede Pontificia, in illis verbis: *Matth. 17. Quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Et eadem concesit *Ioannis 21.* in illis verbis: *Pasce oues meas*, quæ verba in hoc sensu interpretantur vsus, & traditio Ecclesiæ Catholicæ. Inferiores vero Pontifice, vt Episcopi, & alij non possunt dispensare in huiusmodi voto iure ordinario. Ita sentiunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur *Lesius lib. 2. de iustitia, cap. 40. de voto dubitat. 18. & Suarez lib. 6. de voto, cap. 21.* Patet, quia hoc votum reseruatum est Summo Pontifici *in Extrauaganti, & si Dominici 2. de pœnitent. & remission.* Deinde probatur secundo ex consuetudine, & stylo Curiæ Romanæ, quæ duo & legem constituunt, & votum castitatis soli Sūmo Pontifici reseruatum esse censent: iure tamen extraordinario posset aliquando Episcopus in huiusmodi votis dispensare, vt cū quia esset in graui periculo frangendi votum castitatis, & non posset adire Pontificem, neque aliquem alium habentem potestatem ad dispensandum in huiusmodi voto, neq; posset ab eis petere dispensationem, quia periculum prædictum ad hæc non concedit sufficientem locum. Ita docuerunt *Syluest. votum 4. quæst. 9. & alij quos refert, & sequitur Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 9. nu. 22. & 23.* Probatur hæc pars, quia non est credendum de mente, & pietate Pontificis, qui reseruationem tantum ordinauit ad bonum spirituale animarum, voluisse eā efficere cum tanto rigore, vt destituantur homines necessario remedio, cum in his grauissimis periculis sunt constituti. Vnde si prædictis modis Pontifex, & Episcopus dispensarent in voto simplici castitatis cum aliquo, ille posset licite matrimonium celebrare, & quia multo facilius ipsi possunt dispensare in alijs votis, quæ minorem habent vim, vt in voto non nubendi, vel seruandi castitatem ad certum tempus, & in alijs similibus, ideò tali dispensatione obtenta licite celebraretur matrimonium.

11 Septima conclusio. Recte potest Pontifex dispensare ex iusta causa in impedimento ex sponsalibus proueniente, ita vt qui vni fœminæ promisit matrimonium, cum altera de præsenti contrahat illud. Probatur hoc, quia vt defendimus in quæstione quinta, tractatu secundo de matrimonio, Summus Pontifex potest dispensare in matrimonio rato non consummato illud prorsus dissoluēdo, ergo etiam potest dispensare in sponsalibus. Patet consequētia, quia multo minorem vim habent obligandi sponsalia, quam matrimonium ratum, quamuis autem videatur, Episcopum posse in isto impedimento sponsalium dispensare ex illa generali regula, quia quidquid potest Pōtifex in vniuersa Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi exceptis ijs, quæ specialiter per Pontificem reseruata sunt. Et exceptis ijs, quę ad vniuersæ Ecclesiæ statum pertinent, vt cum res fidei, sacramentorum, & morum definiendæ sunt, quam regulam docuerunt nostræ *Bartholomeæ domus decus Abulens. cap. 6. Matt. quæst. 87. lit. E. Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. vers. at quo tandem, Aragon secunda secundæ, quæst. 88. art. 12. vers. si quis autem quærat an omnis, & alij quamplurimi Doctores.* Credo tamē, Episcopum in isto impedimento dispensare non posse. Ita docent *Palud. in 4. dist. 27. quæst. 2. a. 2. Sanch. li. 1. de spons. disp. 61. n. 3.* Probatur primò *ex cap. ex literis el segundo de sponsalibus*, vbi Pontifex videtur, hanc dispensationem sibi reseruare, dum præcipit Episcopis, vt compellant ad seruanda sponsalia. In qua lege, quia superioris est, nequit Episcopus, qui inferior est, dispensare, quæ doctrina quātum ad Episcopum vera est, loquendo de iure ordinario, & regulariter, loquendo vero de iure extraordinario, licet *Sanchez loco citato*, absolutè defendat, non posse Episcopum in vllo casu dispensare in sponsalibus propter ius ex illis adquisitum tertio, sicut neque secundum eius sententiam potest Episcopus relaxare iuramentū tertio præstitum, quia hæc duo videntur pertinere ad supremum principem, nos tamen existimamus consequenter ad eā, quæ diximus in *tractatu 1. de iuramento, quæst. 59.* posse Episcopum efflagitāte id bono communi auferre debitum contrahendi matrimonium ex sponsalibus proueniens, sicut & potest relaxare iuramentum tertio præstitum, quod posset fieri, vel præcipiendo creditori, vt cedat iuri suo, vel Episcopo per se ipsum condonante debitum, vel imperando debitori, vt non faciat, quod promisit, quod in aliquibus casibus potest contingere in pœnam eius, cui præstita sunt sponsalia, quia commisit aliquod peccatum, ob quod meretur bonis spoliari, & iuribus suis. Ita notauit *Lesius lib. 2. de iustitia, cap. 42. dubitatione 12.* quod tunc posset præstare Episcopus, quando sponsalia extorquerentur per vim, dolum, vel metum, vt colligitur ex *cap. si vero, & cap. verum, & cap. cum contingat. de iureiurando*, aut cum sponsalia essent contra bonum commune.

(.?.)

QVAESTIO. III.

Vtrum Pontifex poſsit in impedimento voti ſolemnis caſtitatis dirimēte matrimonium diſpenſare?

HÆc quæſtio ex parte diſputata eſt à nobis in tractatu præcedente. Et ideo ab ea breuiter nos expediemus ſequentibus concluſionibus.

1 Prima concluſio ſit (Licet alij ſentiant oppoſitū). In voto caſtitatis ſolemni annexo or B
dini ſacro, quod dirimit matrimonium ſummus Pontifex poteſt diſpenſare. Probatur ex quæſt. 64. præcedentis tractatus, vbi collegimus *ex cap. vnico de voto in ſexto* Solemnitatem
2 huius voti eſſe ex iure humano, vnde & matrimonium quoque dirimere iure humano. Ergo ſummus Pontifex in tali impedimento poteſt diſpenſare, quia eſt ſupra omne ius humanum, vnde ſiue ex iuſta cauſa, ſiue ex iniuſta Pontifex in hoc impedimento diſpenſaret, valida eſſet diſpenſatio. Ita ſentiunt *Sotus in 4. d. 38. quæſt. 1. art. 2. ad finē corporis articuli, Petrus de Ledeſma de matrimonio quæſt. 53. art. 3. dubio 1.* Iſte tamen diſpenſationem prædictam obtinens ſine iuſta cauſa conceſſam licet poſſet valide matrimonium contrahere, non tamen licite, quia adhuc habet impedimentum impediēs voti ſimplicis, in quo diſpenſatio nullam vim habuit, quia non fuit vrgente cauſa conceſſa, licet enim Pontifex ſine vlla cauſa validē abſtulerit ſolemnitatē voti, quæ eſt de iure humano at tamen totam naturam voti, quæ eſt de iure diuino naturali ſine cauſa auferre non potuit.

3 Illi, qui dicunt Papam non poſſe in hoc voto diſpenſare, ſunt *Albertus Magnus 4. diſt. 38. art. 16. D. Bonauentura ibidem art. 2 quæſt. 3. Syluester verbo, votum 4. quæſt. 5.* In quorum doctorum gratiam, & contra noſtram concluſionem hæc inſurgunt argumēta. Primum ſit ex *capite cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum*, in illis verbis, *Abdicatio proprietatis, ſicut cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſsit licentiam indulgere*, ergo etiam Pontifex nequit in voto annexo ordini ſacro diſpenſare. Secundum argumentum ſit ex Eccleſiaſtici *lib. cap.* 26. omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis. Ad primum *Sayro in claui Regia lib. 6. capit. 15.* Reſpondet, ibi ſolum denotari, non poſſe Papam aliquo manente monacho auferre obligationem caſtitatis, quæ eſt de eius eſſentia, bene tamen poſſe de monacho facere non monachum, atque ita auferre obligationem natam ex voto caſtitatis ſolemni, votum ipſum è medio tollendo, qua ratione ſine dubio ſtatum

A monachalem deſtrueret. Ad ſecundum reſpondet iſte author. Ibi ante ferri cōtinentiam omnibus diuitijs, & bonis externis fortunæ, vel corporis, vnde contra nos nihil inde poſſe colligi, nam ob bonum ſpirituale animarum poteſt eſſe licita diſpenſatio.

4 Secunda concluſio (licet aliqui dicant oppoſitum) in voto caſtitatis ſolemni, quod emittitur in profeſsione religionis, quodque matrimonium dirimit, poteſt Pontifex diſpenſare, ita docent *D. Thom. in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 3. Palud. ibidem q. 4. art. 4. concluſione 11. nu. 44. Caiet. 2. 2. quæſt. 88. ar. 11. Ioan. Andr. cap. cum ad monaſterium, num. vltimo de ſtatu monachorum, Oſtienſ. num. 30.* Et alij. Probatur ratione primæ concluſionis: quia tale votum, in quantum ſolemne eſt, dirimit matrimonium, non in quantum votum præciſe, vt patet in voto ſimplici, quod non dirimit, ſed in quantum ſolemne eſt inſtitutum ab Eccleſia, vt patet *ex dicto cap. vnico.* Ergo poteſt in eo Pontifex diſpenſare. Secundo probatur, quia in dubio ſemper pro ſummi Pontificis geſtis præſumendum eſt, & credendum eſt illud eſſe bonum, quod ipſe gerit, quia in Eccleſiæ gubernatione peculiariter ab Spiritu Sancto gubernatur. Sed, vt referunt varij Doctores, ſæpe Pontifex in hoc voto diſpenſauit, ergo poteſt Pontifex diſpenſare. In quo caſo, vt profeſſus poſſit valide, & licite contrahe-
C re, votum eſt tollendum, & ille non manet profeſſus, & religioſus.

5 Tertia concluſio. Vt in his votis diſpenſatio Pontificis iuſta ſit, requiritur cauſa aliqua publica, vt pax totius regni, vel eius conuerſio ad fidem. Ita ſentiunt *Medina de ſacrorum hominum continentia, cap. 37. ad finem, Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 6. puncto 7.* Probatur hac vnica ratione, quia ex matrimonio inito à Clerico in ſacris conſtituto, vel à monacho profeſſo detrimentum ſequitur, & dedecus toti ſtatui religioſo, vel Clericali, & ſcandalum publicū populo. Vt ergo hæc damna contemnantur, & in tali matrimonio diſpenſetur, aliquod bonum publicum ſeſe offerre debet, & non ſufficiet priuatum.

D

QVÆSTIO. IIII.

Vtrùm in votis impedientibus matrimonium, vt caſtitatis, religionis, & non nubendi, ſiue abſolutis, ſiue conditionatis poſsit Episcopus diſpenſare?

1 ANTEA aliquid diximus de his votis, ſed, vt exactius res explicetur, aliqua ſunt addenda. Pro quo notandum eſt, attento iure non reſeruari Pontifici diſpenſation: m

tionem in voto castitatis, & religionis, vt con stat ex *cap. ex multa de voto.* Ex consuetudine tamen reseruatur dispensatio in his votis soli Pontifici, vt patet ex bulla Cruciatæ, & ex iubileis, vbi semper reseruantur hæc vota Pontifici, & nunquam alijs conceditur facultas circa illa, nisi exprimatur.

2 Hoc supposito, sit prima conclusio. Supposita modo reseruatione nequit Episcopus in votis castitatis, & religionis, quando sunt absoluta, dispensare. Probatur, quia circa ea ablata est ab Episcopis iurisdictio, & reseruata Pontifici, sine iurisdictione autem non contingit dispensatio, ita docet *Sotus lib. 7. de iustitia, q. 4. art. 3 colum. 4.* Quem omnes sequuntur, vt docet *Sanchez 3. tomo disp. 9.*

3 Hinc fit secundum *D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11. ad secundum, & Sylnest. verbo, votum 4. q. 3. dicto 6.* Et alios, In voto castitatis, quod non est perpetuum, sed ad certum tempus emissum, posse Episcopum dispensare, quia solum est ab Episcopo crepta iurisdictio erga votum castitatis absolute, & sine vlla limitatione emissum, quod est perpetuum. Imo ad votum omnimo dæ seruandæ castitatis. Vnde fit secundo posse Episcopum in voto castitatis coniugalis dispẽsare propter eandem rationem, ita *Sanchez 3. l. de matrimonio, disp. 9.* Tertio fit, posse Episcopum dispensare in voto assumendi ordinem sacrum: tum, quia hoc non est expresse reseruatũ in se, vt patet: tum etiam neque ratione castitatis in eo inclusæ, non enim iste vouit castitatem, quod autem castitatem non vouerit, ex eo manifeste colligitur, quia si peccatum luxuriæ committat, non est sacrilegus. Quam doctrinam communem docent cum alijs *Enriq. lib. 7. de indulgentijs, cap. 30. num. 6. & Azor lib. 11. institut. moral. cap. 19. q. 9.* Quartò, fit posse tunc Episcopum dispensare, cum quis voueret disiunctiue castitatem, vel assumere ordinem sacrum, si vouens, quatenus potest, eligat assumptionem ordinis, quia hac ratione votũ non est reseruatum. Vouens autem ex eo in voto disiunctiuo potest eligere, quod maluerit, quia in alternatiuis electio est debentis, & sufficit, alteram partem impleri, vt constat ex *regula, in alternatiuis, de regul. iur. in 6.* Neque his resolutionibus obstat *D. Thom. 2. 2. quæst. vltima art. 7. in corpore.* Dum asserit, ad solum Papam pertinere dispensationem in votis perpetuis, nam, vt sentiunt *Sylnest. votum 4. q. 3. dicto 6. & Caiet. 2. 2. q. 88. art. 12.* Et alij, in eo loco *D. Thom.* per vota perpetua intelligit vota religionis, & castitatis, quæ suapte natura sunt perpetua, votum castitatis quidem cũ est simplex, siue solemne, & votum religionis cũ est perpetuum, & solemne.

4 Secunda conclusio. (Licet aliqui sentiant oppositum, quos refert *Sanchez 3. l. disp. 9.*) Potest Episcopus dispensare in voto non ineũ

A di matrimonium. Ita sentiũt *D. Ant. 2. p. tit. 2. cap. 11. §. 1. Sylnest. verbo votum, q. 4. § 4. Nauar. in summa Latina cap. 12. num. 76.* Probatur primo ratione *Nauarri loco citato*, Quia ita seruatur Romæ, in sacro pœnitentiariæ prætorio, vt Episcopi in hoc voto dispensent. Secundo probatur, quia si hoc votum esset reseruatum, maxime, quia virtualiter continet in se votum castitatis, quod reseruatum est, quod insinuarunt oppositæ sententiæ fautores, hoc tamen defendi nequaquam potest, tũ, quia iste nullo modo vouit omnimodam continentiam, neque abstinere à copula fornicaria; tum, quia iste, licet habeat prædictam copulam, non est tamen propterea sacrilegus, sicut ille sine dubio esset, qui castitatẽ absolute vouisset. Hoc

B ergo votum non est reseruatum Pontifici, sed potest in eo Episcopus dispensare, quia de se non est reseruatum ex iure, aut consuetudine.

Tertia conclusio. Potest Episcopus in prædictis votis castitatis perpetuæ, & religionis dispensare, vt vidimus, quæst. 2. quando imminet magnum incontinentiæ periculum, neque est facilis ad Papam accessus, paupertate illum impediente, vel quando scandalum, vel magnum damnum tertiæ personæ timetur ex mora, dum ad Pontificem contingit accessus, vel, cum alia iusta, & vrgens se offert causa. Ita docet *Salas t. de legibus, q. 97. tract. 14. disp. 20. sect. 4.* In quibus locis alios Doctores pro hac parte refert. Quæ doctrina quantum ad potestatem Episcopi etiam locum habet in impedimentis

C dirimentibus, quando se offert aliqua vrgens causa postulans dispensationem in illis, vt verbi gratia, cum matrimonium publicum est, & impedimentum occultum, & scandalum timetur ex separatione cõiugum, nec patet aditus ad Pontificem, & dubio insurgente, an res aliqua egeat dispensatione, potest, vt notauit *Emanuel Sa. verbo dispensatio. num. 1.* Episcopus declarare, eam dispensationem non esse necessariam, vel ad cautelam poterit dispensare iuxta probabilem sententiam multorum. Generalis vicarius Episcopi non potest dispensare in occultis impedimentis matrimonij, quia ex generali facultate concessa vicario non conceditur potestas dispensandi, iuxta *Glossam in cap. quæ de causa, verbo, quidquid. 2. q. 5. & Ioan Gu-*

D *tier. lib. 1. canonicarum quæst. cap. 19. num. 13.* Et alios, & potestas Episcopi dispensandi in his impedimentis est pro solo foro conscientiæ, vt docet *Ioannes Gutier. tract. de matrim. c. 49. n. 13.* Imo secundum *Tho. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. nu. 17.* in his dispensationibus, & reliquis, quæ ratione necessitatis vrgentis cõpetunt Episcopis, quibuslibet Episcopus potest suas vices delegare quia est iurisdictio ordinaria.

Quarta conclusio (licet *Emanuel Rodriguez 2. t. quæstionum regular. q. 46. art. 9.* Sentiat oppositum)

positum) parrochus nequit in votis non nubendi, & castitatis temporalis dispensare, etiam si ad Episcopum non pateat aditus. Et probatur ratione: quia cum dispēsatio sit in iure odiosa, non est concedenda alicui sine consuetudine, aut priuilegio, sed parrochi in hac re non gaudent consuetudine, neque priuilegio, vt docuit *Ostiens. cap. 1. num. 2. de voto.* Ergo non possunt dispensare. Hanc conclusionem defendit *Sayro*, multos Doctores in huius rei confirmationem adducens *in sua claue Regia, lib. 6. c. 11. num. 85.* Et idem sentit ibidem de quibusuis pœnitentiarijs, nisi eis specialiter committatur dispensatio, quia isti non habent iurisdictionem in foro externo, quæ requiritur, vt quis extra sacramentum pœnitentiæ dispensare possit. Vnde prædictæ personæ multo minus possunt dispensare in votis absolutis castitatis, & religionis, neque in impedimentis impedientibus, aut dirimentibus matrimonium.

7 Pro huius vero quæstionis diligentiori cōprehensione præ oculis habenda est ea regula, quam tradit *Suarez 2. t. de religione, lib. 6. de irritatione c. 10.* Scilicet, ad cognoscendū, quis possit dispensare in votis, considerandū esse, an habeat ordinariam iurisdictionem, quam solent habere Episcopi, ita vt suam velut diœcesim habeat, & suum tribunal. Tunc enim dispensare poterunt in votis, & in impedimentis matrimonij, in quibus possunt Episcopi dispensare. In cuius rei confirmationem multa congerit *Abbas in cap. significasti de foro competenti à num. 5.* Et idem docet *Petrus de Ledesma in summa de matrimonio cap. 27.*

8 Antequam quintam constituamus conclusionem, notandum est, vota alia esse pœnalia, alia vero non pœnalia. Rursus alia esse absoluta, alia conditionalia: pœnale votum est illud, in quo quis promittit aliquid, circa quod non habet propensionem, illud tamen sibi promittit ratione alicuius molestiæ in eo repertæ in pœnam, vt eius incurrendæ timore appetitum suum ad aliquod crimen procliuem cohibeat: vt, cum quis detrimētis ludi permotus voueat, se ingressurum religionem, si aliquando luserit. Votum vero non pœnale est illud, quod fit mero affectu virtutis: vt cum quis honestatem status religiosi considerans eius amore allectus voueat religionem. Votum conditionale illud est, quod emittitur sub aliqua conditione; vt verbi gratia. Si Deus mihi fœlicem exitum in negotio concesserit, promitto castitatem. Votum vero absolutum illud est, quod non dependet ab aliqua conditione, vt cū quis simpliciter voueat castitatem. Quærimus ergo, an his votis, cum pœnalia sunt, & conditionalia, & castitatem, & religionem respiciunt, possit Episcopus dispensare, ita vt matrimonium non impediant.

9 Secundo notandum est, huiusmodi vota in

A duplici statu considerari posse. Primo ante impletam illam conditionem, quæ apposita fuit tam in voto pœnali, quam in conditionali, secundo vero post impletam conditionem.

Sit quinta conclusio. (Licet alij relati à *Sanchez 3. tomo de matrimonio, disp. 10.* Sentiant oppositum) si prædicta vota pœnalia, & conditionalia considerentur ante impletam conditionem, non sunt sedi Apostolicæ reseruata, sed possunt in eis libere Episcopi dispensare. Hāc conclusionem tenentur *Sotus lib. 7. de iustitia q. 2. art. 1. ad 4. Nauar. in sum. Latina, c. 12. Lessius, tom. de iustitia lib. 2. cap. 40. de voto, dubitat. 18. n. 130. Suar. lib. 6. de voto, ca. 22.* Probatur primo, quia votum ante impletam conditionem est imperfectum, sicut, & contractus humanus, 10

B quia non habet suas perfectas vires ad obligandum, ergo non est Pontifici reseruatum, quia ei solum reseruantur vota perfecta. Secundo probatur, quia ea vota sub conditione promittentia castitatem non obligant ante aduentum conditionis ad castitatem seruandam, sed tantum ad expectandum aduentum conditionis, cuius signum est, quia, si quis ante aduentum conditionis peccatum luxuriæ committat, nullum frangit votum. Ergo prædicta vota non sunt reseruata Pontifici, sed Episcoporum iurisdictioni subiacent.

Sexta conclusio. Vota conditionalia, quæ pœnam non continent, post aduentum conditionis, si castitatem respiciāt, vel religionem, reseruata sunt sedi Apostolicę, & nequit in eis 11

C Episcopus dispensare in ordine ad matrimonium contrahendum regulariter. Ita defendūt *Conar. in c. quamuis pactum 1. part. §. 3. nu. 12. & alij*, Quos refert, & sequitur *Suar. loco citato n. 12. & Lessius loco citato num. 131.* Probatur hoc vnico discursu, quia contractus celebratus à principio sub conditione fit purus, & absolutus postea impleta conditione, eodem modo, ac si à principio fuisset celebratus sine conditione, vt patet *ex lege potior. ad finem ff. qui in pignore potiores, &c.* In illis verbis, *cum semel conditio extiterit, proinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Ergo votum sub conditione emissum impleta

D conditione redditur purum, absolutum, & perfectum, & consequenter, cum votum fuit emissum circa materiam reseruatam Pontifici, vt circa castitatem, & religionem etiam sub conditione, impleta conditione manet absolutum, ac reseruatum, sicut reseruatum esset, si à principio sine conditione fuisset emissum.

Septima conclusio (: Licet aliqui Doctores recentiores sentiant oppositum) in votis pœnalibus etiam post impletam conditionem potest Episcopus dispensare. Ita sentiunt *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 10. num. 8. Suarez lib. 6. de voto cap. 23. & Lessius dubitatione supra allegata.* Probatur, quia, qui sic vouet religionem, aut 12

nem, aut castitatem, tantum desiderat religionem materialiter, & imperfecte, & potius desiderat vitare ingressum religionis, quantum est ex vi suæ primariæ voluntatis, quare tale votum non fit ex affectu religionis, neque est simpliciter votum religionis. Ergo neque est credendum, voluisse Pontificem tale votum sibi reseruare. Si vero quis promittat religionē, si talia peccata commiserit. Non quidem in vindictam suorum peccatorum, sed, vt in religione vitet peccata, tunc tale votum reseruatum est Summo Pontifici impleta conditione, quia satis fuit emissum ex affectu religionis.

13 His suppositis, difficultas non modica versatur in eo, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso à coniugibus. Quæ difficultas in quinque casibus potest habere locū. Primus casus est, quando alter coniux absque alterius coniugis licentia vouet castitatē. Secūdus quādo cū alterius licentia vnus tantū vouet castitatem. Tertius quando vterque absque alterius licentia castitatem vouit. Quartus quando vterque seorsum cum licentia alterius vouet, non tamen per modum contractus. Vltimus quando vterque vouet mutua licentia per modum contractus.

14 In hac re variæ sunt Doctorum sententiæ, quas longum esset, recensere. Ideo breuiter respondetur in primo casu considerandum esse, an votum castitatis emissum sit post contractum matrimonium ratum, & ante consummationem eius, vel post consummationem. Et rursus considerandum esse, an sit emissum votum animo ingrediendi religionem, vt omnimoda castitas seruetur, vel animo remanendi in seculo. Si enim votum emissum sit post matrimonium consummatum, in eo potest Episcopus dispensare, quia non est votum totalis castitatis, sed partialis obligans tantum ad non petendum debitum, non vero ad non reddendum illud, & talis dispensatio nō solum auferet obligationem partialem voti, sed etiam totalem, quod à fortiori defendunt *Aragon 2. 2. q. 88. art. 8. dubio vltimo, & Manuel Rodriguez 2. tomo sum. cap. 90. num. 6. ad finem.* Si vero votū emittatur post matrimonium ratum, & ante consummationem eius, & cum animo ingrediendi religionem, licet possit Episcopus in tali voto dispensare ad hoc, vt vouens petat debitum propter magnum incontinentiæ periculum, in quo versatur petitione debiti sibi prohibita, vt notauit *Manuel Rodriguez 1. tomo summæ in 2. editione cap. 242. num. 2.* quia iste non tenetur, religionem ingredi, cum eam non vouerit, nequit tamen Episcopus totaliter in eo voto dispensare, quia votum est omnimodæ castitatis cum possit seruari per ingressum religionis non petendo, aut reddendo debitum, & cū vouens ex proposito ingrediendi religionem ad omnimodam castitatem se contenderit obligare. Quod si prædictus vouens non habuit animum positiuum ingrediendi religionem, non est votum omnimodæ castitatis, sed partialis, scilicet non petendi debitum, quia in seculo manens ille, qui vouit, tenetur consummare matrimonium, & saltem reddere debitum. Vnde Episcopus in eo voto potest dispensare totaliter auferendo obligationem voti.

In secundo verò casu proposito, quando vnus coniux cum licentia alterius continentiam vouit, eodem modo distinguendum est, nam si quis voueat post matrimonium celebratum, & ante eius consummationem cum animo ingrediendi religionem, aut sine tali animo, tunc eodem modo loquendum est, ac in præcedenti casu. Si vero voueat cum proposito ingrediendi religionem, post consummationem matrimonij, volente altero coniuge efficere ea, quæ iure requiri in præcedenti tractatu explicuimus, quæst. 65. tunc, quia votū est omnimodæ castitatis, nequit Episcopus in eo dispensare totaliter, quando alter coniux efficit ea omnia, quæ in iure requiruntur ad hoc vt aliqui coniux possit licite religionem ingredi, posset vero Episcopus dispensare tātum, vt petatur debitum propter periculum, quod communiter imminet incontinentiæ ex eo, quod non posset peti debitum. Tunc autē dispensandum esset eo modo, quando alter cōiux propositum mutaret, vellet que remanere in seculo, ac petere debitum. Quod si ille vouet absque animo ingrediendi religionē post consummationem matrimonij aut altero nolente facere iure requisita, tunc in eo voto potest Episcopus totaliter dispensare, quia votū tantum fuit castitatis partialis, cum adhuc ex emisso debeat vouens reddere debitum, post talem enim concessam licentiam ad vouendū, alter coniux non se priuauit iure petendi, sed solum dedit ad hoc facultatem, vt alter licite voueret, qui quidem sine ea facultate, licet possit valide vouere, non tamen licite, quia vouens separandus est ab altero coniuge quantū ad thorum, vt non exponatur periculo petendi debitum, quæ separatio non potest fieri sine consensu coniugis, vt optime considerauit *Lessius 2. de iustit. lib. 2. cap. 40 dubit. 15.*

In tertio vero casu, quando vterque coniux continentiam vouit seorsum absque alterius licentia, eodem modo respondendum est, atque in primo casu respondimus. 16

In quarto casu, quando vterque seorsum cōtinentiam vouit obtenta licentiā ab altero coniuge, non tamen per modum contractus, ita vt quilibet eorum pronuntiet, voueo, vt voueas. *Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 11. num. 7.* Respondet, eodem modo resoluendum esse istum casum, ac secundum quia existimat, adhuc in isto casu teneri vnum coniugem alteri reddere debitum, si forte contra conscientiam suam al- 17

teram-

ter audeat petere debitum. Nos tamen qui cũ *Lessio loco citato, num. 95. in tractatu 2. de voto,* aperte defendimus, vtrunque coniugem in isto casu se priuasse iure petendi, ac per consequens, si vnus petat debitum, non teneri alterum, illud reddere, in præsenti casu dicimus, in eo voto, siue emittatur ante consummationem matrimonij, siue postea, & siue emittatur cum proposito ingrediendi religionem, siue non, non posse Episcopum totaliter dispensare, quia votum est omnimodæ castitatis, quia non potest petere, neque reddere debitum aliquis eorum, posset autem Episcopus partialiter tantum dispensare ad hoc, vt hi possent petere, & reddere debitum propter periculum incontinentiæ, in quo versantur; quandoquidem manent in seculo, & non possunt obligari ad profitendam religionem. Quam doctrinam videntur à fortiori docuisse *Aragon 2.2. quæst. 80. art 8. dubio vltimo. & Manuel Rodriguez 2. t. sum. cap. 92. num. 6. ad finem.* Quia sentiunt, tale votum non esse omnimodæ castitatis, & ita non esse reseruatum Pontifici. Quia vero nos dicimus, votum esse omnimodæ castitatis in isto casu, ideo non posset Episcopus in eo totaliter dispensare. Quare vnus quisque eorum coniugum sacrilegium committeret, vel peccatum luxuriæ committendo, vel altero defuncto nouum matrimoniũ celebrãdo. Quamuis autem iste quartus casus similis videtur tertio quia in vtroque vterque cõiux vouit, differentia tamen à nobis assignata in vno, atque in altero casu obseruanda videtur, quia cum vterque vouit absque alterius licentia, licet non posit licite petere debitum, iure tamen iustitiæ, quod habebat petendi illud, non videtur se priuasse. Quare post consummationem matrimonij votum emissum solum obligat ad nõ petendum debitum, non vero ad non reddendum, etiam si alter petat sacrilege. Vnde non est votum totalis castitatis, ac per consequens potest in eo Episcopus totaliter dispensare. Sed, quando vterque nouit cum alterius licentia, priuarũt se iure petendi, & ita votum obligat ad non petendum, & ad non reddẽdum debitum, & est omnimodæ castitatis, & incapax dispensationis Episcopalis totaliter concessæ.

18 In quinto vero, & vltimo casu, quando vterque coniux mutua licentia per modum contractus concessa continentiam vouit, *Sanchez loco citato num. 16.* Defendit, non posse Episcopum dispensare cum his coniugatis; vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo, nisi; quãdo esset incontinentiæ periculum, & commode non posset Pontifex adiri ptæ paupertate, vel alia ratione. Vnde multo minus secundum eius sententiam poterit Episcopus dispensare in tali voto totaliter. Quod non posit eo modo partialiter dispensare, probat Sãchez, quia licet Episcopus posit dispensare cum eo, qui votum castitatis ante matrimonium emisit, vt post matrimonium celebratum posit petere debitum. hoc ex eo prouenit, quia in hoc gaudent Episcopi legitima consuetudine, etiam si facilis pateat aditus ad Romanum Pontificem, vt ipse probat innumeris relatis Doctoribus. *Dicto lib. 8. disp. 12.* Tum etiam, quia tunc vouens in maximo versatur incontinentiæ periculo, cum posit reddere, & non petere debitum.

Sed his tamen non obstantibus respondemus primo. In isto casu votum esse omnimodæ castitatis, quod à fortiori colligitur ex resolutione quarti casus. Adductæ enim ibi rationes hic vehementius vrgent. Secundo respondemus cum *Emanuel Sa in sum. verbo, debitum coniugale, num. 2. & Emanuel Rodriguez in quæstionibus regular. 1. t. q. 63. art. 2.* Posse tunc Episcopum dispensare partialiter, & ad petẽdum debitum, licet non posit dispensare totaliter propter rationem proxime allatam, quod probatur ex eo sufficienter; quia Episcopus potest dispensare ad petendum debitum propter legitimam consuetudinem, quam ad hoc præscriptam habent Episcopi, cum eo coniugato, qui ante cõtractum matrimonialem emisit votum castitatis absolutum, & totale, & hoc siue ante consummationem matrimonij, siue postea, ergo etiam poterit eodem modo dispẽsare in eodem voto absoluto emisso post matrimonium celebratum. Consequentia hæc patet, quia, vbi militat eadem ratio, vel vrgẽtior; militat idem ius, & eadem consuetudo, sed fortior ratio vrget ad dispensandum in voto emisso in isto, quinto casu post matrimonium contractum, quam in voto castitatis emisso ab vno coniuge ante matrimonium, quemadmodum ergo Episcopus in isto casu potest dispensare, ita etiam in illo. Sed quod fortior vrgeat ratio, ex eo constat, quia in maiori periculo incontinentiæ versatur coniux, qui in isto quinto casu emisit votum castitatis, quàm ille, qui ante matrimonium illud emisit, nam primus cum non posit petere, neque reddere debitũ, nullo modo adhibet remedium suæ concupiscentiæ, & hæc alias multum excitatur ex cohabitatione cum altero coniuge, & ex mutuis obsequijs, & amicitia eorum. Secundus vero magnam adhibet concupiscentiæ remedium, cum saltem posit reddere debitum altero coniuge petente. Ex quo aperte liquet solutio ad rationes in contrarium à Sanchez allatas.

Quæret tamen aliquis primo an posit Episcopus dispensare cum coniugato, qui ratione affinitatis superuenientis ex copula illicita, quam habuit cum sorore suæ vxoris, nequit petere debitum. Huic difficultati respõdetur (licet alij relati à *Sanchez lib 8. de matrimonio disp. 12.* aliter respondeant) posse in eo casu Episcopum dispensare ita docent *Sotus loco citato art. 2.* 19

art. 2. col. 4. Petrus de Ledesma de matrimonio q. 58. art. 4. dubio 2. Syluest. matrimonium 8. q. 15. dicto 7. & alij. Probatur, quia Episcopi passim in hac re dispensant ratione iurisdictionis, quam ex legitima consuetudine sibi compararunt.

20 Quæres secundo, an coniugatus impeditus à petitione debiti ratione superuenientis cognationis spiritualis, quia extra casum necessitatis filium suæ vxoris è sacro fonte leuauit, possit de licentia Episcopi petere debitum? Huic quæstioni respondetur cum communi sententia, quam refert, & sequitur *Sanchez loco citato num. 15.* Posse in isto casu Episcopum dispensare, ita vt coniux ille petat à sua vxore debitum, & hoc ratione legitimæ consuetudinis, qua in hac parte potiuntur Episcopi, consuetudo enim sine dubio tribuit iurisdictionem, vt constat *ex capite cum contingat de foro competente*; omnia autem supra dicta in his quæstis etiam locum habent in his casibus, in quibus facilis pateat aditus ad summum Pontificem, quia in his consuetudo præfata vires etiã obtinuit. In his vero casibus ex eo cœpit vires habere consuetudo Episcoporum, quia magnum imminet incontinentiæ periculum, quia cum coniux his modis impeditus à petitione debiti ex vna parte nolit, vel non teneatur religionem ingredi, cum hoc esset graue onus ei imponere, & cum ex altera parte obligetur ad reddendum debitum ex vi præcedentis matrimonij, & ratione iuris, quod alter coniux habet cum sit innocens ad petendum debitum, & non possit ratione sui impedimenti petere debitum, versabitur in magno incontinentiæ periculo, nisi ei dispensatio Episcopalis auxiliũ præbeat.

QVAESTIO. V.

Vtrum circa vota castitatis, & religionis, & alia matrimonium impedientia possit fieri commutatio ratione Bullæ Cruciatæ vel priuilegiorum religiosorum.

1 CLAVSVLA bullæ Cruciatæ quantum ad nostrum propositum sub hoc tenore verborum continetur, *Possint eligere confessorem ex approbatis ab ordinario, & ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum, &c. absolutionem recipere, & illis vota omnia, vltra marino, castitatis, & religionis dumtaxat exceptis in aliquod subsidium expeditionis huius per eundem cõfessorem commutari possint.* Clausula vero iubilei, qua conceditur præmissis tribus diebus ieiunij, confessione, communione, oratione, & eleemosyna, his verbis prælungitur, *possint approbatos presbyteros eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licite valeant ipsos à quibusuis peccatis, criminibus, &c. absoluere, ac vota quæcumque ab eis emissa castitatis, & religionis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutari.*

Sit prima conclusio. Quando vota castitatis, & religionis non sunt absoluta, & omnimodæ castitatis, sed conditionata, vel temporalia, vel aliquem alium habent defectum, ex his, quos supra quæstione præcedenti explicuimus, dũ de potestate Episcoporum circa hæc vota disputauimus, potest confessarius virtute bullæ Cruciatæ, vel iubilei ea commutare. Patet hæc resolutio, quia tantum intelliguntur virtute verborum iubilei, vel bullæ ea vota castitatis, & religionis excipi, quæ Pontifici reseruãtur, at solum Pontifici ea vota castitatis, & religionis reseruantur, quæ sunt absoluta, & omnimodæ castitatis, ac religionis, & non alia, ergo potest confessarius virtute horum priuilegiorum in alijs votis castitatis, & religionis commutatione vti. 2

Vnde virtute horum priuilegiorum bullæ Cruciatæ, vel iubilei non possunt commutari vota absoluta castitatis, & religionis, & totalia etiam occurrente grauissima necessitate, tum quia nullum habemus ad oppositum tuendum sufficiens fundamentum, & in hac re tam graui sine fundamento loquendum non sit, cum etiã facile est eo casu se offerente adire Episcopũ, qui iuxta rei exigentiam commutare poterit, vel dispensare, ita *Manuel Rodriguez in quæstionibus regularibus tomo 1. quæst. 41. art. 9.* Neque etiam confessarij ratione horum priuilegiorum, postquam quis votum castitatis, vel religionis emisit, & contraxit matrimonium, possunt ea vota commutare saltem ad eum finem, vt debitum petat; quia longæua consuetudo, quæ vim commutandi, vel dispensandi in Episcopis circa hos casus obtinuit, eam non obtinuit in confessarijs virtute horum priuilegiorum, cuius discriminis ea potest assignari ratio, quia cum Pontifex longe absit, & ex multis causis difficilis ad eum possit esse accessus, necessum fuit Episcopos, qui viciniores nobis sunt, eam commutandi, vel dispensandi facultatem habere, propter periculum, quod in præcedenti quæstione ponderauimus tunc imminere incontinentiæ, at vero cum ad Episcopos facile pateat aditus, non fuit necesse confessarios tam ampla virtute bullæ Cruciatæ, aut iubilei vti facultate. 3

An autem in his casibus, in quibus possibilis est commutatio virtute bullæ debeat fieri in solum subsidium, & an debeat fieri tempore currentis anni bullæ, vel tempore perseuerantis iubilei, & alia puncta circa hoc nos late disputauimus dum de voto tractatu secundo egimus, interim videantur *Sanchez lib. 8. disp.* 4

15. &

15. *& Suarez 2. tomo de religione, lib. 6. de commutatione.*

5 Secunda conclusio. Commissarius Bullæ Cruciatæ potest dispensare ad petendum debitum cum coniugato, cui interdicta est petitio ratione affinitatis, quod constat ex Bulla Latina, cum vero interdicitur petitio ratione cognationis spiritualis, non potest, quia non id continetur in Bulla.

6 Sit tertia conclusio, Religiosi Societatis Iesu possunt virtute sui priuilegij commutare vota castitatis, & religionis eodē modo, atq; hæc possunt cōmutari virtute Bullæ Cruciatæ. Probatur conclusio, quia eorum priuilegium eundem verborum tenorem cōtinet, ac Bullæ Cruciatæ, ergo eundem effectum operatur. Verba priuilegij sunt hæc prolata à Paulo III. vota quæcunque vltramarinis, visitationis liminū Beati Petri, & Pauli de vrbe, ac sancti Iacobi in Compostellam, necnon religionis, & castitatis, votis duntaxat exceptis in alia pietatis opera commutandi, imo etiam possunt huiusmodi religiosi dispensare in votis Episcopo reseruatis vt constat ex compendio huius sacræ religionis relato à *Sanchez 3. to. lib. 8. disp.* 16. Quod priuilegium non se extendit ad eos casus, in quibus Episcopi ratione alicuius grauis necessitatis occurrentis, vt demonstrauimus quæstione præcedenti, circa vota castitatis, & religionis dispensare possunt, quia cum necessitatibus quotidie insurgentibus facile occurrant Episcopi, qui suis subditis peruij sunt; non fuit necessarium, tantam facultatem alijs religiosis concedere.

7 Hanc facultatem dispensandi in votis Episcopo reseruatis refert *Sairo in claui Regia, lib. 6. cap. 11.* concessam fuisse à Sede Apostolica aliquibus Monachis sancti Benedicti.

8 Præterea Prouinciales Mendicantium habent priuilegium concessum à Pio V. viua voce, & relatum *ab Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 2. num. 9. & ab alijs*, vt possint confessarijs approbatis iuxta Tridentinum impertiri facultatem dispensandi ad petendum debitum cum his, qui ante matrimonium vouerant castitatem. Insuper religiosi mendicantes, si sint viri docti, & designati specialiter ad hoc à Prouinciali, & Confessarii approbati ab ordinario iuxta formam Tridentini, possunt dispensare in foro conscientiæ ad debitum petendum cum his coniugibus, qui ratione affinitatis impediti sunt ab ea petitione, per concessionem Pij Quinti, factam viua voce, quam refert *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 15. num. 11. in fine*. Quam dispensationem, & commutationem possunt exercere religiosi circa alienos subditos alterius Diœcesis, quamuis sint in Episcopatu Salmantino, quia concessio est Pontificis, qui præest toti orbi. Vnde cum dicitur, quod isti religiosi dispensent in votis, in qui- A bus possunt Episcopi dispensare, intelligitur, id est, in votis non reseruatis Papæ, quod iudicarunt aliqui viri docti. Dispensandi quoque facultates super impedimentis matrimonialibus concessæ fabricæ sancti Petri, & Hospitali sancti Spiritus de Vrbe, alijsque pijs locis reuocatæ sunt à Pio Quarto.

QVAEST. VI.

B *Vtrum dispēsatio sine causa facta valida sit, ac iusta, & quæ causa sint necessaria ad dispensandum in impedimentis dirimentibus iure humano matrimonium?*

HAEC quæstio multas continet partes, quare non potest vna, eademque conclusione recte comprehendi, sed pluribus.

1 Circa primam partem sit prima conclusio. Nequit Pontifex in lege diuina naturali absq; causa legitima dispēsare, alias dispēsatio prorsus valore destituetur. Ita docent omnes Theologi *in 4. dist. 38. & D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad secundū.* Probatur hac vnica ratione, quia qui dispensat in volūtate aliena, & in bonis alienis sine iusta causa, nihil efficit, nā nemo huiusmodi dispensationē censetur approbare, ergo qui in rebus iure diuino prohibitis, quare & Deo C nostro reseruatis dispensat sine iusta causa, inualide dispensat, & quidem licet *Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 9. n. 8.* Dicat oppositū, nequit tamen Pōtifex in voto iure diuino naturali obligante valide dispensaré absque iusta causa. Ita docent *D. Tho. in 4. d. 38. & ibi Ricard. Palud. Paludan. & Suar. 2. to. de religione li. 6. de irritatione cap. 17.* Cuius ea potest assignari ratio similis præcedenti, quia Summus Pōtifex in hac dispēsatione se habet, vt minister Dei, remittēdo eius nomine obligationem erga Deum contractam, & ita nequit excedere commissionem sibi à Deo factā, ergo cum remittit eam obligationem sine vlla causa, nihil operatur, quia ad hoc non fuit ei facta cōmissio, quia alias cederet in destructionem, & non in ædificationem D Ecclesiæ, quemadmodum inter homines contingere videmus eum, qui vltra cōmissionem sibi factam operatur, nihil efficere validum.

2 Propter prædictam autem rationem minime vim habet dispensatio ab inferiore facta in lege superioris absque iusta causa, vt si forte Episcopus in lege Summi Pontificis dispensaret. Ita sentiunt cum communi sententia *Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 6. § 7. num. 11. Sotus lib. septimo de iustitia, quæstione 4. art. 3. columna* 9. Quod si reuera nō adesset iusta causa, dū inferior in lege superioris dispensat, si tamē su-pe- 3

rior prudenter, & bona fide procedens existi- A moet, verã causam adesse, etiam si postea deprehendatur nullitas causæ, valida tamẽ est dispẽsatio semel facta, ita docuit *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 17. & nos etiam docuimus in tractatu 2. de voto.* Probatur primo, quia hoc est conueniens ad suauem gubernationem reipublicæ, & ad scrupulos examinis timoratis depellendos, nam alias vix homines cum his dispensationibus tranquilla ac pacata conscientia vnquam operarentur, continuo dubitantes, an causa suæ dispensationis sufficiens fuerit, ac per consequens an dispensatio sibi concessa valida fuerit. Secundo probatur, quia hanc facultatem videtur habere inferiores in legibus superiorum in ordine ad bonum commune morali, & humano modo, sed morali, & humanus modus operandi consistit in eo, quod res prudenter, ac bona fide perpendatur, ergo dũ modo hæc obseruentur, sine dubio dispensatio erit valida, licet postea concessa dispensatione deprehendatur, veram in eius concessione non adfuisse causam.

3 Secunda conclusio. Dispẽsatio Papæ in lege Ecclesiastica valida est, etiã si nulla causa nitatur. Ita docent cũ communi sententia *Conarr. in c. alma mater 1. p. §. 1. n. 7. de sententia excommunicationis Suarez tom. 4. vbi de indulgentijs disp. 59 sect. 2. n. 11.* Probatur, quia eo modo Pontifex dispensat in bonis suis, & in his quorũ verus est Dominus, ergo valide dispensat, etiam si nulla causa nitatur, quemadmodum sine dubio valet donatio, cum quis sine vlla ratione alteri prodige donat bona sua, vnde consequenter valet dispẽsatio Episcopi in lege propria. Regulariter tamen nequit Episcopus, cum sua constitutio transit in contractum, vt cum cõcederet Episcopus Salmantinus aliquod priuilegium almam Ecclesiam Salmantinam ingredientibus, non posset illud reuocare respectu eorum, qui iam sunt ingresi, nisi causa graui se ad id offerente, neque etiam potest Episcopus in suis legibus dispẽsare, cum sunt à Pontifice confirmatæ, quia tunc ratione illius confirmationis inducunt authoritatem Pontificiam eodem modo, ac si essent editæ à summo Pontifice, ita *Sylurs. verbo beneficium 3. q. 9. n. 13. Sayrus in Thesauro casuum 1. tomo lib. 6. c. 11. n. 11.* Attamen valet dispensatio Episcopi sine causa in suis constitutionibus Synodalibus, vel in his, quæ à suis prædecessoribus editæ sunt, quia solus ipse in Synodo habet suffragium decisiuũ, & alij Clerici solum consultiuum, vnde ipse solus est legislator, Archiepiscopus vero non potest in constitutionibus prouincialis Concilij sine causa dispensare, quia Concilium Prouinciale, in quo omnes Episcopi sunt iudices, est superius in potestate Archiepiscopo, quia potest eum, si opus fuerit, punire.

4 Circa secundum punctum quæstionis, an dispensatio alicuius in sua lege sine causa sit peccaminosa, late videatur *Sanchez lib. 8. disp. 18.* Interim tamen sit tertia conclusio (licet multi relati ab isto auctore sentiant oppositum) Summus Pontifex nequit in lege Pontificia statuente aliquod impedimentum matrimonij sine causa dispensare absque peccato. Ita communiter docent Theologi cum *Diuo Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 4. Caiet. in sum. verbo, dispensatio in principio.* Probatur, quia contrarius naturæ sit, cum pars sine causa discordat à toto, & ex eo multa damna sequuntur. Vnde peccat petens talem dispensationem sine causa, imò & ea vtẽs, quia in hoc violat tale ius naturæ. Vn- B de in materia graui, quidquid dicat *Sanchez lo cocitato*, ex natura sua est peccatum mortale in petitione, vsu & concessione talis dispensationis. De concedente hoc defendit *Vazquez 1. tomo 1. 2. disp. 178. num. 16.* cum cõmuni sententia, & de vtente, & petente cum scit, non adesse causam. Idem docet *Petrus de Ledesma in summa de matrimonio. cap. 27.* vbi notat, eum, qui cum sinceritate, & bona fide causas proponit superiori, si ille dispensat, posse ea vti & sic communiter fit, & citat *Sotum, & alios.*

5 Quæres tamen, quæ sint causæ legitimæ ad dispensandum in impedimentis dirimentibus matrimonium? Cui vt respondeatur, suppono primo, Cardinales congregationis Concilij C Tridentini habere facultatem à Papa declarandi, quæ sint causæ dispensationis matrimonialis, & quo sensu sint accipiendæ. Ita declarãrunt *Cardinal. vt refert Marcilla, in declarationibus dictis Concilio. Sessio. 24. cap. 5.*

6 Secundo suppono, quod licet in *Tridentino Sessio. 24. de matrimonio, cap. 5.* statuatur, ne in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. At cum tale decretum solum decernat id, quod melius est, & non adstringat Pontificem, quotidiana experientia demonstrat, solere Pontificem cum personis inferioris notæ ob priuatum earum bonum, quod indirectè ad bonum commune attinet, dispensare in dicto gradu. Cuius prima causa esse solet, quod inter eos consan- D guineos sit matrimonium initum cum ignorãtia rigoris prohibitionis Tridentini, secunda quod proles sit suscepta, tertia diuturnitas matrimonij iam diu cõtracti, quarta scandalũ ex separatione oriturũ, quinta quod puella pauper sit, & patruus velit eam ducere, ac honeste dotare. Ita docent *Enriq. lib. 12. de matrimonio, cap. 3. num. 9. Vega 2. tom. summæ, cap. 34. casu 167.* imo facilius cum diuitibus, & potentibus sine acceptione personarũ dispensatur, quia vt bene docet *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad secundum*, maxime bono communi interest pax inter eos, & concordia, maiorem causam requirit dispensatio in cognatione spirituali, quam in

in carnali, quia oritur à potiori principio.

7 Præterea respondetur, aliquas causas communiter assignari ad dispensandum in gradibus consanguinitatis sufficientes, prima est extinctio magnæ litis. Hanc causam esse sufficientem ad dispensandum in secundo gradu docet *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 3. num. 9.* Et hoc inquit, cum principibus, vel nobilibus, quo etiam nomine intelliguntur opulenti, vt docet *praxis pœnit.* & colligitur, *ex Molina lib. 1. de primogenijs. ca. 2. num. 24.* & inquit. Cũ principe, & magnate communiter habet locũ causa pacis, & boni communis, & allegat *Nauar. c. 14. de consanguinitate, Consilio 6. lib. 4.* Et dicit, esse praxim in pœnitentiaria. Quia ad bonum commune attinet extinctio litium, cui annexum est, quod pax inter consanguineos sine illo matrimonio non conseruanda sit; & quod aliàs inter eos scãdala sequentur, vt quoties inimicitiæ, vel iurgia timentur, vel fornicationis periculum inter cõtrahentes ratione iuuentutis, vel cum mulier iacturam famæ passa est ex copula cum cõsanguineo habitã, vel ex frequenti, & suspecta cum eo conuersatione, & quod illa non possit competenter nubere, & maneat in periculo incontinentiæ. Cui etiam simile est, esse iustam causam dispensandi, quando dispensatio est medium necessarium ad obuiandum alicui graui delicto.

8 Secunda causa est, quando ob loci angustiam, vel nimis propagatam cognationem puellæ in loco, quem inhabitat, non reperitur matrimonium æquale, nisi inter consanguineos, quia valde conuenit bono communi, matrimonia inter æquales iniri. Ita docent *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 56. artic. vltimo ad finem, Enriquez lib. 12. de matrimonio capit. 3. num. 9.* Imo est causa sufficiens, vt ait *Enriquez cum alijs loco citato, & vt Cardinales declararunt 18. Nouembris, anno* 1570. Etiam si in locis circunuicinis reperiantur viri æquales, ne mulier extra suos solitariam vitam ducat. Ad quod etiam sufficiet, si maior pars loci insignis sint ei consanguinei intra quartum gradum, ita vt difficile sit puellam matrimonio collocare cum viro æqualis sortis, vt docent *Petrus de Ledesma loco citato*, & alij. Præterea, vt matrimonium sit inter æquales, non est attendenda sola æqualitas in genere, & diuitijs, sed etiam in moribus, & ne vir sit valde dispar in ætate, nec filios ex alio matrimonio habeat, vel sit asperi ingenij, aut fœmina hos defectus patiatur respectu viri.

9 Tandem inquit *Enriquez loco citato.* Quod minor causa iustificat dispensationem, quando matrimonium in facie Ecclesiæ contractum præsumitur validum, si ex separatione timetur scandalum, præsertim, si habent prolem bona fide alterius susceptam, multum enim est indulgendum proli, & matrimonio præsumpto. Tandem ad finem causarum, quæ allegari solent ad petendam dispensationem, est reducenda Pontifici in memoriam solita eius benignitas.

Tertia causa ad dispensandum ea est, cum fœmina non habet dotem competentem, vt nubat extraneo æquali, propter quod, vel non nubet, quod periculum parit incontinentiæ, vel non nubet æquali, quod discordias generat. Quod vtrunque bono communi contrariatur. Ita docent *Gutierrez lib. 2. quæstionum Canonicarum, capit. 15. nu. 107. Gallego de cognat. spirit. capit. 22. num. 8.* Vnde secundum *Gutier. Consil. 18. num. 11.* 10

Iusta est causa dispensandi in tertio gradu consanguinitatis, cum aliqui consanguinei constituti sunt hæredes sub ea conditione, non adquirendi hæreditatem, nisi inter se matrimonio copulentur; imo est causa ad dispensandum in consanguinitatis impedimento sufficiens, cum patrimonium fœminæ magna ex parte est litibus implicatum, & non reperitur aliquis extraneus cum ea volens matrimonium contrahere, qui ita lites penetrare queat, ac ille consanguineus, qui se offert in sponsum, propter quam rationem nouimus his annis dispensasse Pontificem.

Pauper autem dicitur filia, quando non habet ius ad aliqua bona, quæ efficiant dotem cõpetentem, etiam si habeat parentes diuites, vt in his Regnis Nauarræ nostræ, vel Aragoniæ, in quibus, licet parentes sint diuites, tamen secundum Ius commune cuilibet possunt libere bona sua dare, vel post mortem relinquere, quibusdã quinque florenis, vel alijs rebus parui momenti relictis filijs, vel cum legitima debita filiæ non est sufficiens ad dotem competentem constituendam, nisi à Patre ex bonis liberis suis augeatur, licet enim hæc filia à parentibus vehementer diligatur, & ideo spem habeat magnam dotem consequendi, adhuc tamen pauper iure optimo reputatur, dum non habet ius iustitiæ ad bona sufficientia sibi. Ita sentit optime *Nauar. lib. 1. Consiliorum in 2. edit. tit. de rescriptis, Consilio* 19. Præterea fœmina vere inops appellanda est, ita vt ratione inopiæ facilius ei possit cõcedi dispensatio, quãdo non quidem gratia obtinendæ dispensationis, quia huiusmodi factum potius ei nocere deberet, sed propter alios fines bonis renuntiauit (propter quam doctrinam huius §. etiam in ordine ad ingressum alicuius collegij vere sunt pauperes, ac ratione paupertatis capaces, vt eius insignijs condecorentur illi candidati, qui vel in Regnis Nauarræ, vel Aragoniæ parentes habent diuites, vel in Regnis Castellæ ita paruam habent legitimam vt, 11

nisi à parentibus sua libera voluntate augeatur ex tertio, & quinto suorum bonorum, eorum legitima non excedat eam, quam collegia permittunt (constitutiones enim collegiorum nō sunt in hac parte nimis restringendæ, ne docti, & nobiles tanto, ac tam necessario toti reipublicę Christianæ bono sine causa priuentur), & etiam vere pauperes sunt candidati cum sine dolo, & fraude bonis suis renūtiarunt ob alios fines, non vero ob finem ingrediendi collegium, si enim ob finem ingrediendi collegium bonis renuncient, non sunt collegiorum capaces, tum quia iste modus renunciandi subiectus est multis fraudibus, quibus sancti fundatores, & inter alios insignis Dominus ac Dominus meus Didacus de Añaya, & Maldonado nostræ Bartholomææ domus toto terrarū orbe sanctitate, literis, & nobilitate celeberrimæ Erectoris, vias præcludere voluerunt, tum etiam quia prædicti Principes nobilibus pauperibus, qui pauperes sunt necessarij, & non habēt aliàs vnde viuere possint, & altiora Reipublicæ præmia petere, voluerunt subuenire; nō vero pauperibus voluntarijs, qui alijs vijs viuere, & præmia consequi valent.

12 Nullo tamen modo meretur dispensationē (quidquid contradicat *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 19.*) Fœmina illa, quæ repudiat hæreditatem ad se delatam, antequam eam acceptet ad hunc tantum finē obtinendi dispensationem à Pontifice, quia his fraudibus aperiretur via ad sæpius cōtrahendum matrimonium cū consanguineis, quod vitare contendit Ecclesia. Vnde cum ista paupertate dispensatio à Pontifice obtenta inualida esset, & subreptitia, nisi modus paupertatis explicaretur Pontifici. Quod si illa hæres sit instituta apud Indos, & commoretur in Hispania, prorsusque ignoret hæreditatem, si ipsa in se pauper sit, obtineatque dispensationem in gradu consanguinitatis ratione præsentis paupertatis, valorem sortitur sine dubio dispensatio (nisi antē matrimonium celebratum certior fiat hæreditatis suę, quia in isto casu cessat ratio motiua Pōtificis in concedenda dispensatione) hæc enim videtur esse mens Pōtificis in huiusmodi euētibus, ne matrimonia grauissimis periculis exponantur. Etiam est valida dispensatio, si fœmina, quæ dote sufficienti caret, vt nubat extraneo, ad obtinendam dispensationē à Pontifice, vt nubat consanguineo, alleget, se innuptā remansuram ob defectum dotis, si non nubat consanguineo, quamuis hæc aliàs innupta remansura esset propter multitudinem filiorum, propter deformitatem, vel alias causas: quia Pontifex eo tendit, ne ista maneat innupta, & illa, quo plures defectus habet, eo maiore dote indiget, & difficilius nubet cum periculo incontinentiæ, quare tunc dispensatio vtilis est ad hoc, vt possit contrahi matrimonium, & valida.

13 Has tres causas supradictas iudicauit congregatio Cardinalium, esse legitimas ad dispensandum in tertio vel quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis. Ita refert *Pater Marcilla in Concilio Tridentino nouiter edito cum declarat., Cardinal. lib. 3. titulo de consanguinitate, & affinitate c. 3.* Imo vt ego vidi in alia declaratione Cardinaliū, causa inimicitiarū sufficit ad dispensandum, quamuis inimicitiæ non sint inter ipsos consanguineos, vel affines, sed inter sponsum, & ipsos consanguineos, vel affines. Et refert ibidem Marcilla aliam declarationem Cardinalium, secundum quam, si qui contrahant in gradibus prohibitis, de quibus dubitatur, an sint in quarto, vel quinto, arbitrio ordinarij hoc relinquitur, vt credat illis testibus, qui ei magis probare videantur, Cardinales sic declararunt, qui contraxerunt sponsalia ante Concilij confirmationem, cum essent in gradu prohibito, & postea volunt contrahere matrimonium, non possunt sine causa dispensari, sed causa est, si conuersatio cum sponsa, vel publicatio sponsalium præcessere, vel quid simile præter causas in iure positas.

14 Quarta causa est ad dispensandum inter cōsanguineos, vt possint celebrare matrimoniū, conseruatio multarum diuitiarum in eadem cognatione, quia bono communi valde conueniens est, familias locupletes cōseruari, ita sentit cum alijs *Manuel Rodriguez 1. tomo summæ in 2. editione c. 237. n. 2. conclusione 1.*

15 Quinta causa ad eandem dispensationem licite conferendam est conseruatio illostris cuiusdam familiæ in eodem sanguine, hoc enim ad publicum bonum pertinet, quia hac ratione melius conseruantur inter personas eiusdē sanguinis, & amicitia, & bona, meliusq; cōseruātur status, & magis prospicitur bono subditorū. Hāc causam assignat *Enriq. lib. 12. de matrim. c. 3. n. 9.* Vnde anno 1575. dispensauit *Gregorius 13.* cū *Comitissa S. Gadea.* Vt patruo suo nuberet, cui sua soror nupserat. Sexta causa est excellentia meritorū eius, qui dispensationē petit, vel eius cui petitur, vt cū aliquis strenue in aliquo officio ad bonū commune pertinēte se gessit, hæc enim remunerari valde conuenit bono communi, vt alij ad hæc officia excitentur, & prouocentur recte peragenda.

16 Vltima causa sufficiens ad dispensandum vel cum alijs, vel de se sola recte consideratis rei circunstantijs, (vt optime considerauit *Sanchez loco citato*) consistit in magna quantitate pecuniæ, quæ solet dari necessaria ad sumptus publicos Pontificis, quando gradus in quo dispensatur aliquantulum est remotus, pecunia enim eo modo considerata ad bonum commune attinet, quemadmodum eadem ratione censetur iusta causa ad concedendas indulgen

tias bullę Cruciatę eleemosyna illa pecuniaria A in fauorem belli contra infideles concessa à Christianis, tandem multæ causæ possunt coniungi ad dispensandum, quarum nulla seorsum sufficiens sit, omnes tamen efficiant sufficientem causam, vt in alijs rebus quotidiana nos experientia docet.

17 Tādem, quæ sit iusta causa dispensandi, prudentis arbitrio relinquendum est, ita sentit *Rebellus lib. 3. de impedimentis matrimonij q. 5. sectione 4. 2. part. de obligationibus iustitiæ.* Congregatio Cardinalium iudicauit, in matrimonio contracto inter hæreticum, & Catholicum, quando esset aliquo gradu affinitatis, vel cognationis bona fide contractum, non esse dispen B sandum.

QVÆSTIO. VII.

Quæ sint iustæ causæ dispensandi in impedimentis solum impedientibus matrimonium?

1 NOTANDVM est cum *D. Thom. 2. 2. q. 88 ar. 12. ad 2. & Caietano ibidem col. 2. dubio 2.* Ad dispensandum in voto eam causam requiri, quæ eius executionē impediat, aut difficilē reddat aliquo modo, alias non habebit conditionem quandam necessariā dispensatio, scilicet quod cedat in honorem C Dei, & Ecclesiæ, quod verum est loquendo tātum de causis priuatis bonum peculiare vouētis respicientibus, nam si causæ respiciant bonum commune, ea conditione a non requirūt.

2 Secundo supponendum est cum *Suarez 2. tomo de religione fol. 1227.* Harum causarum sufficientiam colligendam esse ex prudentis arbitrio, recte perpensis omnibus circunstantijs.

3 His ita suppositis sit prima cōclusio. Prima causa dispensandi in voto impediente matrimoniū ea est, cum prudentis arbitrio dubitatur, an res promissa reddita sit mala, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua, (satis enim est ad dispensandum quod ex dispensatione maior fructus vouentis spiritualis expectetur) D cum enim certū est, materiam promissam redditam fuisse malam, vel inutilem, vel maioris boni impeditiuam, tunc votum nulla ratione obligat, quia votum semper ordinatur ad maiorem fructum animarum, quare dicitur esse de meliori bono, Conclusionem hanc docent *D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. Azor lib. 11. institutionum moralium c. 19. quæst. 17.* Probatur primo, quia in isto casu dura res nimisque ardua videtur, aliquem ita ancipitem, ac dubium existentem ad obseruationem voti obligare, tum etiam quia hoc valde conueniens videtur benignitati Dei, neminem in eo casu ad obseruandum votum obligare.

A Secunda conclusio. Secunda causa sufficiēs ad dispensandum in votis est, cum materia ita facta est difficilis ad obseruandum post votum emissum, vt dubium sit, an homo ille vouēs ex vi prioris volūtatis se voluerit ad eum nouum casum à principio obligare. Ita docent *D. Th. loco citato, & Sotus lib. 7 de iust. q. 4. art. 3.* Probatur, quia in his euentibus est magnum periculum frāgendi votum propter magnam rei difficultatem, ergo necessarium est dispensationē concedere. Secundo probatur quia tunc nō certo constat de obligatione voti, æquū ergo est Ecclesiam cum solita sua benignitate in eo casu dispensare. 4

B Tertia conclusio. Tertia causa ad dispensandum in votis legitima ea est, cum tēpore emissi voti adfuit imperfectus quidam, & indiscretus modus vouendi: ita sentiunt *Nauar. in summa, cap. 12. num. 26. Azor lib. 11. institutionum moralium cap. 15. quæst. 5.* Et alij. Cuius prima ratio est, quia conueniens est, huius facilitati animi misereri. Secunda ratio est, quia ex tali voto infelices exitus timeri possunt. Vt cum vouens ex timore leui alicuius periculi, vel ex aliqua subita passione mouetur ad vouendum, vel si vouet ille, qui paruam habet discretionem ad res discernendas, etiam si sit adultus, ita sentiunt *Canonistæ in cap. 2. de voto.* Vnde votum in puerili ætate emissum facile dispēsatur. Imo addimus ad id, quod proxime di- 5
C ximus de voto emisso ex timore, in eo casu, quo timor sit ab homine incussus, vt cū frater volens in hæreditatem succedere, coegit aliqua ratione aliquem ad vouendam religionem (etiam si timor non sit cadens in virum constantem, quia hoc modo votum emissum ex iure canonico non obligat *ex cap. perlatum de his quæ vi,*) Etiam si votum factum sit cum sufficienti deliberatione, posse in eo concedi dispēsationem, ne iniustitia extorquentis votum accepta coram Deo videatur, cui odio sunt impius, & impietas. Imo error causæ impulsiuæ, vel eius cessatio causam præbet dispensandi, quia defectu a talis causæ minuit voluntatem exequendi tale votum.

D Quarta conclusio. Quarta causa ad dispensandum consistit in eo, quod materia voti contineat periculum peccandi, non solum generaliter, & de se, sed etiam respectu huius hominis, licet hoc ex malitia vouentis proueniat. Ita docuit expresse *Suarez lib. 6. de voto, c. 17. Nauar. in sum. ca. 12. & Sotus lib. 7. de iustitia, quæst. 4. art. 3. columna* 8. Probatur conclusio dupliciter. Primo quia votū introductū est propter bonum spirituale animarū. Ergo auferendū est, cū continet periculum dāni spiritualis. Secūdo probatur, quia propter hāc causam dispēsari potest in voto nūquā peccādi mortaliter, quia hæc materia nimis periculosa est, quia in maximis, & quotidianis periculis, 6

versamur labendi in peccata mortalia, & votum alicuius coniugati non petendi debitum, etiam solet dispensari, quia, cum noo posșit quoad torum separari, moraliter constitutus est in periculo peccandi, imo, & eadem ratione dispensatur in voto castitatis, & religionis in ordine ad contrahendum matrimoniũ, cum vonens eius conditionis est, vt longa experiẽtia cognoscat, se non continere à venereis.

7 Quinta conclusio. Quinta causa ad dispensandum in voto impediente matrimonium, vt in voto, verbi gratia castitatis, sita est in ea difficultate. Quæ post emissum votum se offert in adimplendo voto: vt cum adnenit morbus aliquis continuus, cui facile per actus coniugales, & difficile per aliam viam remedium adhiberi potest, cum quo posset Pontifex partim dispensatione, & partim commutatione voti vti. Ita docet *Sanchez lib. 8. disp. 20. nu. 26.* Nimis enim ardnom videtur, huiusmodi vouẽtem ad castitatem obseruandam cogere.

8 Sexta conclusio. Sexta causa ad dispensandum sufficiens est, quando talem dispeosationem exigit bonum commune, vt cum ad reipublicæ pacem, & trãquillitatem adquirendã necessarium esset, aliquem voto castitatis adstrictum matrimonium contrahere, ita sentiũt *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 12. col. 2. vers. ad euidentiam causa. Nauar. in sum. cap. 12. n. 77.* Probatur conclusio primo *ex c. ex multa, & ex c. non est. & c. magnæ de voto.* Secundo probatur, quia bonum commnne præferendum est bono priuato.

9 Aliud est impedimentum impediens tantum matrimonium, qnod dicitur Ecclesiæ vetitum, in quo ille quidem potest dispensare, qui illud imposuit, & pro qualitate prohibitionis, & causæ monentis ad prohibendum matrimooium, iudicandum est, quæ sit causa sufficiens ad dispensandum in ea prohibitione, in impedimento verò proueniente ex sponsalibus, ex quibus causis posset fieri dispẽsatio, docuimus, quæst. 2. in fine, in alijs vero impedimentis impedientibus, quando sunt in vsu, quæ causæ possint sufficere ad dispensandum, ex quæstione præcedenti potest colligi, minoresque causæ sufficient ad dispensandũ in his impedimentis, quam in impedimentis dirimentibus matrimonium, qnia, cum in se sint imperfectiora impedimenta, ac mioora, minorem causam requirunt ad dispensandum.

10 His suppositis quæres primo an dispensatio in votis, vel in aliquo alio impedimẽto posset fieri inuito eo, cum quo dispensatur. Huic difficultati respoodetur. Communiter, & regulariter non posse fieri dispensationem contra voluntatẽ eius, in cuins fauorem dispensatur, quia, cum dispensatio ordinetur in leuamen eius, non debet in eius grauamen retorqueri, *iuxta regulas iuris, 61. & 69. in 6. ita notauit Suarez 2. 3. de religione, folio. 1144* Credo tamen, in eo casu, quo dispensatio maxime esset necessaria, vel ad bonum commune, vel ad bonum spirituale eius, cum quo dispensatur, posse concedi dispensationem eo inuito, nõ solum valide, quod certum est, quia dispensatio tantum dependet, cum sit actus iurisdictionis, ex voluntate dispensantis, & ex causa sufficienti, sed etiã licite, cũ superior cõtra voluntatẽ inferioris posset ab eo auferre impedimenta salutis.

Quæres secundo an possit aliquando dari causa sufficiens ad dispensandum absolute in voto simplici impedieote matrimonium sine vlla prorsus commutatione, & an aliquando vtendum sit commutatione. Quibus dubijs respondemus primo, aliquas dari causas ad dispensandum absolute sine vlla commutarione. Prima sit, cum vouens tot vota emisit, vt expediat, aliqua eorum omuino auferri nullo addito speciali onere. Secunda causa sit, cum vouens pauper est, qui nullo modo potest sustinere commutationem in realem aliquam obligationem, & aliàs sit ita occupatus, vt non expediat, noua opera personalia illi imponere sub obligatione voti. Tertia causa esse potest, quando timetur periculum lapsus spiritualis ex quacunque obligatione voti relicta in quacunqne materia. Secundo respondemus, posse esse causam sufficientem ad commutandum, & non ad dispensandum, & tunc non licet dispensare. Vt optime perpendit *Nauar. in summa capit. 12. num. 63.* Imo in eo casu dispensatio nulla est propter defectum causæ, quando dispensatio talis naturæ est, vt eius valor causam prærequirat. Tertio respondemus, ita vrgentem necessitatem posse contingere dispensandi, vel propter bonum commune, vel propter cauendum spirituale detrimentum subditi, vt teneatur prælatus ex officio ad dispensationem concedendam absque alio onere imposito ei, cuins libertatem respicit dispensatio. Quarto respondemns, sæpius posse occurrere causas sufficienres ad dispensandum, ita vt superior non cogatur dispensare absolute, & omnimodè, sed possit vti aliqua commutatione eius materiæ, quæ prius per votum promissa est in aliam nouam materiam. Quæ commntatio eam vim habet, vt obligatio obseruandi priorem materiam in aliam transferatur de nouo virtualiter promissam supposito consensu eius, qui votum suum contendit commutari, (propter quod iudico commutationem voti non posse fieri contra voluntatem vouentis, quia si continet virtualiter nonam promissionem, requirit nouum consensum eius): Quinto, & vltimo respondemus regulariter, & communiter loquendo, optimum esse consilium obseruandum ab eis, qui facultatem habent dispensandi, vt non dispensent simpliciter, & omnioo, sed cum dispensatione in voto coniungant

commu-

cõmutationem. Quod consilium ex vsu Ecclesiæ satis aperte constat, secundum quem videmus, summum Pontificem cum dispensat in votis semper addere commutatione ad maiorem rei securitatem.

QVÆSTIO. VIII.

Vtrum sacra congregationis Cardinales aliquid circa dispensationes in impedimentis dirimentibus matrimonium disposuerint?

1 CONCILIVM *Tridentinum sessione 24. capit. quinto de reformatione matrimonij* his ad nostrum propositum loquitur verbis, *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur pœnis, non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit.* Quæ verba sacra congregatio Cardinalium, vt refert *Marcilla supra allegata verba Concilij Trident. lib. 3. de consanguinitate, & affinit. titulo 17. cap. 3.* ita intelligit, vt tantum comprehendant illud impedimentum, quod prouenit ex consanguinitate, & affinitate, non autem illud, quod prouenit ex impedimento iustitiæ publicæ honestatis.

2 Vnde patet, noluisse Concilium claudere ostium dispensationibus, quæ in alijs impedimentis dirimentibus matrimonium possint fieri, etiamsi cum illis scienter matrimonium contrahatur, & consummetur. Cuius discriminis quantum ad hoc constituti inter impedimentum consanguinitatis, & affinitatis ex vna parte, & inter alia impedimenta ex alia, ea potest assignari, quia ex facilitate concedendi dispensationem in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis plura orientur peccata, (cum consanguinei, & affines magnam soleant contrahere amicitiam, & sæpius soleant in eadem domo commorari) quam in alijs impedimentis, quorum personæ non sunt ita inter se familiaritate coniunctæ.

3 Alia congregatio Cardinalium relata ibidem ab eodem Doctore iudicauit, indigere noua dispensatione eos, qui obtinuerunt literas dispensatorias in impedimentis à Pontifice, & eis non præsentatis, vel quia nuntium habuerunt, dispensationem fuisse obtentam, vel supplicationem datam contraxerunt, & se carnaliter cognouerunt.

4 Idem author refert ibidem, declarationem Cardinalium sub hoc verborum tenore. Non debent concedi dispensationes matrimoniales sub prætextu ignorantiæ decretorum Concilij, si hæc ignorantia fuerit post Kalendas Maij anni 1564. in supplicationibus autem non exprimantur Kalendæ Maij, sed tantum colligatur ex narratione facti.

5 *Rebell. t. de obligat. post tractatum de sponsalibus.* refert quandam declarationem Papæ asserentem, dispensationem non esse subreptitiam, etiam si allegetur coram Pontifice ad petendam dispensationem in gradibus consanguinitatis alicuius oppidi angustia, propter quam ibi non inuenitur vir paris conditionis cum fœmina, quamuis illa angustia loci non ita se habeat, dummodo verum sit, id, quod in tali allegatione substantiale est scilicet, fœminam non inuenire virum paris conditionis in suo oppido, nisi quendam consanguineum, cum quo possit matrimonium celebrare, illa enim loci angustia in prædicto casu tantum est accidentalis, vnde non potest vitiare dispensationem Pontificiam.

6 Idem *Rebellus ibidem*, Refert, declarasse Cardinales eos, qui contraxerunt sponsalia ante Concilij confirmationem; cum essent antea in gradu prohibito constituti, & postea volunt contrahere matrimonium, non posse sine causa dispensationem obtinere: causa vero idonea videtur, si conuersatio cum sponsa, aut publicatio sponsalium præcesserunt, aut quid simile præter alias causas à iure receptas. Quam declarationem etiam refert *Marcilla titulo 17. de consanguin. & affinit. capit. 4.* Quæ quidem declaratio Cardinalium, difficile compatitur aliam, cuius meminimus, *Tract. 5. de matrimonio quæst. 73.* In qua dicitur, affinitatem ex causa fornicationis prouenientem vltra primum, & secundum gradum non habere vim, etiam in illis matrimonijs, quæ ante Concilium fuerunt contracta per bullam Pij Quinti id declarantem. Ex hoc enim sequitur, non esse necessariam dispensationem in prædictis sponsalibus. Sed tamen ibi respondimus in ea quæstione, primam declarationem insinuare id, quod de iure requiritur. Secundam verò significare id, quod de facto sufficit post dispensationem factam à Pio Quinto.

(∴)

QVAESTIO IX.

An tacere veritatem, dum petitur dispensatio, reddat dispensationem nullam, vel allegare falsitatem?

1 PRimò nota, dispensationem esse obreptitiam, vel subreptitiam, vel nullam, idem omninò esse. Ita sentiunt *Decius cap. super literis, in noua editione, notabili. 1. num. 4. de rescriptis, Menochius de arbitrarijs. centuria 3. casu 201. num. 10.*

2 Secundò nota, causas, propter quas quis mouetur ad dispensandum, esse in duplici differentia, aliæ enim sunt finales, & sunt illæ, sine quibus princeps non dispensaret in re aliqua, aliæ impulsiuæ, & hæ sunt, sine quibus princeps dispensaret, sed non tam facile. Ita sentit cum alijs *Abbas cap. postulasti, num. 1. notabili. 4. de rescriptis.*

3 Qua in re sunt variæ sententiæ. Prima defendit, tacere quamcunque causam, siue finalem, siue impulsiuam, esse causam reddendi dispensationem nullam. Probatur primò ex *cap. postulasti de rescriptis* (quod iuxta multorum sententiam, intelligitur de omnibus gratijs) vbi refertur, quendam à Pontifice obtinuisse beneficium tacēdo vicariam perpetuam victui sufficientem, quam possidebat, & consultus Pontifex respondit, gratiam fuisse subreptitiam, cum tamen causa silentio prætermissa non videretur esse finalis, sed impulsiua. Et confirmatur ex *cap. non potest. in princ. & cap. si motu proprio. de præbendis in 6. & cap. si proponente de rescriptis,* vbi hæc doctrina expresse continetur. Ita sentiunt *Mascardus de probationibus, consilio 846. num. 5. Gutier. quæst. canon. lib. 1. cap. 15. nu. 12.* & eidem sententiæ adhæret *Rebellus 2. part. de obligationibus iust. lib. 3. de impedimentis matrimonij, quæst. 5. sect. 4. num. 25.*

4 Secunda sententia asserit, tantum silere causam finalem, efficere dispensationem nullam. Ita docent *Innocent. cap. super literis ad finem: de transact. Sylvest. verbo, rescriptum, quæst. 6. & alij.* Probatur primò ex *cap. dudum. vers. nos igitur. de præbendis in 6.* vbi ponderat Pontifex, validam esse concessionem beneficij, quamuis causa impulsiua taceatur, vt patet ex illis verbis, considerantes quoque, quod nos exposito nobis de potestate prædicta, nihilominus literas gratiosas daremus. Probatur secundò conclusio, quia in eo casu, quo causa finalis latet Pontificem, ille substantiam rei ignorat, ergo non consentit dispensationi, quia nihil magis contrarium est consensui, quam error, ergo dispensatio inde resultans omninò nulla censenda est. A Vltimò confirmatur, quia in alijs actibus, & dispositionibus defectus causæ impulsiuæ, & eius ignorantia minime constituit actum inualidum, ergo talia ignorantia non annullat dispensationem.

Tertia sententia affirmat, neque ignorantiā causæ finalis, neque impulsiuæ viciare dispensationem, nisi quando ius præcipit, eas causas exprimi, dum postulatur dispensatio. Ita defendunt *Glossa clementina 1. de præbend. Nauar. in summa cap. 22. num 86. & Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 2. num. 6.* Probatur, quia voluntas Principis talis præsumitur, qualis est intentio iuris, *l. ex facto. ff. de vulgari,* ergo vbi iuris intentio non requirit ad valorem dispensationis expressionem alicuius veritatis, nec voluntas B Principis eam requirit. Secundò probatur, quia gratiam esse nullam, pœna quædam est, at vbi ius non imponit pœnam, ea non est imponenda, vt notatur in regula in pœnis *de regulis iuris in sexto.*

His suppositis sit prima conclusio. Tacere quamlibet causam, siue finalem, siue impulsiuam, siue quamlibet aliam qualitatem, dum postulatur dispensatio, quam causam, vel qualitatem iura exprimi iubent, efficit dispensationem nullam, Ita sentiunt *Couar. lib. 1. variarum cap. 20. num. 5. vers. verum vt his, Mascardus de probationibus, consil. 846. num. 2. Gutier. quæst. canonic. lib. 2. cap. 15. num. 38. Sanchez 3. tom. de matrimonio lib. 8. disp. 21. num. 23.* Probatur ex *c. si motu proprio, de præbendis in sexto,* vbi dicitur C reddi impetrationem beneficij secundi nullā ex eo, quod minime fiat mentio primi beneficij, quamuis modici, at tacere modicum beneficium primum non retardaret voluntatem Pontificis à concessione secundi beneficij, quia parū in moralibus pro nihilo reputatur: tota ergo ratio, propter quam debet fieri mentio illius primi beneficij, est, quia secundum ius primum beneficium debet exprimi. Secundò probatur, quia forma assignata à iure in aliqua re etiam minima necessario est obseruanda ad vnguem, iuxta *legem 1. ff. de liberis, & posth. & iuxta Baldum eandem legem interpretantem,* ergo siue causa, quam præcipit ius exprimi in postulatione dispensationis, sit finalis, D siue impulsiua, si tamen silentio tegatur, reddet dispensationem prorsus nullam. Imò etiā nulla redditur dispensatio, cum quis silentio præterit aliquam qualitatem, quæ exprimenda fuisset in rescripto iuxta stylum Curiæ Romanæ; vel iuxta consuetudinem Principis, quia hæc duo ius constituunt.

Secunda conclusio. Quando neque iura, neque stylus Curiæ Romanæ, neque consuetudo Principis petunt specialiter, aliquam causam, aut qualitatem exprimi, dum postulatur à Pōtifice dispensatio, tunc tantum est nulla dispēsatio, quando tacetur aliqua causa finalia, qua de

detecta Sũmus Pontifex, vel non dispensaret, vel saltem minime dispensaret, nisi cum quibusdam conditionibus. Hæc conclusio probatur iisdem rationibus, quibus probata relinquitur secunda sententia.

9 Ea vero causa, qua cognita Summus Pontifex non concederet aliquem fauorem, duplex esse potest; alia extrinseca, alia intrinseca: extrinseca est illa, quæ non pertinet ad substantiam dispensationis, sed ad aliquid, quod accidentale est dispensationi, intrinseca vero causa illa dicitur, quæ vel pertinet ad substantiam dispensationis, vel ad meliorem vsum potestatis dispensandi, vel ad finem dispensationis. Secunda conclusio procedit de causa intrinseca, quæ qualis sit, & quomodo cognoscenda sit, ex prudentis arbitrio iudicandum est, quãdo neque ex iure, neque ex stylo Curiæ Romanæ, neque ex consuetudine legitima perspici potest, vt optime aduertit *Nauar. capit. si quando except. 3. num. 3. de rescriptis.* Exemplis constat vtriusque causæ conditio. Vt verbi gratia, concedit Pontifex beneficium alicui vitijs irretito, non tamen habenti vitium reddẽs illum inhabilem ad beneficium, tunc valida est concessio, quia nitirur vera causa intrinseca finali, literaturæ, verbi gratia, quã expresse cognouit Pontifex, etiamsi nõ cognoscat causam extrinsecam finalem aliorum vitiorum. Et etiam valida est dispensatio concessa alicui in suo secundo voto, etiamsi Pontifex nesciat, cum eo dispensatum fuisse in alio priori. Quod si conditio, quæ occultatur Pontifici in dispẽsatione concessa in aliquo voto habet connexionem rationabilem cum materia voti, vel alterius dispensationis, tunc, si illa occultatio, quamuis non sit valde intrinseca rei, de qua agitur, talis tamen est, quod veritate comperta nolit prælatus dispensare, tunc dispensatio nulla est, intentio autem dispensantis colligitur in hac parte ex consuetudine, quam ille solet obseruare in suis dispensationibus, vt si nõ soleat, cum tali circunstantia dispensare, licet possit sine ea dispensare. Quæ interpretatio intentionis dispensantis iusta est, & conformis iuti. Si autem conditio irrationabilis est, & impertinens, etiamsi re cognita superior non dispensaret, valet tamen dispensatio, quia non videtur, concessam esse à Deo suæ Ecclesiæ potestatem dispensandi dependentem ex his inutilibus conditionibus. Ita notauit hanc doctrinam de his conditionibus *Suarez 2. tom. de religione in fine.*

10 Et in dubio, an causa occultata Põtifici fuerit finalis, vel impulsiua, censetur impulsiua, quia iura fauent valori actus, & in dubio, an valeat dispensatio, vel non valeat, iudicandum est, eam validam esse, vt constat ex *cap. Abbate de verborum significatione,* atque ita notauit *Sãchez cum alijs Doctoribus loco citato, num. 20. &*

25. Imò prædicta secunda conclusio tunc locum habet, cum prætermittitur causa finalis, quæ de præsenti, vel de præterito consideratur, non vero illa, quæ in futurum se posset offerre. Est autem nulla dispensatio, cum tacetur causa, qua cognita dispensatio non concederetur, nisi cum quibusdam conditionibus. Ita sentit *Suarez 2. tomo de religione, lib. 6. de cõmutatione voti, cap. 27. num.* 10. *& Couar. lib. 5. variarum, cap. 20. num.* 5. atque ita deducitur *ex cap. postulasti, de rescriptis.* Et ratio huius est, quia actus dispensationis est vnus, & indiuisibilis, & ideò cum sit nullus quo admodum, quo fit, quia in causa falsa fundatur, est simpliciter nullus, vt si aliqua causa taceatur in postulatione dispensationis, sine quà, licet concederetur dispensatio in voto, non tamen sine commutatione, in eo enim casu dispensatio prorsus ruit.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum primæ sententiæ dicimus, caput. postulasti, allegatum intelligendum esse, quando præcessit defectus causæ finalis in petitione beneficij, vt notauit *Decius super illud caput, in noua editione notabili 4. num.* 15. Ad secundum respondetur eas causas in illis textibus expressas ex eo exprimendas esse necessario in rescriptis, quia prędicti textus illud pręcipiunt. Ad argumenta secundæ sententiæ, nõ est necessarium, respondere, quia fauent secũdæ nostræ conclusioni. Argumentis tertiæ sententiæ opus est, satisfacere. Ad primũ dicimus, satis exprimi in capit. postulasti. declarandam esse causam finalem. Secundo argumento facilis se offert solutio eam nullitatem non esse in pœnam constitutam, sed potius sequi ex natura rei, vel ex dispensatione iuris postulantia aliquam expressionem, vt necessariam conditionem ad concedendam dispensationem, Ex eo autem constat, nullitatem dispensationis non esse pœnam, quia sine vlla culpa potest illa contingere, vt cum quis ex ignotãtia inuincibili prætermitteret aliquid, quod secundum ius esset exprimendum in petitione dispensationis. 11

Tertia conclusio. Solum reddit nullam dispensationem expresio causæ falsæ, quando illa finalis est, non vero quando est impulsiua. Probatur rationibus secundæ conclusionis, vnde illud verbum dispensationum, si preces veritate nitantur, intelligitur in rebus substantialibus, & causa finali. Ita sentiunt *Enriquez, lib. 12. de matrimonio cap. 3. num. 7. Syluest. verbo, rescriptum, quæst. 6. & 7.* Valet tamen dispẽsatio in secundo gradu petita, cum esset in tertio petenda, & licet erretur in nomine eius, cui petitur dispensatio. Ita *Sanchez cum alijs lib. 8. disp. 21. num. 35. & 37.* Quod si dicatur, petentem dispensationem esse Diœcesis Salmãtinæ, & non sit, nisi Pampilonensis, & ob id 12

committat Pontifex dispensationem Vicario Salmantino, tunc neque Salmantinus potest dispensare, quia non habuit animum in hoc ca su Pontifex aliquid ei committendi, neque Pampilonensis, quia ei neque est petita, neq; concessa commissio, quod patet ex doctrina *Innocent. cap. super literis, num. 3. de rescriptis, & Abbatis, num. 3. in fine*, ibidem, neque etiam valet dispensatio, cum petitur sub dubio, an sit aliquod impedimentum, cum revera sit, sicut non valet remissio debiti certi, si petatur sub nomine debiti incerti, & ratio est, quia est error in substantia eius rei, supra quam cadere debebat dispensatio. Vnde *Pius Quintus* præcepit procuratoribus dispensationum matrimonialium, & alijs sub pœna falsi, vt veritatẽ exprimant.

13 Quod si plures causæ exprimantur in petitione dispensationis, & aliquæ illatum falsæ sint, attendenda est ea causa finalis, & principalis, in qua nititur concessa dispensatio, & ea existente vera, sine dubio tota valet dispensatio. At vero, cum ea non subsistit, totam dispẽsationem ruere necessum est, quod totum patet ex secunda conclusione. Vt verbi gratia, petitur à Pontifice dispensatio in secũdo gradu consanguinitatis: ex vna parte allegatur copula inter consanguineos habita, ex alia scandalum, & infamia secuta, si prima causa est falsa, in qua non nititur Pontifex, & secunda est vera, in qua revera nititur dispensatio, valet vtique. Ita tenent loquentes de priuilegijs *Nauar. lib. 1. consiliorum in 2. editione, tomo de rescriptis, cõsil. 7. num. vnico, Sa in summa verbo, gratia, num. 24. & alij.*

14 Quarta conclusio. Si Pontifex motu proprio, & non in gratiam partis concedit dispẽsationem, tunc & si taceatur causa finalis, valet dispensatio. At vero ea non valet, cum exponitur causa finalis falsa, qua nisus Pontifex dispensat. Ita docet multos allegans *Sanchez lib. 8. disp. 21. num. 52.* & ratio est, quia in primo casu ignoratur, an Pontifex bene, vel male informatus dispensarit, & ideò non potest dici concessa contra eius mentem, at in secundo casu conceditur contra eius mentem.

15 Quæret tamen aliquis primo, an existente defectu in petitione in aliqua parte dispensationis, tacendo veritatem, vel narrando falsitatem in causa finali, tota dispensatio reddatur nulla. Ad hoc respondetur primo, quod si causa sit indiuisibilis, & tantum habens vnicũ punctum, tunc existente defectu in causa finali tota dispensatio est nulla, & similiter contingit, cum dispensatio habuit duas partes, vel plures, & defectus in causa finali omnium cõtingat, quod totum ex secunda conclusione patet. Quod si dispensatio habuit duas partes, & quælibet pars habuit suam causam finalem distinctam, & prædictus defectus solum con-

A tingit in vna parte, tunc distinguendum est, si enim defectus fuit commissus cum ignorantia etiam culpabili, quæ non sit ingens temeritas, non valet dispensatio in ea parte, at valet in alia. Quando vero defectus ille prouenit ex fraude, vel malitia in causa finali, tunc tota dispensatio quoad duas partes est nulla, quod intelligitur, quando duæ partes habent inter se connexionem, & tendunt ad eundem finem, vt cum dispensatio esset in affinitate, & consanguinitate, quia hæc omnia ad matrimonium tendunt, & quando malitia, vel fraus fuit impetrantis, & non solicitatoris. Probatur totũ hoc *ex cap. super literis, de rescriptis*. ita intellecto à *Thoma Sanchez 3 tom. lib. 8. disp. 21. à num. 61. vsque ad 67.* quod factum esse in pœnam delicti patet ex illis verbis eius textus, in suæ peruersitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequantur. In hoc autem casu in dubio potius præsumitur ignorantia, quam dolus, vt docet *Glossa in dicto textu*, quando autem dicimus, per defectum illum, seu subreptionem in vna parte dispensationis, alteram partem, quæ non habuit eum defectum, esse nullam, intelligitur in foro externo, & post iudicis sententiam, non in interno, quia est pœna, vt habetur in dicto textu, verbis allegatis, est enim priuatio iuris, quod quoad partem non subreptitiam adquisitum est, & ita est pœna, & quæ non debet ante iudicis sententiam incurri secũdum generalem modum pœnarum, cum hic nihil speciale dicatur.

C Quæret aliquis secundo, an cum duplex dispensatio obtinetur circa eandem rem, posterior censeatur subreptitia, nisi prioris mentio fiat? Ad quod respondetur primo, quod si dispensationes in matrimonio fiant circa res diuersas, & nullam habeant repugnantiam, vt circa votum castitatis, & circa aliquem consanguinitatis gradum, tunc ad valorem secundæ non est necesse facere mentionem primæ, siue prima absolutè, siue cum aliqua limitatione concessa sit. Quod intelligitur, quando illa impedimenta non fuerunt simul in eodem subiecto, sed successiue Probatur, quia tũc dispensatio prior eodem modo se habet ad secundam ac si non esset concessa, neque de Principis intentione circa secundam potest ambigi ex eo, quod primam concesserit, ergo vtraque valet. 16

D Ita sentiunt *Nauar. lib. 5. consiliorum in prima editione titulo de priuileg. consil. 12. num. 2. in 2. titulo de consanguinitate, consil. 8. in fine, Petrus de Ledesma in summa sacrament. vbi de matrimonio, cap. 27. post 7. conclusionẽ difficult. 3.* Secundò respondetur in eo casu, quo illæ duæ dispẽsationes sint circa eandem rem, & sint inter se diuersæ, verbi gratia, quia prima fuit cum limitatione, & secunda minime, id est, quia secũda extendit primam, vt si prima sit ad vnum matrimonium, & alia ad plura: tunc ad valorẽ secun-

secundæ necessum est, primæ mentionem fa
cere. Ita tenetur defendere *Nauar. & Ledesma*
& ita intelligitur *caput 2. de filijs presbyterorum*
in sexto, vbi posterior dispensatio concessa ille
gitimo ad duo beneficia cēsetur nulla eo, quod
non sit mentio in ea primæ, in qua solum est
dispensatum ad vnum beneficium, & ita intel
ligitur aliud caput simile, quod est penulti-
mum de præscript. & ita hos textus interpre-
tatur cum alijs *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 22.*
Et ratio est, quia non censetur Pontifex sine
noua causa velle sententiam mutare, quia leui-
tatem argueret. Quod etiam militat in dispen-
sationibus ab inferioribus concessis, iuxta *Glos*
sam c. 2. de filijs presbyterorum in sexto, nisi con-
cedens optime præsumatur cognouisse limita-
tionem prioris dispensationis, quia ea solet ap
poni secundum stylum suæ Curiæ. Vnde si
quis impetret dispensationem voti castitatis à
Papa cum his conditionibus, scilicet ad vni-
cum matrimonium, & facta commutatione in
menstruas confessiones, & alia pietatis opera,
valet dispensatio, secunda absolutè obtenta, &
sine mentione prioris. Ita enim solet de stylo
Curiæ Romanæ apponi sic *Felinus cap. penult.*
de rescriptis, num. 2. imo si quis cum noua causa
superueniente, vel de nouo præposita impe-
trat secundam dispensationem sine limitatio-
ne, obtenta priore cum limitatione, cuius non
fit mentio, tunc valet secunda si præsumitur iu
ste concedentem dispensationem adhuc secun
dam concessurum, licet prioris certior redde-
retur. Quare si puella prius nupsit vni consan
guineo, concessa ei propter paupertatem dis-
pensatione, eo mortuo valet secunda dispensa
tio, cum alio consanguineo, quamuis prioris
non sit facta mentio, si perseuerat eadem pau-
pertas, & idem est, cum non vult, priori con-
sanguineo nubere, sed impetrat secundam dis-
pensationem ad nubendum, secunda sine men
tione prioris, nec volendo extendere primam
dispensationem, quia tunc solum est dispensa
tio ad nubendum vni, & hæc puella videtur
posse eligere, quem maluerit, si non sit aliqua
specialis ratio, ob quam potius Pontifex dis-
pensaret cum illa, vt vni nubat, quam alteri,
quamuis contradicat *Sanchez loco citato, num.*
19. imò secundum plures Doctores, licet po-
sterior dispensatio valere non possit, quia non
est facta mentio primæ, prima tamen valet.

17 Tertio respondetur, in eo casu, quo circa
idem peccatum, vt circa idem crimen occisio-
nis vxoris, & adulterij cum animo ducendi a-
dulteram, sit semel dispensatum, vt eam du-
cat, si iterum dispensatus ille incidat in aliud
simile crimen, & petat secundam dispensatio-
nem, hanc secundam non valere, nisi fiat men-
tio prioris. Patet, quia non censetur Pontifex
bis velle remittere idem genus peccati, iuxta
l. 3. C. de Episcopali audientia, ibi, remissionem ve

A niæ crimina nisi semel commissa non habeant,
si autem esset aliud genus criminis, vt fides da
ta cum adulterio, tunc semel impetrata dispen
satione ad vnum matrimonium propter pri-
mum crimen, si adhuc impetraretur secunda
dispensatio propter secundum, primæ non es-
set mentio necessaria, quia peccata sunt diuer-
sa, & vnius remissio non obest remissioni alte-
rius. Ita *Couar. lib. 1. variarum, cap. 20. num. 3.*
Gutierr. quæstionum canonicar. lib. 2. cap. 25. num.
89. Quarto respondetur *contra Sanchez lib. 8.*
disp. 22. num. 22. existente priori dispensatio-
ne nulla, non esse necessarium, eius mentionē
facere in secunda, siue prior sit concessa cum
limitatione, & secunda minime, siue vtraque
sit concessa absolutè. Ita sentiunt, dum de res-
B criptis loquuntur *Molina lib. 4. de primogenijs,*
cap. 3. num. 32. & Pater Molina tom. 3. de iustitia
disp. 656. num. 2. Probatur hoc responsum, quia
efficere mentionē eius dispensationis nullius,
non est necessarium ex dispositione alicuius
iuris, vt constat; præterea non est necessarium
ex natura rei, quia cum prior dispensatio fue-
rit nulla, non est maior ratio habenda illius,
quam si nullo modo fuisset concessa, ergo ta-
cere illam in petitione dispensationis secundę
non potest obesse secundæ dispensationi cō-
cedendæ.

Dispensatio concessa ex iusta causa, etiamsi 18
concedatur propter metum cadentem in virū
constantem, valida est. Patet, quia de iure na-
turæ voluntas coacta voluntas est, & alias de
C iure positiuo non annullatur voluntas coacta
concedentis dispensationem, quia de tali iure
non constat nobis, ergo illa dispensatio ex nul
lo cap. erit inualida, & licet *in cap. vnico de his,*
quæ vi, in sexto, annulletur absolutio à censura
quando metu extorquetur, hæc lex tanquam
odiosa non est extendenda ad alium casum, vt
probe considerauit *Suarez 2. tomo de religione,*
cap. fin. Et voluntas dispensandi sufficientibus
signis externis explicanda est, nulla tamen est
præscripta forma verborum, aut signorū, qui-
bus explicetur, vt notauit *Syluest. verbo, votum*
4 quæst. 8.

Quæres tertio, quo tempore debeat verifi- 19
cari causa finalis? Cui difficultati respondemus
primo, non sufficere, neque requiri ad valorē
D dispensationis, causam finalem verificari tem-
pore petitionis dispensationis, sed requiri eā
verificari eo tempore, quo Pontifex, vel alius
superior dispensationem cōcedit, vel commit-
tit alteri eam concedendam, tùm quia illa clau
sula, si preces veritate nitantur, hunc sensum
reddit, scilicet; si preces mihi propositæ veræ
sunt in præsenti tempore. Et probatur *ex cap.*
quia circa. de consanguinitate, vbi dicitur, falsam
fuisse allegatam causam ad dispensandum, sci-
licet prolem habitam, & redditur ratio, quia
filia iam erat mortua. Ita sentiunt *Corduba in*
summa

summa, quæst. 45. opinione 2. puncto 1. Vega primo tomo summa cap. 88. casu 4. Secundò respondemus, quod si aliquæ causæ dispensationis maneant, valida est dispensatio, licet illæ non essent sufficientes à principio ad concedendam eam, si illæ tantum fuissent propositæ Pontifici, modo tamen illæ coniunctæ cum his, quæ à principio propositæ sunt, sufficientem constituerint causam ad impetrandam dispensationem. Ita docuit *Sanchez libro octauo de matrimonio, disp. 30. numero octauo.* Cuius ratio est, quia alias magnum ostium aperiretur scrupulis, continuo enim homines essent soliciti, an maneat sufficiens causa, & an possint vti dispensatione sibi concessa. In dubio autem, an dispensationis causa cessauerit, vel non censetur minime cessasse, ac per consequens dispensatio iudicatur valida in eo dubio, postquam fuit semel legitime concessa, quia possessio fauet ei. Tertiò respondemus, quod si dispẽsatio sit deducta ad vltimum effectum, & is commode diuidi non possit, vt si quis, cum quo dispensatum est in voto castitatis, matrimonium celebrauit, qui quidem nequit discedere ab vxore sine scandalo, neque cohabitare cum illa sine periculo incontinentiæ, petendi debitum, tunc licet causa finalis cesset, non cessat tamen dispensatio. Et hæc videtur esse mens Pontificis, hocque videtur esse conueniens regimini Ecclesiæ, ne grauia detrimenta ex opposita resolutione sequantur. Quartò respondemus, requiri verificationem causæ finalis, eo tempore contingere, quo ordinarius exequitur dispensationem, quia tunc dispensatio completur, & reuera fit, ergo tunc necesse est, causam finalem præsentem esse. Ita cum alijs *Couarruuias quarto decretalium, secunda parte capite sexto, §. nono, numero vltimo.* Quintò respondetur (licet alij relati à *Sanchez loco citato, numero 19.* sentiant oppositum) cessante omninò causa finali dispensationis, postea quam ordinarius, vel confessarius dispensarunt, prius tamen, quam matrimonium, verbi gratia, sit contractum ex vi talis dispensationis, extingui tunc dispensationem, vt si paupertas allegata ad dispensandum in gradu prohibito consanguinitatis cessauerit tempore, quo contrahitur matrimonium. Ita docent aperte *Glossa cap. cum ex eo de electione in 6. Baldus in rubrica de consuetudine, num. 25. Abbas cap. suggestum num. 5. de decimis, & alij.* Probatur primò ex *cap. generaliter 16. q. 1. & cap. Abbate in fine de verborum significatione,* ex quibus locis constat, reuocari gratiam, & priuilegium cessante causa. Secundò probatur, quia facilius tollitur priuilegium, quod est quoddam ius speciale, & contra ius commune, vt dispensatio, quam ius commune, quod maiorem habet vim *l. eius militis, §. 1. C. ad Sen. Vellejan. & ibi Gloss. verbo, quocunq; mo-*

A do. Sed ius commune, vt certum est, cessat cessante eius causa finali, ergo & ius speciale dispensationis. Tertiò probatur, quia si causa finalis deficeret à principio, dispẽsatio esset nulla, ergo ea cessante postea, cessat etiam dispensatio, quia dependet à causa finali in fieri, & conseruari, & cum ea intentione videtur concessa à concedente dispensatio quęuis. Causa autem finalis, & debet subsistere tẽpore concessionis Papæ, & executionis ordinarij, & tẽpore, quo illa ponitur in executione celebrando matrimonium, licet tempore medio non subsistat, sicut ad hæreditatem testamentariam exigitur, & satis est, capacem esse hæredem tempore facti testamenti, mortis testatoris, & aditionis hæreditatis, neque de medio tempore curatur, B vt est textus expressus *l. si alienum. 40. §. in extraneis. ff. de hæredibus instituendis.* Ita docet *Molina, lib. 3. de primogenijs, cap. 2. num. 18. & 19.* Et ratio est, quia dispẽsatio in his temporibus vel fit, vel ipsa exercet suam operationem, & ita in his debet eius causa subsistere.

QVAESTIO X.

Quæ sint necessario explicanda in petitione dispẽsationum matrimonij, vt illæ valeant, & an gratis sint concedendæ?

C SIT prima conclusio. Cum in eadem persona simul sunt plura impedimenta matrimonij, siue ambo sint dirimentia, siue ambo impedientia, siue vnum impediens, & alterum dirimens, tũc necessum est, omnia impedimenta in eadem dispensatione commemorari, nec sufficit vnum impedimentum in vna dispensatione auferri, & aliud in alia, quando nulla sit mentio in vna dispensatione alterius impedimenti ablati in alia dispensatione. Ita docent multi Doctores. Probatur, quia absurdum omninò videtur asserere, validam esse dispensationẽ in eius fauorem factam, qui habet plura impedimẽta, vt octo, verbi gratia, decepto Pontifice, per hoc, quod petantur ab eo octo dispensationes seorsum, occultando quidem D in eadem persona esse omnia illa impedimenta, & plurium eorum iam antea concessam esse dispensationem. Cuius ratio est, quia Summus Pontifex octo hominibus facile illa octo impedimenta remitteret, eidem vero minime, ergo generaliter loquendo omnia impedimenta, quæ simul inueniuntur, sunt in eadem petitione dispensationis explicanda, siue vnum impedimentum esset tollendum ab Episcopo, & aliud à Papa, siue vnum eorum esset auferendum per irritationem, vt contingit in voto castitatis emisso ante pu-

berta-

A bertatem, cuius irritatio ad partem pertinet, & aliud per dispensationem à legitimo superiore, in quo non placet sententia *Sanchez li. 8. disp. 23.* oppositum defendentis, cum vero sunt duo impedimenta, & vnum impedimentum est occultum, ex cuius reuelatione infamia, & alia grauia damna timentur, aliud vero impedimentum est publicum, satis est impedimentum publicum proponere palam Pontifici, vt dispenset nulla facta mentione impedimenti secreti, dum modo tamen impedimentum secretum simul cum publico proponatur Pontifici in sacra pœnitentiaria, vt vtriusque simul coniuncti notitiam habeat, occultum autem impedimentum facile potest, & sine verecundia in sacra pœnitentiaria explicari, quia B in ea non declarantur nomina partium, sicut in petitione publica dispensationis, quæ fit modo publico, contingit declarari. Ita sentit *Sanchez lib. 8. disp. 21.* vbi refert, sacram pœnitentiariam respondisse, hoc sufficere, & se vidisse responsum, quæ doctrina locum non haberet, cum impedimentum esset occultum, & sine vllo periculo reuelari posset, vt cum votum castitatis secreto emissum esset, quidquid neget *Sanchez loco citato, num. 8.* imò cum quis reuera occidit vxorem, vt duceret concubinã, & de delicto fuit accusatus, & damnatus sola pœna arbitraria, non ordinaria iuris, quia non esset res omninò comprobata, si velit petere huius impedimenti dispensationem, debet referre Pontifici in forma publica id, quod pu- C blice gestum est in foro externo circa illud delictum sibi imputatum, non asserendo, vel negando delictum, eo autem modo conueniens est, rei mentionem facere, vt pro foro externo dispenfetur cum eo, qui suspectus habetur de delicto, at vero in foro pœnitentiariæ debet fateri peccatum ipsum, vt pro foro interno obtineat dispensationem impedimenti criminis.

2 Obstat tamen contra hanc conclusionẽ vnicum argumentum, quia impetratio veniæ diuersorum criminum, vt furti, & homicidij, valida est, etiamsi seorsum impetretur venia pro quolibet crimine. Neque necessarium videtur in vnius veniæ impetratione alterius vllam mentionem efficere, ergo æquali regula men- D surandа est dispensatio impedimentorum. Ad hoc tamen argumentum respondetur, negando consequentiam, & defendendo, magnum intercedere discrimẽ inter hæc duo, quia enim dispensatio concessa in diuersis impedimentis tendit ad idem matrimonium celebrandum, cui diuersa impedimenta obsunt, ideò vt valida sit dispensatio, omnia impedimenta explicanda sunt in eadem dispensatione, quia vel vnum impedimentum eorum ex coniũctione alterius maius redditur, vel ex pluribus simul sumptis resultat quoddã aggregatũ magis impediens matrimonium, quam quodlibet eorũ seorsum impediret. At vero cum impetrantur veniæ diuersorum criminum, illæ veniæ tendunt ad diuersos fines, & ad hoc vt homo liberetur ratione illarum à diuersis pœnis, & idcò impetratio vnius veniæ ab alia non dependet, neque eius fieri mentionem requirit.

Secunda conclusio. Non solum explicandũ est quodlibet impedimentum in postulatione dispensationis, sed etiam gradus illius, vt gradus consanguinitatis, & affinitatis, &c. Patet, quia ita obseruat stylus Curiæ Romanæ, qui vim legis obtinuit. Secundò probatur, quia quo vrgentiores sunt gradus, eo vrgentior causa requiritur ad dispensandum, ergo necessarium est, explicare gradus, alias dispensatio erit subreptitia. 3

Tertia conclusio. Quando gradus cõsanguinitatis, affinitatis, &c. licet sint æquales, sunt tamen plures in eodem genere, vt pote prouenientes ex duplici capite, vt quando consanguinitas quædam prouenit ex latere patris, & quædam ex latere matris, & affinitas dimanauit ex duabus copulis habitis cum consanguineis eius, quæ matrimonio coniungenda est, vel cum cognatio spiritualis duplex prouenit ex duplici baptismo, tunc temporis ad valorẽ dispensationis non sufficit in impetratione eius mentionem facere vnius gradus ex vno latere prouenientis, quin etiam mentio fiat alterius gradus æqualis ex altero latere ortum habentis, alias dispensatio prorsus erit subreptitia propter rationes supra allatas. Quod quidẽ verum est, etiamsi causa allegata ad petendam dispensationem pro illo gradu talis naturæ sit vt propter eam solam credatur, Summum Põtificem in alio simili gradu pariter dispensaturum. Hoc videtur clare definitum à *Pio Quarto in motu proprio, qui continetur in tomo motuũ propriorũ, fol. 500. & à Pio Quinto, in motu proprio ibidem contento, fol. 541.* Vbi dicitur, dispensationes matrimoniales pro coniunctis in diuersis gradibus inualidas esse, nisi remotiores, & propinquiores gradus exprimantur. Si ergo remotior gradus explicandus est, multo potiori iure explicari debet ille, qui est æqualis, quia fortius impedit matrimonium. Ita in proprijs terminis, dum de consanguinitate sermonem instituunt, docent *Rota in nouissimis volumine 3. lib. 1. decisione 117. num. 2. Pater Molina tomo 1. de iustitia tract. 2. disp. 161. colum. penultima, vers. illud tamen.* Et cum sit eadem ratio, idem sentire debent de affinitate, & alijs impedimentis, & absoluté, ac generaliter defendũt hanc conclusionem recentiores (licet non me lateat *Ledesmã in summa de matrimonio, cap. 27.* oppositum sentire in impedimento affinitatis.) Probatur conclusio primò, quia iuxta *Syluest. verbo legitimus, quæst. 3. dicto 1. Couar. 4. decretal. 2. part. cap. 8. §. 9. num. 3. & alios Doctores* 4

storis. Ille qui natus est ex adulterio coniugati cum coniugata, si velit ad ordines promoueri, subreptitiam impetrabit dispensationem, si tantum explicet Pótifici, se esse adulterinum, & non dicat, adulterinum esse ex parte vtriusque parentis, ergo similiter erit subreptitia dispensatio, si non manifestetur consanguinitas prout ex vtroque latere prouenit. Secundò probatur, quia consanguinitas est quædam sanguinis participatio, sed in casu, de quo loquimur, est duplicis sanguinis participatio, ergo duplex consanguinitas. Quare non sufficiet, vnam explicare Pontifici, altera silentio prætermissa: imò etiamsi in dispensatione addatur clausula illa, *non obstante, &c.* non valebit dispensatio in vno gradu, nisi ad alterum cum eo coniunctum expresse extendatur, quia vt optime considerarunt *Baldus in lege 5. num. 22. vers. vnum etiam scias. C. de furtis, & alij Doctores,* clausula illa, *non obstante, &c.* non supplet qualitates necessario exprimendas superiori, sed tantum confirmat ea, quæ expressa sunt in dispensatione; & sufficienter explicata sunt in narratione.

5 Cum autem quis affinitatem contraxit cum ea, quam vult ducere vxorem propter multiplicem copulam cum eius sorore habitam, non est necessarium, plures illas copulas narrare in impetratione dispensationis, quia ex multiplicata copula non multiplicatur affinitas, quia cum sit eiusdem sanguinis, seu seminis commixtio, etiam resultat eadem affinitas. Quemadmodum etiam ex voto castitatis sæpius repetito tantum nascitur vnum, & idem vinculum, imò etiam ex eo, quod excommunicatus sæpius celebret sacrificium missæ, vnica tantùm nascitur irregularitas, vt optime docuit *Enriquez lib. 14. de irregularitate cap. 7. in fine.* quem alij Doctores sequuntur.

6 Cum alicui absolutè cóceditur facultas dispensandi, verbi gratia, in secundo gradu consanguinitatis, vel determinate conceditur facultas ad dispensandum cum aliqua determinata persona in fauorem eius, tunc ista facultas, quia fauorabilis est, vt liquet ex dictis in principio huius tractatus, amplianda est iuxta regulas fauorum. Et in eo casu, quo potestas cóceditur ad secundum gradum, extenderetur ad secundum ex vtroque latere prouenientem, quia ille secundus comprehenditur sub nomine secundi gradus, & etiam extenditur ad tertium gradum seorsum sumptum, quia iste minus vinculum constituit, & in secundo gradu virtualiter satis cótinetur, non tamen ea potestas extenderetur ad tertium gradum etiam eiusdem generis coniunctum cum secundo: quia isti duo gradus simul sumpti maius vinculum constituunt, quam secúdus gradus seorsum, & sub nomine secundi minimè comprehenduntur.

A Ex dictis constat, verum esse in eo casu, quo postulans dispensationem pro secundo gradu consanguinitatis decipiatur, quia erat tertius: validam esse concessam dispensationem in secundo gradu pro illo tertio, quia tertius gradus consanguinitatis optime includitur in secundo, & qui dispensationem concessit ad secúdum, satis aperte eam concedit ad tertium, quando contingit prædicta deceptio. Inualida tamen esset dispensatio, si cócessa esset pro secundo gradu cósanguinitatis in eo casu, quo postulans deceptus esset, petendo dispensationem pro secundo gradu consanguinitatis, cum debeat petere pro tertio affinitatis, quia tertius affinitatis gradus non includitur in secundo consanguinitatis. Etiam est inualida dispésatio, B si quis petat dispensationem pro impedimento publicæ honestatis, & non explicet, an tale impedimentum proueniat ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato; quia ex matrimonio rato fortius vinculum nascitur, quam ex sponsalibus. 7

Et vt optime considerauit cum alijs *Pater Molina 1. tom. de iust. tract. 2. disp. 161.* dispensatio subreptitia erit, dum obtinetur pro gradu consanguinitatis inæquali, quando reperitur aliqua specialis reuerétia inter personas petétes dispensationé, vt inter amitá, & inter filiú ex eius sorore, nisi explicetur modus inæqualitatis, quia inter numeratas personas multo magis absurdum est matrimonium, quam inter patruum, & filiam ex fratre, quia quandam C reuerentiam naturalem debet exhibere filius ex sorore suæ amitæ, cum qua repugnat ratio superioris, & capitis, quam acquirit vir ille ratione matrimonij respectu amitæ. Imò & in affinitate proueniente ex matrimonio consummato, & in publica honestate dimanáte ex matrimonio rato, & in cognatione spirituali ex baptismo orta, necessario explicandú est, vt dispensatio vim obtineat, an impedimétum auferendum sit respectu aliquorum superiorum in linea recta, vt respectu parentis spiritualis, &c. propter reuerentiam, quam in his generibus impedimentorum debent exhiberæ inferiores suis superioribus. 8

Cum aliqui consanguinei distant inter se gradu impari, vt amita, & filius ex sorore, in D postulatione dispensationis non est facienda mentio gradus propinquioris, sed remotioris, vt constat *ex cap. vlt. 9. de consanguinitate, & affinitate,* nisi in eo casu, quo aliquis eorum distet à stipite in primo gradu, quia in hoc gradu non intendit Pontifex dispensare, nisi exprimat. Ita declarauit *Pius Quintus in quodam motu proprio edito anno 1566. die 26. Augusti, qui incipit sanctissimus,* in quo motu dicit esse necessarias literas declaratorias circa quemlibet gradum propinquioré, quæ literæ iuxta quod dam mandatum *Clementis Octaui, prolatum anno* 1599. 9

1599. *die* 13. *Ianuarij*, in casu eo procedentes, quo quidam impetrarunt dispẽsationem, proponentes se tertio consanguinitatis gradu cõiunctos, cum tamen essent in secundo cum tertio hanc formam præscribunt dispensantibus, distantiam vero secundi gradus præfati eis nõ obstare declares in omnibus, ac per omnia, proinde, ac si in dictis literis ipsos secundo, & tertio consanguinitatis gradibus à communi stipite prouenientibus inuicem esse coniunctos expressum fuisset, quæ declaratoriæ literæ non sunt necessariæ, vt matrimonium, vel dispensatio vim habeant, sed vt auferatur scandalum, quod posset oriri ex eo quod non appareat in gradu remotiori fuisse dispensatum, quod non est necessarium quando impedimẽtum est occultum, quæ literæ solum requiruntur pro gradibus consanguinitatis, & affinitatis, vt patet ex motu proprio, in qua affinitate quia absolutè sumitur, includitur affinitas ex copula illicita dimanans, imò addit optime *Petrus de Ledesma de matrimonio*, *quæst.* 54. *art.* 2. *columna* 2. *notabili* 1. cum dicitur in dicto motu proprio, non valere dispensationem gradus remotioris, si taceatur remotior, hoc esse intelligendum, dum modo ille qui distat à communi stipite in gradu remotiori, distet intra quartum gradum, nam si extra illum distet, nulla est necessaria dispensatio, iuxta quam doctrinam intelligendum est priuilegium *Pauli tertij relatum à Veracruz* 1. *part. speculi*, *art.* 44. *pagina* 3. Vbi cõceditur Indis noui orbis, vt possint in tertio, & quarto gradu matrimonio cõiungi, intelligitur enim in eo casu, quo duo velint coniungi matrimonio, qui distant inter se tertio consanguinitatis gradu coniuncto cum primo non esse necessariam dispensationem in tertio gradu, quia tertius gradus apud Indos ex vi eius priuilegij iam deinceps non est prohibitus, quod priuilegium est concessum pro omnibus prouincijs Indorum, & pro recenter conuersis, & pro gradibus affinitatis, & consanguinitatis, vt optime docuit *Veracruz ibidem*.

10 Quarta conclusio. Cum dispensatio conceditur in affinitate ex copula coniugali proueniente, censetur etiam concessa pro publica honestate ex sponsalibus, & matrimonio illo rato, ante quam consummaretur, proueniẽte. Quod si dispensatio concedatur pro affinitate in communi, sine eo quod exprimatur affinitas ex matrimonio proueniens, talis dispensatio non se extendit ad publicam honestatem. Ita sentiunt *Abbas cap. non debet. de consanguinitate*, *num* 12. *Syluest verbo*, *dispensatio*, *quæst.* 5. *num.* 9. *Toletus lib.* 7. *summæ*, *cap.* 11 *num.* 6. *& alij*. Prima pars probatur, quia publica honestas in affinitate copulæ coniugalis necessario includitur, vnde in ea censetur dispensata. Secunda pars probatur, quia cum affinitas sit nomen commune ad affinitatem vtranque, solum videtur præcise includere impedimentum ex sanguinis commixtione proueniens, ergo in ea non includitur publica honestas, imo nec sufficit petere dispensationem affinitatis in communi, & publicæ honestatis in communi, quia per hoc non explicatur, an publica honestas proueniat ex matrimonio, an ex sponsalibus, neque vnde affinitas oriatur, quod necessarium est, quia distinctæ sunt, & vna est fortior alia.

Circa secundam quæstionis partem sit quinta conclusio, continens duas declarationes Cardinalium. Prima sit his verbis, gratis adeò dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam ordinarij, quibus istæ dispensationes remittuntur, suum officium gratis præstẽt, vt nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede, notarius vero examinando testes, & sumẽdo cæteras informationes quartam partem auri, seu ducati accipere possit, pro literis vero absolutionum, & dispensationum in foro conscientiæ tantum, nihil à quoquam accipi possit, vt Romæ fit, quam declarationem refert *Rebellus tomo de obligationibus iustitiæ*, *post titulum de matrimonio*, & alia declaratio Cardinalium ex his, quas *Marcilla adiunxit Concilio Tridentino*, *lib.* 3. *titulo de consanguinitate*, *cap* 3. Sic habet decretum Tridentini, quod ait, dispensationes concedantur gratis, habet locum in compositionibus, non in mercede, quæ pro bullarum expeditione soluitur ex congregationis sententia. 11

QVÆSTIO XI.

Vtrùm dum petitur dispensatio pro his, qui aliquo impedimẽto dirimenti matrimonium, ligati sunt, efficienda sit mentio copulæ inter eos habitæ, vt valeat dispensatio?

HAEC quæstio in triplici statu agitanda est, primo cum copula habetur ex fragilitate humana sine tractatu matrimonij, vel spe obtinendæ dispensationis. Secundò cum ea habetur post tractatum matrimonij, sed absque spe facilioris dispensationis. Tertiò cum copula habetur cum spe facilioris dispensationis. Et quidem prius in primo sensu resoluenda quæstio est, quando copula præcesit inter consanguineos, vel affines, nam cum copula sequitur dispensationem à Summo Pontifice concessam, & ab ordinario expeditam, vel à confessario, nulla necessaria est dispensatio, vt tanquam certum supponit *Gutierrez quæstionum canonicarum*, *lib.* 1. *cap.* 15. *num.*

num. 23. & vt habetur in quadã declaratione Cardinalium relata à Patre Marcilla super Concilium Tridentinum, lib. 3. tit. de consanguinitate, & affinitate, cap. 4. sub his verbis: *Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini censuit, copulam supervenientem post dispẽsationem ab ordinario factam non impedire matrimonij valorem.* Et ratiõ huius est, quia tunc ablatum erat impedimentum cõsanguinitatis, quare ex eo non potuit provenire incestus aliquis impediens matrimonium.

2 In præsentis autem quæstionis primo statu prima sententia defendit, non esse necessariam mentionem prædictæ copulæ ad valorem dispensationis concessæ in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis. Ita sentiunt *Navarrus lib. quarto, consil. in prima editione, titulo de consanguinitate, consil. 1. & 5. in secunda editione eodem titulo consil. 8. 9. 10. & 11. Emanuel Rodriguez primo tomo summa in secunda editione, cap. 238. n. 5. Ruga 2. tom. sum. cap. 34 casu 97.* Probatur primò, quia expressio talis copulæ non est necessaria ex natura rei, quia illa copula potius efficit faciliorem dispensationẽ propter detrimenta, quæ ex negatione dispensationis possent sequi, neque est necessaria iure Ecclesiastico propter incestum, quia incestus his temporibus jam non impedit matrimonium, quod si impediat, potest in eo Episcopus dispensare. Secundò probatur, quia saltim quando incestus est occultus, non est necessaria expressio eius, quia cum dispensatio petatur in foro externo, si in eo foro exprimeretur copula, peccatum occultum fieret manifestum, ex quo facto & sequeretur fœminæ magna infamia, & vtrique complici periculũ incurrendi pœnam impositam contra incestuosos. Ad quæ damna subeunda, obligare aliquem propter incestum occultum intolerabile videtur.

3 Secunda sententia defendit, copula contingente antequam Pontifex dispenset, esse subreptitiam dispensationem, nisi certior fiat Pontifex copulæ præcedentis. Si vero copula sequatur concessionem Pontificis, antecedat vero executionẽ dispensationis factæ ab ordinario, tunc dispensatio valida est, quia copula sequitur dispensationem factam à Summo Põtifice. Ita videtur sentire *Corduba in sum. quæst. 45. opinione 2. puncto 5.*

4 Sit prima conclusio. Dispensatio obtenta à Pontifice postquam præcessit copula inter consanguineos, vel affines, prorsus nulla est, si eius copulæ nulla mentio fiat in petitione dispensationis. Hanc conclusionem tuentur *Gutierrez quæstionum canonicarum, lib. 2. capite 15. num. 133. Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 56. art. vltimo, dubio secundo, difficultate 2. & Sanchez tertio tomo de matrimonio, lib. 8. disp. 25.* Probatur primò, quia vt supra vidimus id, quod stylus Curiæ Romanæ, & consuetudo Pontificis observant in dispẽsationibus, necessario observandum est, alias dispensatio erit subreptitia, sed stylus Curiæ Romanæ requirit mentionem prædictæ copulæ, cum impetratur dispensatio, vt saltem timore manifestandæ copulæ homines arceantur à copula incestuosa. Imò consuetudo Pontificis hoc etiam obtinuit, quia manifestato incestu non solet Pontifex dispensare absolutè in gradibus affinitatis, & consanguinitatis, sed cum quibusdam conditionibus, & limitationibus, vt exigendo majorem quantitatem pecuniæ, imponendo aliquam pœnitentiam, & aliquod gravamen, vt scilicet, superstes eo matrimonio soluto ad aliud matrimonium migrare non possit, necessarium ergo est, efficere mentionem copulæ præcedentis, vt dispensatio robur obtineat. Secundò probatur ex declaratione Cardinalium relata à *Marcilla loco citato,* quæ hoc eleganter explicat his verbis: *Congregatio Cardinalium Concilij censuit, dispensationem censeri subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, vel spirituali cognatione coniunctos carnalis copula præcessisset, cuius mentionem in supplicatione non fecissent.* Ex qua declaratione Cardinalium aperte etiam liquet, necessariam esse expressionem copulæ, cum postulatur dispensatio in cognatione spirituali, alias adquisitam dispensationem valore destitui. In quo convenimus cum *Gallego de cognat. spirit. cap. 24. num. 3. & dissentimus, à Sanch. loco citato num. 9.*

Quod si iudex, cui committitur executio dispensationis, ad verificandam narrativam interrogat eos, qui consanguinitatis impedimento laborant, an habuerint copulam, si in foro externo interroget, & copula sit occulta, non tenentur eam fateri, quinimo ea occulta valida est dispensatio, dum tamen occulte eo modo, quo statim videbimus, obtineant aliam dispensationem secretam facta mentione secreta eius copulæ. In foro autem interno tenentur, copulam fateri, quia in eo nullum sequitur inconveniens eorum, quæ possent sequi in foro externo. 5

Iste iudex executurus dispensationem, vt valide dispenset, debet examinare veritatem narrationis factæ Pontifici, & eam sufficienter cognoscere, neque sufficit talem veritatem subsistere, quia huiusmodi diligentia petitur tanquam conditio necessaria, quæ diversa est ab ea, quæ tacite inest, tacite enim, & iure solum inest hæc clausula dispensationi, si preces veritate nitantur. Ita docuit *Sanchez tertio tomo. lib. octavo, disp. 34. numero 26.* licet contrarium sentiat *Enriquez lib. duodecimo de matrimonio, capit. tertio in fine.* Probatur nostra resolutio ex clausula, quæ solet affigi dispensationibus, quæ sub hoc verborum tenore continetur, si ita esse per diligen- 6

tem

tem oratoris examinationem, ut post monita, & cōsilia opportuna illi præstita inueneris, & licet in eadem clausulo sub eodē tenore dicatur, post consilia, & monita, hæc nō requiruntur pro forma ad valorem dispensationis. Pro quorum intelligentia duo notanda sunt. Primum sit, prædictam resolutionem Thomæ Sanchez veram esse, cum Pontifex dicit, si per diligentem examinationem inueneris, ita esse, aut preces veritate niti, dispensa. Nam si tantum dicatur in dispensatione, si ita est, aut si preces veritate nitantur, dispensa, hæc clausula non inducit aliquam conditionem, neque obligationem verificandi preces ad valorem dispensationis, quia est clausula iure communi intellecta. Secundò notandum est, illa verba post monita, & consilia non inducere formam, aut conditionem aliquam substantialem, sed instructionem quandam constitutam sub consilio, licet alijs verbis adiuncta sint, quæ id videantur indicare, quia prædicta verba non continent in se quid substantiale, sed consilium datum confessario, aut alteri iudici circa reum.

7 Secunda conclusio. Quando copula habita fuit post impetratam dispensationem à Pontifice, sed antequam ordinarius eam expediat, & mandet executioni, dispensatio valida fuit circa impedimentum illud, super quod petita est, ordinarius tamen, vt Episcopus, debet dispensare circa incestum per copulam commissum. Ita tenent Auctores, qui sequuntur primam sententiam, licet contra dicat *Sanchez loco citato, numero octano* (licet revera vt ex se patet, nullum valorem sortiatur dispensatio, nisi eam expediat ordinarius, aut alius, cui committitur, quia Papa non dispensat in eo casu, sed committit suas vices alteri:) Probatur primò, quia tunc nullum vitium contigit in petitione dispensationis, neque aliquod occultum est, quod esset necessario aperiendum, ergo dispensatio valida fuit. Quod autem dispensatio Pontificis valeat, & sit necessaria alia noua ordinarij, patet ex duobus declarationibus Cardinalium, quæ hac ratione videntur conciliandæ. Prima sic habetur: *Sit etiam indigent noua dispensatione, qui obtinuerant literas, & eis non præsentatis, vel quia nunciunt habuerunt, dispensationem fuisse obtentam, vel supplicationem datam, contraxerunt, vel se carnaliter cognouerunt.* Secunda declaratio sic habetur relata à *Patre Marcilla loco citato: Si post impetratas literas dispensationis ante illarum præsentationem, & decretum ordinarij se cognouerunt nullis factis, aut adhibitis solemnitatibus, committitur ordinario, quod si dictæ literæ dispensationis sibi præsentabuntur, & causa in eis expressa probabitur legitima coram se, ac quod oratores post impetratas literas se cognouerint, dispensetur cum eis, iniuncta tamen ipsis salutari pœnitentia propter incestum arbitrio suo.* Et alia declaratio ibidem sic habetur: *Idem etiam visum est, quod literæ non essent expeditæ, sed supplicatio signata, & ex toto expedita.* Quæ dispensatio ordinarij requiritur, licet ille incestus non impediat matrimonium cum ea, cum qua contigit incestus, vt ea ratione timore obtinendæ dispensationis arceantur homines à tali incestu.

Ex his deducitur, quod si dispensatio petatur super aliquod aliud impedimentum etiam dirimens, quod nec sit cognatio carnalis, nec spiritualis, nec affinitas, etiamsi taceatur copula, validam esse dispensationem. Tùm quia vt patet ex declaratione Cardinalium relata in prima conclusione, solum in his tribus casibus censetur dispensatio subreptitia, non facta mentione copulæ, tùm quia in his solis proprie loquendo reperitur incestus, qui non reperitur etiam in copula habita inter cognatos legales, quia eorum coniunctio non ita stricta est, ac inter eos, qui cognatione carnali, vel spirituali, vel affinitate coniuncti sunt. Et hac ratione videtur intelligenda quædam declaratio Cardinalium generaliter loquens de impedimentis, quam ego sub his verbis inueni, qui se cognouerunt carnaliter, sine tractatu matrimonij volentes contrahere, & petentes secum dispensari de aliquo impedimento, & tacentes se carnaliter cognouisse, si obtinent ex aliqua causa comprobata dispensationes, possunt dici obreptitiæ, aut subreptitiæ, & sic nullam obtinuisse dispensationem ex eo solo, quia non narrauerunt cognitionem carnalem. 8

Tertiò deducitur, quod licet raptus non sit impedimentum dirimens matrimoniū in perpetuum, sed tantum dum rapta remanet sub potestate raptoris, vt patet ex *Concilio Tridentino, Sessione 24. cap. 6. de reformatione matrimonij*, tamen si ante petitionem dispensationis alicuius impedimenti præcessit aliquis raptus fœminæ, cum qua impedimentum erat contractum, & talis raptus non fit mentio in petitione, dispensatio in illo impedimento obtenta nulla est, etiamsi fœmina constituta sit eo tempore, quo petitur dispensatio, in sua libertate, quod patet ex stylo Curiæ Romanæ, secundum quem ad tollendam omnem difficultatem subijci solet in dispensationibus clausula hæc, dum modo mulier rapta non fuerit. Quod ex eo obseruari videtur, vt sceleri raptus Reipublicæ Christianæ maxime contrario via obstruatur: imò etiamsi prædicta clausula aliquando non apponatur, semper tamen subintelligitur iuxta doctrinam *Abbatis capite quod translationem, numero 3. de officio legati, & Syluestri verbo, rescriptum, quæstione 3.* Quia clausulæ, quæ solent apponi secundum 9

stylum Curiæ Romanæ, sufficienter intelliguntur, etiamsi non exprimantur, donec contraria consuetudine omninò vices amittant, qui tamen raptus non videtur obstare iuxta dicta in secunda conclusione, quando contingit post impetratam à Pontifice dispensationem, etiamsi Episcopus nondum eam dispensationem executioni mandauerit.

10 Quartò deducitur in eo casu, quo dispensatio alicuius impedimenti occulti, vt affinitatis ex copula fornicaria occulta prouenientis, impetretur à Pontifice, & ea committatur alicui confessario, & in ea non fiat mentio copulæ habitæ inter eos, qui volunt contrahere, quam habuerunt quidem post impetratam dispensationem, sed ante expeditionem factam à confessario, talem dispensationem non esse subreptitiam propter ea, quæ adduximus in secunda conclusione huius quæstionis, super incestum tamen nequit confessarius dispensare, quia hoc non potest præstare neque ratione suæ iurisdictionis ordinariæ, neque ratione alicuius commissionis à Pontifice dimanantis, sed in tali incestû debet Episcopus dispensare in his locis, vbi vim habet impediendi matrimonium.

11 Ex his patet solutio argumentis in contrarium? Ad primum respondemus, expressionem copulæ necessariam esse, dum impetratur dispensatio in prædictis impedimentis, tum ratione styli Curiæ Romanæ, tùm ratione consuetudinis à Pontifice obseruatæ. Ad secundum dicimus, cum impedimentum aliquod ex dictis publicum est, & copula occulta est, petendam esse dispensationem impedimenti in foro externo sine mentione copulæ, at vero in foro conscientiæ sacræ pœnitentiatiæ petendam esse aliam dispensationem eius impedimenti, & narrandam esse habitam copulam.

12 His suppositis circa primum statum quæstionis, circa secundum statum, an copula habita inter consanguineos, verbi gratia, post initum matrimonium, etiamsi contigerit sine spe facilius impetrandæ dispensationis, narranda sit in petitione dispensationis ad valorem eiusdem dispensationis, examinãdum est *Decretum Tridentini Sess. 24. de reformatione matrimonij, cap. 5.* cuius verba in isto tractatu retulimus, quæst. 8.

13 Sit prima conclusio in hoc puncto. Ratione huius Decreti Tridentini subreptitia est dispensatio obtenta intra gradus prohibitos, si in ea non fiat mentio matrimonij scienter celebrati intra gradus prohibitos, aut ignoranter celebrati, omissis denunciationibus ab Ecclesia statutis, & cum etiam minime fit mentio consummationis talis matrimonij, quia Pontifex in his casibus non habet animum dispensandi, vt prædicto Decreto Con-

A cilij Tridentini conformetur: imò si sub spe facilioris dispensationis tale matrimonium celebretur, debet huiusmodi spei mentio fieri in petitione dispensationis, vt docent *Couarruuias quarto Decretalium, secunda parte, cap. 6. §. 10. Gutierrez quæstionum canonicarum, lib. 2. cap. 15. num. penultimo.* Eccum sub spe facilius impetrandi dispensationem tale matrimonium consummatur, etiam huius spei mentio facienda est Pontifici, ne dispensatio subreptitia iudicetur. Quod tunc locum habet, cum illa spes concepta est ab vtroque petente dispensationem, non vero quando concepta est ab altero eorum tantum, ne ea ratione ille, qui innocens est, puniatur dispensationem ei concessam nullam iudicando. Ita sentiunt *Gutierrez loco citato, Toletus lib. 7. suæ summæ, cap. 18.*

B *num. vltimo.* Probatur, quia *Tridentinum loco citato*, contendit punire prauam, & deordinatam spem facilius impetrandi dispensationem illicitis medijs, quæ spes in prædictis matrimonijs ex ipsa facti specie sufficienter colligitur, ergo dum Summus Pontifex dispensat in gradu aliquo prohibito, non intendit dispensare in illis euentibus, vt finem Concilij Tridentini ad vnguem obseruet. Vt bene tamen *Petrus de Ledesma perpendit de matrimonio, quæstione 56, art. vltimo*, non reddebatur dispensatio nulla ante Concilium Tridentinum, etiamsi prædictum matrimonium præcessisset inter eos, qui intra gradus prohibitos contraxerunt, & etiamsi tale matrimonium, & talis

C spes non essent Pontifici patefacta.

Sit secunda conclusio. (Licet *Sanchez tertio tomo lib. 8. de matrimonio disp. 25. num. 24.* cum alijs sentiat oppositum) prædictum Decretum Tridentini tantum intelligitur de his, qui cum impedimento ditimenti consanguinitatis, vel affinitatis laborarent, & non alio, matrimonium ausi sunt contrahere. Ita docet *Enriquez libro duodecimo de matrimonio, cap. tertio numero octauo, in commento, litera P.* Ratio vero, qua ille confirmat istam sententiam, infirma est, videlicet, solam consanguinitatem, & affinitatem constare gradibus, si enim oculos conuertamus ad impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato proueniens, & ad cognationem legalem, & ex adoptione dimanantem, facile in his gradus diuersos reperiemus. Probatur ergo à nobis ista conclusio, primo ex quadam declaratione Cardinalium relata à *Marcilla libro tertio Tridentini titulo de consanguinitate, capite tertio*, in qua Cardinales declarantes illud verbum *Concilij Tridentini Sessione 24. de reformatione matrimonij, cap. quinto*, spe dispensationis careat, sic inquiunt, quando scilicet impedimentum prouenit ex consanguinitate, & affinitate, non autem ex impedimento iustitiæ publicæ honestatis, ad quod probatio 14

D

hæc

hæc non se extendit. Secundò probatur, quia personis ligatis impedimentis consanguinitatis, & affinitatis frequentius accidunt prædicta matrimonia, ergo conueniens fuit, ea strictius prohibere, leges enim malis frequen-
15 tioribus sua solent adhibere remedia.

Cum vero dubitatur, an illi, qui contraxerunt in gradibus prohibitis, sint coniuncti in quarto, vel quinto gradu consanguinitatis, arbitrio ordinarij relinquitur, vt credat illis testibus, & probationibus, quæ ei plus probare videantur. Atque idem affirmandum est, dum circa sponsalia talis quæstio suboritur, an publica honestas ex illis proueniens sit in primo, vel secundo gradu. Ita declararunt Cardinales sacræ congregationis, vt refert *Rebel.*
16 *tom. de obligat. post tractatum de sponsalib.*

Tertia conclusio. Quando denunciationes in Ecclesia præcesserunt, excusantur à pœna in prædicto decreto Tridentini contenta illi, qui ex ignorantia quantumuis crassa, & culpabili alicuius gradus consanguinitatis, vel affinitatis contrahunt matrimonium (dummodo ignorantia ad eum statum non peruenerit, vt constituat magnam temeritatem) & minime tenetur postulans dispensationem eius gradus in eo casu ad hoc, vt dispensatio valida sit, narrare Pontifici matrimonium ignoranter contractum, imo neque consummatum. Ita docuit *Sanchez loco citato, numero 26.* Quod probatur ex his verbis contentis in prædicto decreto, scienter præsumpserit, ausus fuerit, quæ verba temeritatem quandam sine dubio præseferunt, ergo vbi ignorantia intercessit, & vbi denunciationes non sunt omissæ, dispensatio valida erit. Vnde vt scandalum tollatur debent isti in precibus enarrare Pontifici, se neque contraxisse matrimonium scienter, neque malitiose. Vt autem ignorantia non modo excuset à pœna prædicta, inualidam reddendi dispensationem, sed etiam præbeat Pontifici occasionem facilius dispensandi, debet esse iusta, ac probabilis, & omni culpa vacare. Patet ex illis verbis prædicti decreti, si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum
17 eo, & gratis dispensari poterit.

Aduertendum tamen est, id quod in tertia conclusione diximus, ad valorem dispensationis non esse necessarium, narrare Pontifici, matrimonium fuisse consummatum, quando consummatum fuit ex ignorantia impedimenti, & præcedentibus denunciationibus, intelligendum ita esse, vt non sit necessarium, efficere mentionem matrimonij, copulæ tamen præcedentis dispensationem à Pontifice concessam sine dubio facienda est mentio in petitione, quia copula fuit in-

A cestuosa, & ignorantia gradus affinitatis, vel consanguinitatis fuit culpabilis, vt supponitur in ea conclusione, quæ doctrina patet ex dictis in hac quæstione circa primum statum eius.

Quæres tamen, an sufficiat alterius coniugis ignorantia, vt dispensatio in prædicto casu tertiæ conclusionis valida sit. Huic difficultati respondetur cum *Enriquez, libro 12. de matrimonio, capite tertio, numero octauo in commento littera S.* Vt prædicti coniuges liberentur à subreptitia dispensatione, quod genus quoddam pœnæ est, sufficere alterius tantum ignorantiam, dummodo non sit ingens temeritas. Probatur resolutio hæc, quia ita credendum est, & iuste præsumendum de benig- 18
B nitate matris Ecclesiæ, ne ille, qui quamuis culpabiliter ignoret, temerarius tamē non est, ab Ecclesia puniatur pœna, quæ vt iam probauimus, tantum imposita est contra eos, qui temere matrimonium celebrare, aut consummare non obstantibus impedimentis dirimentibus audent. Ad hoc vero, vt facilius impetretur dispensatio, requiritur vtriusque coniugis bona fides, dum contrahitur prædictum matrimonium, quia cum facilius concedere dispensationem, genus quoddam beneficij sit, non oportet, illud conferre ei, qui peccatum commisit, quia vel matrimonium scienter, vel cum ignorantia culpabili contraxit.

Quarta conclusio. Quando quis scienter 19
matrimonium contraxerit intra gradus pro-
C hibitos, & sine parrocho, & testibus (in quo casu matrimonium est nullum, vt patet ex *Concilio Tridentino Sessione 24. cap. 1.*) non contrahit hanc pœnam *Tridentini, cap. 5.* de qua loquimur. Ita docent *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 3, numero octauo, & Sanchez loco citato, numero 34.* Probatur hæc vnica ratione, primo, quia vt patet *ex lege nam ad ea. ff. de legibus,* lex intendit punire ea, quæ frequenter accidunt, non quæ raro contingunt, sed rarissime, aut nunquam modo post Tridentinum contingere poterat, matrimonium celebrari sine parrocho, & testibus, quia omnes sciūt, illud neque in foro externo, neque interno esse validum, at quod aliqui intra gradus prohibitos scienter contraherēt coram parrocho,
D & testibus, bene poterat timeri, quia saltem hoc matrimonium exterius verum apparet apud eos, qui ignorant impedimentum, ergo hoc vltimum punire voluit Concilium, non primum. Secundo probatur, quia maior audacia, & maior contemptus Ecclesiæ est, matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens coram Ecclesia celebrare, cuius auctoritate quis fulciatur postea ad suum concubinatum, quam illud, etiam nullum publice sine vlla auctoritate Ecclesiæ celebrare. Tertiò probatur ex illis ver-

committat Pontifex dispensationem Vicario Salmantioo, tunc neque Salmantinus potest dispensare, quia non habuit animum in hoc casu Pontifex aliquid ei committendi, neque Pampiloneusis, quia ei neque est petita, neq; concessa commissio, quod patet ex doctrina *Innocent. cap. super literis, num. 3. de rescriptis, & Abbatis, num. 3. in fine*, ibidem, neque etiam valet dispensatio, cum petitur sub dubio, an sit aliquod impedimentum, cum revera sit, sicut non valet remissio debiti certi, si petatur sub nomine debiti incerti, & ratio est, quia est error in substantia eius rei, supra quam cadere debebat dispensatio. Vnde *Pius Quintus* praecepit procuratoribus dispensationum matrimonialium, & alijs sub poena falsi, vt veritatē exprimant.

13 Quod si plures causae exprimantur in petitioue dispensationis, & aliquae illarum falsae sint, attendenda est ea causa finalis, & principalis, in qua nititur concessā dispensatio, & ea existente vera, sine dubio tota valet dispensatio. At vero, cum ea non subsistit, totam dispēsationem ruere necessum est, quod totum patet ex secunda conclusione. Vt verbi gratia, petitur à Pontifice dispensatio in secūdo gradu consanguinitatis: ex vna parte allegatur copula inter consanguineos habita, ex alia scandalum, & infamia secuta, si prima causa est falsa, in qua non nititur Pontifex, & secunda est vera, in qua revera nititur dispensatio, valet vtique. Ita tenent loquentes de priuilegijs *Nauar. lib. 1. consiliorum in 2. editione, tomo de rescriptis, cōsil. 7. num. vnico, Sa in summa verbo, gratia, num. 24. & alij.*

14 Quarta conclusio. Si Pontifex motu proprio, & non in gratiam partis concedit dispēsationem, tunc & si taceatur causa finalis, valet dispensatio. At vero ea non valet, cum exponitur causa finalis falsa, qua nisus Pontifex dispensat. Ita docet multos allegaos *Sanchez lib. 8. disp. 21. num. 52.* & ratio est, quia in primo casu ignoratur, an Pontifex bene, vel male informatus dispensarit, & ideò non potest dici concessa contra eius mentem, at in secundo casu conceditur contra eius mentem.

15 Quaeret tamen aliquis primo, an existente defectu in petitione in aliqua parte dispensationis, tacendo veritatem, vel narrando falsitatem in causa finali, tota dispensatio reddatur nulla. Ad hoc respondetur primo, quod si causa sit indiuisibilis, & tantum habens vnicū punctum, tunc existente defectu in causa finali tota dispensatio est nulla, & similiter contingit, cum dispensatio habuit duas partes, vel plures, & defectus in causa finali omnium cōtingat, quod totum ex secunda conclusione patet. Quod si dispensatio habuit duas partes, & quaelibet pars habuit suam causam finalem distinctam, & praedictus defectus solum con-

A tingit in vnā parte, tunc distinguendum est, si enim defectus fuit commissus cum ignorantia etiam culpabili, quae non sit ingens temeritas, non valet dispensatio in ea parte, at valet in alia. Quando vero defectus ille prouenit ex fraude, vel malitia in causa finali, tunc tota dispensatio quoad duas partes est nulla, quod intelligitur, quando duae partes habent inter se connexionem, & tendunt ad eundem finem, vt cum dispensatio esset in affinitate, & consanguinitate, quia haec omnia ad matrimonium tendunt, & quando malitia, vel fraus fuit impetrantis, & non solicitatoris. Probatur totū hoc *ex cap. super literis, de rescriptis*. ita intellecto à *Thoma Sanchez 3. tom. lib. 8. disp. 21. à num. 61. vsque ad 67.* quod factum esse in poenam delicti patet ex illis verbis eius textus, in suae peruersitatis poenam nullum ex illis literis commodum consequantur.

B In hoc autem casu in dubio potius praesumitur ignorantia, quam dolus, vt docet *Glossa in dicto textu*, quando autem dicimus, per defectum illum, seu subreptionem in vna parte dispensationis, alteram partem, quae non habuit eum defectum, esse nullam, intelligitur in foro externo, & post iudicis sententiam, non in interno, quia est poena, vt habetur in dicto textu, verbis allegatis, est enim priuatio iuris, quod quoad partem non subreptitiam adquisitum est, & ita poena, & quae non debet ante iudicis sententiam incurri secūdum generalem modum poenarum, cum hic nihil speciale dicatur.

C Quaeret aliquis secundo, an cum duplex dispensatio obtinetur circa eandem rem, posterior censeatur subreptitia, nisi prioris mentio fiat? 16 Ad quod respondetur primo, quod si dispensationes in matrimonio fiant circa res diuersas, & nullam habeant repugnantiam, vt circa votum castitatis, & circa aliquem consanguinitatis gradum, tunc ad valorem secundae non est necesse facere mentionem primae, siue prima absolutè, siue cum aliqua limitatione concessa sit. Quod intelligitur, quando illa impedimenta non fuerunt simul in eodem subiecto, sed successiue. Probatur, quia tūc dispensatio prior eodem modo se habet ad secundam ac si non esset concessa, neque de Principis intentione circa secundam potest ambigi ex eo,

D quod primam concesserit, ergo vtraque valet. Ita sentiunt *Nauar. lib. 5. consiliorum in prima editione titulo de priuileg. consil. 12. num. 2. in 2. titulo de consanguinitate, consil. 8. in fine, Petrus de Ledesma in summa sacrament. vbi de matrimonio, cap. 27. post 7. conclusionē difficult. 3.* Secundò respondetur in eo casu, quo illae duae dispēsationes sint circa eandem rem, & sint inter se diuersae, verbi gratia, quia prima fuit cum limitatione, & secunda minime, id est, quia secūda extendit primam, vt si prima sit ad vnum matrimonium, & alia ad plura: tunc ad valorē secun-

secundæ necessum est, primæ mentionem facere. Ita tenetur defendere *Nauar. & Ledesma* & ita intelligitur *caput 2. de filijs presbyterorum in sexto*, vbi posterior dispensatio concessa illegitimo ad duo beneficia cēsetur nulla eo, quod non fit mentio in ea primæ, in qua solum est dispensatum ad vnum beneficium, & ita intelligitur aliud caput simile, quod est penultimum de præscript. & ita hos sextus interpretatur cum alijs *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 22.* Et ratio est, quia non censetur Pontifex sine noua causa velle sententiam mutare, quia leuitatem argueret. Quod etiam militat in dispensationibus ab inferioribus concessis, iuxta *Glossam c. 2. de filijs presbyterorum in sexto*, nisi concedens optime præsumatur cognouisse limitationem prioris dispensationis, quia ea solet apponi secundum stylum suæ Curiæ. Vnde si quis impetret dispensationem voti castitatis à Papa cum his conditionibus, scilicet ad vnicum matrimonium, & facta commutatione in menstruas confessiones, & alia pietatis opera, valet dispensatio, secunda absolutè obtenta, & sine mentione prioris. Ita enim solet de stylo Curiæ Romanæ apponi sic *Felinus cap. penult. de rescriptis, num. 2.* imo si quis cum noua causa superueniente, vel de nouo præposita impetrat secundam dispensationem sine limitatione, obtenta priore cum limitatione, cuius non fit mentio, tunc valet secunda si præsumitur iuste concedentem dispensationem adhuc secundam concessurum, licet prioris certior redderetur. Quare si puella prius nupsit vni consanguineo, concessa ei propter paupertatem dispensatione, eo mortuo valet secunda dispensatio, cum alio consanguineo, quamuis prioris non sit facta mentio, si perseuerat eadem paupertas, & idem est, cum non vult, priori consanguineo nubere, sed impetrat secundam dispensationem ad nubendum, secunda sine mentione prioris, nec volendo extendere primam dispensationem, quia tunc solum est dispensatio ad nubendum vni, & hæc puella videtur posse eligere, quem maluerit, si non sit aliqua specialis ratio, ob quam potius Pontifex dispensaret cum illa, vt vni nubat, quam alteri, quamuis contradicat *Sanchez loco citato, num. 59.* imò secundum plures Doctores, licet posterior dispensatio valere non possit, quia non est facta mentio primæ, prima tamen valet.

17 Tertio respondetur, in eo casu, quo circa idem peccatum, vt circa idem crimen occisionis vxoris, & adulterij cum animo ducendi adulteram, sit semel dispensatum, vt eam ducat, si iterum dispensatus ille incidat in aliud simile crimen, & petat secundam dispensationem, hanc secundam non valere, nisi fiat mentio prioris. Patet, quia non censetur Pontifex bis velle remittere idem genus peccati, iuxta *l. 3. C. de Episcopali audientia*, ibi, remissionem ve-

A niæ crimina nisi semel commissa non habeant, si autem esset aliud genus criminis, vt fides data cum adulterio, tunc semel impetrata dispensatione ad vnum matrimonium propter primum crimen, si adhuc impetraretur secunda dispensatio propter secundum, primæ non esset mentio necessaria, quia peccata sunt diuersa, & vnius remissio non obest remissioni alterius. Ita *Couar. lib. 1. variarum, cap. 20. num. 3. Gutier. quæstionum canonicar. lib. 2. cap. 35. num. 89.* Quarto respondetur *contra Sanchez lib. 8. disp. 22. num. 22.* existente priori dispensatione nulla, non esse necessarium, eius mentionē facere in secunda, siue prior sit concessa cum limitatione, & secunda minime, siue vtraque sit concessa absolutè. Ita sentiunt, dum de rescriptis loquuntur

B *Molina lib. 4. de primogenijs, cap. 3. num. 32. & Pater Molina tom. 3. de iustitia disp. 656. num. 2.* Probatur hoc responsum, quia efficere mentionē eius dispensationis nullius, non est necessarium ex dispositione alicuius iuris, vt constat; præterea non est necessarium ex natura rei, quia cum prior dispensatio fuerit nulla, non est maior ratio habenda illius, quam si nullo modo fuisset concessa, ergo tacere illam in petitione dispensationis secundæ non potest obesse secundæ dispensationi cōcedendæ.

Dispensatio concessa ex iusta causa, etiamsi concedatur propter metum cadentem in virū constantem, valida est. Patet, quia de iure naturæ voluntas coacta voluntas est, & alias de 18

C iure positiuo non annullatur voluntas coacta concedentis dispensationem, quia de tali iure non constat nobis, ergo illa dispensatio ex nullo cap. erit inualida, & licet *in cap. vnico de his, quæ vi, in sexto*, annulletur absolutio à censura quando metu extorquetur, hæc lex tanquam odiosa non est extendenda ad alium casum, vt probe considerauit *Suarez 2. tomo de religione, cap. fin* Et voluntas dispensandi sufficientibus signis externis explicanda est, nulla tamen est præscripta forma verborum, aut signorū, quibus explicetur, vt notauit *Syluest. verbo, votum 4 quæst. 8.*

Quæres tertio, quo tempore debeat verificari causa finalis? Cui difficultati respondemus 19 primo, non sufficere, neque requiri ad valorē

D dispensationis, causam finalem verificari tempore petitionis dispensationis, sed requiri eā verificari eo tempore, quo Pontifex, vel alius superior dispensationem cōcedit, vel commitit alteri eam concedendam, tum quia illa clausula, si preces veritate nitantur, hunc sensum reddit, scilicet; si preces mihi propositæ veræ sunt in præsenti tempore. Et probatur ex *cap. quia circa. de consanguinitate*, vbi dicitur, falsam fuisse allegatam causam ad dispensandum, scilicet prolem habitam, & redditur ratio, quia filia iam erat mortua. Ita sentiunt *Cordub a in*

summa

summa, quæst. 45. opinione 2. punct. 1. Vega primo tomo summæ cap. 88. casu 4. Secundò respondemus, quod si aliquæ causæ dispensationis maneant, valida est dispensatio, licet illæ non essent sufficientes à principio ad concedendam eam, si illæ tantum fuissent propositæ Pontifici, modo tamen illæ coniunctæ cum his, quæ à principio propositæ sunt, sufficientem constituerint causam ad impetrandam dispensationem. Ita docuit *Sanchez libro octauo de matrimonio, disp. 30 numero octauo.* Cuius ratio est, quia alias magnum ostium aperiretur scrupulis, continuo enim homines essent solicliti, an maneat sufficiens causa, & an possint vti dispensatione sibi concessa. In dubio autem, an dispensationis causa cessauerit, vel non censetur minime cessasse, ac per consequens dispensatio iudicatur valida in eo dubio, postquam fuit semel legitime concessa, quia possessio fauet ei. Tertiò respondemus, quod si dispẽsatio sit deducta ad vltimum effectum, & is commode diuidi non possit, vt si quis, cum quo dispensatum est in voto castitatis, matrimonium celebrauit, qui quidem nequit discedere ab vxore sine scandalo, neque cohabitare cum illa sine periculo incontinentiæ, petendi debitum, tunc licet causa finalis cesset, non cessat tamen dispensatio. Et hæc videtur esse mens Pontificis, hocque videtur esse conueniens regimini Ecclesiæ, ne grauia detrimenta ex opposita resolutione sequantur. Quartò respondemus, requiri verificationem causæ finalis, eo tempore contingere, quo ordinarius exequitur dispensationem, quia tunc dispensatio completur, & reuera fit, ergo tunc necesse est, causam finalem præsentem esse. Ita cum alijs *Couarruuias quarto decretalium, secunda parte capite sexto, §. nono, numero vltimo.* Quintò respondemus (licet alij relati à *Sanchez loco citato, numero 19.* sentiant oppositum) cessante omninò causa finali dispensationis, postea quam ordinarius, vel confessarius dispensarunt, prius tamen, quam matrimonium, verbi gratia, sit contractum ex vi talis dispensationis, extingui tunc dispensationem, vt si paupertas allegata ad dispensandum in gradu prohibito consanguinitatis cessauerit tempore, quo contrahitur matrimonium. Ita docent aperte *Glossa cap. tametsi de electione in 6. Baldus in rubrica de consuetudine, num. 25. Abbas cap. suggestum num. 5. de decimis, & alij.* Probatur primò *ex cap. generaliter 16. q. 1. & cap. Abbate in fine de verborum significatione,* ex quibus locis constat, reuocari gratiam, & priuilegium cessante causa. Secundò probatur, quia facilius tollitur priuilegium, quod est quoddam ius speciale, & contra ius commune, vt dispensatio, quam ius commune, quod maiorem habet vim *l. eius militis, §. 1. C. ad Senat. cõs. Velleian. & ibi Gloss. verbo, quocunq;* modo. Sed ius commune, vt certum est, cessat cessante eius causa finali, ergo & ius speciale dispensationis. Tertiò probatur, quia si causa finalis deficeret à principio, dispẽsatio esset nulla, ergo ea cessante postea, cessat etiam dispensatio, quia dependet à causa finali in fieri, & conseruari, & cum ea intentione videtur concessa à concedente dispensatio quæuis. Causa autem finalis, & debet subsistere tẽpore concessionis Papæ, & executionis ordinarij, & tẽpore, quo illa ponitur in executione celebrando matrimonium, licet tempore medio non subsistat, sicut ad hæreditatem testamentariam exigitur, & satis est, capacem esse hæredem tempore facti testamenti, mortis testatoris, & aditionis hæreditatis, neque de medio tempore curatur, vt est textus expressus *l. si alienum. 40. §. in extraneis. ff. de hæredibus instituendis.* Ita docet *Molina, lib. 3. de primogenijs, cap. 2. num. 18. & 19.* Et ratio est, quia dispẽsatio in his temporibus vel fit, vel ipsa exercet suam operationem, & ita in his debet eius causa subsistere.

QVAESTIO X.

Quæ sint necessario explicanda in petitione dispẽsationum matrimonij, vt illa valeant, & an gratis sint concedendæ?

SIT prima conclusio. Cum in eadem persona simul sunt plura impedimenta matrimonij, siue ambo sint dirimentia, siue ambo impedientia, siue vnum impediens, & alterum dirimens, tūc necessum est, omnia impedimenta in eadem dispensatione commemorari, nec sufficit vnum impedimentum in vna dispensatione auferri, & aliud in alia, quando nulla fit mentio in vna dispensatione alterius impedimenti ablati in alia dispensatione. Ita docent multi Doctores. Probatur, quia absurdum omninò videtur asserere, validam esse dispensationẽ in eius fauorem factam, qui habet plura impedimẽta, vt octo, verbi gratia, decepto Pontifice, per hoc, quod petantur ab eo octo dispensationes seorsum, occultando quidem in eadem persona esse omnia illa impedimenta, & plurium eorum iam antea concessam esse dispensationem. Cuius ratio est, quia Summus Pontifex octo hominibus facile illa octo impedimenta remitteret, eidem vero minime, ergo generaliter loquendo omnia impedimenta, quæ simul inueniuntur, sunt in eadem petitione dispensationis explicanda, siue vnum impedimentum esset tollendum ab Episcopo, & aliud à Papa, siue vnum eorum esset auferendum per irritationem, vt contingit in voto castitatis emisso ante pu-

berta-

bertatem, cuius irritatio ad patrem pertinet, & aliud per dispensationem à legitimo superiore, in quo non placet sententia *Sanchez li.8. disp.23.* oppositum defendentis, cum vero sunt duo impedimenta, & vnum impedimentum est occultum, ex cuius reuelatione infamia, & aliâ grauia damna timentur, aliud vero impedimentum est publicum, satis est impedimentum publicum proponere palam Pontifici, vt dispenset nulla facta mentione impedimenti secreti, dum modo tamen impedimentum secretum simul cum publico proponatur Pontifici in sacra pœnitentiaria, vt vtriusque simul coniuncti notitiam habeat, occultum autem impedimentum facile potest, & sine verecundia in sacra pœnitentiaria explicari, quia in ea non declarantur nomina partium, sicut in petitione publica dispensationis, quæ fit modo publico, contingit declarari. Ita sentit *Sanchez lib.8.disp.21.* vbi refert, sacram pœnitentiariam respondisse, hoc sufficere, & se vidisse responsum, quæ doctrina locum non habet, cum impedimentum esset occultum, & sine vllo periculo reuelari posset, vt cum votum castitatis secreto emissum esset, quidquid neget *Sanchez loco citato, num.8.* imò cum quis reuera occidit vxorem, vt duceret concubinã, & de delicto fuit accusatus, & damnatus sola pœna arbitraria, non ordinaria iuris, quia non esset res omninò comprobata, si velit petere huius impedimenti dispensationem, debet referre Pontifici in forma publica id, quod publice gestum est in foro externo circa illud delictum sibi imputatum, non asserendo, vel negando delictum, eo autem modo conueniens est, rei mentionem facere, vt pro foro externo dispensetur cum eo, qui suspectus habetur de delicto, at vero in foro pœnitentiariæ debet fateri peccatum ipsum, vt pro foro interno obtineat dispensationem impedimenti criminis.

2 Obstat tamen contra hanc conclusionẽ vnicum argumentum, quia impetratio veniæ diuersorum criminum, vt furti, & homicidij, valida est, etiamsi seorsum impetretur venia pro quolibet crimine. Neque necessarium videtur in vnius veniæ impetratione alterius vllam mentionem efficere, ergo æquali regula mensuranda est dispensatio impedimentorum. Ad hoc tamen argumentum respondetur, negando consequentiam, & defendendo, magnum intercedere discrimẽ inter hæc duo, quia enim dispensatio concessa in diuersis impedimentis tendit ad idem matrimonium celebrandum, cui diuersa impedimenta obsunt, ideò vt valida sit dispensatio, omnia impedimenta explicanda sunt in eadem dispensatione, quia vel vnum impedimentum eorum ex coniũctione alterius maius redditur, vel ex pluribus simul sumptis resultat quoddã aggregatũ magis im-

A pediens matrimonium, quam quodlibet eorũ seorsum impediret. At vero cum impetrantur veniæ diuersorum criminum, illæ veniæ tendunt ad diuersos fines, & ad hoc vt homo liberetur ratione illarum à diuersis pœnis, & ideò impetratio vnius veniæ ab alia non dependet, neque eius fieri mentionem requirit.

Secunda conclusio. Non solum explicandũ est quodlibet impedimentum in postulatione dispensationis, sed etiam gradus illius, vt gradus consanguinitatis, & affinitatis, &c. Patet, quia ita obseruat stylus Curiæ Romanæ, qui vim legis obtinuit. Secundò probatur, quia quo vrgentiores sunt gradus, eo vrgentior causa requiritur ad dispensandum, ergo necessarium est, explicare gradus, alias dispensatio e- 3

B rit subreptitia.

Tertia conclusio. Quando gradus cõsanguinitatis, affinitatis, &c. licet sint æquales, sunt tamen plures in eodem genere, vt pote prouenientes ex duplici capite, vt quando consanguinitas quædam prouenit ex latere patris, & quædam ex latere matris, & affinitas dimanauit ex duabus copulis habitis cum consanguineis eius, quæ matrimonio coniungenda est, vel cum cognatio spiritualis duplex prouenit ex duplici baptismo, tunc temporis ad valorẽ dispensationis non sufficit in impetratione eius mentionem facere vnius gradus ex vno latere prouenientis, quin etiam mentio fiat alterius gradus æqualis ex altero latere ortum habentis, alias dispensatio prorsus erit subrepti- 4

C tia propter rationes supra allatas. Quod quidẽ verum est, etiamsi causa allegata ad petendam dispensationem pro illo gradu talis naturæ sit vt propter eam solam credatur, Summum Põtificem in alio simili gradu pariter dispensaturum. Hoc videtur clare definitum à *Pio Quarto in motu proprio, qui continetur in tomo motuũ propriorũ, fol. 500. & à Pio Quinto, in motu proprio ibidem contento, fol. 541.* Vbi dicitur, dispensationes matrimoniales pro coniunctis in diuersis gradibus inualidas esse, nisi remoriores, & propinquiores gradus exprimantur. Si ergo remotior gradus explicandus est, multo potiori iure explicari debet ille, qui est æqualis, quia fortius impedit matrimonium. Ita in proprijs terminis, dum de consanguinitate sermo-

D nem instituunt, docent *Rota in nouissimis volumine 3. lib.1. decisione 117. num.2. Pater Molina tomo 1. de iustitia tract.2. disp. 161. colum. penultima, vers. illud tamen.* Et cum sit eadem ratio, idem sentire debent de affinitate, & alijs impedimentis, & absolutè, ac generaliter defendũt hanc conclusionem recentiores (licet non me lateat *Ledesmã in summa de matrimonio, cap.27.* oppositum sentire in impedimento affinitatis.) Probatur conclusio primò, quia iuxta *Sylnest. verba legitimus, quæst.3. dicto 2. Couar. 4. decretal. 2. part. cap.8. §.9. num.3. & alios Do-*

ctores

ctores. Ille qui natus est ex adulterio coniugati cum coniugata, si velit ad ordines promoueri, subreptitiam impetrabit dispensationem, si tantum explicet Pōtifici, se esse adulterinum, & non dicat, adulterinum esse ex parte vtriusque parentis, ergo similiter erit subreptitia dispensatio, si non manifestetur consanguinitas prout ex vtroque latere prouenit. Secundo probatur, quia consanguinitas est quædam sanguinis participatio, sed in casu, de quo loquimur, est duplicis sanguinis participatio, ergo duplex consanguinitas. Quare non sufficiet, vnam explicare Pontifici, altera silentio prætermissa: imò etiamsi in dispensatione addatur clausula illa, *non obstante, &c.* non valebit dispensatio in vno gradu, nisi ad alterum cum eo coniunctum expresse extendatur, quia vt optime considerarunt *Baldus in lege 1. num. 22. vers. vnum etiam sciat. C. de furtis, & alij Doctores,* clausula illa, *non obstante, &c.* non supplet qualitates necessario exprimendas superiori, sed tantum confirmat ea, quæ expressa sunt in dispensatione; & sufficienter explicata sunt in narratione.

5 Cum autem quis affinitatem contraxit cum ea, quam vult ducere vxorem propter multiplicem copulam cum eius sorore habitam, non est necessarium, plures illas copulas narrare in impetratione dispensationis, quia ex multiplicata copula non multiplicatur affinitas, quia cum sit eiusdem sanguinis, seu seminis commixtio, etiam resultat eadem affinitas. Quemadmodum etiam ex voto castitatis sæpius repetito tantum nascitur vnum, & idem vinculum, imò etiam ex eo, quod excommunicatus sæpius celebret sacrificium missæ, vnica tantū nascitur irregularitas, vt optime docuit *Enriquez lib. 14. de irregularitate, cap. 7. in fine.* quem alij Doctores sequuntur.

6 Cum alicui absolutè cōceditur facultas dispensandi, verbi gratia, in secundo gradu consanguinitatis, vel determinate conceditur facultas ad dispensandum cum aliqua determinata persona in fauorem eius, tunc ista facultas, quia fauorabilis est, vt liquet ex dictis in principio huius tractatus, amplianda est iuxta regulas fauorum. Et in eo casu, quo potestas cōcedatur ad secundum gradum, extendetur ad secundum ex vtroque latere prouenientem, quia iste secundus comprehenditur sub nomine secundi gradus, & etiam extenditur ad tertium gradum seorsum sumptum, quia iste minus vinculum constituit, & in secundo gradu virtualiter satis cōtinetur, non tamen ea potestas extendetur ad tertium gradum etiam eiusdem generis coniunctum cum secundo: quia isti duo gradus simul sumpti maius vinculum constituunt, quam secūdus gradus seorsum, & sub nomine secundi minime comprehenduntur.

Ex dictis constat, verum esse in eo casu, quo postulans dispensationem pro secundo gradu consanguinitatis decipiatur, quia erat tertius validam esse concessam dispensationem in secundo gradu pro illo tertio, quia tertius gradus consanguinitatis optime includitur in secundo, & qui dispensationem concessit ad secūdum, satis aperte eam concedit ad tertium, quando contingit prædicta deceptio. Inualida tamen esset dispensatio, si cōcessa esset pro secundo gradu cōsanguinitatis in eo casu, quo postulans deceptus esset, petendo dispensationem pro secundo gradu consanguinitatis, cum debeat petere pro tertio affinitatis, quia tertius affinitatis gradus non includitur in secundo consanguinitatis. Etiam est inualida dispēsatio, si quis petat dispensationem pro impedimento publicæ honestatis, si non explicet, an tale impedimentum proueniat ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato, quia ex matrimonio rato fortius vinculum nascitur, quam ex sponsalibus. 7

Et vt optime considerauit cum alijs *Pater Molina 1. tom. de iust. tract. 2. disp. 161.* dispensatio subreptitia erit, dum obtinetur pro gradu consanguinitatis inæquali, quando reperitur aliqua specialis reuerētia inter personas petētes dispensationē, vt inter amitā, & inter filiū ex eius sorore, nisi explicetur modus inæqualitatis, quia inter numeratas personas multo magis absurdum est matrimonium, quam inter patruum, & filiam ex fratre, quia quandam reuerentiam naturalem debet exhibere filius ex sorore suæ amitæ, cum qua repugnat ratio superioris, & capitis, quam acquirit vir ille ratione matrimonij respectu amitæ. Imò & in affinitate proueniente ex matrimonio consummato, & in publica honestate dimanāte ex matrimonio rato, & in cognatione spirituali ex baptismo orta, necessario explicandū est, vt dispensatio vim obtineat, an impedimētum auferendum sit respectu aliquorum superiorum in linea recta, vt respectu parentis spiritualis, &c. propter reuerentiam, quam in his generibus impedimentorum debent exhibere inferiores suis superioribus. 8

Cum aliqui consanguinei distant inter se gradu impari, vt amita, & filius ex sorore, in postulatione dispensationis non est facienda mentio gradus propinquioris, sed remotioris, vt constat ex *cap. vlt. 9. de consanguinitate, & affinitate*, nisi in eo casu, quo aliquis eorum distet à stipite in primo gradu, quia in hoc gradu non intendit Pontifex dispensare, nisi exprimat. Ita declarauit *Pius Quintus in quodam motu proprio edito anno 1566. die 26. Augusti, qui incipit sanctissimus*, in quo motu dicit esse necessarias literas declaratorias circa quemlibet gradum propinquiorē, quæ literæ iuxta quoddam mandatum *Clementis Octaui, prolatum anno* 9

1599.

1599. die 13. Ianuarij, in casu eo procedentes, quo quidam impetrarunt dispẽsationem, proponentes se tertio consanguinitatis gradu cõiunctos, cum tamen essent in secundo cum tertio hanc formam præscribunt dispensantibus, distantiam vero secundi gradus præfati eis nõ obstare declares in omnibus, ac per omnia, proinde, ac si in dictis literis ipsos secundo, & tertio consanguinitatis gradibus à communi stipite prouenientibus inuicem esse coniunctos expressum fuisset, quæ declaratoriæ literæ non sunt necessariæ, vt matrimonium, vel dispensatio vim habeant, sed vt auferatur scandalum, quod posset oriri ex eo quod non appareat in gradu remotiori fuisse dispensatum, quod non est necessarium quando impedimẽtum est occultum, quæ literæ solum requiruntur pro gradibus consanguinitatis, & affinitatis, vt patet ex motu proprio, in qoa affinitate quia absolutè sumitur, includitur affinitas ex copula illicita dimanans, imò adit optime *Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 54. art. 2. columna 2. notabili 1*. cum dicitur in dicto motu proprio, non valere dispensationem gradus remotioris, si taceatur remotior, hoc esse intelligendum, dum modo ille qui distat à communi stipite in gradu remotiori, distet intra quartum gradum, nam si extra illum distet, nulla est necessaria dispensatio, iuxta quam doctrinam intelligendum est priuilegium *Pauli tertij relatum à Veracruz 1. part. speculi, art. 44. pagina 3*. Vbi cõceditur Indis noui orbis, vt possint in tertio, & quarto gradu matrimonio cõiungi, intelligitur enim in eo casu, quo duo velint coniungi matrimonio, qui distant inter se tertio consanguinitatis gradu coniuncto cum primo non esse necessariam dispensationem in tertio gradu, quia tertius gradus apud Indos ex vi eius priuilegij iam deinceps non est prohibitus, quod priuilegium est concessum pro omnibus prouinciis Indorum, & pro recenter conuersis, & pro gradibus affinitatis, & consanguinitatis, vt optime docuit *Veracruz, ibidem*.

10 Quarta conclusio. Cum dispensatio conceditur in affinitate ex copula coniugali proueniente, censetur etiam concessa pro publica honestate ex sponsalibus, & matrimonio illo rato, ante quam consummaretur, proueniẽte. Quod si dispensatio concedatur pro affinitate in communi, sine eo quod exprimatur affinitas ex matrimonio proueniens, talis dispensatio non se extendit ad publicam honestatem. Ita sentiunt *Abbas cap. non debet. de consanguinitate, num. 12. Syluest verbo, dispensatio, quæst. 5. num. 9. Toletus lib. 7. summæ, cap. 11 num. 6. & alij*. Prima pars probatur, quia publica honestas in affinitate copulæ coniugalis necessario includitur, vnde in ea censetur dispensata. Secunda pars probatur, quia cum affinitas sit nomen commune ad affinitatem vtranque, solum videtur præcise includere impedimentum ex sanguinis commixtione proueniens, ergo in ea non includitur publica honestas, imo nec sufficit petere dispensationem affinitatis in communi, & publicæ honestatis in communi, quia per hoc non explicatur, an publica honestas proueniat ex matrimonio, an ex sponsalibus, neque vnde affinitas oriatur, quod necessarium est, quia distinctæ sunt, & vna est fortior alia.

11 Circa secundam quæstionis partem sit quinta conclusio, continens duas declarationes Cardinalium. Prima fit his verbis, gratis adeò dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam ordinarij, quibus istæ dispensationes remittuntur, suum officium gratis præstẽt, vt nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede, notarius vero examinando testes, & suo mẽdo cæteras informationes quartam partem auri, seu ducati accipere possit, pro literis vero absolutionum, & dispensationum in foro conscientiæ tantum, nihil à quoquam accipi posit, vt Romæ fit, quam declarationem refert *Rebellus tomo de obligationibus iustitiæ, post titulum de matrimonio*, & alia declaratio Cardinalium ex his, quas *Marsilius adiunxit Concilio Tridentino, lib. 3. titulo de consanguinitate, cap 3*. Sic habet decretum Tridentini, quod ait, dispensationes concedantur gratis, habet locum in compositionibus, nõn in mercede, quæ pro bullarum expeditione soluitur ex congregationis sententia.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm dum petitur dispensatio pro his, qui aliquo impedimẽto dirimenti matrimonium, ligati sunt, efficienda sit mentio copulæ inter eos habitæ, vt valeat dispensatio?

12 HAEC quæstio in triplici statu agitanda est, primo cum copula habetur ex fragilitate humana sine tractatu matrimonii, vel spe obtinendæ dispensationis. Secundò cum ea habetur post tractatum matrimonii, sed absque spe facilioris dispensationis. Tertiò cum copula habetur cum spe facilioris dispensationis. Et quidem prius in primo sensu resoluenda quæstio est, quando copula præcessit inter consanguineos, vel affines, nam cum copula sequitur dispensationem à Summo Pontifice concessam, & ab ordinario expeditam, vel à confessario, nulla necessaria est dispensatio, vt tanquam certum supponit *Gutierrez, quæstionum canonicarum, lib. 1. cap. 13. num.*

num. 13. & vt habetur in quadã declaratione Cardinalium relata à Patre Marcilla super Concilium Tridentinum, lib. 3. tit. de consanguinitate, & affinitate, cap. 4. sub his verbis: *Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini censuit, copulam superuenientem post dispẽsationem ab ordinario factam non impedire matrimonij valorem.* Et ratiò huius est, quia tunc ablatum erat impedimentum cõsanguinitatis, quare ex eo non potuit prouenire incestus aliquis impediens matrimonium.

2 In præsentis autem quæstionis primo statu prima sententia defendit, non esse necessariam mentionem prædictæ copulæ ad valorem dispensationis concessæ in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis. Ita sentiunt *Nauarrus lib. quarto, consil. in prima editione, titulo de consanguinitate, consil. 1. & 5. in secunda editione eodem titulo consil. 8. 9. 10. & 11. Emanuel Rodriguez primo tomo summæ in secunda editione, cap. 238. n. 5. Vega 2. tom. sum. cap. 34 casu 97.* Probatur primò, quia expressio talis copulæ non est necessaria ex natura rei, quia illa copula potius efficit faciliorem dispensationẽ propter detrimenta, quæ ex negatione dispensationis possent sequi, neque est necessaria iure Ecclesiastico propter incestum, quia incestus his temporibus iam non impedit matrimonium, quod si impediat, potest in eo Episcopus dispensare. Secundò probatur, quia saltim quando incestus est occultus, non est necessaria expressio eius, quia cum dispensatio petatur in foro externo, si in eo foro exprimeretur copula, peccatum occultum fieret manifestum, ex quo facto & sequeretur fœminæ magna infamia, & vtrique complici periculũ incurrendi pœnam impositam contra incestuosos. Ad quæ damna subeunda, obligare aliquem propter incestum occultum intolerabile videtur.

3 Secunda sententia defendit, copula contingente antequam Pontifex dispenset, esse subreptitiam dispensationem, nisi certior fiat Pontifex copulæ præcedentis. Si vero copula sequatur concessionem Pontificis, antecedat vero executionẽ dispensationis factæ ab ordinario, tunc dispensatio valida est, quia copula sequitur dispensationem factam à Summo Põtifice. Ita videtur sentire *Corduba in sum. quæst. 45. opinione 2. puncto 5.*

4 Sit prima conclusio. Dispensatio obtenta à Pontifice postquam præcessit copula inter consanguineos, vel affines, prorsus nulla est, si eius copulæ nulla mentio fiat in petitione dispensationis. Hanc conclusionem tuentur *Gutierrez quæstionum canonicarum, lib. 2. capite 15. num. 133. Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 56. art. vltimo, dubio secundo, difficultate 2. & Sanchez tertio tomo de matrimonio, lib. 8. disp. 25.* Probatur primò, quia vt supra vidimus id, quod stylus Curiæ Romanæ, & consuetudo Pontificis obseruant in dispẽsationibus, necessario obseruandum est, alias dispensatio erit subreptitia, sed stylus Curiæ Romanæ requirit mentionem prædictæ copulæ, cum impetratur dispensatio, vt saltem timore manifestandæ copulæ homines arceantur à copula incestuosa. Imò consuetudo Pontificis hoc etiam obtinuit, quia manifestato incestu non solet Pontifex dispensare absolutè in gradibus affinitatis, & consanguinitatis, sed cum quibusdam conditionibus, & limitationibus, vt exigendo maiorem quantitatem pecuniæ, imponendo aliquam pœnitentiam, & aliquod grauamen, vt scilicet, superstes eo matrimonio soluto ad aliud matrimonium migrare non possit, necessarium ergo est, efficere mentionem copulæ præcedentis, vt dispensatio robur obtineat. Secundò probatur ex declaratione Cardinalium relata à *Marcilla loco citato,* quæ hoc eleganter explicat his verbis: *Congregatio Cardinalium Concilij censuit, dispensationem censeri subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, vel spirituali cognatione coniunctos carnalis copula præcessisset, cuius mentionem in supplicatione non fecissent.* Ex qua declaratione Cardinalium aperte etiam liquet, necessariam esse expressionem copulæ, cum postulatur dispensatio in cognatione spirituali, alias adquisitam dispensationem valore destitui. In quo conuenimus cum *Gallego de cognat. spirit. cap. 24. num. 3. & dissentimus, a Sanch. loco citato num. 9.*

Quod si iudex, cui committitur executio dispensationis, ad verificandam narratiuam interrogat eos, qui consanguinitatis impedimento laborant, an habuerint copulam, si in foro externo interroget, & copula sit occulta, non tenentur eam fateri, quinimo est occulta valida est dispensatio, dum tamen occulte eo modo, quo statim videbimus, obtineant aliam dispensationem secretam facta mentione secreta eius copulæ. In foro autem interno tenentur, copulam fateri, quia in eo nullum sequitur inconueniens eorum, quæ possent sequi in foro externo. 5

Ille iudex executurus dispensationem, vt valide dispenset, debet examinare veritatem narrationis factæ Pontifici, & eam sufficienter cognoscere, neque sufficit talem veritatem subsistere, quia huiusmodi diligentia petitur tanquam conditio necessaria, quæ diuersa est ab ea, quæ tacite inest, tacite enim, & iure solum inest hæc clausula dispensationi, si preces veritate nitantur. Ita docuit *Sanchez tertio tomo. lib. octauo, disp. 34. numero 26.* licet contrarium sentiat *Enriquez lib. duodecimo de matrimonio, capit. tertio in fine.* Probatur nostra resolutio ex clausula, quæ solet affigi dispensationibus, quæ sub hoc verborum tenore continetur, si ita esse per diligen- 6

sem

tem oratoris examinationem, ac post monita, & cõsilia opportuna illi præstita inueneris, & licet in eadem clausula sub eodẽ tenore dicatur, post consilia, & monita, hæc nõ requiruntur pro forma ad valorem dispensationis. Pro quorum intelligentia duo notanda sunt. Primum sit, prædictam resolutionem Thomæ Sanchez veram esse, cum Pontifex dicit, si per diligentem examinationem inueneris, ita esse, aut preces veritate niti, dispensa. Nam si tantum dicatur in dispensatione, si ita est, aut si preces veritate nitantur, dispensa, hæc clausula non inducit aliquam conditionem, neque obligationem verificandi preces ad valorem dispensationis, quia est clausula iure communi intellecta. Secundò notandum est, illa verba post monita, & consilia non inducere formam, aut conditionem aliquam substantialem, sed instructionem quandam constitutam sub consilio, licet alijs verbis adiuncta sint, quæ id videantur indicare, quia prædicta verba non continent in se quid substantiale, sed consilium datum confessario, aut alteri iudici circa reum.

7 Secunda conclusio. Quando copula habita fuit post impetratam dispensationem à Pontifice, sed antequam ordinarius eam expediat, & mandet executioni, dispensatio valida fuit circa impedimentum illud, super quod petita est, ordinarius tamen, vt Episcopus, debet dispensare circa incestum per copulam commissum. Ita tenent Auctores, qui sequuntur primam sententiam, licet contra dicat *Sanchez loco citato, numero octauo* (licet reuera vt ex se patet, nullum valorem sortitur dispensatio, nisi eam expediat ordinarius, aut alius, cui committitur, quia Papa non dispensat in eo casu, sed committit suas vices alteri.) Probatur primò, quia tunc nullum vitium contigit in petitione dispensationis, neque aliquod occultum est, quod esset necessario aperiendum, ergo dispensatio valida fuit. Quod autem dispensatio Pontificis valeat, & sit necessaria alia noua ordinarij, patet ex duobus declarationibus Cardinalium, quæ hac ratione videntur conciliandæ. Prima sic habetur: *Sic etiam indigent noua dispensatione, qui obtinuerant literas, & eis non præsentatis, vel quia nullum habuerunt, dispensationem fuisse obtentam, vel supplicationem datam, contraxerunt, vel se carnaliter cognouerunt*. Secunda declaratio sic habetur relata à *Patre Marcilla loco citato: Si post impetratas literas dispensationis ante illarum præsentationem, & decretum ordinarij se cognouerant nullis factis, aut adhibitis solemnitatibus, committitur ordinario, quod si dictæ literæ dispensationis sibi præsentabuntur, & causa in eis expressa probabitur legitima coram se, ac quod oratores post impetratas literas se cognouerint,*

A. *dispensetur cum eis, iniuncta tamen ipsis salutari pœnitentia propter incestum arbitrio suo*. Et alia declaratio ibidem sic habetur: *Idem etiam visum est, quod literæ non essent expeditæ, sed supplicatio signata, & ex toto expedita*. Quæ dispensatio ordinarij requiritur, licet ille incestus non impediat matrimonium cum ea, cum qua contigit incestus, vt ea ratione timore obtinendæ dispensationis arceantur homines à tali incestu.

Ex his deducitur, quod si dispensatio petatur super aliquod aliud impedimentum etiam dirimens, quod nec sit cognatio carnalis, nec spiritualis, nec affinitas, etiamsi taceatur copula, validam esse dispensationem. Tùm quia vt patet ex declaratione Cardinalium relata in prima conclusione, solum in his tribus casibus censetur dispensatio subreptitia, non facta mentione copulæ, tùm quia in his solis proprie loquendo reperitur incestus, qui non reperitur etiam in copula habita inter cognatos legales, quia eorum coniunctio non ita stricta est, ac inter eos, qui cognatione carnali, vel spirituali, vel affinitate coniuncti sunt. Et hac ratione videtur intelligenda quædam declaratio Cardinalium generaliter loquens de impedimentis, quam ego sub his verbis inueni, qui se cognouerunt carnaliter, sine tractatu matrimonij volentes contrahere, & petentes secum dispensari de aliquo impedimento, & tacentes se carnaliter cognouisse, si obtinent ex aliqua causa comprobata dispensationes, possunt dici obreptitiæ, aut subreptitiæ, & sic nullam obtinuisse dispensationem ex eo solo, quia non narrauerunt cognitionem carnalem. 8

Tertiò deducitur, quod licet raptus non sit impedimentum dirimens matrimoniũ in perpetuum, sed tantum dum rapta remanet sub potestate raptoris, vt patet ex *Concilio Tridentino, Sessione 24. cap. 6. de reformatione matrimonij*, tamen si ante petitionem dispensationis alicuius impedimenti præcessit aliquis raptus fœminæ, cum qua impedimentum erat contractum, & talis raptus non fit mentio in petitione, dispensatio in illo impedimento obtenta nulla est, etiamsi fœmina constituta sit eo tempore, quo petitur dispensatio, in sua libertate, quod patet ex stylo Curiæ Romanæ, secundum quem ad tollendam omnem difficultatem subijci solet in dispensationibus clausula hæc, dum modo mulier rapta non fuerit. Quod ex eo obseruari videtur, vt sceleri raptus Reipublicæ Christianæ maxime contrario via obstruatur: imò etiamsi prædicta clausula aliquando non apponatur, semper tamen subintelligitur iuxta doctrinam *Abbatis capite quod translationem, numero 3. de officio legati, & Syluestri verbo, rescriptum, quæstione 3.* Quia clausulæ, quæ solent apponi secundum 9

stylum Curiæ Romanæ, sufficienter intelliguntur, etiamsi non exprimantur, donec contraria consuetudine omnino vires amittant, qui tamen raptus non videtur obstare iuxta dicta in secunda conclusione, quando contingit post impetratam à Pontifice dispensationem, etiamsi Episcopus nondum eam dispensationem executioni mandauerit.

10 Quartò deducitur in eo casu, quo dispensatio alicuius impedimenti occulti, vt affinitatis ex copula fornicaria occulta prouenientis, impetretur à Pontifice, & ea committatur alicui confessario, & in ea non fiat mentio copulæ habitæ inter eos, qui volunt contrahere, quam habuerunt quidem post impetratam dispensationem, sed ante expeditionem factam à confessario, talem dispensationem non esse subreptitiam propter ea, quæ adduximus in secunda conclusione huius quæstionis, super incestum tamen nequit confessarius dispensare, quia hoc non potest præstare neque ratione suæ iurisdictionis ordinariæ, neque ratione alicuius commissionis à Pontifice dimanantis, sed in tali incestu debet Episcopus dispensare in his locis, vbi vim habet impediendi matrimonium.

11 Ex his patet solutio argumentis in contrarium: Ad primum respondemus, expressionem copulæ necessariam esse, dum impetratur dispensatio in prædictis impedimentis, tùm ratione styli Curiæ Romanæ, tùm ratione consuetudinis à Pontifice obseruatæ. Ad secundum dicimus, cum impedimentum aliquod ex dictis publicum est, & copula occulta est, petendam esse dispensationem impedimenti in foro externo sine mentione copulæ, at vero in foro conscientiæ sacræ pœnitentiariæ petendam esse aliam dispensationem eius impedimenti, & narrandam esse habitam copulam.

12 His suppositis circa primum statum quæstionis, circa secundum statum, an copula habita inter consanguineos, verbi gratia, post initum matrimonium, etiamsi contigerit sine spe facilius impetrandæ dispensationis, narranda sit in petitione dispensationis ad valorem eiusdem dispensationis, examinãdum est *Decretum Tridentini Sess. 24. de reformatione matrimonij, cap. 5.* cuius verba in isto tractatu retulimus, quæst. 8.

13 Sit prima conclusio in hoc puncto. Ratione huius Decreti Tridentini subreptitia est dispensatio obtenta intra gradus prohibitos, si in ea non fiat mentio matrimonij scienter celebrati intra gradus prohibitos, aut ignoranter celebrati, omissis denunciationibus ab Ecclesia statutis, & cum etiam minime fit mentio consummationis talis matrimonij, quia Pontifex in his casibus non habet animum dispensandi, vt prædicto Decreto Con-

A cilij Tridentini conformetur: imò si sub spe facilioris dispensationis tale matrimonium celebretur, debet huiusmodi spei mentio fieri in petitione dispensationis, vt docent *Couarruuias quarto Decretalium, secunda parte, cap. 6. §. 10. Gutierrez quæstionum canonicarum, lib. 2. cap. 15. num. penultimo.* Et cum sub spe facilius impetrandi dispensationem tale matrimonium consummatur, etiam huius spei mentio facienda est Pontifici, ne dispensatio subreptitia iudicetur. Quod tunc locum habet, cum illa spes concepta est ab vtroque petente dispensationem, non vero quando concepta est ab altero eorum tantum, ne ea ratione ille, qui innocens est, puniatur dispensationem ei concessam nullam iudicando. Ita sentiunt *Gutier-*
B *rez loco citato, Toletus lib. 7. suæ summæ, cap. 18. num. vltimo.* Probatur, quia *Tridentinum loco citato*, contendit punire prauam, & deordinatam spem facilius impetrandi dispensationem illicitis medijs, quæ spes in prædictis matrimonijs ex ipsa facti specie sufficienter colligitur, ergo dum Summus Pontifex dispensat in gradu aliquo prohibito, non intendit dispensare in illis euentibus, vt finem Concilij Tridentini ad vnguem obseruet. Vt bene tamen *Petrus de Ledesma perpendit de matrimonio, quæstione 56, art. vltimo*, non reddebatur dispensatio nulla ante Concilium Tridentinum, etiamsi prædictum matrimonium præcessisset inter eos, qui intra gradus prohibitos contraxerunt, & etiamsi tale matrimonium, & talis
C spes non essent Pontifici patefacta.

Sit secunda conclusio. (Licet *Sanchez tertio tomo lib. 8. de matrimonio disp. 25. num. 24.* cum alijs sentiat oppositum) prædictum Decretum Tridentini tantum intelligitur de his, qui cum impedimento dirimenti consanguinitatis, vel affinitatis laborarent, & non alio, matrimonium ausi sunt contrahere. Ita docet *Enriquez libro duodecimo de matrimonio, cap. tertio numero octauo, in commento, litera P.* Ratio vero, qua ille confirmat istam sententiam, infirma est, videlicet, solam consanguinita- 14
D tem, & affinitatem constare gradibus, si enim oculos conuertamus ad impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato proueniens, & ad cognationem legalem, & ex adoptione dimanantem, facile in his gradus diuersos reperiemus. Probatur ergo à nobis ista conclusio, primo ex quadam declaratione Cardinalium relata à *Marcilla libro tertio Tridentini titulo de consanguinitate, capite tertio*, in qua Cardinales declarantes illud verbum *Concilij Tridentini Sessione 24. de reformatione matrimonij, cap. quinto*, spe dispensationis careat, sic inquiunt, quando scilicet impedimentum prouenit ex consanguinitate, & affinitate, non autem ex impedimento iustitiæ publicæ honestatis, ad quod probatio

hæc

hæc non se extendit. Secundò probatur, quia
personis ligatis impedimentis consanguini-
tatis, & affinitatis frequentius accidunt præ-
dicta matrimonia; ergo conueniens fuit, ea
strictius prohibere, leges enim malis frequen-
15 tioribus sua solent adhibere remedia.

Cum vero dubitatur, an illi, qui contraxe-
runt in gradibus prohibitis, sint coniuncti in
quarto, vel quinto gradu consanguinitatis,
arbitrio ordinarij relinquitur, vt credat illis
testibus, & probationibus, quæ ei plus proba-
re videantur. Atque idem affirmandum est,
dum circa sponsalia talis quæstio suboritur, an
publica honestas ex illis proueniens sit in pri-
mo, vel secundo gradu. Ita declararunt Car-
dinales sacræ congregationis, vt refert *Rebel.*
16 *tom. de obligat. post tractatum de sponsalib.*

Tertia conclusio. Quando denunciationes
in Ecclesia præcesserunt, excusantur à pœna
in prædicto decreto Tridentini contenta illi,
qui ex ignorantia quantumuis crassa, & cul-
pabili alicuius gradus consanguinitatis, vel
affinitatis contrahunt matrimonium (dum-
modo ignorantia ad eum statum non perue-
nerit, vt constituat magnam temeritatem)
& minime tenetur postulans dispensatio-
nem eius gradus in eo casu ad hoc, vt dispen-
satio valida sit, narrare Pontifici matrimo-
nium ignoranter contractum, imo neque con-
summatum. Ita docuit *Sanchez loco citato, nu-
mero* 26. Quod probatur ex his verbis con-
tentis in prædicto decreto, scienter præ-
sumpserit, ausus fuerit, quæ verba temerita-
tem quandam sine dubio præseferunt, ergo
vbi ignorantia intercessit, & vbi denuncia-
tiones non sunt omissæ, dispensatio valida
erit. Vnde vt scandalum tollatur debent isti
in precibus enarrare Pontifici, se neque con-
traxisse matrimonium scienter, neque mali-
tiose. Vt autem ignorantia non modo excuset
à pœna prædicta, inualidam reddendi dispen-
sationem, sed etiam præbeat Pontifici occa-
sionem facilius dispensandi, debet esse iusta,
ac probabilis, & omni culpa vacare. Patet
ex illis verbis prædicti decreti, si vero solem-
nitatibus adhibitis impedimentum aliquod
postea subesse cognoscatur, cuius ille proba-
bilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum
17 eo, & gratis dispensari poterit.

Aduertendum tamen est, id quod in ter-
tia conclusione diximus, ad valorem dispen-
sationis non esse necessarium, narrare Pon-
tifici, matrimonium fuisse consummatum,
quando consummatum fuit ex ignorantia im-
pedimenti, & præcedentibus denunciatio-
nibus, intelligendum ita esse, vt non sit ne-
cessarium, efficere mentionem matrimonij,
copulæ tamen præcedentis dispensationem à
Pontifice concessam sine dubio facienda est
mentio in petitione, quia copula fuit in-

A cestuosa, & ignorantia gradus affinitatis,
vel consanguinitatis fuit culpabilis, vt sup-
ponitur in ea conclusione, quæ doctrina pa-
tet ex dictis in hac quæstione circa primum
statum eius.

Quæres tamen, an sufficiat alterius con- 18
iugis ignorantia, vt dispensatio in prædicto
casu tertiæ conclusionis valida sit. Huic dif-
ficultati respondetur cum *Enriquez libro* 12.
*de matrimonio, capite tertia, numero octauo in com-
mento littera S.* Vt prædicti coniuges liberen-
tur à subreptitia dispensatione, quod genus
quoddam pœnæ est, sufficere alterius tantum
ignorantiam, dummodo non sit ingens teme-
ritas. Probatur resolutio hæc, quia ita cre-
dendum est, & iuste præsumendum de benig-
B nitate matris Ecclesiæ, ne ille, qui quamuis cul
pabiliter ignoret, temerarius tamē non est, ab
Ecclesia puniatur pœna, quæ vt iam probaui-
mus, tantum imposita est contra eos, qui te-
mere matrimonium celebrare, aut consum-
mare non obstantibus impedimentis dirimen-
tibus audent. Ad hoc vero, vt facilius impe-
tretur dispensatio, requiritur vtriusque con-
iugis bona fides, dum contrahitur prædictum
matrimonium, quia cum facilius concedere
dispensationem, genus quoddam beneficij sit,
non oportet, illud conferre ei, qui peccatum
commisit, quia vel matrimonium scienter, vel
cum ignorantia culpabili contraxit.

Quarta conclusio. Quando quis scienter 19
matrimonium contraxerit intra gradus pro-
C hibitos, & sine parrocho, & testibus (in quo
casu matrimonium est nullum, vt patet ex *Con-
cilio Tridentino Sessione* 24. *cap.* 1.) non contra-
hit hanc pœnam *Tridentini, cap.* 5. de qua lo-
quimur. Ita docent *Enriquez lib.* 12. *de matri-
monio, cap.* 3. *numero octauo, & Sanchez loco cita-
to, numero* 34. Probatur hæc vnica ratione, pri-
mo, quia vt patet ex *lege nam ad ea. ff. de legibus,*
lex intendit punire ea, quæ frequenter acci-
dunt, non quæ raro contingunt, sed rarissi-
me, aut nunquam modo post Tridentinum
contingere poterat, matrimonium celebra-
ri sine parrocho, & testibus, quia omnes sciūt,
illud neque in foro externo, neque interno
esse validum, at quod aliqui intra gradus pro-
hibitos scienter contraherēt coram parrocho,
D & testibus, bene poterat timeri, quia saltem
hoc matrimonium exterius verum apparet
apud eos, qui ignorant impedimentum, ergo
hoc vltimum punire voluit Concilium, non
primum. Secundo probatur, quia maior au-
dacia, & maior contemptus Ecclesiæ est, ma-
trimonium nullum ob aliquod impedimen-
tum dirimens coram Ecclesia celebrare, cu-
ius auctoritate quis fulciatur postea ad
suum concubinatum, quam illud, etiam
nullum publice sine vlla auctoritate Eccle-
siæ celebrare. Tertiò probatur ex illis ver-

bis prædicti Decreti Tridentini, si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, &c. Vbi solum punitur ille, qui aliquo modo præsumit contrahere matrimonium, sed ille, qui coram Ecclesia ducit vxorem existente aliquo impedimento dirimenti occulto, saltem in foro externo intendit efficere matrimonium, & sine parrocho, & testibus contrahens nullo modo intendit contrahere matrimonium, neque in foro externo, neque in interno, ergo prior in vi illius decreti puniendus est, non vero posterior, recte video contrarium huius conclusionis defendi à *Petro de Ledesma de matrimonio, quæst. 56. art. vltimo dubio 9. difficultate 1. & ab Emanuele Rodriguez primo tomo, summæ in 2. editione cap. 238. num. 6. & Vega secundo tomo summæ, cap. 34. casu 97. fine.* Sed tamen quod docuimus, rationi magis consentaneũ videtur propter assignatam rationem.

20 Vltima conclusio. (Licet contrarium sentiant *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 3. num. 8. & Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 56. art. vltimo dubio 2.*) Cum copula incestuosa cõtigit inter affines, & consanguineos concepta ab his spe, eo modo facilius impetrandam dispensationem à Summo Pontifice, quia eius paterna viscera ad misericordiam excitabuntur, cum viderit ex negata à se dispensatione plurima, eaque grauissima mala verisimiliter timeri posse, huiusmodi spes narranda est Põtifici dum ab eo petitur dispensatio, alias dispensatio nullum valorem sortietur. Ita defendunt *Gutierrez lib. 1. quæstionum Canonicarum, cap. 15. num. 20. Emanuel Sa in summa verbo, dispensatio, num. 10. & alij Doctores.* Probatur, quia vt docet ibidem *Gutierrez*, stylus Curiæ Romanæ, cuius vim iam antea in hac quæstione explicuimus, ita obtinet, vt in prædicto euentu hæc spes narranda sit Pontifici, ita vt ea silentio prætermissa Pontifex non habeat animum dispensandi, ergo expressio talis spei necessaria omnino est, quia nisi id, quod ius præcipit esse exprimendum, exprimatur, dispensationem fore subreptitiam supra late vidimus.

21 Cum his, qui post receptum Conciliũ Tridentinum contraxerunt in secundo gradu cõsanguinitatis, vel affinitatis, & ante legitimam ætatem, concepta etiam spe facilius impetrandi dispensationem à Pontifice, & præsertim si venerint ad Curiam, atque agere cœperint pœnitentiam à se commissi peccati ipsis salubriter impositam, videtur esse dispensandum, etiamsi nulla signata sit supplicatio, quia & defectus ætatis, in quo vsus rationis infirmior est, & accessus ad Curiam coniunctus cum deuota quadam, & humili pœnitentia maxime possunt animum Pontificis ad dispensandum mouere, in primo enim casu minus ille peccauit, in secundo vero venia se constituit dignum.

Quæres deinde, an alicui prosit impetrata dispensatio, si eo ignorante impetrata sit? Cui difficultati facile respondetur (licet alij sentiãt oppositum, quos refert *Sanch. loco citato, disp. 26 num. 3.*) talem dispensationem aperte prodesse, sicut & alia priuilegia, etiamsi motu proprio concedantur, nisi oppositum velit Pontifex. Ita sentiunt *Emanuel Sa, in summa verbo, gratia, num. 23. & Vazquez 2. tom. in primam secundæ disp. 156. num. 33.* Probatur primò *ex lege vniuersi 6. C. de precibus imperat. offer.* quæ decernit, non referre, à quo impetratum sit priuilegium, dummodo à Principe concessum sit. Secundò probatur *ex cap. si motu proprio de prabendis in sexto, ibi. seu si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem,* ex quo colligitur, literas ad beneficia posse impetrari sine mandato generali, vel speciali eius, cui impetratur, ergo eadem est ratio de impetratione dispẽsationis. Vnde si quis dispensationem obtineat pro consanguinitate, qua coniunctus erat cum Maria, hæc dispensatio, etiamsi à Maria ignoretur, ei proderit, cum illud impedimentum commune sit vtrique. Ad hoc vero, vt dispensatio mandetur executioni, debet prius ab eo, in cuius fauorem concessa est, acceptari; vel ab habente speciale mandatum eius. Quam doctrinam circa beneficia docent *Felinus cap. nonnulli, §. sunt n. 46. de rescriptis, & alij,* & generaliter quantũ ad priuilegia docet nouissime *Vazquez loco citato, cap. 2.* Et eadem videtur esse ratio, quod attinet ad dispensationem matrimonij, imo eandem doctrinam in specie nostri casus docuit *Salas tomo de legibus, quæstione 96. tractatu 14 disp. 12. sectione septima, num. 29.* Probatur vero, vt dispensatio effectum suum sortiatur, requiritur acceptari eam ab eo, cui interest, quia dispensatio conceditur in fauorẽ priuatæ personæ, vt licite possit contra legem communem operari, & ita non dum censetur ei prodesse, quousque habeat notitiam illius, diuerso vero modo loquendum est, cum fit reuocatio totius legis statuentis aliquod impedimentum dirimens quoad totam Rempublicam, nam post reuocationem talis legis promulgatam debito modo, etiamsi quis contraheret cum mala fide, existimans se laborare illo impedimento dirimenti, quia nescit tale impedimentum esse ablatum per nouam illam legem reuocatoriam si tamen habeat animum contrahendi matrimonium eo modo, quo possit, validum matrimonium contrahet, quia tunc valor matrimonij non oritur ex priuilegio, quod nullum est concessum in eo casu, sed ex abrogatione legis, quæ constituerat impedimentum, quæ abrogatio, quia non fit in fauorem alicuius priuati sed potius totius Reipublicæ, non requirit scien-

scientiam priuatam, sed communem, quæ sufficienter habetur media promulgatione legitime facta.

23 Quæres vltimò, an potestas dispensandi, supposita veritate precum, quæ communiter officiali Episcopi, id est, Vicario generali committitur, cesset eo mortuo, vel amoto ab officio? Ad quod respondendum est, diligenter esse examinandas literas commissionis; si enim ex illis colligitur commissionem esse personalem, id est, factam huic tantum personæ, commissionem, ac totam facultatem dispensandi cessare eo mortuo, vel amoto ab officio, si autem colligitur, esse realem commissionem, id est, factam cuilibet constituto in dignitate Vicariatus, tunc etiamsi ille, cui præsentatæ sunt literæ, B mortuus fuerit, vel amotus ab officio, transit commissio ad successorem, sed cum ad hoc inuestigandum non sunt aliæ coniecturæ, quoties commissio fit expresso nomine proprio, vt Petro, etiamsi addatur simul nomen officij, est personalis, & quoties fit expresso solo nomine dignitatis, vt Vicario Salmantino est realis, quam regulam colligunt Doctores communiter *ex capite quoniam Abbas de officio delegati*. Vnde mortuo vel amoto Vicario, nequit Episcopus dispensationem expedire, quia ea commissa est Vicario Episcopi, & iste, ac Episcopus sunt diuersæ personæ *ex capite venerabilibus de sententia excommunicationis in sexto*. Imò Vicarius electus ab Episcopo, altero mortuo, C ad hanc tantum dispensationem executioni mandandam, nequit eam expedire, quia committitur principali Vicario expeditio, & habenti ordinariam iurisdictionem, quæ duo non conueniunt ei, de quo loquimur. Hanc autem commissionem factam Vicario Episcopi sub hoc nomine Vicarij Episcopi possunt Vicarij capituli sede vacante exequi, quia capitulum succedit in omni iurisdictione ordinaria Episcopo, & in omni iurisdictionis commissione facta dignitati Episcopali, & Vicarius capituli eodem modo succedit Vicario Episcopi, & eandem commissionem poterit etiam exequi Vicarius prælati habentis iurisdictionem Episcopalem in sua Diœcesi nulli Episcopo subdita, vt Vicarij quorundam Abbatum, quia D *in Clementina secunda, de rescriptis*, in qua dicitur, generales Episcoporum Vicarios esse capaces delegationis à Papa concessæ, vel ab eius legato, nomine officialis, vel Vicarij Episcopi comprehenditur etiam officialis eius, qui licet Episcopus non sit, habet tamen iurisdictionem Episcopalem. Ita defendunt *Stephanus, & Matthæus super Clementinā citatam, relati ab Immola in ea Clementina, num. decimonono*. Et etiam Vicarius Episcopi illius, qui est electus, & confirmatus à Papa, nondum tamen consecratus, potest easdem literas dispensationis, & commissionis exequi, quia tunc Episcopus, & eius Vicarius gaudent iurisdictione Episcopali absque dubio.

Imò, si sint duo officiales, & vnus sit magis præcipuus altero, delegatio facta officiali ad dispensandum in aliquo impedimento dirimenti, vel impedimenti, censetur facta officiali præcipuo, iuxta regulam Dialecticorum, Analogum per se sumptum stare pro famosiori significato, at qui cum duo illi officiales sunt æquales omnino, partes impetrantes dispensationem possunt quemlibet eligere, quia hæc materia non est contentiosa, sed voluntaria prorsus (in contentiosa autem, in qua partes non sunt conformes, designandus est officialis à Summo Pontifice) cum vero officialis semel acceptauit literas dispensationis, debet rem vsque ad sententiam exequi, neque potest alius adiri etiam de eius licentia, vel cum præstitit vnus Vicarius absque expressa acceptatione id, quod requiritur, ad hoc vt negotium cœptum videatur, quia negotium vbi cœptum est, ibi est terminandum *ex lege vbi cœptum. 30. ff. de iudicijs*. Quid autem requiratur, ad hoc vt negotium cœptum videatur, nostrum non est examinare videatur apud *Sanchez, 3. tom. de matrimonio, lib. 8. disp. 28. in principio*, quidam enim ad hoc citationē partium requirunt, alij quolibet actu antecedenti citationem contenti sunt. 24

Quod si in foro conscientiæ committatur dispensatio alicui confessario, non nominata persona (licet contrarium doceat *Nauar. lib. 1. consiliorum 2. editione. titulo de officio delegati, consilio 8.*) tamen cum *Sanchez loco citato, n. 40.* dicendum est illum, in cuius fauorem concessa est dispensatio posse eligere cōfessariū, quem maluerit, & quamuis semel accesserit ad vnum confessariū, quem elegerit ad dispensationem exequendam, & ille iudicauerit dispensationē esse subreptitiā, posse tuta conscientia alium quærere confessarium, qui contra sentiat, & ei literas cōmissionis de nouo offerre ad dispēsandum. Probatur primò, quia Pontifex præcipit cum isto dispensari, ergo quoties non fuit dispensatum, potest alius eligi, si aliud nō obstet, quia actus dispēsandi non fuit cōsummatus (licet de officiali, cui cōmittitur dispēsatio in foro externo, aliter sit loquendū, nā si iste semel pronuntiauit suam sententiā, etiamsi postea se deceptū inueniat, adeundus est Pontifex, qui commisit talē dispensationem, nam iudex delegatus, vbi semel, licet inutiliter, ac inualide iudicauerit, non potest iterum iudicare, prout facere potest ordinarius, qui iure proprio iudicat, vt docent communiter Doctores *in lege iudex postea quam. ff. de re iudicata*, & vt optime 25

 cum

cum alijs concludit *Gutierrez quæstionum canonicarum lib. secundo cap. 2.*) Secundo probatur nostra resolutio efficaciter, quia ea commissio facta in foro conscientiæ, debet sequi naturam eius fori, natura autem eius fori est, vt nullus teneatur sequi sententiam vnius confessarij, sed possit alium magis propitium quærere, vt quotidiana docet experientia in his, qui virtute Bullæ possunt confessarium eligere, cum tamen vnus dispensauit, nequit retractare sententiã, quia iam actus fuit consummatus. Quod si semel pronuntiauit, literas esse falsas, & se non posse dispensare, potest postea in fauorem animarum sententiam retractare, & dispensare, quod totum intelligitur esse iuxta mentem Papæ, vt forus iste suauis reddatur, qui de se difficilis est, cum in eo idem homo & sit reus, & actor.

26 Et tandem officialis Episcopi, cui dispensatio committitur, potest alteri delegare scrutinium veritatis precum, quod iurisdictionis est, non ipsam dispensationem, quod ministerium est. Quod probatur ex regula *Innocentij, capit. final. de officio delegati in fine.* quem alij sequuntur, scilicet, quia vbi nudum ministerium simul cum aliqua iurisdictione committitur à Principe, non potest nudum delegari ministerium, at potest iurisdictio delegari.

QVÆSTIO XII.

Vtrum commissiones dispensandi in impedimentis matrimonij, vel alijs rebus, quæ in foro externo ordinarijs cõmittuntur, in interno autem confessoribus expirent morte concedentis re integra?

1 Res dicitur tunc incepta, cum iudex, cui literæ iustitiæ, vel gratiæ commissæ sunt, exercet aliquem actum iudicialem ad inceptionem causæ sufficientem, qui qualis sit ex §. vltimo præcedentis quæstionis liquet. Res vero dicetur integra, cum non est inceptum iudicium, neque iudex aliquem actum præstitit ad inceptionem causæ sufficientem, & hoc sit primum notabile.

2 Secundum notabile sit, quotuplex sit gratia. Hoc enim cognoscere, necessum est, quia commissiones ad dispensandum in impedimentis matrimonij, gratiæ nuncupantur, est autem gratia duplex, alia facta, alia facienda, vt notauit *Sanchez tertio tomo de matrimonio, libro octauo disputatione 28. numero 94*

Facta dicitur, quia respectu eius, in cuius fauorem conceditur, non pendet ab executione alicuius, aut pendet ab executione commissarij necessarij, cui imponitur præceptum exequendi. Facienda vero dicitur, quæ respectu eius, cui conceditur, non est perfecte concessa, sed pendet ab executore voluntario, cui non committitur sub præcepto executio gratiæ. In quibus gratijs loquimur de gratijs absolute concessis, quales sunt dispensationes nostræ matrimoniales (non de gratijs cum limitatione temporis, vel cum alijs limitationibus, vt vsque ad beneplacitum nostrum, donec ve reuocauerimus eas, concessis, de quibus videndus est *Sanchez disputatione citata à numero 49.*) Gratia quidem facta non perijt morte concedentis etiam re integra: facienda vero perijt morte concedentis re integra non vero re non integra. Ita loquuntur de his gratijs, quod expirent, vel non expirent *Sylueſter verbo, gratia, quæstione secunda, Nauarrus in summa Latina noniter edita, capit. 27. numero 253. versicul. nono, Sairus thesauro casuum, tomo primo lib. septimo, capit. decimo quarto, numero sexto,* & colligitur, *ex capit. si cui nulla, de præbendis in sexto.* Vbi definitur, facultatem alicui concessam conferendi beneficia minime expirare obitu eam concedentis etiam re integra. Quod si talis facultas detur ad conferenda beneficia personis non in gratiam, vel fauorem collaturi, sed in gratiam eorum, quibus beneficia conferenda sunt, perire eam morte concedentis re integra. In quo textu eam rationem nobis reddit glossa, quod in primo casu, cum sit gratia concessa in fauorem collaturi beneficia, censetur gratia facta, & perfecta, in posteriori casu est gratia facienda, quia ordinatur vt fiat in fauorem tertij, & nondum est perfecta, in quo textu, quia minister erat voluntarius, & non necessarius, censetur gratia facienda. Ita intelligit prædictum textum *Sanchez loco citato, numero 87.* textus verba hæc sunt ad nostrum propositum: *Secus si super prouisione certæ personæ facienda data sit potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem.* Vbi verbum potestas significat, ministrum fuisse voluntarium, & non necessarium. Neque obstant illa verba, *Prouideri mandatur*, quia vt conueniant cum verbo illo, potestas, significant, committi prouisionem beneficiorum, non tamen ministro alicui necessario, & quidem, quod in eo casu, quod minister executurus gratiam sit voluntarius, id est, non coactus medio aliquo præcepto ad exequendam, censeatur gratia faciẽda, & cum minister est necessarius, & obligatus ad gratiã executioni mandandã, sit gratia facta, eoq; nomine proprie

prie nuncupetur, apertè senserunt *Hieronymus Paulus in practica chancellariæ titulo declaratoria super proponente, §. præstantissime Doctor, & Rebufus in concordatis vbi de mandatis Apostolicis*, §. 1. Et probatur, quia in primo casu, quo minister est voluntarius, nullus habet ius adquisitum ad gratiam: non minister executurus illam, quia gratia eius fauorem minimè respicit. Præterea neque ille, in cuius fauorem conceditur, habet aliquod ius ad gratiam adquirendam, quia cum executio gratiæ relinquatur in libera voluntate ministri, nulli censetur adquisitum ius, in posteriori vero casu, quo minister necessarius est, gratia censetur facta, quia ille, in cuius fauorem conceditur, ius habet compellendi ministrum, vt eam aliquando executioni demandet.

3 His suppositis, quidam senserunt, omnes commissiones concessas ad dispensandum in impedimentis matrimonij perire mortuo eo, qui illas concessit, quando res erat integra. Ita defendunt *Nauarrus in summa Latina, cap. 29. numero 253. versicul. nono, Sairus in thesauro casuum, tomo primo, lib. septimo, cap. 14.* Probatur, *ex capite si cui nulla. allegato in hac quæstione*, in quo pronuntiatur, commissionem aliquid exequendi in fauorem certæ personæ expirare morte concedentis illam, quando res erat integra, sed Pontifex, & summus pœnitentiarius non dispensant, sed committunt ordinario, vel confessario dispensationem faciendam, peribit ergo commissio mortuo committente, si res maneat integra. Secundò probatur, quia istæ commissiones non conceduntur nomine dignitatis concedentis, hac enim ratione consideratæ quandam perpetuitatem induerent, sicut & dignitas, quando ordinaria est, illam induit, sed conceduntur in nomine personæ Pontificis, hæc autem non est perpetua, sed definit esse, ergo desinente Pontifice, reque manente integra commissio permanere nequaquam potest. Tertiò probatur ex quadam decisione Rotæ relata à *Dominico, capit. si super gratia, numero septimo, vers. sed pone de officio delegati in sexto*, vbi affirmatur, in eo casu, quo Pontifex in suis literis mandet cuidam executori, vt vocatis vocandis, si est ita, vt partes referunt, conferat cuidam beneficium, tale mandatum expirare morte Pontificis re integra. Sed idem reperitur in commissionibus concessis ad dispensandum in impedimentis matrimonij, ergo etiam istæ expirant, si Pontifex moriatur re integra, id est, antequam inferior cœperit ad executionem procedere, quæ quidem sententia, vt verum fatear, magnā præsefert probabilitatem.

4 Sit conclusio. Huiusmodi commissiones concessæ ad dispensandum in impedimentis matrimonij non pereunt mortuo concedente

A illas, etiamsi res integra permaneat. Hanc conclusionem tuentur *Suarez in tomo de censuris, disp. 41. sectione secunda, Petrus de Ledesma in summa de sacramentis, vbi de matrimonio cap. 27. vers. secunda conclusio in fine, Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 2. num. 5.* Probatur, quia vbi in commissionibus gratiæ minister gratiam executurus necessarius est, gratia iudicatur quasi concessa, & quasi executioni mandata, vt satis probauimus in secūdo notabili huius quæstionis, sed in commissionibus ad dispensandum in huiusmodi impedimentis concessis minister executurus dispensationem necessarius est, quia ei præcipitur, quod si preces veritate nitantur, dispenset: ergo gratia hæc non erit facienda, sed facta, vnde non peribit e-

B tiam re integra, morte concedentis, & committentis.

Ex his patet ad argumenta opposita. Ad primum patet ex secundo notabili, vbi eum textum pro nobis expliciumus. Ad secūdum respondetur, eas gratias esse perpetuas nō, quia dentur nomine dignitatis, non enim conceduntur, nisi nomine personæ, vt patet ex illis verbis, Paulus Episcopus, & ex his, nobis supplicati fecerunt, &c. sed quia sunt gratiæ factæ, & absque vlla limitatione. Ad tertium respondet *Sanchez loco citato, num. 95.* eam decisionem esse intelligendam de iurisdictione contentiosa inter partes, quæ cessat morte concedentis re integra, nō de commissione in rebus gratiæ factæ absolutè, & sine limitatione. 5

C

QVAEST. XIII.

Vtrum dispensationes, & alia gratiæ viua solum voce concessa à Pontifice, dum viueret, habeāt vim eo mortuo, & an prima vice extinguātur, & alia circa dispensationes?

SIT prima conclusio. Gratiæ ad suum valorem, seu substantiam non indigent literarum expeditione. Hanc sententiam defendunt communiter Doctores *Glossa in clementina dudum: de sepulturis, Abbas cap. in nostra num. 11. de rescriptis, Ripa responso 13. num. 4. de rescriptis, Molina tomo de iustitia, disp. 599. num. primo, Sairo de pœnitentia, cap. 22. numero tertio, fine, & alij.* Probatur primò ex *Clementina dudum. de sepulturis*, vbi hæc omnia valida esse dicuntur, vniuersa priuilegia, gratias, vel indulgentias verbo, vel scripto seu quacunque forma. Secundò probatur, quia gratia est quædam liberalis donatio, hæc autem eo ipso quod fit, est in se perfecta, non indigens aliquo scripturæ instrumento, ergo gratia literarum 1

D

A expeditione non egent, hæc autem concluſio ita vniuerſaliter, & abſolutè vera eſſe debet, vt nulla prorſus egeat limitatione, aut moderatione.

2 Secunda concluſio. Diſpenſatio non prodeſt, neque vim habet in foro externo, ſi literæ non expediantur, poſtquam tamen expeditæ ſunt, retrotrahuntur, & proſſunt à puncto conceſsionis, & vim habet, etiamſi ſuper eum literæ expediantur mortuo iam Summo Pontifice, qui eas conceſsit. Ita tenentur *Pater Molina tomo 3. de iuſtitia diſp. 599. num. 1. & Barthol. Socinus conſilio 41. num. 3. volumine 3.* Prima pars concluſionis, quod ſcilicet non proſit diſpenſatio in foro externo, donec literæ expediantur, probatur ex *regula cancellariæ 53. quæ apud Rebuſum in praxi beneficiorum, vbi de regulis cancellariæ, eſt regula 56.* B Vbi pronunciatur, diſpenſationem non ſuffragari niſi literis expeditis, verbum enim ſuffragari ſignificat aliquid pertinens ad forum contentioſum, vt docet *Molina loco citato*, quod autem diſpenſatio ſcripta proſit à tempore conceſsionis, patet, quia regulæ cancellariæ, quæ petunt literarum expeditionem, non petunt literas eſſe expeditas à tempore, quo iudicium incipit, ergo credendum eſt, cum hæc res ſit fauorabilis, ſufficere etiam ad forum externum expeditionem quocunque tempore factam.

3 Hinc fit, diſpenſationes, & alias gratias non expirare in iſto caſu mortuo Pontifice ante earum expeditionem. Probatur, quia iam gratia erat viua voce perfecte facta, ergo non periit C morte concedentis, vt patet ex præcedenti quæſtione. Ita ſentiunt *Pater Molina loco citato, & Sairo de pænitent. c. 22. n. 3. in fine & alij.*

4 Secundo fit ex prima, & ſecunda concluſione certum, poſſe quemlibet in foro conſcientiæ vti diſpenſatione, & gratia ante literarum expeditionem. Ita docent *Molina loco citato, & Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 3. num 7. & alij multi.* Patet, quia gratia ſine literarum expeditione in ſe eſt valida, & ſolum requiritur expeditio pro foro externo, vt patet: ergo in foro interno, & conſcientiæ valida eſt.

5 Contra hoc obijcies *regulam cancellariæ 50. Gregor. XIII.* quæ habetur in libro motuũ propriorum, vbi Pontifex loquens de diſpenſa- D tionibus ſic ait, nulla talis diſpenſatio cuiquã in iudicio, vel extra ſuffragatur, ante quam ſuper ea literæ Apoſtolicæ ſint confectæ, ergo diſpenſatio ſine literarum expeditione, neque valet in foro externo, neque in interno. Sed ad hoc reſpondetur cum recentioribus, Pontificem ſolum ſignificare, extra forum conſcientiæ, ad nullum effectum externum prodeſſe diſpenſationem ſine tali expeditione, ſiue iudicium proprium ſit, quale eſt contentioſum, ſiue non contentioſum, vbi quis contendit ad officia admitti, vel ad aliquam communitatẽ.

Circa ſecundum pūctū quæſtionis, an diſpenſationes prima vice, qua illis vtimur, extinguantur, magna eſt inter Doctores concertatio. Vt verbi gratia, emiſit aliquis votum caſtitatis, vel religionis, & obtinet diſpenſationem contrahendi matrimonium non obſtante voto, merito dubitatur, an iſte ſemel tantum poſsit inire matrimonium ex vi illius diſpenſationis, an ſæpius? De alijs enim impedimentis certum eſt, obtentam diſpenſationem circa illa tantummodo ſuffragari pro prima vice, vt ſi Petrus impetret diſpenſationem ad contrahendum matrimonium cum Ioanna ſua conſanguinea, ſemel tantum poterit ex vi illius diſpenſationis matrimoniũ inire, nam ea mortua non poteſt aliam conſanguineam ducere vxorem, quia ad eam non ſe extendit illa diſpenſatio. 6

Circa præſentem difficultatem *Thom. Sanchez 3. tom. lib. 8. diſp. 31.* ſentit diſpẽſationem non extingui prima vice, ſi abſolutè concedatur, ſed ex vi illius ſæpius poſſe celebrari matrimonium. Probatur hęc ſententia, quia in eo caſu tollitur, verbi gratia, votum quod impediebat matrimonium, tale ergo votum nunquam obſtabit, etiamſi ſæpius vouens velit cõtrahere matrimonium. Propter quam rationẽ ſentit idem auctor, diſpenſationem conceſſam in voto non ſeruandum ſe totum, ſed ſecũdum partem, vt ad celebrandum matrimonium, ſi tamen cauſa ſemper permaneat, propter quam diſpenſatio conceſſa eſt, ſemper, ac ſæpius prodeſſe, vt matrimonium licite celebretur: imò eandem doctrinam defendit in eo caſu, quo diſpenſatio tantum fit conceſſa ad contrahendum matrimonium cum certa quadam perſona, ſcilicet eum in cuius fauorem conceſſa eſt talis diſpenſatio, poſſe contrahere cum qualibet fœmina, dum tamen cauſa diſpenſationis concedendæ vim habeat reſpectu cuiuslibet fœminæ, ſcilicet periculum incontinentiæ, quod quis propoſuit Pontifici, vt cum eo diſpenſaret ad hoc, vt poſt votum caſtitatis emiſſum poſſet contrahere cum certa quadam fœmina. 7

Sed ſalua pace huius Doctoris, hæc ſententia non placet, atque in primis vltima pars eius ſententiæ falſa mihi videtur, in qua defendit, diſpenſationem conceſſam ad contrahendum cum certa perſona vim habêre ad hoc, vt poſſet quis contrahere cum qualibet, quando cauſa diſpenſandi reſpectu omnium perſonarum habet locum. Huius autem partis falſitas probatur primo, quia ſi Pontifex ea exiſtente cauſa non diſpenſaret cum vouente ad contrahendum matrimonium, certum eſt, eum cum nulla fœmina poſſe licite celebrare matrimonium, ergo cum diſpenſat ad hoc, vt cum vna determinata poſsit illud contrahere, cum alijs minime ei licebit matrimonium. Secun- 8

dò

dò probatur, quia cum dispensatio limitatur ad contrahendum cum certa persona matrimonium, satis aperte limitatur facultas ad semel tantum contrahendum, sæpius ergo matrimonium contrahi nequaquam potest. Neque valet asserere, causam esse communem respectu omnium personarum, quid enim prodest, causam fuisse communem, si verba Pontificis specialia sunt? Optime autem potuit Pontifex etiam causa existente communi, & postulante sæpius matrimonium celebrari, tamen pro vnico tantum matrimonio dispensare. Tùm, quia pro illo tempore constantis matrimonij poterit causa communis cessare, tùm quia licet causa perseueraret, voluit Pontifex, eius durationem cognoscere, & rem ita arduam sæpius examinare, ne quis propria passione deceptus facile existimaret, causam suæ dispensationis semper perseuerare, cum tamen iam cessasset, atque ita in grauia dilaberetur peccata. Reliquas partes sententiæ Sanchez in sequentibus satis impugnabimus.

9 Sit conclusio vnica in hoc puncto. Cum dispensatio non explicat, an ad plura matrimonia, vel ad vnicum tantum se extendat, siue sit absoluta, & sine limitatione concessa, atque in totum alicuius voti impedientis matrimoniū, siue sit partialis, vt cum in ea conceditur facultas tantum ad matrimonium celebrandum nō obstante voto, si tamen dispensatio prædicti voti postuletur à Pontifice cum expressione finis intenti ineundi matrimonium, solum censetur prodesse ad hoc, vt vnicum tantum matrimonium licite possit celebrari. Ita sentit *Enriquez lib. 12. de matrimonio, cap. 5. num. 7. in commento littera V.* Probatur primò, *ex cap. 1. §. ille vero, de filijs presbyterorum in sexto*, vbi dicitur: *Illegitimum, cum quo dispensatur ad beneficiū obtinendum, non posse, nisi vnicum obtinere beneficium.* In quibus verbis non vult textus excludere pluralitatem beneficiorum curatorum, de quibus est ibi sermo, quia hæc etiam in legitimis filijs exclusa erat per caput de multa, de præbendis, sed vult, talem dispensationem solum pro prima vice prodesse: qua ratione eum textum intelligunt *Francus, capit. non potest in princ. num. 7. de præbendis in 6.* Dicens, hunc intellectum textus esse approbatum stylo Curiæ & *Archidiacon. dicto cap. 1. in fine*, ergo idem est de dispensatione ad matrimonium. Secundò probatur, ex ratione dicti textus, quia dispensatio est stricti iuris, ergo primo actu censetur omninò extincta. Tertiò probatur ex *l. bones, §. hoc sermone. ff. de verborum significatione*, vbi dicitur, sermonem simpliciter prolatum intelligi de prima vice, ergo dispensatus ad matrimonium, tantum censetur ad primum matrimonium dispensatus. Quartò, quia vt bene *Sanchez in principio huius tractatus de dispensationibus*, in dubio, an dispensatio extendatur ad aliquem actum, quia contrà ius commune est, iudicandum est non extendi. In nostro autem casu revera verba dubia sunt, non ergo sunt extendenda vltra primum matrimoniū. Dixi autem in hac conclusione hanc dispensationem solum prodesse pro primo matrimonio, quando ea petitur ad finem matrimonij, quia si revera petatur absolutè, & sine fine matrimonij, omninò censetur auferri votum, ac proinde licere sæpius contra promissa in voto matrimonium celebrare.

Ad rationem autem *Sanchez*, patet solutio ex nostra conclusione.

Quæret tamen aliquis primo, an ille, qui semel renuntiauit dispensationi, possit ea vti de nuo sine eo, quod renunciatio à superiore, à quo dimanauit ea gratia, vt à Pontifice (nam ab inferiore, vt ab ordinario, cui committitur non sufficit) acceptetur. 10 Ad hoc respondetur cum *Loazes de matrimonio Regis Angliæ, dubio 12. num. 18.* eam renunciationem debere à superiore acceptari, vt dispensatio suas vires amittat. Probatur, quia res per quascunque causas nascitur, per easdē dissoluitur: sed vis dispēsationis pependit ex volūtate Papæ, v.g. & acceptatione eius, cui conceditur, ergo vt ea vis destruatur, ex renūciatione dispēsati, & acceptatione renunciationis factæ à Papa depēdere debet, nisi impedimentū, super quod dispensatio contigit, esset aliquod votum, tunc enim non esset necessaria acceptatio Papæ, sed sola dispensationis renunciatio sufficeret, quia esset noua constitutio voti, quod nouum votum non posset illa priori dispēsatione tolli, si iam est mandata executioni, quia solum illa extenditur ad votum ante emissum, non vero ad votum postea emittendum. Si vero contingat renunciationem fieri antequam dispensatio mandetur executioni per ordinarium, potest ille, in cuius fauorem concessa est dispensatio voti, verbi gratia, si illi priuilegio renunciet, mutata voluntate, eo vti priuilegio dispensationis, antequam superior renunciationem acceptet, quia antequam ordinarius, vel confessarius ea commissione dispensandi vtatur, nō habuit suum effectum dispensatio, sed manet in pendenti, & præterea illa sæpius mutata voluntas vouentis, qui volt suum votū obseruare, non inducit nouam obligationem, neq; cōstituit nouum vinculum, sed idem sæpius repetitum, & ideò virtute eius commissionis concessæ ad dispensandum in eo voto potest in eo dispensari, quia enim commissio illa concessa ordinario, vel confessario ad dispensandum in meo voto non à sola mea voluntate pendet, sicut dependet quidem votum, nō potest per solam meam renunciationem vires amittere, sed præterea requiritur superiorem eam renunciationem acceptare, ad hoc vt facultas dispensandi viribus destituatur.

12 Ex quo sequitur in eo casu, quo dispensatio obtinetur circa consanguinitatem, vt aliqui eo impedimento ligati inter se contrahant, & isti pro tunc non contrahant inter se, sed cum aliis non consanguineis, postea tamen ea matrimonia morte naturali dissoluantur, posse eos ex vi prioris dispensationis inter se contrahere matrimonium, dum modo antiqua causa dispensandi omnino perseueret. Probatur hoc, quia ex vi prioris matrimonij ab vtroque celebrati, nullus eorum censetur renuntiare gratiæ dispensationis sibi antiquitus concessæ, quia illi rectè nouerant posse sibi casum viduitatis accidere, in quo vtile foret tale priuilegium, quod etiam in eo euentu videtur habere vim, quo Summus Pontifex dispensationē concedens nouerit eos consanguineos cum aliis extraneis matrimonia contraxisse, quia cū partes, ad quas attinet dispensatio, nullo modo renuntiauerint dispensationi, Pontifex cognoscens etiam prædicta matrimonia renunciationem non acceptauit, neque reuocare censetur primam illam gratiam à se commissam.

13 Quæres secundò, an dispensatio semel concessa possit ad libitum concedentis reuocari? huic difficultati respondemus primo concessa dispensatione à Pontifice circa aliqua impedimenta matrimonij per modum contractus, Vt in remunerationem meritorum ex sola gratitudine impellentium voluntatem Pontificis, vel concessa in compēsationem pecuniæ datam ab his, qui impedimentis laborant in dataria Romana ad sumptus Pontificis subleuandos, tunc non posse Pontificem eam dispensationem reuocare licitè absque causa aliqua sufficienti. Ita docuit *Sanchez lib. 8. de matrimonio. disp. 33. num. 3. & 13.* Vbi alios Doctores in huius veritatis confirmationem profert, huius ratio est, quia quemadmodum quilibet priuatus homo tenetur ad seruandum contractum à se celebratum, ita etiam Summus Pontifex tenetur ad conseruandam suam dispēsationem, quam per modum contractus semel concessit, si tamen de facto Pontifex prædictam dispensationē reuocaret, valida esset reuocatio, quia in rebus à iure Ecclesiastico dependentibus liberam habet facultatem. Imò addimus, etiamsi gratis dispenset Pontifex, & non per modum contractus, si tamē ex aliqua causa ex his, quas supra prælibauimus, dispensat, & res eodem modo se habeant, & causæ dispensandi eodem modo perseuerent, posse Pontificem validè reuocare dispensationem prolibito, & absque causa propter rationem proximè allegatam, peccaret tamen ex eo, quod abuteretur potestate spirituali, quod peccatum (quamuis de magna in rebus agendis prouidentia Summi Pontificis præsumendum nunquam sit) communiter tantum erit veniale, poterit tamen in duobus euentibus esse lethale. Primo cū Pon-

A tifex sub peccato lethali tenetur ad dispēsandum propter bonum cōmune, vt cum necessarium esset, Regem Hispaniæ contrahere matrimonium cum Regina Galliæ ad maiorem fidei dilatationem, vel cum Pontifex eodem modo tenetur dispensare propter vrgentem necessitatem alicuius priuati hominis, vt cum quis existens in domo suæ consanguineæ cerneret, se esse in grauissimo periculo cōmittendi peccatum luxuriæ cum illa, & non posset ab eius domo separari sine publico totius populi scādalo.

Secundo respondetur eidem secundæ difficultati, non posse dispensationes in foro conscientiæ concessas à sacra pœnitentiaria absq; causa sufficienti reuocari, quia pœnitentiaria 14
B tunc dispensat ex commissione Pōtificis, quæ commissio non censetur collata ad talem reuocationem præstandam, quia cederet in damnū spirituale animarum, ergo non potest talis dispensatio sine causa reuocari, cum causa vero sufficienti potest sacra pœnitentiaria dispensationes à se concessas reuocare, licet id non possint præstare ordinarij dispensantes ex commissione Pontificis, quia ei amplior, quā his concessa videtur potestas. Ita sentiunt *Glossa, cap. cum ex eo. verbo. septennium, de electione in sexto, Ostiens. in summa titulo de clericis non residentibus, num. vltim. & alij.*

QVÆST. XIIII.

C *Quæ clausulæ soleant apponi in dispensationibus pro foro interno, & externo, & qua ratione intelligendæ sint?*

CLAVSVLÆ apponi solitæ pro foro interno in dispensationibus concessis in ordine ad matrimonium celebrandum in voto religionis, in voto castitatis, in affinitate ex fornicatione occulta proueniente, siue matrimonium non dum fuerit initum, siue initum iam fuerit, & de nouo validè ineundum sit, optime referuntur à *Thoma Sanchez*, & eruditè examinantur, *lib. 8. de Matrimonio, disp. 34. in princip.* apud quem Auctorem latius videri possunt, pauca tamen breuiter dicemus. 1

D Dum conceditur dispensatio in voto religionis, vel castitatis, hæc solent subijci verba: *Eundem à mutatione propositi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta iniuncta ei pœnitentia salutari.* Pro cuius clausulæ interpretatione notandum est; in ea concedi facultatem ei, ad quē dirigitur commissio ad dispēsandum, vt si forte contra votum peccauerit ille, cum quo dispensandum est, prius absoluatur ab eo peccato, quę facultas necessaria videtur ad hoc, vt si forte peccatū illud Episcopus reseruauerit, possit auferri sine licentia Episcopi. 2

Alia

3 Alia etiam clausula cōtinetur in eadem dispensatione sub hoc verborum tenore, *dispensando cōmutes in foro conscientiæ tantum*, sed hæc clausula ita est intelligēda, quod prædicta dispēsatio nō possit pro foro externo, in quo proceditur cum testibus, & notario, quod indicāt illa verba per diligentem oratoris examinationem, quæ solent apponi in eadem dispensatione, prodest ex vero vi illorū verborū, pro foro secreto distincto à pœnitentiali confessionis, sunt enim tres fori considerandi, vnus externus, secundus conscientiæ, tertius pœnitentialis, neque enim credendum est, velle Pontificem, eam suam dispensationem tantum in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ iuuare, quia alias nimium restringeretur, vtrunque autem istum forum, & conscientiæ, & pœnitentiæ distinctum esse docent *Emanuel Rodriguez quæstionum Regularium, tomo 2. quæst. 61. art. 10. & Nauar. lib. 5. consiliorum 2. editione, tomo de priuilegijs consilio 11. num. 2.* Quod patet à simili ex doctrina *Nauarri*, secundum quam, & secūdum praxim receptam, Episcopi extra cōfessionem absoluunt à quibusuis casibus occultis, eum tamen eis committat *Concil. Triden. Sessio. 24. de reformatione, cap. 6.* Absolutionem horum casuum iu solo conscientiæ foro, quod si obijcias, iu dictis clausulis exigi eum, qui literas executurus sit, esse confessarium, hoc ad eum finem tendit, vt sciat executionem literarum præstare, & absoluere â mutatione prædicti propositi.

4 Etiam in dispensationibus dictorum votorū imponitur ei cum quo dispensandum est, onus confessionis, quæ potest à confessario semel in mense, vel rarius iniungi, vt patet ex verbis illis: *Singulis scilicet mensibus, semel; aut quoties tibi videbitur*, imo contra *Sanch. in dicta disp. 34.* Sentio, quod si ille, cui singulis mensibus sit imposita confessio, in aliquo mense non confiteatur, cogendum eum esse, in sequenti mense bis confiteri, quod simile est illi resolutioni, quam defendimus iu materia de pœnitentia, scilicet eum, qui vno anno non impleuit præceptum confessionis, debere in altero sequenti bis confiteri, cuius ea est assignanda ratio, quia confessio hæc non tam imponitur pro onere, quàm ad perfectionem augēdam, & supplendam excellentiam voti, licet vt verum fatear oppositam sententiam nō iudicem improbabilem. Et eo mense quo iste vellet satisfacere præcepto confessionis annuæ, tantum obligaretur ad vnam confessionem, ea que satisfaceret, & dispensationi, & Ecclesiæ præcepto, quia non est credendum Pontificem velle maius ei onus imponere, alia vero pœnitentiæ opera assignata in eadē dispensatione, quot & quantæ durationis futura sint, ex tenore dictarum dispensationum aperte liquet, & ita non est necesse in his amplius immorari.

A Quando autem dispensatio conceditur, vt matrimonium licite possit celebrari non obstante affinitate occulta, aut incestu occulto apponitur clausula, per quam proles legitimatur antea habita, vel postea habenda, in qua revera quoad spiritualia, & temporalia legitima redditur à summo pœnitentiario proles, & tantum in foro conscientiæ, quando nondum erat matrimonium celebratum, & dispensatur ad hoc, vt celebretur legitimando prolem suscipiendam, & ratio huius est, quia matrimonium iam est legitimum, quando proles nascitur, ergo proles in foro interno omnium priuilegiorum capax est, quæ conceduntur legitimis, quando vero matrimoniū nondum erat celebratum, & dispensatio conceditur ad hoc, B vt celebretur matrimoniū, legitimam reddēdo prolem antea susceptam, tantum proles quoad spiritualia legitimatur. Patet, quia cum tunc non præcesserit aliquod matrimonium, sed tātum quidam concubinatus, in cuius tempore suscepta est proles, non potest Pontifex eam quoad temporalia legitimare extra loca suæ iurisdictionis temporalis, quia cum tunc nullum præcesserit matrimonium, etiam sic existimatum bona fide, in quo directè Pontifex dispenset, legitimando prolem ex eo habitam indirectè, id esset, legitimare eā directè quoad temporalia: quod non potest præstare, cum careat iurisdictione temporali extra loca suæ iurisdictionis temporalis. Ita sentiunt *Cardinalis cap. venerabilem, qui filij sint legitimi, num. 9. q. 1. C Syluest. verbo, legitimus, quæst. 7. dicto 5.* Quoad spiritualia vero eam legitimat Pontifex, sicut & potest, vt quoad ordines, & beneficia. In tertio vero casu, quando prius erat initum matrimonium, & postea in sacra pœnitentiaria dispensatur, vt valide ineatur, & legitimatur proles inde suscipienda, tunc si vterque, vel alter contrahens ignoret inuincibiliter impedimentum, tunc est proles legitima in vtroque foro ex *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi.* Si autem vterque cognouit impedimentum, proles solum est legitima in foro interno quoad spiritualia & temporalia. In vltimo vero casu quando prius celebratum fuit matrimonium inualide ratione alicuius impedimenti, & ex tali matrimonio suscepta fuit proles, & postea D dispensatur iu impedimento in ordine ad matrimonium contrahendum, & proles prius susceptà redditur legitima, tunc quando adfuit bona fides vtriusque parentis, constat ex tertio casu quid sit dicendum, quando vero non adfuit bona fides, patet quid sit respondendū ex resolutione secundi casus. 5

Tandem aduertimus, in dispensatione affinitatis ex delicto occulto prouenientis constitui hanc clausulam, dum modo impedimentū occultum sit, dicitur autem occultum ad differentiam publici, publicum autem est, quod à ma- 6

à maiori parte oppidi, vel viciniæ cognoscitur,
& communitas, sed hoc vt in ea aliquid dicatur
publicum, debet habère ad minus decem per-
sonas. Ratio huius clausulæ est, quia vult Pon-
tifex obuiare scandalo, nullum autem oritur
scandalum dummodo adsit publica infamia.
Ita docent *Nauar. in summa Latina, cap. 27. nu.
254. fine, & 255. Suarez de censuris, disp. 41. se-
ctione 3 num. 6. & alij.* Imò etiamsi copula, ex
qua nascitur affinitatis impedimentum, sit pu
blica, si tamen publicum non sit, eam esse im-
pedimentum matrimonij, non dicitur esse im-
pedimentum publicum. Ita sentit *Nauar. loco
citato, num. 255. in fine,* dicēs, sic esse definitum
in sacra pœnitentiaria.

7 Clausulæ earum dispensationum, quæ in fo
ro externo solent committi ordinarijs ad ce-
lebrandum matrimonium nō obstante aliquo
impedimento ex dictis in isto tractatu, & alijs
de matrimonio, facile possunt intelligi, & late
eas prosequitur *Sanchez lib. 8. de matrimonio,
disp. 35.*

8 Pro maiori tamen claritatis gratia quædam
nobis ante oculos proponenda sunt. Primum
est in dispensationibus sine causa concessis hāc
clausulam apponi ab impetrantibus dispensa-
tionem, ipsi ex certis rationabilibus causis eo-
rum animum mouentibus cupiant inuicem
matrimonialiter copulari, & postea subditur
à Romanano Pontifice, dum loquitur cum or
dinario, cui committit executionem dispensa-
tionis, discretioni tuæ mandamus, vt te de præ
missis diligēter informes, sed circa istam clau-
sulam animaduertendum est, ea non obstante,
eas rationabiles causas non esse in isto casu ve-
rificandas, neque à iudice inquirendas. Proba
tur, quia in isto casu Pontifex sine causa reper
ra ex parte eius, in cuius fauorem conceditur,
sed ob alias rationes à se consideratas dispen-
sat, ergo frustra causæ inquirendæ sunt. Secū-
dò probatur, quia quoties Pontifex narrat so-
lum generaliter causas, non vult eas verificari,
sed eo modo loquendi vtitur ad honestandam
gratiam, & ne alicui generetur scādalum, dum
viderit dispensationem esse sine causa conces-
sam, vt optime docet *Rebufus in praxi benefi-
ciorum titulo de clausulis mandatorum, num. 6.* &
illa verba, *de premissis te diligenter informes*, so-
lum referuntur ad hoc, vt diligenter inuesti-
getur impedimentum illud, cuius vincula abla
tura est Pontificia dispensatio.

9 Secundò notandum est, in dispensationibus
absque causa concessis, hæc verba addi consue-
uisse, volentes contrahere esse ex Angulis, &
primarijs viris ciuitatis, in quo casu nobilitas
probanda est, tanquam aliqua ratio motiua ad
dispensandum, non quando verbis imperso-

A nalibus dicitur, asseritur, esse ex principaliori-
bus, &c. quia vt bene *Nauar. cap. si quando. ex-
cept. 3 num. 2. de rescriptis,* in gratijs Apostolicis
multum interest, narrari aliquid per verbum
impersonale, asseritur, vel non impersonale,
vt asseris: quia quando res ponitur in verbo
impersonali in gratiæ concessione non est pro
banda, at probanda est, cum ponitur per ver-
bum non impersonale.

Hic tamen quæret aliquis vltimo, cuius ex- 10
pensis sit impetranda dispensatio, & an à fide
matrimonij resiliens teneatur alteri parti ex-
pensas factas in dispensatione matrimonij, &
ab ea parte solutas restituere? Ad hoc late res-
pondet *Sanchez 3. tomo lib. 8. disp. 36. & lib. 5.
disp. 5. num. 21. 32. 37. & deinceps.* Sed breuiter
B dicendum videtur primo, quod si dispensatio
fuit impetrata ex vtriusque contrahentis cō-
sensu, tunc quilibet tenetur, suam partem sol-
uere, quia vtriusque interest, nisi aliter partes
conueniant. Quando vero vnus sine pacto ma
trimonij aliquo impetrat dispensationem, vt
aperiat viam ad tractandum de matrimonio, ip
se tenetur solus totas expensas soluere, quia
alter nullo modo, neque directè, neque indire
ctè consensit in his expensis. Secundò dicen-
dum videtur, quod si alter eorum, qui circa ma
trimonium conuenerunt, sine culpa sua à cō-
uentione matrimonij resilijt, & sine alterius
culpa; vt propter morbum gallicum superue-
nientem alteri sine culpa, tunc quilibet tene-
tur suas expensas soluere, & nullas debet alte-
C rj restituere. Quod si alicuius malitia culpave
matrimonij conuentio dissoluatur, tenetur il-
le alteri sine culpa existenti expensas, quas
iam soluerat, restituere, hoc enim & æquitatis
ratio, & mutuus contrahentium consensus ex
poscere videtur.

Tandem cum dicitur in commissione dispē- 11
sationum esse eas concedendas, si preces veri-
tate nitantur, aduerte, quod si post celebratū
matrimonium bona fide, dubitatur ab vtroq;
coniuge, an preces veritate nixæ sint, tunc di-
ligenter esse veritatem inuestigandam, & in-
terim nec petendum, nec reddendum debitū.
Quod si post omnem sufficientem diligentiam
adhuc res est dubia, tunc matrimonium cen-
sendum esse validum, & preces fuisse veras.
D Tùm in fauorem matrimonij, tùm etiam, quia
melior est conditio possidentis, quod si ante
initum matrimonium contingat dubium, non
potest celebrari matrimonium, quia Ponti-
fex dispensat, si res ita se habet, at in dubio
non apparet, an res ita se habeat. Ita
*Petrus de Ledesma in summa
de matrimonio,*
c. 27.

TRACTATVS QVINTVS DE DEBITO CONIVGALI.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrùm actus coniugalis sit licitus, & aliquando sub præcepto?



1 RIMO hæretici quidã protestãtes nuptias esse illicitas, fatentur etiam actum cõiugalem, id est, copulam coniugalem esse illicitã: quorum fundamenta si quæ sunt, possunt ex secunda sententia desumi.

2 Secundò aliqui Catholici, quorum tacitis nominibus meminit *Diuus Bonauentura 4. dist. 31. art. 2. quæst. 1.* affirmarunt actum coniugalẽ non posse absque culpa veniali exerceri. Prima ratio eorum desumitur *ex cap. vir cum propria 33. quæst. 4. vbi. D. Gregor.* sic ait: *Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet.* Sed nemini prohibetur ingressus Ecclesiæ nisi ex culpa, ergo coniuges in suo actu coniugali ali quam culpam committunt. Secunda ratio sumitur *ex Siricio Papa epistola ad Himerium Tarraconensem,* qui verba illa *ad Romanos octauo. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt,* accommodat ad cõiugatos. Tertia ratio sit, quia in actu coniugali reperitur turpitudo, & immunditia magna. Quarta ratio sit, quia vtens actu coniugali antepo nit cõseruationem suæ speciei, quod est bonum inferioris ordinis, vsui rationis, quo se priuat in copula, quod est bonum ordinis superioris, ergo peccat.

3 Sit prima conclusio, eaque de fide. Actus cõiugalis de se, naturaque sua est licitus, potestq; taliter exerceri, vt omni prorsus culpa vacet. Probatur primò ex illis verbis *Genesis secundo. Crescite, & multiplicamini,* in quibus præcepit Deus nostris primis parentibus actum coniugalem, ergo de se licitus est. Secundò probatur, quia in actu coniugali duo reperiuntur, & redditio debiti coniugalis, & petitio debiti, redditio quidem licita est natura sua, quia in ea redditur id, quod debetur ex iustitia, & ita exercetur actus virtutis iustitię commutatiuę, præterea petitio debiti, si ordinetur ad generandam prolem, & ad conseruandam in hoc mundo naturam humanam, etiam est honesta, ergo actus coniugalis licitus est de se.

4 Secunda conclusio. Actus coniugalis quantum ad redditionem debiti in eo casu, quo illud petatur siue expresse, siue tacite sub præcepto constitutus est. Ita docet *D. Tho. 4. dist. 32. quæst. vnica, art. 2. quæstiuncula prima.* Quem omnes sequuntur, tunc autem aliquis tacite censetur petere debitum, cum aliquibus signis ostendit se appetere copulam, & non audet petere. Conclusio facile probatur, quia quisq; tenetur reddere debitum, cum illud exigitur à creditore, & ipse potest illud soluere, sed vnusquisque coniux ex vi matrimonij debet alteri petenti copulam, & alias creditor petit eam, & ipsi potest soluere, ergo tenetur eam soluere ex præcepto iustitiæ.

5 Tertia conclusio. Nullus coniux tenetur generaliter ad petendum debitum, quia nemo tenetur vti iure suo, sed potest illi cedere. At verò tenetur illud petere, quando in altero coniuge probabiliter conijcit periculum incontinentiæ. Ita sentiunt *Dominicus Sotus 4. dist. 31. quæst. vnica, art. 4. conclusione 1. in fine, & alij.* Probatur hoc vnico discursu, quia post naturę lapsum matrimonium institutum est in remedium concupiscentiæ, quæ ab eo tempore laxis habenis præcipitare cœpit, ergo natura, & conditio matrimonij, & virtuale quoddam pa-ctum

ctum in eo inclusum exigit, vt cum vnus cõiux indiget copula ad vitandam concupiscentiam, etiamsi eam non petat, alter eam offerat, imo & petat, quemadmodũ medicus tenetur offerre ægrotanti medicinam salutarem, & petere ab eo necessaria ad eam medicinam applicandam, quæ obligatio vt bene, *Thomas Sanchez lib. 9. de debito coniugali disp. 2. & Conin. tomo de Sacramentis disp. 34. dub. 2.* de iustitia, nõ est, sed ex charitate, quia non apparet aliqua lex iustitiæ ad id obligans, sed lex quædam stricta charitatis ex natura matrimonij originem ducens.

6 Sed quæres primo, quando teneatur cõiux reddere alteri debitum petenti? Respõdetur primo non esse peccatum graue denegare debitum in eo casu, quo alter coniux tantum petit debitum precibus, & blanditijs, nisi ex verecundia quis non auderet aliter exigere. Patet, quia tunc non vult coniux grauiter obligare, imo sæpe neque leuiter. Patet, quia hac ratione excusantur ab omni peccato debitores pecuniarij qui suis creditoribus blanditijs petentibus debita ea non soluunt. Ita notauit *Sotus in 4. distinct. 32. quæst. vnica art. 2. post conclusiones, Enriquez lib. 11. de matrimonio cap. 15. num. 7. fine.* Secundo respondetur, esse peccatum leue denegare debitum, quando raro denegatur, vt si vir quater soleat petere in mense, non est mortale, quinta vice debitum in mẽse denegare, etiam est peccatum leue dum nõ statim, sed post breue tempus soluitur debitũ. Tertio respondetur cum Soto, & Enriquez locis citatis, nullum esse peccatum, negare debitum, si nimis crebro, & immoderate illud exigatur, secũdum illud commune proloquium. *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, Quos vltra citraque nequit consistere rectum.* Quarto respondetur, absque graui peccato denegari debitum, cum alter remisse petit illud, vel rogatus facile desistit à petitione. Ita Syluester, *& Sanchez illum referens loco citato, numero 13.* Vltimo respondetur graue peccatum esse debitum reddere rarissime, & cum magna difficultate ei, qui serio petit illud, tum propter discordias, quæ inde solent pullulare, tũ propter iniuriam factam alteri coniorti eo modo denegando, quod suum est, tum etiam propter periculum incontinentiæ, quod inde potest resultare.

7 Secundo quæres, an peccet ille, qui se reddit impotentem aliqua via ad reddendum debitum? De hac re vide *Sotum loco citato, & Sanchez*, breuiter tamen dico. Primo graue peccatum esse medijs siue licitis, siue illicitis coniugem se impotẽtem reddere. Patet quia lex iustitiæ, quæ præcipit coniugatis redditionem debiti, eadem præcipit, ne vlla media contraria ei opponantur, moderatis tamen ieiunijs, aut studijs se minus potentem reddere, non videtur esse contra rationem matrimonij, neque ad aliud contrarium videntur coniuges se voluisse obligare. Dico secundo ad nos modo nõ pertinere disputare, an peccet vir, vel fœmina vouens peregrinationem absque alterius cõsortis licentia, aut aggrediens aliquod iter lucri causa, de his enim disputatur in materia de voto, in qua nos hæc puncta discussimus.

8 Tertio quæres, an peccet coniux, dum reddit debitũ alteri coniugi illicite petenti illud? De hac re varias refert sententias *Sanchez lib. 9. de debito coniugali disp. 6.* quia tamen hoc pũctum commune est multis alijs materijs, in quibus latius poterit disputari, breuiter quãtum ad hanc præsentem materiam pertinet, respõdetur primo, non quoties peccat coniux petens debitum, peccare alterum in reddendo, nec liberari ab obligatione reddendi. Ita respondet *Sotus in 4. dist. 31. q. vnica art. 3. versic. item inter soluendum Conar. 4. lib. decretalium 2. p. c. 3. §. 1. num. 6.* Probatur, quia potest contingere actum coniugalem natura sua esse licitum, & malitiam tantum oriri ex petente debitũ, ergo tunc non cooperabitur reddens malitiæ, sed actui bono. Probatur secundo exemplo, quia si vir affectu fornicario petat debitum, grauiter peccat, at vero vxor tenetur reddere sine vlla culpa. Quamuis in eo casu lex correctionis fraternæ exigat, vt alter coniux diuertat eum, qui peccaminose petit debitum ab eo prauo proposito, si commode possit absq; timore odij, & incontinentiæ alterius. Secundo respondetur in eo casu, quo, petens debitũ solum peccet venialiter ratione suæ prauæ indolis, dummodo malitia non oriatur ex ipso actu coniugali, reddentem debitum ab omni culpa excusari, ne ei displiceat. Tertio respondetur cum multis Doctoribus citatis à *Sanchez loco citato*, quando exigens debitũ peccat mortaliter, non ob aliquam circunstantiam actus coniugalis, sed ob circunstantiam personæ petentis, vt quia petit propter prauum finem, vel quia petit post votum castitatis, alterum coniugem non peccare in reddendo, quin potius teneri ex iustitia ad reddendum. Probatur, quia tunc petens non amisit per tale peccatum ius iustitiæ, quod habet in corpus alterius, & alias alter potest licite reddere suum corpus, quia tunc tota malitia se tenet ex parte petentis, & non ex parte reddentis. Ergo tenetur reddere ex iustitia, non vero tenebitur alter reddere debitum, quando coniux priuatus est iure petendi, vt in casu coniugis incestuosi petentis debitum (quidquid teneat Sanchez loco citato oppositum sentiens) non posset reddere debitum coniux innocens. Ita expresse sensit *D. Tho. in 4. distinct. 32. quæst. vnica. art. 5. quæstiuncula secunda*, ad primum cuius ea ratio redditur à *D. Thom.* quia in isto casu innocens non tenetur reddere debitum, ergo.

go nō poteſt illud reddere, vt hac ratione euitet peccatum alterius coniugis, ad quod lex, correctionis fraternæ obligat; quod ſi vir non obſtante eo inceſtu à ſe commiſſo inſtanter petat, & ſit perlculum diſcordiarum ex denegatione debiti, tunc ſatis probabile iudico, non poſſe reddere debitum vxorem, tum propter prædictam proxime cauſam. Tum, quia ille videretur cooperari ad malum, quia nulla cauſa tunc excuſat redditionem à culpa: cum cõiux innocens facile poſsit pericula vitare petẽdo debitum. Vnde iudico in iſto caſu debere innocentem petere debitum (longe aliter iudicauit *Sanchez* loco citato, ſed eius doctrina nõ obſtat.) Vltimo reſpondetur, quando petens debitum lethaliter delinquit ob circunſtantiam ſe tenentem ex parte actus, vt quia petit in loco ſacro, in loco publico, aut cum periculo aborſus, tunc etiam reddens debitum peccat lethaliter, quia circunſtantia vitians petitionem, vitiat redditionem.

9 Nec obſtat his reſolutionibus obiectio authorum oppoſitæ ſententiæ, quia ſcilicet, petenti gladium ſuum ab aliquo, quo ſe interimat, negandus eſt, quamuis libera ſua voluntate velit damnum ſubire. Ergo ſimiliter petenti debitũ coniugale cum damno ſpirituali reddendum non eſt. Facile enim reſpondetur, antecedens eſſe verum, quia homo non habet dominium ſui corporis, conſequentiam vero eſſe falſam, quia homo habet dominium morale animæ ſuæ, quia Deus reliquit eam in manu conſilij ſui.

10 Quæres quarto, an coniux, cui prohibita eſt petitio debiti, non tamen redditio, vt contingit poſt votum caſtitatis, & poſt inceſtum, teneatur aliquando petere debitum? *Sanchez lib. citato diſputatione 7. num. 1.* ſentit huiuſmodi coniugem poſſe petere debitum, non quidem vt ſuo appetitui morem gerat, ſed vt vxori cõplaceat, & ne ei reddatur onerosum matrimonium. Reſpondetur tamen cum *Nauar. in ſumma cap. 16. num. 30. & cum Soto in 4. diſtinct. 38. quæſt. 2. art. 1. poſt tertiam concluſionem, §. reddere etiam debet, & in eadem tertia concluſione.* Reſpondetur inquam primo illum non poſſe generaliter petere debitum, ſed tantum reddere, probatur *ex capit. quidam, & ex capit. placet de conuerſione coniugatorum.* Secundo reſpondetur ſecundum eoſdem Doctores poſſe iſtum ligatum voto petere debitum in eo caſu, quo alter coniux aut expreſſe, aut tacite medijs aliquibus ſignis deſiderat copulam, quia tunc quædam virtualis eſt redditio debiti, licet ſit materialis petitio, & eadem eſt ratio, quando cernit alterum coniugem eſſe in periculo incontinentiæ, quia tunc natura contractus matrimonialis petit debitum. Tertio reſpondetur, non poſſe coniugem, cui interdicta eſt petitio debiti, incitare alterum, vt debitum petat, quia id eſſet virtualiter petere debitum, quod ei eſt prohibitum, imo neque alter coniux poteſt eum inducere ad petendum propter eandem rationem.

12 Quarta concluſio. Licitus eſt actus coniugalis. Primo ob prolem generandam. Secundo ob reddendum debitum cõiugale. Concluſio eſt communis Doctorum cum *Magiſtro in 4. diſtinct. 31. & cum D. Thom. ibidem, quæſt. 2. a. 2.* Primum patet, quia ad eum finem Chriſtus inſtituit matrimonium. Secundum patet, quia tũc exercetur opus quoddam iuſtitiæ, vt tamẽ actus coniugalis exercitus propter bonũ prolis, & redditionem debiti excuſetur à culpa veniali, coniuges intendere debent prolem ad cultum Dei amplificãdum. Probatur, quia Deus eleuauit contractum matrimonialem ad ſtatum ſacramenti, ergo non ſatisfacit rationi ſacramenti (quæ eſt ſupernaturalis, & ordinatur ad vſum coniugalem debite exercendum, tribuendo ius ad auxilia gratiæ quibus talis actus licite fiat.) Qui tantum in eo actu cõſtituit finem naturalem, & non ſupernaturalem, quod pulchre notauit *D. Thom. in 4. diſt. 31. quæſt. 2. art. 2. ad primum.* Ad quod non requiritur, talem actum actualiter referri à coniugibus ad eum finem ſupernaturalem, ſed ſufficit habitualiter ita referri, vt expreſſe docuit *D. Thom. loco citato*, ad quem habitualem reſpectum ſatis eſt, ſi à principio coniuges matrimonium celebrent propter hunc finem, dũmodo in ipſo actu coniugali intentionem contrariam ei fini non habeant, vt optime animaduertunt, *Veracruz 3. p. Speculi, art. 16. concluſione 5. & Ledeſma 2. parte 4. quæſt. 51. art. 5. ad finem*, Ad argumẽta in principio propoſita reſpondetur. Ad primum dicimus *D. Gregorium*, ita loquutum eſſe, non imponentem in eo præceptum propter aliquam culpam, quæ in actu ipſo coniugali reperiatur, ſed docentem indecentiam quandam, propter immunditiã corporalem ex eo actu natam, & propter diſtractionem in ordine ad res ſpirituales. Ad ſecũdum reſpondetur ibi eſſe ſermonem de nuptijs celebratis à Sacerdotibus. Ad tertium reſpondetur in eo actu reperiri immunditiam nõ moralem, ſed corporalem. Ad vltimum reſpõdetur, non eſſe peruerſionem in eo actu, quando ordinatur ad prolem ad cultum Dei relatam, quia iſte finis eſt ſupernaturalis, & honeſtus.

13 Quinta cõcluſio. Peccatum committitur in actu coniugali, ſi ille referatur ad bonum ſacramenti, ſcilicet, ad ſignificandam coniunctionẽ Verbi Diuini cum carne aſſumpta, aut cum Eccleſia. Hanc concluſionem defendit *D. Th. loco proxime citato in corpore*, & probatur ratione eius, quia prædictum bonum ſacramenti, primo & directe tantum reſpicit vinculũ matrimoniale, & non vſum coniugalem, ergo

pet-

peruersio quædam reperitur in eo, quod vsus coniugalis ordinetur tantum ad bonum sacramenti, quia autem hæc peruersio tantum leuis est, ideo in eo fine constituendo tantum reperitur peccatum veniale.

QVÆSTIO II.

Vtrùm actus coniugales sint liciti tantum propter vitandam fornicationẽ eius, qui petit debitum, & propter solam delectationem, & salutem corporalem, & an sit illicitus ex alijs capitibus?

1 QVANTVM ad primum punctum in hac quæstione diuersæ sunt Authorum sententiæ, quidã enim sentiunt, petere debitum propter vitandam in se fornicationem, semper continere culpam venialem. Probatur primo ex *D. Paulo 1. Corinth. 7.* vbi cum prius dixisset, *propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorẽ habeat*, postea subijcit, *hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium*, indulgentia autem non conceditur, vbi culpa non est. Secundo probatur quia petens, vel impellitur à concupiscentia, & tunc impulsus ille culpa venialis est, aut non impellitur, & tunc vtitur medio minime necessario, sed superfluo. Vltimò probatur, quia multi sancti Patres relati à *Sanchez lib. 9. de debito coniugali, disp. 10.* huic sententiæ adhærent. Hanc sententiam sequitur *Sotus in 4. dist. 26. quæst. vnica ad finem*, *Petrus de Soto lectione 16. de matrimonio, §. quia igitur.*

2 Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, in hac re nullum reperiri peccatum. Ita *Durandus, in 4. dist. 31. quæst. 4. num. 7. Angles in floribus, prima parte de matrimonio, quæst. 5. de bonis matrimonij difficultate 4. & alij plurimi*, quorum fundamenta statim in prima nostra conclusione subijciemus.

3 Sit prima conclusio (licet prædictæ sententiæ sint probabiles) nullam culpam cõmittit, qui petit debitum tantum ob vitandam in se fornicationem, quando adhibitis alijs modijs non potest concupiscentiam sedare. Hanc conclusionem tenent Authores secundæ sententiæ à fortiori, & eam expresse tuentur *Sotus in 4. distinct. 31. quæst. vnica, art. 4. conclusione secunda, & Thomas Sanchez loco citato* cũ alijs plurimis, quæ conclusio vera est, dum alter coniux non petit debitum, & dum non est possibilis proles. Probatur primo ex Paulo loco citato, & ex illis verbis, *propter fornicationem autẽ*

A *vnusquisque vxorem suam habeat*, ibi enim Paulus concedit facultatem ad vsum coniugalem ad vitandam fornicationem in aliquo casu, ergo maxime in isto, de quo loquimur. Secundo probatur, quia post naturam lapsam matrimonium institutum est secundario ad vitandam fornicationem, licet primario esset institutum ad prolem generandam, ergo quando impossibilis est actus coniugalis propter bonum prolis, possibilis, & licitus esse debet propter vitãdam fornicationem. Vltimo probatur, quia alias nunquam esset licitum inter steriles, & senes impotentes ad generationem matrimonium: quia isti nõ possunt appetere copulam ob bonum prolis, quia illud est impossibile, nec etiam ob reddeodum debitum coniugale,
B quia nullus eorum potest petere.

4 Secunda conclusio. Quando coniux potest incontinentiæ periculum vitare alijs medijs, tunc peccaret venialiter in casu primæ conclusioois, si peteret debitum tantũ ob vitaodã in se fornicationem. Hanc conclusionem tuentur *Sotus, & Sanchez locis citatis*. Probatur primo ratione insinuata à *D. Thom. in 4. d. 31. q. 2. art. 2. ad secundum*. Qoia matrimonij vsus natura sua rantum ordinatur ad bonum prolis, & ad reddendum debitum, si ergo ordinetur ad sedandam concupiscentiam peruertitur ordo naturæ, atque ita committitur peccatum veniale, vbi alia media suppetunt ad sedandam concupiscentiam. Secundò quia cum copula coniugalis priuet maximo bono, scilicet, ratio
C nis vsu, imprudenter eligitur ad sedandam cõcupiscentiam, vbi ea potest sedari alio medio faciliori.

5 Tertia cõclusio. Ob solam salutem corporalem comparandam, quando aliud medium aptum ad eam non reperitur, licitus est actus coniugalis. Probatur primo; quia ob bonum prolis potest coniux petere debitum, ergo etiam propter bonum proprium, quod plus tenetur curare, tum quia ea ratione consulitur proli generandæ, & redditioni debiti, vtrunque enim melius poterit præstare vtens bona valetudine, quod intelligitur iuxta, primam conclusionem quando alter coniux non petit debitum, & quaodo proles est impossibilis per naturam, quando vero aliud medium conue
D niens occurreret, peccatum reperiretur veniale in tali petitione propter rationes secundæ conclusionis. Hanc cooclusionem probabile reputat *Sotus in 4. d. 32. q. vnica art. 4. versi. nisi grauis autem.* Et expresse sequuntur *Enriquez, lib. 11. de matrimonio cap. 15. n. 5. qui in commento litera X.* multos Doctores pro ea refert.

6 Vltima conclusio. Copula coniugalis ob solam voluptatem habita illicita est, & tantum est illicita venialiter. Conclusionem defendit *D. August. de bono coniugij cap. 6. tomo 6. Magister in 4. dist. 31. & D. Tho. ibidem q. 2. art. 3. &*

commu-

communiter Doctores. Probatur, quia illa voluptas valde deijcit mentem humanã, & est propria partis sensitiuæ, ergo non est conueniens, ad eam ordinari actiones hominis rationalis. Quod vero ea culpa tantum sit venialis, patet, quia matrimonium hanc vim videtur habere, vt desiderium voluptatis illius, quod aliàs est peccatũ mortale, ratione matrimonij efficiatur tantũ veniale. Quia voluptas tunc medio alias licito quæritur, & illa de se non constituit peccatum mortale, nisi ratione medij, scilicet, copulæ lethaliter prauæ.

7 Ex his respondetur argumentis in oppositum. Ad primum desumptum *ex loco Pauli* dicimus, ibi *Paulum* per indulgentiam non intelligere permissionem alicuius peccati, sed permissionem minoris boni, quam expositionem sequuntur Lyranus, Caietanus, & alij Recentiores in eum locum, quia minus bonũ est vti vxore, quam ab ea abstinere. Ad secundum argumentum respondetur, eiusmodi hominem accedentem ad vxorem suam ob vitandam fornicationem impelli quidem à concupiscentia, ex eo tamen non peccare, quia continet se intra limites rationis. Ad tertium respondetur, Sanctos Patres eius fuisse sententiæ ex vehementissimo amore castitatis, quo flagrabant, & quia volebant hominibus suadere id, quod perfectius est, scilicet, coniuges solum accedere ad actum coniugalem debere ob bonũ prolis, vel ob reddendum debitum, non vero ad vitandam incontinentiã, quod minus bonũ est.

8 Aliqui hic disputant, an petere copulam cõiugalem in die festo, contineat aliquod genus malitiæ. Sed hoc pertinet ad materiã de obseruatione festorum. Breuiter tamen dicimus, in hoc nullũ reperiri peccatũ. Probatur primo, quia licet hoc impediat finẽ festorũ, qui consistit in eo, quod est vacare Deo, at finis præcepti non cadit sub præcepto, iuxta receptã doctrinã. *D. Th.* 1. 2. *q.* 96. *a.* 3. *ad* 2. tum etiam probatur secundo, quia præceptũ obseruandi dies festos tantũ prohibet actus externos seruiles, actus vero coniugalis non est seruilis.

9 Secundo præterea disputant, an vacare copulæ coniugali eo die, quo recipienda est Eucharistia ante, vel post eam contineat aliquam culpam saltem venialem: de qua re egimus nos in tractatu de Eucharistia secundo, q. 11. & late agit *Sanchez lib.* 9 *de debito coniugali disp.* 13. Breuiter tamen dicimus, cum actus coniugalis siue reddẽdo, siue petendo debitum cum debitis circunstantijs exercetur, nullũ reperiri peccatum ex eo, quod quis eodẽ die recipiat Eucharistiam, imo neque erit peccatũ in eo, quãuis illicite copula habeatur, si quis breuiter se sentiat bene dispositum, quia nullum præceptum obligat ad oppositum, quamuis conueniẽtissimũ sit propter mentis distractionẽ ex copula natam eo die abstinere à recipienda Eu- A charistia, vt sequenti die mente pacata cum maiori fructu recipiatur Eucharistia.

Tertio alij hic disputant, an ratione excommunicationis alterius coniugis reddatur copula coniugalis illicita; hoc punctum pertinet ad materiam de excommunicatione, vnde hic nõ est late discutiendum: breuiter tamẽ dicimus, vxorem non excommunicationis censura affectam optimè posse reddere, & petere debitum à marito excõmunicato. Ita patet *ex cap. quoniam multos* 11. *q.* 3. & ratio ibi redditur, ne animæ pereant, dum coniuges cohabitantes, & tam arcto vinculo constricti necessitate quasi coacti participant, ob quam rationem communiter docent Authores hanc communicationẽ coniugalem, imo quodlibet aliud genus com- B municationis esse licitum coniugatis, siue altero ligato sententia excommunicationis siue vtroque, ratio enim generaliter locum habet. 10

Quarto alij hic disputãt, an prohibitũ sit cõiugibus in loco sacro petere, & reddere debitũ publice, & occulte? quæ disputatio nõ videtur esse propria huius loci, vnde multi Doctores eã vix hic primis digitis attingũt. Breuiter tamẽ dicimus. Primo Ecclesiã pollui actu cõiugali. Patet ex *cap. Ecclesijs de cõsecratione, dist.* 1. & *ex c. Ecclesijs dist.* 68. vbi absolute dicitur *Ecclesiã pollui cũ effusione sanguinis, aut cuiusuis seminis*, ergo etiã cũ effusione seminis coniugalis. Secũdo dicimus in casu necessitatis, vt cũ coniuges diu essent obsessi in Ecclesia, posse eos cõmisceri, & eã copulã, siue sit publica, siue se- C creta, nõ violare locũ sacrũ, quia cũ in his, qui tam arcto vinculo coniuncti sunt, sit periculũ incõtinẽtiæ, si eis nõ liceat accessus cõiugalis, nõ est credendũ piã matrẽ Ecclesiã prohibere copulã coniugalẽ cũ tãto periculo. Quæ resolutionẽ eleganter & late plures referẽs sequitur *Sanchez loco citato disp.* 25. & quidẽ publice petere, aut reddere debitũ, culpã cõtinet lethalẽ. Quia hoc est cõtrariũ honestati naturali, & natura sua videtes inducit ad peccãdum, imo tactus cõiugũ alias liciti, si, supposita fragilitate videtiũ, ad luxuriã incitarent, peccatũ mortale continent, dum coram alijs exercentur. 11

Sed quæres primo, an copula coniugalis 12
D non seruato ordinario situ contineat culpam mortalem? Respondetur continere quidem, cum est periculum effusionis seminis extra vas, quod ex naturali complexione viri, vel fœminæ iudicandum esse censeo, an scilicet, tale periculum inueniatur, vel non.

Quæres secundo, an coniuges habentes copulam extra vas naturale, vel dum vnus non expectat alterius seminationem intra vas legitimum, committant peccatum mortale? Respondetur primo, copulam coniugum extra vas continere peccatũ mortale, quia aduersatur & ordini naturæ, & etiam generationi prolis, ad quam copula coniugalis ordinatur, 13

& tale peccatum esse adulterium, *notat Petrus de Ledesma de matrimonio, q. 49. art. 6. dub. 2. post primam conclusionem.* Probat, quia nullus coniux tunc seruat fidem matrimonii, quia nō seruat corpus alteri caste, cui iuri nullus coniux cum sit ob bonum commune naturæ potest renunciare, sed hæc copula adulterium tantum dicitur lato modo, non proprie, quia iuxta doctrinam, *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 8.* adulterium est alieni tori violatio proprie sumptum, quod in isto casu non reperitur. Secundo respondetur esse aliquod peccatum mortale in eo, quod vir prius seminet, & non expectet seminationem fœminæ, & si è contra faciat fœmina grauiter delinquet. Patet prima pars responsi, & secunda, quia vtriusque semen actiue requiritur ad generationem, ergo ne generatio impediatur, & ne vnius semen prorsus amittatur, aliud necessario continuata copula expectandum est, & hoc etiam in sterilibus ne violetur ordo naturæ. Recte video cōtrarium defendi à *Sanchez loco citato disp. 17.* quod intelligo nisi aliqua vrgens causa, vt timor periculi mortis in altero coniuge si seminet, excuset.

QVAEST. III.

Vtrum aliqua causa excusent à redditione debiti?

1 PRima causa solet ab Authoribus numerari mēstruum fœminæ, in cuius tempore an sit licitum petere debitum inter coniuges variæ sunt sententiæ relatæ à *Sanchez lib. 9. disp. 21.* Breuiter tamen respondetur primo dum mēstruum est perpetuum, licitam esse petitionem debiti, quia grauissimum esset periculum coniugibus semper abstinere à copula. Secundo respondetur, dum mēstruum non est perpetuum, sed temporale, & naturale, culpam reperiri in petitione eius debiti, propter indecentiam, quæ in tractu tunc reperitur, & naturæ præcursionem, quæ illud tempus purgationi mulierum, & non copulæ destinauit. Tertio respondetur non esse peccatū in ea petitione mortale. Ita *D. Antoninus 3. p. titulo 1. cap. 20. §. 5. in fine Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. circa solutionem ad quartum,* & alij plurimi. Patet tum quia rarissimum est periculum eo tempore concipiendi fœtum monstruosum, tum quia ei fœtui multo melius est eo tempore cōcipi etiam monstruose, quam nullo modo concipi, si autem in eo tempore non cōciperetur, nunquā conciperetur, quia cōceptio huius fœtus ex isto tempore dependet. Imo illud prædictū veniale peccatū facile posset vitari, si tūc tēporis iusta adesset causa petendi debitum, vt propter vitandā fornicationē in petente, vel in alio, vel propter aliā similē. Quarto respondetur in eo casu mēstrui, etiā tēporalis, debere alterū cōiugē reddere debitū petitū à se, patet quia tūc optime potest reddere, ne se exosum præbeat petenti, vel vt ei morē gerat, ex hoc enim capite excusatur à peccato veniali, ergo tenetur reddere. Solū existimo cū *Sāchez loco citato, n. 17.* posse quidē tēpore mēstrui, sed non debere reddere debitū cū probabiliter ex aliquo peculiari accidēti timeret prolē nimis infectā, aut monstruosam nasciturā, quia grauissimū onus esset vxori, prolē eo modo natā lactare, nutrire, aut ante oculos habere, fœminæ enim propter hæc maximo dolore, afficiūtur. Neq; huic resolutioni obstat illud *Leuitici 20.* in quo imponitur pœna mortis coniugibus copula vtentibus cōiugali tēpore mēstrui, cui accedit. *D. Aug. lib. 3. de peccatorū meritis c. 12. tom. 7.* affirmās illud præceptū fuisse morale, & nostris etiā tēporibus vim habere obligādi. Ad hoc enim respōdetur tale præceptū fuisse morale, & obligare ex vi iuris naturalis ob quandā decentiā, & sub peccato veniali, at vero in quantum grauiter obligabat, & cum graui pœna fuisse ceremoniale.

Secūdā causam excusantē à redditione debiti solēt quidā assignare, feminā esse grauidā. Sed respōdetur tūc nullū reperiri peccatū. Ita sentiunt *Glos. in c. si causa 33. q. 4. verbo conceptus. Noster insignis Abulēsis mei Collegij D. Barthol. sacri splendor eximius, & sol clarissimus, t. 5. Math. q. 243. & Enriquez, lib. 11. de matrimonio, c. 15. nu. 7.* & alij, quod intellige quando ex illo modo accedēdi ad vxorē nullū dānū timeretur prolis. Patet primo, quia nulla reperitur lex talē accessum prohibens. Secūdo quia cū fœminæ sæpius sint grauidæ, & per multū tēpus, maximus laqueus iniijceretur cōscīētijs cōiugatorū, si in eodē lecto dormirent, & tamen copula vti nō liceret, quare si tūc tēporis licet petere debitū, multo magis licet reddere, quia hoc est necessarium, illud voluntarium. 2

Tertia causa excusans actū coniugalē numerari posset expurgatio illa sanguinis, quā fœminæ patiūtur post partū. Sed respōdetur, tūc nō committi peccatum mortale, etiamsi debitum petatur, quia non reperitur aliqua grauis tunc indecentia, tantum ergo reperitur culpa venialis. Quidquid contradicat Sanchez loco citato disp. 22. dicens nullā ibi esse culpā, reperitur ergo ibi culpa venialis propter rationes assignatas in prima causa huius quæstionis, *Ita Sotus 4. dist. 32. q. vnica, a. 2. in fine,* dum modo tamen paulo ante præcesserit partus, imo alter cōiux tenetur in eo casu reddere debitū ꝑpter rationes assignatas in prima causa. 3

Quarta causa numerari posset lactatio infantis, cui nocere posset copula cōiugalis, quia ea ratione mutaretur qualitas lactis. Sed respōdetur cū *Rosella verbo debitū, n. 9. & Ritar. 4. d. 31. a. 4. q. 1.* 4

a.4.q.1. tũc nullã esse culpã, tũ quia raro illa copula nocet infanti lactanti, vt apparet in fœminis inopibus, quæ quotidie pariunt, & coeunt & suos infantes lactant. Tũ quia si aliquod dãnum immineret, illud posset vitari in diuitibus, tradendo prolem alteri fœminæ nutrici, & in pauperibus, exponendo infantem, ne cõiuges toto tempore lactationis, qui lõgissimũ est, cum animarum suarum periculo teneantur cõmercium coniugale vitare, & hanc causam esse sufficientem ad exponendum infantem docet *Sanchez loco citato, numero vltimo.*

5 Quinta causa assignari posset excusans à debito coniugali, furor alterius, vel vtriusque cõiugis; sed quantum ad hanc causam respondetur primo, si ambo coniuges essent amẽtes omnino, neminem posse eos excitare ad copulam absque graui peccato. Tum quia illa copula esset more belluarum, tum etiam quia ea ratione magnum damnum immineret educationi prolis. Secundo respõdetur, vno coniuge existente amente, & altero sanæ mentis dono prædito, non teneri sanum reddere debitum amẽti petenti quantum est de se, quamuis possit licite, vt supra vidimus, quia ille actus non humanus est, tum etiam quia amens licet retineat ius remotum ad corpus alterius coniugis, & ei dicatum in ipsa natura contractus matrimonialis, at non retinet ius proximum, quod ratione regulatur, & fundatur. At vero si, amẽti coniugi adesset periculum accedendi ad alienã, vel polluendi se, teneretur alter coniux ei reddere debitum; quod est quædam petitio virtualis, hoc enim exigere videtur natura ipsa matrimonii; quod intellige, dum aliter nõ potest vitari illud malum. Doctrina *est Soti in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 4. ad finem corporis versiculo ad aliud, & Victoria in summa de matrimonio nu. 287.* Tertio pro maiori prædictorum intelligentia respondetur, vxore existente amente, & marito sano, non posse vxori petenti reddi debitum, quia est periculum magnũ abortus, at vero è contra re se habente, recte posse reddi, quia in eo non est periculũ aliquod abortus.

6 Sexta causa excusans à reddendo debito cõiugali potest esse detrimentum salutis corporalis, quod posset ex copula sequi, circa quam primo dicimus, grauiter peccare eum, qui cum notabili detrimento salutis suæ corporalis alteri debitũ reddit. Ita sentiunt *Sot. 4. dist. 32. quæstione vnica, ar. 1. conclus. 2. & Thomas Sanchez, lib. 9. de matrim. disput. 24.* Probatur ratione, quia prouida natura prius prouidet conseruationi indiuidui, quam generationi prolis, vnde prius ex cibo & potu ministrat materiam nutritioni, & postea ministrat ex superfluo materiam generationi, ergo peccaret grauiter, qui abiecta suæ salutis cura notabiliter, tantum intenderet reditionem debiti, quod si morbus alterius coniugis esset perpetuus, vt lepra, quæ

A quidem nõ noceret notabiliter saluti, at in alio coniuge sano notabilem horrorem causaret, *Sanchez loco citato, nu. 21.* aperte sentit in eo casu non teneri coniugem sanum reddere debitum; verum tamen cum doctissimo *Dominico Soto 4. dist. 32. q. vnica, ar. 1. §. imo vero Durandus,* affirmandum est, eam non esse sufficientẽ causam ad denegandum debitum, ita docet eleganter *textus in cap. quoniam de coniugio leprosorum,* ibi, *quod si virum, siue vxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est soluendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio inuenitur,* vbi nota illa verba, nulla in hoc casu exceptio inuenitur, ergo illa exceptio horroris protul amandanda est. Secundo responde-

B tur iuxta eandẽ doctrinã, non teneri coniugem cohabitare cum leproso, si ex sola cohabitatione timet notabile detrimẽtum suæ salutis corporalis, patet ex ratione supra adducta, & hac ratione intelligendus est *textus in cap. quoniam allegatus,* dum coniugi sano imponit præceptũ cohabitandi cum leproso, scilicet, dummodo non sit notabile illud damnum, quod ex prædicta cohabitatione timetur.

7 Septima causa assignari posset ad excusandã redditionẽ debiti nimia multiplicatio filiorum; cui puncto vt satisfaciamus, respondetur primo cũ cõmuni sententia, nullũ reperiri peccatũ in eo, quod coniuges à cõmuni copula abstineant, ne proles concipiant, quas alere non possunt. Patet quia nullus tenetur copulam pe-

C tere, & alias nulli fit iniuria in ea cõuentione, non proli, quia nondum habet esse, non alteri coniugi, quia volenti, & consentienti non fit iniuria, ita docent *Sotus 4. dist. 32. q. vnica ar. 1. in fine corporis versiculo quid autem, D. Antonin. 3. p. titulo 1. cap. 20. §. 6. Nauar. in summa cap. 16. nu. 33. & alij,* non obstante tamen ea cõuentione deberet, petere debitum ille, qui in altero coniuge conijceret periculum incontinentiæ, iuxta dicta q. 1. huius tractatus conclusione 3.

Secũdo respõdetur, alteri cõiugi petẽti debi-

D tũ, lethale esse peccatũ, illud denegare ob solã vitandã multiplicationẽ prolis, quando parentes sunt diuites. Ita tenet cõmunis sentẽtia, patet, quia tũc nulla adest rationabilis causa negãdi debitũ. Tertio respõdetur *contra Sotum loco citato & Sanchez lib. 9. de matrimonio disput. 25. & alios,* etiã esse lethale peccatum, debitum negare inter pauperes, qui non possunt alere prolem, cum id tantum denegaretur ad vitandam multitudinem filiorum. Patet quia cum matrimonium sit ordinatum ad bonum prolis, contra naturam matrimonij in re graui videtur delinquere eum, qui eo fine copulam negat, ea vero esset sufficiens causa ad exponendos pueros, cum nimis apud pauperes multiplicarẽtur, neque huic resolutioni obstat fundamentum prædictorum Doctorũ, scilicet, eũ,

qui non potest commode alere suos filios, esse excusatum à soluēdo debito pecuniario, ergo etiã à reddēdo debito cõiugali, nam hoc fundamentũ ex eo facile diuellitur, quia strictioris naturæ est debitum coniugale, cum ordinetur ad bonũ alterius coniugis, & totius speciei humanæ, quã debitũ pecuniariũ, quod tantũ respicit creditorẽ, & ideo casus excusans à solutione debiti pecuniarij, non excusat à solutione debiti cõiugalis: Quarto respondetur, peccatum esse mortale, debitũ negare coniugi petenti, & descẽdẽti ex Sarracenis, ne proles infecta nascatur, quia causa insufficiens est ad tãtũ debitũ denegandũ: tum etiam quia hac ratione magnũ dãnum sequitur proli, huic enim melius est, habere esse licet maculatum prauo sanguine Sarracenorum, quam non habere esse. Ita *Sotus loco citato versiculo quod si contra*; Quinto respondetur, licitũ esse, negare debitũ coniugale coniugi petenti ad vitandũ magnũ aliquod damnum in re familiari, aut in fama, vt quia necesse sit, peregre proficisci ad hæc damna reparanda, non enim credendum est, cum tanto onere cõiugatos sibi inuicẽ tradidisse dominiũ suorũ corporũ, imo potest vir diu abesse ab vxore ob comparandũ aliquod magnũ lucrum, & hac ratione ei multo tempore debitũ denegare: qua ratione excusantur mercatores, & exportatores merciũ diu deserentes proprias domos, & vxores, quod patet primo, quia hæc bona valde sunt necessaria ad tolerãda onera matrimonij, tũ quia bona æquiparantur vitæ, & sicut ob salutẽ vitæ comparãdã necessariũ est debitum denegare, ita etiam in isto casu id licitum est, ita docent *Petrus de Ledesma de matrimonio, q.64. art.1. dubio vltimo cõclusione 2. & Sanchez loco citato disput. 25. nu.5.*

8 Prædicta tamen in paragrafo præcedenti, & in responso quinto intelligenda sunt, nisi alter coniux, qui deseritur, sit in periculo incontinentiæ, nam si in eo sit cõstitutus, credo posse eum deseri, quando alter ex sua detentione timeret graue dãnum in honore, fama, imo etiã in re familiari, quibus maxime indigeret ad vitam, statumque suum sustentandum, quia cõiuges non videntur se, dum matrimonium contraxerunt, voluisse obligare ad reddendum debitum com tanto dispendio, quando vero ex absentia illa tantum intenderetur aliquod lucrum non necessarium ad sustentandam vitã, aut statum, sed superfluum, & alter coniux esset in periculo incontinentiæ, vel postea durãte absentia illud timeretur, nõ liceret abesse, quia lucrum animæ alterius coniugis præferẽdum est lucro bonorum temporalium.

9 Circa sextam causam adductam in hac quæstione ad excusandum à debito coniugali soluendo, scilicet, cum adest periculum amittendæ vitæ, aut salutis, quidam excipiunt eum casum, in quo coniux morbo laborans esset in periculo incontinentiæ, tunc enim dicunt sanum debere se exponere periculo amittendæ vitæ, potius quam pati periculum alterius spiritusle. Quia ordo charitatis postulare videtur, nos exponere vitam corporalem nostram periculis, vt succurramus necessitati spirituali proximi, sed respondetur, *cum Maiore 4. distinct. 32. q. 1. argumento 1. contra 3. conclusionem, & cum Thom. Sanchez loco citato disputatione 24.* charitatem tunc temporis non obligare, quia charitas tantum obligat ad exponendam periculo vitã corporalem nostram pro salute spirituali proximi in duobus casibus. Pimo quando proximus esset in extrema necessitate salutis comparandæ, quæ alio modo non posset obtineri, vt contingeret dũ puer infans animam ageret, & non esset baptizatus, ac possem ego illum baptizare, licet cũ periculo infectionis pestis, aut secundo cum proximus esset cõstitutus in graui necessitate salutis, vt cum habens conscientiam peccati mortalis vellet sacramentum confessionis suscipere, & si auditur eius cõfessio, timetur mors confessarij, quia inficietur peste pœnitentis. In primo enim casu quilibet proximus teneretur se exponere periculo vitæ, & in secundo ille tantum, qui est Prælatus, & Pastor eius, vnde cum in isto casu coniux patiens periculum labendi in peccatum incontinentiæ possit ei periculo subuenire alijs vijs, hinc est ex hac parte coniugem alium non debere vitam suam exponere periculo, & ita reddere debitum. Præterea cum alias non sit Prælatus alterius, non tenetur eo periculo stãte debitum reddere, Prælatus enim ex vi sui muneris tenetur ex iustitia consulere suis ouibus etiam cum periculo propriæ vitæ, at vero vnus coniux non tenetur ex iustitia alteri debitum reddere, nisi prius seruata sua propria vita. Tãdem in hac quæstione certum est apud omnes, vt *apud Syluestrum verbo dos, quæst. 10. Armillã num. 10. & Molinam 2. tomo de iust. disp. 425. §. si marito dos*, virum minime posse negare debitũ coniugale vxori petenti ob dotem non solutam, patet quia obligatio reddendi debitũ non ex dotis traditione, sed ex matrimonij contractu consurgit, ergo ad eam impertinens est dotis traditio.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm cognatio spiritualis matrimonio superueniens impediat vsum matrimonij.

1 PRo huius quæstionis intelligentia aduertendum est primo cognationem spiritualem esse impedimẽtum quoddam ab Ecclesia constitutum in ordine ad impediẽdum cõtractum matrimonialẽ, & vsum matrimonij

monij contracti, quod supponimus *ex dictis in hac materia tractatu* 1. *quæst*. 69. quod quidem prouenit ex sacramento Baptismi, & ex sacramento Confirmationis tantum: & quidem in præsenti non disputamus de cognatione spirituali, quatenus dirimit matrimonium contrahendum, sed quatenus potest impedire vsum matrimonij iam contracti.

2 Secundò aduertendum est, hanc cognationem spiritualem ex duplici capite posse prouenire. Primo ex administratione Baptismi, vel Confirmationis, aut susceptione paruulorum in his sacramentis contingente in casu necessitatis. Secundo extra casum necessitatis.

3 His suppositis sit prima conclusio. Coniux baptizans paruulum animam agentem eo tempore, quo nullus alius reperiatur, qui possit eum baptizare, etiamsi paruulus sit filius suus, & alterius coniugis, quamuis contrahat cognationem spiritualem cum alio coniuge, liber tamen manet, vt possit petere, & reddere debitum. Ita sentiunt *Diuus Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 15. §. 3. *& Enriquez lib.* 2. *de Baptismo, cap.* 18. *& alij*. Probatur expresse *ex capit. ad limina* 30. *quæst*. 1. & ratio huius conclusionis desumitur ex eodem textu, scilicet quia coniux in eo præciso casu baptizans prolem prorsus culpa vacat, imò efficit actum apud Deum meritorium, ergo non debet puniri, ita vt priuetur iure petendi debitum. Maxima autem ei imponeretur pœna, si ei interdiceretur petitio debiti, ad quam antea habebat Ius, & propter eandem rationem Idem etiam sentiendum est in eo casu, quo duo coniuges in infidelitate contraxerant, & vnus prius conuertitur ad fidem, & baptizatur, & alter postea vult baptizari, tunc enim vrgente necessitate posset coniux baptizatus alterum coniugem baptizare sine eo quod amitteret ius petendi debitum.

4 Sit secunda conclusio. Peccat coniux, qui extra necessitatem baptizat, aut suscipit tanquam parrinus filium communem sibi, & alteri coniugi, aut filium alterius coniugis. Probatur *ex cap.* 1. *&* 2. 30. *quæst*. 1. & probatur ratione *Diui Thomæ* 3. *part. quæst*. 77. *art*. 8. *ad secundum*, quia sicut est alia generatio spiritualis à carnali, ita etiam debet esse diuersa disciplina proueniens à patre carnali, & à patre spirituali, atque ita debet esse diuersus pater carnalis ab spirituali, quæ culpa sine dubio mortalis est, vt patet *ex dictis textibus* 30. *quæst. prima* in primo enim prohibetur commercium coniugale, in secundo præcipitur, eos separari, quæ pœna, cũ grauis sit, graue nobis indicat culpã.

5 Difficultas vero non modica in eo versatur, an coniux extra casum necessitatis baptizans, aut suscipiens scienter filium communem sibi, & alteri coniugi, vel filium alterius coniugis, tantum priuetur iure petendi debitum. In qua difficultate *Glossa in cap. si vir de cognatione spirituali, verbo debitum*, & alij Iurisperiti aperte sentiunt prædictas actiones non priuare iure petẽdi. Probatur primò, quia cũ coniugem priuari iure adquisito petendi debitum coniugale, pœnam quandam contineat, debet in Iure exprimi, at nullus textus eam pœnam exprimit, nam caput si vir, de cognatione spirituali, quo nititur opposita sententia, potius videtur patrocinari huic sententiæ, si recte illa verba expendamus, siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ad inuicem separandi, neque alter alteri debet debitum subtrahere. In eo enim textu sermone Pontifex eodem modo loquitur de eo, qui ea munera ignoranter obijt, & de eo qui scienter, sed in casu ignorantiæ illa verba, neque alter alteri debet debitum subtrahere, significant quemlibet coniugem habere ius petendi debitum, ergo in casu malitiæ idem etiam significant.

6 Nihilominus tamen sit tertia conclusio, quæ in omnium opinione vera est. Si coniux filium communem, vel alterius coniugis baptizet, vel suscipiat ex ignorantia inuincibili facti potest ab altero cõiuge petere debitum, & tenetur illud reddere sicut antea. Probatur aperte *ex cap. si vir de cognatione spirituali ibi*. quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur. Ignorantia vero facti rara in casu cognationis spiritualis, quàm in casu affinitatis, etiamsi sit culpabilis, modo non sit adeo culpabilis vt sit ingens temeritas, ignorare tale factum, vel modo non sit affectata, excusat coniugem, ne debiti peritione priuetur, vt cum quis baptizat filium suæ coniugis ignorans esse eius filium, aut cum quis copula carnali cognouit consanguineam suæ vxoris nesciens consanguinitatem. Probatur, quia in casu affinitatis requiritur ad contrahendum impedimentum petendi debitum scientia affinitatis, vt patet *ex cap.* 1. *de eo, qui cognouit consanguineam*, & ex illis verbis: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit*. Vnde excusat à prædicto impedimento ignorantia culpabilis, ergo etiam excusat ignorantia culpabilis in casu cognationis spiritualis. Consequentia patet, quia in secundo casu minor reperitur culpa, vt pote soli iuri positiuo contraria: in priori vero casu maior reperitur culpa, vt pote contra ius diuinum, & naturale, magisque matrimonium violans, & eadem est ratio de ignorantia culpabili gradus consanguinitatis, ob quam prohibetur petitio debiti: imò propter prædictam rationem ignorantia etiam culpabilis iuris positiui prohibentis vni coniugi baptizare filium alterius coniugis, aut habere copulam cum consanguinea eius, excusat ab impedimento petendi debitũ, vt probe cõsiderauit *Sanch. li.* 9. *de debito cõiug. disp.*

*disp. 31. n. 49. licet Syluest. Nau. & Suar. ab eo alle*gati. Tantū loquantur de ignorantia iuris in cōmuni, non vero de ignorantia culpabili. Tandem prædictam conclusionem veram esse etiam in eo casu, quo solum ignoretur pœna prædicti impedimenti, satis probabile est cum *Nauar in summa Latina, cap. 23. num. 47. & D. Antonino tertia parte, titulo 24. cap. 33. & alijs Doctoribus relatis à Nauarro ibidem.* Probatur, quia pœnæ quantitas proportionari debet quantitati delicti, iuxta *caput. fœlicis, de pœnis in 6 sexto*, sed minus est delictum, quo frangitur lex extraordinarias pœnas continens, dum tales pœnæ ignorantur, ergo non est credendum, eandem pœnam incurrere eum, qui commisit delictum ignarus pœnæ, & eum qui illud commisit conscius pœnæ, & etiam videtur esse verum de ignorantia culpabili pœnæ supra explicata, id quod supra docuimus, dum locuti sumus de ignorantia facti, circa quæ pūcta hic breuiter tacta, quia ad alia loca latius attineat, sunt variæ opiniones, quæ possunt late
6 videri apud *Sanchez loco citato*, & alijs disputatio. antecedentibus.

7 Sit quarta conclusio. Coniux qui prædicta officia scienter exercet circa filium alterius coniugis tenetur alteri coniugi petenti debitum illud reddere, non vero potest illud petere. Hæc sententia est communis inter Doctores, eamque sequuntur *D. Thom. in 4. dist. 42. quæst. 1 art. 1. in corpore. Diuus Antoninus tertia parte titulo 1. cap. 15. §. 3. Sotus dicta dist. 42. art. 1. conclusione 3. Armilla verbo, matrimonium numero 9. Nauar in summa Latina, cap. 22. numero 40. & alij quamplurimi.* Prima pars conclusionis, quod iste teneatur reddere debitum, certa est, nam alter coniux omninò innocens est, non debet ergo priuari iure suo, scilicet reddendi sibi debitum iure. Secunda pars conclusionis, in qua maior est difficultas, probatur ex dicto *cap. si vir*, vbi loquens Pontifex de his qui filium alterius coniugis, aut baptizant, aut tenent in baptismo, reddit hanc rationem, *si ex malitia, ei sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* In quibus verbis voluit significare, talem malitiam puniendam esse, sed non puniretur, si eis coniugibus concederetur redditio, & petitio debiti, nec si eis concederetur petitio, & negaretur redditio, quia hac ratione potius puniretur alter coniux, ergo per hoc puniuntur, quod obligentur ad redditionem debiti coniugalis, & priuentur iure petendi illud, vnde illa verba prædicti textus, *neque alteri debet debitum subtrahere*, quantum ad eum, qui ex malitia baptizat filium alterius coniugis sic intelliguntur ab omnibus Theologis, & fere ab omnibus Iurisperitis, scilicet coniugem nocentem debere coniugi innocenti reddere debitum.

8 Quæret tamen aliquis, an coniux, qui patri-

A nus est filij communis sibi, & alteri coniugi in casu necessitatis, quando non est alius, qui possit tale officium exercere, iam quod contrahat cognationem spiritualem cum altero coniuge, quod nullus negabit, an possit petere debitum ab altero coniuge? *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 15. num.* 11. negat in isto casu posse peti debitum, quia tale officium patrini non est necessarium ad salutem, quemadmodum necessarium est officium baptizantis, ob quam causam *caput ad limina 30. quæstione* 1. concedit liberam potestatem exigendi debitum ei, qui in necessitate baptizauit filium alterius coniugis sibi per matrimonium sociatæ. Verumtamen respondetur, necessario pronuntiandum, prædictum coniugem exercen-
B tem officium patrini tempore necessitatis in baptismo solemni, posse petere debitum, quia illud officium tunc temporis necessarium est ex præcepto Ecclesiæ, imò propter eandem rationem idem affirmandum est in baptismo priuato. Hanc resolutionem expresse defendit *D. Thom. tertia parte, quæst. 67. art. 8. ad secundum, his verbis, & ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.* Et probatur ex ratione textus, *in cap. ad limina allegato*, vbi loquens de eo, qui tempore necessitatis baptizauit filium suum, sic ait: *Benefecisse laudatur, & idcirco suæ vxori sibi iam legitime sociatæ impune quandiu vixerit, indicamus manere coniunctum*, id est libere potest
C reddere, & petere debitum, sed etiam qui in casu necessitatis proprium filium suscipit, vere laudatur, quia efficit id quod est necessariū ad hoc, vt baptismus perfectus sit, & ad hoc vt baptizatus habeat aliquem pedagogum spiritualem, ergo eodem modo debet retinere ius petendi debitum.

Ex his ad argumentum oppositæ sententiæ 9
respondemus, dum dicitur *in eo capite. si vir, nō esse debitum subtrahendum*, Intelligendum esse, id est innocenti coniugi petenti reddendum esse debitum Nam licet Pontifex in suo responso eodem modo loquatur de eo, qui scienter suscipit filium, & de eo, qui ignoranter, diuersitas tamen rationis ab eo assignata in vno & altero casu, ostendit nobis, non esse eodem modo puniendum coniugem in vtroque casu,
D ait enim Pontifex ibidem, quia si ex ignorantia id factum est, eo ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus patrocinari non debet.

Quæst.

QVÆSTIO V.

Vtrùm affinitas ex copula illicita cum consanguineis vxoris orta impediat petitionem debiti?

1 QVID sit affinitas, & quid requiratur ad eam contrahendam, satis superq; explicuimus *in tractatu secundo huius materiæ, quæst. 72. & quæst. 73. eiusdem tractatus disputauimus.* Qua ratione affinitas ex copula illicita proueniens dirimat matrimonium, quando illud antecedit, quare modò disputandum est, qua ratione impediat vsum matrimonij, quando illud subsequitur, quæ affinitas quia prouenit ex copula habita ab vno coniuge cùm consanguineis alterius coniugis, ideò appellatur incestus,

2 Sit prima conclusio. Affinitas hæc matrimonium consequens, cum tantum oritur ex copula habita cum consanguineis alterius coniugis, & non cum alijs alio modo coniunctis cum altero coniuge, aut cum cõsanguineis proprijs. Impedit, ne coniux fornicarius possit debitũ petere ab altero coniuge, ea vero non obstante tenetur debitum reddere coniugi innocenti. Prima pars constat *ex cap. 1. de eo, qui cognouit cõsanguineam*, in illis verbis: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere potest, &c.* Secunda pars conclusionis patet *ex cap. discretionem, eod. tit.* & ex illis verbis: *Sed nec affinitas post matrimonium inique contracta ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo iure non debeat sine sua culpa priuari.* Neque secundæ parti cõclusionis obstat *caput qui dormierit. 27. q. 2.* vbi loquens, *Concil. Aurelianense*, de coniuge incestuoso, sic ait, *nec propriæ vxori sibi licere reddere debitum*, illud enim verbum reddere *Glossa in eo c. verbo, qui dormierit*, citans *Hugonem, & alios*, sic interpretatur, id est, non licet petere debitum ab vxore. Vt enim consonet capiti discretionem, allegato, & optimæ rationi conrentæ in verbis à nobis allegatis, ita interpretandum est. Et hæc conclusio vera est, etiamsi affinitas proueniat ex delicto per vim grauem commisso, non vero omnimodam, & ex delicto occulto (& eadem est ratio de cognatione spirituali proueniente ex administratione occulta baptismi, vel confirmationis) quia primum constat ex *cap. discretionem*, vbi exigitur omni culpa debere eum vacare, qui debitum petit, & secundum constat ex verbis capitis primi supra à nobis allegati, vbi tantum perpenditur grauitas delicti, non vero propalatio eius. Nam, licet in *cap. discretionem*, asserat *Innocentius Tertius*, à prædecessore suo, scilicet *Alexandro*, distinctionem fuisse constitutam inter incestũ occultum, vel manifestum, ipse tamen Inno-

A centius non curat de hac distinctione, quin potius eam auferre videtur. Præterea, si cum eo impedimento petat debitum ab altero cõiuge, lethaliter peccat (& eadem est ratio de eo, qui contraxit cognationem spiritualem cum sua vxore.) Ita docent *Nauar. in summa, cap. 16. num. 35. Syluest. matrimonium 8. quæst. 15. dicto 7. Dominicus Sotus in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 2. vers. secunda conclusio, Couar. 4. decretalium 2. part. cap. 7. §. 2. num. 6. & alij.* Probatur, quia iste frangit præceptum Ecclesiæ in re graui, ergo peccat lethaliter: imò hac ratione peccat, etiamsi non procedat ex contemptu legis (quidquid negent aliqui Doctores recentiores) neque prohibitio prædicta petendi debitum ablata est per contrariam consuetu-

B dinẽ, quia quotidie petitur circa eã dispẽsatio.

Scio *Thom. Sanch. li. 9. de matrim. disp. 27. n. 3.* 3
doctrinam prædictæ conclusionis cum alijs Doctoribus extẽdere etiam ad eum casum, in quo coniux minime commisit incestũ cum consanguineis alterius coniugis, sed tamen consensit vt alter coniux incestum similẽ contraheret. Quod ex eo probat, quia cum in *cap. discretionem*, allegato petitio debiti concedatur coniugi innocenti circa delictum incestus, contendit, quemlibet coniugem quomodolibet reum incestus, qualis est hic, priuandũ esse iure petendi debitum. Verumtamen hæc resolutio nõ placet, quia lex prohibens petitionem debiti pœnalis est, & tantũ loquitur, vt constat *ex ca. 5. de eo, qui cognouit consanguineam*, in casu, quo

C. coniux commiserit incestum cum consanguineis alterius coniugis, ergo non est extendendus ad alium casum. Tum quia impedimẽtum petendi debitum nascitur ex affinitate, vt cõstat *ex cap. discretionem*, sed hæc affinitas non reperitur in eo casu, quo vnus coniux sit causa incestus alterius coniugis ratione cõsilij, ergo inde non nascitur ei impedimentũ petendi debitum. Vltimo refellitur resolutio Sanchez, quia eius casus mentionẽ facit *Innocent. III. in dicto cap. discretionem*, in prima parte eius, & in secunda mentionẽ facit eius casus, in quo aliquis coniugum cõmisit incestum, & in primo casu nullum constituit impedimentum petendi debitum, in secundo vero illud constituit, ergo sentit vtrique delicto non esse eandem

D pœnam imponendam.

Et quidẽ si consulamus ius antiquũ, commũniter asserũt Doctores, affinitatẽ ex copula il- 4
licita prouenientẽ, & interdicentẽ petitionem debiti se extendere vsque ad quartũ gradum, vt constat *ex cap. non debet. de consanguin. & affinitate*, si vero consulamus ius nouum *Concilij Trident. Sess. 24. cap. 4.* quidam sentiũt, etiam in hoc casu cõiugẽ cognoscẽtẽ carnaliter cõsanguineã alterius coniugis vsq; ad quartũ gradũ nõ posse à suo cõiuge debitũ petere. Ita sentiũt *Angles in floribus 1. p. de matrim. q. 14. de impe-*

dimento affinitatis, art. 1. immediate ante primam difficultatem, & aliquanti alii Theologi Salmantini. Quod inde videntur probare, quia prohibitio hæc petendi debitum consurgit ex peccato incestus, & non ex affinitate, quare mulieri per vim cognitæ à consanguineo sui viri non prohibetur petitio debiti, licet ei fiat affinis, sed copula vnius coniugis cum consanguineis alterius coniugis vsque ad quartum gradum est incestuosa, ergo vsque ad eum gradum impedit petitionem debiti. Verba *Concilij loco citato*, hæc sunt: *Præterea sancta Synodus eisdem, & aliis grauissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit, in vlterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractũ non dirimere.*

5 Sit secunda conclusio. Copula habita cum consanguineis alterius coniugis vltra secundum gradum minime interdicit petitionem debiti modo post prædictum decretum Concilij Tridentini. Ita sentiunt *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 15. num. 11. Emanuel Rodriguez super Bullam Cruciatam, §. 13 num. 8. & Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 55. art. 3. dubio 4.* Probatur primò conclusio, ex Congregatione Cardinalium, quam refert *Sanchez loco citato, num. 14.* cuius hæc sunt verba: *Congregatio Concilij censuit decretum Tridentini Ses. 24. de matrimonio, cap. 4. ad primum, & secundum gradum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam, censeri etiam ad eosdem gradus restrinxisse impedimentum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ vxoris post matrimonium habita.* Secundò probatur, quia *Tridentinum loco citato*, concedit, vt nulla oriatur affinitas ex ea copula illicita vltra secundum gradum in ordine ad dirimendum matrimonium, quod multo maius est, ergo etiam consequenter censetur decreuisse, nullam manere affinitatem in ordine ad impediendum vsum matrimonij vltra secundum gradum, quod minus est, tum quia ablata affinitate, vt hic videtur contingere, radicitus euellitur totum fundamentum prohibitionis petendi debitum, vt constat ex *cap. discretionem, de eo, qui cognouit consanguineã*, & ex illis verbis: *Sed nec affinitas post matrimonium inique contracta ei debet officere, &c.* Vnde etiamsi post Tridentinum maneret ratio incestus; quæ revera non manet in copula habita cum consanguineis alterius coniugis vltra secundum gradum, quia tamen per Tridentinum tollitur affinitas, tunc etiam tollitur tota ratio impediendi petitionem debiti, quia ratio eam impediendi est affinitas proueniens ex copula incestuosa.

Ex his patet ad argumentum oppositæ sententiæ, non enim dicimus solam affinitatem impedire petitionem debiti, vt bene probat argumentum oppositum, sed præterea requiritur affinitatem prouenire ex peccato incestus. Quod autem impedimentum petendi debitum non tam oriatur ex incestu, quam ex affinitate inde proueniente, docuit expresse *Diuus Thomas in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 5. §.* & per hoc patet solutio ad obiecta.

QVÆSTIO VI.

An affinitas prædicta, & etiam cognatio spiritualis in aliis euentibus impediat petitionem, & redditionem debiti, etiamsi vi, vel metu contrahantur?

PRIMVS euentus considerari potest, 1 quando vterque coniux commisit incestum cum consanguineis alterius coniugis, vel baptizauit filium alterius coniugis.

Et quidem sit prima conclusio. (Licet aliqui Doctores sine fundamento contrarium 2 sentiant) in isto euentu vterque coniux priuatur iure petendi debitum. Ita docent *D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 15. §. 3. Syluest. matrimon. 8. quæst. 7. dicto 2. Petrus de Soto lect. 11. de matrimonio, §. secundum de hac cognatione, Nauar. in summa cap. 16. num. 34.* Probatur efficaciter conclusio ex *cap. nosse. 30. quæst. 1.* quod est *Nicolai I.* vbi cum hac ratione esset proposita quæstio: *Nosse desideras, vtrum quæ mulier viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte leuauerit, post modum possit cum eodem viro copulari.* Postea respondet Pontifex his verbis: *Ergo si non ex consensu vtriusque coniugis factum esse probatur, non fraudentur inuicem, sed reuertantur in id ipsum.* Ecce vbi Pontifex concedit facultatem vtendi matrimonio in eo casu, quo alter coniux est innocẽs, & potest petere debitum: ergo à contrario sensu, vbi vterque coniux est culpabilis, negat Pontifex vsum matrimonij, quia neuter potest petere debitum. Et cõfirmatur *ex cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam*, vbi priuatur iure petendi debitum ille, qui cum filia suæ vxoris commisit incestum, si ergo vterque coniux incestum commisit, vterque priuatur iure petendi. Hæc priuatio petendi debitum pœna quidem est, vt docent *Syluester verbo luxuria, quæst. 4. dicto 1. Caietan. in opusculis tomo 1. tractatu 31. in 4. responsione, Dominicus Sotus, 4. dist. 37. quæst. vnica, art. 2. versiculo 2. concl. & in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 1. concl. 3.* Et hæc pœna incurritur ante omnem iudicis sententiam, sicut & censuræ licet pœnæ sint priuatiuæ, quia istæ pœnæ ita vsu receptæ sunt

sunt in Ecclesia, & declaratæ vt nullam requirant sententiam condemnatoriam, aut declaratoriam criminis, aliquæ tamen sunt pœnæ priuatiuæ, quæ aliquam requirunt iudicis sententiam, vt patet in priuatione bonorum quam incurrit hæreticus. A

3 Maior difficultas est, an in hoc casu possit, vel teneatur vnus coniux alteri petenti debitum illud reddere. In quo casu *Thomas Sanch. alios Doctores referens, lib. 9. de matrimonio, disp.* 28. Aperte sentit, cum vterque coniux malitiose contraxit aliquod ex prædictis impedimentis animo defraudandi alterum debito cõiugali, vtrumque peccare petendo debitum, at vero reddendum illud esse. Probat dupliciter suam sententiam. Primo, quia cum hæc pœna à solo iure positiuo infligatur, per illud potest limitari, ius autem *in capit. si vir. de cognat. spirit.* videtur limitare hanc pœnam ad hoc, vt vnus coniux debeat reddere debitum alteri petenti, quia hunc præsentem casum æquiparat casui, quo per ignorantiam id effectum est, in quo casu constat, coniuges teneri ad reddendum debitum. Secundò probat ex ratione prædicti textus, scilicet, quia malitia, & fraus non debent patrocinari ijs, qui contra matrimoniũ delinquunt. At valde patrocinaretur, si ex eis remanerent cõiuges liberi ab obligatione reddendi debitum. B

4 Sit tamen secunda conclusio. *Cum Armilla verbo, matrimonium, num. 9. & Palatius in 4. dist. 7. disp.* 3. in isto euentu nullus coniux potest, aut tenetur reddere debitũ. Probatur primò, quia illa copula, in qua redderetur debitum, ex vna parte incestuosa est, quia habetur cum coniuge affine, vel consanguineo, & ex altera parte non excusat à culpa aliqua obligatio reddendi debitum, quia hæc nulla reperitur in hoc casu, ergo tunc non licet reddere debitum. Quod vero non adsit tunc obligatio reddendi debitum, patet, quia ideò licet post eam affinitatem, vel cognationem contractam reddere debitum, imò necessarium est, ne coniux innocens iure suo priuetur, vt constat ex *cap. discretionem de eo, qui cognouit consanguineam:* vbi sermo est de affinitate, & eadem est ratio quantum ad hoc de cognatione spirituali, at in isto casu, de quo loquimur, nullus coniux est innocens, neque habet ius petẽdi debitum, vt patet ex prima conclusione, ergo neuter tenetur reddere debitum, quare nullus potest illud reddere. Secundò probatur, quia cum vnus tantum coniux commisit incestum, alter innocens non tenetur reddere debitum, quia ei nihil debetur, cum sit priuatus iure petendi, ergo etiam cum vterque commisit incestũ, nullus tenebitur reddere, quia nullus aliquid debet. Patet consequentia, quia non est concedendum, vbi plura sunt delicta maiorem licentiam tribui ab Ecclesia. C D

5 Ad argumenta Sanchez respondetur. Ad primum dicimus, eum textum omninò contraria ratione esse intellectum ab isto Doctore, & late explicatum *in eodem lib. disp.* 26. quare consequenter ad ea, quæ nos supra diximus, quæst. 4. respondemus, eum textum non procedere in eo euentu, quo vterque causam dederit cognationi spirituali, sed in eo quo vnus tantum eam dedit, vt patet *ex initio capitis, si vir*, quod sic se habet, *si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit*, in quo textu etiamsi sermo esset in nostro casu, & etiamsi responsio eodem modo loquatur prima faeie de his, qui ignoranter baptizarunt, & de his qui ex malitia baptizarunt, tamen ratio in eo textu assignata satis ostendit diuersitatem, & in casu ignorantiæ vtrumque reddere debitum teneri, at in casu malitiæ minime, nam ait *Alexander III. ibidem: Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* At vero si in isto casu deberet eis debitum reddi, eis sua fraus patrocinaretur, & daretur occasio coniugi prius danti occasionem cognationis spiritualis, alteri suadendi, vt eandem occasionem præberet, vt hac ratione debitum ei redderetur coniugale.

Sit tertia conclusio. (Licet multi sentiant oppositum) in alio secundò casu, in quo post matrimonium ratum, & ante consummationẽ eius, fit contracta affinitas, vel cognatio spiritualis per factum vnius coniugis tantum, ille nõ tenetur ingredi religionem, sed potest alteri petenti, imò & debet post bimestre, si non vult ingredi religionem, debitum reddere. Ita sentiunt *Sanchez lib. 9. de matrimonio, disp. 29. & Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 55. art. 6. circa tertium statum affinitatis dub. 4.* Probatur quòd non teneatur ingredi religionem, quia illam non promisit, & quia non est ei tantum ius, quod requirit liberam facultatem, impo nendum, & probatur, eum teneri reddere debitum, quia alter coniux innocens retinet suũ ius petendi debitum, ergo potest illud petere, quare alter tenetur reddere, quia nullã habet iustam causam excusantem. 6

Quæres tamen, an cognatio spiritualis, vel affinitas ex copula incestuosa proueniens in vno, vel coniuge vtroque reperta vi, aut metu contracta impediat debiti petitionem? Respõdetur primo, cognationem spiritualem vi, aut metu graui contractam non impedire petitionem debiti. Patet, quia tunc actus bonus est, & necessarius, ergo propter illum non incurritur priuatio iuris petendi debitum, quæ est pœna. Secundo patet à simili ex *cap. ad limina*, 30. *quæst.* 1. vbi excusatur ab hac pœna baptizans filiũ vxoris, quia in necessitate baptismi constitutus est filius, sed in hoc casu vis, aut grauis metus illati patri, pater est constitutus 7

in necessitate, ergo respondemus secundo affinitatem vi contractam non impedire petitionem debiti, ita *Sotus in 4. distinct. 37. quæst. unica art. 2. Enriq. lib. 12. de matrimonio cap. 2. nu. 2.* patet *ex cap. discretionem de eo qui cognouit consanguineam*, vbi est sermo de isto casu, & hæc redditur ratio decisionis, *sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virũ & vxorem iniquè cõtrahitur, ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non existit, cũ suo iure non debeat sine sua culpa priuari*, sed in isto casu quo vxor per vim fit cognita à cõsanguineo sui, viri nulla reperitur culpa, ergo nõ priuatur vxor iure petendi debitum coniugale, quando vero vxor cognita est per metum grauem, aut leuem, culpa intercessit, quia potius deberet mortem pati, quam copulam, & ita sine dubio contrahit priuationem petendi debitum, vt constat à contrario sensu, *ex cap. discretionem allegato*. B

QVAESTIO. VII.

Vtrum votum castitatis, religionis, aut non celebrandi matrimonium emissum ab aliquo coniuge ante celebratũ matrimonium prohibeat debiti petitionem, & redditionem?

1 OMNIA ista vota videntur inter se cõuenire in ordine ad prohibẽdũ vsum matrimonialem, & ideo de illis omnibus in hac quæstione disputabimus, vt tamen quæstio distinctè procedat, quodlibet ex his votis sigillatim examinandum est.

2 In hac quæstione quidam Doctores antiqui, vt refert *Diuus Bonauentura in 4. distinct. 38. art. 2. quæst. 1. in fine*, iudicarunt, votum castitatis emissum ante contractum matrimoniũ prorsus extingui per matrimonium contractum. Primum fundamentum fit, quia vbi duo contraria occurrunt, id, quod fortius est, extinguit id, quod minus forte est, sed votũ castitatis contrariatur matrimonio, & eius obligatio minor est obligatione matrimonij, ergo his duabus obligationibus inter se concurrentibus extinguitur obligatio voti. Secundũ fundamentum fit, quia priora sponsalia omnino amittunt suam vim per matrimonium subsecutum, ergo votum simplex etiam amittit suam vim secuto matrimonio.

3 *Glossa in c. finali 27. quæst. 1. paulo post principium, & alij Doctores*, sentiunt, semel matrimonio consummato ab eo, qui votum castitatis emiserat, posse illum libere exigere debitum ab altero coniuge. Probatur primo, quia isti facta est impossibilis voti obseruatio, ob quã

A causam potest ille reddere debitum, ergo etiã potest illud exigere, quia sicut reddere, ita etiam exigere, aduersari videtur rationi voti. Secundo probatur, quia aliàs illud matrimonium celebratum post tale votum redderetur nimis onerosum alteri coniugi præsertim, si alter esset fœmina, cum semper deberet exigere debitum. Tertio probatur, quia si coniux post tale votum non posset exigere debitum, videtur esse eum constitutum in maximo periculo incontinentiæ. Vnde obseruatio voti potius fieret laqueus animarum, quam adiumentum salutis.

Sit prima cõclusio ab omnibus recepta. Cõiux liber ab omni voti obligatione, qui contraxit cum altero adstricto voto castitatis, siue alterius votum cognouerit, siue ignorauerit, ius habet exigendi debitum ab altero, & alter tenetur illud reddere. Probatur cõclusio, quia coniux liber verum ius adquisiuit, & dominium per matrimonium illud, neque ex aliquo capite illud impeditum est, potest ergo eo libere vti exigendo debitum. Vnde alter cõiux tenetur ex iustitia ei debitum reddere. 4

Secunda conclusio, coniux, qui ante matrimonium votum castitatis emisit, lethaliter delinquit, quoties debitum petit (nisi in eo casu petat, quo supradiximus ad id teneri, scilicet, cum alter coniux patitur periculum incontinentiæ.) Hanc conclusionem defendunt *D. Thom. in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ad quartum & D. Bonauent. ibidem, art. 2.* 5

G *quæst. 1. in fine Caietanus in sum. verbo matrimonium cap. vltimo versic. 9. caput, & alij innumeri.* Probatur primo conclusio, *ex cap. quidam de conuersione coniugatorum.* Vbi de quodam, qui contradicente vxore professus fuerat, cuius votum in quantum solemne viribus caruit, in quantum simplex verò valorem obtinuit, sic respondet *Alexand. III. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod votum non tenuit. Vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Vlterius verò non poterit vxorem accipere, promisit enim, se non exigere debitum, quod in eius potestate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit, non reddere autem, non erat in eius, sed mulieris potestate.* Secũdo probatur, quia votum castitatis præcedens matrimonium adhuc post initum matrimoniũ

D seruandum est in his, in quibus non contrariatur matrimonio, sed non cõtrariatur matrimonio, coniugem ligatum voto non petere debitum, quia coniuges ex vi matrimonij non tenentur petere debitum. Vt apparuit in castissimis nuptijs *Sanctissimæ Dei genitricis, & Ioseph*. Ergo tenetur coniux ligatus voto castitatis ad non petendum debitum.

Et eadem est ratio de voto virginitatis absolute emisso, quia hoc omnimodam in se includit castitatem, vt latius disputatur in materia de voto, nisi quis votum virginitatis emittens 6

tantum intendat vouere abstinentiam à prima copula. Nam tunc, etiamsi contraheret matrimonium, non posset prima vice petere debitum, quamuis posset reddere, semel tamen consummato matrimonio, cum facta sit impossibilis obligatio voti, illaque minime se extenderit ad copulas subsequentes, libere potest ille vouens exigere & reddere debitum.

7 Vt verò gradum faciamus ad votũ religionis emissum ante celebratum matrimonium, quidam affirmauerunt, tale votum impedire petitionem debiti post initum matrimoniũ.

8 Sit tertia cõclusio. Qui ligatus voto religionis prima vice cõsummat matrimoniũ siue petendo, siue reddendo debitum, peccatum lethale committit. Conclusio est communis inter Doctores. Probatur, quia iste adhuc tenetur ingredi religionem ante consummationẽ matrimonij, cum libere posit, & consummando matrimonium siue petendo, siue reddendo debitum, se inhabilem reddit ad ingressum religionis absque alterius coniugis licentia, lethaliter ergo peccat, si petat, aut reddat debitum.

9 Quarta conclusio, qui post votum simplex religionis (de his enim votis simplicibus loquimur in præsenti quæstione) semel matrimonium consummauit, licite potest deinceps petere, & reddere debitum. Ita docent *Sotus in 4. distinct. 38. quæst. 2. art. 1. conclusione 4. Nauar. in summa Latina, cap. 12. num. 80. Bartholom. à Ledesma, dub. 32. de matrimonio in fine.* Probatur primo, quia huiusmodi coniux in hoc casu incapax effectus est status religiosi, ergo respectus ad illum statum non potest prohibere illi actus coniugales. Præterea neque obligatio seruandi castitatem potest illi eos actus prohibere, quia hæc obligatio non inclusa est formaliter in obiecto illius voti, sed virtualiter, & nõ virtualiter proxime, sed remote medio statu religionis assumendo. Quare si iste vouens fornicationis culpam committat, non est sacrilegus, ergo non tenetur ratione obligationis castitatis ad abstinendum à petitione, vel redditione debiti. Secundo probatur, quia, qui vouet baptismum, non tenetur ante susceptum baptismum legibus Ecclesiasticis, neque, qui vouit, se suscepturum sacros ordines, tenetur ante eos susceptos recitare officium canonicum, quamuis huiusmodi onera alligata sunt prædictis statibus, ergo similiter, qui emisit votum simplex religionis, non tenetur obligatione seruandæ castitatis.

10 Soluto verò eo matrimonio cõsummato, tenetur ille, qui votum emiserat simplex religionis quia obligatio voti non fuit omnino extincta per illud matrimonium, sed suspensa, ingredi religionem, vt optime perpendit cum alijs *Sotus loco citato, in fine corporis.* Vnde similiter, qui cum voto simplici castitatis ma-

A trimonium celebrauit, neque potest soluto eo matrimonio secundas celebrare nuptias. Vt patet ex *capit. quidam, de conuersione coniugatorum.* Neque potest vllo modo ad summã accedere per carnalem copulam.

Quinta conclusio. (Licet aliqui relati à *Sanchez loco citato num. 11.* sentiant oppositum) tamen ille, qui post votum simplex non celebrãdi matrimonium, illud celebrauit, & consummauit, licet mortaliter peccet contrahendo, libere tamen potest reddere, & petere debitum. Ita sentiunt *Ludouicus Lopez 2. part. instructionis de matrimonio, cap. 46. circa secundum impedimentum voti simplicis, Emanuel Sa, in sum. verbo debitum coniugale vers. contrahens matrimonium, & alij plures Doctores.* Probatur conclu- 11

B sio vnico fundamento, quia huiusmodi votum directe, & proxime, & per se tantum obligat ad abstinendum à contractu matrimoniali, ad abstinendum verò à copula coniugali tantum obligat in eo casu, quo non ineatur matrimonium: semel ergo celebrato matrimonio nullam habet vim obligandi, sed libera relinquitur facultas petendi, & reddendi debitum, dissoluto verò matrimonio tenetur ille abstinere à nuptijs iuxta dicta in §. *præcedenti.*

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum secũdæ sententiæ dicimus, obligationem voti simplicis castitatis ex parte esse contrariam, & incompossibilem cum obligatione matrimonij, scilicet, in quantum prohibet redditionem debiti, & hac ratione C cessare contracto matrimonio, at vero ex alia parte non esse contrariam, sed compossibilem cum matrimonio scilicet, in quantum prohibet petitionem debiti. Et hac ratione non excludi per vim matrimonij. Ad secundum argumentum respondetur sponsalia contracta cum vna amittere suam vim per matrimonium cũ alia contractum, quia sicut impossibile est simul contrahere plura matrimonia, ita etiam impossibile est coniugem matrimonio coniunctum cum vna manere obligatum ad contrahendum cum alia, at vero qui Deo obligatus D est per votum ad non petendum debitum, potest esse obligatus vxori ad reddendum debitum coniugale. 12

Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondemus, coniugato præsertim ei, qui matrimonium semel consummauit, factam esse impossibilem obseruationem voti ex ea parte, qua votum prohibet redditionem copulæ postulatæ, non vero quatenus prohibet postulationem copulæ, quia coniugati non tenentur generaliter loquendo petere debitũ. Ad secundum dicimus, reddi quidem onerosum matrimonium ea via, sed istud damnum non posse omnino vitari, ex parte tamen posse vitari, quia alter conjux non semper debet exigere debitum expresse, sed satis est, si taci- 13

cite medijs signis illud petat. Ad tertium res- A pondetur, periculum non posse omnino auferri, ex parte tamen illud auferri, per hoc quod coniux voto solutus, vt supra notauimus, tenetur ab alio adstricto voto debitum petere quoties in eo prævidet aliquod periculum incontinentiæ, quia lex matrimonij tunc copulam exposcit.

QVAEST. VIII.

Vtrum ille, qui post votum emissum castitatis, religionis, assumendi ordines sacros, & abstinendi à nuptijs illas celebrat, teneatur antequã eas consummet, religionem ingredi?

1 IN hac quæstione, sicut in præcedenti eorsum de quolibet voto ex dictis disputandum est, in qua prima sententia defendit, loquendo de voto castitatis, ligatum eo voto, si matrimonium contrahat, & post illud contractum alter coniux nolit cedere iure petendi debitum, cum debere ingredi religionem, vt votum omnino obseruet, quod non potest obseruare omnino post consummatum matrimonium. Ita sentiunt *Scotus in 4. dist. 38. quæst. vnica ad finem, vers. consimiliter si de peccato, D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 4. in fine, Caietan. in summa verbo, matrimonium, cap. 1. §. & scito, peccatum esse, Toletus lib. 4. summæ, cap. 18. Nauar. in summa Latinâ, & Hispana, cap. 21. num. 73. & alij plures.* Hæc sententia probatur primò, quia post matrimonium celebratum, & ante eius consummationem non potest ille, qui emisit votum castitatis, aliter illud implere, quam ingrediendo religionem, & alias non obstante eo matrimonio potest ingredi, ergo tenetur. Secundò probatur, quia votum castitatis plus opponitur matrimonio, quam votum religionis, quia semper priuat petitione debiti, quã non semper priuat votum religionis, sed religionis voto astrictus tenetur religionem ingredi ante consummationem matrimonij, ergo etiam ad id tenetur adstrictus voto castita- D tis. Tertiò probatur, quia ille, qui aperte videt se non posse obseruare votum castitatis, nisi religionem ingrediatur, tenetur eam ingredi, sed in isto casu aperte videt vouens castitatem se non posse eam obseruare absque ingressu religionis, ergo ad illum tenetur. Vltimò probatur, quia ille, qui se obligat ad aliquid, etiam se obligat ad illud, quod est medium ad illud consequendum. Sed in eo, qui emisit votum castitatis post matrimonium ratum, nequit castitas seruari, nisi per ingressum religionis, ergo tenetur ingredi religionem.

Sit prima conclusio. Qui post votum religionis matrimonium contraxit, & qui post illud contractum consummat matrimonium, petendo, aut reddendo debitum, grauiter delinquit. Probatur, quia iste dum contrahit matrimonium, exponit se periculo consummandi illud, & reddendi se inhabilem ad implendum votum religionis, præterea dum consummat matrimonium, reddit se incapacem religionis, cuius susceptionem vouerat, ergo grauiter delinquit. Quare huiusmodi votum siue emittatur ante initum matrimonium, siue post illud initum, & ante eius consummationem, impedit petitionem, & redditionem debiti coniugalis, si verò post tale votum cõsummetur matrimonium, vouens deinceps potest licite petere, & reddere debitum, quia cum materia B voti, scilicet ingressus religionis reddita sit impossibilis, non manet obligatus vouens ad abstinendum à petitione, aut redditione debiti coniugalis. Dissoluto tamen eo prædicto matrimonio, prior obligatio religionis, quæ quasi consopita fuerat, ita reuiuiscit, vt astringat vouentem ad non contrahendum secundum matrimonium, sed religionem ingrediendam. 2

Secunda conclusio. Qui votum castitatis emisit ante cõtractum matrimonium, vel post illud contractum, & ante eius consummationem, non tenetur ingredi religionem. Ita sentiunt *Sotus in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1. post secundam conclusionem, vers. quid autem remedij, Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 2. num. 8. & alij plures recentiores.* Probatur primò ex *Extrauaganti Ioannis XXII. quæ incipit, antiquæ concertationi*, vbi de eo, qui post matrimonium ratũ ordines sacros susceperat, & ita votum castitatis emiserat (eadem autem est ratio de voto castitatis emisso ante matrimonium) sic dicitur: *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum* (scilicet religionis) *si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci.* Vbi notanda sunt illa verba moneri, & induci, quæ denotant istum tantum ex consilio debere ingredi religionem, non ex præcepto. Secundò probatur, quia nemo tenetur, finem inferioris ordinis implere adhibito medio ordinis superioris difficillimo, vt nemo tenetur restituere pecuniam cum detrimento suæ famæ, sed status religionis est superioris ordinis, & multo difficilior, quam castitas promissa, ergo nemo tenetur, vt castitatem seruet, religionem ingredi. Vltimò probatur, quia cum iste non vouerit statum religionis, si ad illum cogeretur ex vi voti castitatis, praui exitus timeri possent, vt quod iste non obseruaret regulam, & alijs præberet scãdalum, & alia huiusmodi, quæ ex coacta volũtate oriri solent. C

Vnde cum iste vouens castitatem non teneatur ingredi religionem, si illam de facto non in- 4 gre-

A gredjatur, tenetur reddere debitum alteri cōiugi petenti, quia ratione matrimonij adquisitum ei fuit quoddam ius fortius eo iure, quod adquisitum erat Deo per votum. Non tamen potest petere debitum, quia petitio tantum tendit in eius fauorem, & tantum fouet ius, cui ipse renūtiauit per votum, quare priori bimestri post matrimonium ratum, vel altero coniuge medio suo adulterio tribuente causam diuortij, non potest vouens reddere debitum, quia alter non habet ius petendi illud.

5 Tertia conclusio. Qui emisit votum assumēdi ordines sacros, & post tale votum matrimonium celebrat, non tenetur ingredi religionē, vt votum obseruet (quod si tale votum emittat post celebratum matrimoniū, nullum est absque licētia vxoris, quia est promissio rei iniustæ.) Patet conclusio, quia hoc votum minus obligat, quam votum castitatis, si quidem accedens post illud ad aliquam fœminam non est B sacrilegus, sicut est ille, qui accedit post votum castitatis: sed votum castitatis, vt patet ex secunda conclusione, non obligat ad ingressum religionis, ergo neque etiam hoc votum. Vnde licet lethaliter peccet, qui cum tali voto matrimonium contrahit, quia reddit se impotentem ad recipiendos ordines, at vero si post illud petat, aut reddat debitum, non peccat, quia cum tale votum in eo casu seruari non possit, ad nihil obligat. In eo vero casu, quo alter cōiux adulterium committeret, liber manet vouens, & ita tenetur, ordines sacros, quos promisit suscipere.

Quarta conclusio. Qui emisit votum abstinendi à nuptijs, & post illud eas celebrat, mor-
6 tifere peccat, vt patet; post eas tamen celebratas etiam primo bimestri, & etiam altero coniuge adultero existente, licite potest petere, & reddere debitum. Probatur, quia materia voti reddita est impossibilis; ergo ratione illius ad nihil homo obligatur, quia neque etiā obligatur ad ingressum religionis post matrimonium tantum ratum, vt patet ex secunda conclusione, sed tantum isti prohibetur dissolutis primis nuptijs, ad secundas transire.

Ex his respondetur argumentis in opposi-
7 tum. Ad primum dicimus, concedendo, illum hominem non posse omninò implere votum castitatis in eo casu, nisi ingrediatur religionē, negamus tamen, illum teneri ad implendum omninò votum eo medio superioris ordinis, & difficillimo. Ad secundum argumentum dicimus, recte posse dici, votum religionis maius esse voto castitatis, ex ea parte, qua obligat ad statum perfectiorem, vnde licet illud obliget ad ingressum religionis, votum tamen castitatis ad eum non obligat. Ad tertium respōdetur, non posse ocurrere casum, in quo necessarius sit ingressus religionis ad seruandam castitatem promissam; quia si quis difficile se continet à venereis, potest dispensationem vo tipetere. Ad quartum respondetur, obligantē se ad aliquid consequendum, non se obligare ad apponenda media superioris ordinis, & difficillima. Vnde cum talis naturæ sit ingressus religionis in ordine ad seruandam castitatem qui castitatem vouit, nō tenetur ad ingressum religionis.

QVÆSTIO IX.

Vtrum votum castitatis emissum sine licentia alterius coniugis post matrimonium ratum, aut consummatum, validum, & licitum sit; & impediat actum coniugalem?

PRo quæstionis intelligentia notandum est, hoc votum posse esse duplex, aut enim potest esse votum tantum non petendi debitum, aut potest esse votum absolutū castitatis. 1

Quidam sentiunt, votum non petendi debitū non esse validum. Alij vero sentiunt validum esse tale votum, si ab vxore emittatur, inualidum vero, si emittatur à viro, quarum sententiarum illud est potissimum fundamentum, quia eo modo emissum votum onerosum est alteri coniugi. 2

C Circa votum vero castitatis absolutū emissum post consummationem matrimonij ab altero coniuge sine licentia alterius, quidam iudicarunt, illud esse inualidū. Ita sentiunt *Turrecremata, cap. si dicat. 33. quæst. 5. art. 1. num. 1. Paludan. in 4. dist. 32. quæst. 2. art. 1. num. 14.* Probatur primo, quia tale votum nimis onerosum est alteri coniugi, ergò non est validum. Secundò probatur, quia votum rei partim licitæ, & partim illicitæ, vel partim possibilis, & partim impossibilis factum per modum vnius ad nihil obligat, vt cum quis Deo promisit, ædificare aliquod templum, & non potest ædificare totum, sed partem, non tenetur ad ædificandam partem templi, quia hæc res communiter non diuiditur, sed qui emisit absolutè votum D castitatis, per modum vnius promisit, non petere, & non reddere debitum, & non remanet obligatus ad non reddendum, quia hoc est cōtra iustitiam, ergo neque etiam manet obligatus ad non petendum. 3

Sit tamen prima conclusio. Votum castitatis post matrimonium consummatum emissum ab aliquo coniuge sine alterius licentia validum est, & obligat ad non petendum debitum (ex quo à fortiori constabit, validum esse hoc votum emissum ante consummationem matrimonij, & aliud non petendi debitum emissum ante 4

ante consummationem matrimonij, vel post.) Hanc conclusionem docent *Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 15. num. 8. Sotus lib. 7. de iustitia quæst. 3. art. 1. vers. quod si contrarguas, Sylvest. votum 4 quæst. 2. dicto 4. & alij plurimi.* Probatur primò ex *cap. quidam de conuersione coniugatorum*, vbi cum sermo sit de quodam viro, qui castitatem vouit inuita vxore post matrimonium consummatum, sic dicitur: *Promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius, sed mulieris potestate.* Secundò probatur ex regula tradita in *cap. vnica de desponsat. impub. in sexto*, in qua dicitur: *Si non valet, quod ago, vt aga, valet, vt valere potest.* Sed votum prædictum castitatis, licet non possit valere quoad non reddendum debitum, potest tamen valere quoad non petendum, ergo ea ratione validū est. Tertiò probatur, quia prædictum votum non se extendit ad actus non petendi, & non reddendi debitum per modū vnius, & indiuisibilis obiecti, ergo etiam si nō obliget ad non reddendum, quia hoc illicitum est, obligat tamen ad non petendum debitum coniugale, quod licitum est. Antecedens patet, quia si votum castitatis emittatur ante celebrationem matrimonij, actus non petendi, & non reddendi debitum non coniunguntur per modum vnius, sed separantur inter se, cum quis post tale votum contrahit matrimonium, quia iste tenetur transacto bimestri à die contractus matrimonialis, si non ingrediatur religionem, reddere debitum, nullo tamen modo potest illud petere, ergo etiam isti actus non petendi, & non reddendi debitum separabiles sunt inter se, quando votum castitatis fuit emissum post matrimonium consummatum.

5 Secunda conclusio. Prædictum votum castitatis, de quo procedit prima conclusio, inualidum est quoad non reddendum debitum, Vnde post illud debet reddi debitum coniugale alteri cōiugi petenti. Probatur primò *ex cap. quidam allegata in prima conclusione.* Secundò probatur ex ratione decidendi in eo textu contenta, quia tale votum quantum ad nō reddendum debitum est contra iustitiam, ergo nequit esse obligatorium.

6 Quia tamen prædictum votū sic absolutè emissum extēdit se ad omnia ea, quæ sunt licita, & possibilia vouenti, ideò obligat ad abstinendum à qualibet copula fornicaria, & ad abstinendum à secundis nuptijs post mortem alterius coniugis: imò etiam, quidquid abnuat *Thom. Sanchez lib. 9. de debito coniugali, disp. 35.* Etiam tale votum obligat ad non reddendum debitum, quando alter coniux committat adulterium. Hæc vltima pars probatur primò contra *Sanchez*, quia in casu adulterij vouens non tenetur reddere debitum, ergo non reddere debitum tunc licitum est, ergo hoc cecidit sub

A voto. Secundò probatur tota resolutio, quia votum absolutum castitatis emissum ante contractum matrimonium post illud contractum obligat ad non reddendum debitum tempore adulterij, & ad non vtendum copula fornicaria, aut secundis nuptijs, quia hæc omnia sunt vouenti possibilia, ergo etiam tale votum emissum post matrimonium consummatum eodem modo obligabit ad ea omnia prædicta, quia omnia sunt possibilia.

Ad primum argumentum in oppositū respondetur, hoc votum non esse nimium onerosum, quia satis est, alterum coniugem expresse vel tacite, & medijs aliquibus signis ostendere voluntatem copulæ, vt vouens teneatur reddere debitum. Ad secundum argumentum, patet ex his, quæ diximus in tertia ratione, qua confirmauimus nostram primam conclusionem. 7

B

QVÆSTIO X.

Vtrùm votum castitatis emissum ab vno coniuge de alterius licentia prohibeat vsum coniugalem?

IN præsenti non disputamus de voto religionis, neque de voto assumendi ordines sacros emisso ab vno coniuge post consummationem matrimonij de alterius licentia, nam in *tractatu secundo de matrimonio, quæst. 65. & 66.* Satis superque explicuimus, quid requiratur ad hoc, vt talia vota licite fiant, & quas obligationes imponant in ordine ad actum cōiugalem vtrique coniugi tam vouenti, quàm non vouenti, sed tantum disputamus de voto simplici castitatis. 1

C

Et quidem primò certum est ex præcedenti quæstione, huiusmodi votum validum esse, quia est de re licita, & quæ nulli adfert præiudicium, aut iniustum onus. 2

Secundo certum est, hoc votum licitum esse vt optime considerauit *Lessius tamo de iustitia, lib. 2. cap. 40. dubitatione 15. num. 95.* quia ad illud emittendū accessit alterius coniugis licētia, si enim ea non accederet, peccaret coniux tale votum emittens, quia ad hoc vt vouens castitatem, eam posset obseruare necessaria esset separatio thori, vt non exponeretur periculo petendi debitum, si in eodem thoro dormiret, quæ quidem separatio non potest absq; consensu alterius coniugis fieri, accedente autem eo consensu licite fit, imo & debet fieri separatio thori, vt vitando periculum prædictum petendi debitum, possit obseruari illud votum castitatis, quod obligat ad non petendum debitum. 3

D

Circa id vero, quod quæritur, quidam dixerunt 4

runt coniugem dantem alteri licentiam ad vouendam castitatem non posse petere debitum, neque vouentem teneri reddere. Ita sentiunt *Glossa in cap. infra allegando. Paludan. in 4 dist. 32. quaest. 1. art. 2. conclus. 4. num. 9.* Probatur primò, quia qui alteri dedit licentiam vouendi castitatem, videtur cessisse iuri suo petēdi debitum, ergo non potest illud petere. Secundò probatur, quia coniux qui alteri concedit facultatem profitendi, minime potest petere debitum ab eo, ergo neque ille, qui dedit facultatem emittendi votum simplex castitatis. Tertiò probatur, quia cum vterque coniux ex cōmuni consensu continentiam vouet, neuter potest petere debitum, quia cedit iuri petendi, ergo similiter in isto casu dans licentiam vouendi castitatem, cedit iuri petendi. Vltimò B probatur ex cap. *charissimus de conuersione coniugatorum*, vbi cum vir dederit licentiam vxori vouendi castitatem ad tempus, cogitur vxor reddere debitum viro, si ergo dedisset licentiā vouendi castitatem in perpetuum, vir non deberet ei reddere debitum.

5 Secunda sententia est aliorum asserentium, coniugi eo modo vouenti castitatem non posse, si petat debitum, illud reddi absque peccato mortali. Ita sentiunt *D. Anton. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 3. Syluest. verbo votum, q. 2.* Probatur primò ex *cap. quod Deo 33. quaest. 5.* vbi vir, qui vxore consentiente castitatem vouerat, eam omnino seruare cogitur. Secundò probatur, quia ex ratione coniux videtur cooperari ad frangendum votum. Tertiò, quia cum vterque C vouet communi consensu, neuter potest petere debitum, ergo qui vouet ex alterius licētia, nequit petere debitum, quia sicut in primo casu vterque cedit iuri petendi, ita in secundo vouens cedit iuri.

6 1. Sit prima conclusio: Qui castitatem vouet cum licentia alterius coniugis, non potest petere debitum, tenetur tamen illud reddere alteri coniugi petenti. Ita sentiunt *D. Antonin. & Syluest. locis citatis, Sotus in 4. dist. 27. quaest. 1. art. 4. versicalo id autem, Manuel Rodriguez 1. tom summa 2. editione, cap. 243. num. 14. & alij.* Probatur conclusio, quia eam licentiam concedens, censetur sibi praeiudicare, quam minimum possit, ergo tantum tribuit alteri facultatem vouendi, vt licite voueat, & vt licite separetur à communi toro, non vero vt sibi auferat ius petendi debitum. Secundò probatur, D quia plus sibi nocet in ordine ad actum coniugalem coniux quando vterque ex mutuo cōsensu vouit castitatem, quam cum ipse tantum tribuit licentiam alteri vouendi, sed in primo casu coniux non potest petere debitum, ergo in secundo potest petere: imo etiamsi vnus coniux alteri concedat expressam licentiam vouendi omnimodam castitatem, id est non petendi, neque reddendi debitum, si postea A petat debitum, non irritando illud votum, sed relinquendo illud in sua vi, vti tamen posset iure suo petendi debitum, quo non se priuauit per talem licentiam, ergo alter vouens tenetur ad reddendum debitum.

Secunda conclusio. Coniugi, qui vouit castitatem de licentia alterius, & adhuc petit debitum coniugale, tenetur alter, qui non vouit, ex iustitia reddere. Ita sentiunt *Barth. à Ledesma dubio 20. de matrimonio conclus. 1. Enriquez lib. 11. de matrimon. cap. 15. multos Doctores allegans in huius sententiae confirmationem.* Probatur primo, quia vouens in eo casu petit ius suum, cui non renuntiauit per votum, ergo alter coniux tenetur reddere. Secundò probatur, quia votum non priuat vouentem eo iure iu- 7

B stitiae, quod habebat ad petendum à suo coniuge debitum coniugale, sed tantum inducit obligationem religionis ad abstinendum ab vsu talis iuris, sicut ille, qui vouit non petere ab aliquo id, quod ei debet ex iustitia, adhuc retinet ius iustitiae ad petēdū tale debitum, tum etiam licentia concessa ad vouendum ab vno coniuge, non priuat alterum iure petendi, quia ius hoc non est constitutum in potestate concedentis licentiam, ergo ex nullo cap. iste vouens priuatur iure petendi debitum.

Ad argumenta primae sententiae restat respondere. Ad primum dicimus ex dictis constare, dantem facultatem non cedere iuri petendi. Ad secundum dicimus cum coniugem, qui alteri dat facultatem profitendi religionē, C cedere iuri petendi, quia dat licentiam, vt alter tradat omnino potestatem sui corporis alteri, in nostro vero casu non aufertur ius, quia non datur talis licentia. Ad tertium dicimus, cum vterque coniux communi consensu vouet continentiam, vtrunque priuare se iure petendi, ratione pacti intercedentis inter vtrunque, scillcet cedo iuri meo, vt tu cedas iuri tuo. Ad vltimum dicimus, in specie eius textus esse sermonem de voto temporali, quia ita casus contigerat, non tamen inde colligi, quod si votum fuisset perpetuum, non posset coniux praebens licentiam vouendi, petere debitum ab altero coniuge. 8

Ad argumenta secundae sententiae responde- 9 tur. Ad primum dicimus D. August. loqui in D eo casu, quo vterque coniux communi consensu castitatem vouet. Ad secundum respōdetur, coniugem reddentem debitum alteri coniugi astricto voto castitatis, non cooperari ad frangendum votum, sed operari id, quod bonū est, scilicet, reddere debitum iustitiae, quemadmodum qui soluit alicui nummos, quos vult ille in luxurijs insumere, nō cooperatur luxurijs, quia luxuriae tantū sequuntur ex eius actione per accidens, & remote, non per se, nec immediate. Ad vltimū patet solutio ex solutione tertij argumenti adducti pro prima sententia.

Quaest.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm vota per coniuges mutuo consensu emissa castitatis, religionis, & non ineundi matrimonium, & alia similia vota prohibeant petitionem, & redditionem debiti coniugalis?

1 IN hac quæstione, vt certa ab incertis separemus. Primum certum sit in eo casu, quo vterque coniux vouet castitatem, sed absque licentia alterius, eodem modo loquendum esse, ac in præcedentibus loquuti sumus, de cõiuge vouente castitatem solitarie absque alterius voto, & licentia, sicut enim in hoc casu cõiux vouens non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, imo etiam non vouens tenetur reddere si alter vouens, sacrilege petat debitum, sic etiam in nostro casu neuter poterit petere debitum, tenebitur tamen alteri petenti reddere, quia per tale votum non aufertur ius iustitiæ, quod ex vi matrimonij contractũ erat circa corpus alterius coniugis.

2 Secundò certum est, quando vterque coniux vouit castitatem de licentia alterius, non quidem per modum huius pacti, voueo castitatem, vt tu voueas castitatem, sed ita vt votum vnius non dependeat à voto alterius, tunc neutrum coniugem posse licite petere debitum, vtrunque tamen obligatum esse ad reddendũ debitum alteri petenti, quia neuter per tale votum, aut per talem licentiam amisit ius iustitiæ petendi debitum, neque illi renuntiauit. Cuius ea potest assignari ratio, quia tunc tantum quilibet coniugum promisit castitatem Deo in cultum eius, non vero in fauorem alterius coniugis, quare non videtur, aliquem renuntiasse iuri petendi debitum, quod habet erga alterum coniugem.

3 Tertiò certum sit, votum castitatis mutuo consensu elicitum, siue per modum pacti eliciatur, siue non, sanctum, & licitum esse, vt probe considerarunt *Thomas Sanchez, lib. 9. de debito coniugali, disp. 37. num. 17. & Dominicus Sotus, in 4. dist. 27. quæst. 4. art. 4. vers. at vero circa mortem* (nisi tale votum illicitum sit ratione periculi incontinentiæ, in quo versantur coniuges sic vouentes.) Quod certum probatur primo ex *cap. sunt qui dicant 27. quæst. 2. vbi D. Gregor.* sic loquitur: *Si vero vtrique conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare?* Secundò probatur, quia hoc votum in nullius cedit iniuriam, quinimo in maximum cedit Dei honorem, & cultum.

4 Quartò certum sit, nudum pactum inter cõiuges celebratum absque vllo voto, ex mutuo tamen vtriusque consensu de non petendo, ac non reddendo debito coniugali validum esse & licitum, quod patet ex rationibus tertij certi, quia tamen illud pactum tantum ordinatum est in fauorem coniugum, & non fuit coniunctum cum aliquo voto, ideò ex mutuo consensu coniugum potest dissolui pactum, & recuperari ius petẽdi debitum per illud amissum. Ita aduertunt *Nauar. in summa, cap. 16. num. 59. in fine. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 15. num. 8.* Quia res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, in quo casu, licet per modum coactionis non possit vnus cõiux petere debitum ab altero coniuge, quia renũtiauit tali iuri per pactum prædictum, sicut renuntiatur eidem, cum vterque coniux ex consensu mutuo, & per modum pacti, vt postea videbimus, castitatem vouet, at amicabiliter, & rogando alterum consortem, recte potest ab eo debitum petere, qui solum ex mutuo pacto abstinet à copula, quia non procedit contra aliquod votum in eo, sed tantum alterum rogat ea ratione, vt eum relinquat in sua libertate petendi debitum.

Difficultas vero huius quæstionis in eo versatur, an prædicta vota emissa à coniugibus ex mutuo consensu, & per modum contractus, vt facio vt facias, impediant debitum coniugale, & qua ratione. 5

Sit prima conclusio. Cum votum religionis emissum est ab vtroque coniuge de consensu alterius, & per modum pacti, tunc siue votũ sit emissũ ante vel post cõsummationẽ matrimonij, vterque potest petere, & reddere debitum, dum paratur ingressus, imo & professio religionis, quia illud votum non obligat ad castitatem seruandam, sicut votum castitatis, vnde neque impedit petitionem debiti, neque redditionem eius, & quia votum vnius dependet ex voto alterius, ideò vno nolente ingredi religionem, alter non tenetur eam ingredi, neque ante consummationem matrimonij, neque postea, & volente vno ingredi, ac præstante ea omnia, quæ ius ipsum præcipit circa hoc, nempe emittere professionem, alter semper est aptus, imo semper debet esse paratus ad ingressum religionis, siue matrimonium sit consummatum, siue non. Si tamen hoc votum religionis sit emissum ante consummationem matrimonij, neuter tenetur alteri debitum reddere: imo neque etiam post consummationem matrimonij, quia per votum mutuum medio pacto emissum renuntiarunt iuri exigendi debitum per modum coactionis, & liberarunt se ab obligatione reddendi debitum, amicabiliter tamen possunt petere debitum, quod nihil aliud est, quam vnum coniugem rogare alterum, vt pro illa vice non vtatur iure, quod habet negandi debitum, quod recte isti possunt præstare, quia talis copula non est con- 6

tra-

traria voto religionis, cuius signum est, quia si alter tunc committat peccatum fornicationis, sacrilegus tamen non est.

7 Secunda conclusio. Si votum sit abstinendi ab alio matrimonio, valide, & licite potest emitti ab vno coniuge siue de licentia alterius coniugis, siue sine illa, siue ante consummationem matrimonij, siue post. Neque tale votum impedit petitionem, aut redditionem debiti coniugalis in præsenti matrimonio. Patet tota conclusio, quia tale votum nullo modo respicit præsens matrimonium, sed futurum, ergo non potest obesse præsenti matrimonio, sed futuro.

8 Tertia conclusio. Si vxor sit sexagenaria, & minime suspecta de incontinentia, & voueat castitatem, & vir voueat receptionem ordinis sacri intercedente mutuo pacto, & consensu vtriusque, vterque debet statim suum votum exequi, quod commune est cuilibet voto. Et si vir velit statim ad ordines promoueri, vxor, quæ vouit castitatem, non potest petere debitum, quia per votum castitatis vxor se obligauit ad non petendum debitum etiam tunc. Attamen, si ille nolit ordines recipere, illa libera manet à voto, & potest petere debitum. Patet, quia votum vxoris dependet in hoc casu ab executione voti viri, interim tamen dum accedit tempus ordines recipiendi, recte potest vir siue ante consummationem matrimonij, siue postea, petere, & reddere debitum, quia votum suscipiendi ordines, quod nondum continet obligationem seruandæ castitatis, nullo modo impedit actum coniugalem.

9 Et ad eum modum loquendum est de alijs votis emissis à coniugibus per modum pacti, quando vnus vouet religionem, & alter, qui sexagenarius est, & minime suspectus de incontinentia, vouet castitatem manens in seculo, siue hæc vota sint emissa ante consummationem matrimonij, siue postea. Si vero hæc vota sint emissa ante consummationem matrimonij, & coniux manens in seculo, & vouens castitatem tantum, iuuenis sit, peccat lethaliter alter coniux, qui vouit religionem, petendo, aut reddendo debitum prima vice, quia se reddit impotentem ad ingressum licitum religionis, donec alter iuuenis velit ingredi religionem, ante consummationem autem libere posset religionem ingredi, non expectata voluntate alterius circa religionem: imò si coniux iuuenis vouens tantum castitatem, reddat debitum alteri coniugi, qui vouit religionem, & vult consummare matrimonium ratum, peccat lethaliter, quia cum non teneatur reddere debitum, sed alterum possit obligare ad standum promissis, cooperaretur illi peccato, quod proxime diximus, illum committere in petenda consummatione matrimonij.

10 Circa id, quod restat examinandum, qua ratione votum castitatis emissum ab vtroque coniuge ex communi contractu impediat copulam coniugalem? Quidam existimarunt, neutrum coniugem posse in eo casu petere debitum, vtrumque tamen debere reddere, si aliquis petat. Probatur primò, quia adhuc post tale votum matrimonium durat simul cum iure iustitiæ petendi debitum, quod totaliter non est ablatum, ergo si petatur debitum ab vno coniuge, debet reddi ab alio. Secundò probatur, quia coniuges per tale votum tantum sunt obligati Deo ex virtute religionis, ergo si petant debitum, tantum peccant contra religionem, non vero contra iustitiam, quare necessaria est redditio debiti. Tertiò probatur, quia si vnus voueat de licentia alterius, neuter renuntiat iuri suo, ergo neque etiam cum vterque coniux vouit mutuo pacto. Quartò probatur, quia coniuges ex vi pacti vouentes possunt sibi remittere renunciationem iuris. Sed eo ipso, quo petunt debitum, remittunt renunciationem iuris, & recuperant ius iustitiæ petendi debitum, ergo necessaria est redditio eius. Vltimò probatur hæc sententia, quia coniux post prædictum votum petens copulam ab alio côiuge, non committit peccatum fornicationis, sicut si eam peteret ab extraneo, ergo sequitur, adhuc retinere in se ius petendi debitum, quare alter debet illud reddere.

Sit tertia conclusio. Vterque iste coniux peccat lethaliter petendo, aut reddendo debitum in eo casu, de quo loquimur. Hanc conclusionem amplectuntur *Sylvester, votum, quinto, quæstione secunda in fine, Nauarro in summa Latina, capit. duodecimo, numero* 31. *Diuus Antoninus tertia parte, titulo primo cap.* 22. §. 4. *Scotus in quarto dist.* 27. *quæstione prima, articulo quarto, vers. id autem, Aragon secunda secundæ, quæstione* 88. *artic.* 8. *dubio vltimo, Enriquez lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 15. *numero octauo, in principio.* Probatur primò ex *cap. quod Deo* 33. *quæstione* 5. *vbi D. Augustin.* denotat, illicitam esse in hoc casu petitionem, & redditionem debiti, dum præcipit coniugibus obseruantiam votorum ex communi consensu emissorum. His verbis: *Quod Deo pari consensu vouer atis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis.* Secundò probatur, quia licet per hæc vota castitatis mutuo consensu, & ex vi contractus emissa non auferatur ius radicale petendi debitum, quia hoc fundatur in vinculo matrimoniali, quod semper perseuerat, aufertur tamen ius proximum petendi debitum, cui renuntiauit quilibet coniux, nec potest ab altero recuperari sine eius consensu, in cuius fauorem renuntiatum est, ergo neuter eorum coniugum

gum tenetur alteri debitum reddere. Quare A cum ex alia parte vouerit omnem castitatem sibi possibilem quilibet coniux, cum in isto casu possibilis sibi, & licita sit non petitio, & non redditio debiti coniugalis, neque potest petere, neque reddere debitum.

12 Imo in isto casu, si vnus coniux votum frãgat fornicando, vterque debet seruare suum votum deinceps omnino, quia obligatio vnius voti dependet ab obligatione alterius voti, non vero ab obseruantia eius. Quod optime nobis significauit *Diuus Augustinus loco citato, in tertia conclusione*, dum asserit, de coniugibus sic vouentibus, *A quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissime persenera.* Quod si isti coniuges versentur in periculo incontinentiæ, procuranda est dispensatio voti à B Pontifice, quia est votum castitatis, vel ab Episcopo vrgente periculo incontinentiæ, & non existente facili accessu ad Pontificem. Vt notauit *Enriquez alios plures allegans loco citato*: imò vt nos considerauimus annis præteritis *tractatu secundo de voto, quæstione quinta*, sequentes *Lessium tomo de iustitia, lib. secundo, cap. 40. dubitatione decimaquinta*, in isto casu non potest vnus coniux alterius votum irritare, quia cum ipse renuntiauerit iuri suo, alterius votum non est sibi contrarium, neque præiudicat iuri suo, quare non potest illud irritare, quia vnus coniux non potest irritare vota alterius coniugis, nisi indirecte, & in quantum ceduut in eius præiudicium. Vt docuerunt *Suarez lib. sexto de voto, capite quarto,* C *& Azor lib. 11. institutionũ moralium, capite 18. prope finem multos Doctores referens pro hac parte.* Possunt tamen coniuges post prædictum votum castitatis mutuo contractu emissum valide remittere sibi ad inuicem renunciationem prius factam iuris petendi, & reddendi debitum, concedendo sibi ius proximum ad illud petendum. Et tunc neuter poterit petere ratione voti remanentis, tenebitur tamen vterque reddere, peccabant tamen remittendo talem renunciationem, quia præbetur ea ratione occasio petendi debitum, quod contrarium est voto.

13 Ex his respondetur ad argumẽta in oppositum. Ad primum dicimus manere quidem post tale votum matrimonium, & ius radica- D le ad copulam, ablatum tamen esse per renũciationem in eo voto contentam ius proximum petendi debitum, & ideò non posse peti. Ad secundum dicimus, per tale votum non solum manere coniuges obligatos ratione voti ad seruandam totalem castitatem, sed etiam, quia cedunt iuri suo in fauorem alterius. Ad tertium respondetur, diuersam esse rationem in eo casu, quo vnus tantum coniux vouet castitatem de licentia alterius, & in alio casu quo vterque vouet castitatem ex communi consensu habito per modum contractus, quia in priori casu, qui dat licentiam, non renuntiat iuri suo expresse, neque virtualiter, in secundo vero casu vterque, vt vidimus in hac quæstione, renuntiat iuri suo, quare in priori vouens teneretur reddere debitum, in secundo minime. Ad quartum respondetur, valide posse coniuges post tale votum remittere renunciationem, tunc tamen, vt vidimus in hac quæstione peccabunt in renunciatione grauiter, post eam tamen renunciationem non peccabunt reddendo debitum. Ad vltimum respondetur, post prædictum votum mutuum non peccare vnum coniugem peccato fornicationis, si accedat ad alterum coniugem, quia adhuc retinet ius remotũ petendi debitum, quia tamen per prædictam renunciationẽ amisit ius proximum, ideò sacrilegus est, si petat debitum.

QVÆSTIO XII.

Qua ratione inter cõiuges extra coitũ liceant delectationes morosæ, & alij tactus alias natura sua impudici?

AB hac quæstione breuiter nos expediemus, quia non est nimium propria huius tractatus, sed potius pertinet *Ad primam secundæ quæst. 74. artic. 8.* vbi de ea disputare solent Doctores. 1

Primo notandum est, delectationem morosam in eo consistere, quod quis rem aliquam absentem apprehẽdit tanquam præsentem, in eaque delectatur. 2

Secundò notandum est, bonitatem, vel malitiam huius morosæ delectationis, iuxta *D. Thom. loco citato*, allegantem pro hac parte *Arist. lib. 10. Ethicorum, cap. 4. à medio*, posse desumi ex cogitatione tantum alicuius, quia ipsam tantum cogitationem habet pro obiecto, & etiam posse desumi ex ipsa re cogitata, quia ipsam directè respicit, vnde iuxta mensuram bonitatis, vel malitiæ, quæ reperitur in tali obiecto metienda est bonitas, & malitia delectationis morosæ. 3

Tertiò notandum est, in obiecto delectationis morosæ multiplicem posse reperiri rationem bonitatis, vel malitiæ, delectationem tamen tantum ex suo obiecto eam haurire malitiam, quæ correspondet illi obiecto formali, seu illi rationi formali, sub qua delectatio tendit in obiectum, vt verbi gratia, iuxta communem doctrinam aspicere agitationem taurorum communiter tantum continet aut peccatum veniale, aut nullum peccatum, quia licet obiectum agitationis contineat aliquid 4

quod

quod sit peccatum mortale, scilicet homines exponere se remere periculo mortis, tamen videntes non delectantur de his periculis, sed de videnda ecleritate, & dexteritate agitantium tauros, in quo tantum reperitur peccatum veniale oriositatis, aut in aspectu illius agitationis tantum quærunt animi recreationem, vt ad literarum studia alacriores reddantur, in quo ratio virtutis reperitur, quod tamen verum est, quando vna ratio formalis in obiecto existens potest separari ab altera, quando enim vna non potest ab altera separari in ordine ad delectationem morosam multiplex potest reperiri malitia in tali delectatione. Verbi gratia, religiosus qui delectatur morose de actu venereo peccat contra castitatem, & contra votum, quia ratio repugnans castitati in obiecto non potest separari ab ea quæ repugnat voto, quin imo vtraque necessario afficit prædictam delectationem morosam.

5 Quartò notandum est, cogitationes rerum turpium mere speculatiuas, & similes lectiones, vel locutiones, & præterea turpes aspectus, vel tactus secundum se, & natura sua non aduersari rectæ rationi, sed tantum ratione periculi, quod in his versatur, excitandi commotionem aliquam in parte sensitiua, & consensum in voluntate. Vnde propter aliquas iustas causas, hæc prædicta possunt honestari, quamuis in potentiis sensitiuis exurgat aliqua commotio, dummodo non sit periculum consensus voluntatis in rem ipsam turpem, aut in delectationem sensualem. Vnde confessarius licite audit confessiones, in quibus aliqua turpia narrantur, & circa illa cogitat, & inquirit, & chirurgus tangit verenda, vt alicui morbo eorum medeatur, & quo prædicta magis excitant commotionem sensualem, eo maiorem causam requirunt, vt honestentur, vt ad videndas res turpes maior causa requiritur, quam ad eas audiendas. Iuxta illud vulgare: *Segnius irritant animum demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ ipse sibi tradit spectator*. Imò quando aliquæ actiones tantum per accidens excitant commotionem veneream in sensu, minor causa requiritur ad eas excusandas ab omni peccato, quam cum actiones excitant illam commotionem per se: vnde equitatio facile excusatur à peccato, quamuis ex ea sequatur aliqua pollutio.

6 *Nauarro in summa cap. 16. num. 10.* sentit nõ posse coniuges, extra coitum delectari de copula ipsa carnali, ac si præsens esset, sed in eo peccare lethaliter.

7 Sit prima conclusio communis inter Theologos, talem delectationem morosam non continere peccatum mortale. Ita sentiunt A *Diuus Antoninus secunda parte, titulo quinto, capite primo, §. quinto, Caietanus in summa verbo, delectatio, §. secundum an. vers. quartum est. & Gabriel Vazquez prima secundæ, tomo primo disputatione 113. capite secundo*. Quæ tamen conclusio probatur primo, quia delectatio de aliquo obiecto non potest habere maiorem maliriam præcise ex obiecto, cum ex alio capite malitia non resultat, quam habeat ipsum obiectum: sed copula coniugalis, etiam considerata simul cum delectatione ipsa, propter quam exerceatur, non continet peccatum mortale, ergo neque ipsa delectatio. Secũdò probatur, quia sicut matrimonium præsens excusat coniuges à peccato mortali, quãuis coeant tantum propter delectationem, er B go etiam eos excusat ab eodem peccato mortali, quando habent has delectationes morosas.

Sit secunda conclusio. Talis delectatio morosa coniungum continet peccatum veniale. 8 Probatur, quia illa non habet aliquem honestum finem, tùm etiam, quia coniuges habere copulam ob delectationem veneream, saltem includit peccatum veniale, ergo extra copulam delectari de actu venereo, includit culpam venialem.

Quæres tamen, an prædicta delectatio sit mortalis, quando in membris verendis sequitur aliqua commotio. Ad hoc respondetur primo cum *Vazquez loco citato*, hanc delectationem esse peccatum mortale, si cum periculo C contingat pollutionis extra vas, quia ea ratione maxime contrariatur naturæ, & fini matrimonii, & quia talem pollutionem nullo modo excusat à peccato mortali matrimonium, quia per eam prodigitur materia deseruiens generationi prolis, ad quam generationem ordinatur matrimonium. Secundò respondetur, non existente periculo pollutionis, sed sola commotione membrorum, talem delectationem, ex qua prouenit cõmotio, nõ esse peccatum mortale in coniugatis, de quibus loquimur, si absit omnis tactus, & irritatio membrorum. Ratio est, quia tunc commotio in membris sequitur naturaliter ex delectatione morosa coniugum, quæ tantum est peccatum veniale, sicut & ipsa causa commotionis, commotionis enim malitia semper de D sumenda est ex causa eius. Tertiò respondet *Vazquez loco citato*, coniugem sine ordine ad actum coniugalem tactibus libidinem in membris suis prouocantem peccare lethaliter, quia illa commotio non oritur naturaliter ex delectatione illa morosa, neque est aliqua via, quã possit excusari à peccato mortali ratione coniugij, quia ad coniugium nullo modo pertinet. Sed respondetur quod si ea commotio procurata esset à coniuge absente, vt statim

cum eo præsente haberet copulam, posset esse A licita, si vero coniuges sibi præsentes mutuam caperent voluptatem ex tactibus venereis, colloquijs, & aspectibus sine periculo pollutionis extra copulam, & sine ordine ad illam, tantum venialiter peccarent, quia cum hæc ordinentur natura sua ad copulam, & illis sit licita copula, non possunt continere culpam mortalem, continebunt autem culpam venialem, quia non ordinantur ad finem matrimonij. Ita sentiunt *Caietanus secunda secundæ, quæstione 154. articulo quarto, §. in responsione ad secundum. Armilla verbo, debitum, num. octauo, Vazquez loco citato, & Thomas Sanchez lib. nono de debito coniugali, disputatione 44.* Imo quidquid neget *Vazquez supra citatus*, etiam vnum coniugatum absentem ab alio sua membra tangentem, & commouentem propter solam voluptatem captandam tactus absque periculo pollutionis, non peccare mortaliter, quia coniugium excusat illum actum à peccato mortali, quia tactus ille licet actu non referatur ad coniugium, satis est, eum suapte natura ordinari ad præsens coniugium, sicut B contingit in delectatione morosa. Hanc vltimam resolutionem nobiscum docet *Sanchez alios Doctores*, pro ea referens.



TRACTA-

TRACTATVS VLTIMVS DE MATRIMONII DIVORTIO.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum propter adulterium alterius coniugis dissoluatur matrimonium quoad vinculum?



Circa doctrinam huius quæstionis multi turpiter lapsi sunt, existimantes, per adulteriū dissolui matrimonij vinculum, & eos coniuges posse valide inire alia noua matrimonia. Ita senserunt aliqui Græci vt referunt *Guido Carmelita in sua summa de hæresibus, & Eugenius in Concilio Florentino sessione vltima*. Et in eundem errorem conuenerunt omnes *Lutherani, Caluinistæ, & Anabaptistæ*. Probatur hæc sententia primo ex illis verbis Christi *Matth. 19. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur & qui dimissam duxerit mœchatur*. In quibus verbis aperte Christus concedit facultatem dimittendi vxorem ratione adulterij, quæ dimissio non intelligitur quoad torū, sed quoad vinculum, quia de hac tantum interrogauerant Christum Pharisæi. Et roboratur primo hoc argumentum, quia solum damnat Christus in illis verbis, tanquam Reum mœchiæ contrahentem matrimonium cum fœmina à viro dimissa, nisi ob fornicationem dimissa sit, ergo contrahens matrimonium cum dimissa causa fornicationis minime mœchatur, sed legitimum contrahit matrimonium. Roboratur secundo hoc argumentum, quia licet Christus libellum repudij ex alijs causis concessum, quam ex causa fornicationis, reprobauit loco citato, in veteri lege quando vxor accipiebat libellum repudij propter fornicationem, licite poterat vir cum alia vxore contrahere, ergo etiam in lege Euangelica idem licitum est. Secundò probatur eadem sententia ex *Zacharia Primo*, & refertur *cap. concubuisti 32. quæstione septima*, in illis verbis: *Concubuisti cum sorore vxoris tuæ, neutram habeat, & si illa, quæ vxor tua fuerit conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit.* Et ex *Diuo Ambrosio relato in cap. vxor 32. quæst. 7.* in illis verbis: *Vxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis, quod si discesserit, aut maneat innupta aut reconcilietur viro suo: ideò non subdit de viro, quod vxore præmisit, quia viro liceat, ducere aliam*, & ex *capite si qua mulier, 31. quæstione prima, & ex capite proposuisti, & capite si quis eum 32. quæstione septima*, in quibus significatur, dissolui matrimonium per adulterium quoad vinculum. Vltimò probatur hæc sententia, quia diuortium nouæ legis successit repudio veteris legis, sed propter repudium veteris legis dissoluebatur antiquitus matrimonium quoad vinculum, ergo etiam eodem modo in lege Euangelica dissoluitur propter diuortium.

Sit conclusio de fide. Non dissoluitur matrimonij vinculum propter adulterium coniugum. Probatur primò auctoritatibus sacræ Scripturæ. Quarum prima sit, *Marci 10.* ibi: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Secunda sit *Lucæ decimosexto capite*, ibi: *Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alte-*

ram dat it, mœchatur, & qui dimissam à viro duxerit, mœchatur. In quibus locis aperte significatur, nunquam dissolui matrimonium consummatum fidelium. Tertia auctoritas est Diui Pauli ad Romanos septimo, cuius hæc sunt verba: Nam quæ sub viro est mulier viuente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Vbi aperte Paulus damnat secundas nuptias viuente priore coniuge, atque in hunc sensum interpretantur Diuum Paulum, Ambrosius, Chrysostomus, Anselmus, & alij. Secundò probatur conclusio auctoritate Ecclesiæ, vt ex Alexandro Tertio, capite ex parte de sponsalibus, & ex Innocentio Tertio, in capite gaudemus, de diuortijs, in illis verbis: Quamuis quoque secundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur, non tamen dimissor poterit obijcere fornicationem dimissæ pro eo, quod nupsit alij post repudium, nisi alias fuerit fornicata; & ex Concilio Florentino in instructione Armenorum, & ex Concilio Tridentino Sessione vigesimaquarta, de matrimonio, canone octauo, verba Tridentini hæc sunt: Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum seu, quoad cohabitationem ad certum, in certum ve tempus fieri posse, decernit, Anathema sit. In quo loco Concilium Tridentinum sub causis sufficientibus ad separationem coniugum sine dubio comprehendit adulterium, sed ex dictis causis non iudicat Concilium fieri separationem coniugum quoad vinculum, sed tantum quoad torum, & cohabitationem, ergo sequitur ex sententia Concilij adulterium non sufficere ad dissoluendum matrimonij vinculum. Tertiò probatur conclusio ratione, prima sit, quia si propter diuortium ex causa adulterij contingens solueretur vinculum matrimoniale, vterque coniux posset secundas nuptias celebrare, quare adultera reportaret commodum ex sua malitia. Secunda ratio sit. Quia si propter adulterium dissolueretur matrimonium, magna præberetur occasio coniugibus, cum exosos haberent suos consortes, perpetrādi adulteria, vt ita possent, ad secundas conuolare nuptias.

3 Ex his respondetur argumentis in oppositum. Ad primum dicimus, Christum eo loci non fuisse locutum de dimissione quoad vinculum, dum tam propter fornicationem concessit, sed de dimissione quoad torum, & cohabitationem, & rectè respondisse Christum interrogationi Pharisæorum interrogantium dimissionem quoad vinculum, quia cum dimissio quoad vinculum includat potestatem dimittendi vnam fœminam, & ducendi alteram,

A Christus has duas dimissiones separauit, & priorem cōcessit propter solam fornicationis causam, & posteriorem prorsus negauit. Ad primam confirmationem primi argumenti respondetur cum D. Thom. in quarto dist. 35. quæst. vnica, art. 5. ad quartum, & cum alijs pluribus Doctoribus Scholasticis, verba Christi explicanda esse exceptiue, & tunc exceptionem non esse referendam ad vtramque partem sententiæ Christi, sed ad solam priorem, ita vt sensus sit, quicunque dimiserit extra causam fornicationis vxorem, mœchatur. Tùm rationes solius dimissionis, quia ea ratione præbet vxori occasionem fornicandi, vt notauit Diuus Augustinus lib. contra Adimantium, capit. 3. tum etiamsi aliam duxerit vxorem, quia nullo modo potest eam ducere, qui sensus continetur in illa prima sententia Christi Matthæi

B 19. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur. Alia vero sententia Christi, quæ immediatè post hanc sequitur, & qui dimissam duxerit, mœchatur, secundum eosdem Auctores hunc sensum reddit, & qui dimissam quacūque ex causa, etiam fornicationis, duxerit mœchatur. Ad secundam confirmationem eiusdem argumenti cōstat ex supradictis in hac materia de matrimonio tractatu secundo, in veteri lege repudium non fuisse licitum, sed permissum tanquam minus malum, quod repudium omnino abstulit Christus in lege Euangelica, & tantum approbauit diuortium quoad torum, & cohabitationem propter solam fornicationis causam.

C Ad secundum argumentum desumptum ex varijs textibus respondetur, in primis decretum illud Zachariæ intelligi, vt vxor post adulterium à suo viro perpetratum nubat, si erat spōsa de præsenti, post mortem viri, vel nubat eo viuente, si erat tantum sponsa de futuro, vt explicat Glossa in cap. concubuisti. Ad illud Diui Ambrosij respondet Magister Sententiarum, in quarto dist. 35. & insignis Abulensis noster, super caput 19. Matth. quæst. 76. ad primum in fine. prædictum testimonium non esse Ambrosij, sed ab hæreticis fuisse impositum, Ad caput si qua mulier desumpto ex Concilio apud Vermerias, respondetur cum Maldonato super cap. 19.

D Matth. tale Concilium esse apocryphum, & spurium. Ad canonem, quod proposuisti respondetur cum Bellarmino tomo secundo, lib. primo de matrimonio, cap. 17. illum canonem desumptū esse ex epist. Greg. XIII. ad Bonifac. vbi legimus Gregorium concessisse secūdum matrimonium cuidam viro propter ægritudinem prioris cōiugis, sed canonem istum intelligunt Doctores de ægritudine, quæ reddat coniugem ineptam ad coniugium, & proinde sit impedimentum dirimens contractum matrimonium. Quod indicauit ipse textus, dum dixit: Si mulier infirmitate correptanon valuerit viro debitum reddere,

iuncta

functa *Gloſſa*, vbi per infirmitatem intelligit idem, quod eſſe arctam, quod impedimentum ſignificat dirimens. *Ad Canonem vero ſi quis eum* dicimus, eum deſumptum eſſe ex *Concilio Triburienſi*, quem canonem *Bellarminus loco citato*, intelligit ita, vt coniugi innocenti concedatur facultas celebrandi ſecundum matrimonium poſt mortem prioris coniugis. Ad vltimum argumentum reſpondemus, diuortium nouæ legis non omnino ſucceſsiſſe repudio antiquæ legis, quia multæ extant differentiæ inter diuortium, & repudium, quas refert noſter *Abulenſ. loco citato, ad quintum.*

QVÆSTIO II.

An ex natura rei licitum ſit diuortium quoad torum, & habitationem vtrique coniugi propter adulterium?

CAIETANVS *ſuper cap. 19. Matthæi*, ſentit, ſolos viros poſſe celebrare diuortium propter adulteria vxorum. Probatur primò, quia Chriſtus Dominus, dum ſine legem diuortij explicauit *Matthæi 19.* tantum meminit virorum, quoniam adulterium vxoris grauiorem iniuriam infert viro propter incertitudinem prolis, & infamiam viri, quam adulterium viri inferat vxori. Secundò probatur, quia diuortium in lege noua ſucceſsit repudio legis antiquæ, ſed tale repudium ſolis viris concedebatur, ergo diuortium ſolis viris conceditur. Tertiò probatur, quia conſuetudo noſtris temporibus obtinuit, vt diuortium non concedatur vxoribus propter adulterium viri.

Caſtro lib. 2. de lege pœnali, cap. 4. in fine, ait licitum eſſe diuortium ratione adulterij ex iure diuino poſitiuo, quia talis diuortij nulla mentio facta eſt in veteri teſtamento, ſine dubio autem eius mentio fieret, ſi illud eſſet de iure naturæ.

Sit prima concluſio. Ex natura matrimonij oritur, licitum eſſe diuortium ob adulterium coniugis. Ita ſentiunt *Sotus in quarto diſt. 36. quæſtione vnica, art. 1. concluſione vnica, Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 17. numero 1. & 6. & alij plurimi recentiores Theologi*. Probatur concluſio primò, quia natura contractus matrimonialis exigit, vt coniuges mutuã debeãt ſibi ſeruare fidem quoad actus coniugales, ita vt quilibet coniux teneatur, proprio conſorti exigenti debitum illud reddere, & teneatur abſtinere ab extranea copula, ſed ipſum ius naturæ docet, frangenti fidem non eſſe ſeruandam fidem, vt conſtat ex *cap. peruenit. el ſecundo de iure iurando*, ergo dum alter coniux adul-

A terans fidem frangit, ex vi matrimonij alter manet ſolutus ab obligatione reddendi debitum, ſeu ſeruandi fidem, quare poteſt, ab eo ſeparari per diuortium. Secundò probatur, quia fornicatio ſaltim vxoris duobus finibus per matrimonium intentis vehementer aduerſatur. Primo enim aduerſatur prolium educationi, quia filium incertum reddit, ſcilicet ad quem parentem pertineat. Deinde aduerſatur communi conuictui coniugum, quia ad iſtum maxime neceſſarius eſt amor mutuus, qui omnino deſtruitur per alterius adulterium.

Ex his ſequitur, etiam inter infideles licitum eſſe diuortium propter adulterium, etiamſi adulter ad fidem conuertatur. Ita do-
B cent *Gloſſa finalis in capit. gaudemus de diuortijs, Ioann. Andr. ibidem, num. 22. & alij*. Quod definitum eſt quantum ad coniugem, qui tempore infidelitatis fuit adulter, in *cap. gaudemus. de diuortijs in fine*, In illis verbis: *Quamuis quoque ſecundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimiſſam, mœchatur, non tamen dimiſſor poterit obijcere fornicationem dimiſſæ pro eo, quod nupſit alij poſt repudium, niſi alias fuerit fornicata.* Totum hoc corollarium patet ex præcedenti concluſione.

Secunda concluſio. Coniuges ita ſunt æquales in iure diuortij, vt ſicut vir innocens poteſt diuortium celebrare propter adulterium vxoris, ita etiam vxor innocens poſsit illud celebrare ob adulterium viri. Hanc ſenten-
C tiam tanquam omnino certam tuentur *Magiſter Sententiarum in 4. diſt. 35. D. Thom. ibidem, quæſt. vnica art. 4. Sotus in 4. diſt. 36. quæſt. vnica art. 4. concluſ. 1. & Thomas Sanchez, innumerabiles Doctores pro hac parte referens, lib. 10. de diuortio. diſp. 3.* Probatur concluſio primo ex *Diuo Paulo epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7.* in illis verbis: *Iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* In quo loco, cum *Diuus Paulus*, optionem concedat vxori, aut redeundi ad proprium virum, aut continenter viuendi ſeparatim ab illo; ſine dubio loquitur de diuortio facto per fornicationem viri. Teſte *D. Auguſ. li. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 1. vſque ad quartum*, ergo
D licitum eſt vxori, celebrare diuortiũ propter adulterium viri, alias ſi non eſſet licitum vxori diuortium, illa cogenda eſſet ad cohabitationem cum viro. Secundò probatur concluſio ex *Innocent. 1. relato in cap. vltimo 32. quæſt. 5.* cuius hæc ſunt verba: *Chriſtiana religio adulterium in vtroque ſexu pari ratione condemnat. & ex Auguſ. ſuper epiſt. 1. Pauli ad Corint. c. 7. relato in c. Apoſtolus 32. q. 7.* ibi: *Si fœminæ licet, virum ſuũ dimittere propter fornicationis cauſam, quid reſpondebimus de hoc, quod dicit poſterius, & vir vxorem ſuam non dimittat; quare non addit, excepta*

causa fornicationis, quod Dominus promittit? nisi quod similem formam vult intelligi, & si dimiserit, quo causa fornicationis permittitur, maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Tertiò probatur, quia natura matrimonij vtrunque obligat ad reddendum debitum, & seruandam fidem, ergo vno coniuge fidem non seruante, ipsa natura matrimonij alterum solutum relinquit ab obligatione reddendi debitum.

6 Ad primum argumentum sententiæ Caietani respondetur, in verbis Christi non esse factam mentionem de fœminis, quia illæ non ita frequenter petunt diuortium. Ad secundum respondetur, multas esse differentias inter perfectum diuortium, & antiquũ repudium, quarũ vna est, quia diuortium permittitur vtrique coniugi propter ius mutuum, quod habet ad copulam, at repudium solis viris permittebatur, quia repudium permittebatur ad vitandũ homicidium coniugis adulteri, periculum autem perpetrãdi homicidium magis timeri poterat in viris, quam in fœminis, & ideò solis viris concedebatur facultas concedendi repudij. Ad tertium respondetur consuetudinem minime obtinuisse, ne vxores habeant ius petendi diuortium, licet illæ rarius, quam viri petant diuortium.

QVAEST. III.

An alia peccata commissa à coniugibus contra castitatem iustam præbeant causam diuortij?

1 PRimò certum est in hac quæstione voluntatem etiam efficacem committendi peccatum fornicationis etiam verbis manifestatam non præbere sufficientem causam diuortij, vt cum communi sententia resoluunt *D. Antonin. 3. part. titulo primo, cap. 21. §. 2. Syluester verbo, diuortium, quæst. 7.* Cuius ratio est, quia per talem voluntatem non diuiditur caro coniugis cum alio extraneo, quod esse præcipuum fundamentum iustificans diuortium, postea explicabimus.

2 Secundo certum est (quidquid alij relati à *Sanchez lib. 10. de diuortio, disp. 4. sentiant*) solos tactus libidinosos, quantumuis exerceantur cum animo perueniendi ad adulterium, non præbere sufficientem causam diuortio. Ita sentiunt *Couarruuias 4. decretalium 2. part. cap. 7. §. 6. num. 3. Sotus in 4. dist. 36. quæst. vnica artic. 1. versiculo, vtrum vero, & alij plurimi Doctores.* Probatur primò, quia pœnæ non sunt assignandæ, nisi in casibus à iure expressis, vt constat ex *Authentica de non eligendo secundo nubentes §. cum igitur collatione prima,* & multo minus extendendæ sunt ad peccatum minus graue, sed diuortij pœna apposita est adulterio, ergo non est extendenda ad tactus impudicos, qui minora peccata cõstituũt. Secundò probatur, quia vt proxime videbimus, fundamentum diuortij consistit in eo, quod vnus coniux diuidat carnem in aliam personam extraneam, sed per tactus impudicos non fit huiusmodi diuisio, ergo non inuenitur in illis fundamentum diuortij.

3 Quidam existimant, peccatum sodomiæ nõ præbere sufficientem causam diuortij. Ita opinantur *Abulensis cap. 5. Matth. quæst. 233. Palatios in quarto dist. 27. disp. 3. columna 25. folio 604.* Probatur primò, quia diuortium conceditur propter adulterium, sodomia autem non est adulterium. Secundò probatur, quia sodomia non est contraria generationi saltem in patiente, ad quam videntur se obligasse coniuges, ergo non violat fidem matrimonij. Tertiò probatur, quia ex copula sodomitica non oritur affinitas, ergo neque sufficiens causa diuortij.

4 Sit conclusio. Sodomia in coniuge tam agẽte, quàm patiente sufficiens causa est ad celebrandum diuortium. Ita sentiunt *D. Thom. in 4. dist. 35. quæst. vnica art. 1. ad quartum, D. Bonauent. ibidem, quæst. 1. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 8. num. 13. Angles in floribus 1. par. de matrimonio, quæst. 9. de diuortio, art. 1. difficultate 2. & alij innumeri Doctores.* Probatur conclusio hæc vnica ratione, quia cum matrimonij natura contendat coniuges effici vnam carnẽ, vt constat ex illis verbis *Genesis 2. & erunt duo in carne vna,* solum præbet fundamentum diuortij coniux, qui diuidit carnem suam in aliã personam extraneam, attestante id *D. Hieronymo in cap. 19. Matth.* in illis verbis: *Cum illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri; quia huiusmodi coniux violat fidem debitam matrimonio.* Sed caro perfectè diuiditur in omni concubitu, siue naturali, siue sodomitico cum persona extranea, imo etiam cum animali bruto, ergo omnis iste concubitus est sufficiens ad celebrandum diuortium.

5 Hinc fit primo, vt probe considerauit *Monaldus in summa vbi de diuortio, tit. propter quod fiat diuortium in matrimonio, versiculo item extenditur,* vxorem mittentem semen in vas alterius fœminæ medio aliquo instrumento, tribuere sufficientem occasionem viro ad petendum diuortium.

6 Hinc fit secundo, non reperiri causam diuortij in eo casu, quo vir aliquis in balneo existens (quod ipse putat possibile esse) semen voluntarie immittat in aquas, & matrix alicuius fœminæ illuc ingredientis illud attrahat, quia illud fuit præter omnem intentionem viri, quare nõ est illa diuisio carnis formalis, sed materialis, vnde non est punienda diuortio.

Ex

7 Ex his respondetur ad argumenta in oppositum. Ad primum dicimus, non tantum præberi causam diuortij per adulterium, sed etiam per quamuis copulam, per quam fit carnis, vel feminis diuisio in personam extraneam. Ad secundum respondetur, coniugem patientem concubitum sodomiticum, occasionem præbere diuortio; quia eo modo fit diuisio alienæ carnis in ipsam, & per matrimonium videntur coniuges se obligasse ad nullo modo diuidendam carnem in alium, sed tantum ad habẽdam copulam inter se aptam generationi. Ad tertium respondetur, affinitatem tantummodo prouenire secundum iuris dispositionem ex copula naturali, ex qua potest sequi generatio diuortium vero prouenire ex eo, quod vnus coniux diuidat suam carnem in personam extraneam, vt iam vidimus.

QVÆSTIO IIII.

An semper licitum sit diuortium propter adulterium coniugis?

1 IVXTA communem sententiam Doctorum aliqui sunt euentus, in quibus non licet celebrare diuortium ob adulterium coniugis vt in sequentibus manifeste apparebit. Primus euentus est, quando vterque coniux adulterium perpetrauit. Cõstat veritas hæc *ex cap. significasti. de diuortijs.* Probatur ratione, quia paria delicta mutua compensatione abolẽtur, vt si ego furatus fueram à te centum, & tu postea totidem à me furaris, vnum furtum alio compensatur, ergo eadem proportio seruanda est in adulterio ex parte vtriusque coniugis contingente.

2 Secundus euentus est, quando vir patitur, vxorem suam adulterari, quia consentit eius adulterio, aut eam incitat ad lucrandum pretium medio suo corpore. Quod verum habet, siue vxor inuita, siue libera adulterium committat. Ita docent *Abbas. in cap. discretionem, num. 8. de eo, qui cognouit consanguineam. Syluest. verbo, diuortium, quæst. 9. casu 1. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6. casu 1. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 17. num. 4. & alij multi.* Probatur ex cap. discretionem. de eo, qui cognouit consang. cuius hæc sunt verba, dum loquitur de vxore, quam vir suus prostituit inuitam: *Vir prior rogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit obijcere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim inuitam.* Vbi ponderandum est illud verbum, præsertim, quod indicat, certum esse omnino, non posse obijci adulterium vxori, quæ inuita, & ex consensu viri sui cognouit alienum virum, & etiam denotat, non posse obijci adul-

A terium, quando illa etiam volens, ex consensu tamen viri habuit copulam cum alio: & ratio huius resolutionis ea est, quia fundamentum diuortij est iniuria illata coniugi media copula fornicaria, in eo autem casu, quo alter coniux consentiat tali copulæ, nulla ei fit iniuria, nam secundum regulam, scienti, *de regulis iuris in.6.* scienti, & volenti non fit iniuria.

Ex qua resolutione aperte sequitur primo, coniugem scientem adulterium alterius coniugis, & nolentem illud prohibere, cum facile posset, non posse petere diuortium, quia tunc sufficienter consensit alterius adulterio, & nullam patitur iniuriam. Secundo sequitur, cum coniux aliquis tantum præbuit occasionem remotam alteri adulterandi, posse petere 3

B diuortium ab altero coniuge ob adulterium ab eo perpetratum, vt cum vir vxorem à domo expulit iniuste, vel denegat ei iniuste, quę sunt necessaria ad victum, & vestitum, vel cũ absque vlla causa denegat vxori debitum coniugale, vel cum mulier propter sæuitiam viri ab eius consortio fugit. Ita sentiunt *Thomas Sanchez lib. decimo, de diuortio, disp. quinta à numero sexto, & Enriquez lib. 11. de matrimonio, capite 17. numero quarto,* quæ omnia sufficienter colliguntur *ex cap. significasti. de diuortijs.* Vbi cum sit sermo de vxore iniuste expulsa domo à suo viro, & quæ sic expulsa adulterium perpetrauit, cum ipsa contenderet, se restituendam esse viro suo, *Alexand. III. sic*

C *respondet: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Eadem autem est ratio de isto casu, & de alijs in isto §. numeratis.

Tertius euentus, in quo non potest vir diuortium petere, quamuis vxor habuerit copulam cum alio viro, tunc contingit, quando vxor probabiliter credit, suum virum decessisse, & alij nubit. Ita habetur *cap. cum per bellicam 34. quæst. 2.* Probatur, quia diuortium statutũ est in pœnam culpæ adulterinæ, & propter vindictam eius iniuriæ, quam vnus coniux irrogat alteri violando fidem matrimonij, sed in illo casu coniux non committit culpam adulterij, quia credit, suum virum defunctum 4

D fuisse, ergo sequitur, eam non esse plectendam diuortij pœna, & propter eandem rationem huiusmodi coniux non præbet causam diuortij, quamuis in eo casu fornicetur, quia tunc non committit adulterium formale, seu culpabile, sed tantum materiale.

Quartus euentus reperitur, quando vxor fuit carnaliter cognita per vim. Patet primo ex cap. proposito. 32. quæst. 5. in illis verbis: *Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perse-* 5

nerantia suæ continentiæ. Secūdo probatur, quia tunc nulla inuenitur culpa adulterij, ergo nulla assignanda est pœna diuortij. Si vero vxor, aut vir per metum cadentem in virum constantem inducerentur ad perpetrādum adulteriū, sine dubio præberent causam diuortij. Patet primo, quia tunc reperitur vera culpa adulterij, ergo ea punienda est pœna diuortij. Secundo probatur, *ex cap. ita ne 32. quæst. 5. ibi*, sed, *cum pudicitia sit virtus animæ, comitemque habeat fortitudinem, potius quælibet mala tolerare decernit, quam malo consentire.*

6 Quintus euentus, in quo non potest coniux repudiari ob adulterium, tunc reperitur, cum post matrimonium ab infidelibus celebratū, datumque libellum repudij iuxta eorum leges, coniux dimissus secundas celebret nuptias, nam tunc non poterit dimittens illum, si vterque conuertatur ad fidem, expellere illū à sua cohabitatione propter illas secundas nuptias etiam per copulam consummatas. Probatur primo, *ex cap. gaudemus de diuortijs* in illis verbis, *quamuis quoque secundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimissam mœchatur, non tamen dimissor poterit obijcere fornicationem dimissæ pro eo, quod nupsit alij post repudium.* Secūdo probatur, quia Infideles existimant, post legitimum repudium dissolui matrimonium antiquum, & licere sibi aliud nouum, vnde non cōmittunt culpam adulterij, quare non sunt puniendi pœna diuortij.

7 Vltimus euentus ad hanc quæstionem pertinens tunc reperitur, cum coniux innocens alteri coniugi adultero condonat adulterium expresse, vel tacite, vt cum coniux cognoscēs alterius adulterium, eum non excludit à suo toro, vel prius eum exclusum à toro admittit; quod autem per hanc condonationem amittatur ius petendi diuortium, patet, quia cum diuortium introductum sit in fauorem innocentis, rectè potest innocens cedere iuri suo, cui sine dubio cedit per aliquam condonationem ex dictis.

8 Quæres tamen in fine quæstionis, an huiusmodi euentus, in quibus non permittitur diuortium ob adulterium, excipiantur iure diuino, & naturali, an vero iure Ecclesiastico? Respondetur cum *Soto in 4. distinct. 36. quæst. vnica, art. 1. versic. de his autem casibus, & Petro de Ledesma de matrimonio, quæst. 62. art. 1. dubio 1. circa secundam conclusionem*, prædictos euentus exceptos esse iure naturali, & diuino, & declaratos per leges Ecclesiasticas. Et quidem primus casus aperte fundatur in iure naturali iuxta illud. *D. Pauli ad Rom. 2.* in quo *alium iudicas te ipsum condēnas*, & ex illis verbis *Canonis nihil 32. quæst. 6. nihil iniquius est, quā causa fornicationis dimittere vxorem, si ipse conuincitur fornicari*, in reliquis autem casibus iuri naturali conforme est, adulterium minime puniri pœ-

A dio diuortio, vel quia iniuria lacessit us condonauit iniuriam, vel quia tale adulterium vacauit culpa adulterij, vel quia alter coniux culpæ particeps fuit, consentiendo prædictis modis adulterio sui coniugis.

QVÆSTIO V.

Qua ratione possit fieri cōpensatio adulterij vtriusque coniugis, siue illud cōtingat ante sententiam diuortij siue postea?

B QVidam existimant, requiri æquales esse fornicationes inter coniuges, ad hoc vt fornicatio vnius possit cōpensari fornicatione alterius in ordine ad repellendum diuortium ab vno cōiuge intentatum, ita sentiunt quidam Doctores recentiores. Eius fundamentum potest esse, quia paria crimina mutua compensatione tolluntur, ergo quando delicta sunt imparia, potest vnum alio compensari. 1

Sit tamen prima conclusio. Quælibet copula fornicaria, qua coniuges vere diuidunt carnem suam in personam extraneam, potest cōpensari in ordine ad diuortium repellendum cum copula alterius coniugis, etiam si vna sit grauior alia. Ita sentiunt, *Palud. in 4. dist. 35. q.* 2

C *3. art. 2. casu 1. num. 11. & Sanchez lib. 10. de diuortio, disput. 6.* Probatur primo ex ratione facta in quæst. 3. huius tractatus, quia, scilicet, totum fundamentū diuortij consistit in eo, quod coniuges diuidant carnem suam cum alijs, sed omnes prædictæ copulæ æqualiter diuidunt carnem in alios, ergo æquale præbent fundamentum diuortij, quare æqualiter possunt inter se compensari. Secundo probatur, quia si delicta, quæ reperiuntur in copulis fornicarijs, deberent esse æqualia in genere moris, sequeretur adulterium commissum ab vno coniuge cum soluta non posse compensari cum adulterio commisso ab altero coniuge cum sacerdote, aut cum altero coniugato, quia huiusmodi delicta longe disparia sunt inter se, sequela autem falsa omnino est, & negatur etiam ab

D Authoribus oppositæ sententiæ, & est contra vsum repertum in materia diuortij, ergo sequitur non requiri delicta coniugum esse paria in genere moris, sed in esse paria, vt contineāt copulam consummatam, & realem diuisionem carnis vnius coniugis in personam extraneam.

Ex hac conclusione sequitur primo adulterium vnius coniugis recte cōpensari adulterio alterius, quāuis posterius cōtigerit quā illud. 3

Secundo sequitur recte posse fieri hanc cōpen-

pensationem, quamuis vnus coniux plurima adulteria commiserit, alter vero vnum tantū. Ita sentit *Sotus*, quantum ad hanc primam resolutionem, *in 4. distinct. 36. quaest. vnica, art. 1 versicula dubium autem*: & quantum ad secundā resolutionem, *versicula dubitatio vero*. Et alij Doctores antiqui, & recentiores, vtriusque autē resolutionis sunt assignandę rationes. Prima, quia textus in *cap. significasti de diuortijs, & in cap. intelleximus de adulterijs*, ad compensationem in adulterijs tantum ponderant, coniuges eodem crimine infectos esse, non vero, quod vnum crimen prius contigerit quam aliud, aut quod in vno coniuge plura reperiantur crimina, quām in alio, ergo vbi lex non distinguit, neque nos distinguere fas est. Secūda ratio sit, quia in his casibus vterque coniux violauit fidem matrimonio debitam, & vterque praebuit sufficientem causam diuortij, ergo non est admittendum potius diuortium vni coniugi, quam alteri, sed vtriusque delicti efficienda est compensatio.

4 Sit secunda conclusio. Si adulterium vtriusque coniugis contingat ante prolatam sententiam diuortij, necessario admittenda est compensatio vtriusque adulterij, & ita nulli coniugi concedendum est diuortium. Probatur conclusio ex dictis, quia tunc paria sunt delicta in ordine ad diuortium celebrandum, quia vterque coniux pariter tribuit fundamentum diuortio penes hoc, quod diuisit medio suo adulterio carnem in alium, ergo admittenda est compensatio vnius adulterij cum alio, aliàs iniuria fieret alicui coniugi.

5 Tertia conclusio. Quādo adulterium vnius coniugis occultum est, ita vt non possit probari per testes, alterius vero adulterium publicū est, compensandum est occultum cum publico in foro conscientiae, ita vt lethaliter peccet coniux occulte adulter, petens diuortium ab altero publice adultero, cum materia grauis sit diuortij. Ita sentiunt *Sylvester verbo diuortium, q. 9. versiculo 7. Abbas cap. significasti in fine de diuortijs D. Thom. in 4. distinct. 35. quaest. vnica, art. 6. & 5. & alij multi iurisperiti, & Theologi.* Probatur primo, quia si ego publice debeo Petro centum media aliqua scriptura, & ille debet mihi totidem centum secreto, ita vt non possim debitum probare, non potest ille tuta conscientia petere à me centum, sed in nostro casu vterque coniux ratione sui adulterij debet alteri diuortium, ergo etiamsi vnum adulterium sit occultum, & alterum publicū, vnius tamen adulterij debitum compensandum est cum debito alterius adulterij. Secundo probatur, quia diuortium tantum conceditur cōtra reum, & in fauorem innocentis, sed ille qui est occulte adulter, re vera non est innocens in foro conscientiae, in quo non desideratur probatio per testes, sed rei veritas, ergo non potest

A ille petere diuortium, sed tenetur compensare suum adulterium cum adulterio alterius.

Et doctrina huius conclusionis vera est, etiā 6
si post latam sententiam diuortij contra vnum coniugem, ille deprehendat alterū fuisse adulterum, antequam sententia diuortij pronunciaretur, & in foro conscientiae etiam post latā sententiam debet fieri compensatio vtriusque delicti, quod sufficienter probant rationes adductae in vltima conclusione praecedēti. Quod quidem etiam verum obtinet, quando iniuste expellens domo alterum coniugem fuerit religionem professus, quod probe considerarūt, *Ostiens. cap. veniens, numero 7. de conuersione cōiugatarum, & Nauarrus, lib. 5. consiliorum in prima editione, titulo de adulter. consilio 1. num. 4.*
B *& 5. in secunda vero editione lib. 3. titulo de conuersione coniugatorum consilio 9. numero 2.* Probatur, quia eo ipso, quod ante sententiam diuortij commissum est adulterium, in foro conscientiae reuocatur matrimonium ad pristinū statum, in quo nulli coniugum datur facultas profitendi religionem absque alterius licētia. Quid autem praestandum sit in foro externo, disputent illi ad quos pertinet huius fori examinatio, & interim videatur *Sanchez circa ea, quae pertinent ad forum externum, disp. 8. & 9. lib. 10. de diuortio.*

Apud quem Authorem late videri potest, 7
quae poenae ciuiles, & criminales sint impositae adulteris.

His suppositis non leuis difficultas se offert 8
C in examinando, an coniux adulter dimissus ab altero per sententiam diuortij praecedentem, possit in foro externo, & etiam in foro interno repetere alterum coniugem eo quod, licet fuerit innocens ante sententiam diuortij, post illam tamen commisit adulterium. In qua difficultate plures sunt sententiae. Prima defendit, in eo casu coniugem adulterum non posse in foro externo, aut interno repetere alterū coniugem. Ita sentiunt *Sotus in 4. distinct. 36. quaest. vnica, art. 6. ad 3. Enriquez, lib. 11. de matrimonio, cap. 17. num. 3. Sanchez lib. 10. de diuor.*
D *disput. 9. num. 32.* Probatur primo, quia semel bene definitum minime retractandum est. Vt constat, *ex cap. quod bene 6. quaest. 4.* ergo sententia iudicis semel constituentis diuortium seruanda est. Secundo probatur, quia diuortij sententia dissoluit matrimonium quoad torum, & habitationem, & quoad ius, quod vnus coniux habet in corpus alterius, ergo coniux innocēs committens peccatum fornicationis post sententiam diuortij nullam infert iniuriam coniugi adultero, quare nullum inde prouenit ius coniugi adultero ad reconciliationem, & ad compensationem delictorum. Tertio probatur, quia sententia diuortij non fertur sub conditione aliqua in fauorem Rei; nimirum si innocens caste vixerit, sed absolute fertur in odium

odium eius,asserit tamen Sanchez officio iudicis coniuges illos reconciliandos esse, quando est periculum ad alterij, imo fecerit,in foro conscientiæ, & ante sententiam iudicis huiusmodi delicta minime compensari.

9 Secunda sententia defendit,si prius adulterans perat posterius adulterum, eum esse sibi reddendum,nisi posterior adulter ad sacros ordines,vel ad religione transire velit, quia per nullam sententiam potest tolli delictorũ compensatio,si vero posterior adulter petat priorem, asserit hæc sententia, non esse priorem cogendum ad hoc,vt ei restituatur, quia vltima culpa præiudicium illi affert.

10 Tertia sententia defendit, nullo modo etiã ex officio iudicis restituendum esse coniugem innocentem fornicantem post sententiam diuortij,quoniam sententia illa transiuit in rem iudicatam in fauorem innocentis,ergo post illam nulla datur restitutio.

11 Quarta conclusio. Tam in foro externo, quã in foro interno datur in isto casu compensatio delictorum,& ita coniux dimissus potest petere reconciliationem alterius coniugis,ita sentiunt Glossa in cap. ex literis verbo ab iudice de diuortijs. *Ostiens. in eo cap. num. 2. D. Bonauent. in 4. distinct. 35. art. vnic. quæst. 5. D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6. versic. item nota, quod si post diuortium, & alij plurimi Doctores*. Probatur primo hæc conclusio aperte, vt ego sentio, ex *cap. ex litteris de diuort*, vbi sermo est de quodã diuortio celebrato ob adulteriũ vxoris,& de innocente coniuge,qui secundas nuptias celebrauit,& eas consummauit; & tamen Alexander III. sic respondet, *Vnde si ueritati tuæ mandamus, quatenus si res ita processit; prætaxatum virum ad legitimam vxorem redire compellas*,circa quod diuortium sine dubio intercessit Episcopi sententia, vt optime notauit *Glossa,loco citato*, quod videtur colligi ex eo,quod diuortium fuit iniunctum ex consilio Capituli, quod consilium non requiritur ad hoc,vt Episcopus pronuntiet aliquod præceptum diuortij per modum extraiudicialem, sed ad hoc vt pronuntiet illud per modum sententiæ, vt patet, *ex cap. Episcopus nullius 15. q. 7.* ibi, *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi*. Neque huic ponderationi obstat id,quod obijcit *Sanchez disput. citata*, scilicet, in eo *cap. ex literis*, affirmari, vtrique coniugi priuatim continentiam esse iniũctam ab Episcopo,nam illud verbum significat, continentiam esse seruandam ab illis coniugibus separatim,quia diuortium celebrabatur quoad torũ, & quoad habitationem. Secundo probatur cõclusio,quia adulteriorum compensatio nascitur ex iure diuino,& naturali, ergo sententia iudicis,quæ intercessit non potest auferre talem cõpensationẽ. Tertio probatur,quia sententia diuortij tacite includit hanc conditionem, si innocens continens fuerit, quia eam efflagitare videtur natura contractus matrimonialis, cum enim iste post sententiam diuortij æqualiter constringat vtrumque coniugem, æqualiter violatur per copulam fornicariam vtriusque,ergo sine dubio admittenda est compensatio vtriusque adulterij. Vltimo probatur, quia sententia diuortij tantum fauet coniugi innocenti, dum innocens est, non vero,dum reus est,aliàs foueret eius crimina,quod absurdum est.

Quod si coniux,qui prius fuit innocens,durante tempore suæ innocentiæ,& post alterius adulterium, siue præcesserit sententia diuortij,siue non,professus est religionem approbatam,vel suscepit sacros ordines,etiamsi post talem mutationem status adulterium commiserit,minime potest restitui vxori, ut in omnium sententia locum habet. Quod ex eo patet,quia ille vir recte potuit eo tempore statũ mutare,& ita ius adquisitum est illi statui immutabili,cui per sequentẽ fornicationẽ præiudicari nequit,quia totũ ius,& dominiũ corporis translatum est in nouum statũ. Vnde nullũ ius,neque dominium saltem proximũ in corpus mariti mansit penes vxorem. Si verò coniux,qui prius fuerat innocens, post sententiã diuortij fornicetur,& post talem fornicationẽ religionem profiteatur,professio nullum sortitur valorem, quia, cum fiat iuxta nostram quartam cõclusionem istorum adulteriorum compensatio, matrimonium restituitur ad eũ statum,in quo fuerat ante omne adulteriũ, sed ante adulterium vnus coniux non poterat profiteri religionem absque alterius licentia, ergo neque etiam in eo euentu, de quo loquimur. 12

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum: ad argumentum in principio quæstionis allatum contra primam conclusionem respondetur,omnes illas fornicationes,in quibus diuidunt coniuges carnem suam cum alijs, esse æquales in ordine ad diuortium celebrandum, vt iam vidimus in prima conclusione. 13

Argumentis Sanchez allatis contra quartam conclusionem restat satisfacere. Ad primum dicimus, sententiam diuortij non esse retractandam,quando res in eodem statu permanent,at hic non permanent, quia post talem sententiam coniux innocens lapsus est in adulterium. Ad secundum argumentum dicimus, coniugem adulterum amisisse ius proximum, quod habebat in corpus innocentis, donec innocens fornicetur,eo verò fornicante,recuperare suum ius. Ad tertium respondetur, constare ex dictis in quarta cõclusione,sententiã diuortij pronuntiari sub conditione, ne præiudicet iuri diuino,& naturali, quo conceditur cõpensatio adulteriorum. 14

QVAE-

QVÆSTIO VI.

An quando vterque coniux est adulter, & alter vitam corrigit, alter verò in fornicatione perseuerat, licitum sit diuortium coniugi emendato?

1 PRIMA sententia in hac quæstione affirmat, coniugem emendatum posse diuortium celebrare, si alterum coniugẽ admoneat, vt se ad meliorem frugem conuertat, & ille nolit conuerti, sed in adulterio perseuerare. Ita sentiunt *Diuus Bonauent. in 4. dist. 35. in expositione litera numero 1. Syluester matrimonium 9. quæst. 6. in fine, & nouissime Thom. Sanchez lib. 10. de diuortio, disp. 7.* Probatur hæc sententia, quia monitio illa, qua vnus adulter alterum adulterum monet, vt conuertatur, vim habet cuiusdam reconciliationis, sed si post reconciliationem coniugum, aliquis eorum fornicetur, iuste alter diuortium celebrat; ergo etiam in casu huius quæstionis licita est celebratio diuortij.

2 Secunda sententia asserit, in hoc casu minime licere diuortium. Cui sententiæ adhæsit *Petrus de Ledes. de matrimonio, quæst. 62. art. 1.* Probatur primo, quia si propter aliquam rationem adulter emendatus posset alterũ adulterum à sua cohabitatione expellere, maxime, quia ille pauciora adulteria commisit; quam alter. Sed hæc ratio non habet vim, vt vidimus in præcedenti quæstione, quia ad rationem diuortij tantum consideratur, quod sit facta diuisio carnis in alium, non verò, quod sit facta sæpius, aut rarius. Secundo probatur; quia licet correctio vitæ auferat in hoc casu post cõmissum adulterium iniuriam Deo illatam, nõ tamen aufert iniuriam illatam alteri coniugi; ergo etiam post correctionem admittenda est compensatio adulteriorum; & ita non erit licitum diuortium.

3 Sit tamen conclusio, Coniux emendatus potest petere diuortium & separationem ab alio coniuge adultero, qui semper perseuerat in adulterio, dummodo emendatus sciat, alterum coniugem conscium esse suæ emendæ. Ita sentiunt, siue præcesserit admonitio, siue non, (in hoc enim casu nos loquimur) *Ostiensis in summa, num. 11. in principio, Sotus in 4. distinct. 36. quæst. vnic art. 1. versic. dubium ergo restat, Emanuel Rodriguez, tom. 1. summæ, cap. 3. casu 14.* Probatur hac vnica ratione, quia si vterque cõiux adulter alteri condonet iniuriam præteritam post resipiscentiam vtriusque, & postea vnus illorum nouum adulterium committat, A alter iuste potest celebrare diuortiũ, siue illũ admoneat, ne nouum adulterium committat; siue non, sed similiter, quando vterque cõiux perseuerat in adulterio, vterque condonat alteri iniuriam, vel saltem compensat iniuriam; quam ipse intulerat, cum iniuria ab altero sibi illata, ergo dum alter post eam condonationẽ; seu compensationem resipiscit, & alter non vult resipiscere, sed labitur in nouum adulterium, emendatus ius habet petendi diuortiũ; & hoc siue admonuerit illum, siue nõ, quia admonitio non tribuit ius ad diuortium, sed noua perseuerantia alicuius coniugis in adulterio.

Ex his respondetur argumentis in opposi- 4 tum, dicimusque, argumento Sanchez sufficiẽ B ter fuisse satisfactum in confirmatione nostræ conclusionis. Ad primum argumentum primæ sententiæ respondemus, nos minime niti in paucitate, vel pluralitate adulteriorum, sed in cõdonatione, vel cõpensatione delictorum eo tempore facta, quo vterque coniux perseuerat in adulterio: quæ compensatio, vel condonatio sine dubio cessat, quando alter coniux resipiscit altero non resipiscente. Ad secundũ argumentum respondetur, illam resipiscentiam non tollere iniuriam antea illatam alteri coniugi, sed restituere matrimonium ad pristinum suum statum, quare si post eam contingat nouum adulterium, licitum esse coniugi resipiscenti, petere diuortium.

C

QVÆSTIO VII.

Vtrùm coniugi adultero ad religionem; & ad ordines Sacros transire post pronuntiatam diuortij sententiam altero inuito licitum sit & an idem licitum sit coniugi innocenti adultero inuito?

IN hac quæstione supponẽda sunt ea, quæ facilia sunt, vt ad difficiliora gradum faciamus. Primo supponendum est cum *Ostiensi* 1 D *cap. finali, num. 3. de adulter. Syluest. verbo diuortium, quæst. 8. & D. Tho. in 4. distinct. 35. quæst. vnica, art. 3. in corpore & D. Bonauent. ibidem, & Vega 1. tom. sum. cap. 13. casu. 1. & alijs multis Doctoribus.* Coniugem innocentem, qui certo cognoscit alterius adulterium, licite posse in foro conscientiæ denegare debitum coniugale alteri ante omnem sententiam iudicis sibi suffragantem, imo etiam si per iudicem medijs censuris Ecclesiasticis compellatur ad reddendum debitum, probatur, quia ius naturæ docet in materia contractuum frangenti fidem non esse

esse obligationem seruandi fidem, ergo ex vi contractus matrimonialis coniux innocens, qui certo cognouit fidem fuisse sibi violatam, medio adulterio, non tenetur alteri seruare fidem, sed licite potest alteri denegare debitũ coniugale. Secundo probatur, quia negatio huius debiti coniugalis non est pœna, vt patet ex prima ratione, vnde non requirit iudicis sententiam, sicut eam requirit amissio bonorũ dotalium, quam contrahit vxor per adulteriũ perpetratum: ergo non requirit iudicis sententiam, quæ doctrina vera est etiam lite diuortij pendente, quia licet vulgaris sententia collecta ex *toto titulo, vt lite pendẽte nihil innouetur*, defendat lite pendente nihil innouandũ esse, ea tamen sententia solum locum habet in foro externo, in quo veritas non patefit, donec lis decidatur, & veritas per testes probetur, in foro vero interno conscientiæ non desideratur probatio per testes, sed rei veritas, quæ si semel constet innocenti coniugi circa adulteriũ alterius, in quocunque casu, & euentu sufficiẽs tribuit fundamentum innocenti, vt alteri possit debitum coniugale denegare.

2 Secundo supponendum est, coniugem adulterum, etiamsi eius adulterium ita occultum sit, vt prorsus lateat innocentem, non posse tuta conscientia petere debitum coniugale ab altero coniuge; probatur quia ius proximum petendi debitum nascitur ex fide seruata, quã coniuges sibi mutuo dederunt, dum celebrarunt contractum matrimonialem, ea enim lege vnus coniux se adstrinxit alteri ad debitũ ei reddendum, vt alter fidem matrimonij non violet, neque diuidat carnem suam cum alio, ergo cum ille non seruat fidem à se datam, non potest alterum obligare ad seruandam sibi fidem, reddendo sibi debitum coniugale. Et confirmatur, quia si inter me, & Petrum intercedat hoc pactum, vt ego laborem in vinea illius hoc die, & ille in stipendium laboris det mihi denarium, si ego frango fidem illi datam non laborando in vinea alterius, non possum tuta conscientia petere ab eo denarium, Pari ergo ratione dicendum est in nostro casu, coniugẽ violantem medio adulterio fidem alteri datã, non posse tuta conscientia petere ab eo debitum, quia hoc nihil aliud est, quam petere ab eo vt fidem seruet, quam non tenetur seruare. Bene video *Thomam Sanchez oppositum defendere lib. 10. de diuortio, disput. 10.* dum asserit, coniugem adulterum, dum eius adulterium latet innocentem, non esse ipso iure priuatum facultate exigendi debitum, donec alter coniux cognoscens adulterium, ipsum priuet facultate petendi, quare adulterum occultum posse medio iudice, compellere alterum coniugem ad reddendum debitum, sed in hoc ab isto Authore dissentimus. Hoc tamẽ non obstante cõuenimus cum isto Doctore, adulterum illum occultum interrogatum à iudice non debere fateri suum adulterium, quando non iuridice interrogatur, quod eodem modo contingit in alijs criminibus, quia tunc iudex non habet ius interrogandi.

3 Tertio supponendum est, cõiugem cognoscentem certitudine morali (quæ tunc reperitur, quando reperiuntur ea indicia, quæ in foro externo probata conuincerent coniugem de adulterio, qualia sunt ea, quæ reperiuntur *in cap. litteris de præsumptionibus*, & alia similia) adulterium alterius coniugis licèt occultum, posse in foro cõscientiæ, & absque vlla iudicis sententia ab eius habitatione discedere, ita sentiunt *Abbas cap. fin. num. 6. de adulterijs, Sotus in 4. distinct. 6. q. vnica, art. 3. ad finem corporis, Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 17. nu. 2.* Probatur primo ex verbis Christi *Matth. 5. & Matth. 19.* in quibus continetur, licitũ esse vni coniugi dimittere alterum coniugem ob eius adulterium, in quibus non distinguitur an adulterium futurum sit occultum, vel publicum, ergo in vtroque eadem regula seruanda est, vt licitum sit diuortium. Secundo probatur, quia vt vidimus in præcedenti primo supposito, licitum est coniugi innocenti absque iudicis sententia ob adulterium occultum alterius ei denegare debitum coniugale, quod maius est, ergo etiam est licitum absque sententia iudicis, denegare coniugi occulte adultero co habitationem, quod minus est. Tertio probatur, quia consorti in contractibus frangenti fidem non est seruanda fides, & hoc absque vlla requisita iudicis sententia, ergo ei, qui non seruat fidem coniugalem, non est seruanda fides cohabitationis. Quæ doctrina vera est, quando cessat omne scandalum, vt quia vir cognoscens adulterium occultum vxoris, secedit in partes remotas, vbi omnino matrimonium ignoratur, si enim ex dimissione vxoris sequeretur scandalum, non esset illa dimittenda absque sententia iudicis, vt in simili diximus de eo, qui postquam sponsalia contraxit cum aliqua, cognoscit aliquem defectum occultum in ea, ob quem excusatur ab obligatione contrahendi matrimonium. Iste enim sola sua authoritate potest recedere à fide data in sponsalibus, quando ex eo recessu nullum sequeretur scandalum, non tamen est vera doctrina hæc in foro externo, quia vt in eo admittatur expulsio coniugis adulteri à domo innocentis, necessaria est Ecclesiæ sententia, quia expoliatus ante omnia restituendus est, quando nõ est expoliatus per iudicis sententiam, vt patet *ex cap. in litteris, & cap. conquestione de restitutione expoliatorum.*

His suppositis sit prima conclusio circa, ea quæ proponuntur in titulo huius quæstionis (licet multi sentiant oppositum) posse coniu- 4
gem innocentem, cogere adulterum iuste, &

licite

licite ad hoc quod sibi reconcilietur, etiamsi iudicis sententia statuens, diuortium præcesserit, & transierit in rem iudicatam, quanto magis dum nulla præcessit sententia; dummodo tamen neuter illorum coniugum nouum vitæ statum susceperit. Ita sentiunt *Ostiensis in summa, tit. de conuersione coniugatorum, num. 9. vers. & nunquid, Angelus matrimonium 4. num. 3. D. Thom. in 4. distinct. 35. quæst. vnica. art. 6. ad tertium*, quamuis ibi nullam mentionem efficiat sententiæ iudicis, quia tamen absolute loquitur, ideo pro hac sententia potest allegari. *D. Bonau. ibidem, art. vnico, quæst. 5. D. Anton. 3 p. tit 1. cap. 21. §. 6. versu effectus accusationis, Castrodo sum. de sacramentis de matrimonio. ca. 7 num. 65.* Probatur primo, quia sententia iudicum non debet fouere crimina, sed punire, sed si adulter post latam iudicis sententiam nõ deberet petente innocente redire ad consortium sui coniugis, videretur foueri eius crimẽ, quia ei ea ratione libera daretur occasio fornicandi, imo ea ratione puniretur coniux innocens, dum inuitus priuaretur consortio sui cõiugis, hæc autem omnia absurda sunt, non est ergo admittendum, illicitum esse coniugi innocenti post sententiam diuortij reuocare cõiugem adulterum inuitum ad suam cohabitationem. Secundo probatur ratione. *D. Thom. loco citato*, quia illud, quod inducitur in fauorẽ alicuius, non facit ei præiudicium, vnde cum diuortium sit inductum in fauorem viri innocentis, non aufert illi ius petendi debitum, vel reuocandi vxorem adulteram siue ante latam sententiam diuortij, siue post.

5 Sit secunda conclusio, quando innocẽs post diuortium celebratum vel publice, vel clam, statum mutauit per professionem religionis approbatæ, vel per susceptionem ordinis sacri, non potest vxorem adulteram semel dimissam reuocare ad vsum matrimonij, neque ad cohabitationem. Ita *Syluester verbo diuortiũ, quæst. 10. Palacios in 4. distinct. 35. disput. vnica columna 17. dubio 2. & alij.* Probatur conclusio, quoniam huiusmodi vir in eo casu totum se tradidit nouo statui, quem suscepit, & omne ius proximum, quod habebat ad vsum matrimonialem à se prorsus abdicauit, ergo non habet ius repetendi vxorẽ, quare in eo casu postquam innocens statum mutauit, potest adultera profiteri religionem, nulla requisita licentia à coniuge innocenti, quia iste liberam ei licentiam concessit per mutationem sui status, vt possit religionem profiteri.

6 Sit tertia cõclusio. Si adultera religionẽ profiteatur innocente manente in sæculo, quando nulla præcessit sententia diuortij, neque aliqua alia licentia, potest ab innocenti reuocari, vt sibi debitum coniugale reddat. Probatur cõclusio, quia tunc nihil est, quod faueat adulteræ, aut quod liberam ei concedat facultatem

A eligendi statum, non enim innocens cessit iuri suo, quod habet illam reuocandi, cum sibi placuerit, præterea non fauet aliqua sententia iudicis, quia supponimus eam non fuisse prolatam.

Quarta conclusio, etiamsi iudicis sæcularis, 7 siue Ecclesiastici sententia præcesserit, detrudens vxorem adulteram in monasterium, vir tamen innocens, quoties statum non mutat, potest illam reuocare ad vsum coniugalem, siue ante biennium à reclusionis die transactũ, siue postea, & siue illa sit religionem professa, siue non, & siue vitam correxerit, siue non, & hoc loquendo in foro conscientiæ, & in foro externo. Hanc conclusionem docent *Salicetus super authenticam, sed hodie, codice ad legem Iuliã*
B *de adulterijs, num. 3. oppositione 4. in fine Baldus super dictam authenticam, nu. 2. & Abbas in cap. gaudemus de diuortijs, num. 7.* Probatur, quia tã diuortium, quam prædicta reclusio in monasterio, & quæuis sententia in hac parte introducta sunt in fauorem coniugis innocentis, & in odium coniugis adulteræ, ergo non debent fauere adulteræ, tribuendo ei facultatem profitendi religionem inuito suo viro, & nocere innocenti, auferendo ab illo ius reuocãdi vxorem, quotiescumque voluerit. Secundo probatur, quia *in cap. vxoratus de conuersione coniugatorum, & in toto illo titulo* minime permittitur, vxori ad religionem transire absque licentia sui viri, ergo multo minus vxor adultera, quæ specialiter in suam pœnam est alligata volun-
C tati sui viri, poterit profiteri religionem detrusa in monasteriũ absque viri sui licentia; scio equidem nobis aduersari *Thom. Sanchez lib. 10. de diuortio, disput. 10. num. 8.* cum alijs Doctoribus, dum asserit muliere adultera detrusa in monasteriũ per iudicem sæcularem, & intra bienniũ reclusionis emendata, & nolente viro eam sibi reconciliare intra biennium, posse mulierem profiteri religionem post biẽnium prædictũ inuito viro, & non posse deinceps reuocari à viro, quod probat *ex dicta authentica, sed hodie*, cuius hæc sunt verba, *sed hodie*
D *adultera in monasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet, biennio transacto adultera tonsa monastico habitu suscepto, ibi dum viuit, permaneat*, nam dicta decisio correcta est per ius Canonicum à nobis allegatum in hac conclusione.

Quinta conclusio, non potest adultera religionem profiteri inconsulto coniuge innocẽte, sed eius licentia necessaria est, ita *D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnica, a. 6. ad tertium* ibi, *vnde vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit renouata*, (loquitur autem de adultera) *nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit, D. Thom. sequuntur Syluest. verbo, diuortiũ q. 10 Arm. ver. diuortiũ nu. 8. Bartholomæus à Ledesma dubio 7. paulo post principium, & alij.* Probatur, quia cum cõ- 8

inx

iux innocens ius habeat cogendi adulteram ad sui cohabitationem, necessario petenda est licentia ab eo, quãdo adultera vult profiteri, ne iure suo priuetur inuitus.

9 Sexta cooclusio, vt adulteca de licentia coniugis innocentis profiteatur religionem, non est necessarium, vt innocens ad religionẽ transeat, vel castitatem voueat, sed potest absque vllo voto in sæculo manere. Probatur primo, quia licet textus in *in capit. sane, & cap. cum sis, & capite significauit, de conuersione coniugatorum*, prohibeant vni coniugi transitum ad religionem etiam de licentia alterius, nisi ille alter aut religionem profiteatur, aut castitatem voueat, at videotur intelligendi, vbi matrimonium integrom perseuerat quoad vinculũ, & quoad torum, non vero vbi dissolutum est pee diuortium quoad torum. Secundo probatur, quia coniux innoceos, cum sit liber à soluẽdo debito coniugali, potest absque dubio libere sine eo, quod adulter statum mutet, religionẽ profiteri, sicut posset in sæculo manere ab adultero in perpetuũ separatus. Quod si adulter id noo posit libere præstare, hoc tantum prouenit ex fauore innocentis, ne iuri, quod habet innocens reconciliandi sibi adulterum, derogetur, quare si innocens renunciet huic fauori, poterit adulter ad religionem transire, sine eo quod innocens castitatem voueat, aut religionem profiteatur.

10 Septima conclusio. Si post expulsionem adulteræ à domo mariti per sententiam latam, siue sine illa, ipsa vitam corrigat, & petat à marito reconciliationem, & ille nolit eam conce dere, tunc potest adultera religionem profiteri, & semel professa nequit a religione reuocari. Ita sentiunt *noster insignit Abulens. cap. 19. Matthæi, quæst. 7 ς. ad finem, Veratrux 3. p. Specu li, art. 6. in probatione 3. secunda conclusionis, & Thomas Sanchez lib. 10. de diuortio, disp. 10.* Probatur, quia licet coniux innocens ius habeat reconciliandi sibi adulteram, & ipsa necessario debeat per emendationem viræ se aptam reddere ad reconciliationem, at innocens non habet ius retinendi in sæculo in perpetuom alligatam adulteram, postquam vitam emenda uit, ne posit ad religionem transire, quia hoc grauissimum onus esset, & contrariom derogaret perfectioni Christianæ, ad quod non videtur se coniuges obligare voluisse, dum matrimonium celebrarunt: quæ monitio, seu petitio ex parte adulteræ sæpius præcedere debet, ac toties, quoties vir prudens iudicauerit iuxta qualitatem delicti, & personarum, necessarium esse, ad hoc vt innocens dicatur esse in mora, non admittendo in suum consortiom adulteram. Vnde cum in clusione quarta diximus posse virum reconciliare sibi vxorẽ adulteram etiam emendatam & professam, intelligendum est, dum illa non admonet virum suæ emendæ, neque voluntatis appetentis reconciliationem cum viro, oon vero ea conclusio intelligenda est in eo casu, quo innocens admonetur prædictorum, & non vult ceconciliare sibi adolteram.

11 Octaua conclusio. Coniugi innocenti licitũ omniuo est, religionem proniteri inuito adultero. Conclusio est certa apud omnes Doctores, eaque aperte probatur *ex cap. constitutus de conuersione coniugatorum*, vbi cum sermo sit de quodam viro, qui post adulteriũ commissum à sua vxore ad sacros ordines promotus est, & ingressus est religionem Cistercieasem, Innocentius III. sic respondet, *ideoque mandamus quatenus, si res ita se habet, prædictam mulierem, vt à dicto. N. recedat, cui per adulterium est contumsta, nec prædictum monachum inquietet, quominus regulare votum valeat adimplere, per censuras Ecclesiasticas cogere non omittas.* Præterea probatur conclusio ratione, quia si innocens non posset religionem ingredi, hoc esset, quia obligatus esset ad reddendum debitum adulteræ, vel ad cohabitandum cum illa, sed ad nihil horum tenetur innocens, cum liber omnino maneat post adulterium vxoris. Ergo potest libere, & absque vlla licentia vxoris religionem ingredi, quæ omnia potest præstare cooiux inoocens, etiamsi adultera neque religionem ingrediatur, neque votum castitatis emittat, quia, vt supra in hac quæstione vidimus, iura prohibentia ingressum religionis vni coniugi, nisi alter coniux religionem ingrediatur, aut castitatem vooeat, intelligenda sunt in eo casu, quo nullum præcessecat adulteriũ ex parte alicuius coniugis.

12 Licet autem in foro externo tantum sit licitum coniugi innocenti, vitæ statum motare, reijciendo adulterum ex suo consortio, quando præcessit sententia diuortij, vel quando sine sentẽtia adulterium est valde notorium. Vt notauit *Syluester verbo diuortium, quæst. 13. dicto 2. num. 16.* At tamen in foro interno conscientiæ licitum est innocenti coniugi, statum mutare, cum illi constat adulterium alterius coniogis sufficienter, etiamsi occoltum illud sit, & non posit probari per testes. Esset autem illicita mutatio status coniugi innocenti, quãdo adulterium alterius esset occultum, tũ propter scandalum, quod io animis hominum generaretur ex desertione alterius coniugis, & assumptione nouis status, & ex detrimento, quod iode sequeretur religioni, aut ordini sacro. Nam si coniux occulte adulter, & desertus ab altero coniuge petat, sibi restitui coniugẽ, restituetur quidem in foro externo coniux professus, aut sacris initiatus. Ex quo non leuis resultabit nota religioni, & statui ordinis.

13 Prædicta autem octaua conclusio cum prædictis moderaminibus intellecta etiam locum habet in viro innocente, ita vt posit sacros ordines

ordines suscipere inuita vxore adulterio solū occulte cognito. Ita sentiunt *Cardinalis in cap. veniens de conuersione coniugatorum, Syluest. verbo diuortium, quæst. 17. dicto 1. num. 20. Victoria in summa de matrimonio, num. 153. Sotus in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. in fine & alij quam plurimi.* Probatur ratione supra allata, quia coniux innocens liber omnino manet à debito coniugali per totam suam vitam & à cohabitatione cum altero coniuge, ergo potest eligere statū perpetuum, quem maluerit, siue suscipiendo ordines sacros, siue statum religiosum. Neque huic resolutioni aliquo modo obstat textus, *in cap. constituent, supra allegatum*, in quo dicitur de viro innocente sic, *qui post adulterium vxoris sacerdotium susceperat, cum autem eum sua conscientia remorderet, habitum ordinis Cistercensis assumpsit.* Per quem remorsum conscientiæ videtur denotari, illum hominem sensisse virum innocentem non posse sacros ordines suscipere sine licentia vxoris. Ad hunc enim textum facile respondetur, talem remorsum conscientiæ fuisse vanum, & scrupulosum, & ita immerito illum hominem fuisse illo commotum.

QVÆSTIO VIII.

Utrum coniux innocens teneatur dimittere alterum coniugem in adulterio permanentem, aut emendatum recipere?

1 IN hac quæstione non disputamus, an coniux innocens teneatur alterum coniugem adulterum sibi reconciliare, quia certum est, ad id non teneri, vt optime docuerunt *D. Thomas in 4. distinct. 35. quæst. vnica, art. 6. ad secundum & Ostiensis in cap. finali, num. 1. in fine de diuortijs, & Petrus de Soto lect. 12. de matrimonio, column. penult. & Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 62. art 6. conclus. 1.* quod aperte constat ex cap. admonere 33. quæst. 2. & præterea probatur ratione, quia diuortium inuentum est in fauorem coniugis innocentis, ergo eo non renuntiante suo fauori, non tenetur ipse coniugem adulterum recipere; quemadmodū, quia in fauorem boni communis introductum est, delicta puniri, ideo, quamuis delinquēs vitam correxerit, potest tamen respublica exigere punitionē eius. Quod si *in cap. si vir. de adulterijs*, dicitur, virum debere reconciliare adulteram emendatam, vt patet ex illis verbis, *quod si mulier dimissa egerit pœnitentiā, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.* Illud verbū, *debet* sic explicat *Glossa super illum textum*, debito honestatis, sed non necessitatis, quia etiam post pœnitentiam posset eam accusare de adulterio.

A Deinde non disputamus, an possit vir vxorem adulteram emendatam in suum consortiū admittere, nam certum est id fieri posse. Probatur primo ex dicto *cap. si vir de adulterijs.* Secūdo probatur, quia vt proxime diximus, lex naturalis inuenit diuortium in fauorem coniugis innocentis, ergo innocente renūtiante iuri suo, & fauori, ex nullo capite reddetur nulla prædicta reconciliatio.

Prima sententia defendit, sub culpa mortali debere maritum, vxorem adulteram dimittere, aut dimissam non recipere. Ita sentiūt *Onandus in 4. dist. 35. quæst. vnica, propositione 1. Petrus de Ledesma de matrimonio, q. 62. a. 2. concl. 2.* Probatur primo, ex dicto *cap. si vir.* In illis verbis, *si vir sciens vxorem suam deliquisse, quod non* B *egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, & vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Secundo probatur ex illis verbis *Matth. 1. cap.* vbi de Ioseph, qui videbat Virginē Mariam concepisse, & non ex sua copula coniugali, sic dicitur, *Ioseph, autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*, ergo vir iustus tenetur dimittere adulteram. Tertio probatur, quia si vir innocens nollet dimittere vxorem adulteram, tum causaret scandalum in populo, quia videretur esse protector criminis adulterij, tū etiam, quia exponeretur periculo, vt proles concepta ab vxore incerta esset, atque ita, vt illegitimi hæredes succederent in bonis viri contra ius legitimorum hæredum. 2

C Secunda sententia est *Thom. Sanchez, lib. 10. de diuortio, disp. 13.* asserentis primo teneri virum innocentem dimittere vxorem adulterā, ratione scandali, deinde asserentis. Secundo virum non teneri dimittere vxorem adulteram ratione præcepti correctionis fraternæ. Cui sententiæ videtur adhærere *Ægidius Conin. disputatione 35. de diuortio, dubio 3.* Probatur secūda pars huius sententiæ, quia præcepto correctionis fraternæ satisfacit vir, dum vxorem admonet, & pœnas inferni illi proponit, ac eam moderate punit, sicut ei licitum est. Secundo probatur, quia communiter ex tali dimissione vxoris pertinacis vxor liberius peccabit. Tertio probatur, quia ipse ea dimissione exponi- D tur periculis carnis, & priuat se obsequijs vxoris ad vitam traducendā necessarijs, ergo præceptum correctionis fraternæ non eum obligat eum his omnibus detrimentis. 3

Sit prima cōclusio. Ob solū adulterium ab vxore perpetratū nō tenetur vir eā dimittere, licet adulteriū sit publicū, sæpiusque pertinaciter perpetratū. Conclusionē indico cōmunē esse inter Doctores, eaque probatur primo ex c. *Idolatria* 28. q. 1. qui textus desumptus est ex *D. August. lib. 1. de sermone Domini in mōte, c. 27.* cuius hæc sunt verba, *Dominus autē permisit causa fornicationis vxorem dimitti, sed quia per-* 4

misit, & non iussit, dedit Apostolo locum monēdi, vt qui volo. vir, non dimittat vxorē. Secundo probatur cōclusio ratione, quia diuotiū cōstitutū est in suppliciū adulterij propter iniuriā in eo illatā innocēti, & in fauorē cōiugis innocētis. Sed potest innocēs rōdonare iniuriā, & renuntiare fauori suo, ergo non tenetur adulterā dimittere, si solā adulterij naturā consideremus.

6 Secunda conclusio. Vir innocens tenetur dimittere vxorē adulterā ex præcepto vitandi scādali, quādo vir retinendo illā præberet occasionē populo suspicandi, suo consensu committi adulteriū. Hanc conclusionē cōmuniter docent omnes Doctores cum *D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnica, art. 2, in corpore,* qui hac ratione loquitur. *si autem non pœniteat* (scilicet, vxor adultera) *tenetur* (nempe, vir) *ne peccato eius consentire videatur, si eam correctionem debitam non apponit* (scilicet, eam dimittere.) Probatur conclusio, quia ex natura rei tenemur vitare proximorū scandala. Sed in isto casu vt supponitur, sequitur scandalum ex eo, quod vir detineat in domo sua vxorem adulteram, ergo tenetur eam dimittere ob vitandum scandalum.

7 Tertia conclusio. Vir innocens tenetur vxorē adulterā dimittere, quando probabiliter, & certitudine morali credit, talem dimissionem profuturā, vt adultera vitā corrigat, moresque componat, ita sentiunt *D. Tho. loco, & verbis citatis. D. Bonauent. in 4. distinct. 35. ar. vnico, q. 2. Syluest. verbo, debitum, q. 10. Matienço, lib. 5. recopil. 1. rubrica, glossa 1. n. 101.* Probatur, quia vnusquisque tenetur lege correctionis fraternæ peccata proximi vitare per media cōmoda, sed vir est caput mulieris, ergo strictius tenetur ad eius fornicationem vitandam, si ergo eam sperat vitandam esse media dimissione adulteræ, tenetur eam dimittere, dum commode potest. Fateor quidem, difficile esse, inuenire casum, in quo concipiatur spes emendæ ex dimissione adulteræ propter rationes allatas in secunda parte sententiæ Sanchez, casus tamen moraliter est possibilis, & ita nostra tertia conclusio deserenda minime est.

8 Ex eo autem diximus in probatione tertiæ conclusionis, teneri virū innocentem, adulteram dimittere, vt eam corrigat, quando cōmode potest eam dimittere, quia excusatur sane ab hac dimissione, etiamsi ex dimissione speraret correctionem adulteræ, tum propter periculum spirituale, quod in se cernit incidendi in fornicationem, tum etiam, si morbo, aut inopia laboret, & maxime indigeat obsequio vxoris. Ita sentiunt *Sotus in 4. distinct. 36. quæstione vnica, art. 2. post secundam conclusionem, versiculo verum ergo. Petrus de Ledesma de matrimonio, quæst. 62. art. 2. conclus. ad finē.* Et probatur, quia præcepta correctionis fraternæ scandalisque vitandi, cum ex sola charitate oriantur, non obligant cum istis grauibus detrimentis. Quod si in vxore dimittenda timeretur magnum detrimentum temporale, vt quia illa dimissa, inopia laborabit, adhuc deberet vir eam dimittere propter vitandum scandalum, & propter eius correctionem consequendā, quia illa inopia etiam maxime poterit iuuare ad eius correctionem; licet hoc de inopia vxoris aperte neget *Sanchez, loco citato, num. 21.*

9 Communiter autem vir innocens aliquibus medijs poterit vti, ne protector adulterij vxoris videatur, poterit enim vxorem increpare, & eius custodiam procurare, eamque punire, ita vt vicini intelligant, eum non esse protectorem criminis, vel poterit vicinos admonere, se retinere vxorem domi propter aliquam grauem causam, quod si talia media non sufficiant ad vitandum scandalum, & viro occurrant aliquæ causæ ex dictis retinendi vxorem, poterit eam retinere non obstante scandalo quia tunc potius erit scandalum passiuum, quam actiuum.

10 Sit quarta conclusio, vxor innocens tenetur virum adulterum dimittere à suo consortio propter scandalum, quod oriri posset in populo ex eo, quod vxor iudicaretur consentire adulterio viri, si ab eo non recederet, (quod periculum raro contingit, quia omnes sciunt, vxores grauiter ferre huiusmodi adulteria, & minime posse ea in viris impedire, cum subditæ sint viris) & quando ex separatione vxoris sperabetur correctio viri, (quod etiam raro contingit, quia potius viri ex isto facto maxima ira concitati effrænatiores fierent, & suis illecebris laxiores præberent habenas.) Probatur conclusio ista ex rationibus adductis in secunda, & tertia conclusione.

11 Ad argumenta primæ sententiæ restat respondere. Ad primum dicimus, eum textum esse intelligendum in eo casu, quo scandalum timeatur ex eo, quod vir innocens retineat vxorem adulteram, quod denotant illa verba, *& erit eius criminis particeps.* Ad secundum respondetur. D. Iosephum ostendisse suam sanctitatem, quod cum ex vna parte cerneret Virginis Sanctitatem, & ex alia videret vehemens indicium suspicandi adulterium, suum suspendit iudicium circa adulterium, & noluit eam traducere, vt lapidaretur, sed potius elegit occulte eam dimittere.

12 Ad tertium respondetur, propter vitandam prædictam suspicionem debere virum dimittere adulteram, propter vitandam tamen incertitudinem prolis non tenetur vir vxorem dimittere, tum, quia alias non posset eam emendatam sibi reconciliare, quia tūc etiam esset talis incertitudo; quod absurdum est, tum etiam, quia non tenetur vir cum detrimento ita graui vitare hoc periculum.

Ad

13 Ad primum argumentum sententiæ Sanchez respondetur, non sufficere prædicta media, vt vir domi retineat adulteram, si speret ex eius dimissione sequendam esse correctionem vitæ. Ad secundum respondetur cum *Palud. in 4. distinct. 35. quæst. 1. art. 3. conclus. 4. numero 23. & D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 9. & Emanuel Rodriguez. tom. sum. 2. editione. ca. 240. numero 7.* cum timetur vxorem in plura peccata dilapsuram separatam à viro, posse eã domi retineri, lex enim matrimonij, & charitatis docent potius consulendum esse spirituali damno vxoris, quam scandalo proximorũ, præsertim cum hoc scandalum medijs supradictis possit vitari. Ad tertium patet ex dictis, ob eas causas recte posse virum non dimittere vxorem adulteram.

QVÆSTIO IX.

Utrùm ratione hæresis, in quam vnus coniux labitur, alter possit celebrare diuortium?

1 CERTVM est de fide, licitum esse diuortium ob alias causas, præter adulteriũ carnale. Ita definitur in *Tridentina, sess. 24. de matrimonio, canone* 8. his verbis, *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumvè tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Vnde cum *Christus Matth.* 19. dixit; *quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Hæc verba intelligenda sunt iuxta *Bellarminum, lib. 1. de matrimonio, cap. 14. §. dicendum est, & iuxta alios Doctores recentiores,* ita vt si consideremus causam diuortij petitam ex natura coniugij, solam inueniemus fornicationẽ carnalem, si vero consideremus causas diuortij, quæ ex alijs capitibus oriri possunt, alias inueniemus, vt constat ex hac quæstione, & sequentibus, & has non negauit Christus loco citato.

2 Sit prima conclusio. Si vnus coniux in hæresim dilabitur, alter innocens iustã habet causam celebrandi diuortium quoad habitationẽ, & quoad debitum coniugale. Probatur primo *ex cap. finali de conuersione coniugatorum, & ex cap. quando de diuortijs, & ex cap. idololatria 28. q. 1.* Secundo probatur, quia dũ hæreticus non conuertitur ad fidem, etiamsi non cõtendat alteram coniugem ad hæresim pertrahere, propter amicitiam tamen, & cohabitationem, illum constituit in maximo periculo deserendi fidẽ semper; ergo hoc periculum sufficiens est, vt cõiux alter diuortiũ celebret, dũ tale periculũ

A perseuerat, & hæreticus non conuertitur. In quo casu iure naturali diuino licitũ est diuortiũ: vt optime considerauit *Palatius in 4. distin. 35. disp. vnica, col. 7.* quia ius naturale docet, vitandũ esse periculũ lapsus spiritualis: & quia hoc periculũ tandiu durat, quãdiu hæreticus nõ conuertitur ad fidẽ, minime vero post eius cõuersionẽ. Hinc fit, eũ cõuersum recipiendũ esse in cõsortiũ innocẽtis, quando absque vlla Ecclesiæ sentẽtia circa hæreticũ innocẽs ab eo diuertit. Hæc doctrina aperte probatur ex textu *in c. de illa de diuortijs.* Cuius hæc sunt verba, *De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortiũ sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier maxime, si ea intentione discessit, vt lapsus in hæresim, tædio pariter, & confusione* B *affectus se ab errore suo conuerteret, ei cum reuersus fuerit, est reddenda: quæ etiamsi reuerti noluerit, compellatur.*

Secũda cõclusio. Cũ præcessit Ecclesiæ sentẽtia cõtra hæreticũ cõiugẽ, potest alter cõiux in perpetuũ ab eo diuertere eodẽ modo, ac si ille adulteriũ carnale perpetrasset. 3 Probatur primo, ex *dicto c. de illa, allegato,* quod post prædicta verba sic subiũgit, *si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recesserit* (loquitur autẽ de fœmina, quę à viro recessit propter eius hæresim) *ad recipiendũ eũ nullatenus dicimus cõpellendũ.* Secũdo probatur ex *c. finali de conuersione coniugatorũ,* vbi cũ sit sermo de coniugato Catholico, qui fidẽ deseruit, & de eius vxore fideli in fide permanẽte, sic dicitur, *mulier, quæ in fide remansit, potest* C *nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem libere conuolare.* Si ergo potest ad religionẽ cõuolare, ergo potest in perpetuũ coniux innocẽs negare post sententiã hæretico etiam conuerso (in hoc enim sensu, vt patet, loquitur prædictus textus) cohabitationẽ, & debitũ cõiugale in perpetuũ. Hanc autem pœnam iuste imponit Ecclesia hæretico propter eius grauissimũ flagitiũ, quemadmodũ, *c. fin. de hæreticis in 6.* per Ecclesiam fidelis absoluitur ab omni debito fidelitatis, & obsequij, quod debetur hæretico. Quam doctrinam optime perpẽdũt *Tho. Sanchez, lib. 10. de diuortio, disp. 15. Cazarrus tit. 4. decretalium 2. p. cap. 7. §. 5. num. 5. & alij plurimi.* Sed quæres cur cõiux innocẽs possit D ab hæretico diuertere in perpetuũ post sentẽtiam iudicis, & non antea & cur innocens diuertens ab adultero ante & post sententiam diuortij, possit perpetuum celebrare diuortiũ, & non ita contingat in coniuge ob hæresim alterius diuertente. Ad primam interrogationẽ respondetur, ante sententiam iudicis solũ esse licitum diuortium illud quod ex natura rei, sequitur ex hæresi alterius, scilicet, quãdiu durat periculum subuersionis, vnde post conuersionem coniuges esse coniũgẽdos: at vero post sentẽtiã in perpetuũ cõiuges separãtur in pœ

nam Heretici. Ad 2. interrogationem dicimus A diuortium ob adulterium esse perpetuũ, quia est in fauorem innocentis, cui non tenetur ipse renunciare. At diuortium ob Hæresim est in fauorem fidei præcipue, qui cessat per conuersionem post sententiam iudicis.

4 Tunc autem dicitur præcedere sententiam iudicis circa hæreticum, cum præcedit eius iudicium declarans, illum lapsum esse in hæresim, siue damnans illum ob hæresim, etiã si antea fuisset reconciliatus. Probatur; quia *caput de illa allegatum* liberam concedit facultatẽ Catholico, diuertendi ab hæretico post sententiã Ecclesiæ, at in isto casu verè præcessit sententia, Secundo probatur, quia hoc diuortium est pœna, quæ ex statuto Ecclesiæ sequitur sententiam hæresis, quouis autẽ modo ex dictis sufficit, sententiam hæresis præcedere.

5 Quemadmodum supra diximus, post adulterium carnale vnius coniugis posse innocentem sine licentia adulteri religionem profiteri, & sacros ordines suscipere, & adulterum emendatum non posse sine licentia innocentis hæc omnia præstare, nisi cum innocens est iam professus, vel ordines suscepit, vel admonet conuersus suæ conuersionis, & voluntatis appetentis reconciliationem, & alter innocens neque dat licentiam mutandi statũ, neque eum vult reconciliare. Ita etiam eodem modo in isto casu adulterij spiritualis, seu hæresis alterius coniugis loquendum esse existimamus; & sicut in casu adulterij carnalis vno coniuge ingrediente religionem non est necessarium, alterum religionem profiteri, aut castitatem vouere, etiam pari modo in hoc casu adulterij spiritualis affirmandum est.

6 Imo etiam, quemadmodum si post adulterium carnale coniux innocens cognoscat tale adulterium, & libere omnino procedat absq; metu graui, & leui (leuis enim in foro conscientiæ annullat condonationem, & alios contractus) censetur condonare damnum per hoc, quod habeat copulam coniugalem cum coniuge adultero, vel illum domi retineat, vel familiarem se illi præbeat, simul ludendo, ridendo, comedendo cum adultero. Vt docuit *Glossa §. final. inst. de iniurijs*, quod colligitur ex *leg. 5. Regia. tit. 7. lib. 4. fori*, quæ in hæc verba prorũpit. *El marido despues que supiere, que su muger fizo adulterio, no la tenga a su mesa, ni en su lecho, y el que lo fiziere, no la puede despues acusar*, ita etiam si post adulterium spirituale hæresis vnius coniugis, alter coniux cum eo copulam habeat, vel eum domi retineat, vel eise familiarem ostendat supradictis modis, censetur remittere omne ius, quod habet ad diuortium celebrandum, quia vterque iste casus pari passu currit. Vnde eadem regula metienda est.

QVÆSTIO X.

Vtrùm detur compensatio delictorum cum vnus coniux labitur in adulterium, & alter in hæresim, vel vterque in hæresim labitur?

IN hac quæstione prius disputandum est de compensatione delictorum dissimilium 1 vt adulterij cum hæresi, deinde de compẽsatione delictorum similium, vt cum vterque coniux in hæresim labitur, & quidem si ad primum casum gradum faciamus diuersas inueB niemus sententias, prima est *Gofredi in summa titulo de adulterijs, num. 6. & D. Antonini 2. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. & aliorum* asserentium, dari eã compensationem, cum hæreticus ad fidem cõuertitur, patet, quia ideo dum vterque coniux est adulter, datur compensatio, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, at eadem ratio currit cum vnus coniux est adulter, & alter in hæresim labitur, ergo datur in hoc casu compensatio. Secunda sententia est *Palud. 4. d. 35. q. 1. art. 2. casu 1. n. 11. & Durandi in 4. dist. 35. q. vnica propositione* 1. Affirmantium, non dari compensationem inter adulterium carnale vnius, & hæresim alterius coniugis, probatur ratione, quia tantum datur compensatio inter C æqualia delicta, at ista delicta æqualia nõ sunt, nam hæresis grauius peccatum est, quam adulterium, ergo inter ea non datur compensatio.

Certum est ex dictis in præcedenti quæstione, non posse compensari adulterium carnale 2 vnius coniugis cum hæresi alterius, cum hæreticus nondum est per sententiam damnatus, neque declaratus ab Ecclesia tanquam hæreticus, patet, quia adulterium meretur diuortium perpetuum, & hæresis tantum id meretur, perpetuum, dum est declarata per Ecclesiam & non antea, ergo antè declarationem non rectè compensatur vnum delictum alio.

His suppositis sit prima conclusio. Cũ vnus 3 cõiux lapsus est in adulteriũ, & alter in hæresim, nõ datur cõpensatio vnius delicti cũ alio, D etiã si hæreticus dãnatus sit per sententiã Ecclesiæ, vnde adulter poterit in perpetuũ diuortiũ celebrare cũ hæretico, & eius recõciliationẽ repudiare propter eius hæresim, & hæreticus poterit ab adultero in perpetuũ diuertere propter eius adulterium, neque vnquã tenebitur eũ in suũ consortiũ admittere. Hanc cõclusionẽ defendit *Baldus cap. 1. qualiter debet vassal lus domino fidelitatẽ*. Probatur cõclusio ratione Primo, quia longe diuersa est ratio diuortij in vtroque delicto, in adulterio enim ratio diuortij nascitur ex eo, quod fides fuit violata ma-

matrimonij, & caro vnius coniugis fuit diuisa cum persona extranea, in hæresi vero ratio diuortij in eo consistit, quod in pœnam hæresis damnatæ per sententiam liberatur alter coniux ab obligatione cohabitandi cum illo, & reddendi ei debitum coniugale, at qui adulterium vnius coniugis non tollit pœnam hæresis in altero coniuge constitutam ab Ecclesia propter bonum commune Reipublicæ. Secundo probatur exemplo; quia si aliquis vassallus se defenderet ab obligatione soluendi vectigalia suo Domino ex eo, quod Dominus in hæresim inciderit, nõ valebit exceptio Domini cõtra vassallũ, quod ipse quoque non seruauit aliquod pactum cum Domino initũ, neque inter hæc admitteretur aliqua cõpẽsatio, pari ergo ratione nõ est admittenda cõpensatio inter adulterium vnius cõiugis, & hæresim alterius. Tertio probatur, quia diuortiũ, quod ex adulterio procedit est omninò in fauorem cõiugis innocentis, ita vt ipse solus hanc pœnam adultero infligere posit, vnde quando alter non est innocens eo priuilegio minime potitur, at in hæresi non conceditur diuortium principaliter in fauorem alterius coniugis (licet minus principaliter etiam respiciat eius fauorem) sed in pœnã delicti, quia hæreticus infidelis fuit cõtra Deum, ergo ex eo, quod vnus coniux pœnam diuortij incurrit propter adulterium, nõ liberatur à sua pœna ille, qui eandem incurrit propter hæresim.

4 Secunda cõclusio. Etiamsi vterq; coniux in hæresim lapsus sit, & propter illam damnatus, non tamen delicta cõpensantur quoad diuortium vitandũ, sed vterque potest petere diuortium, licet in adulterijs vera detur cõpensatio. Conclusio difficilis apparet prima facie, sed si rectè consideretur tertia ratio, qua probata manet prima conclusio, hæc secunda cõclusio veritatem continet, eaque ratione sufficienter fulcitur. Ad argumentũ primæ sentẽtiæ respõdetur ex dictis, nõ esse eandẽ rationem pœnarum hæresis, & adulterij, quia paria delicta tũc tantum mutua cõpensatione delentur, quãdo pœna delicto correspondens est principaliter inflicta in fauorẽ alterius, quod non contingit in pena hæresis. Ad secundam sententiam respondetur nos non niti ea ratione, sed alijs adductis in prima conclusione.

QVAEST. XI.

Vtrum propter vnius coniugis sæuitiam, vel amentiam licitum sit alteri coniugi diuortium, & transitus ad religionem, & ordines?

1 SIT prima conclusio. Potest vnus coniux diuertere ab altero, quandò propter eius sæuitiam graue aliquod damnum probabiliter timet, si cum illo commoretur, & hoc, donec coniux, cuius sæuitia timetur, sufficientem cautionem securitatis præstet. Probatur conclusio primò ex *cap. literas in fine, de restitutione spoliatorum*, cuius hæc sunt verba: *Si vero tanta sit sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoueri, alioqui sufficienti (si fieri potest) securitate prouisa: profecto videtur coniux ante causæ cognitionem restituenda marito.* Imò potest coniux ob sæuitiam alterius propria auctoritate recedere, quandò est periculum in mora, vel non est facilis aditus ad iudicem, vel non præstatur sufficiens cautio securitatis. Secundò probatur conclusio, quia non tenetur coniux cum tanto suo periculo cohabitare cum altero, aut ei debitũ reddere. Quæ cõclusio tam procedit de sæuitia viri, quam fœminæ, & patet ex vltima ratione conclusionis, quæ in vtroque coniuge æqualiter procedit, si enim prædictus textus loquitur de sæuitia viri; ex eo est, quia pericula grauia plus imminent ex parte virorum, quam ex parte vxorum.

Nomine autem grauis damni in præcedenti conclusione intelligimus periculum vitæ amittendæ, vt constat ex *Authentica, sed nouo iure, Codice de repudijs*. Nec semper requiritur metus mortis, satis enim est metus alicuius grauis damni cadens in virum constantem, nec tamẽ sufficit metus cuiuslibet parui damni, quia cũ diuortium grauissima sit res, non est causandũ sine magno fundamento. Circa quem grauem metum videnda sunt ea, quæ supra diximus, tractantes de impedimentis matrimonij, dum de metu disputauimus: iuxta hanc vero doctrinam asserere debemus, sufficientem esse causam diuortij molestam cohabitationem, discordias graues, & frequentes inter coniuges contingentes, metus enim earum cadit in virum constantem, vt aduertit *Enriquez, lib. 11. de matrimonio, cap. 17. num. 7. vbi alios Doctores refert pro hac parte*. Est autem iusta causa, vt vxor diuertat à marito, metus grauium verberum, quę excedant limites correctionis marito cõcessæ, quæ verberatio ex vnica verberatione præterita, vel ex pluribus iuxta prudentis arbitriũ satis timeri poterit, si enim verberatio, quæ timetur leuis est, siue ex vrgenti causa, vel tantũ ex leui timeatur, non præbet iustam causam diuortij (quia leuis verberatio rara, ex vrgentique causa sine dubio concedenda est viro circa vxorem, vt optime docent *Abbas cap. quemadmodum de iureiurando. §. illud autem num. 11. Aragon 2. 2. quæst. 65. art. 2. colum. 5. vers. de marito solet dubitari, & alij quamplurimi Doctores.*) Hæc autem grauis sæuitia viri potest timeri, quando vir concubinam habet, siue eam domi retineat, siue extra domum, quia cõcubinatus solet esse causa molestæ cohabitationis, & per-

pετuæ discordiæ inter cōiuges, in quo casu loquimur de diuortio celebrato præcisè ob sæuitiam, quod licitum est etiam in eo casu, quo vterque cōiux sit adulter: concubinatum autē esse sufficientem causam, docent *Balius cap. 1. num. 3. vt lite non contestata Lupus, cap. per vestras de donationibus inter virum, & vxorem notab. 3. in principio num. 6.* Deinde, si vxor timet notabile damnum corporis ex consortio viri, quando vir latro est, & illa timet, ne tanquam consentiens furtis puniatur, potest à viri consortio diuertere, Ita docent *D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 10. rasu 1. Nauar. in sum. Hispana, cap. 22. vers. lo tercero.* Cuius ratio est, quia non tenetur vxor cum tanto corporis detrimento habitare cum viro, Præterea potest vir recedere ab vxore venefica, vt optime docuit *Sanchez loco citato, num. 22.* quia huiusmodi fœminæ pessimę sunt, & amore alieno, aut ira captæ solent maritos veneficijs inficere. Nō sufficit autem ad diuortium, quod vxor, aut vir bona dilapidare soleat, nisi inde aliquod graue damnum corpori alterius coniugis immineat. Tandem vt vxor diuertat à marito satis est, quod timeat sæuitiam parentum viri, quando ille causa est retinendi vxorem in domo parentum.

3 Secunda conclusio. Furor vnius coniugis, ex quo graue periculum imminet alteri coniugi cum eo habitanti, sufficientem præbet causam diuortij, non vero alias. Ita *Nauar. in Summa Latina, cap. 22. num. 22. Couar. 4. Decretalium, 2 part. cap. 7. §. 5. nu. 3. Grafis. 1. p. decisionum, lib. 2. cap. 84. in fine, & alij Doctores.* Probatur, quia potius est consulendum vitę, quam habitandū cum eo coniuge, aut reddendum ei debitum, quod periculum, tunc reperitur, quādo aliquod graue periculum etiamsi non sit vitæ, timetur: nec tamen, vt ipse aduertit, satis est amentem coniugem excitare rixas, si aliud malum non timeatur, vt alter coniux celebret diuortium, quia cum istæ rixæ absque culpa contingant non ita molestę sunt.

4 Quæres tamen primo. Quæ cautio desideretur, ad hoc vt vxor diuertēs à suo viro propter eius sæuitiam ei reddatur? Respondetur desiderari cautionem sufficientem, vt patet ex *cap. literas de restitutione spoliatorum, in fine, ibi: Alioquin si fieri potest securitate promissa, prefecto videtur coniux ante causæ cognitionem restituenda marito.* Per sufficientem autem cautionē intelligitur in primis cautio fideiussoria, vel pignoratitia quando ea est possibilis. Ita *Glossa in capit. fin. de pignoribus, Sylvester verbo, cautio, num. vnico. Felinus cap. ad nostra de iureiurando.* Probatur ista responsio, quia si tunc sufficeret sola cautio iuratoria, quæ omnibus possibilis est, frustra diceretur in eo *cap. literas,* si fieri potest, ergo verba significant cautionem fideiussoriam, vel pignoratitiam.

A Secundò quæres, an cum cautio fideiussoria vel pignoratitia non inuenitur, sufficiat iuramentum eius, cuius sæuitia timetur? Respondetur, sufficere tale iuramentum in prædicto casu. Probatur primo, quia ad impossibile nemō obligatur, sed aliæ cautiones, præter iuramentum sunt impossibiles illi coniugi, ergo non sunt ab eo extorquendæ. Secundo probatur, quia *cap. literas allegato*, postquam postulatur sufficiens cautio à viro, cuius sæuitia timetur, dicitur, *si fieri potest*, ergo cum non est possibilis sufficiens cautio (per quam intelligitur cautio fideiussoria, vel pignoratitia) non est ea postulanda, sed sufficit iuramentum, si creditur, seruandum esse à viro. Quod si creditur, non esse seruandum, vel res remanet sub B dubio, non sufficit tale iuramentum, sed vlterius requirenda est à viro cautio pignoratitia, vel fideiussoria. 5

Tertia conclusio. Cum adhibitis remedijs sufficientibus, & peritis medicis circa rem cōsultis timetur, amentiam vnius coniugis fore perpetuam, & ex illa probabiliter timetur aliquod graue damnum corpori alterius cōiugis, potest ille alter religionē profiteri, vel sacros ordines suscipere. Cōclusio est manifesta, quia tunc licitum est diuortium absolutè, & in perpetuum, sicut ratione adulterij vnius cōiugis, sed contingente adulterio vni coniugi, potest innocens religionem ingredi, aut ordines suscipere, ergo etiam in nostro casu, quod si postea per naturalem Dei potentiam sanæ mētis C radij illucescerent, etiam postquam coniux sanæ mentis professus est religionem instaurandum fane esset matrimonium. Sicut, cum Ecclesia perspicit, se fuisse deceptam inferenda sententia diuortij propter adulterium, tunc enim coniux innocens etiam professus restituendus est alteri coniugi, qui putabatur adulter, sed revera non fuit. Quod si sana mens rediret per potentiam Dei supernaturalem, & miraculosam, & coniux, qui à principio fuerat sanæ mētis, iam erat professus, non esset reddendus alteri coniugi, sicut neque esset reddendus coniugi vir, qui propter impotentiam naturalem suæ vxoris separatus esset ab illa, & professus esset religionem, licet postea potentia miraculose adquireretur. Cum autem amētia tantum D putaretur temporalis, non esset licitus alteri coniugi transitus ad alium statum, quia tunc diuortium tantum ad tempus permitteretur, & tunc non esset sui iuris absolutè, sicut in primo casu, quod requiritur ad professionē, in qua absoluta, & totalis fit corporis traditio religioni. 6

Quarta conclusio, Quādo iudex Ecclesiasticus tulit absolutam sententiam diuortij sine vlla limitatione temporis, quia non speratur aliqua correptio in sæuitia alicuius coniugis, potest coniux innocēs religionem profiteri, aut sacros ordines suscipere. Ita sentit cum alijs 7

Enri-

Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 5. nu. 10. in fine. Probatur, quia coniux innocens nō debet in perpetuum manere suspensus, ita vt, neque matrimonio fruatur, neque alio perfectiori statu, & alias grauiter ipse puniretur sine culpa. Tum etiam, quia huiusmodi pœna, scilicet priuari sæuientem virum sua vxore, valde conueniens est ad puniēdā eius sæuitiam. Imo etiamsi vir sæuiēs corrigatur post professionem emissam ab altero coniuge, non est ei reddendus cōiux, quia professio fuit legitima, & post talem professionem potest coniux sæuiens profiteri religionem, non vero antea, etiamsi lata sit sententia diuortij absoluta, quamuis contrarium huius vltimæ partis doceant *Nauar. lib. 4. consilior. in vtraque editione titu. de diuortijs consilio. 5. in fine, & Enriq. loco citato.* Dum defendunt, B post pronuntiatam sententiam absolutam diuortij propter sæuitiam, posse coniugem reū sæuitiæ libere ingredi religionem. Sed nostra pars ex eo vera est, quia non est plus concedē dum in hoc puncto coniugi sæuienti, quam adultero. Sed adulter non potest ingredi religionem nisi de licentia innocētis, aut nisi post suam resipiscentiam, & monitionem factam alteri coniugi, etiamsi præcesserit sententia diuortij absoluta, ergo idem dicendum est in nostro casu.

8 Imo quemadmodum in casu diuortij contingentis propter adulterium licitum est cum debitis conditionibus supra adductis vtrique coniugi, transire ad religionem altero manente in seculo sine vllo voto castitatis, ita etiam C idem dicendum est in casu diuortij contingentis propter sæuitiam alterius coniugis, quia in vtroque casu pariter iudicandum esse videtur, & hoc in fauorem innocentis, fauor enim maximus innocentis est, quod si ipse vult ingredi religionem, non expectet alterius votum castitatis, & si ipse dat alteri licentiam profitendi, non teneatur aut religionem ingredi, aut simplex votum castitatis emittere.

QVÆSTIO XII.

Vtrum ob alias causas licitum sit diuortium inter coniuges?

1 PRIMÒ in hac quæst. ingerit difficultatem, an propter alia crimina, præter ea, quæ in superioribus quæstionibus explicata sunt, licitum sit diuortium? Quidam existimarunt, licitum esse diuortium vni coniugi propter alia crimina, quibus alter coniux irretitus est. Probatur primò *ex cap. idolatria, 28. quæst. 1.* vbi hæc continentur verba: *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male vtentem perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, & vir vxorem dimittere, & vxor virum.* Secundò probatur ex c. *omnes causationes, 32. q. 7.* in illis verbis: *Quandiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus tamen est reputandus eius,* ergo etiam ob alia crimina, præter hæresim, & adulterium licitum est diuortium.

2 Alij iudicarunt, non esse licitum diuortium ob alia crimina, licet illis irretitus pertrahat alterum coniugem ad ea. Probatur ex *cap. 2. de diuortijs.* in illis verbis: *Mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, nisi fidei suæ religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet.*

B His tamen minime obstantibus sit prima cōclusio. 3 Etiamsi coniux sit implicatus alijs vitijs præter adulterium, hæresim & sæuitiam, si tamen coniux non pertrahat alterum ad peccandum, non præbet iustam causam diuortij. Ita sentit *D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 6. in corpore, quem sequuntur Theologi.* Probatur primo ex verbis allegatis pro secunda sententia *in ca. 2. de diuortijs,* ex quibus verbis saltim colligitur, propter alia crimina, ad quæ non contendit pertrahere coniux, non posse eum derelinqui. Secundò probatur, quia si licitum est diuortium propter adulterium, ex eo est, quia hoc vitium directe repugnat fidei datæ in matrimonio, hæresis vero cum destruat fundamentum vitæ Christianæ, & communiter C quisque tentet alterum pertrahere in suam sectam, communiter vergit in salutis periculum: alia vero crimina, neque contrariantur fidei matrimonij, neque communiter illis affectus pertrahit coniugem ad ea: quinimo etiamsi ipse improbus sit, vult mulierem suam sancte viuere, ergo non licet deserere coniugem alijs vitijs implicatum, quando ad ea non inducit: in his vero criminibus licitum erit viro innocenti, imo & vxori innocenti, imo & necessarium sub peccato mortali, à coniuge criminoso discedere. Tum ad vitandum scandalum, quod potest sequi ex eo, quod peccatū vnius coniugis sit publicū, & alter coniux possit reputari protector criminis, tum etiam propter obligationē correctionis fraternæ, quæ vtri- D que coniugi iuxta ea, quæ diximus in superioribus, conuenit, licet strictius conueniat viro, qui caput est vxoris, quam vxori, quæ subdita est viro.

Secunda conclusio. 4 Quando vnus coniux implicatus est quocunq; genere vitiorum, & inducit alterum ad peccandum, & alter timet sibi ruinam spiritualem, potest innocens ab a- 5 lio separari. Ita sentiunt *Innocens. cap. 1. nu. 1. de adulterijs, Sylu. verbo, matrim. 8. quæst. 14. dicto 6. D. Thom. loco citato ad tertium. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 4. Emanuel Sa, in*

summa

sum. verbo, diuortium, num. 1. & alij. Probatur conclusio primo, quia vnusquisq; tenetur potius cauere animę suæ periculum, quam vxori morem gerere, habitando cum illa, & reddendo ei debitum, sed in isto casu imminet animæ periculum, ergo propter illud vitandū licitū est diuortiū, in quo denegatur cohabitatio, & debitum coniugale coniugi. Secūdo probatur, quia vt vidimus in præcedenti quæstione, quādo ex sæuitia viri imminet periculū corporale coniugi, licitum est ei, imo & necessarium celebrare diuortiū, ergo multo magis necessariū erit cum imminet periculum spirituale.

5 Vnde cum vir protector est adulteriorū vxoris, vel præbet illi causam cōmittendi adulteria, admittendo domi suæ viros eius pudicitiam tentantes, neque eos expellendo, cum de ea re sit admonitus ab vxore, vel alijs modis directè, vel indirectè vxori præbet ansam perpetrandi aliquod peccatum mortale, potest vxor à viro recedere: imo & tenetur, si periculum in se lapsus spiritualis cernit, quia his modis satis ea inducitur ad peccandum.

6 Hoc autem diuortium tantū est licitum cōiugi innocenti, dum coniux vitijs irretitus ad meliorem vitæ frugem non confugit, eum enim emendatum tenetur recipere in suam societatem. Ita notarunt *Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 14. §. 2. causa est. Sotus in 4. dist. 39. q. vnic. art. 4. ad finem.* Probatur, quia diuortium perpetuū, vt vidimus in præcedentibus quæstionibus iure diuino, & naturali tantum est licitum ratione adulterij carnalis, & iure positiuo tantum constat esse constitutum ab Ecclesia propter hæresim post sententiam damnantem, vel declarantem hæreticum, ergo propter alia crimina, neque iure diuino, neque naturali, neque positiuo licitum est diuortium perpetuum.

7 Tertia conclusio. Rectè possunt cōiuges ex mutuo consensu separari quoad torū, & quoad habitationē, siue ad certum tēpus, siue in perpetuū. Probatur conclusio, quia coniuges non tenētur, rei vxoriæ operam dare, neque procurare generationem filiorum, sed possunt ab ea libere abstinere, vt melius Deo seruiāt, vel ob alias iustas causas, cum existimant, se minime lapsuros in carnis luxuriam: si vero incontinentiæ periculum timeant, vel non discedāt, vel post discessum iterum coniungantur, iuxta formam à *D. Paulo præscriptam 1. ad Corinth. 7. ibi: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi, & iterum, reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.*

8 Quarta conclusio. Licitum est coniugibus, post maturam deliberationem, qua perspexerint, se absque carnis incontinentia posse diu
A viuere separatos, vouere mutuam castitatem, atque ita propter obseruantiam voti toro separati. Probatur conclusio, quia votum est promissio Deo facta de meliori bono, hoc autem melius bonum est, quàm vti copula coniugali, aptiusque medium ad profectum spiritualem consequendum, ergo sine dubio optima est materia voti: in quo casu quartæ conclusionis maior deliberatio requiritur, quam in casu tertiæ conclusionis, nā in casu tertiæ conclusionis facilis est reditus ad consortiū coniugale, quia nihil obstat, in casu vero quartæ conclusionis obstat votum castitatis, quod difficile tollitur.

Non tamen requiritur ad hoc, vt vnus coniux castitatem voueat, & separetur quoad to- 9
B rum ab alio coniuge, quod alius religionē voueat, etiamsi vterque iuuenis sit. Quamuis ad hoc, vt vnus coniux religionem profiteatur, necesse sit, alterum, si iuuenis est, religionem profiteri, cuius differentiæ ea potest assignari ratio, quia cum vterque manet in seculo, & tātum emisit votum simplex castitatis, & apparet aliquod periculum incōtinentiæ in aliquo coniuge, vel in vtroque, facilis est dispēsatio, & facile subueniri potest imminēti periculo. Cum vero vnus coniux ingrederetur religionem, eamque profiteretur, & alter maneret in seculo, ille qui maneret in seculo, expositus esset multis periculis incontinentiæ, & cum
C videret sibi imminentem ruinam spiritualem, difficillimum esset illi, adhibere remediū media copula coniugali, quia difficillimum est, in voto solemni religionis emisso ab altero coniuge Ecclesiam dispensare.

Ex his respondetur ad argumēta opposita. 10
Ad primum primæ sententiæ dicimus, illum textum esse intelligendū de coniuge implicato alijs criminibus, pertrahenteq; ad illa alterum coniugem. Ad secūdum argumentū dicimus, in eo textu non explicari, ob quæ crimina sit licitum diuortium, sed tantum affirmari ex quocunque scelere proueniens diuortium non dissoluere matrimonium quoad vinculū, quod omninò certum est.

Ad argumentum secundæ sententiæ respon- 11
demus *in eo cap. 2. de diuortijs*, tantum fieri men-
D tionē hæresis ad hoc, vt sit causa diuortij, quia hoc vitium regulariter, & communiter, vt supra vidimus, in prima conclusione, affert secū periculum lapsus spiritualis, & pertractionis ad peccatum, quia vero alia crimina non ita cōmuniter pertrahunt ad peccatum, ideo illorū non meminisse prædictum textum, ob hoc tamen nō negasse, licitum esse diuortium vni coniugi, quando alter illis criminibus infectus pertrahit illum ad peccandum.

LAVS DEO.

INDEX TEXTVVM IVRIS CANONICI, QVI IN ISTO VOLVMINE DECLARANTVR.

Litera, P. paginam significat, litera, C. columnam, N. numerum.

EX DECRETO.

A pag.

Caput.

Ex Decretalibus.

Caput.

INDEX



INDEX RERVM NOTABILIVM, QVAE IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Litera, P. paginam significat, litera, C. columnam, N. numerum.

ABLVTIO.

Chara-

Confirma-

Confirmatio.

Confessio, & confessarius.

Ad con-

Contri-

Diuortium.

Eucha

Impedi-

Iuramen

Matri-

Matronæ.

Materia.

Medicus.

Metus.

Mini-

Oris.

Panis.

Papa.

Parro-

Parrochus.

Patrinus.

Peccatum.

Pœni-

Præceptum.

Propositio.

Promissio.

Pestis.

Sacra-

Spon-

Vxor.

LAVS DEO.

